12127

77/99

Cod. 31

COLLEGII SALMANTICENSIS FF. DISCALCEATORUM B. MARIÆ DE MONTE CARMELI PRIMITIVÆ OBSERVANTIÆ,

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS.

TOMUS QUINTUS,

QUATUOR CONTINENS TRACTATUS,

QUORUM
- I. De Principijs Moralitatis.
- II. De Primo Præcepto Decalogi, vbi de Fide, Spe, Charitate, & Religione, nec non de vitijs his virtutibus oppositis.
- III. De Secundo Præcepto Decalogi, vbi de Adiuratione.
- IV. De Tertio Præcepto Decalogi, vbi de Ecclesiæ Præceptis.

Per P.F. SEBASTIANUM A SANCTO IOACHIM, *Carmelitam Excalceatum, olim in suo Salmanticensi Collegio Primarium Lectorem, &c.*

EDITIO PRIMA,

CVI ACCESSERE PROPOSITIONES A SVMMIS PONTIFICIBVS, vtroque Alexandro VII. scilicèt, & VIII. nec non Innocentio XI. novissimè damnatæ, earumque notulæ sub signo ☞ proprijs in locis, prout visum fuit decursu Operis opportunum.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Anno 1714.

MATRITI:

Ex OFFICINA REGIA, apud Iosephum Rodriguez de Escobar, Sanctæ Cruciatæ, & Hispanicæ Academiæ Typographum.

Cod. 32

PROTO PARENTI
ELIÆ.

(1) 3. Reg. 17. v. 2. Cœli Clavigero. (1)
(2) 3. Reg. 18. v. 41. Baalitarum gladio. (2)
(3) 4. Reg. 2. v. 12. Currui Iſrael, & aurigæ eiùs. (3)
(4) Eccleſiaſtic. 48. v. 1. Igni, & faculæ ardenti. (4)
(5) Eccleſiaſtic. 48. v. 5. Primo mortuorum ſuſcitatori. (5)
(6) Eccleſiaſtic. 48. v. 6. Regum deiectori ad perniciem. (6)
(7) Eccleſiaſtic. 48. v. 6. Potentium potentiæ confractori. (7)
(8) Eccleſiaſtic. 48. v. 10. Conciliatori cordis Patrum ad filios, & reſtitutori tribuum Iacob. (8)
(9) 1. Machab. 2. v. 58. Divini honoris zelatori. (9)
(10) Matth. 17. v. 11. In diebus Antichriſti omnium reſtitutori. (10)
(11) Lucæ 9. v. 30. Transfigurationis Chriſti teſti, & conſiliario. (11)
(12) Apocalip. 11. v. 4. Olivæ, & Candelabro in conſpectu Domini terræ ſtanti. (12)

Angelo terreſtri, & homini cœleſti. (13)
Præſtantiſsimo Prophetarum Principi. (14)
Prophetarum capiti. (15)
Prophetæ Sanctiſsimo, & Viro Sancto, iuſto, devoto. (16)
Sublimi meritis. (17)
Eximio virtute. (18)
Spiritifero, mirifico homini, & pleno Spiritu Sancto. (19)
Amico, & Domeſtico Dei, imò domeſticorum, & amicorum præcipuo. (20)
Sacerdoti magno, & Prophetæ ſolitudinis habitatori: excellenti ingenio prædito, in laboribus forti, & metu mortis intrepido. (21)
Eccleſiæ defenſori, & etiam poſt mortem prædicatori, novi que teſtamenti conſumatori. (22)
Monaſticæ vitæ Inſtitutori, & Principi. (23)

(13) D. Chryſ. in catena ad c. 4. Luc. & ibi Cartuſ.
(14) Damaſc. Serm. 2. de S. Vitali.
(15) D. Amb. lib. de Viduis.
(16) D. Chryſ. Homil. 2. de Elia, tom. 1. pag. 248.
(17) D. Auguſt. lib. 20. de Civitate Dei, cap. 29.
(18) Niſen. orat. 3. in Cant.
(19) D. Cyril. Hieroſ. Catechel. 16.
(20) Drogon Hoſt. Serm. 12. de Paſsione.
(21) D. Iſidor. lib. de Ortu, & Interitu Proph. cap. 35.
(22) Tertul. lib. 4. contra Marcion. cap. 22. & lib. de Anima, cap. 50.
(23) D. Aug. lib. 1. Inſt. c. 2.

Christi Apostolo, & Præcursori. (24)
Puritatis Virginis Deiparæ præscio, & imitatori. (25)

Hoc opus de Decalogi præceptis ex toto corde
litat, & consecrat filiorum suorum minimus

Fr. Sebastianus à Sancto Ioachim.

(24) D. Cyril. lib. ad Euseb. D. Hieron. Epist. ad Paulinum.

(25) D. Ambros. 1. ad Corinth. cap. 4. num. 9. & ibi D. Anselmus.

(25) D. Methodius Homil. de festo Purificationis.

NON Diu, Sanctissime Parens, anceps, suspensus veteti, cui (veteri adhærens consuetudini, nostris etiam temporibus approbatæ) hasce mei laboris præcoces primitias, quas non sine magno studio, opera, & labore conscripseram, dicarem, quibus que aris suspenderem. Nam si, vt ait Ecclesiastes: *Ad locum, vnde exeunt flumina, revertuntur, vt iterum fluant.* (26) Cum mei ingenij qualiscumque sapientiæ limphæ, seu doctrinæ rivuli à magni Eliæ perenni scaturiant fonte: æquum, imò necesse erat, vt iterum ad te perfluant, vt rursus cum maiori vndarum copia Ecclesiæ vireta irrigent, & fæcundent. *Quid enim*, ait Galfridus, *erit, si in mari non influant? Fontes exsiccari necesse est.* (27) Exsiccabitur certe meæ doctrinæ scatebra, nisi ad te, Carmeli fontem illimem, vnde fluit, refluat. Quare, cum hoc opus tibi lito, merito dicere possum cum David pretiosa munera Deo libere offerente: *Quis ergo, & quis populus meus, vt possimus hæc tibi vniversa promittere? Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* (28) Nihil enim nec in hoc opere, aut in me est, quod te non cognoscat auctorem, aut non fateatur Dominum. Decidit Iurisconsultus quod: *Siquis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, illius sit domus, cuius & solum est.* Et iterum num. 33. *Litteræ quoque, licet aureæ sint, perinde chartis, membranis ve cedunt, ac solo cedere solent ea, quæ inædificantur, aut inseruntur; ideo que si in chartis, membranis que tuis carmen, vel historiam, vel orationem Titius scripserit, huius corporis non Titius, sed tu Dominus esse videris.* (29) Cum ergo, Sanctissime Parens, gloria Libani data sit tibi, decor Carmeli, & Saaron, hoc est, huius Salmanticensis Collegij sis non solum Parens, verum & in Patronum, & Tutelarem, non sine singulari Dei providentia, electus, merito dicere fas est, quod *tua sunt omnia*, quæ in eo sunt; quod tuæ sunt *litteræ licet aureæ*, quæ in membranis, chartis ve tuis ab huius Eliopolis filijs inscribuntur; tui sunt quot quot libri, & chartæ, non qualemcumque historiam, carmen, vel orationem continentes, vt aiebat Iurisconsultus, sed Sacram Theologiam Scholasticam, Moralem, Mysticam, & Expositivam, nec non mirabilem illam Historiam Propheticam eructantes, qui non sine totius litterarij Orbis admiratione, & plausu ab huius Salmanticensis Collegij filijs huc vsque sunt editi in lucem, & plures alij, qui edendi typis parantur, & iam iam sub prælo gemunt.

(26) Ecclesiastes cap. 1. v. 7.

(27) Galfridus in Eccles. cap. 1.

(28) 1. Paralipom. cap. 29. v. 14.

(29) In Institut. lib. 2. tit. 1. de rerum divis. & acquisit. ipsarum dominio, num. 14. & 33.

Quomodo enim excubiarum huius Salmanticensis Collegij fætus possent ita fausto edi sydere, ita ab omnibus gratanti excipi voto, nisi tuæ cœlitus instillatæ sapientiæ excoquente fervore essent concepti, tuo que fulmigante verbo essent dictati? *Surexit Elias Propheta*, ait Ecclesiasticus, *quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* (30) Ignis ad Baalitas vrendos, facula ad fideles illuminandos; ignis ad vitia eradicanda, accendendo auditores ad amorem divinum, vt ait Lyranus, facula ad discipulos edocendos, vt luce doctrinæ eius ardentia fundant verba, non inflantia, sed cunctos inflamantia.

(30) Ecclesiast. 48. v. 1.

Merito ergo iuxta Chrysostomum, Elias interpretatur *Elios*, seu *Sol.* (31) Optime iuxta Sedulium, nomen, & Solis proprietas ei adaptantur, vt eleganter his verbis dilucidat.

(31) Chrysost. Homil. 3. de S. Elia.

Quam

Quam bene fulminei prælucens semita Cœli
Conuenit Eliæ, merito que, & nomine fulgens,
Hac ope dignus erat; nam si sermonis Achivi
Vna per accentum mutetur littera, Sol est. (32)

(32) Sedulius

Quia sua luce, & tenebras discutit, & ignorantiæ noctem dissipans cunctos illuminat. Vnde obseruat Pater Clauius in Sphera Ioannis de sacro Bosco: *Recte Solem dici luminare maius, quia non tam suum splendorem continet in corpore suo, sed etiam in Lunam, Stellas, ac Planetas in totum orbem diffudit.* (33) Recte etiam Proto Parens noster Elias Sol interpretatur, quia est luminare maius Ecclesiæ, non solum in se continens splendorem sapientiæ, sed etiam per filios suos, & maxime per huius Salmanticensis Collegij alumnos, quos Prophetas, & Successores post se facit, tanquam per Lunam, Stellas, ac Planetas, suæ doctrinæ radios circumquaque diffundit, & ignorantiæ obfusas tenebras igne diuini amoris, & verborum faculla dispellit.

(33) Clauius in Sphera Ioannis de sacro Bosco.

Testes huius veritatis, pluribus alijs omissis, tantum invoco tot insignes Magistros, ac Doctores, qui ex hac Heliopoli, seu Eliani Solis domo, velut ex equo Troiano prodeunt, non ferro ob armati, sed litterarum facibus instructi; non affectata eloquentia Tulliana, subtilitate que Tertuliana crispati, sed sapientia divina imbuti; qui non (vt verbis vtar Apostoli) *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis* (34) illustrant doctos, instruunt ignorantes, & denique totum litterarium orbem illuminant. Hoc clamitat vterque Theologicus Salmanticensis Cursus, Scholasticus, scilicet, & Moralis, qui omnium iudicio nullis alijs Doctoribus sunt impares, ne dicam, quod plerosque superant. Audiamus Illustrissimum Caramuel virum absque dubio doctissimum, & libertatis sentiendi, vt ipse fatetur, amatorem: hic ergo ingeniosissimus Doctor in Comment. ad Regul. D. Benedicti, quæst. 34. num. 345. in laudem filiorum huius Salmanticensis Collegij sic efatur: *Qui Carmelitarum doctrinam admirari voluerit, legat libros, quos temporibus varijs ediderunt. Salmanticensis Theologiæ Cursui Thomisticæ sententiæ, alias probabiles, debent, quod sint inexpugnabiles, securæ, & certæ. Commendo scholam; laudo libros; illam, quia nulla melior; illos, quia nulli meliores. Libere dico; si deberem Scholæ alicuius nomen dare illi potius, quam alteri: & in illa, illis potius, quam alijs vterer, sed amo sentiendi libertatem.* (35) Vnde ergo hanc miram sapientiam ebibere possent huius Salmanticensis Collegij filij, nisi ab scaturigine fontis Eliæ, qui in hoc litterarum Carmelo maiorem vndarum emittit copiam? Vnde tam micantibus, corruscantibus que doctrinæ radijs orbem illuminare valerent, nisi ab Eliæ Sole, qui splendidius in hac Heliopoli tanquam in propria domo micat, lucem mutuarent, & splendore sapientiæ collucerent? Quapropter si par est, reddere: *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* (36) Tibi, Sanctissime Parens, hoc opus dicare, & litare debemus, dicere que ex toto cordis affectu: *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* (37) Quia *Omnia, quæcumque audivi à Patre meo nota feci vobis.* (38) Et ideo quia *tua sunt omnia, quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* (39)

(34) 1. Ad Corinth. 2. v. 4.

(35) Caramuel in Comment. ad Regul. D. Benedicti. quæst. 34. num. 345.

(36) Matth. 22. v. 21.

(37) Lucæ 17. v. 10.

(38) Ioan. 15. v. 15.

(39) Paralipom. vbi supra.

Sed licet ex dictis pateat, omnes huius Salmanticensis Collegij litterarios sudores tibi ex iustitia dicari, & offerri debere; tamen hic noster labor, Quintus que Theologiæ Moralis Tomus iniuria esset, si alterius Mæcenatis patrocinium quæreret. Si enim Egyptij (vt refert Bungus) Quinarium numerum cœlestibus Astris dicabant; (40) potiori titulo tibi, non cuiuscumque Ecclesiæ militantis Astro, sed inter omnes, vt Sol, lucis splendore radianti, debet Quintus hic Cursus Moralis Salmanticensis Collegij Tomus offerri, & consecrari: Si *Septem Sapientes Græciæ* (inquit Divinus Plato) *facto Concilio ex communi consensu, has Delphici Apollinis templo primitias sapientiæ didicarunt, quæ templo inscriptæ, ab omnibus celebrantur. Cognosce te ipsum. Nihil nimis.* (41) Consonum rationi vtique est, vt has mearum excubiarum precoces primitias tuis suspendam aris, cum in eis contineantur Decalogi præcepta in quibus propria humanæ fragilitatis, & omnipotentiæ Divinæ cognitio præcipitur, & omnis super proximum indebita exaltatio prohibetur.

(40) Bungus de Numeris, num. 5.

(41) Plato in Protagoras, pag. mihi, 167.

Enim vero, esto insinuatæ rationes sat essent, vt meæ electionis veritas patefieret; attamen, si verum fatear, ad eam efficatius compulit, quod cum in præsenti volumine de præceptis Fidei, Spei, & Charitatis, alijs que Decalogi, & divinæ legis mandatis edisseratur, eorum que inviolabilis obseruantia zeletur, nec non ipsorum transgressio curetur vitari; & nullus alius huc vsque in militante Ecclesia inventus fuerit, qui sicut magnus Elias sit Divinæ legis Zelator, hæresum debellator, Idololatriæ depopulator, & peccatorum eversor, ita vt communi plausu per Antonomasyam Divini honoris

Ze-

Zelotes dicatur, ideo, cum quasi naturali pondere, sicut ad centrum ad te, Sanctissime Elias, hic noster decurrat labor, tuum que potentissimum exoptet auxilium, tuo altari illud dicare adstringimur.

At vt melius magni Eliæ divini honoris, & Decalogi legum ardens zelus præ omnibus alijs innotescat, sinopsym gestorum eius accipite. Vix enim Elias noster conceptus describitur, cum ad ostendendum eius ardorem in divinam legem edocendo, & transgressores arguendo, Patri eius Sabac huiuscemodi cœlestis visio, iuxta Epiphanium, & alios, apparuit: *Viri niveum quemdam præferentes habitum, pusionem salutabant, Matris que vberibus in ignem evellebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant.* En cœlestis visio, ecce divini Oraculi interpretatio. Cum enim Sabac, prosequitur Epiphanius: *Visa ad Sacerdotes retulisset; respondit illi Chrematismus, hoc est Oraculum, sive Responsor. Cave manifestum facias; erit quippe lumen filij huius domicilium, sermo que eius demonstratio, ac sententia, & iudicabit Israel cum in igne, tum rhomphæa.* (42) Cuius visionis, & prophetiæ veritatem postea decursus vitæ probarunt eventus.

(42) Epiphan. de vitis Prophetar. Isidorus de obitu Patrum. Dororh. & alij apud Cornelium in Eccles. iast. cap. 48. Et Camartum de gestis Eliæ, cap. 3. sect. 16.

Sed quia munus, ad quod cœlitus destinatus erat, non modicam præexigebat sanctimoniam, verbo que, & exemplo vias Domini Israelitico populo demonstrare opere pretium erat, ideo dicunt Doctores relati, quod more Baptistæ vix ei rationis vsus affulsit, dum Paterno domo aufugiens, se abdidit in Silvas, solitarios penetravit recessus, & molibus exutus vestimentis, horrentem saccum induit; hirsutam pellem, quam pellicea etiam constringit zona, humeris circumdat; nudat caput; calceos deponit; lectulum non mollibus cervicalibus substractum, sed qua saxis, qua vepribus contextum horrida præbet humus, limpha potum, cibum legumina, domicilium antrum. Ibi sedebat solitarius, & tacebat, (43) & pro peccatis suæ gentis ex intimo pectoris recessu alta trahebat suspiria; iugiter pœnitentiæ, & orationi vacabat, divinam, intendens, proprijs cruciatibus, placare iram. His exercitijs deditus non humanam, sed cœlestem agebat vitam, se tanquam in palæstra ad futura certamina disponens. Sed dum Deus magnum Eliam tot virtutibus ornatum videt, iam que prædicationis muneri maturum conspicit, cœlesti monitu præcipit, vt se Acabo impio, & Idolatræ Regi ostendat, populi que idololatriam in dies subcrescentem eradicet, evertat, & puniat. Egreditur ergo è latebris divini honoris Zelator pallido ore, fulcata facie, grascilentibus artubus, hirsuto, & quasi Elephantico corio circumtectis. Feram crederes, non hominem. Samariam adit, Regiam aulam ingreditur, ante Regem stat, & quin, vt alij assolent, dulcissonis verbis benevolentiam captet, eius Idololatriam publice, & libere reprehendit, & diris adeò verbis castigat, vt non loqui, sed tonare, & fulmigare videretur: *Vivit Dominus*, inquit Elias, *in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia, nisi iuxta oris mei verba.* (44) Quibus dictis, statim Dei mandato à conspectu Acabi subtrahens, abscondit se in torrente Carinth, qui est contra Iordanem, vbi de torrente bibens, corvi cibum necessarium per aliquot annos ministrarunt. Igitur propheticam sententiam, inquit Chrysostomus, reveritus est Deus, & honorem iuramento dedit. (45) Nam tunc subito anhelat terra, fugantur nubes, siccatur Cœlum, sitiunt omnes, fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aer fervet, serenitas torquet, æstuant noctes, dies arescunt, sata torrentur, arbusta ægrotant, prata deficiunt, nemora languent, campi ieiunant, fames subcrescit, & denique omnis creatura iram Dei testatur, Idolatriæ que Regis, & Populi punit peccata. O magna vis propheticæ dignitatis! Humnanus sermo est Divinus effectus. In terra Elias loquitur, & imperio eius cœlestes obediunt potestates. Commovit omnem creaturam vnus sermo Prophetæ, & miro modo humi sonans aera, cœlum que concussit. A sæculis instituta Elementorum armonia contabuit, cum sicco humidum, calido frigidum negaretur. At elementa pœnam suam læta suscipiunt, dummodo vel in salute hominum, vel in honore proficiat Conditoris. Interea solus Elias altior mundo, proximus Cœlo, montis habitaculo, & Dei colloquio fruebatur.

(43) Thren. cap. 3. v. 28.

(44) 3. Reg. 17. v. 1.

(45) Chrysost. vbi supra.

At Deus omnipotens, & clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, post tres, & dimidium siccitatis elapsos annos, condolens Israelitici Populi miseriam, & famem iam iam vniversam fere devastantem terram, iterum Eliæ præcipit, vt Achabo se ostendat, & de magno zelo aliquid remittens, pluviam ei promittat. Obtemperat Elias divino præcepto, & apud Achab comparet, qui acerbitatem, quam in Prophetam conceperat, evomens, inquit: *Tu ne est ille, qui conturbas Israel?* (46) Ad quem Elias sermonem in Regem convertens, ardenti zelo, & ignem ore spirans, eius impietatem constanter sic obiurgat: *Non ego turbavi Israel,*

(46) 3. Reg. 18. v. 17.

sed

ſed tu, & domus Patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſequuti eſtis Baalim. (47) O mira Eliæ zelotipia! O infracta Prophetæ potentia! O facies Tesbitis maximi ſilice, & adamante durior! (48) Qui *deiecisti Reges ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipſorum, & glorioſos de lecto ſuo.* (49) *O ſermo vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis!* (50) Qui tumidum, & inflatum Regem Idolatram miteſcens, ita terret, vt propriæ cogat ſubijci voluntati: vnde præcipit ei dicens: *Mitte, & congrega ad me vniverſum Iſrael in Monte Carmeli, & Prophetas Baal quadringentos quinquaginta, Prophetas que lucorum quadringentos, qui comedunt de menſa Iezabel.* (51) Quos cum in Carmelo congregatos vidiſſet, alta voce, fide intrepida, ardenti que zelo ait: *Vſque quo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini illum. Ego remanſi Propheta Domini ſolus; Prophetæ autem Baal quadringenti, & quinquaginta viri ſunt. Dentur nobis duo bobes, & illi eligant ſibi bobem vnum, & in fruſtra cædentes, ponant ſuper ligna, ignem autem non ſupponant: & ego faciam bobem alterum, & imponam ſuper ligna, ignem autem non ſupponam. Invocate nomina Deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus, qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus.* (52) Quæ vtique conventio, cum vt vtilem vniverſus approbaſſet populus, ſtatim executioni mandata eſt. Baalitæ ergo ſacrificant bobem, infruſtra dividunt, & ſuper ſtruem lignorum abſque igne ſuppoſito collocant. Incipiunt invocare Baal, & cum non reſponderet, nec cœlitus ignem ſuper holocauſtum emitteret; multiplicant petitiones, lanceolis, & cultris ſe compungunt, donec proprio ſanguine commadent, & altare cruentant. Videre erat, Sacerdotes ſuo more infulatos crudeliſsimi Dœmonis ſacrificulos, rubentes ſanguine, hinc inde circum victimam ſaltantes, & rugientes ad Deum ſurdum, qui eos exaudire non valet. Vnde eos ſubſannans magnus Elias ita aiebat: *Clamate voce maiori, Deus enim eſt, & forſitam loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur.* (53) Sed cum à mane vſque meridiem fruſtra ad Baal clamaſſent, & nihil apud illos eſſet niſi riſus, & ludificatio; tunc Elias ad ſe convocat populum, altare ædificat, componit ligna, ſuper imponit bobem membratim diviſum, & vt veritas fidei, & miraculoſi ignis patefieret, iuſsit quatuor hydrias aquæ deſuper infundi. Et vix ſupplex ad Dominum clamavit, dum è Cœlo cecidit ignis Domini, & voravit non ſolum holocauſtum, verum etiam lapides, pulverem que exedit, & aquam, quæ erat in aqueductu elinxit; vt ſic melius agnoſceretur, ignem illum alterius eſſe naturæ ab elementari, qui aqua extinguitur. Quo miraculo ſtupefactus populus, in faciem adorabundus, & ſupplex procidens, clamavit, dicens: *Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* (54)

Victor ergo de Baalitis Elias, ne idololatriæ auctores iterum Iſrael ſeducerent, iuſsit populo, vt omnes apprehenderet, & apprehenſos iuſtiſsime, tanquam Proto Inquiſitor Generalis fidei ad torrentem Ciſom enecari fecit, ne terra Sancta, inquit Cornelius, (55) eorum ſceleſto ſanguine pollueretur; & ne eorum cadavera aerem inficerent, vel aliquando idololatriæ vipereum venenum pullularet, in aquis decurrentibus ſepelivit. Vnde Leo X. ait Sylveira (56) in Bullis, quæ circumferuntur in Directorio Inquiſitorum, eum proponit in exemplum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Inquiſitoribus, vt illius exemplo informentur hæreſes extirpare, ita vt non permittant aliquam illarum ſcintillam permanere. Hac ergo parta de Baalitis victoria, verticem Carmeli aſcendit orare, & meritis puriſsimæ Virginis Mariæ ſub typo nubeculæ parvæ cœlitus agnitæ aquam promiſſam impetravit.

Sed occiſsionis Baalitarum notitia ad Iezabel ſtatim tranſvolat; ira ſcandeſcit impia, Idolatra que Regina, minas in Eliam evomit, & craſtina morte plectendum iurat. Intentionem Iezabelis agnoſcit Propheta Domini, & ſtatim celere pede aufugit pavidus, non quia timeret mortem, quam ardenti animo exoptabat, ſed, vt ait Cornelius: *Ne videretur à Iezabele ſuperatus & victus, & cum ipſo vera Dei religio. Iezabel enim iactaſſet, ſe occidiſſe Eliam, & cum eo ſupplantaſſe Dei fidem, & cultum.* (57) Defeſus itaque via, ſub vmbra Iuniperi deficientibus viribus, laſſo que corpore, ſedit humi, & dormivit, donec excitatus ab Angelo, pane que cœleſti paſtus vſque ad montem Dei Oreb deambulavit, & ibi in ſpelunca diu latitans, à Domino ſic de otio increpatur: Quid hic agis Elia, dum veri mei cultus religio in idololatriam eſt converſa? Cui ille: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* (58) Hoc eſt, vehementiſsimo amore legem tuam zelavi. Quapropter

(47) 3. Reg. 18. v. 18.
(48) Ezechiel 3. v. 9.
(49) Eccleſiaſt. 48. v. 6.
(50) Ad Hebræ. 4. v. 12.
(51) 3. Reg. 18. v. 19.
(52) 3. Reg. 18. v. 21. 22. 23. & 24.
(53) 3. Reg. 18. v. 27.
(54) 3. Reg. 18. v. 39.
(55) Cornelius in præſenti.
(56) Sylveira opuſc. 3. reſol. 1. num. 27.
(57) Cornel. in 3. Reg. c. 19.
(58) 3. Reg. 19. v. 10.

ter Divus Thomas definit zelum dicendo: *Eſt amor intenſus non patiens conſortium in re amata.* (59) Vnde Vatablus vertit: *Mira zelotypia teneor pro Domino Deo.* (60) Ideſt crucior in honorem Dei quaſi zelotypia, cum videam Sinagogam, quæ eſt Dei ſponſa ab eo deficere, & ad Baal quaſi ad adulterum tranſire. Crucior, quia me occiſſo, nullus ſuperſt Propheta, nullus Zelator, qui Dei cultum propugnet, Baalitis que ſe opponat. Crucior, quia actum eſt de vera Religione. Crucior, quia omnia Iezabel occupat: vbique colitur Baal: vbique exundat perfidia: vbique Idololatria regnat. Crucior, quia video mala gentis meæ, quibus mederi non valeo, cum derelictus ſim ego ſolus; & ideo crucior, & divinæ legis zelo conficior, mori que potius quam vivere exopto.

(59) Div. Thom. de Verit. quæſt. 26. art. 4. fine.

(60) Vatabl. in præſenti.

Sic ergo Elias Domino ſuæ fugæ cauſam ſciſcitanti reſpondet: ſed divino confortatus conſortio, denuo redire ad pugnam cœleſti monitu cogitur. Tunc divino oraculo obtemperans, iterum è Sylvarum, præruptæ que rupis receſſu commigrat in hominum turmas. Primo que Reges, & Prophetas vngit, qui, eo curru igneo ad Cœlos evecto, Idolatras occidant, & peccatores verberent. Deinde deſcendenti Regi ad vineam Naboth iniuſte lapidibus obruti occupandam, Dei monitu occurrit, & in huius homicidij pœnam Achabo, & Iezabel mortem prophetat, & quod eorum carnes, & ſanguinem canes edacitate inexplicabili lingent, & vorabunt. Quod & factum eſt, ſed non ſtatim; nam cum Rex acri Eliæ reprehenſione commotus ſceleris pœniteret, pijſsimus Deus videns Achab humiliatum, necem licet diſtulerit, totaliter tamen ſententiam non mutavit.

Sed his geſtis mirabilibus in divinæ legis zeli teſtimonium, alia egregia non minus facinora aggreditur. Mortuo enim Achabo in prælio, clavum Regni filius eius Ochozias tenuit, qui cum ob caſum per cancellos cœnaculi ægrotaret, miſsit nuncios, qui, Iſrael Deo ſpreto, Beelzebuth Deum Acaron conſulerent, an vivere, nec ne poſſet & ex infirmitate illa convalere? Sed ecce Elias, ardens Divini honoris zelo, nuncijs Regis obius occurrit, & mortem ob tantum ſcelus Regi nunciare, & ad eum reverti iubet. Furit nuntio, mittit que ſtatim quinquagenarium Principem, vt, ſi vltro venire recuſaret, ad ſe Prophetam vinctum reducat, vt vel Oraculi rationem reddat, aut audaciæ pœnam morte luat. At tantæ iniuriæ vltor divinus extitit ignis; nam, ex divina inſpiratione orante Elia, ignis cœleſtis deſcendit, qui Principem, & quinquaginta comitantes milites devoravit. Sed impius Rex hac pœna nihilo melior factus, ſecundum Quinquagenarium miſsit, quem ſimiliter ad Prophetæ preces ignis divinus conſumpſit, vt repetitis pœnis eius frangeretur audacia, & ira territaretur effrenis. At ſuorum morte ingraveſcit Regis furor, & tertium Quinquagenarium contra Prophetam expedit, qui præcedentium calamitate animadverſus, ante Eliam ſtratus orat ſupplex, vt vitæ eius miſertus, dignetur ſecum ad aulam Regiam deſcendere: cui humili ſupplicationi annuens Elias, & monitu Angelico validatus, deſcendit de Carmelo, properavit ad Regis domum, & qui antea mulieris minas trepidarat, nunc militari Legione cinctus, impio Regi adſtat, Tyranum adit, Sacrilegum terret, & exitium zelo divini honoris ardens indicit ſceleſto.

Hucuſque vidimus Eliæ ardentiſsimum zelum, quo leges Dei, & præcepta divina ſervari ab Iſraelitis totis viribus, dum nobiſcum ageret, curavit. Videamus quomodo ad Paradyſum translatus, zelum legis divinæ zelare non deſtitit. His ergo pro honore divino peractis, iterum ad Carmelum redit, filios in vita monaſtica, & eremitica inſtruit, domum orationi dicatam ædificat, quæ *Semnion* dicebatur, vbi, vt ait Ioannes Patriarcha Hieroſolimitanus, (61) tribus vicibus Elias, eius que diſcipuli quotidie conveniebant, tum ad Creatorem omnium Litanijs, & orationibus ſuppliciter placandum, tum ad fideles in lege Domini edocendos. Vnde, vt colligitur ex 4. Reg. cap. 4. v. 23. ex tunc Eliæ diſcipuli Kalendis, & Sabbathis Populum concionibus inſtruebant, & cantu divinarum laudum ad pietatem excitabant.

(61) Ioan. de Hieroſol. lib. de Inſtit. Monach. cap. 29.

Cum ergo omnipotens Deus Eliam ſuum tota corporis, & animi devotione zelantem, poſt multorum laborum ſudores, poſt dirarum perſequtionum graviſsimas fatigationes, poſt tantorum bellorum magnas, illuſtres que victorias, optima de mundo, & Diabolo ſpolia referentem, igneo curru, atque equis fulgentibus ad ſua Regna voluerit pervenire, cœleſti monitu de imminenti raptu admonet, & vt prius Prophetici Ordinis viſitet Collegia, iubet. Divinis monitis paret, & ſic illico, vnico Eliſæo ſtipatus, de Carmelo deſcendit, & filijs, qui erant in Galgalis, Bethel, Iericho inviſis, iter verſus Iordanem dirigens, & ad eius ripam perveniens, pallio tangit aquas, quæ in vtramque ſciſſæ partem, ſecuram viam obedientes pandunt, & redundantem flumi-

nis

nis alveum repentine ſiccatum pulvurulento tranſmigrarunt veſtigio. Cum que incedentes ſermocinarentur, ex improviſo currus, & equites apparuere flammantes: Eliam vt viderunt, ſubſiſtunt, & vt aſcenſuro currum præberent, terga ſponte convertunt. Intrepidus igneam rhedam ingreditur, nec incaleſcunt omnino veſtigia: totum corpus ignis ambit, nec læditur: per colla, per latera flamma diſcurrit innoxia, quia quid quid cœleſtis eſt naturæ, ignis non vrit, ſed munit; non inflamat, ſed illuminat; non incendit, ſed defendit. Pio ergo ſuſcepto onere, in auras, ventos que proſiliunt, & rapidis per inanne paſsibus, aeris ſpacia corripiunt. Hoc illis aer, quod campus erat; hoc inanne, quod terrenum. Vbi rogo alternos figunt pedes, dum citis ſaltibus glomerant curſus? Quod in aere ſolum, quod duro calcibus cornu feriunt? Vbi rotarum inſtabilis illa ſic currit inverſio, vt impetu globoſo continuo in ſemet volubilitate redeunte, radiorum diſcrimine velox vertigo confuſa luce Prophetam cœlitus elevet? Mirum prorſus, & incredibile pene ſpectaculum equis currere ſupinis ad Regna Cœleſtia tendentibus. Vidit mirabilem raptum Eliſæus, & Patris abſentiam egre ferens, clamabat dicens: *Pater mi, Pater mi currus Iſrael, & auriga eius.* (62) Sed miſertus Elias ei pallium dimiſit, & in eo duplicem eius ſpiritum contulit, iter que ſuum ad terreſtre Paradyſum convertit, venturus iuxta Malachiæ prophetiam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, ad convertendum cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, & reſtituendum tribus Iacob. (63) En triumphalis aſcenſus Eliæ, ecce tranſlatio eius in Paradyſum, vbi cœleſtem vitam agens adhuc honoris divini, Decalogi que legum ardens exiſtit Zelator.

(62) 4. Reg. 2. v. 12.

(63) Malach. cap. 4. v. 6.

Cum enim, novem decurſis annis poſt eius raptum, pio Regi Ioſaphat impius Ioram ſucceſsiſſet, vix in ſolio Regio reſidet, dum ſex fratres ſuos, & quoſdam de Principibus Iſrael iniuſte gladio occidit, idololatriam ſuſcitavit, & in vijs perverſis Achab filios Iſrael ambulare fecit. Quæ vt cognovit magnus Elias, minaces Regi impio litteras è Paradyſo miſit, (64) in quibus antiquum zelum ſpirando, minitat, & prædicit graviſsimum morbum, ita vt eius vitalia, ac viſcera paulatim diſluerent, donec in doloribus, & fætoribus, vt poſtea accidit, vitam exhalaret. O verus Divini cultus zelator, qui adhuc in Paradyſo commorans Iſraelis clavum non dimittis, & legis divinæ obſervantiam omni conatu moliris. Vnde fortiſsimas, & invictus Matathias exemplo Protoparentis noſtri Eliæ ſuos obarmavit milites, roboravit ad pugnam, divinæ que legis zelum exacuit, vt illius imitarentur exempla: Qui *dum zelat zelum legis, receptus eſt in Cœlum.* (65) Et Chriſtus Dominus triumphum Eliæ de Antichriſto in vltimis diebus reportandum decantans ait: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* (66) Hoc eſt, exponit Angelicus Doctor: *Reſtituet omnia, quia veniente Antichriſto omnes ſeducentur, ſed mortuo Antichriſto omnes reſtituentur ad fidem per prædicationem Eliæ.* (67) O flagrans charitatis ardor Iudæorum obdurata corda emoliens! O vehemens divinæ legis zelus Antichriſti perfidiam, & potentiam devincens! O mira prædicatoris lingua omni gladio ancipiti acutior, & cordium intima penetrans, quæque ſub dira Antichriſti tyrannide gemebundos homines ab eius dominio redimens, ad viam veritatis convertit! O admiranda Eliæ ſapientia, qui in vltimis diebus venturus eſt, & vt vertit Syriacus: *Docebit vos omnia.* Omnia vtique fidei myſteria, verum Dei cultum, Decalogi que præcepta, quæ Antichriſti ſophiſmatibus ſeducti homines errores credebant.

(64) 2. Paralipom. cap. 21.

(65) 1. Machab. 2. v. 58.

(66) Matth. 17. v. 11.

(67) D. Thom. ibi.

Si ergo hoc noſtrum quintum de Decalogi præceptis volumen, nihil aliud edocet, quam Deum pura mente colere, vitare hæreſes, idololatriam fugere, ſuperſtitionem reſpuere, Deum, & proximum ardenti charitate diligere, venerari Sanctos, fugare è corporibus Dœmones, & denique Chriſtianos animos omni virtutum genere imbuere; quem Patronum eligere fas eſt, niſi Protoparentem Eliam? Tu enim, Sanctiſsime Parens, es idololatriæ vindex, Hæreticorum gladius, Eccleſiæ arx, Synagogæ Taumaturgus, vtriuſque Teſtamenti angularis lapis, Cœli claviger, Præcurſor gloriæ, divinæ iracundiæ lenitor, naturæ moderator, triumphator mortis, martyrij complementum, virginitatis anteſignanus, Apoſtolorum apex, totius orbis Apoſtolus, Prophetarum vertex, Verbi incarnati Conſiliarius, Monachorum Princeps, Patrum Eccleſiæ Pater, Iſraelis currus, & auriga, & denique Doctor in Paradyſo laureatus. Tu es (vtor verbis Divi Bernardi, quibus alloquitur Pontificem Eugenium) forma iuſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertor veritatis, fidei defenſor, Doctor gentium, Chriſtianorum dux::: Magiſter

insipientium, refugium oppresorum, pauperum advocatus, miserorum spes, tutor pupillorum, viduarum Iudex, oculus cœcorum, lingua mutorum, baculus senum, vltor scelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, Tyrannorum malleus, Regum Pater, legum moderator, sal terræ, orbis lumen, Sacerdos Altissimi, Vicarius Christi, Christus Domini, & denique Deus Pharaonis. (68)

(68) D. Bernard. lib. 4. de Considerat. cap. 7.

Ergo iustissime hic noster labor ad te, Sanctissime Pater, properanter currit, tuum patrocinium exoptat, tuam que tutelam inhiat; ac proinde hoc nostrum Collegij Salmanticensis Theologiæ Moralis quintum volumen, tot rationibus debitum tibi dico, lito, consecro, tuo que tholo appendo. Suscipe igitur de manu mea hoc munusculum, licet non tanta maiestate dignum, offerentis tamen filij parvitati proprium. Non est aurum, non argentum, non lapis Regum donarijs oportunum, sed inculta verborum libatio, sensu prodita grosiore, parva satis oblatio, sed plena vigilijs, & labore. Tu ergo, cuius ope in camino pressurarum sub gravi mole non defeci, sed, vtcumque respirando, opus cæptum in tuo nomine iam perfeci, nunc oblatum suscipe benigne, emenda misericorditer, emendatum dilige, dilectum ab impugnatione defende. Iam enim hora est, vt licet non à litore, à littera tamen solvam.

LICEN-

LICENTIA REVER. PATR. GENERALIS ORDINIS Discalceatorum B. Mariæ V. de Monte Carmelo.

FR. Michael à Sancta Maria, Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Primitivæ Obſervantiæ. De conſenſu noſtri Diffinitorij Generalis, vt Liber, cuius titulus eſt: *Curſus Theologiæ Moralis, Tomus Quintus de Præceptis Decalogi*, à P. Fr. Sebaſtiano à Sancto Ioachim, ſuis elucubrationibus acurate compoſitus, atque à gravioribus, doctis que viris noſtræ Sacræ Religionis (quibus ipſum videndum, & examinandum commiſimus) recognitus, & approbatus, typis mandetur, & in lucem prodeat, quantum ad nos attinet tenore præſentium licentiam concedimus. Data in noſtro Conventu Matritenſi die vigeſima ſexta Septembris, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vndecimo.

Fr. Michael à Sancta Maria,
Generalis.

Fr. Matthæus à S. Ioſeph,
Secretarius.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Licenciado Don Franciſco Antonio Ramirez Piſcina, Dignidad, y Canonigo de la Santa Igleſia Primada, y Vicario de eſta Villa, y ſu Partido, &c. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que ſe imprima el Libro, intitulado: *Tomo Quinto del Curſo Theologico de el Colegio de la Vniverſidad de Salamanca, de los Deſcalços de Nueſtra Señora de Monte Carmelo, de la Primitiva Obſervancia*; atento que de nueſtra orden, y comiſsion ſe ha viſto, y reconocido, y parece no contiene coſa alguna que ſe oponga à nueſtra Santa Fè Catholica, y loables coſtumbres. Dada en la Villa de Madrid à veinte y ocho de Septiembre año de mil ſetecientos y doze.

D. Franciſco Antonio Ramirez,

Por ſu mandado.

Domingo de Goitia.

SUMA DEL PRIVILEGIO.

TIene Privilegio de los señores del Real Consejo de Castilla por diez años la Religion de los Padres Carmelitas Descalços, para imprimir los cinco Libros, intitulados: *Collegij Salmanticensis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Cursus Theologiæ Moralis*, sin que otro alguno los pueda imprimir, ni traer à vender en los Reynos de España, los que en otros Reynos se imprimieren, sin la facultad, y licencia de dicha Religion, como consta por certificacion de la Secretaria de Don Lorenço Bibanco. En Madrid à veinte y cinco de Febrero de mil setecientos y treze.

FEE DE ERRATAS.

PAg. 4. col. 2. n. 6. lin. 6. errata *quanvis*, lege *quamvis*. Pag. 5. col. 1. num. 9. lin. 4. errata *Expectant*, leg. *Spectant*. Pag. 6. col. 2. num. 13. lin. 4. errata *intenderit*, lege *intenderet*. Pag. 8. col. 2. num. 20. lin. 13. errata *quia libertas est*, lege *non quia libertas est*. Pag. 9. col. 1. cap. 2. lin. 6. errata *declarioni*, lege *declarationi*. Pag. 15. col. 2. num. 11. lin. 10. errata *scrupus*, lege *scrupulus*. Pag. 18. col. 2. num. 9. lin. 2. errata *species*, lege *specie*. Pag. 20. col. 1. num. 13. lin. 20. errata *iuræ*, lege *iure*. Pag. 20. col. 1. num. 14. lin. 6. errata *natalibus*, lege *naturalibus*. Pag. 21. col. 2. num. 18. lin. 4. errata *vita*, lege *vitæ*. Pag. 32. col. 1. lin. 11. errata *inite*, lege *inire*. Pag. 65. col. 2. num. 2. lin. 2. errata *secundun*, lege *secundum*. Pag. 313. col. 2. num. 31. lin. 2. errata *Omniam*, lege *Oniam*. Pag. 337. col. 1. num. 5. lin. 27. errata *psalimus*, lege *psallimus*. Pag. 401. col. 2. num. 100. lin. 12. errata *Expectant*, lege *Spectant*.

He visto este Libro, intitulado: *Tomo Quinto Salmanticense Moral*, y con estas erratas corresponde à su original. Madrid, y Febrero à veinte y quatro de mil setecientos y catorce.

Lic. D. Benito del Rio y Cordido.
Corrector General por su Magestad.

CERTIFICACION DE LA TASSA.

TAssaron los señores del Consejo este Libro, intitulado: *Tomo Quinto Salmanticense Moral*, à seis maravedis cada pliego, el qual tiene ciento y cincuenta y seis, sin Principios, ni Tablas, que al dicho respecto monta novecientos y treinta y seis maravedis, y à este precio mandaron se venda; y que esta Certificacion se ponga al principio de cada Tomo; como mas largamente consta de la Certificacion despachada en la Secretaria de Don Lorenço Bibanco, en veinte y ocho de Febrero de mil setecientos y catorce.

CENSU-

CENSURA RR. P. Fr. BARTHOLOMÆI ATIENZA

Ordinis Prædicatorum, Magiſtri in Sacra Theologia, in inſigni Divi Gregorij Vallis-Oletani Collegio Regentis Iubilati, Diffinitoris Generalis Capituli, & Conventus Dominæ Noſtræ del Roſario Matritenſis reelecti Prioris.

DE mandato D. D. Franciſci Ramirez de la Piſcina, Sanctæ, ac Metropolitanæ Eccleſiæ Toletanæ Hiſpaniarum Primatis Canonici Dignitatis, huius que Villæ Matritenſis Vicarij; ſumma animi alacritate, ac dulci voluptate illectus legi, & per legi Tomum quintum Moralis Theologiæ, quem in quatuor Tractatibus diſtributum dare prælo præ optàt Sapientiſsimum Salmanticenſe Collegium Venerabilium Patrum Diſcalceatorum Primitivæ Obſervantiæ: & ingenue fateor, me innixum viriliter expoliari ab illo cordiali affectu (ni dicam pia affectione) qua proſequor, atque diligo filios illius inclitæ Matris, Seraphicæ que Doctricis, quæ ſe in paſsione Dominicam eſſe gloriabatur. Sane intendi, & conatum adhibui inveſtigationi doctrinæ, tam ſubtiliter, ac luculenter enucleatæ, nedum ob ſolidiora fundamenta, quibus innixa reſplendet, ob materiarum varietatem, quas diſponit acutè, ob tot virorum ſapientiam, qua protegitur, & illuſtratur; verum ob miram dexteritatem, qua propulſat, & eliminat argumenta, & tenebrarum phalangas, quæ ingruentes apparenter videri poterant lucis adeò claræ ſe radijs opponi. Itaque ni blandiar ardenti ſtudio, optimæ que occupationi illius, qui in hoc quinto Tomo quintam exprimit eſſentiam tam per vtilis doctrinæ (abſit à me exageratio! ne mireris; cum meus Angelicus Thomas inter SS. Doctores quintus fultiat, ac roboret huius operis concluſiones cunctas) abſque adulatione dicebam: quod quis quis Volumen legerit iſtud, quanto plus legat, tanto magis inveniet quid addiſcat, iam ob evitanda damna, quæ vitiorum pernities ſecum affert; iam ob principalium, & Theologicarum virtutum commoda iucunda amplectenda; iam ob deteſtationem totius ſuperſtitionis, atque iam ob Divini Cultus nitorem diligendum. Cum que requiſita hæc tam ſint neceſſaria, veluti æſtimabilia ad noſtræ fidei puritatem, Catholicorum que morum integritatem ſervandam; cenſere debeo, & iudicium profero (alijs doctioribus ſalvis) dictum quintum Tomum digniſsimum eſſe typis mandari, quando ad publicæ vtilitatis æternitatem conſpirat. Sic ex animo cenſebam in Conventu Roſarij Matritenſis die 13. Septemb. anni Domini 1712.

Fr. Bartholomæus Atiença.

CENSVRA P. PETRI DE QVINTANA, EX SACRA CLERICORVM MINORVM Familia, Lectoris Iubilati, Archiepiscopatus Toletani Examinatoris Synodalis, Supremi Senatus Fidei Exmunere Censoris; Provintiæ vtriusque Castellæ olim Præsulis, nunc Assistentis Provincialis.

DE mandato Supremi, Regij que Senatus hunc introspexi, & legi librum; serius, ac iunior Plinius cani loquantur sensus: *Omnibus que numeris absolutum*: Cui titulus talis; Collegij Salmanticensis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo Curs. Theolog. Mor. Tom. V. legi, inquam, Mantuani Censoris verbis, hisce edoctus: *Tanta animi voluptate, quanta luculentia splendet, quanto que iusto vtique, & reverentiali amore, eius que Authorem, Authores que doctissimos semper sum prosequtus.*

Ergo in tantorum Patrum scripto fundatissimo hocce, (veritas me cogit) fateor Pliniana resumere verba: *Censoriæ virgæ, nihil, laudis, & admirationis multa digna, imò cuncta dignissima reperi*: Etenim doctrina sana Collegium hoc Illustrissimum mo-
Lib.4. Ep. 2. res, non secus ac Claudianus Mamertus, de quo Sidonius: *In scripto isto, instruit, vt Hieronymus*: *In sanam vero morum Pseudo doctrinam destruit*; *vt Lactantius*; *moralis disciplinæ regulas adstruit, vt Augustinus*; *in eis que edocendis atolitur, vt Hilarius.* Quid plura! In eisdem elucidandis elevatur, & elevat, vt Angelic. alter Thomas.

Fidelissima sane rei experientia magistra, publice hoc spei testabitur; & vtilitati vocitabit legentis Cultos, exisio literarum moralium amenissimo Cumulo flores Aticos, aut Christiani potius hominis fructus Æthicos, nam absque dubio eis probabit operis huius lectio, & opus, & Opifices vere SS. Patrum, & Doctorum Theologos filios mentes per omnia eorum imitantes.

Ergo nè; primo, altero vè ab invidia monte avulso, simili frondescit virga, non Virgiliana, aut fabulosa; sed religiosissima, & verax; Salmantinum scilicet, PP. Carmelitarum Excalceatorum Collegium, quasi fertilissima Divinæ Minervæ Oliva, sapientiæ præciosissimo Omnigenæ metallo? Certe; & nec mirum adeò, vt incredibile appareat; quod Ordinis Prophetarum Eliæ, & Elisæi: *Ossa pululent de loco*
Eccl. cap. 49. vers. 12. *suo*; *nam & corrobaverunt Iacob, Dei gregem doctrina omni, & redemerunt se in Fide virtutis de sæculo nequam isto.* Hic ille est Campus germinans, & regerminans de profundo nimio salubris aviso disciplinæ salutiferos sophiæ omnimodæ virgultos Cedrinos,
Sap. cap. 19.v.7. quibus data Libani gloria, decor que Carmeli ascendentes que, & excrescentes, &
Is. cap. 35. v.2. sapientia, & virtutibus coram Deo, & hominibus.

Fateor cum Casiodoro, sæculis suis produxit, & reproducet in ævum, nobilis vena Ordinis Eliani, Primarios; his que æquales omnino Scriptores, & Magistros:
Lib.3. Ep. 6. at præsertim inter Primarios, illi, quos nobilissima Collegij Salmantini assidue procreat lapidreina, hac que sacratissima in dies excisi sunt petra; etenim nescit inde aliquid nasci mediocre.

Hæc mens nostra, & tantis Authoribus, & operibus tantis digna; quippe, vt Genadius Patriarcha, apud nostrum R. P. Laurentium de Aponte, aiebat; si quis scrip-
C. 9. Sap. Hom.13. tis D. Thomæ animum adhibuerit, hunc alijs indigere non opinor: ita & nos, alijs non indigere opinamur, cum, qui Aureas D. Thomæ, & SS. PP. venas (alicui ferè exaustas videndas) Salmanticensium Patrum aurifero Cursu Morali, & pereni effosione, introspexerit benè. His enim apud nos eruditissimus habetur, qui libros illorum quam maxime intelligit, ac lingua versat, auribus instilat. Vnus, omnium loco, studiosis ad eruditionem comparandam sufficit. Hæc mihi liceat è Casiodoro
Lib.8. Ep. 37. vsurpare; sed, & veræ Theologiæ Panoplia, Thomisticæ Armamentarium disciplinæ, Turris que Davidica, ex qua mille Clipei pendent, Fidei Catholicæ, & veritatis vindices, oppositæ que eis falsitatis, & corruptorum morum expugnatores, vt perpetui, fœliciissimi.

Cum igitur hucusque dicta, sine adulationis nota sint prolata, & à sordibus ficcionum libera, finaliter affero, librum istum, nil Catholicæ Fidei, strictiori que disciplinæ morali, dissonum redolere; ob quod illum aura publica quantocius dignum censeo. In hac Spiritus Sancti Matritensi Domo Patrum Clericorum Minorum, die decima Novemb. anni Domini 1712.

P. Petrus de Quintana,
Clericorum Minorum.

INDEX

INDEX TRACTATUUM, CAPITUM, PVNCTORUM, ET PARAGRAPHORUM, QUÆ IN HOC QUINTO VOLUMINE CONTINENTUR.

TRACTATUS XX.

De Principijs Moralitatis.

Proœmium.

CAP. I. De Moralitate in communi actuum humanorum.

Punct. I. *Quid sit moralitas actuum humanorum; & in quo eius essentia consistat?* num. 1.

Punct. II. *Vtrùm ad moralitatem requiratur libertas?* num. 9.

Punct. III. *Vtrùm libertas requiratur ad moralitatem, vt constitutiuum illius, an vero vt fundamentum, seu vt conditio essentialis?* num. 17.

CAP. II. De Regulis Moralitatis.

Punct. I. *Quæ sint regulæ moralitatis?* num. 1.

Punct. II. *Vtrùm de essentia moralitatis sit esse iuxta, aut contra aliquam ex eius regulis?* num. 7.

CAP. III. De Conscientia in communi.

Punct. I. *Conscientiæ essentia, & cuius potentiæ sit actus explicatur.* num. 1.

Punct. II. *Quotuplex sit conscientia?* num. 9.

CAP. IV. De Conscientia recta.

Punct. I. *Vtrùm peccet, qui agit contra conscientiam rectam?* num. 1.

Punct. II. *An qui agit contra conscientiam rectam dictantem, aliquid esse malum, peccet mortaliter, aut venialiter?* num. 6.

Punct. III. *Vtrùm teneamur præcepto naturali, conformari conscientiæ rectæ; & an hoc præceptum sit à Deo dispensabile?* num. 11.

CAP. V. De Conscientia erronea.

Punct. I. *De obligatione conscientiæ erroneæ.*

§. I. *Vtrùm sit peccatum discordare à conscientia erronea?* num. 1.

§. II. *Quid dicendum de eo, qui ex conscientia erronea iudicat, vtramque contradictionis partem esse peccatum?* num. 7.

§. III. *Quæ existentia requiratur in iudicio erroneo vincibili, vt eius operatio sit peccatum?* num. 10.

Punct. II. *An sit gravius peccatum sequi, quam non sequi conscientiam erroneam vincibilem; & ad quam speciem reducatur?* num. 15.

Punct. III. *Quando deponenda est conscientia erronea, ne sit peccatum contra eam agere: & Confessarius qualiter se gerere debeat cum pœnitente tali conscientia laborante?* n. 23.

CAP. VI. De Conscientia dubia.

Punct. I. *An sit peccatum, & quale, operari cum conscientia dubia; & quomodo sit deponenda?* num. 1.

Punct. II. *Vtrùm ad deponendam conscientiam dubiam, liceat vti epickeia,* num. 11.

Punct. III. *An licitum sit Crucifixi imaginem apparentem venerari, quando dubitatur, an sub illa specie lateat Dœmon?* num. 14.

CAP. VII. De Conscientia scrupulosa.

Punct. I. *Quid sit scrupulus, quæ eius causæ, & quibus remedijs medendus?* num. 1.

Punct. II. *An liceat, agere contra conscientiam scrupulosam?* num. 9.

CAP. VIII. De Peccatis in communi.

Punct. I. *Declaratur essentia, & quidditas peccati,* num. 1.

Punct. II. *Diuisio peccati traditur,* num. 7.

CAP. IX. De Peccato Originali.

Punct. I. *Explicatur essentia peccati Originalis, & quomodo sit paruulis voluntarium?* n. 1.

Punct. II. *De Traductione peccati Originalis, & quos comprehenderit,* num. 9.

Punct. III. *De effectibus, seu pœnis debitis pro peccato Originali,* num. 17.

CAP. X. De Peccato commissionis, & omissionis.

Punct. I. *De essentia peccati commissionis, & omissionis: & an differant specie, quando ex eodem motiuo procedunt?* num. 1.

Punct. II. *Qualiter vitientur actus, qui ad omissionem peccaminosam concurrunt?* n. 11.

Punct. III. *Vtrùm omittens culpabiliter, peccet non solum quando ponit causam, sed etiam quando sequitur omissio, & si tunc non sit sui compos?* num. 22.

§. I. *Deciditur prima pars difficultatis proposita,* num. 22.

§. II. *Proponitur altera pars dubij; & decidi tur, an peccatum omissionis imputetur ebrio, aut dormienti, qui dedit libere causam omittendi?* num. 25.

CAP. XI. De Peccato mortali, & veniali.

Punct. I. *Aliquibus suppositis, declaratur, qualiter peccatum mortale ex genere suo fiat veniale,* num. 1.

Punct. II. *Ostenditur quomodo peccatum veniale possit transire in mortale,* num. 10.

CAP. XII. De distinctione specifica, & numerica peccatorum.

Punct. I. *Vtrùm distinctio specifica peccatorum sumatur ab obiectis?* num. 1.

Punct.

Index Tractatuum, Capitum;

Punct. II. *An sumatur distinctio specifica peccatorum ex diversitate præceptorum, seu legum?* num. 4.

Punct. III. *Vtrùm distinctio specifica peccatorum sumatur à circunstantijs?* num. 13.

Punct. IV. *Vtrum maior, aut minor gravitas peccatorum sumatur ex circunstantijs non mutantibus speciem, & ex dignitate virtutum, quibus opponuntur?* num. 21.

Punct. V. *Vnde distinctio numerica peccatorum desumenda sit?* num. 29.

§. I. *Prima radix distinctionis numericæ peccatorum est interruptio moralis actuum.* numer. 30.

§. II. *Secunda radix distinctionis numericæ peccatorum est diversitas totalis, & integra obiectorum,* num. 39.

Punct. VI. *An in eodem actu possint esse plures malitiæ morales solo numero distinctæ?* n. 57.

Punct. VII. *An detur in individuo actus humanus, & deliberatus, qui sit indifferens, hoc est nec bonus, nec malus?* num. 71.

CAP. XIII. De advertentia, & consensu requisitis ad peccatum mortale.

Punct. I. *Vtrùm ad peccatum mortale requiratr expressa, & formalis advertentia, vel an sufficiat virtualis?* num. 1.

Punct. II. *De consensu voluntatis necessario ad peccatum mortale,* num. 12.

Punct. III. *Quando dicatur voluntatem consentire in illicitos motus ex applicatione causæ liberæ?* num. 21.

Punct. IV. *An consensus in delectationem morosam obiecti mortalis sit peccatum mortale?* num. 25.

§. I. *Aliqua pro difficultatis resolutione supponuntur,* num. 25.

§. II. *Deciditur difficultas proposita,* num. 33.

Punct. V. *An sit licitum, delectari de malo proximi ob honestum finem, vel effectum inde ortum; vel de actione prava excusata à peccato ob ignorantiam, somnum, aut alias causas?* num. 41.

§. I. *Deciditur prima pars dubij,* num. 41.

§. II. *Deciditur secunda pars dubij propositi,* num 48.

Punct. VI. *Vtrùm delectatio morosa in coniuge, aut vidua, vel sponso de copula habita, aut habenda sit licita? Et an idem sit dicendum de delectatione conditionata?* num. 55.

Punct. VII. *De consensu in iactantiam, & vanam gloriam,* num. 64.

CAP. XIV. De Ignorantia.

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit ignorantia; & an sit causa peccati?* num. 1.

Punct. II. *Quid requiratur vt aliqua ignorantia sit invincibilis; & an omnino excuset à peccato?* num. 8.

Punct. III. *An detur ignorantia invincibilis iuris positivi Divini, & Humani?* num. 18.

Punct. IV. *An possit dari ignorantia invincibilis iuris naturalis?* num. 24.

Punct. V. *Qualiter ignorantia invincibilis sit peccatum, illud que diminuat?* num. 37.

TRACTATUS XXI.

De præceptis de Decalogi.

Proœmium.

CAP. I. DE Decalogo in communi.

Punct. I. *Quid sit Decalogus; quot eius præcepta; & quæ primæ, & quæ secundæ tabulæ?* num. 1.

Punct. II. *Ostenditur obligatio præceptorum Decalogi; & an sint ab aliquo dispensabilia?* num. 13.

CAP. II. De necessitate Fidei.

Punct. I. *Quid sit fides; quod eius obiectum, & in quibus prædicta virtus inveniatur?* num. 1.

Punct. II. *Vtrùm fides sit necessaria ad salutem necessitate medij; & respectu quorum mysteriorum sit hæc necessitas?* num. 9.

Punct. III. *An detur præceptum credendi; quale hoc sit, & quando obliget?* num. 21.

Punct. IV. *Quæ mysteria fidei; & quomodo teneantur ex præcepto, ea fideles explicite credere, & scire?*

§. I. *Ostenditur qui fidei articuli sint ex præcepto explicite credendi,* num. 35.

§. II. *Annumerantur alia à Christi fidelibus explicite credenda,* num. 46.

Punct. V. *Qualem fidei notitiam debeant habere Sacerdotes, Religiosi, Prædicatores, Parrochi, Episcopi, & alij Ecclesiæ Prælati? Et quomodo examinare debeant pœnitentes circa Doctrinam Christianam?* num. 52.

Punct. VI. *An, & quando teneamur per se ex præcepto divino affirmativo ad externam fidei confessionem?* num. 64.

Punct. VII. *Qui, & quando teneantur ex præcepto affirmativo Ecclesiastico fidem exterius confiteri?*

§. I. *Resolvitur difficultas quoad Beneficiarios curatos, Canonicos, & Dignitates Ecclesiasticas,* num. 77.

§. II. *Quid dicendum de alijs Prælatis superioribus, & inferioribus: & an possit fieri talis fidei professio per Procuratorem?* num. 88.

Punct. VIII. *De præcepto divino negativo fidei; & qui illum transgrediantur?* num. 96.

Punct. IX. *An in hoc præcepto exterius non negandi fidem possit esse ob parvitatem materiæ peccatum veniale?* num. 104.

Punct. X. *An sit licitum Catholico, vestibus, signis, aut actionibus proprijs infidelium occultare fidem?* num. 110.

Punct. XI. *An liceat Infidelium, Iudæorum, Hæreticorum templa addire, aut conciones audire: vel denique Idolothytis, aut carnibus in die Veneris, sive Quadragesimæ in eorum Provincijs vesci?*

§. I. *Deciditur quid sentiendum sit de ingressu templorum, Hæreticorum que concionibus audiendis,* num. 121.

§. II. *Resolvitur secunda pars quæstionis circa esum carnium, quæ Idolis sunt consecratæ, vel ab Ecclesia prohibitæ,* num. 127.

Punct. XII. *An sit licitum Catholicis cum Infi-*

Punctorum, & Paragraphorum:

fidelibus, & Hæreticis de rebus fidei disputare? num. 132.

CAP. III. De vitijs, seu peccatis oppositis Fidei, num. 1.

Punct. I. *Quid sit Paganismus, & Iudaismus: & an sectatores permitti, & ritus tolerari possint ab Ecclesia?* num. 2.

Punct. II. *Quam potestatem habeant Ecclesia, Principes que Christiani circa infideles, etiam sibi non subditos?* num. 7.

Punct. III. *An Ecclesia possit privare Principes infideles, non sibi subditos, iurisdictione, & dominio in vassallos, & servos fideles, & eos cogere armis ad errores, & ritus rationi contrarios relinquendos?* num. 12.

Punct. IV. *In quibus casibus sit prohibita communicatio fidelis cum infideli?* num. 24.

Punct. V. *De hæresi, & apostasia à fide; & quæ ad illas requirantur?*

§. I. *Traditur ethymologia, & definitio hæresis, & apostasiæ; & tres primæ illius particulæ explicantur*, num. 39.

§. II. *Reliquæ particulæ definitionis exponuntur: & quid sit apostasia à fide declaratur*, num. 47.

Punct. VI. *Quotuplex sit hæresis, & quæ illius pœnæ?* num. 59.

Punct. VII. *Qui incurrant excommunicationem contra hæreticos latam?* num. 70.

Punct. VIII. *Qui possint ab hæresi absolvere?* num. 80.

Punct. IX. *An omnes fideles debeant hæreticos sibi notos iudicibus fidei denunciare? Vel sint aliqui, qui à denunciatione excusentur?*

§. I. *Deciditur prima pars dubij*, num. 94.

§. II. *Resolvitur secunda pars, & deciditur, qui excusentur à denuntiatione*, num. 103.

Punct. X. *Quid, & quotuplex sit blasphemia; & quæ pœnæ contra eam latæ?*

§. I. *Traditur definitio, & divisio blasphemiæ*, num. 118.

§. II. *De pœnis contra blasphemantes latis; & qui de hoc crimine cognoscere possint?* n. 126.

CAP. IV. De delictis suspectis de hæresi.

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit suspicio de hæresi; & ex quibus delictis oriatur?* num. 1.

Punct. II. *Examinantur aliqua delicta, quæ generant hæresis suspicionem*, num. 6.

Punct. III. *De Confessarijs solicitantibus pœnitentes ad turpia, & inhonesta*, num. 16.

§. I. *Quænam de hac materia extent Bullæ, & Constitutiones Pontificum, Inquisitionis que decreta?* num. 16.

§. II. *Quid sit solicitare, & allicere ad actus inhonestos; & qualis futurus sit Sacerdos, aut Confessarius solicitans?* num. 22.

§. III. *Quæ actiones, seu verba turpia sub hoc decreto prohibeantur?* num. 32.

§. IV. *Qui casus comprehendantur sub his verbis decreti Gregorij XV.* In actu sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediate, sive occasione, vel prætextu confessionis, etiam ipsa non sequuta? n. 44.

§. V. *Quid prohibeatur per verba illa Extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiantur; seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire?* num. 57.

Punct. IV. *Qui teneantur ad denuntiationem Confessarij solicitantis; & quas ob causas aliqui ab ea eximantur?*

§. I. *Resolvitur qui teneantur denuntiare?* num. 63.

§. II. *Qui, & quando pœnitentes excusentur à denuntiando solicitantes?* num. 83.

§. III. *An à denuntiando solicitantes correctio fraterna excuset?* num. 96.

Punct. V. *Aliquæ desideratæ quæstiunculæ circa solicitationis crimen deciduntur*, n. 105.

CAP. V. De Spe.

Punct. I. *Quid sit spes; quod eius obiectum, & subiectum: & an detur præceptum illius; quale sit, & quando obliget?* num. 1.

Punct. II. *De dono timoris*, num. 9.

§. I. *Quid, & quotuplex sit timor?* num. 10.

§. II. *An timor castus, & filialis sit honestus, & laudabilis?* num. 17.

§. III. *Vindicantur Salmanticenses Scholastici ab impostura RR. Magistri Ponce*, numer. 30.

§. IV. *Referuntur sententiæ contrariæ conclusionibus §. 2. relatis*, num. 41.

§. V. *Quis timor sit donum Spiritus Sancti; & an de aliquo timore detur præceptum?* num. 45.

Punct. III. *De vitijs oppositis spei, scilicet desperatione, & præsumptione*, num. 50.

CAP. VI. De Charitate.

Punct. I. *De essentia charitatis, eius que obiecto; nec non obligatione præcepti diligendi Deum*, num. 1.

Punct. II. *An detur præceptum dilectionis proximi, & maxime inimici?* num. 16.

Punct. III. *An teneamur ex charitate succurrere, etiam cum vitæ, & bonorum periculo proximo existenti in extrema, aut gravi necessitate spirituali, vel temporali?* num. 24.

§. I. *Aliquibus suppositis resolvitur difficultas quoad necessitatem spiritualem*, num. 24.

§. II. *Deciditur quæstio circa necessitatem corporalem*, num. 35.

CAP. VII. De eleemosyna, & correctione fraterna.

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit eleemosyna; & quando obliget illius præceptum?*

§. I. *Ostenditur essentia, & multiplicitas eleemosynæ*, num. 1.

§. II. *Quando obliget præceptum elargiendi eleemosynam?* num. 3.

Punct. II. *Qui possint, & teneantur ad faciendam eleemosynam; & quibus pauperibus est eroganda?*

§. I. *De his, qui licite possunt elargiri eleemosynam*, num. 18.

§. II. *Quibus elargienda est eleemosyna*, n. 30.

Punct. III. *De quæstoribus eleemosynarum: & an tales sint Religiosi Mendicantes?* num. 34.

Punct. IV. *De correctione fraterna.*

§. I. *Quotuplex sit correctio; quale illius præceptum; & ad quæ peccata extendatur?* n. 42.

§. II. *Qui teneantur corrigere; & quæ personæ sint corrigendæ?* num. 54.

§. III. *Quando obliget præceptum correctionis, & ab eo fideles excusentur?* num. 63.

§. IV. *De ordine correctionis à Christo Domino designato*, num. 68.

§. V.

Index Tractatuum, Capitum,

§. V. *An sit licitum Religiosis cedere iuri correctionis fraternæ; & an sint qui de facto illi cesserunt? Et vtrùm horum occulta crimina teneantur alij ad Prælatum immediate deferre?* num. 85.

§. VI. *In quibus peccatis seruandus est ordo correctionis fraternæ?* num. 92.

CAP. VIII. De vitijs charitati oppositis.

Punct. I. *De odio Dei, & proximi*, num. 1.

Punct. II. *De accedia, invidia, discordia, contentione, & schismate*, num. 8.

Punct. III. *De bello.*

§. I. *Quid sit bellum; qui, & ob quam causam illud indicere possint?* num. 16.

§. II. *An Princeps Catholicus possit in bello iusto contra alios Catholicos vocare in auxilium Hæreticos, aut Gentiles?* num. 32.

§. III. *Quibus, quomodo, & quando liceat bellare?* num. 39.

Punct. IV. *De rixa, & seditione*, num. 48.

Punct. V. *De scandalo.*

§. I. *Quid, & quotuplex sit scandalum, & quando committatur?* num. 50.

§. II. *De peccatis scandali contra castitatem*, num. 59.

§. III. *Diluuntur alij casus circa inductionem ad alia peccata*, num. 76.

CAP. IX. De Religione, & eius actibus internis.

Punct. I. *Religionis essentia, & eius actuum multiplicitas declaratur*, num. 1.

Punct. II. *Quid sit deuotio; qui sint illius effectus; & quando obliget?* num. 5.

Punct. III. *De oratione.*

§. I. *Quid, & quotuplex sit oratio; & quale illius præceptum?* num. 8.

§. II. *Quis à nobis est orandus; & qui possint orare?* num. 20.

§. III. *Quare Prothoparens N. Elias licite inuocari, & orari à fidelibus possit?* num. 32.

§. IV. *Qui possint pro nobis orare?* num. 46.

Punct. IV. *Qualiter Religiosi, & maxime Carmelitæ ad orationem mentalem teneantur?* num. 50.

Punct. V. *Pro quibus liceat orare; & an suffragia viuorum defunctis prosint?*

§. I. *Deciditur, pro quibus nobis liceat orare*, num. 66.

§. II. *Aliæ desideratæ quæstiones circa orationes, & suffragia defunctis applicanda, deciduntur*, num. 84.

Punct. VI. *Quæ sint licite à Deo in oratione petenda? Vbi oratio Dominica explicatur, & nonnulla de Psalterio, seu Rosario B. V. Mariæ dicuntur.*

§. I. *Declaratur oratio Dominica; in qua quid à Deo petendum sit, continetur*, num. 93.

§. II. *Declaratur oratio Angelica: & B. Mariæ Virginis Psalterij, seu Rosarij origo describitur*, num. 105.

CAP. X. De adoratione, & cultu, tam Deo, quàm Sanctis debitis.

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit adoratio; & an detur illius præceptum, & quando obliget?* num. 1.

Punct. II. *Quæ adoratio, & cultus debeantur Deo, Sanctissimæ Trinitati, & Christo Domino?* num. 7.

Punct. III. *An Crux Christi, alia que eius passionis instrumenta sint cultu Latriæ adoranda?* num. 16.

Punct. IV. *An aliqua adoratio tribui possit Beatissimæ V. Mariæ, alijs que Sanctis, tam Angelis, quàm hominibus; & qualis hæc sit?* num. 26.

Punct. V. *Qui cultus exhibendus sit Sanctis Canonizatis?* num. 37.

Punct. VI. *De cultu deferendo Sancto Beatificato*, num. 46.

Punct. VII. *Qui cultus sacer tribui potest viris, aut fœminis cum opinione sanctitatis demortuis, nondum tamen ab Ecclesia canonizatis, vel beatificatis?* num. 63.

Punct. VIII. *An sint venerandæ, & quo cultu imagines Sanctissimæ Trinitatis, Christi Domini, & aliorum Sanctorum?*

§. I. *Aliquibus suppositis, ostenditur adorationem Sanctis imaginibus tribuendam ab omnibus esse*, num. 81.

§. II. *Qualis cultus sacris imaginibus exhibendus sit?* num. 90.

Punct. IX. *De cultu Sanctorum Reliquijs exhibendo.*

§. I. *Nonnulla circa adorationem Reliquiarum supponuntur*, num. 99.

§. II. *Reliqua ad Reliquiarum venerationem pertinentia proponuntur*, num. 107.

Punct. X. *Quæ, & qualis veneratio vestibus sacerdotalibus, vasis sacris, templis, alijs que rebus ad Dei cultum destinatis exhiberi debeat?* num. 119.

Punct. XI. *Qualiter calices, corporalia, & aliæ res sacræ contrectari, & ad profanos vsus converti possint.*

§. I. *Deciditur prima quæstionis propositæ pars*, num. 125.

§. II. *Secunda quæstionis pars resolvitur*, num. 139.

CAP. XI. De Superstitione, & eius speciebus.

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit superstitio?* num. 1.

Punct. II. *Quid, & quale sit peccatum Idolatriæ?* num. 9.

Punct. III. *De Diuinatione, & eius speciebus*, num. 16.

§. I. *Quid, & quotuplex sit Diuinatio?* num. 17.

§. II. *Qualiter differant species Diuinationis; & quæ sit earum gravitas?* num. 25.

Punct. IV. *De Diuinatione per astra.*

§. I. *An Astrologia Iudiciaria illicita sit?* numer. 35.

§. II. *An ex astris eventus fortuiti, & futura libera possint probabiliter, aut coniecturaliter prædici?* num. 44.

§. III. *Quid possint Astrologi considerando Oroscopum nascentis circa futura libera, & inclinationes prædicere; & qualiter Zahuri occulta revelare valeant?* num. 50.

Punct. V. *De Diuinatione per somnia, quæ Græcè Onyromantia dicitur*, num. 57.

Punct. VI. *An Diuinatio, quæ fit per auguria, & omina, & alias huiusmodi obseruationes rerum sit licita?* num. 67.

Punct. VII. *Vtrùm Diuinatio Sortium sit licita?* num. 80.

Punct.

Index Tractatuum, Capitum,

Punct. VIII. *De vana obſervantia*, num. 99.
Punct. IX. *De principalibus effectibus Magiæ naturalis.*
§. I. *Eſſentia, & multiplicitas Magiæ declaratur*, num. 108.
§. II. *Quæ ſit virtus, per quam Salutatores morbis medentur?* num. 113.
§. III. *De Enſalmis, & faſcinatione*, num. 123.
Punct. X. *De Magia ſuperſtitioſa.*
§. I. *De Maleficiorum exiſtentia, & multiplicitate; nec non de eorum remedijs*, num. 139.
§. II. *An ſit licitum maleficium alio maleficio tollere?* num. 145.
§. III. *Vtrùm ſigna maleficij licite deſtruere, & comburere quilibet poſsit?* num. 155.
Punct. XI. *De Lamijs, ſeu Sagis; & de his, quæ in eorum nocturnis conventibus agunt.*
§. I. *Quæ ſint Sagæ; & an realiter transferantur de loco in locum?* num. 166.
§. II. *Quæ Sagæ in nocturnis conventibus cum Dæmone peragant; & quæ peccata committunt?* num. 178.
Punct. XII. *De Tauro in die Sancti Marci ad tempus manſueto*, num. 193.
Punct. XIII. *De pœnis à iure ſtatutis contra Divinatores, Maleficos, Sagas, Magos, Sortilegos, & alios ſimiles pactum aliquod cum Dæmone contrahentes*, num. 199.
CAP. XII. De ſpeciebus irreligioſitatis.
Punct. I. *Quid ſit tentatio Dei?* num. 1.
Punct. II. *De Sacrilegio, & eius ſpeciebus.*
§. I. *Quid, & quotuplex ſit Sacrilegium?* n. 13.
§. II. *Numerantur in particulari Sacrilegia, quæ ad hanc triplicem ſpeciem pertinent*, num. 21.
§. III. *Qualis, & quanta ſit Sacrilegij gravitas; & quot pœnæ contra Sacrilegos impoſitæ ſint?* num. 37.

TRACTATUS XXII.

De ſecundo Decalogi Præcepto.

Proœmium.

CAPUT UNICUM, DE ADIURATIONE.

Punct. I. *Quid, & quotuplex ſit Adiuratio?* n. 1.
Punct. II. *Qui poſsint adiurare; & qui ſint adiurandi?* num. 5.
Punct. III. *De Exorciſmorum eſſentia, & efficacitate ad fugandos Dæmones*, num. 15.
Punct. IV. *Qualem virtutem habeant aliquæ res naturales, & ſenſibiles ad expellendum Dæmones?* num. 28.
Punct. V. *An, & qualiter aſsiſtant Dæmones in Energumenis, & in eos exerceant poteſtatem?*
§. I. *De aſsiſtentia Dæmonum in obſeſsi corpore: & qui, & quot ſint iſti Dæmones?* num. 33.
§. II. *De poteſtate Dæmonis in Energumenos? & qualiter opera peccaminoſa eis tunc imputentur?* num. 44.
Punct. VI. *Qui modus ſervandus eſt, vt valide adiuratio fiat?*
§. I. *Quæ poſsit Exorciſta à Dæmone interrogare?* num. 50.
§. II. *An Dæmoni vi Exorciſmorum aliquid manifeſtanti in ordine ad cauſam ingreſſus, fides adhiberi poſsit?* num. 64.
Punct. VII. *An Dæmones de ingreſſu in homines lætentur, & aliquod pœnarum levamen accipiant?* num. 81.
Punct. VIII. *De egreſſu Dæmonum à corpore obſeſsi*, num. 90.
Punct. IX. *An, & qui ſint Spiritus, qui ſpectris loca infeſtant, homines que terrificant; & qualiter ab illis ſunt expellendi?*
§. I. *An ſint loca ſpectris infeſta; & qui ſunt, qui has terrificationes commovent?* num. 96.
§. II. *Qualiter loca à Dæmonum infeſtatione liberari poſsint?* num. 106.

TRACTATUS XIII.

De tertio Decalogi Præcepto.

CAP. I. DE ſanctificandis feſtis.
Punct. I. *Qualiter præceptum de ſanctificatione Sabbathi ad Decalogum pertineat?* num. 1.
Punct. II. *Ad quem Dei cultum ſanctificatio Sabbathi obligat*, num. 8.
Punct. III. *Quando, & quas perſonas præceptum de ſanctificatione Sabbathi obligabat*, num. 21.
Punct. IV. *De translatione ſolemnitatis Sabbathi in Dominicam diem*, num. 37.
Punct. V. *De alijs feſtivitatibus ex præcepto Eccleſiæ ſub mortali colendis*, num. 48.
§. I. *Tranſcribuntur Eccleſiæ decreta circa Chriſti, & SS. dies feſtos colendos*, num. 48.
§. II. *De feſtis ad Chriſtum attinentibus*, num. 54.
§. III. *De feſtis B. V. Mariæ*, num. 66.
§. IV. *Digreſsio circa feſtum Conceptionis Immaculatæ B. V. Mariæ*, num. 76.
§. V. *De diebus feſtis Dedicationis S. Michaelis; Nativitatis Ioannis Baptiſtæ, & Chriſti Apoſtolorum*, num. 86.
§. VI. *De alijs feſtis SS. Martyrum, & Confeſſorum*, num. 91.
§. VII. *De feſto Patroni principalis Regni, ſive Provintiæ, nec non Civitatis, aut Oppidi*, num. 102.
Punct. VI. *Quis poteſt dies feſtos inſtituere?* num. 110.
§. I. *An Epiſcopus poſsit pro ſua Diœceſi feſta indicere?* num. 111.
§. II. *Quid poſsint Principes ſæculares circa feſtorum inſtitutionem?* num. 124.
Punct. VII. *De tempore, quo obligatio diei feſti incipit, & finitur*, num. 130.
Punct. VIII. *Qualiter, & ad quid obliget præceptum ſervandi dies feſtos?* num. 134.
Punct. IX. *Qui teneantur ad dies feſtos obſervandos, qui pro vniverſali Eccleſia, aut pro aliqua Provintia indicuntur?* num. 151.
§. I. *Qui Chriſti fideles, & in qua ætate ad feſta ſanctificanda obligentur?* num. 151.
§. II. *De Peregrinis in ordine ad feſta propria territorij*, num. 157.
§. III. *De Peregrinis in ordine ad feſta particula-*

Punctorum, & Paragraphorum.

laria loci in quo transeunter commorantur, num.166.

§. IV. *An Religiosi exempti teneantur ad observanda festa ab Episcopo, aut Diœcesana Synodo indicta?* num.184.

Punct.X. *De præcepto audiendi sacrum*,n.204.

Punct.XI. *De præcepto abstinendi à servilibus in diebus festis*, num.218.

§. I. *Quid, & quotuplex sit opus servile?* num.218.

§. II. *De opere servili peccaminoso; & an violet festum?* num. 223.

§. III. *De opere servili humano; & quæ actiones sub eo comprehendantur?* num.234.

§. IV. *De opere servili religioso*, num.252.

Punct. XII. *An opera liberalia, vt docere, scribere, & similia fiant servilia, & prohibita in festo, si ob lucrum fiant?* num.261.

Punct.XIII. *De Mercatu, & Placito, seu Iudicio Forensi ab Ecclesia in diebus festis prohibitis*, num. 274.

§. I. *Quid nomine Mercati in die festo prohibeatur?* num.275.

§. II. *De Placito, & de bis, quæ sub eius nomine in die festo illicita sunt*, num.287.

§. III. *Quæ Iudicum sententiæ sint in diebus festis illicitæ, & quæ validæ? Et de causis strepitum iudicialem his diebus honestantibus*, num. 305.

Punct. XIV. *Quæ causæ laborantes in die festo excusent à præcepto abstinendi à servilibus?* num.317.

§. I. *Qualiter parvitas materiæ, aut temporis excuset à peccato operantes servilia in die festo?* num.318.

§. II. *Qualiter necessitas laborantes in die festo ab huius præcepti obligatione excuset?*n.329.

§. III. *Idem assumptum continuatur*,n.340.

§. IV. *Qualiter pietas,& dispensatio honestent servilia in festo?* num.356.

CAP. II. De Ieiunio.

Punct.I. *De essentia, divisione, & obligatione præcepti Ieiunij Ecclesiastici*, num. 1.

Punct. II. *De abstinentia à Carnibus,& Lacticinijs*, num. 14.

§. I. *Qui cibi sub nomine abstinentiæ à carnibus ab Ecclesia prohibeantur: & qualiter peccent eas comedentes?* num.14.

§. II. *De abstinentia à Lacticinijs*, num.32.

Punct. III. *De vnica refectione: vbi de Collatione serotina*, num. 42.

§. I. *Qualiter vnica refectio ad ieiunij formam requiratur?* num. 46.

§. II. *An potus ieiunium solvat?* num.55.

§. III. *De Collatione serotina, seu Cœnula*, num. 70.

Punct. IV. *De hora refectioni in die ieiunij destinata*, num. 84.

Punct. V. *Quibus diebus obliget præceptum Ieiunij Ecclesiastici, & abstinentiæ à Carnibus? Vbi de hora, qua incipit,& finitur dies ieiunij*, num.91.

§. I. *Assignantur dies, quibus fideles ieiunare tenentur?* num.91.

§. II. *Quando sola abstinentia à carnibus obligat?* num.100.

§. III. *Qua hora incipiat, & finiatur obligatio ieiunij, & abstinentiæ?* num.111.

Punct. VI. *Qui teneantur ad ieiunij præceptum?* num.117.

Punct. VII. *Qui à præcepto Ieiunij Ecclesiastici liberentur?* num. 124.

§. I. *Qualiter impotentia fideles à Ieiunij Ecclesiastici obligatione eximat?* num.124.

§. II. *Quos labor corporalis à ieiunio excuset?* num. 134.

§. III. *Qui ex motivo pietatis à ieiunio excusentur?* num. 142.

§. IV. *Quomodo dispensatio à ieiunio deobliget? Vbi de privilegijs regularium circa hanc materiam*, num.154.

CAP. III. *De Decimis, Primitijs, & Oblationibus*, num.1.

Punct. I. *De Decimis*, num. 1.

Punct. II. *De Primitijs*, num.3.

Punct. III. *De Oblationibus*, num. 7.



TRACTA-

TRACTATUS XX.

DE PRINCIPIJS MORALITATIS.

PROOEMIUM.



INCHOATAM noſtri Salmanticenſis Curſus Theologiam Moralem peracturus, Decalogique præcepta explicanda aggreſſurus, quo aptius vtar exordio, quam vt ad regulas, & principia generalia moralitatis tradenda, & eorum ſatis implexas difficultates ſuperandas, animum, & operam primo admovere curem. Cum enim Theologia Moralis, ſicut & quælibet alia ſcientia, ex proprijs principijs vnice dependeat, impoſsibileque ſit, ſcientificam cognoſcere concluſionem, niſi eam deducendo per reſolutionem ad principia; & vt inquit Bald. in leg. 1. ff. de origine iuris: *Ignoratis principijs ignorantur principiata.* Ideo ne mutilus, aut mancus hic noſter videatur Curſus, priuſquam ad Decalogi præcepta deſcendam, generalia principia ad omnes actus morales, eorumque malitiam, aut bonitatem cognoſcendas, tradere in animum duximus. Si ergo actus moralis talis dicitur, quia regulatur per conformitatem, aut deformitatem ad regulas rationis, & hinc accipit vel bonitatem, vel malitiam; quomodo agnoſcere poſſumus eius perfectionem, aut defectum, ſi ignoremus regulas, quibus cum conſonet, aut diſcrepet? Quare primò agemus in hoc Tractatu vigeſimo de moralitate actuum humanorum in communi, acturi poſteà in particulari de eorum principijs tam intrinſecis, quàm extrinſecis, & conſequenter de peccatis, ſeù vitijs. In Tractatu verò 21. erit nobis ſermo de Decalogi præceptis iuxta illorum ordinem. In omnibus tamen à methodo tradita in alijs Tractatibus nec ad vnguem diſcedam, ſemper alta mente repoſitum habens illud Iob. 12. num. 12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Et Eccleſiaſt. 39. num. 1. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens.* Et Proverb. 22. num. 28. *Ne tranſgrediaris terminos anti-*

quos, quos posuerunt Patres tui. Vnde D.Bernard.epist.174. *Novitas mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.* Quæ si fugienda est in omni doctrina, in morali verò penitus execranda. Vndè meritò in Solonem Athenis morali Phylosophia floreſcentem exclamavit ille senex Ægyptius apud Iustinum Martyrem Oratione contra Græcos: *O Solon, Solon, vos Græci semper estis pueri, nulla apud vos cana disciplina: nullam penitus in animis antiquam habentes opinionem.* Ex Græcis autem nullus est senex. Iudicans nihil indignius esse Philosopho morali, quam contempta antiquitate, novitati studere. Sed si hæc in illa ætate protulit, quid nunc in nostra proferret? Quid hac tempestate frequentius deploramus, quam innatam aliquorum opinandi licentiam, novasque quotidie cudendi in animarum pernitiem laxitates? Quam Scyllam vitare cupiens, antiquas Sanctorum sententias tradam, sed novitate illustratas, varijsque Recentiorum rationibus locupletatas. Creſcat igitur doctrina moralis à maioribus accepta, sed ab eodem semper semine erumpat: recentes habeat flores, sed annosum agnoscat truncum: nova glorietur in fructu; sed antiqua tamen in radice vivat. Vndè cum Lirinense cap. 28.dicam. *Creſcat, vehementerque proficiat sapientia, sed in suo duntaxat genere. Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licèt annorum processu numeros suos evolvant, & explicent, eadem tamen quæ erant, permanent. Ita Christianæ religionis dogma annis consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen, illibatumque permaneat. Addatur licèt forma, species, distinctio, eadem tamen cuiuscumque generis natura permaneat. Absit, vt rosea illa Catholici sensus plantaria in carduos, spinasque vertantur. Absit, vt in isto spirituali paradyso de cinnamomi, & balsami surculis lolium repente, atque aconita proveniant. Fas est, vt prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata processu temporis exornentur, limentur, poliantur; sed nefas est, vt commutentur, vt detrucentur, vt mutilentur.* Quod, præeunte nostri Doctoris Angelici luce, & assequi spero, & ab ea nunquam discedere promitto; ipsum enim & Altissimus illuminavit, vt in lumine eius omnes videamus lumen, & tali Angelo duce ad primum moralitatis principium, quod Deus est, fœliciter perveniamus.

CAPUT I.

De Moralitate in communi actuum humanorum.

LIcet huius Tractatus finis sit explicare Moralitatis principia, tamen quia ipse titulus supponit Moralitatis existentiam; & quia eius naturæ notitia ad accuratam eorum, quæ dicenda sunt, intelligentiam non parum conducit, ideo hoc caput, vt viam ad alia demonstrans, cœteris præmittimus, in quo per tria Puncta de his, quæ ad Moralitatis constitutivum requiruntur, agemus.

Punct. I. *QVid sit Moralitas actuum humanorum, & in quo eius essentia consistat?*

Punct. II. *Vtrùm ad Moralitatem requiratur libertas?*

Punct. III. *Vtrùm libertas requiratur ad Moralitatem, vt constitutivum illius, an vero vt fundamentum, seu vt conditio essentialis?*

PUNCTUM I.

Quid sit Moralitas actuum humanorum, & in quo eius essentia consistat?

Ethymologia moralitatis.

1 PRiusquam Moralitatis essentiam aperiamus, breviter hìc adnotare licet, quid significet, & vnde sumatur hoc nomen *Moralitas*. Quare sciendum est *moralitatem*, si ad nomen præcisè attendamus, à *more* derivari, sicut animalitas ab animali, & humanitas ab homine. Quid verò sit *mos*, non est omnium Doctorum vna sententia. Lorca disput.23.ait solum significare *consuetudinem*.Sotus præter istam significationem duas alias addit lib.1. de Iustitia, quæst.7. art.2. prima est, quod *mos* sumatur pro inclinatione naturali, aut quasi naturali ad aliquid agendum. Secunda, quod accipiatur pro actu libero, & eius frequentatione, ex qua nascitur consuetudo. Sed D.Thom.1. 2. q. 58. art. 1. in corpore sic explicat, quid significet mos. *Mos autem* (ait Angel.Doct.) *duo significat. Quandoque enim significat consuetudinem, sicut dicitur Actor. 15. Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non poteritis salui fieri. Quandoque verò significat inclinationem quandam naturalem, vel quasi naturalem ad aliquid agendum: Vnde & etiam brutorum animalium dicuntur aliqui mores. Vnde dicitur 2.Machab.11.Quod leonum more irruentes in hostes postraverunt eos: Et sic accipitur mos in Psalm.67. vbi dicitur. Qui habitare facit vnius moris in domo....Dicitur autem virtus moralis à more secundum quod mos significat quandam inclinationem naturalem, vel quasi naturalem ad aliquid agendum. Et huic significationi moris propinqua est alia significatio, quæ significat consuetudinem: nam consuetudo quodammodo vertitur in naturam, & facit inclinationem similem naturali.*

Moralitas propriè invenitur in actibus humanis.

2 Vnde ex D.Thom.habemus, quod mos idem sit, ac repetitus modus operandi: sed si hic oriatur ex voluntaria determinatione operantis, propriè dicitur tunc mos, moresque dicuntur boni, aut mali. Et sic ait D.Ambrosius præfatione in Luc.in fine. *Quod mores propriè dicuntur humani*: Hoc est, quod actus humani, & liberi propriè dicuntur *morales*, seu ad mores expectantes. Cœterum, si illa repetitio operandi fiat sine libera voluntatis determinatione, vt accidit in canibus v.gr. & alijs brutis; tunc non dicitur propriè mos, sed assuetudo, quæ minimè inducit laudem, aut vituperium, meritum, vel demeritum; sicut accidit in moribus humanis, quæ propriè dicuntur laudabiles, vel vituperabiles. Et hinc provenit, quod moralitas propriè solùm inveniatur in actibus humanis, & liberis, quibus meremur, aut demeremur. Quare si alia dicuntur moralia, vt habitus, obiecta, iura, leges, consilium, imperium, contractus,&c. est, quia dicunt ordinem ad illos, vel *effectivè*, vt habitus; vel obiectivè vt obiecta, vel regulativè, vt lex æterna, conscientia, & omnes alij actus rationis practicæ, & similiter, quæ ex prædicta ratione oriuntur, vt leges, iura, &c. Supposita ergo existentia, & denominatione, aut ethymologia moralitatis:

Tres sententiæ circa cõstitutivum moralitatis referuntur.

3 Inquires, in quo consistat essentia, & natura illius? Circa quam quæstionem diversæ sunt sententiæ. Prima sententia constituit moralitatem in libertate, & indifferentia, taliter quod idem sit esse morale, ac esse liberum. Ita Scotus, & alij, quos dabimus Punct. seq. vbi ex professo examinabimus hanc difficultatem. Secunda sententia asserit, moralitatem consistere in solo esse rationis. Ita Vazq. tom. 1. in 1. 2. disp.73.cap.9. & disp.95. cap.10. Tertia sententia ait, consistere in denominatione extrinseca, sumpta vel à natura rationali, vel à lege, aut libertate. Sic docent Suarez tract.3. de bonit.& malit.disp.1.sect.2. & Salas disp.1. Et probant primò. Quia moralitas in obiectis est ens rationis, aut aliqua denominatio extrinseca: ergo etiam in actibus, cum debeant illis proportionari. Secundò: Nam idem actus potest transire de bono in malum, quin intrinsece mutetur: ergo moralitas non est aliquid intrinsecum, sed præcisè extrinsecum. Antecedens patet. Tùm in actu esus carnium continuati à feria quinta in feriam sextam, qui cum sola extrinseca mutatione temporis, & legis prohibentis illum, transit à bono in malum. Tùm etiam in motu primo voluntatis, qui, si continuetur cum advertentia, fit peccaminosus: ergo absque mutatione intrinseca, transit

idem actus de bono in malum; quod accidere non posset, si moralitas esset ens reale. Tertiò: quia actum esse prohibitum, vel non, dependet vnicè ex voluntate legislatoris; sed hæc non ponit aliquid intrinsecum in nostris actibus, vt patet in Magistratibus, officijs, & dignitatibus, quæ nihil intrinsecum accipiunt à voluntate ea conferentis, vel designantis: ergo nec etiam actus humanos esse morales, est aliquid intrinsecum eis superadditum.

Quarta sententia, & verior, eligitur.

4 Quarta sententia, & vera defendit moralitatis essentiam non consistere in aliquo ente rationis, aut aliqua denominatione extrinseca, sed in aliquo modo dicente relationem realem transcendentalem ad obiectum, vt regulabile per rationem. Hæc conclusio quo ad omnes partes est Ang.Doct.1.2.quæst.18. art.4. quem sequuntur ibi Caietanus, Medina, Cornejo, Araujo, Ioannes à S.Thoma, Montesinos, N. Salmant.& Gonet. Et quidem quo ad primam liquet. Nam ens rationis tantum habet esse obiectivè in intellectu; sed moralitas independenter à fictione intellectus est in actibus voluntatis: ergo non est ens rationis. Præterea: bonitas, & malitia, quæ sunt species moralitatis, verè existunt à parte rei, cum à parte rei sint contrariæ, seque expellant ab eodem subiecto: ergo moralitas etiam existit à parte rei. ¶ Quo ad secundam etiam patet. Tùm ex D. Thom. loc. citat. vbi ad 2. loquens de moralitate actus ait, quod *inhæret actioni*: sed denominatio extrinseca non inhæret, vt ex se liquet, aliàs non esset extrinseca: ergo non consistit in denominatione extrinseca. Tertia denique pars, in qua directè quæsito respondetur, probatur. Quia de entibus moralibus eodem modo debemus philosophari, ac de entibus artificialibus; sed in artificialibus tota ratio formalis artefacti consistit in ordine ad regulas artis: ergo in entibus moralibus tota ratio moralitatis debet sumi ex ordine, aut relatione, quam actus moralis dicit ad suam regulam. Tunc sic. Sed actus moralis solum dicit ordinem, seu relationem transcendentalem ad suum obiectum, vt regulabile, & commensurabile ad regulas rationis: ergo in hac relatione consistit tota essentia moralitatis. Hæc minor subsumpta est expressa D. Thomæ 1.2. quæst.18. art.8. vbi sic ait: *Actus omnis habet speciem ab obiecto, & actus humanus, quia dicitur moralis, habet speciem ab obiecto relato ad principium actuum humanorum, quod est ratio*: ergo in hac relatione consistit moralitas actus humani.

Moralitatè actus consistere in ordine ad obiectum, vt regulis morũ subditum vlterius à ratione probatur.

5 Et insuper ostenditur à ratione. Primò: quia actus humanus in esse physico sumit suam essentiam ab ordine ad obiectum in esse physicò: ergo moralitas, seu actus moralis constituitur in suo esse per ordinem ad suum obiectum secundùm esse morale, seu secundum quod dicit commensurabilitatem ad regulas rationis. Secundò: actus moralis non tendit ad legem, nisi mediante obiecto, sicut non regulat actum, nisi proponendo illi obiectum, vt prosequendum, aut fugiendum: ergo moralis actus immediatè terminatur ad obiectum, vt propositum per legem. Tertiò: si actus moralis constitueretur in suo esse per ordinem ad legem, omnes actus morales, qui respicerent eandem legem essent eiusdem speciei, & essentiæ: sed hoc est falsum, cum restitutio, & retentio rei alienæ sint diversæ speciei, & naturæ in esse morali, estò respiciant eandem legem iustitiæ, quæ iubet reddere vnicuique, quod suum est: ergo non constituitur actus moralis per ordinem ad legem, sed ad obiectum, vt regulatum per legem. Præterea, quia furtum, v.gr. respicit leges essentialiter, & specificè distinctas, nimirum Divinam, naturalem, & humanam; & tamen ipsum in esse moris non distinguitur: ergo essentia actus moralis non sumitur per ordinem, & relationem ad legem, sed ad obiectum, vt regulatum per legem rationis. ¶ Ex quibus liquet, quod talis relatio constitutiva actus moralis, non sit prædicamentalis, sed transcendentalis præcisè. Nám relatio prædicamentalis non est genus ad contraria, vt docet Aristot. cap. de relatione, & ex illo N. Complut. abbrev. in log. disp. 14. quæst. 8. num. 51. sed moralitas est genus ad contraria, scilicèt, bonum, & malum: ergo moralitas non constituitur per relationem prædicamentalem: ergo cum sit intrinsecè ordo, & respectus ad obiectum, debet constitui per relationem transcendentalem ad illud.

Moralitatis relatio non est prædicamẽtalis, sed transcendẽtalis.

6 Ad argumentum respondetur admittendo antecedens, negando consequentiam. Quia esto moralitas in obiectis esset ens rationis, aut denominatio extrinseca, adhuc non sequeretur moralitatem in actibus esse ens rationis. Et ratio est, quia quanvis relatio prædicamentalis exigat terminum realiter existentem; tamen relatio transcendentalis illum non exigit, sed potest optimè salvari cum solo respectu ad ens rationis: vt liquet in Logica, quæ licèt sit habitus realis, tamen eius obiectum est ens rationis: Similiter honores, dignitates, & alia huiusmodi sunt denominationes rationis; & tamen ea ambiunt homines medijs actibus realibus: ergo licèt moralitas in obiectis esset ens rationis, tamen moralitas actus poterat esse realis. Et radix omnium ea sola est, quod inter actum, & obiectum non exigitur proportio in esse rei, sed solum in ratione attingentis, & attingibilis, in qua per actum realem potest attingi obiectum, quod est ens rationis. ¶ Notanter diximus, admittendo moralitatem in obiectis esse ens rationis. Nam moralitas obiectiva propria, & proxima non est ens rationis, sed ratio quædam intrinseca obiecto indistincta ab entitate realiter, exprimens tamen modum habendi se sub lege, tanquam sub mensura, cui vel consonat, vel dissonat, in quantum terminat voluntatis actum, qui quidem cum realis sit optimè posset specificare, & terminare habitudinem actus realis, qualis est moralitas.

Primi argumenti solutio.

7 Ad secundum respondetur, quod prædicti actus licèt in esse physico non varientur, semper tamen variantur in esse moris: quia ante prohibitionem habent respectum ad obiectum, vt rationi consonum, & post illam ad obiectum vt rationi dissonum; qui quidem respectus sunt specificè diversi in esse moris. ¶ Ad tertium dicimus esse magnam disparitatem inter esse morale officiorum, dignitatum, &c.

Solvuntur secũdum, & tertium argumentum.

&

& esse morale actuum voluntatis: licèt enim vtrumque à voluntate humana dependeat, aliter tamen, & aliter: nam moralitas officiorum, dignitatum, &c. provenit immediatè à voluntate conferentis, vel designantis; moralitas verò actuum voluntatis solùm ab ea dependet mediatè, & indirectè; licèt enim leges humanas præcipientes, aut prohibentes supponant, tamen ab illis immediatè suam essentiam non accipit, sed præcisè ab ordine, & respectu transcendentali, quem dicit ad obiectum, vt subiectum regulis morum: quare licèt illæ denominationes sint extrinsecæ, tamen moralitas in actibus quid intrinsecum esse potest; & prout sic causari potest ab aliena voluntate in humanis actibus.

Quid sit moralitas in cõmuni.

8 Ex quibus constat moralitatem vt sic, prout abstrahit à moralitate actus, & obiecti, nihil aliud esse, *quam respectum realem regulabilitatis, seù commensurabilitatis cum regulis rationis*. Et notanter non dixi *convenientiæ*, aut *disconvenientiæ ad rationem*: quia hæ explicant bonitatem, & malitiam, quæ sunt determinatæ species moralitatis: at commensurabilitas, aut regulabilitas vt sic, abstrahendo à convenientia, aut disconvenientia, constituit moralitatem in communi, prout contrahi potest per species convenientiæ, aut disconvenientiæ, seu bonitatis, aut malitiæ. Nota etiam ex professo dixisse *cum regulis rationis*, non verò cum lege, aut præcepto, quia sunt aliqui actus morales, qui non præcipiuntur directè per aliquam legem, sed manent sub consilio, vt ingredi Religionem, virginitatem servare, &c. Quare solùm sunt morales per conformitatem ad rationem,& non ad aliquam determinatam legem. Vndè sufficienter manet explicata essentia moralitatis in communi, & amplius ex dicendis patebit.

PUNCT. II.

Vtrùm ad Moralitatem requiratur libertas?

9 POstquam essentiam, & naturam moralitatis explicuimus, recto ordine progredimur ad tradenda, quæ ad illius constitutivum aliquomodo expectant; & cum libertas valde conducat ad moralitatem, videndum nobis est, an essentialiter requiratur ad illam libertas actualis, an aptitudinalis solùm? Prima sententia defendit ad moralitatem non requiri essentialiter libertatem actualem, sed solum in potentia, seu aptitudinalem. Et probatur primò: quia si vir, & fœmina amentes carnaliter se cognoscerent, talis actus esset moralis; cum peccaret de facto, qui eos coniungere suaderet, vel ad id impelleret; & si non peccaret, si duo pecora coniungeret; & tamen talis actus non est liber actualiter: ergo absque libertate actuali datur actus moralis. ¶ Secundò: quia homicidium, aut incestus factus ab ebrio, sunt actus non liberi; & tamen sunt morales, & retinent aliquam malitiam, cum nullus possit de eis complacere: ergo sunt actus mali ob solam libertatem in potentia, seu aptitudinalem. ¶ Tertiò: quia ebrius peccat, quando in ebrietate committit aliquod homicidium; sed tunc non habet libertatem in actu, sed in potentia: ergo, &c. ¶ Denique, de essentia actus moralis solum est, quod sit regulabilis per rationem, non verò quod actu reguletur: ergo & quod non sit liber actu, sed tantum in potentia. Sic docet Lorca disput.23. Araujo super quæst.18. artic.1. 1.2. D.Thomæ dub.1. idem tuetur vt probabile, & refert pro ea Caietan. in hac 1.2. quæst.34.art.3.& Ferrariensem 3. contra Gent. cap.26.

Libertatem aptitudinalem sufficere ad moralitatem aliqui dicunt.

10 Secunda, & probabilior sententia asserit libertatem actualem esse omnino necessariam ad moralitatem actus. Et probatur primò: actus moralis est dignus laude, vel vituperio; sed actus necessarius non est dignus laude, aut vituperio, cum necessariò eveniat: ergo actus moralis petit libertatem in se, aut in causa. ¶ Secundò: actus moralis debet esse regulabilis à ratione, quia vbi non est lex, nec prævaricatio; sed hæc regulabilitas solum potest esse in actibus liberis, & non in necessarijs: ergo, &c. Probatur minor. Quod est regulabile, debet esse indifferens ad sic, vel sic determinari; si enim est necessario ad vnum determinatum, nequit regulari ad vnum, quod ratio dictat: ergo regulabilitas, quæ est propria moralitatis, solum potest inveniri in actibus liberis. ¶ Tertiò: actus moralis est actus humanus, vt ait D. Thom. 1.2. quæst.1. artic.1. hoc est, prout homo à brutis distinguitur in modo operandi; sed modus, quo homo distinguitur à brutis in modo operandi, est, quia agit libere: ergo omnis actus moralis debet esse liber. ¶ Quartò: regula ad hoc datur in actibus, vt eos ab extremis ad medium rationis reducat; sed actus necessarius non est variabilis ab extremis ad medium, sed hoc ipso quod necessarius sit, est determinatus ad vnum: ergo actus necessarius non est regulabilis per rationem, & consequenter nec moralis. Vndè hanc sententiam defendit D.Thom.1.2. quæst. 1. art.1.& quæst.18.art.9.& pluries alibi, quem sequuntur Greg.Mart.super D.Thom. loc.citat. dub.2. N.Cornejo tract.6.disput.5.dub.4.Vazquez disp. 55. cap.3. Araujo dub.1. num.11. Montesinos disput.22.quæst.2.num.15.Ioannes à S.Thom.disput.8.artic.1.Gonet disp.1. num. 2.& alij.

Verius est requiri libertatem actualem.

11 Ad primum argumentum sententiæ contrariæ respondetur, quod si amentes se cognoscerent ex vi alicuius actus voluntatis, & intellectus, quo antea talem congressum & intenderunt, & voluerunt; tunc talis actus est malus moraliter, prout elicitus ex imperio illius præcedentis voluntatis: at si se cognoscerent absque prævio illo imperio voluntatis, tunc talis copula nec est mala in se, nec vllo modo actus moralis; & sic solum tunc differt à congressu pecorum, quantum ad substantiam, non verò quantum ad modum libertatis. Nec obest, quod si aliquis ad eam copulam eos induceret, peccaret, imò & si amentes essent coniugati, quod tamen non ita accideret in pro-

Solvitur primum argumentum.

procuratione congressus pecorum. Nam ratio huius differentiæ ea est, quod talis copula ideò nequit appeti, nec procurari, quia est obiectivè peccaminosa, non verò quia in se sit formaliter mala, & id quod est obiectivè malum, nunquam licèt appeti; congressus verò pecorum nullo modo est malus, & ideò potest sine peccato procurari, & appeti.

Nota pro vberiori solutione.

12 Sed pro pleniori intelligentia solutionis nota ex nostris Salmant. Scholasticis tom.4. disp.10.dub.6.§.3. num.218. & ex Moralibus tom.3. tract.13. cap. 2. punct. 4. per totum, quædam esse ita per se, & ab intrinseco mala, vt nunquam à malitia denudari possint, nec concipi sine deformitate ad rationem. Talia sunt pollutio voluntaria, periurium, mendacium, occisio innocentis (nisi ex mandato Dei fieret) Sacramentorum profanatio, blasphemias dicere, & Idolis thus adolere, & similia. Alia verò sunt, quæ licèt prout certis nominibus significantur, malitiam præseferant, & sic honestari nequeant; tamen absolutè ipsa substantia operis potest honestari: quia aliquando potest exui, & denudari omni conditione, à qua vitiatur. Huiusmodi sunt, quæ sola lege positiva prohibentur, vt omissio sacri in die Dominica, esus carnis feria sexta, & alia similia; quæ licèt, dum viget prohibitio, nullo modo excusari à malitia queant, tamen ea suspensa, aut impedita per superiorem causam, aut gravius præceptum, denudantur ab omni malitia, desinuntque esse illicita. Et sic omissio sacri ad subveniendum infirmo est licita; quia tunc suspenditur illa obligatio ob superius præceptum charitatis. Huiusmodi etiam sunt quædam, quæ lege naturali prohibentur, vt furtum, & homicidium; nam licèt furtum, vt isto nomine significatum, *sit ablatio rei alienæ invito Domino rationabiliter*, & homicidium *sit iniusta hominis occisio*, & prout sic accepta nequeant esse licita, tamen substantia actionis accipiendi rem alienam, occidendique hominem sæpius honestatur, vt quando ht Deo iubente; sicque Hebræi ex Dei præcepto Ægyptios licitè expoliaverunt: aut quando iniuste est invitus Dominus; vt quando dare nolit, quæ ex iustitia solvere tenetur; tunc licitè potest vti occulta compensatione, auferendo ab eo quantum debet. Similiter occisio hominis est licita, quando non est iniusta, v.gr. quando Deus illam præcipit, vel homo ille est malefactor, tunc enim licitè à Iudice, ex vi auctoritatis illi à Deo collatæ, suspenditur.

Applicatur doctrina tradita.

13 Ex quibus iam plenè intelligitur doctrina solutionis datæ. Congressus enim carnalis duorum amentium est actio ab intrinseco mala, sicut fornicatio, aut pollutio, & sic nunquam potest intendi, aut procurari. Et ratio est: nam copula inter homines ordinatur à natura ad filios educandos cura parentum: & cum copula illa inter amentes, etsi essent coniugati, non posset consequi hunc finem, sicut nec consequitur in simplici fornicatione; ideò sicut simplex fornicatio est ab intrinseco mala, & nullo modo potest appeti, aut procurari, adhuc in alio; ita similiter congressus carnalis duorum amentium est actio intrinsecè malà obiectivè, & consequenter nullo modo denudabilis à malitia. Quare licèt ex defectu libertatis copula illa non esset respectu amentium mala formaliter, & consequenter nec moralis actio, tamen respectu illius, qui illam intenderit, & procuraret, esset mala obiectivè, & intrinsecè, seu esset obiectum actionis formaliter moralis liberæ, & peccaminosæ. Vnde solùm sequitur, quod illa copula non sit actio moralis respectu amentium, sit tamen obiectum operationis moralis respectu eam intendentis, & liberè procurantis, & sic eam appetendo, aut procurando mortaliter peccaret.

Solvitur secundum argumentum.

14 Ad secundum etiam liquet. Homicidium enim ab ebrio perpetratum, si nullo modo est præviſum, aut imperatum ab actu aliquo libertatis, non est peccatum, & consequenter nec respectu illius est actus moralis; vnde nihil mirum si careat libertate. Nec contra hoc obest, quod nemo possit de homicidio ab ebrio perpetrato complacere; quia hoc ideò est, quia tunc remanet in ratione homicidij, & sic adhuc est iniusta hominis occisio, & consequenter obiectivè malum, incapaxque, vt aliquis de eo aliquando complaceat, & gaudeat, quin committat grave peccatum. ¶ Sed nota primò pro plena intelligentia huius solutionis, quod sicut diximus tom.3.tract.11.cap. 2.punct. 10. num. 158. aliud est quod aliquis non obligetur lege, aliud verò quod quis excusetur à transgressione legis, manendo tamen sub eius obligatione. Nam qui excusatur lege, seu non est lege obligatus, malum non facit, etsi operetur contra legem, vt infans, qui non peccat, estò die veneris carnes comedat, quia non est sub lege: atqui excusatur à transgressione legis, vel ob infirmitatem, vel ignorantiam, manendo tamen sub illa, licèt non peccet, operando contra legem, tamen facit malum obiectivè saltem. Nota secundò leges naturales, & Divinas omni tempore, & loco omnes obligare: quare nulla causa esse potest, per quam aliquis extrahatur ab earum obligatione, licèt possit esse causa per quam excusetur ab earum transgressione, vt est defectus libertatis, ebrietas, amentia, &c. At præcepta iuris positivi, & humani non obligant nec omnes, nec semper, & pro semper; sed solùm habent vim sub quadam tacita conditione, *si non sis impeditus, vel infirmus, aut defessus.* Et sic plures sunt causæ, ob quas non solum excusamur ab eorum transgressione, sed etiam extrahimur ab eorum obligatione. Vnde licèt pueri, amentes, & infirmi extrahantur à legibus humanis, & positivis, tamen à lege naturali, & Divina non extrahuntur, estò excusentur à culpa ob defectum rationis. Quare optimè intulimus loc. citat. cap.3. num.48. licitè posse quempiam concurrere imperando, consulendo, aut in eis ministrando ad actiones illorum, qui sunt à lege extracti; v. gr. ministrando carnes infantibus, amentibus, & infirmis; quia sicut isti non aliquid faciunt, quod sit adhuc moraliter malum, ita nec tu peccas ad illud cooperando. E contra verò peccas concurrendo ad actiones illorum, qui etsi excusentur à culpa ob defectum libertatis, vel ob alias causas, tamen non taliter excusantur à transgressione legis, vt sub ea non adhuc maneant.

neant. Et ideò peccas miniſtrando carnes ignorantibus, & ebrijs, &c. Similiter incitando amentes furioſos ad aliquid, quod ſit contra ius naturę, vt ſunt homicidium, pollutio, & ebrietas, &c. quia iſti, eſtò excuſentur à tranſgreſſione legis, tamen manent ſub lege, & ideò faciunt aliquid, quod eſt obiectivè malum. Ex quibus iam conſtat, & patet argumenti ſolutio, & quare illicitum ſit complacere de homicidio, aut inceſto facto ab ebrio, quia iſtæ actiones ſunt obiectivè malæ, & à lege naturali, & Divina prohibitæ. Ex quibus etiam patet ad tertium.

15 Vndè Innocentius XI. circa hoc tres propoſitiones iuſtè damnavit. Prima, quæ eſt 15. ſub hac forma: *Licitum eſt filio gaudere de parricidio Patris à ſe in ebrietate perpetratum propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Et 14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.* Et denique 13. *Si cum debita moderatione facias potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere illam inefficaci effectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Et licèt in 13. & 14. propoſitione ſolùm damnet Summus Pontifex gaudium, & deſiderium mortis naturalis hominis ob motivum boni temporalis, quæ mors ab intrinſeco, & obiectivè non eſt mala, & ſic eius deſiderium poteſt honeſtari ob finem ſuperiorem ad damnum proximo illatum; tamen in 15. propoſitione loquitur de homicidio propriè, & formaliter, quod ſemper eſt obiectivè malum; vnde licèt reſpectu ebrij illud perpetrantis non ſit malùm, nec peccatum ob defectum libertatis, tamen reſpectu liberè illud deſiderantis, eſt malum obiectivè, cauſatque in actu ad illud tendentis malitiam formalem, quin ſufficiat ad honeſtandum illud aliqua convenientia temporalis. Quare ex argumentò ſolùm colligitur illud gaudium eſſe actum moralem, & peccaminoſum; homicidium verò obiectum talis actus moralis; at in ſe reſpectu ebrij nec eſſe actum moralem, nec peccaminoſum; & ſic nihil mirum, quod liberum non ſit. Dicta hoc duplici numero tenent Navarr. cap. 14. num. 15. Toletus lib. 5. cap. 1. Trullench lib. 4. cap. 1. dub. 2. num. 3. Bonacina tom. 2. diſp. 6. quæſt. vnica, punct. 3. num. 3. Sayrus in Clavi lib. 7. cap. 5. num. 7. & 8. Villalobos 2. part. tract. 41. diffic. 6. num. 1. & 2. Leander tom. 8. tract. 1. diſput. 2. quæſt. 4. & apud ipſum Sylveſter, Graffius, Reginaldus, Baſæus, Rocafful, Fagundez, noſter Lumbier in explicatione propoſit. damnat. ab Innocent. XI. à num. 1812. & alij.

Vltimò argumẽto reſpondetur.

16 Ad vltimum dico, quod de ratione actus moralis eſt, quod hìc, & nunc ſit regulabilis per regulas rationis; actus verò eliciti ab amentibus, hìc, & nunc non poſſunt regulari per rationem; quia ad hoc requiritur, quod eſſent liberi, & indifferentes, vt poſſent ad vnum determinari per regulas moralitatis: cum ergo prout eliciuntur ab amentibus ſint determinati, & neceſſarij, ſicut alia opera, quæ à brutis fiunt; hinc provenit, quod nec ſint commenſurabiles, nec regulabiles per rationem, & ex conſequenti nec morales.

PUNCT. III.

Vtrùm libertas requiratur ad moralitatem, vt conſtitutivum illius, an verò vt fundamentum, ſeu conditio eſſentialis?

Prima ſententia aſſerit moralitatem eſſe idem formaliter cum libertate.

17 SUppoſito libertatem ad moralitatem requiri, vt communis tenet ſententia, reſtat inquirere, quo modo ad illam concurrat, an vt fundamentum, an verò vt illius eſſentiale conſtitutivum? Prima ſententia aſſerit libertatem concurrere ad moralitatem, vt formam intrinſecè conſtitutivam illius, & conſequenter actum moralem eſſe formaliter idem cum actu libero. Et probatur primò. Secundùm D. Thom. 1. 2. quæſt. 1. art. 3. idem eſt actum eſſe moralem, ac eſſe humanum; ſed idem Sanct. Doctor docet ibi art. 1. *Illæ actiones propriè vocantur humanæ, quarum homo eſt dominus. Eſt autem homo dominus ſuorum actuum per rationem, & voluntatem.* Et paulò poſt. *Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* Ergo iuxta D. Thom. idem eſt eſſe actum moralem, ac eſſe humanum, ſeu liberum. Ergo libertas eſt forma conſtitutiva moralitatis. Idem tenet de malo quæſt. 2. art. 6. & 3. contra Gentes cap. 10. poſt medium ait: *Ex hoc dicitur actus moralis, quia eſt voluntarius.* Videatur etiam in 2. diſt. 40. quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 2. art. 1. ¶ Secundò: poſita libertate in actu, ponuntur proprietates moralitatis, ſcilicèt eſſe dignum laude, aut vituperio, præmio, aut ſupplicio: ergo ponitur etiam eius eſſentia. ¶ Tertiò: poſita libertate in actu, ponitur moralitas, & ea ſubſtracta, aufertur, etiam quacunque alia formalitate in eo permanente: ideò enim peccatum veniale ex indeliberatione non eſt perfectè peccatum, nec perfectè actus moralis, quia non eſt perfectè liberum: ergo moralitas, & libertas prorſus idem ſunt. ¶ Quartò: ideò odium Dei in amente, & motus primo primi de obiecto peccaminoſo non ſunt bona, aut mala, quia non ſunt libera: ergo libertas conſtituit eſſe morale. Hanc ſententiam docent Durandus in 2. diſt. 38. quæſt. 1. num. 5. Henricus lib. 13. quæſt. 11. Scotus diſt. 40. quæſt. vnica, §. *De ſecundo principali.* Sotus lib. 1. de iuſtit. & iure, quæſt. 7. art. 2. Henriq. quodlib. 13. quæſt. 10. Valentia in 1. 2. quæſt. 13. punct. 1. Granad. diſp. 2. ſect. 2. Salas diſp. 1. ſect. 2. & ex parte non diſſentit Suarez tract. 3. in 1. 2. diſp. 1. ſect. 2. num. 16.

Verior eſt ſecunda ſententia negans libertatẽ conſtituere formaliter moralitatem.

18 Secunda, & verior ſententia aſſerit libertatem non eſſe formam conſtitutivam moralitatis, ſed quid ab ea diſtinctum; requiri tamen vt fundamentum ad eius eſſentiam conſtituendam. Probaturque primò: ratio liberi, & ratio moris pertinent ad ordines diverſos: ergo

go distinguntur. Probatur antecedens. Ratio liberi pertinet ad ordinem physicum naturæ, sicut gradus intellectivus; ratio moris pertinet ad genus morale; sed quæ pertinent ad distinctos ordines, seu genera, physicum scilicèt, & morale, non sunt realiter idem: ergo libertas non est idem formaliter cum moralitate. ¶ Secundò: possunt variari species moralitatis, quin varietur libertas, & è contra: ergo non sunt idem formaliter. Probatur antecedens. Cum eadem specie libertatis, v.gr. quoad specificationem potest vnus actus esse bonus, & alter malus; è contra verò, volitio omittendi ieiunium,& omissio illius sunt in eadem specie moralitatis, & tamen non est eadem vtriusque libertas, sed vna est libera directè, alia verò indirectè: ergo possunt variari species moralitatis, quin varietur libertas, & è contra: & consequenter libertas non est forma constitutiva moralitatis,sed quid distinctum,& præsuppositum ad illam. ¶ Tertiò: actus liber, & moralis dicunt relationem habitudinis ad diversa formaliter principia: ergo non sunt prorsus idem. Probatur antecedens. Actus liber respicit intellectum, & voluntatem, vt principia indifferentia ad eius productionem; actus verò moralis respicit intellectum, vt dictantem illum sub ratione honesti, aut turpis, & voluntatem sub eisdem rationibus illum amplectentem; sed istæ rationes sunt formaliter diversæ, sufficientesque ad distinguendos prædictos actus: ergo libertas, & moralitas prorsus in eis distinguntur. ¶ Quartò: antequam intelligamus moralitatem in actibus, intelligimus libertatem: ergo distinguntur. Antecedens patet. Pro priori ad moralitatem intelligimus intellectum proponere voluntati bonitatem physicam obiecti non adæquantem eius capacitatem, & voluntatem illam amplecti cum indifferentia; sed tunc adhuc non intelligitur aliqua ratio moralis, seu respectus ad regulas rationis, vel ad aliquam legem præcipientem, aut prohibentem: ergo pro priori ad moralitatem intelligimus adæquatè totum ordinem libertatis: ergo libertas non est forma constitutiva moralitatis: quare, cum aliàs ad illam, vt vidimus punct. anteced. requiratur, necessariò fatendum est, ad moralitatem concurrere libertatem, tanquam quid præsuppositum, & illius fundamentum. Hanc sententiam defendunt omnes discipuli D. Thomæ, specialitèr Greg.Martinez in 1.2.dub.2.conclus.2. Araujo art.1.dub.1.num.8. Montesinos disp.22.quæst. 3.num.23. Ioann. à S. Thoma disp.8.art.1.resolut.1. N.Salmant.tom.3.tract.11.disp.1.dub. 2.§.2.& alij.

Solutio primi,& secundi argumẽti.

19 Ad primum argumentum dicimus D. Thomam non loqui ibi formalitèr, sed vel causalitèr, vel materialitèr; quia omnis actus, vt sit moralis, petit libertatem præsupositivè, vt causam, aut fundamentum. Vel dic, dominium esse duplex, aliud naturale, quod pertinet ad genus naturæ, consistens in potestate ad operandum, vel non operandum; aliud morale consistens in eo, quod possit quis operari, & non operari conformitèr, aut difformitèr ad regulas rationis. Quando ergo D. Thomas asserit, quod illæ actiones sunt humanæ, & morales, quarum homo est dominus, loquitur non præcisè de dominio physico, sed etiam de dominio morali; & in hoc sensu est locutio formalis. Si autem velis insistere, loqui de dominio physico, & naturali; tunc dicimus, loqui causalitèr, seu materialitèr, aut concomitanter, quatenus moralitas est inseparabilis à libertate. ¶ Ad secundum respondetur, esse dignum laude, aut vituperio non esse proprietates moralitatis in communi, sed specierum illius, scilicèt boni, & mali: quare ad moralitatem solùm se habent mediatè; at verò respectu libertatis tantùm se tenent concomitanter, quatenus, vt diximus, essentialitèr illam præsupponere debent.

Solutio tertij, & quarti argumenti.

20 Ad tertium negatur antecedens; nam, adhuc posita libertate in actu, requiritur ad moralitatem illius, quod intelligatur cum respectu ad obiectum, vt subditum regulis morum, & sine hoc actuali ordine, licèt esset liber, non tamen esset moralis. Nec vrget instantia peccati venialis; quia solùm probat, quod ad moralitatem requiratur libertas, non verò quod requiratur, vt forma illius, sed tantùm, vt fundamentum essentiale. ¶ Ad quartum patet ex immediatè dictis. Ideò enim odium Dei in amente, & motus primo primi de obiecto peccaminoso non sunt peccata, quia libertas sit forma constitutiva malitiæ illorum; sed quia libertas requiritur essentialitèr, vt quid præsuppositum ad illam; si enim deficit libertas in actu,nequit esse regulabilis per rationem. Quare hoc argumentum, & similia tantum probant libertatem requiri ad moralitatem, vt fundamentum, & concomitanter, quod non negamus; non verò vt formam, quod defendimus.

Sufficit ad moralitatem libertas contradictionis, & non est necessaria libertas contrarietatis.

21 Sed rogabis: an ad moralitatem sufficiat libertas contradictionis, an vlteriùs requiratur libertas contrarietatis? Supponit quæstum distinctionem, & divisionem libertatis in libertatem contrarietatis, & contradictionis, quæ in eo consistit, quod libertas contrarietatis versatur inter extrema contrariè opposita, vt amor, & odium; libertas contradictionis consistit in eo, quod voluntas possit appeti extrema contradictoriè opposita, vt amor, & carentia amoris. Qua distinctione libertatis brevitèr prælibata, dico, sufficere ad moralitatem libertatem contradictionis; non tamen requiri libertatem contrarietatis. Probatur primò: illa libertas sufficit ad moralitatem, quæ sufficit ad meritum; sed ad meritum sufficit libertas contradictionis, vt liquet in Christo: ergo libertas contradictionis sufficit ad moralitatem. ¶ Secundò: illa libertas sufficit ad moralitatem, quæ satis est, vt actus possit dirigi à regulis morum; sed ad hoc solùm requiritur libertas contradictionis, quin sit necessaria libertas contrarietatis: nam ex hoc quod actus sit liber quoad exercitium, potest lex illum regulare, præcipere, aut prohibere, & plenè cadit sub eius dominio: ergo &c. ¶ Tertiò: hoc ipso quod actus non sit à natura determinatus, vt sit, vel non sit, potest lex illum ad extremum rationis determinare; sed hoc ipso est commensurabilis cum regulis moralitatis: ergo actus gaudens sola libertate contradictionis est

mo-

moralis formaliter. ¶ Nec obest quod Eccles. 31. laudatur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*: ergo libertas contrarietatis requiritur ad meritum, & moralitatem actus. ¶ Nam ad hoc facilè respondetur, quod ibi solùm commendatur specialitèr ad meritum libertas contrarietatis, vtpote digna maiore laude; non verò quia sit essentialitèr necessaria ad illud, vt vidimus suprà; cum similitèr salvetur meritum cum sola libertate contradictionis.

CAPUT II.

De regulis moralitatis.

CUM Moralitas sit ordo, & respectus ad morum regulas; postquam capite præcedenti de essentia moralitatis egimus, rectus ordo exigit, vt de illius regulis sermonem instituamus, quarum declarioni præsens Caput duobus Punctis divisum dicamus.

Punct. I. *Quæ sint regulæ moralitatis?*

Punct. II. *Vtrùm de essentia moralitatis sit esse iuxta, vel contra aliquam ex eius regulis?*

PUNCTUM I.

Quæ sint regulæ moralitatis?

Notãda pro resolutione.

1 SIcut ordo artificialis desumitur per comparationem ad regulas artis, de quarum conceptu est, quod sint ita indefectibiles, vt per respectum, & comparationem ad illas rectitudo, aut obliquitas artefacti mensuretur: ita de ratione ordinis moralis est, quod subdatur regulis ita rectis, vt ex earum indefectibilitate mensuretur bonitas, & malitia totius entis moralis, hæc per recessum ab illis; illa vero per adæquationem cum eis. Sed nota, quod tota rectitudo tam in regulis artis, quàm ordinis moralis sumitur per ordinem ad finem proprium vniuscuiusque: finis autem ordinis, & regulæ artificialis est, quem artifex intendit; finis vero ordinis moralis est finis vltimus totius vitæ humanæ; omnis enim moralitas totius vitæ humanæ dirigitur ad consequendum Deum, qui est vltimus finis. Quod eleganter docet D.Thom. 1.2. quæst. 21. art. 2. ad 2. his verbis: *Ad secundùm dicendum, quod ratio aliter se habet in artificialibus, aliter in moralibus. In artificialibus enim ratio ordinatur ad finem particularem, quod est aliquid per rationem excogitatum. In moralibus autem ordinatur ad finem communem totius humanæ vitæ.* Vndè cùm finis, & principium mutuo sibi correspondeant, si finis ordinis moralis est Deus, necesse est quod prima regula moralitatis, vtpote principium dirigens ad eius assequtionem, illi proportionetur. Quæ vero sit hæc regula sequens resolutio monstrabit.

Aliqui dicunt primã regulã moralitatis esse naturam rationalem.

2 Inquires, quæ sit prima regula moralitatis? Prima sententia asserit, primam regulam moralitatis, in ordine ad quam sumitur bonitas, & malitia moralis, esse naturam rationalem, prout antecedit omnem legem, & dictamen rationis. Probaturque primò: plura sunt, quæ ex sola habitudine convenientiæ, aut disconvenientiæ ad naturam rationalem, antequam aliqua lege præcipiantur, aut prohibeantur sunt bona, aut mala, vt liquet in amore Dei, qui pro priori ad naturale præceptum est bonus; & in odio Dei, quod antequam prohibeatur per legem naturalem, est intrinsecè malum: ergo nulla lex æterna, aut creata, sed tantum natura rationalis est regula moralitatis illorum. ¶ Secundò: etsi nulla esset lex Diuina, aut humana adhuc homo operaretur moraliter, benè, servando castitatem; & malè, mentiendo; sed horum actuum moralium sola natura rationalis tunc esset prima regula, cum vt supponitur alia non esset: ergo modo ita sè habet. ¶ Tertiò: Deus operatur moraliter exercendo actus misericordiæ, & iustitiæ; & tamen *Filius Dei*, ait D.Thom. 1.2. quæst. 93. art. 4. ad 2. *non est à Deo factus, sed naturaliter genitus, & ideò non subditur Diuinæ prouidentiæ, aut legi æternæ, sed magis ipse est lex æterna per quandam appropiationem*: ergo lex non est regula moralitatis. ¶ Denique actus consilij, & supererogationis non cadunt sub præcepto alicuius legis, & tamen sunt morales, & boni: ergo in his non est regula moralis lex. Vndè hanc sententiam amplectuntur Scotus quodlibet. 18. Vazquez 1.2. disp. 73. 95. & 97. Suarez disp. 2. sect. 2. Salas disp. 1. sect. 2. & alij.

Verius est primam regulam esse legem æternam, & proximã conscientiam.

3 Secunda sententia & tenenda ait primam regulam moralitatis esse legem æternam Dei; proximam vero esse dictamen rationis practicum, seu conscientiam. Sic D. Thom. 1.2. quæst. 71. art. 6. & eius discipuli ibi. Caietanus, Medina, Zumel disp. 1. & 10. N. Cornejo disp. 4. dub. 2. Greg. Martinez, Gonet disp. 1. art. 2. & alij. Probaturque primò auctoritate D. Thomæ, qui loc. cit. sic ait: *Habet autem actus humanus esse malus ex eo quod caret debita commensuratione. Omnis autem commensuratio cuiuscunque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si diuertat incommensurata erit. Regula autem voluntatis humanæ est duplex. Vna propinqua, & homogenea, scilicèt ipsa humana ratio. Alia vero est prima regula, scilicèt lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.* Vndè concludit, formale peccati consistere in eo quod sit contra legem æternam. Idem docet quæst. 19. art. 4. & quæst. 2. de Malo, art. 4. Ita loquitur: *Bonum, & malum in actibus humanis consideratur, secundùm quod actus concordat rationi informatæ lege Diuina, vel naturali.* Et de virtutibus quæst. 5. art. 2. *Bonum in actibus inuenitur per*

hoc, quod pertingitur ad regulam humanorum actuum; quæ quidem est vna, quasi homogenea, & propria homini, alia autem est simpliciter prima mensura transcendens, quæ est Deus. Ergo ex mente Angel.Doct. prima regula moralitatis est lex æterna in mente divina existens; proxima vero est ratio humana, quod est idem, ac dictamen practicum rationis.

Probatur vtraque pars à ratione.

4 Probatur etiam vtraque pars à ratione. Et prima sic ostenditur. Regula prima moralitatis debet esse indefectibilis in dirigendo actus morales in proprium finem, qui, vt vidimus ex D. Thom. supr. num.1. est Deus; sed nulla natura rationalis, sicut nec quælibet alia creatura potest esse prima regula indefectibiliter dirigens in Deum, sed solùm lex æterna in mente divina existens: ergo sola hæc est prima regula moralitatis. ¶ Secunda pars etiam ostenditur. Illa debet esse proxima regula moralitatis per quam lex æterna hominibus intimatur, & proponitur vt adimplenda; sed talis est conscientia, seu dictamen practicum rationis: ergo hæc est proxima regula moralitatis. Probatur minor. Diverso modo lex æterna communicatur irrationabilibus, ac hominibus; sed irrationabilibus, quæ sunt expertia libertatis, communicatur per modum cuiusdam inclinationis naturalis, per quam indefectibiliter tendunt in suos fines: ergo hominibus non communicatur per modum inclinationis naturalis, sed per directionem moralem, media qua libere tendant in finem vltimum; tunc sic, sed solo medio dictamine rationis, seu conscientia proponuntur hominibus, quæ secundùm legem Dei æternam agenda, vel fugienda sunt absque præiudicio suæ libertatis: ergo lex æterna hominibus proponitur media conscientia, seu dictamine practico rationis. Quæ eleganter expressit D.Thom.quæst.19. 1.2.art.4.his verbis: *Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua eius bonitas mensuretur habet ex lege æterna, quæ est ratio divina.* Vndè in Psalm.4. dicitur: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen tuum Domine. Quasi diceret lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est à vultu tuo derivatum.*

Solutio primi, & secundi argumẽti

5 Ad primùm argumentum respondetur, negando antecedens. Si enim amor Dei non præciperetur aliqua lege, non esset bonus formaliter, sed tantum fundamentaliter: & similiter odium Dei, nisi aliqua lege prohiberetur, tantum esset malum, & peccatum initiativè, & fundamentaliter: quia omne bonum, aut malum dicitur, & est tale per conformitatem, aut difformitatem cum lege æterna Dei, quæ participatur ab alijs legibus, sivè naturalibus, sivè humanis. Vndè si hæc lex deficeret, nihil esset formaliter bonum, aut malum, sed solùm aptitudinaliter, hoc est aptum natum, vt per illam præcipiatur, aut prohibeatur. ¶ Ad secundùm patet ex dictis, & insuper addi potest solutio, quam D.Thom.simili argumento adhibet 1.2.quæst.71.art.6. *Ad quartùm dicendum, quod cum dicitur non omne peccatum ideò est malum, quia est prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per ius positivum. Si autem referatur ad ius naturale, quod continetur primò sub lege æterna, secundario vero in iudicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum. Ex hoc enim ipso quod est inordinatum iuri naturali repugnat.* Vbi vides, quod ius naturale nihil prohibet, quia malum; sed ideò est malum; quia illud prohibet: vnde absque aliqua lege, nihil esset formaliter bonum, aut malum; & consequenter sola lex æterna est prima regula totiùs moralitatis.

Solutio tertij, & quarti argumenti.

6 Ad tertiùm negatur minor: quia etsi Deo non sit imposita ab alio aliqua lex, tamen eius ratio est perfectissima lex, & iuxta illam regulantur omnes actus Dei liberi, practiceque movetur eius voluntas ad agendum, & volendum. Videantur Salm.Scholast.tom.1.tract.5. disp.2.dub.2. vbi Deo attribuunt actum formaliter imperij. ¶ Ad quartùm respondetur: quod opera consilij, & supererogationis, etsi non cadant sub aliqua lege absolutè, benè tamen ex suppositione, quod fiant. Nam licèt verum sit, quod non sit aliqua lex ea præcipiens, & sic qui ea omittit, non peccat; tamen datur lex præcipiens, quod, hoc ipso quod homo opera supererogationis eliciat, omnes eis debitas circunstantias apponat. Verum enim est, quod non est aliqua lex determinata, quæ præcipiat quotidie sacrum audire; tamen datur lex Religionis, quod ex suppositione, quod sacrum audiatur, sit reverenter, & cum debita attentione ad tantum mysterium, & sacrificium: vnde licèt opera consilij, & supererogationis absolutè non cadant sub lege, benè autem ex suppositione, quod fiant. Quare numquam verificatur, quod sit aliqua moralitas, & quod eius regula non sit lex divina, vel aliqua eius participatio in lege naturali, aut dictamine conscientiæ. Per quod patet ad omnia argumenta, & ex dicendis Punct.seq. amplius patebit.

PUNCT. II.

Vtrùm de essentia moralitatis sit esse iuxta, vel contra aliquam ex eius regulis?

Declaratio quæstionis.

7 SUppositò, quod duplex datur regula moralitatis, nimirum lex æterna in mente Divina existens, quæ est prima regula, & sub qua continentur, & sunt illius participationes aliæ leges positivæ, sivè divinæ, sivè humanæ, sivè canonicæ, sivè civiles; & dictamen rationis, quod est proxima, & per quod omnes aliæ hominibus intimantur; restat scire, an sit de ratione earum, ita esse regulas moralitatis, vt nulla inveniri possit, quin sit vel iuxta, vel contra legem æternam, & dictamen conscientiæ; taliter quod bonitas sic dicatur, quia conformatur cum lege æterna, vt nobis intimata; & malitia ita sit, quia ab illa recedit. Vt tamen confusionem, & terminorum multiplicationem vitemus, difficultatem solùm ver-

versabimus circa moralitatem malitiæ, & quid quid de ea dictum fuerit, proportionabiliter poterit applicari bonitati, cum sint species, æquè dividentes moralitatis genus.

Prima sententia proponitur.

8 Prima sententia docet, non omnem moralitatem ita dici, quia sit iuxta, vel contra aliquam ex regulis, & legibus asignatis; sed moralitatem malitiæ; v. gr. eorum, quæ sunt contra ius naturale esse pro priori ad prohibitionem legis æternæ, aut humanæ intimatæ per dictamen rationis, seu conscientiam. Probatur primò: pro priori ad prohibitionem iuris naturalis datur in furto, aut mendacio malitia moralis: ergo non sunt mala, quia prohibentur per aliquam ex regulis moralitatis. Probatur antecedens. Pro priori ad prohibitionem datur in his rebus aliquid, quare à iure naturali potiùs hæc prohibeantur, quam v. gr. amor Dei; sed hoc non potest aliud esse, nisi quod ex se mala sunt: ergo pro priori ad prohibitionem legis æternæ, & naturalis datur moralitas malitiæ in his actibus. ¶ Secundò: supponamus, Deum non intimare hominibus legem æternam prohibentem furtum, quod fieri posse non est impossibile, cum talis intimatio sit libera Deo; & tamen tunc adhuc esset malum moraliter furtum, vt liquet: ergo non est de ratione moralitatis malitiæ esse prohibitam per legem æternam. ¶ Tertiò: quia si omnis malitia moralis esset talis, quia prohibita per legem æternam, omnia peccata essent eiusdem speciei; cum respicerēt obiecta sub ratione prohibiti; sed hoc est falsum: ergo etiam quod malitia sumatur per respectum difformitatis ad legem æternam, quæ est prima regula moralitatis. Ita sentiunt Greg. in 2. dist. 34. quæst. 1. art. 2. Almaynus tract. 3. moral. cap. 16. Vazquez 1.2. disp. 97. & ex parte Montesinos disput. 3. quæst. 8. Corduba lib. 3. quæst. 10. & alij.

Secunda, & verior docet omnem moralitatē dependere à lege æterna.

9 Secunda sententia, & verior asserit de conceptu moralitatis esse dicere ordinem ad legem æternam; & sic actus humanos ideò esse bonos, aut malos, quia per illam vel sunt præcepti, aut prohibiti. Hæc sententia ostenditur primò ex D. Augustino lib. 2. de peccatorum meritis, & remis. cap. 16. vbi loquens de malitia morali peccati, sic ait: *Sed nec peccatum erit, si quid erit, nisi divinitus iubeatur, vt non sit.* Et D. Dionysius de divinis nominibus cap. 4. ait: *Bonum hominis est secundùm rationem esse: malum autem quod est præter rationem.* Hoc est iuxta, vel contra legem æternam, prout nobis intimatur per dictamen rationis. ¶ Secundò: omnis malitia est contra dictamen rationis; sed hoc dictamen est ipsa lex naturalis: ergo omnis malitia moralis est contra legem æternam, cuius participatio est lex naturalis. Maior, in qua est difficultas, suadetur. Nam etiam illa, quæ intrinsecè sunt mala, si non sint contra dictamen rationis, non sunt peccata, vt patet in eo, qui ex invincibili ignorantia furatur ad elargiendam eleemosynam; qui ideò non peccat, quia non operatur contra dictamen rationis, quod est proxima regula moralitatis: ergo omnis malitia debet esse talis, quia est contra legem æternam, & naturalem, seu dictamen rationis. ¶ Tertiò: in artificialibus, & naturalibus nihil est defectuosum, nisi quod est deficiens à regulis naturæ, & artis: ergo in moralibus nihil erit malum, nisi quod est contra dictamen rationis, quæ est proxima regula moralitatis. Ita sentiunt D. Bonavent. in 2. dist. 35. dub. 4. Alvarez in 1.2. disput. 130. Medina difficult. 4. N. Cornejo disp. 4. dub. 2. Greg. Mart. dub. 2. & alij.

Solvitur argumentum.

10 Vnde restat solùm respondere argumentis. Et ad primùm dico: furtum, & mendacium ante ipsam prohibitionem legis æternæ, & naturalis habere sufficientem malitiam, vt prohibeantur per illas; sed hæc malitia ante prohibitionem non est formalis, sed fundamentalis, & initiativa, consistens in eo quod ex se repugnent alicui prædicato divino, v. gr. mendacium summæ veracitati, & furtum summæ æquitati: at malitia formalis horum actuum vnicè desumitur, ex eo, quod lex æterna, & naturalis, quæ est eius participatio, illa prohibeant; ex quo oritur, quod illi primæ, & æternæ regulæ dissonent. ¶ Ad secundùm respondetur: quod si Deus non intimaret hominibus suam legem æternam prohibentem furtum, aut mendacium; tunc illi actus non essent complete, & formaliter peccatum; cum peccatum sit legis prævaricatio, & vbi nulla est lex, nec etiam esset legis prævaricatio, & consequenter nec peccatum: esset tamen tunc mendacium peccatum initiativè, & dispositio physica mala, & contraria naturæ rationali, sicut est error invincibilis. ¶ Ad vltimùm respondetur: proprium specificativum malitiæ moralis non esse legem, sed obiectum vt subditum legi, seu vt dissonans legi; vnde cum obiecta sint diversa, etiam malitiæ morales. Præterquamquod, etsi lex æterna sit vna entitativè, est virtualiter multiplex, iuxta diversas materias, quas præcipit, aut prohibet ex diversis motivis; vbi vero rationes formales, & motiva sunt diversa, etiam diversificatur formaliter lex, & consequenter per subijcibilitatem, aut recessum ab illa, distinguntur malitiæ morales, seu peccata.

Ratio deinceps agendorum.

11 Ex dictis toto hoc Capite constat, legem æternam esse primam, & heterogeneam regulam moralitatis; alias vero leges esse proximam, & homogeneam, in quantum per dictamen rationis, & conscientiam nobis intimatur. Quare horum occasione Authores latè hic disputant de lege æterna, naturali, Divina, positiva, & humana, canonica, & civili; sed quia de his pro meritis materiæ latè egimus in tom. 3. huius Cursus, tract. 11. ne hic actum agamus, ab hac materia supersedemus, remittentes ad prædictum locum lectorem. Quapropter hic solùm nobis erit sermo de conscientia, quæ vt vidimus ex D. Thom. est proxima moralitatis regula, & per quam aliæ leges hominibus intimantur.

***

CAPUT III.

De conscientia in communi.

RElicta in præsenti prima regula moralitatis, nempè, lege æterna, aggredimur navigandum abyssum conscientiæ; hac nomenclatura eam insignivit D. Bernardus in principio lib.2.de conscientia per hæc verba: *Sicut profundum abyssi exhauriri non potest, ita cor hominis exhauriri non potest: est enim quasi mare magnum, & spatiosum manibus, vbi reptilia quorum non est numerus: quia sicut reptile latenter repit, & sinuosis anfractibus huc, illucque deambulat, ita & hominis in conscientia venenatæ cogitationes suaviter intrant, & exeunt, vt nesciat homo, vnde veniant, aut quò vadant.* Cui pelago plures se comisisse, & felicitèr, videmus. Vtinam & nos tranquillum portum, superata secundis ventis tam difficili navegatione tenère possimus. Quam disputationem etsi promiserint N.Salmant.Schol. tract.11. in expositione quæst.18. art.10. pag.551.& tract.13. disp.13. dub.1.num. 9. in fine, rem attentius considerantes huic N. Cursui Morali differendam reliquerunt: quod nos per quinque Capita præstabimus: & primùm dividitur in dua Puncta.

Punct. I. *Conscientiæ essentia, & cuius potentiæ sit actus explicatur.*

Punct. II. *Quotuplex sit conscientia?*

PUNCTUM I.

Conscientiæ essentia, & cuius potentiæ sit actus explicatur.

Variæ ex D. Thom. conscientiæ acceptiones.

1 PRiusquam conscientiæ essentiam tradamus, eius diversas acceptiones proponere, consonum rationi visum nobis est, quas Angel.Doct.in 2.sentent.dist.24. quæst.2. artic.4. in corpore, sic describit: *Dicendum, quod conscientia multis modis accipitur, quandoque dicitur conscientia ipsa res conscita; & sic sumitur 1. ad Thimoth. Charitas procedit de conscientia bona. Quandoque dicitur habitus, quo quis disponitur ad consciendum, & secundùm hoc ipsa lex naturalis, & habitus rationis consuevit dici conscientia. Quidam autem dicunt, quod conscientia, quandoque potentiam nominat, sed hoc nimis extraneum est, & impropriè dictum. Quod patet si diligenter omnes potentiæ animæ inspiciantur. Nullo autem horum modorum conscientia sumitur secundum quod in vsu loquentium venit, prout dicitur ligare, & aggravare peccatum: nullus enim ligatur ad aliquid faciendum; nisi per hoc quod considerat, hoc esse agendum. Vnde quamdam actualem considerationem rationis per conscientiam communiter loquentes intelligere videntur. Sed quæ sit illa actualis rationis consideratio videndum est.* ¶ Et postquam ex Philosopho tradit quod ratio in eligendis, & fugiendis, quibusdam syllogismis vtitur, vt patet in hoc: *Omne malum est vitandum* (& hæc propositio est à synderesi) *sed adulterium est malum* (& hæc est à ratione superiori, vel inferiori) *ergo hoc adulterium est vitandum.* Quam conclusionem, ait, ad conscientiam pertinere, reddit huius rationem: *Quia conscientia, & factis remunerat, & faciendis contradicit; & inde dicitur conscientia, quasi cum alio scientia; quia scientia vniversalis ad actum particularem applicatur; vel quia per eam aliquis sibi conscius est eorum, quæ fecit, vel facere intendit; & propter hoc etiam dicitur sententia, vel dictamen rationis.* Vnde concludit tradendo definitionem illius. *Et secundùm hunc modum patet, qualiter differant synderesis; lex naturalis, & conscientia: quia lex naturalis nominat ipsa vniversalia principia iuris: synderesis vero nominat habitum eorum, seu potentiam cum habitu; conscientia vero nominat applicationem quamdam legis naturalis ad aliquid faciendum per modum conclusionis cuiusdam.* Vel vt ait in 1. part. quæst.19. artic.5. *Conscientia nihil aliud est, quam applicatio scientiæ ad aliquem actum.* Idem docet quæst.17.de verit.artic.1.

Conscientiæ definitio.

2 Quibus Sanct. Doct. verbis consonant alia Hugonis à Sanct.Vict.lib.2.de anima, qui sic definit conscientiam: *Conscientia est cordis scientia. Cor nosci se, & alia, quando autem se nosci appellatur conscientia, quando præter se alia nosci appellatur scientia.* Eadem verba traduntur à D.Bernard.lib.de conscientia, cap. 4. Et lib.meditationum cap.13. ait: *Quocumque vado conscientia mea mecum est, secum portans quidquid in ea posui sivè bonum, sivè malum. Vnde ab aliquibus solet dici, quod conscientia est idem, ac comes scientia.* Ex quibus omnibus patet qualiter definienda, aut describenda sit conscientia. Sanchez lib.1.de matrimon.disp.41.num.2.& lib.1.in Decalogo, cap. 9.num.1. sic eam definit: *Conscientia est iudicium, quo aliquid bonum esse, aut malum iudicamus.* Palaus vero tom.1. tract.1.disput.1. punct.1.ait: *Est dictamen rationis iudicans aliquid esse sequendum, aut fugiendum*; cui Contonius, Busembaum, & Laymam consentiunt. Tapia loc. supra cit. lib.1. quæst.8. art.1. §.2. similiter loquitur. Est dictamen intellectus practici præscribens, quid sit agendum. Ioannes à Sanct.Thoma disp.22.inquit: *Conscientia est actus intellectus, quo quis applicat suam scientiam practicam, seu dictamen rationis ad aliquid agendum.* Contenson specu.1. quæres 1. pag.549. ita ait: *Est actus intellectus practici ex principijs synderesis deducens conclusionem syllogismi prudentialis dictans hic, & nunc quæ*

Relatis varijs conscientiæ diffinitionibus, tradita à D.Th. explicatur.

quæ agenda sunt. Palancus tom. de conscientia, quæst. 1. §. 3. sic eam definit: *Est actus intellectus, quo quis applicat suam scientiam universalem de honestate, vel inhonestate operis ad opus singulare proprium.* Sed quia omnes istæ definitiones in idem fere conveniunt, & aliàs plures ex illis continent aliquas particulas redundantes, & superfluas, ideo aliam tradam ex D. Thom. quæ paucis verbis sic explicat totam illius essentiam: *Conscientia est dictamen rationis applicatum ad opus.* Quæ sic breviter explicatur. Dicitur *dictamen rationis*, ad innuendum esse actum iudicij intellectus practici; additur; *applicatum ad opus*, ad significandum iudicare de opere, quod vel hic, & nunc est fugiendum, vel amplectendum. D. Thomam sequuntur S. Bonavent. in 2. dist. 39. quæst. 2. num. 7. D. Antoninus part. 1. tit. 3. cap. 10. Capreolus dist. 39. quæst. 1. concluf. 2. Caspensis tract. 11. disp. 1. num. 4. Malderus tract. de conscientia, disp. 82. concluf. 5. Mont. disp. 29. quæst. 1. N. Salmant. Scholast. tom. 3. in arbore prædicamentali, §. 5. num. 28. in fine. Caramuel in Theolog. Mor. tract. 3. in proœmio. Villalobos in Summa tract. 1. num. 1. Escobar in Theolog. Mor. lib. 2. sect. 1. Bardi disput. 1. num. 4. & Gonet de conscientia, tom. 3. artic. 1.

Apud aliquos conscientia non est actus, sed habitus, aut potentia.

3 Sed inquires primò: an conscientia se habeat per modum actus, an vero per modum potentiæ, aut habitus? Esse habitum tenent Gabriel in 2. distinct. 39. quæst. 1. artic. 2. concluf. 5. & 6. Scotus ibi quæst. 1. §. *Ad quæstiones istas.* Cordub. lib. 3. quæst. 1. Durandus in 2. dist. 39. quæst. 4. & ibi D. Bonavent. & D. Antonin. citati à Lorca disp. 36. asserunt esse potentiam. Pro eaque potest argui primò ex D. Hier. qui super illa verba Ezech. 1. *Quatuor facies vni*, vocat conscientiam synderesim; sed synderesis est habitus principiorum operabilium: ergo conscientia est habitus. Secundò: conscientia habet plures actus, scilicèt obligare, testificari, & alios quos infra dicemus: ergo ipsa non est actus, sed habitus. Tertiò: conscientia manet in dormientibus; sed tunc non est actus, qui sit conscientia: ergo &c. Quartò: si conscientia non esset habitus sequeretur primò, quod, qui est in peccato mortali habituali, dicendus esset homo bonæ conscientiæ, quando exercet bona opera moralia, cum pro illo tunc habeat dictamen bonum; sed hoc est falsum: ergo &c. Secundò: quod nullus operaretur contra propriam conscientiam, quandoquidem qui operatur contra conscientiam propriam, operatur ex proprio iudicio, & electione: ergo, si conscientia est proprium iudicium, nunquam operari poterit contra propriam conscientiam.

Certius est conscientiam esse actum.

4 Secunda sententia asserit, conscientiam non esse potentiam, sed actum. Ita expresè D. Thom. tam quæst. 17. de veritate, artic. 1. quàm 1. part. quæst. 79. artic. 13. Probaturque primò: auctoritate simul & ratione ibi adducta à D. Thoma: *Conscientia deponi potest, non autem potentia: ergo conscientia non est potentia.* Rursus: *Conscientia importat ordinem scientiæ ad aliquid: nam conscientia dicitur cum alio scientia; applicatio autem scientiæ ad aliquid fit per aliquem actum: ergo ex ratione nominis patet, quod conscientia sit actus.* Secundò: conscientia non est habitus, innatus, acquisitus, aut infusus à Deo: ergo est actus. Probatur antecedens, quoad omnes partes. Quoad primam quidem: nam conscientia potest deponi, habitus vero naturalis est invariabilis. Quoad secundam etiam liquet; tum: quia habitibus non sumus laude digni, bene tamen propter bonam conscientiam. Tum: quia habitus generantur per actus, conscientia vero vnico actu formatur, & supponitur, vt regula mensurans omnes hominis actus. Tertia denique pars etiam patet. Alias nulla conscientia esset mala, & erronea, cum Deus infundat habitus supernaturales, & nequeat esse causa erroris: ergo nullo modo conscientia est habitus innatus, acquisitus, aut infusus: ergo cum alias non sit potentia, sequitur debere esse actum. Vnde D. Thomam sequuntur eius discipuli, vt Cornejo, Montesinos, Gonet, Palanco, & alij supra relati, cui etiam nos libenter adhæremus.

Solutio argumentorum

5 Ad primùm argumentum respondet D. Thom. vbi supra, conscientiam denominari synderesim. Et reddit rationem, *consuetum enim est, quod causæ, & effectus adinvicem nominentur.* ¶ Ad secundùm dicimus, conscientiam non habere plures actus, sed ipsam intransitive esse illos actus per ordinem ad diversa obiecta: nam conscientia respective ad opus faciendum dicitur obligare; respective ad opus factum dicitur testificare; vnde non sequitur, quod habeat illos actus, sicut potentia, aut habitus illos continet. ¶ Ad tertiùm respondetur, conscientiam manere in dormientibus, eo modo quo alij actus manent; & quia alij, si non retractentur, dicuntur manere moraliter in illis; ita dicimus manere conscientiam, & denominare hominem bonæ, aut malæ conscientiæ. Videatur D. Thom. loc. citat. ad 3. ¶ Ad quartùm, negatur antecedens, & ad eius primam probationem dicimus; quod licèt existens in peccato mortali, exerceat aliquod opus bonum moraliter, compossibile tamen cum illo statu, nequit dici homo bonæ conscientiæ simpliciter, sed tantum secundumquid; cum re vera perseveret in illo actuale dictamen pravum de opere mortaliter peccaminoso. Ad secundam etiam liquet: quia estò voluntas non possit libere operari, quin sit conformiter ad aliquam conscientiam; tamen operari potest iuxta conscientiam pravam, & contra conscientiam rectam; hoc est iudicando præferendum esse bonum delectabile bono honesto, quod conscientia recta dictabat esse præponendum: quare licèt non operetur contra aliquam conscientiam pravam, operatur tamen contra conscientiam rectam, quæ semper clamat: Non tibi licèt hoc facere.

Ad quam potentiam pertineat conscientia.

6 Supposito ergo, conscientiam esse actum, & non habitum, aut potentiam; adhuc inquires secundò, an iste actus pertineat ad intellectum, an verò ad voluntatem? Circa quam difficultatem duplex etiam versatur sententia. Prima tenet esse actum voluntatis. Primò: quia 1. ad Thimoth. cap. 1. dicitur: *De corde puro, & conscientia bona.* Et ad Hebræos

bræos 9. *Sanguis Christi emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Et ad Titum 1.dicitur: *Inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia.* Sed bonum, & malum pertinet ad voluntatem: ergo conscientia est actus voluntatis. ¶ Secundò: quia, vt supra diximus conscientia est applicatio, seu vsus scientiæ practicæ vniversalis ad aliquam particularem operationem; sed vsus iuxta D. Thom. 1.2.quæst.16.est actus voluntatis: ergo & conscientia. ¶ Tertiò: proprium obiectum, & munus conscientiæ est inclinare in bonum, & avertere à malo, sed bonum, & malum à sola voluntate respicitur: ergo &c. ¶ Quartò: si conscientia esset actus intellectus, sequeretur, quod qui haberet meliorem cognitionem, gauderet meliori conscientia: hoc est absolute falsum: ergo conscientia est tantum actus voluntatis. Sic sentit Henricus quodlib.1. quæst.18. & ex parte Durandus docens in 2.dist.39.num. 11. ex æquo ad intellectum, & voluntatem pertinere.

Eligitur vera sententia.

7 Sed alij melius tenent, conscientiam esse actum intellectus. Quod ostenditur 1. ex authoritate S. Scripturæ, & SS. Patrum. Nam 2. ad Chorinth.cap.1. vers.12. dicitur: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Et ad Romanos 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Vbi D. Ambros. Chrysostomus, Theofil. & D. Thom. nomine fidei conscientiam legunt. Denique ex Ecclesiastès cap.7. vers.23. *Scit conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs.* Sed testificare, scire, &c. sunt actus intellectus: ergo & conscientia. Ex Patribus etiam ostenditur. Nam D. Basilius vocat eam: *Naturale iudicatorium animæ.* Chrysostomus: *Testem fidelissimum.* Similiter loquitur D. Augustin. in Psalm. 37. & alij videndi apud Cornel.Alapid. in cap.26. Levitic. vers.36. Sed iustificare, & iudicare sunt actus intellectus: ergo &c. Deinde probatur à ratione. Quia conscientia dicitur vera, erronea, & probabilis; sed error, scientia, & opinio pertinent ad intellectum: ergo etiam conscientia. Tum etiam conscientia dicitur à *conscire*, & eius munera sunt testificari, iudicare, redarguere, & reprehendere; sed hæc dicunt cognitionem: ergo eius essentia in actu cognoscitivo consistit. Sic sentiunt D.Thom. 1.part. quæst. 79. art.13. & Scholastici omnes tam in 1. 2. quæst.19. quàm in 2. dist.39. specialiter D.Bonavent.Scotus, Ricardus, Gabriel; & in 1.2. Lorca disput.26. Ioannes à Sanct.Thom.disp. 22. Montesinos disput.29.Gonet, & alij. Et ex Moralistis Sanchez in Summa, lib. 1. cap. 9. num.1. Tapia quæst.8.art.1.§.1. num.1. Escobar lib.2.sect.1. Villalobos tom.1.diffic.1.Cotonius lib.1.controv.5.cap.1. num.5. Layman tom. 1. cap. 2. Caramuel lib.3. in proœmio. Gordon.lib.1.quæst.9.cap.2.num.7.& alij.

Solutio argumentorũ.

8 Ad primùm dicimus, conscientiam appellari bonam, & malam regulativè, eo modo quo etiam intellectus practicus dicitur bonus in Psalm.110.*Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Quia regulat opera bona; cum ergo conscientia sit actus intellectus practici, idem de ea dicitur. ¶ Ad secundùm respondetur, conscientiam non esse vsum formaliter, sed applicationem regulativam, hoc est, in quantum format aliquod dictamen particulare iuxta regulas scientiæ vniversalis, seu synderesis; sicut illatio conclusionis ex præmissis in speculativis est applicatio principiorum ad conclusiones, & tamen non dicitur vsus voluntatis; sed quædam illatio intellectus. Sic similiter accidit in practicis, nam hæc applicatio practica formando dictamen de eo, quod in particulari agendum est, non est vsus voluntatis; sed quidam actus intellectus applicans principia vniversalia ad aliquod opus particulare, qui nomine abstracto dicitur conscientia. ¶ Ad tertiùm dicitur, non esse munus, aut obiectum conscientiæ bonum, vt bonum, sed sub ratione veri practici, vt docuit D. Thom.1.part. quæst.79. art.11. ad 2. Sub quo munere non pertinet ad voluntatem. ¶ Ad vltimùm conceditur sequela, si procedat de scientia practica, non vero si sit de speculativa: quare si aliqui sunt viri docti in moralibus, & alias vitiosi; licèt abundent scientia speculativa, carent tamen practica, quæ est ipsa conscientia, & sic practice errant.

PUNCT. II.

Quotuplex sit conscientia?

Prima conscientiæ divisio in rectã, & erroneam

9 POstquam conscientiæ essentiam explicuimus, eiusque definitionem, & cuius sit potentiæ actus, tradidimus; rectus ordo postulat, vt ad eius divisionem aperiendam, hic gradum faciamus. Primò ergo dividitur conscientia ex parte obiecti in rectam, & erroneam; recta est, quæ per verum syllogismum ex principijs practicis recte applicatis veram sententiam concludit, vt *præceptum Divinum servandum est; sed datur præceptum Divinum de non mentiendo: ergo hoc præceptum servandum est.* Quandoque accidit, quod applicatio principij practici est falsa speculative, sed practice vera; & tunc conscientia etiam est recta; vt liquet in exemplo Jacob accedentis ad Liam, qui tunc sibi hunc discursum, vel formaliter, vel virtualiter efformavit. *Licitum est accedere ad propriam vxorem; sed hæc est mea vxor; vt prudenter iudicare debeo: ergo mihi licitum est nunc ad eam accedere.* ¶ Conscientia erronea illa dicitur, quæ ex falso principio practico falsam deducit conclusionem, vt liquet hoc exemplo. *Omne illicitum non est faciendum; sed iurare est illicitum, iuxta illud Matth.5. Ego autem dico vobis, non iurare omnino: ergo non est iurandum.* Vbi ex falsa intelligentia illius textus concludit sententiam falsam. Hæc conscientia erronea dividitur in *invincibilem*, & *vincibilem*; invincibilis est, cuius error moraliter nullo studio, & diligentia superari potest, & ideò ad nullam culpam imputatur. Vincibilis est, cuius error, studio, & diligentia vitari potuit, ac debuit; quare culpabilis est, & peccat, qui sequendo hanc conscientiam, operatur. Rursus conscientia erronea vincibilis subdividitur in cul-

Conscientia erronea dividitur in vincibilem, invincibilé.

culpabilem ex ignorantia affectata, & culpabilem ex ignorantia crassa, seu supina. Prima est, quando quis errat, quia data opera, & ex consilio ignorare vult, quo liberius, & cum minori remorsu peccet, iuxta illud Psalm. 35. *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Secunda est, quando aliquis errat ex desidia, & maxima negligentia addiscendi ea, quæ debet, & tenetur scire, nihilque curat de ea abigenda: & dicitur crassa, sumpta denominatione ab hominibus crassis, qui valdè desides esse solent. Et magna est differentia in his duabus conscientijs; nam secunda, licèt non totaliter excuset à culpa, tamen aliqualiter diminuit: prima vero illam auget. Sed de his latius postea.

Dividitur vlterius in certam, probabilem, dubiam, & scrupulosam.

10 Secundò dividitur conscientia ex parte actus, seu modi operandi, & dirigendi actiones in *certam*, *probabilem*, *dubiam*, & *scrupulosam*. Conscientia *certa* est, quæ dictat sine formidine aliqua, aliquid esse faciendum, & fugiendum, & hæc invenitur tam in recta, quàm in erronea, & sic non constituit speciem distinctam. Conscientia *probabilis* est, quæ assentitur vni parti cum formidine alterius; vt cum quis ita existimat vnam partem esse veram, vt tamen habeat timorem, ne contraria vera esse possit; quia ratio ob quam vni parti adhæret, tantum probabilis est, & non omnino certa. Conscientia *dubia* ea est, quæ perpensis rationibus vtriusque partis, nec assentitur alicui ex illis, nec dissentit, sed anceps, & in ambiguo manet; si vero in aliquam partem magis se inflectat, cum tamen non ei assentiatur, erit suspicio. Conscientia *scrupulosa* est, quæ vni parti adhæret cum formidine partis contrariæ orta tamen ex levibus motivis, & rationibus. An autem tam conscientia dubia, quàm scrupulosa vera conscientia sit? Variant Authores, negantes aliqui, quia illæ non important iudicium, & dictamen rationis: affirmantes vero alij, quia in eis cognoscunt iudicium saltem de dubietate assensus. Videantur Ferre, Palanco, & alij Scholastici. Dicta his duobus numeris tenent Azor tom. 1. Instit. moral. lib. 2. cap. 8. quæst. 1. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 2. & lib. 1. in Decalog. cap. 9. à num. 1. Ioan. Sanchez in suis Select. disp. 41. num. 2. Bonacin. tom. 2. disp. 2. quæst. 4. punct. 6. Sayro lib. 1. cap. 3. Filluc. tract. 21. cap. 4. num. 115. Tapia lib. 1. cap. 8. §. 1. Palaus tract. 1. disput. 1. punct. 1. num. 2. Bardi lib. 1. de conscient. cap. 7. & alij.

Qualiter definiatur opinio, dubiũ, & scrupulus, & quomodo inter se differant.

11 Ex quibus constat iam, quid sint, & qualiter diffinienda sunt opinio probabilis, dubium, & scrupulus. Opinio enim est, *assensus vnius partis cum formidine alterius oppositæ.* Dubium vero est, *suspensio assensus circa obiectum apprehensum.* Scrupulus denique est, *inanis apprehensio, seu suspicio ex levi motivo orta de eo, quod sit malum, quod re vera non est.* Similiter etiam liquet differentia inter dubium, suspicionem, scrupulum, & opinionem; nam dubium excludit assensum vtriusque partis, & suspicio, licèt etiam excludat illum, tamen magis flectitur in vnam, quam in alteram: at opinio assentitur determinate vni parti, licèt cum formidine veritatis alterius: scrupulus autem convenit cum opinione in eo, quod habet assensum vnius partis, sed tamen differt in eo, quod ex levi fundamento circa illam ambigit, & est nutabundus; v.gr. aliquis scit non esse peccatum spuere in Ecclesia, tamen ex levissimo fundamento cogitur aliquantulum dubitare, an sit peccatum, & hæc ambiguitas ita crescere solet, vt inducat hominem ad omittendum, quod facere tenetur. Vnde iam patet quomodo differat scrupus ab opinione.

Probatur rectitudo divisionis conscientiæ.

12 Denique etiam constat, divisionem conscientiæ supra traditam esse rectam. Et ratio est, quia tunc divisio est recta, quando membra dividentia ita adæquant divisum, vt illud non excedant; sed talis est prædicta divisio: ergo est recta. Probatur minor. Nam tot sunt membra, & species conscientiæ, quot sunt modi tendendi ad obiectum, sed conscientia solum potest tendere ad suum obiectum, vel certò, aut falsò, vel probabiliter, vel dubie, aut scrupulosè: ergo tot tantum erunt species, & divisiones conscientiæ: ergo conscientia adæquate dividitur in certam, falsam, seu erroneam, probabilem, dubiam, aut scrupulosam. Scio contra hanc divisionem esse aliqua argumenta; sed quia parum momenti sunt, & eius solutio est propriæ Theologiæ Scholasticæ, ideò ad Scholasticos remittimus lectorem.

Triplex est actus conscientiæ testificari, ligare, & accusare.

13 Inquires tamen hic, quot sint actus conscientiæ? Respondetur ex D. Thoma 1. part. quæst. 79. art. 13. & 1. 2. quæst. 19. art. 13. in corpore, quod, cum conscientia sit applicatio nostræ cognitionis, vel scientiæ ad ea, quæ agimus, iuxta triplicem applicationem eiusdem cognitionis, vel scientiæ, triplex illius assignatur actus. Nam si primò applicamus cognitionem ad ea, quæ fecimus, vel facere omisimus, tunc conscientia dicitur *testificari*, iuxta illud ad Romanos 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et Eccles. 7. *Scit conscientia tua, te crebro maledixisse alijs.* Si vero secundo applicamus cognitionem, vel scientiam ad ea, quæ facienda, vel omittenda sunt, dicitur conscientia *ligare*, vel *instigare*: vnde sicut, qui ligatus est, non potest ad alium locum diverti, sic ita ligat conscientia voluntatem nostram ad operandum, vel non operandum, vt contra eius dictamen sine peccato operari non possit; & ita intelligitur, iuxta communem Patrum sententiam, illud ad Roman. 14. *Omne, quod non est ex fide* (id est ex conscientia) *peccatum est.* Si autem tertiò applicetur cognitio secundumquod per conscientiam iudicamus, quod aliquid, quod est factum, sit benè, aut non benè factum; tunc conscientia dicitur *excusare*, *vel accusare*, *seu remordere*: iuxta illud ad Romanos 2. *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, vel etiam defendentibus.* ¶ Nec hic infertur, quod hic triplex conscientiæ actus ab ipsa tanquam ab habitu proveniat; quia isti actus non sunt quid distinctum ab ipsa conscientia, sed quilibet ex ipsis est intransitive ipsa conscientia, quæ per ordinem ad diversa obiecta, his diversis nominibus nuncupatur. Videantur à nobis dicta in hoc tract. cap. 3. punct. 1. num. 5. ad 2. & N. Salmantic.

Scho-

Scholastici tom.3. in Arbore virtutum, num. 28.in fine. Caiet.in 1.2.D.Thomæ artic.13.

CAPUT IV.

De conscientia recta.

TRaditis ergo, quæ circa essentiam, & divisionem conscientiæ in communi, institutum morale concernunt, rectus ordo exigit, quod de conscientijs in particulari discutiamus. Sed quia, quæ primùm nobis se offert, est conscientia recta, cuius essentiam Puncto antecedenti tradidimus, ideò eius natura supposita, ad differendas aliquas difficultates, quæ circa illam controvertuntur, calamum applicabimus. Caput hoc continet tria Puncta.

Punct. I. *Vtrùm peccet, qui agit contra conscientiam rectam?*

Punct. II. *An qui agit contra conscientiam rectam dictantem aliquid esse malum, peccet mortaliter, an venialiter?*

Punct. III. *Vtrùm teneamur ex præcepto naturali conformari conscientiæ rectæ, & an hoc præceptum sit à Deo dispensabile?*

PUNCTUM I.

Vtrùm peccet, qui agit contra conscientiam rectam?

Conscientia potest dictare per modum præcepti, & per modum cõsilij.

1 PRo decisione eorum, quæ dicenda sunt, supponimus primò, dupliciter posse conscientiam rectam dictare aliquid esse bonum. Primò per modum præcepti; & secundò per modum consilij: si hoc modo dictet, certum est non obligare (& idem dicimus, si dictaret aliquid, quod sit indifferens in sententia illorum, qui concedunt actus indifferentes in individuo) quod ex se patet, cum consilium solum respiciat, quæ in via salutis perfectionem dicunt, non vero ea, quæ ad illam absolute necessaria sunt. Quare in hoc differunt bonum, & malum in ordine ad conscientiam, quod bonum potest ab ea dictari & sub præcepto, & sub consilio; sed malum morale semper dictatur sub præcepto vt prohibitum, & consequenter vt fugiendum. Vnde solum vertitur difficultatis cardo circa conscientiam rectam, quando aliquid bonum dictat sub præcepto, an tunc absque aliqua labe peccati liceat contra illam agere?

Qui agit cõtra conscientiam rectã, peccat.

2 Ad quæsitum ergo respondetur, conscientiam rectam obligare taliter, quod, qui ageret contra illam, vel illius ductum non sequeretur, abs dubio peccaret. Ita Divus Thomas 1.2.quæst.19. artic.5. & 6. & ibi eius Expositores maximè Ioannes à Sancto Thoma quæst.12.artic.2. N. Cornejo tract.7. disput.2. dub.5. Montesinos disput.19. quæst.2. Martinez quæst.19. dub.1. Suarez disput.12. sect.3. & 4. Gordonius lib.1.quæst.9.num.14. Corduba lib.3. per multa capita, maximè quæst.5. Navarrus cap. *Siquis autem, de Pœnitent.* disp. 7. & alij. Probaturque primò, ex illo Pauli ad Rom.14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Quem locum, licèt D. Augustin.4. contra Iulianum, cap.3. D. Hieronymus, & Beda intelligant de fide infusa; tamen non negant, accipi posse pro conscientia: & sic illum locum interpretantur alij Sancti Patres, præsertim D. Bernardus *lib.de præcepto, & dispensatione*; quem sequuntur Innocentius III. *cap. vltim. de præscriptionibus. Et cap. Litteras, de restitutione spoliatorum.* Sed omnibus clarius prædictum textum explicat D.Thom. in quæst.17. de veritate, artic.3.in argumento; *sed contra*: his verbis. *Secundò per illud ad Roman.* 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est &c. dicit Origines. Vult Apostol. vt nihil dicam, vel cogitem, nihil agam, nisi secundum conscientiam*: ergo conscientia ligat. Tunc sic: ergo ex hoc textu D. Paul. sequitur quod, qui agit contra conscientiæ rectæ dictamen, peccatum committat. Probatur secundò à ratione. Agere contra legem æternam, est peccatum: ergo etiam erit agere contra conscientiam rectam. Patet consequentia: ideò agere contra legem æternam est peccatum, quia est regula remota, licèt prima totius actus moralis; sed conscientia recta est regula proxima illius, taliter quod si lex æterna per conscientiam non proponatur voluntati, non obligat: ergo multo magis erit peccatum agere contra conscientiam rectam, & propriam. Quare dixit Cicero: *Viro bono fixum in vita est, transversum vnguem à recta conscientia non discedere.*

Agere contra conscientiam esse distinctũ peccatum ab eo quod est cõtra legẽ aliqui sentiũt.

3 Sed inquires: an agere contra conscientiam rectam sit speciale peccatum distinctum ab eo, quod contra legem, vel præceptum committitur? Angestus in moralibus cap.7. dub.3. asserit, quod, licèt agere contra conscientiam erroneam, non sit duplex peccatum, tamen, qui agit contra conscientiam rectam, duplex committit peccatum; v. gr. quando conscientia dictat non mentiri, si agat contra illam, & committit vnum peccatum contra dictamen conscientiæ, & aliud contra virtutem veracitatis. Idem sentit Adrianus in 4. de Sacramento Confessionis quæst. 4. Et vnicum fundamentum huius sententiæ sic se habet. Qui agit contra duplex præceptum specie diversum, duplex committit peccatum; sed qui agit contra conscientiam dictantem de non mentiendo, agit contra duplex præceptum specie distinctum, scilicèt contra præceptum naturale non discordandi à propria conscientia, & præceptum

tum ſpeciale non mentiendi, quæ ex ſe ſunt ſpecie diverſa: ergo agit contra duplex præceptum ſpecie diverſum, & conſequenter duplex committit peccatum.

Non committit ſpeciale peccatũ, qui agit contra rectam conſcientiã.

4 Secunda, & verior, communiſque ſententia tenet, non eſſe ſpeciale peccatum agere contra conſcientiam rectam; & conſequenter eum, qui in die ieiunij, non ieiunat, minimè committere duplex peccatum, alterum contra conſcientiam dictantem ieiunium, & alterum contra legem illud præcipientem. Sic tenent D.Thom.2.2.quæſt.19. artic.5. ad 3. Valentia diſput.2.quæſt.14.punct.4.dub.2. Vazquez diſput.53.cap.3. Medina loc. D.Thom.cit.artic. 6. Sayrus cap.4.num.21. Corduba lib.3.quæſt. 4.dub.1. Azor lib.2.cap.8. quæſt.4. Ioannes à Sanct.Thom.1.2. diſput.12. artic.2. Cornejo diſput.2.dub.5. Monteſinos diſput.29.quæſt.2. num.22.& alij. Et ſuadetur. Nam intimatio legis non eſt lex diſtincta ab ea, quæ intimatur, ſed potius quid pertinens ad illam,vt eius complementum: cum nulla lex habeat vim obligandi abſque promulgatione; ſed conſcientia recta eſt intimatio legis æternæ, cum lex æterna non aliter intimetur voluntati, quam medio dictamine practico rationis: ergo conſcientia non eſt lex diſtincta ab ea, quæ aliquem particularem actum præcipit: ergo agens contra conſcientiam rectam non committit duplex peccatum, & conſequenter corruit fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Confirmatur primò. Nam vt dicunt N.Salmant.Moral. tom.4.tract. 15.cap.6.num.106.punct.10.& nos infra latius agemus. Multiplicitas legum, & præceptorum circa eandem materiam, vel circa eundem actum virtutis non multiplicant peccata, quando procedunt ex eodem motivo; & ſic, eſtò furtum ſit prohibitum lege naturali, divina, & humana, ſolum eſt vnicum peccatum; ſimiliter, ſi vigilia alicuius ſancti die veneris in quadrageſima cadat, daretur tunc triplex præceptum abſtinendi à carnibus, & tamen vnicum eſſet peccatum, veſci eo die carnibus: ergo, eſtò conſcientia eſſet lex diſtincta ab alijs, quia tamen ſub eodem motivo præcipit, non erit ſpeciale peccatum contra illam agere. ¶ Secundò: lex, & conſcientia ſunt ſibi ſubordinata: ergo ſicut ob hanc ſubordinationem lex, & præceptum Magiſtratus non multiplicant peccata, ita lex, & conſcientia. ¶ Tertiò: quando aliquis agit contra aliquam legem vniverſalem imbibitam tamen in particulari, non committit duplex peccatum, ſed vnicum (niſi expreſsè intendat agere cõtra illam legem vniverſalem) vt liquet in eo, qui Eccleſiæ ieiunium frangit; hic enim licèt operetur contra legem naturalem dictantem eſſe obediendum Superiori legitimè præcipienti, & contra legem particularem ieiunij; tamen, quia illa lex vt ſuperior imbibitur in iſta inferiori, non committit duplex peccatum: ſed qui in eodem caſu ieiunij agit contra conſcientiam rectam, operatur contra duplicem legem, alteram vniverſalem dictantem ſequendam eſſe rectam conſcientiam, alteram particularem præcipientem ieiunium: ergo ſicut in primo caſu, qui violat duplex præceptum, non committit duplex peccatum, nec etiam in ſecundo. Per quod liquet ad fundamentum ſententiæ contrariæ.

Non oppo nitur ſpeciali virtuti agere contra conſcientiam.

5 Sed adhuc inquires, cui virtuti opponatur hoc, quod eſt agere contra propriam, & rectam conſcientiam? Reſpondetur ex D. Thom.1.2.quæſt.19.artic.5. ad 3. vbi ſic ait ſimili quæſito: *Ad tertium dicendum, quod ratio quando apprehendit aliquid vt malum, ſemper apprehendit illud ſub aliqua ratione malitiæ puta quia contrariatur divino præcepto: vel quia eſt ſcandalum, vel propter aliquod huiuſmodi, & tunc ad talem ſpeciem malitiæ, reducitur talis voluntas.* Vnde qui operatur contra conſcientiam dictantem non furandum, peccat peccato oppoſito virtuti iuſtitiæ, & ſic de reliquis. Et ratio eſt, quàm ſupra tetigimus: quia agere contra propriam conſcientiam eſt ratio generalis imbibita in omnibus peccatis; & ratio generalis, & tranſcendens per omnia peccata non conſtituit peculiarem malitiæ ſpeciem; vt optimè explicant Salmantic.Scholaſt. loquendo de conceptu iniuſtitiæ contra Deum repertæ in omni peccato, tom.9.tract.21.diſp. 1.dub.1.num.11. ergo cum agere contra conſcientiam ſit circunſtantia tranſcendens per omnia peccata,non debet conſtituere particularem ſpeciem malitiæ. Verum tamen eſt, quod iſtæ circunſtantiæ generales ſolent præſtare actui particularem ſpeciem malitiæ; ſed hoc ſolum eſt, quando ſunt per ſe volitæ ex parte obiecti; vt ſiquis frangat præceptum, v. gr. miſericordiæ, vt Deo neget obedientiam debitam; tunc enim iſte actus vltra malitiam impietatis, continet etiam inobedientiæ. Et hoc etiam dicimus in noſtro caſu, quod ſi quis furatur v. gr. expreſsè intendens agere in hoc contra conſcientiam, tunc committeret duplex peccatum, & iniuſtitiæ, & inobedientiæ, vt colligitur ex D.Thom. 2.2. quæſt.56.artic.2. & quæſt.164. artic.2.ad 1. Sed hic modus operandi cum ſimili reflexione rariſsimè accidit; & ita agere contra conſcientiam rectam communiter vnicam malitiam importat oppoſitam virtuti, cui opponitur obiectum, circa quod verſatur talis actus.

PUNCT. II.

An qui agit contra conſcientiam rectam dictantem aliquid eſſe malum, peccet mortaliter, aut venialiter?

Prima ſententia defendit eſſe mortale.

6 HUic dubio ſub diſtinctione reſpondendum eſt. Quia vel conſcientia dictat, eſſe peccatum mortale, aut veniale; vel tantum dictat, eſſe peccatum; ſi primum certum eſt, quod agere contra conſcientiam, erit vel mortale, vel veniale, ſicut in ipſa conſcientia repræſentatur. Si ſecundum, in eius reſolutione variant Authores; aliqui enim ſentiunt eſſe mortale. Et eorum fundamentum eſt: quia, qui vult malum cum ignorantia an ſit grave, vel leve, exponit ſe periculo peccandi mortaliter; ſed, qui ſciens, & volens exponit ſe

se periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter: ergo est peccatum mortale agere contra conscientiam dictantem, aliquid esse malum, & peccatum, sine determinatione an sit mortale, aut veniale. Ita Vazquez disput.59.cap.3. Zumel 1.2.quæst.74.artic.8.Sayrus cap.4.num. 17. Rodriguez in Summa, part.1.cap.71.conclus.4. Sanchez in Summa, tom.1.cap.1.num. 9.& cap.11. num.6. Azor 1.part. lib.2. cap.8. dub.6. Montesinos disput.29.quæst.2.num.29. Bonacina disput.2. quæst.4. punct.6. num.22. Ioannes à Sanct.Thoma disput.12. artic.2. fol. mihi 722.pag.2.in fine. Et idem diximus tract. 17.cap.2.num.155. de eo qui iurat sine cautela, an sit verum, vel falsum, quod iurat. ¶ Alij vero tenent in prædicto casu solum esse veniale agere contra conscientiam. Sic Valentia 1.2. quæst.14.disput.2.dub.4.num. *sed quid.* Franciscus de Lugo citatus à Bardi tract. de conscientia, cap.8.num.2.in Theolog.Moral.cap.1. quæst.2. conclus.2. Lopez 1.part. instructorij conscientiæ, cap. 3. Sapientissimus Navarr. tom.3.prælud.9. num.9. fol.18. qui sic probat suam sententiam. Nam vt ait Baldus leg.1. ff. de Senator. *In causato non potest esse plus virtutis, quam in id potentia causæ infundat. Pro quo facit cap.Licèt ex quadam de testibus; & conscientia, quod aliquid sit veniale, vel simpliciter peccatum, non infundit in id gravitatem lethalem, quam non habet.* Quæ ratio in forma sic proponi potest. Nequit actus esse gravior, quam est obiectum illius; sed obiectum præscindens à malitia mortali, & veniali, non continet malitiam mortalem, sed ad summum venialem: ergo actus, tendens ad illud, solum erit peccatum veniale,& non determinate mortale. Minor difficilis sic ostenditur. Malitia præscindens à mortali, & veniali, essentialiter includit malitiam venialem, cum debeat esse malitia competens veniali, & mortali: ergo non continet determinate malitiam mortalem: ergo voluntas tendens contra dictamen rationis sic illam proponens, adhuc est intra limites venialis.

Tertia sententia procedit cum distinctione.

7 Tertia denique sententia sic distinguit. Vel ille, qui agit contra prædictam conscientiam dictantem, esse peccatum, sufficientem diligentiam adhibet ad inquirendum, an sit mortale, aut veniale; vel omissa tali diligentia operatur contra conscientiam? Si secundum: tenet cum prima sententia, tunc peccare mortaliter; quia temere exponitur proximo periculo, & evidenti peccandi mortaliter, & qui amat periculum, peribit in illo. Si autem secundo modo operetur, censet, esse veram sententiam secundam, & non ob rationem illius, sed quia eo ipso, quod sufficientem adhibeat curam, & adhuc ignoret, an sit determinate mortale, aut veniale, est sufficiens fundamentum ad iudicandum esse tantum veniale. Et ratio est, quia vbi agitur de obligatione, & de pœnis, iuxta regulam iuris, mitior pars est eligenda; sed hic agitur de obligatione, & pœnis: ergo, vbi non constat esse mortale, veniale peccatum reputandum certo est. Sic expresse docent Salas tract.8.disput.vnica,sect.3. num. 33. Ludovicus Lopez 1. part. instruct. conscient.cap.3.corolar. *Ex quo sequitur*, post tertiam conclusionem.

8 Sed ex his sententijs omnino tenenda est prima cum nostris Salmant.Scholast. tom.4. disput.10.dub.4.§.4. à num.160. Et vltra rationem allatam, insuper ostenditur. Nam qui ita operatur contra conscientiam virtualiter, & ex vi operandi amplectitur omnem malitiam, quæ attenta illa cognitione potest in obiecto reperiri, & quæ positive non excluditur per illam; sed ex vi cognitionis potest in obiecto reperiri malitia mortalis: ergo ex modo operandi illam etiam amplectitur. Deinde, qui scit se posse in operando deficere, tenetur facere, quod in se est ad evitandum talem defectum; alias illi imputabitur: ergo qui operatur contra conscientiam dictantem, aliquid esse peccatum cum ignorantia gravitatis, vel levitatis illius,non facit quantum potest, & tenetur: ergo temere, & imprudenter operatur exponendo se periculo peccati mortalis, & quantum est ex parte affectus, malitiam mortalem amplectitur. ¶ Per quod liquet ad argumentum tertiæ sententiæ; si enim adhuc post sufficientem diligentiam manet dubius, & incertus de quantitate malitiæ, & operatur contra conscientiam, adhuc etiam tunc exponit se periculo graviter peccandi; sed ob hanc rationem, si ante diligentiam adhibitam operaretur, peccaret: ergo etiam peccat, si operaretur post illam, imò & gravius, quia reflexe operatur contra conscientiam de opere illicito, & post sufficientem diligentiam non cognito determinate vt veniali. ¶ Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur: sub malitia in communi non minus contineri mortalem malitiam, quam venialem: ergo nulla est ratio, cur potius actus tendens in illam sit præcisè venialis, & non mortalis; imò potior ratio est vt sit mortalis, quia sic operans, illam, vt diximus, virtualiter vult, & amplectitur.

Esse peccatum mortale amplectimur cũ prima sententia, & respondetur cõtrarijs argumentis.

Volo agere in omnibus contra conscientiam nõ importare speciem determinatam malitiæ, tenent aliqui-

9 Vlterius rogabis. Quale peccatum sit, & in qua specie, hic actus, *volo agere in omnibus contra conscientiam*? Vazquez disput.59. cap.3. & Valentia quæst.14. disput.2. punct.4. quæstiunc. 2. sentiunt huiusmodi peccatum non esse in aliqua specie determinata. Nam (Valentiæ fol.279. col.1. verba transcribo) cum genus morale totum contineatur respectu quodam ad hominis voluntatem: sicut potest fieri voluntate humana, vt species morales disparatæ, & diversæ coniungantur in eodem actu, ita videtur, voluntate humana fieri posse, vt nulla species determinata addatur ad communem rationem, in qua conveniunt omnia peccata: & in responsione ad primum dicit: Non est necesse, vt omnis actus malus moraliter sit in aliqua specie mali, vt iam explicatum est. ¶ Sed hæc ratio omnino falsa est: nam impossibile est, esse aliquod individuum contentum sub genere physico, & quod non sit determinate sub aliqua specie: ergo etiam impossibile est in moralibus; cum genus morale, quid reale etiam sit.

Talem actũ cõtinere speciem determinatã malitiæ, verius est.

10 Vnde melius respondetur cum Azorio quæst.6.cap.8. Montesinos num.26.& N.Cornejo num.9. Talem actum esse vnicum peccatum, & consequenter habere determinatam speciem malitiæ. Et ratio est. Quia, estò obiectum sit vniversale, & commune; modus ta-

tamen tendendi in illud est specialis, quod sufficit ad tribuendam particularem speciem actui: vt liquet his exemplis; nam obiectum sensus communis, est sensibile in communi; obiectum methaphysicæ est ens; obiectum intellectus, & voluntatis sunt verum, & bonum; quæ omnia sunt communia, & analoga; & tamen, quia circa sua obiecta speciali modo tendunt, accipiunt ab eis speciem determinatam: ergo cum hic actus speciali modo, ac reliqua peccata, tendat in obiectum, debet per ordinem ad illud sumere speciem determinatam. Quod insuper ostendi potest exemplo illius actus, quo quis diceret: *Volo in omnibus honeste vivere.* Qui actus, vt dicunt N.Salmant. Scholast.tom.3.tract.11.disput.3. dub.2. à numer. 25. habet determinatam, & specificam bonitatem: ergo similiter actus ille contrarius: *Volo in omnibus inhoneste vivere, seu agere contra dictamen conscientiæ.* Sed dices, cuius habitus vitiosi sit hic actus? Salmant.loc.citat. num.26.negant esse alicuius habitus vitiosi, sicut actum contrarium ad aliquam virtutem pertinere. Vel dic cum D.Thom.in verbis supra allatis, quod qui agit contra propriam conscientiam in aliquo determinato, vel in omni materia, semper ad hoc movetur ex aliquo motivo vtili, aut delectabili; & ex hoc motivo proveniet species, & agnoscetur vitiosus habitus, à quo oritur talis actus.

PUNCT. III.

Vtrùm teneamur ex præcepto naturali, conformari conscientiæ rectæ, & an hoc præceptum sit à Deo dispensabile?

Sequi dictamen conscientiæ est præceptum naturale.

11 POstquam obligationem dictaminis conscientiæ rectæ aperuimus, scire opus est, cuius præcepti sit hæc obligatio; quod breviter resolvimus; dicendo, ex præcepto naturali homines teneri rectæ conscientiæ se conformare. Ita Corduba sect.3.cit. numer.31. contra aliquos; quæ assertio facilè sic suadetur. Nam recta conscientia est ipsa lex naturalis, dictans aliquid esse nobis agendum, vel omittendum: ergo ex præcepto naturali in cordibus nostris impresso tenemur conscientiæ rectæ conformari. Consequentia tenet, & antecedens docet D.Thom.1.2.quæst.71. artic.6. ad 4.his verbis: *Ius naturale continetur primò in lege æterna, secundario vero in naturali iudicatorio rationis humanæ.* Et infra quæst. 91. artic.2. ex eo probat dari in nobis legem naturalem ex impressione legis æternæ, quia datur dictamen, & lumen rationis, discernens quid sit bonum, & prosequendum, quid sit malum, & fugiendum; de quo lumine ait Psalmista: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et explicat D.Thom. *Quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, & quid sit malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit, quam impressio divini luminis in nobis.* Sed hoc dictamen rationis est conscientia, vt supra diximus: ergo conscientia nihil aliud est, quam lex naturalis dictans, quid sit nobis hic, & nunc sequendum, & quid sit fugiendum.

Præceptum Superioris non obligat contra dictamen conscientiæ.

12 Sed hic venit inquirendum, an conscientia propria magis obliget, quam quodlibet humanum præceptum? Huic dubio sic respondet D.Thom. in 2.dist.39. quæst.3. artic.3. *Ad tertium dicendum, quod conscientia obligat non virtute propria, sed virtute præcepti Divini; non enim conscientia dictat aliquid esse faciendum hac ratione, quia sibi videtur, sed hac ratione, quia à Deo præceptum est. Vnde per accidens ex virtute Divini præcepti obligat, in quantum dictat hoc, vt præceptum à Deo; & ideò dictamen conscientiæ plus obligat, quam præceptum Prælati, sicut & præceptum Divinum in cuius virtute ligat.* Ita etiam sentiunt Armilla verbo Conscientia, num.1. & 2. Medina quæst.19.artic.6. ¶ Secunda sententia, quam tenet D.Bonavent. ead.dist. artic.1. quæst.3. ad vltimum ait, quod plus standum est præcepto Prælati, quam conscientiæ, maximè vero, quando Prælatus præcipit id, quod potest, & debet. ¶ Tertia sententia, & media, distinguit inter conscientiam rectam, & erroneam, & ait, quod siquis per conscientiam rectam iudicat, aliquid esse malum, estò adveniat præceptum Superioris, tenetur sequi propriam conscientiam; secus vero, si ista est erronea. Sic D.Antoninus 1.part. tit.3. cap.3. §.10. Sylvester verbo Conscientia, quæst.2. Alexander 1.part.quæst.120. memb.3. artic.2. Gerson alphab.30.lit.Z. ¶ Vazquez vero 1.2. tom.1.disput.61. cap.1. & ex illo Salas tract.8. disput. vnica, sect. 3. quæst. 6. sic distinguunt; nam vel loquimur de conscientia erronea invincibili, vel vincibili. Si loquimur de prima; sentiunt maiorem esse obligationem conscientiæ erroneæ invincibilis, quam præcepti Superioris, & Prælati. Si autem sermo sit de secunda, tenent subijciendam esse propriam conscientiam iudicio, & præcepto Superioris. ¶ Sed his non obstantibus, sequenda est sententia D. Thomæ. Quia, vt ait Montesinos 1.2.disput.29.quæst.3.num.71. Sive conscientia propria dictet, aliquid esse contra legem naturalem, divinam, vel humanam, & hoc dictet, vel recte, aut erroneæ, semper illicitum est operari contra illam; quia, vt ait D. Thom. operaretur contra Dei præceptum, quod maiorem vim habent, quam quodcumque aliud Superioris præceptum. Nam vt dicitur Actor.4. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Licèt nullus Superior creatus possit dispensare in conscientiæ præcepto; iuxta tamen aliquos potest Deus in illo dispensare.

13 Secunda dubij pars quærit, An hoc præceptum naturale conformandi se cum propria conscientia sit à Deo dispensabile? Antequam sententias referamus, supponendum est, obligationem non agendi contra dictamen propriæ conscientiæ, adeò strictam esse, vt à nullo Superiori humano relaxari possit, taliter quod non sit peccatum contra conscientiam agere. Et ratio est, quia cum hoc præceptum sit de iure naturali, & divino absoluto, & non de iure naturali pendente ex prævio consensu humano, à nullo Prælato, & Superiori creato

est dispensabile. Quare difficultas est, an sit à Deo dispensabile ? Prima sententia asserit, posse Deum relaxare obligationem non agendi contra conscientiam, ita vt non sit peccatum contra illam operari. Quod primò probat. Quia agere contra conscientiam, non est agere contra aliam legem, vel præceptum, quam quod per conscientiam propriam proponitur, & sic supra diximus, non esse distinctum peccatum ab eo, quod est contra legem, aut præceptum; sed Deus potest dispensare in alijs præceptis, maximè si non sint decalogi: ergo etiam poterit in hoc quod est contra propriam conscientiam agere. ¶ Secundò. Actus, quo Deus prohibuit homines agere contra conscientiam est illi liber: ergo absolutè potuit illum non prohibere, vel prohibere illum pro isto, & non pro illo, & pro vno tempore, & non pro alio: & sic nunc poterit in illo dispensare. ¶ Tertiò, quia in alijs, quæ sunt de iuræ naturæ potest Deus dispensare: ergo etiam in præcepto non agendi contra conscientiam. Ita sentiunt Almainus tract.3. moral. cap. Andræas de Castronovo relatus à Corduba lib.3. quæst. 10.

Non potest Deus dispensare in præcepto non agendi contra conscientiam.

14 Secunda sententia, & verior, asserit impossibile esse, quod Deus dispenset in præcepto non agendi contra propriam conscientiam. Et ratio prima ea est: quia esto concedamus posse Deum dispensare in præceptis naturalibus (de quo dicam infra in responsione ad tertium argumentum) tamen nequit dispensare in eo, quod non sit peccatum, agere contra propriam conscientiam: ergo hoc præceptum est à Deo indispensabile. Probatur antecedens. Nam propriè dispensare in aliquo præcepto est, vt diximus tom. 3. tract. 11. cap. 4. punct. 3. num. 18. quod manente præcepto, eius obligatio relaxetur; sed Deus nequit facere, quod manente quocumque præcepto, obligatio relaxetur, aut operari contra illud licitum sit: ergo impossibile est, quod manente præcepto conscientiæ veræ, aut erroneæ, sit licitum contra illam operari, seu quod idem est, eius obligatio relaxetur. ¶ Confirmatur, & explicatur. Dispensare in aliquo præcepto, est tollere præceptum respectu alicuius, etsi maneat in sua vi, & obligatione respectu aliorum; sed manente conscientia dictante, aliquid esse vel licitum, vel illicitum, manet præceptum respectu illius, in quo est conscientia, cum ipsa conscientia præceptum naturale sit: ergo est impossibile, quod sit dispensabile præceptum agendi contra conscientiam, in eo, in quo est conscientia. Ulterius, quod dictat conscientia, Deus dictat, & præcepit: ergo agere contra conscientiam, est agere contra id quod Deus præcepit, & quando actualiter præcipit; sed est impossibile, quod sit licitum, & à Deo, agere contra eius præceptum, & quando actualiter præcipit: ergo hoc præceptum non agendi contra conscientiam, non est à Deo dispensabile. Quare hanc sententiam defendunt Vazquez 1.2.quæst.19.disp.61. cap.2. Ioan. à S.Thom. quæst.12.art.2.Cornejo 1.2. circa quæst.71. disp. 2. dub. 4. Montesinos tom.1. disp.29. quæst. 2. num. 30. Corduba lib.3. quæst.10. proposit. 3.

15 Ad primum argumentum respondetur, negando maiorem. Licèt enim agere contra conscientiam non sit distinctum peccatum ab eo, quod est contra legem, tamen est contra aliam legem distinctam à particulari, quæ per conscientiam proponitur, nimirum contra legem vniversalem naturalem de non agendo contra conscientiæ dictamen, quæ, quia est lex vniversalis, & contenta in particulari, eius transgressio non importat malitiam specialem: quare, & si Deus possit dispensare in alijs præceptis, non tamen, ob rationem supra traditam, queit potest obligationem non agendi contra propriam conscientiam remittere, seu relaxare. ¶ Ad secundum negatur antecedens. Esto enim sit Deo liberum permittere, vel non permittere existentiam actus agendi contra conscientiam, tamen talem actum Deo displicere, est illi necessarium; quia cum prædictus actus obiectivè & necessario malus, & peccaminosus sit, debet etiam displicere necessario Deo, cui omne malum morale necessario opponitur; quare nec pro aliquo tempore, aut pro aliquo particulari individuo potest Deus dispensare, vt conscientiæ obligatio non agendi contra illam, relaxetur.

Enodantur primum, & secúdum argumentum.

16 Pro tertij argumenti solutione, notandum est ex dictis tom.2.tract.9.cap.5. punct.2. à num.41. & tom.3. tract.11. cap.4. punct. 4. à num. 47. & cap. 3. p. 10. num. 158. & cap. 1. num. 26. præcepta legis naturalis ad duas classes redigi à D.Thom. 1.2. quæst.94.art.4. & 6. *Nam ad legem naturalem* (verba sunt D. Ang.) *pertinent primo quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota.* V.g. quod bonum est faciendum, malum est fugiendum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, ad quæ etiam attinent præcepta Decalogi primæ tabulæ; v.g. Deum esse colendum, & non esse perierandum, &c. Et in his communis omnium sententia est, Deum nec propriè, nec impropriè dispensare posse. *Quædam autem secundaria præcepta* (prosequitur Ang. Doct.) *magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principijs.* Et hæc sunt præcepta Decalogi secundæ tabulæ, vt homicidium, furtum, & alia, quæ ex illis primis principijs, vt remotiores conclusiones deducuntur, vt præcepta de vitandis polygamia, & vsuris, &c. Et in his licèt Scotus, & Almaynus tract.3. moral. 15. citans Andræam de Castronovo, teneant posse à Deo dispensari, & probabile reputet Corduba lib.3. cit. quæst. 10. proposit. 3. Tamen prout his nominibus exprimuntur sunt etiam indispensabilia à Deo. Quæ omnia sic mirificè explicuit D. Thom. 1.2. quæst. 100. art. 8. in corpore: *Præcepta autem Decalogi continent ipsam intentionem legislatoris, scilicèt Dei. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ ordinantur ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune, & finale, quod Deus est. Præcepta autem secundæ tabulæ continent ordinem iustitiæ inter homines observandæ: vt scilicèt nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum: secundum hanc enim rationem sunt intelligenda præcepta Decalogi, & ideo præcepta Decalogi sunt omninò indispensabilia.* Et ratio est, quia tunc datur propriè dispensatio, quando manente lege naturali sub eisdem circunstantijs, aliquis eximetur ab obligatione le-

Nota primò pro tertij argumenti solutione.

legis ; sed hoc nequit Deus facere; cum, quandiù manet lex naturalis sub eisdem circunstantijs, dicat conformitatem ad rectam rationem, & consequenter obligationem inducat: ergo nisi Deus mutet circunstantias, vel materiam, taliter quod iam non sit prohibitum per legem naturalem, quod antea erat, propriè in ea dispensare non potest.

Nota secundò, & solvitur argumẽtum.

17 Secundò nota, aliqua ex iure naturæ esse, quæ in sua materia nequeunt variari, & consequenter, nec illis contrarium fieri honestum; & huiusmodi sunt, quæ tendunt tam contra præcepta generalia, quàm præcepta Decalogi primæ tabulæ, vt malum facere, bonum non amplecti, & agere contra conscientiam; similiter odium Dei, mendacium, & idolorum cultus, quæ omnia numquam fieri possunt licita. Alia vero sunt, quorum materias potest Deus mutare; vt furtum, homicidium, fornicatio &c. quæ licèt sub his nominibus non sint licita, tamen potest Deus variare eorum materias, taliter quod iam non sint furtum, homicidium, fornicatio, quæ talia essent, si Deus materias non mutaret. Et sic accidit, quando iussit, vt Habraham interficeret Isaac: Hebræi spoliarent Ægyptios, Oseas accederet ad mulierem fornicariam: & etiam idem accidit in actibus humanis, quæ sunt materia iuramenti, voti, promissionis, &c. quorum materiæ sunt mutabiles, & sic eorum obligationes relaxabiles. ¶ Ex quibus iam constat ad argumentum: Dicimus ergo, Deum in nullo præcepto naturali *proprie* dispensare: at *improprie* dispensare in illis præceptis, quorum materia mutari potest, vt furtum, homicidium &c. Sed in alijs, qualia sunt primæ tabulæ, quorum materiæ sunt immutabiles, nec *proprie*, nec *improprie* dispensare potest; & sic numquam fieri potest à Deo licitum, quod est illis contrarium. Agere vero iuxta propriam conscientiam, est non solum præceptum naturale, sed ex illis, quæ sunt prima, & vniversalia principia, & consequenter numquam potest taliter mutari materia illius, quod sit licitum agere contra propriam conscientiam: & ideò in illo nec *proprie*, nec *improprie* Deus potest eius obligationem cassam reddere, aut in ea dispensare.

Subtilis doctrinę D. Th. pro explicatione solutionis datæ.

18 Sed vt clarius appareant, quæ his duobus numeris diximus, oportunum duximus, sequentia Divi Thomæ verba ex 1.2.quæst.100. artic. 8. transcribere: *Ad tertium dicendum* (procedebat argumentum ex eo, quod leges iubent homines malefactores occidere) *quod occisio hominis prohibetur in Decalogo secundum quod habet rationem indebiti: sic enim præceptum continet rationem iustitiæ. Lex autem humana hoc concedere non potest, quod licite homo indebite occidatur: sed malefactores occidi, hoc non est indebitum. Vnde hoc non contrariatur præcepto Decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod præcepto Decalogi prohibetur. Et similiter, si alicui auferatur, quod suum est, si debitum est, quod ipsum amittat, hoc non est furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibetur. Et ideò quando filij Israel præcepto Dei tulerunt Ægyptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. Similiter & Abraham, cum consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum erat, eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vita, & mortis... Et similiter etiam Oseæ accedens ad vxorem fornicariam, non est mechatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum divinum, qui est author institutionis Matrimonij. Sic igitur præcepta ipsa Decalogi quantum ad rationem iustitiæ, quam continent, immutabilia sunt, sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus (vt scilicèt hoc, vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non) hoc quidem est mutabile, quandoque sola authoritate divina, in his scilicèt, quæ sunt à Deo instituta, sicut in Matrimonio, & alia huiusmodi: quandoque etiam authoritate humana, sicut in his, quæ sunt commissa hominum iurisdictioni.* Hucusque Divus Thomas firmans doctrinam à nobis traditam.

CAPUT V.

De conscientia erronea.

POst considerationem conscientiæ rectæ, explicanda se nobis offert conscientia erronea, quæ rectæ directe opponitur: & supposita eius essentia ex dictis cap.3. punct.2. quæ in nullo alio consistit, quam in *dictamine rationis, quod falso iudicat, bonum esse, quod est malum; aut malum esse, quod est bonum*: & supposita etiam ex ibidem traditis eius divisione in conscientiam erroneam invincibilem, & vincibilem, restat aliqua dubia moralia de eius obligatione in hoc Capite resolvere, & quomodo deponenda sit edocere: quod per tria Puncta declarabimus.

Punct. I. *De obligatione conscientiæ erroneæ.*

§. I. *Vtrùm sit peccatum discordare à conscientia erronea?*

§. II. *Quid dicendum de eo, qui ex conscientia erronea iudicat vtramque contradictionis partem esse peccatum?*

§. III. *Quæ existentia requiratur in iudicio erroneo vincibili, vt eius operatio sit peccatum?*

Punct. II. *An sit gravius peccatum sequi, quam non sequi conscientiam erroneam vincibilem, & ad quam speciem reducatur?*

Punct. III. *Quomodo deponenda est cons-*

conſcientia erronea, ne ſit peccatum contra eam agere: & confeſſarius qualiter ſe gerere debeat cum pœnitenti tali conſcientia laboranti?

PUNCTUM I.

De obligatione conſcientiæ erroneæ.

IN præſenti puncto, quem de obligatione, quam conſcientia erronea inducit, inſtituimus, videndum eſt primò, an teneamur conſcientiam erroneam ſequi. Deinde, quid agendum eſt, quando ex conſcientia erronea invincibili quis iudicat, vtramque contradictionis partem eſſe peccaminoſam: & vltimò; qualem exiſtentiam debeat habere iudicium erroneum, vt obligationem inducat. Quas difficultates, quia non leves ſunt 3.§. ſeorſim reſolvemus.

§. I.

Vtrùm ſit peccatum diſcordare à conſcientia erronea?

Refertur ſententia aſſerens non eſſe peccatũ diſcordare à conſcientia erronea.

1 ALijs terminis ſolet hoc dubium excitari à DD. an ſcilicèt conſcientia errans obliget, vel an teneamur dictamen conſcientiæ errantis ſequi? Sed omnes hi modi in idem coincidunt; quia, vt ait D. Thom. 1.2. quæſt. 19. artic. 5. in corpore: Idem eſt quærere, vtrùm voluntas diſcordans à ratione errante ſit mala, quod quærere, vtrùm conſcientia errans obliget? Quare circa illud aliqui opinantur, quod, ſivè conſcientia erronea præcipiat aliquid vt bonum, quod alias eſt malum, vel prohibeat vt malum, quod eſt bonum, non obligat, & ex conſequenti, nec eſt peccatum, diſcordare ab ea. Quod ſuadere conantur primò: quia conſcientia nequit obligare ad id, quod eſt contra legem Dei, ſed conſcientia erronea aliquando eſt contra legem Dei, vt quando dictat, & præcipit mendacium v. gr. ad ſalutem, & vitam proximi: ergo in iſto caſu nequit obligare. ¶ Secundò: Deus nequit obligare ad id, quod eſt intrinſece malum; ſed mendacium eſt intrinſece malum: ergo Deus nequit ad illud obligare: ergo multò minus conſcientia erronea, cum ſit inferior. ¶ Tertiò: Deus nequit ſibi eſſe contrarius; ſed ſi mandaret ſequi conſcientiam erroneam eſſet ſibi contrarius: ergo &c. Deus nobis præcipit ob nullam cauſam eſſe mentiendum: conſcientia vero erronea dictat ob ſalutem proximi eſſe mentiendum; ſed hæc ſunt ſibi contraria: ergo ſi Deus præciperet ſequi in iſto caſu conſcientiam erroneam, eſſet ſibi contrarius. ¶ Quartò: Deus nequit eſſe author alicuius conſcientiæ erroneæ: ergo nec eam tenemur ſequi. Patet conſequentia. Quia in tantum nos obligare poteſt, in quantum eſt lex particularis à Deo derivata, ab illoque accipiens vim obligandi. ¶ Quintò: qui ſequitur conſcientiam erroneam vincibilem peccat; ſed nemo poteſt obligari ad peccandum: ergo neque ad ſequendum dictamen conſcientiæ erroneæ vincibilis. Hanc ſententiam defendunt aliqui citati à D. Thom. 1. 2. quæſt. 19. artic. 5. & à Gloſſa in cap. omnes 28. quæſt. 1. & dicitur fuiſſe etiam ſententiam Guillelmi Pariſienſis, tractatu de vitijs, & virtutibus.

Eſt peccatũ diſcordare à conſciẽtia erronea vincibili, aut invincibili.

2 Secundam ſententiam, & certam; aſſerentem eſſe peccatum, diſcordare à conſcientia erronea invincibili, aut vincibili, tenet D. Thom. tum loc. citat. Tum etiam de veritate quæſt. 17. artic. 3. in 2. diſt. 39. quæſt. 3. art. 3. & alibi. Quem ſequuntur omnes Scholaſtici. Cayetanus, Conradus, Bonavent. in 2. diſt. 39. artic. 1. quæſt. 3. Ricardus artic. 2. quæſt. 3. Vazquez in 1.2. diſput. 59. cap. 2. Durandus quæſt. 5. Gabriel quæſt. vnica, artic. 3. dub. 3. N. Cornejo diſput. 2. dub. 1. Monteſinos diſput. 19. quæſt. 3. & alij Thomiſtæ. Similiter eam defendunt Covarrub. 1. variar. cap. 1. num. 1. Sylveſter in Summa, verbo Conſcientia. Navarrus in Summa tom. 3. prælud. 9. num. 9. cap. 27. num. 278. & 280. Cap. *Siquis de pœnitent.* diſt. 7. numer. 82. Sanchez in Summa lib. 1. cap. 11. numer. 1. Sayr. lib. 1. cap. 4. num. 3. Palaus diſput. 1. punct. 2. Villalob. tract. 1. diffic. 2. Salas tract. 8. diſput. vnica, ſect. 3. à num. 16. Corduba lib. 3. quæſt. 4. Tapia lib. 1. quæſt. 8. artic. 3. Bardi diſcept. 3. cap. 3. num. 4. Layman tract. 1. cap. 4. numer. 3. Scobar Theolog. Moral. lib. 2. cap. 4. numer. 32. & alij. Ex quibus Vazquez, & Sanchez defendunt eſſe de fide. Quæ quidem ſententia.

Auctoritate, & ratione probatur dicta cõcluſio.

3 Probatur ſic à D. Thom. in argumento ſed contra quæſt. 19. artic. 5. citati: *Conſcientia nihil aliud eſt, quam applicatio ſcientiæ ad aliquem actum. Scientia autem in ratione eſt voluntas: ergo diſcordans à ratione errante eſt contra conſcientiam: ſed omnis talis voluntas eſt mala, dicitur enim Rom. 14. Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt: id eſt omne quod eſt contra conſcientiam: ergo voluntas diſcordans à ratione errante eſt mala.* Et quod in hoc textu loquatur expreſsè Apoſtolus de conſcientia erronea latè probant Salas à num. 16. & Cornejo num. 1. Sed nobis ſufficit pro millibus ſola D. Thom. authoritas. ¶ Inſuper oſtenditur ſecundò, ex cap. *Per tuas* de Simonia, & ex cap. *de ſententia excommunicat.* vbi dicitur: *Quod agens contra iudicium conſcientiæ, committit offenſam, & ædificat ad gehennam.* ¶ Probatur tertiò etiam à ratione. Nemo poteſt ſine peccato diſcordare à conſcientia recta: ergo neque ab erronea. Patet conſequentia. Ideò non poteſt primum, quia conſcientia recta proponitur, vt lex præcipiens aliquid, vt faciendum, aut fugiendum; ſed etiam conſcientia erronea nobis proponitur vt lex dictans, licèt falſo, aliquid faciendum, aut fugiendum: ergo ſi diſcordare à prima eſt peccatum, etiam erit diſcordare à ſecunda. ¶ Deinde voluntas humana non aliter tenetur obedire præceptis, niſi eo modo quo ab intellectu ei proponuntur, cum ſit potentia cœca: ergo, eſtò falſo ab intellectu proponatur ei aliquod præceptum, tenetur illi obedire. ¶ Vlterius oſten-

ostenditur exemplo adducto à D. Thom. ad 2. Si aliquis crederet, quod præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris, contemnendo præceptum Proconsulis, contemneret præceptum Imperatoris: ergo quando ratio errans proponit aliquid vt præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.

Argumentorum solutio.

4 Per quæ iam patet ad argumenta. Ad primum dicimus, conscientiam posse obligare ad id, quod alias est contra legem Dei, quando hæc lex ignoratur, quia leges non aliter obligant, nisi prout sunt in iudicio practico intellectus; cum ergo tunc non sit in illo lex divina prohibens mendacium, & alias sit contraria lex, licèt falso aprehensa, orta ex lege divina, & naturali iubente, sequendum esse dictamen conscientiæ, tenemur mentiri ad vitam proximi servandam. ¶ Ad secundum concedimus, Deum non posse obligare immediatè ad mentiendum, benè autem conscientiam erroneam; & ratio differentiæ est, quia Deus nequit habere iudicium erroneum, sicut habet intellectus, & ratione illius potest per accidens ad mentiendum obligare. ¶ Ad tertium negamus, Deum præcipere sibi contraria: nam Deus non præcipit non mentiendum in omni casu tam per sè, quàm per accidens, sed solum, quando lex de non mentiendo proponitur sine errore. Vnde in legibus à Deo immediatè latis, nulla potest esse contrarietas, etiam materialis; at in legibus, quas sibi ratio humana præscribit, potest esse contrarietas naturalis ob diversa iudicia practica; non vero erit formalis, cum semper conformentur legi naturali præcipiendi sequendum in omnibus esse dictamen conscientiæ, in quo conveniunt omnia præcepta, cum ligare non possint, nisi vt à rationis dictamine proponuntur. ¶ Ad quartum respondetur cum nostris Salmanticensibus Scholast. tract. 17. de fide, disput. 2. num. 48. quod quando obligat conscientia erronea, duplex datur iudicium; primum, quo aliquid iudicamus prohiberi, quod revera non prohibetur; secundum, quo practicè iudicamus aliquid faciendum, aut omitendum conformiter ad legem falso, & erroneæ apprehensam; illud est falsum, & sic non est à Deo, istud est verum practicè, ac proinde à Deo; nam verum est, esse conveniens, facere, quod iudicamus bonum; & inconveniens, quod iudicamus malum; veritas enim huius iudicij non consistit in adæquatione cum re secundum se sumpta, sed prout dictatur à conscientia. Vnde in dicto casu conscientia non præcipit mendacium, vt dicit falsitatem, sed vt importat conformitatem cum ratione, & rectitudinem operationis; & consequenter quod mendacium sit, non est à Deo, nec à conscientia; sed tantum est ab illis, quod mendacium benefiat, quare rectitudo illius reducitur in Deum, falsitas vero in creaturam. ¶ Ad quintum dicimus, quod per accidens potest homo esse necessitatus ad peccandum ex suppositione conscientiæ erroneæ vincibilis: cæterum, quia hæc conscientia est vincibilis, & error vinci potest, absolutè potest non peccare, quia potest, & tenetur deponere illam conscientiam, & indagare veritatem; quo errore deposito, non peccabit; & sic absolutè non est necessitatus ad peccandum, sed tantum ex suppositione, in quo nullum est inconveniens.

Non est differentia inter ligare, & obligare conscientiam.

5 Sed nota hic, quod licèt vtraque conscientia erronea vincibilis, & invincibilis obliget ad operandum secundum earum dictamen, tamen aliter, & aliter; nam invincibilis, supposito errore, obligat tantum ad eam sequendam; sed vincibilis primò obligat ad faciendam sufficientem diligentiam ad eam deponendam; at supposito, quod non deponatur, obligat etiam ad eam sequendam: quia hoc ipso, quod perseveret, est proxima regula directiva operationis, & consequenter eius dictamini tenemur conformari. Quare exclusa manet doctrina Durandi in 2. dist. 39. quæst. 5. numer. 7. & Valentiæ tom. 2. disput. 2. quæst. 14. punct. 4. asserentium esse differentiam, inter conscientiam vincibilem erroneam, obligare, & ligare. Nam obligare dicitur respectu illius, quod tenemur facere, aut fugere; ligare vero, quando est aliquis impeditus, taliter, quod ad neutram partem potest sine peccato flecti, aut inclinari; sumpta metaphora ab eo, qui est corporaliter ligatus, qui per nullam viam incedere potest: & consequenter opinantur conscientiam erroneam vincibilem non verè, & propriè obligare, sed ligare, cum omnis operans cum illa semper peccet. ¶ Hæc, inquam, doctrina nullo impellente ruit ex his, quæ concedit. Nam, si ligare conscientiam, est non posse procedere hominem ad aliquam partem sine peccato: ergo obligat, ne declinet ad aliquam partem, alias posset illam sequi sine peccato. Sed hæc quæstio, vt ait Corduba quæst. 4. dub. 3. est de nomine, & sic inutile in eius impugnatione immorari.

Conscientia erronea vincibilis positivè obligat ad eam sequendam.

6 Sed inquires, ad quid obligat ista conscientia erronea vincibilis? Huic quæsito sic respondet Vazquez disput. 60. cap. 2. num. 4. Si sermo sit de conscientia erronea ex ignorantia vincibili, dicendum est, eam ligare, & obligare, non quidem ad hoc, vt quis ipsam positivè sequatur, sed ad hoc vt contra illam non faciat, quæ duo sunt omnino distincta; ac si diceretur, obligat negativè, non positivè; & explicat exemplo illo, quando dictat conscientia, esse mentiendum ad salvandam vitam proximi, quæ non obligat, vt mentiamur, sed quod non faciamus contra conscientiam; alias sequeretur, quod nos obligaret ad id, quod est peccatum. ¶ Sed hæc doctrina licèt acuta, est tamen falsa. Nam si quis habet conscientiam erroneam mentiendi ob salutem proximi, tenetur non agere contra illam: ergo tenetur agere secundum quod illa dictat, quod est mentiri. Patet consequentia: quia teneri non agere contra illam, est intransitivè teneri, non omittere mendacium. Quod etiam constat ex illo Pauli ad Galat. 5. *Testificor omni homini circuncidenti se, quod debitor sit vniversæ legis faciendæ*: ergo tenetur positivè agere secundum conscientiam erroneam vincibilem; de hac enim loquitur Apostolus, vt explicatur à D. Thom. ibi lect. 1. cum loquatur de illis fidelibus, qui post susceptum Evangelium, per conscientiam erroneam iudicabant, teneri circunci-

cumcidi ad ſalutem conſequendam. Quibus præcipit, quod niſi deponant illam conſcientiam erroneam, tenentur ſequi eius dictamen de circumciſsione. Nam, vt optimè vidit Lorca, aliud eſt ad quid teneatur, qui habet conſcientiam erroneam, aliud ad quid ipſa obliget. Certum eſt hominem teneri deponere illam conſcientiam, ſed conſcientia non obligat ad eam deponendam, ſed ad eam poſitivè ſequendam; quare quandiu perſeverat, poſitivè obligat, vt eam ſequamur.

§. II.

Quid dicendum de eo, qui ex conſcientia erronea iudicat vtramque contradictionis partem eſſe peccatum?

Qui eſt perplexus ex conſcientia erronea vincibili, debet priuſquã operetur curare eam deponere.

7 HUic dubio cum diſtinctione reſpondendum eſt. Nam vel iudicat ex conſcientia erronea vincibili vtramque contradictionis partem eſſe peccatum, aut ex invincibili? V.gr. Mulier, cui commiſſa eſt infirmi cura, iudicat peccare non audiendo ſacrum, & ſimul peccare deſerendo infirmum; vel paſtor ovium credit, peccare ſacrum omittendo, & ſimul etiam peccare, eas derelinquendo? Si ergo hoc credat ex ignorantia vincibili, & ob eam in hac perplexitate ſit conſtitutus; tenetur primo ſe à tali errore expedire, deponendo conſcientiam erroneam, vel per ſe, aut per virum doctum, quem debet conſulere; alias operando peccabit, quia cum hæc ignorantia ſit vincibilis, non eſt ſimpliciter perplexus, nec in abſoluta neceſsitate peccandi, ſed ex hypoteſi, & ex conſequenti, ſibi imputet, quod perſeverante tali conſcientia, neceſſario peccet, cum teneatur, & poſsit, talem conſcientiam erroneam deponere. Sic tenent D. Thom. 1.2. quæſt.19. art. 6. ad 3. D. Bonav. in 3. diſtinct. 39. art.1. quæſt.3. Ricardus ibi, quæſt.3. art.1. Gerſon tract. de conſcientia ad 3. quæſt. Corduba lib.3. quæſt.4. propoſit. 5. Vazquez diſp. 60. art.2. Tapia in catena morali lib. 1. cap.8. art. 4. Layman tract.1.cap.4. num.4. Bonacin. de peccat. diſp.2. quæſt.4. punct.7. num.27. & alij. Si autem nec per ſe, nec per alium, quia non habet virum doctum, quem conſulat, poteſt ſe à tali errore expedire; tunc debet eligere, quod minus malum apparet, quod eſt. V.gr. omittere ſacrum in conſpectu deſertionis infirmi, & gregis ovium. ¶ Sed ſi adeo ſit perplexus, vt poſt adhibitam ſufficientem diligentiam, adhuc agnoſcere non poteſt, quod ſit minus malum, quid dicendum eſt de eo, qui cum tali ignorantia operatur? Bonacina n.27. Sanchez num. 12. optimè dicunt, teneri tunc pœnitere de tali ignorantia vincibili, & culpabili, & per pœnitentiam redditur invincibilis; quia peccatum præteritum ad alia peccata compellere nequit, & in noſtra poteſtate eſt, præcavere futura de præteritis pœnitendo; & ita tunc eodem modo iudicandum eſt, ac de conſcientia erronea invincibili. At ſi aliquis eo perplexitatis deveniat, vt neque aliquo ex modis relatis poſsit devincere errorem, nec ei occurrat de illo pœnitere; tunc iam erit conſcientia erronea invincibilis, de qua erit nobis ſermonum.ſequenti.

Qui ex ignorantia invincibili vtramque cõtradictionis partem iudicat eſſe peccatum quamcumque eligat peccare ſentiunt aliqui.

8 Si vero aliquis ex conſcientia erronea invincibili iudicet, vtramque contradictionis partem eſſe peccatum, quæres, An peccet alterutram partem amplectendo? (Qui caſus, quidquid aliqui dicant, ſatis frequens in ruſticis eſt.) Aliqui ergo ſentiunt hunc, quamcumque contradictionis partem eligat, ſemper peccare. Et ratio ea eſt. Nam qui tendit libere in obiectum cognitum vt malum, & prohibitum, peccat; ſed talis homo, v.gr. ovium paſtor, libere tendit in obiectum cognitum vt malum, & prohibitum, cum cognoſcat ex conſcientia erronea tale obiectum eſſe malum, & alias libere poteſt gregem deſerere, & audire ſacrum, & è contra cuſtodire gregem, omiſſo ſacro: ergo hic homo quamcumque contradictionis partem amplectatur, peccat. Vnde aliqui, ne admittant abſolutam peccandi neceſsitatem, ad divinam providentiam ſe confugiunt, putantes ad illam pertinere, vel hunc hominem illuſtrare, vel hypoteſim non permittere. Sic Medina 1.2.quæſt.19. art.6. quæſt.1. & alij.

Certius eſt in tali caſu non peccare

9 Secunda ſententia, & verior, aſſerit talem hominem in prædicto caſu non peccare, eligendo quamcumque contradictionis partem. Tum, ne admittatur perplexitas ſimpliciter, & caſus, in quo hominem peccare abſque ſua culpa, neceſſum ſit: quod apud omnes Doctores falſiſsimum eſt. Tum etiam: quia, licèt ille actus ſit abſolute liber libertate phyſica in ordine ad entitatem illius, quatenus fertur in obiectum cognitum, vt malum; non tamen eſt liber moraliter, ſeu in ordine ad culpam vitandam; cum quavis parte electa, peccatum neceſſario committatur; ſed, vt aliquis peccet, eſt neceſſum, quod taliter operetur, vt poſsit non operari, non ſolum libertate quo ad entitatem actionis ſecundum eſſe phyſicum, ſed etiam ſecundum eſſe morale illius, & quo ad culpam vitandam: ergo hic homo, eligendo quamcumque contradictionis partem, non peccat. Nec refert, quod feratur in obiectum cognitum vt malum; nam non fertur in malum, vt poſsibile vitari; & vt detur libertas moralis in actu, neceſſario petit tendere in obiectum malum, in quantum ſub ratione mali eſt vitabile, alias non libere, ſed neceſſario in illud tenderet. Per quod iam patet ad rationem dubitandi. Hanc ſententiam tenent Rodriguez in Summ.part.2.cap.51.num.6. Caſtro Palaus tom.1.diſput.1.punct.5.Bardi diſcept.3.cap.6. Cardinal. de Lugo de libertat. Chriſti diſput. 26.ſect.1. Franciſc.de Lugo part.3. Theolog. cap.1.quæſt.7.num.32.Reginaldus lib.13.num. 86. Bonacina de peccatis, diſput.2. quæſt.4. punct.6.num.27. Sanchez in Summ. lib.1.cap. 11.num.14. Laymam lib.1.tract.1.cap.4.num. 4. Becanus tract.1.cap.4.quæſt.8.num.7. Ioannes Sanchez in ſelect.diſput.41. num.13. Caſpenſis tract. de Conſcientia, diſput.2. ſect.2. num. 11. Et noviſsimè Corella in practica, tract. 3. cap. 1. num.4.

§.III.

§. III.

Quæ exiſtentia requiratur in iudicio erroneo vincibili, vt eius operatio ſit peccatum?

Referuntur ſententiæ.

10 PRo quæſtionis propoſitæ intelligentia inquires: An, vt operari ſecundum conſcientiam erroneam vincibilem ſit peccatum, requiratur, quod actualiter ſit iudicium erroneum, dum exercetur operatio, an ſufficiat præceſsiſſe? Prima ſententia defendit non eſſe neceſſarium actu eſſe tale iudicium erroneum, nec ſufficere ad eſſe habitu; ſed opus eſſe virtualiter perſeverare; & hanc virtualem permanentiam ad eſſe ſentit, quando tale iudicium præceſsit, & non eſt retractatum. Sed huius ſententiæ Authores variant in aſsignando tempus ſufficiens, ad hoc vt dicatur virtualiter tale iudicium permanere; nam quidam nullum aſsignant, ſed dicunt ſufficere præceſsiſſe, ſivè ſit parvo, aut multo tempore: & ſic ſiquis antea erroneæ iudicaſſet, eſſe furtum, vſurpare aliena in extrema neceſsitate, & poſtea immemor illius iudicij, nec eo revocato, aliena vſurparet ſibi extrema neceſsitate laboranti, peccaret contra conſcientiam erroneam. ¶ Alij vero dicunt, neceſſarium eſſe præceſsiſſe parvo tempore, vt virtualiter exiſtat. Huius ſententiæ Authores ſunt Medina 1.2. quæſt.19. art.6. Manuel 1. tom. Summæ, cap. 71. num. 2. ¶ Secunda ſententia tenet, neceſſarium eſſe tale iudicium erroneum actu perſeverare, vt operatio contra conſcientiam erroneam vincibilem peccaminoſa ſit. Sic Azor tom.1.lib.2.cap.8.quæſt.12. Salas tract.8. ſect. 3.num.29. Vazquez 1.2. diſput.60. cap.3.num. 13.dubiolo 3. Sanchez tom.1. Summæ, lib.1. cap.11.num.7. Palaus tom.1.diſput.1.punct.4. Et moventur primò: quia vt virtualiter dicatur tale iudicium perſeverare, nihil refert, an brevi, an longo tempore præceſſerit, ſed requiritur eſſe aliquid ex vi illius, in quo perſeveret; ſed non eſt aliquid, in quo tale iudicium perſeveret, dum operatio exercetur: ergo requiritur, quod actualiter exiſtat. Secundò: quia alias ſequeretur infidelem exiſtimantem ad actionis bonitatem, opus eſſe, vt referatur in idolum, peccaret in operibus ex obiecto bonis; v.gr. in elargiendo eleemoſynam, eſtò illius iudicij tunc immemor ſit: ſed hoc eſt abſurdum: ergo opus eſt quod actualiter exiſtat tale iudicium. Et tunc actu dicitur, permanere conſcientiæ iudicium, concludit Vazquez, ita vt agere contra illud ſit peccatum; quando aliquomodo reclamat, vel per plenum iudicium, vel per aliquam dubitationem.

Media via eligitur.

11 Sed nos media via inter has ſententias incedimus; ſentimus enim non eſſe neceſſarium actualiter exiſtere iudicium erroneum, nec ſufficere virtualem illam exiſtentiam, quam Authores primæ ſententiæ ponunt; ſed requiri neceſſario aliam, quam infra declarabimus. Prima pars facile probatur: quia vt communis ſert ſententia cum D. Thom. 3. part. quæſt.64. art.8.ad 3. non requiritur in Miniſtro Sacramentorum intentio actualis, ſed ſufficit virtualis, vt diximus in hoc Curſu Morali, tom.1. tract.1. cap.7. punct.4. num.42. Similiter ad peccandum ſufficit voluntarietas in cauſa, vt dicunt N. Salmant. Schol. tract. 13. diſput.5. dub.6. ergo ſufficit etiam virtualis exiſtentia iudicij erronei, vt operatio ſit peccaminoſa, quin vlterius exiſtentia illius actualis requiratur. ¶ Secunda etiam liquet: quia vt eam optime impugnat ſecunda ſententia, ſi ex illo iudicio erroneo nullus effectus procedit, in quo exiſtat, quomodo dici poteſt virtualiter exiſtere, quia quod nec in ſe, nec in alio exiſtit, in intelligibile eſt virtualiter exiſtere, nec conſequenter cauſare aliquid poſſe. Et hac vnica ratione, licèt efficaciſsima, convincuntur N.Salmant. Schol. tract.22. tom.11. diſput.4. dub.6.§.2. (& nos probabilem iudicavimus loc.ſupra cit.cap.5. punct.5. num.67. vltimam prolaturi deciſsionem, cum de Sacramentis in particulari ageremus) ad negandum Sacramenta non imprimentia characterem cum fictione ſuſcepta, recedente illa, cauſare gratiam; quia cum nec in ſe, nec in aliquo effectu exiſtant, nequeunt virtualiter permanere, & conſequenter nec gratiam cauſare.

Pro reſolutione nota.

12 Sed, vt noſtram aperiamus mentem, nota ex dictis tom.1. tract.1. cap.7. punct.4. & ex noſtris Salmant.Scholaſt.tract.11. diſput. 4.num.41. intentionem, ſicut & quamlibet aliam rem triplicem poſſe habere exiſtentiam. Prima eſt *actualis formalis*, v. gr. quando aliquis actualiter vult, aut elicit hunc actum: *Volo*. Secunda eſt *actualis virtualis*; quæ dupliciter contingere poteſt; primò quando intentio actualis formalis non eſt interrupta per actum contrarium, vt quando quis habens intentionem celebrandi, è domo egreditur, ſacras veſtes induit, offert ſacrificium, & denique conſecrationis verba profert, in quo caſu, eſtò priorem intentionem non repetat, tamen virtualiter actualiter permanet, & in virtute illius Sacramentum perficit. Secundo modo contingit, quando, eſtò prima intentio interrumpatur, repetitur ſaltim in communi, & in confuſo, ab eaque ſic repetita imperantur ſequentes actus. Vt quando quis habens intentionem, aut votum viſendi limina D. Iacobi, multis diebus peregrinatur, quæ intentio licèt per ſomnum interrumpatur, neque quoties evigilat, expreſsè eam repetat, tamen in confuſo, & in communi eam repetit, & virtute illius inceptum iter proſequitur; ſi enim non haberet virtualiter hunc actum, *volo pergere, quo antea intendi*, nulla eſſet ratio, quare potius iter D.Iacobi, quam aliud arriperet; & ſic dicitur virtualiter permanere illa prima intentio, quam hæc ſecunda, quaſi per modum obiecti reſpicit. ¶ Tertia denique intentio dicitur *habitualis*, quæ, eſtò aliquando fuerit actualis, tamen nunc nec exiſtit in ſe, nec in alio, nec in communi, nec in confuſo repetitur; & hæc, licèt tempore D. Thom. ſumeretur pro eo, ac eſt intentio virtualis, tamen in præſenti eam, modo à nobis explicatam, iam communiter accipiunt Theologi; & aſſerunt,

quod licèt intentio præcisè *habitualis* non ſufficiat ad merendum, aut demerendum, tamen tam intentio actualis formalis, quàm vtraque *virtualis* ſupra à nobis explicata, ſufficiunt ad hoc, vt operationes ex vi, & imperio illarum elicitæ, nobis ad meritum, & demeritum imputentur. Et quæ diximus de intentionis exiſtentia, faciliter iudicio erroneo applicari poteſt.

Propria mēs aperitur.

13 His ſuppoſitis dicimus, vt operatio iuxta conſcientiam erroneam vincibilem ſit peccatum, non ſufficere illam exiſtentiam virtualem à prima ſententia traditam, ſed requiri ſaltem aliquam ex illis, quas numero antecedenti explicuimus. Et ſic, ſi quis habens iudicium erroneum, dictans eſſe peccatum ieiunare feria ſexta, dicat pridie, volo ieiunare feria ſexta, & ex vi talis actus applicetur ad ieiunandum tali die, tunc operatio illa erit peccatum. Et ratio eſt, quia, vt optimè ait Cayetanus 2.2.quæſt.19.art.5. vt operatio conſcientiæ erroneæ ſit peccatum, non ſufficit, quod ratio erret, ſed opus eſt, quod talis ratio errans applicetur ad opus; cum que in prædicto caſu ex vi illius actualis intentionis, & iudicij erronei tale opus eliciatur, permanendo in illa prima intentione virtualiter repetita ſaltem in confuſo, ſat eſt, vt tale ieiunium, etſi tunc ſit immemor prædicti iudicij erronei, & intentionis præteritæ, ſit peccatum, & imputetur ad culpam ex vi præcedentis conſcientiæ errantis. Si autem tantum habeat iudicium erroneum vincibile dictans eſſe peccatum; v. gr. ieiunare feria ſexta, & nihil de tali iudicio cogitans, aut dubitans, ieiunat: tunc diſtinguendum eſt: ſi prævidit poſſe facere ante talem diem ſufficientem diligentiam ad ſe liberandum à tali errore, & propterea tunc illam non facit, credo non peccare, ſi omnino immemor talis iudicij erronei, ieiunet; imò & ſi recordetur, quando nequit facere ſufficientem diligentiam: quia tale iudicium nullo modo eſt applicatum ad opus, nec in virtute illius adhuc in confuſo fit; & ita tunc taliter operans eſt, ac ſi operaretur cum ignorantia invincibili illius: nec eſt neceſſe, vt ait N. Cornejo tract.8. diſput.2. dub.6. num.11. quod ſaltem pœniteat de errore præterito, quia, cum tale iudicium erroneum non ſit cauſa, nec influat adhuc virtualiter in tale ieiunium, non eſt neceſſe illud revocare, vt excuſetur à commiſsione peccati novi, ſed ſolum erit neceſſarius dolor illius, vt liberetur à peccato præterito. Si vero prævideat, ſe non poſſe facere ſufficientem diligentiam ad dimittendum errorem, antequam ieiunet, & defacto tunc eam omittat facere; ieiunium erit peccatum, etſi tunc ſit immemor illius iudicij erronei: quia tale iudicium erroneum manet tunc virtualiter, & in virtute applicatur ad illud opus per voluntatem, qua vult nullam facere diligentiam ad deponendum tale iudicium erroneum, quando poteſt, & tenetur; ac proinde virtualiter vult ipſum ieiunium: & in hoc caſu verum eſt, quod dixit N. Cornejo, teneri dolere de prædicta negligentia, ob quam eſt poſitus in tali anguſtia, vt non excuſetur à peccato.

14 Ad argumentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur eſſe aliquid, in quo illud iudicium erroneum perſeveret, quandiu non retractatur, nimirum in voluntate formali, qua quis vult feria ſexta ieiunare, vel in voluntate virtuali, qua non vult facere diligentiam, quam poteſt, & tenetur, vt deponat illam conſcientiam erroneam, vt in ſimili diximus tract.13. cap.1.punct.14. num.264. agendo de moroſo detentore, cuius pravum propoſitum retinendi aliena, virtualiter perſeverat in voluntate, qua omittit reſtitutionem, quin diſcontinuetur per longum tempus, aut ſomnum, niſi præcisè per contrariam voluntatem reſtituendi aliena. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, ſolum allatum inconveniens militare contra eos, qui exiſtimant iudicium erroneum præteritum ſufficere in omni eventu ad refundendam malitiam operibus faciendis ex tali conſcientia, quandiu non retractatur; ſed nos parum præmit: nam dicimus, quod ſi infidelis ex vi talis iudicij erronei vult, omnia referre ad idolum, vel formaliter actualiter, quia de facto actu ea omnia refert, vel virtualiter, quia vult numquam deponere talem errorem, etiamſi poſsit; tunc non renuimus confiteri omnes actus illius eſſe peccaminoſos, niſi retractet prædictam voluntatem, vel actualiter per oppoſitam voluntarem, vel virtualiter per contrarium actum, quod tunc contingit, vt benè ait Medina, quando facit aliquem actum bonum ex obiecto motum ex pietate naturali; v. gr.quando elargitur eleemoſynam, vel curat infirmum; quia dare ex pietate, & propter idolum contraria ſunt, & ſic tunc virtualiter retractatur iudicium erroneum oppoſitum, ſaltem prout extendebatur ad tale opus. Quare ſi hoc ſenſu procedat argumentum, nullum illud reputamus inconveniens.

Enervantur argumenta.

PUNCT. II.

An ſit gravius peccatum ſequi, quam non ſequi conſcientiam erroneam vincibilem, & ad quam ſpeciem reducatur?

Prima ſententia ſuppo nitur.

15 SUppoſito eſſe peccatum ſequi, & non ſequi conſcientiam erroneam vincibilem, vt ſupra num.7. diximus; inquiri ſolet quodnam ſit gravius peccatum ſequi prædictam conſcientiam, aut contra illam agere? Circa hanc quæſtionem Baſolis in 2. diſt. 39. quæſt.vnica, artic.3. & Ricardus eadem diſt. artic.2.quæſt.2.ad 4. tenent eſſe gravius peccatum ſequi erroneam conſcientiam vincibilem, quam contra illam agere. Et ratio illorum eſt: quia gravius peccatum eſt agere contra legem Superioris, quam contra legem inferioris; ſed lex; v.gr.prohibens furtum eſt lex Superioris, nempe Dei; conſcientia vero erronea dictans oppoſitum eſt lex inferioris, ſcilicèt hominis, ſibi falſo eam imponentis: ergo gravius peccatum eſt agere contra illam, quam contra iſtam.

Alij

Probabilius est in hoc certam regulam non posse assignari.

16 Alij vero, & melius, vt Azor tom. 1. Instit. Moral. lib. 2. cap. 8. quæst. 9. Sayrus in Clavi Regia lib. 1. cap. 4. num. 24. Medina 1. 2. quæst. 19. art. 5. quæst. 2. Vazquez in 1. 2. disp. 60. cap. 3. Thom. Sanchez lib. 1. Summ. cap. 11. num. 15. Salas tract. 8. disp. vnic. sect. 3. Silvest. verbo *Conscientia*, quæst. 2. N. Cornejo tract. 8. disp. 2. dub. 2. num. 3. Montesinos disp. 29. in 1. 2. quæst. 3. num. 63. Bonacina de Peccatis disp. 2. quæst. 4. punct. 6. num. 15. Palaus tom. 1. disp. 1. punct. 6. num. 2. Tapia in Catena Morali lib. 1. quæst. 8. art. 6. num. 4. Bardi discept. 3. cap. 5. num. 6. & alij sentiunt, certam regulam in hoc non posse præscribi, nam aliquando est gravius peccatum erroneam conscientiam sequi, aliquando levius contra eam agere secundum gravitatem, aut levitatem materiæ, quam iudicat præceptam, aut prohibitam. Nam obligatio conscientiæ non est alia ab obligatione præcepti, quod aprehendit: ergo quo gravius fuerit præceptum, gravior erit obligatio conscientiæ; sed quo gravius est præceptum, gravior est illius transgressio: ergo tunc erit gravius peccatum agere contra conscientiam, quando præceptum ab ipsa falso propositum fuerit gravius, & tunc levius, quando fuerit leve. Sit exemplum. Dictat conscientia sub præcepto mentiendum esse hic, & nunc ad salvandam vitam proximi: si omittis gravius peccas, quam si ageres iuxta conscientiam mentiendo: quia mentiendo peccares tantum venialiter contra præceptum non mentiendi; omittendo vero mendacium peccares mortaliter contra præceptum misericordiæ subveniendi proximo. Econtra vero dictat conscientia, te debere furari ad elargiendam eleemosynam pauperi: gravius peccas furando, quam omittendo furtum, quia in primo agis contra iustitiam, & in secundo casu contra misericordiam, & superius, & gravius est præceptum iustitiæ, quam misericordiæ. Quandoque etiam accidere potest esse eiusdem gravitatis agere iuxta conscientiam, ac agere contra illam. V. gr. Si quis erroneæ iudicaret dari præceptum iustitiæ obligans ad furandam peccuniam ab aliquo ad solvendum debitum creditori: tunc enim si agis contra conscientiam non furando, peccas contra iustitiam, non solvendo creditori; si agis iuxta conscientiam, peccas contra iustitiam furando: ergo æqualiter peccas, agendo contra conscientiam, vel iuxta illam. Vnde provenit, quod in hoc certa regula assignari non possit.

Ex genere præcepti, & cæteris paribus gravius est agere cõtra conscientiam vincibilem, quam iuxta illam.

17 Notant tamen hic optimè Bardi loc. cit. num. 7. & N. Cornejo, quod ex genere prohibitionis, & præcepti, cæteris paribus gravius peccatum est agere contra conscientiam erroneam vincibilem, quam iuxta illam. Et ratio est, quia vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 8. & quæst. 73. art. 4. ignorantia minuit peccatum, sed qui peccat sequendo conscientiam erroneam vincibilem, peccat ex ignorantia; & qui peccat contra prædictam conscientiam, peccat scienter, id est, cum cognitione peccati, quod committit agendo contra prædictam conscientiam: ergo maius peccatum est, cæteris paribus, agere contra conscientiam erroneam vincibilem, quam iuxta illam. ¶ Ad rationem dubitandi, supra positam, facilè respondetur. Quod enim aliquando sit gravius peccatum agere contra conscientiam, quam iuxta illam, non oritur ex eo quod conscientia nostra sit lex inferior, sed quia aliquando proponitur vt maior lex illa, contra quam iudicat homo, se peccare, si sequatur conscientiam; quam sit illa, contra quam putat se peccare, si contra eam agat; vel quia gravior est materia præcepti aprehensi falso, operando conscientiam, quam secundum illam agendo. Vel dic conscientiam non esse legem ipsius hominis, sed intimationem legis divinæ existimatæ: vnde secundum qualitatem legis existimatæ, gravitas peccati illam violantis pensanda est. Et hæc pro prima parte puncti propositi. Circa secundam vero.

Peccatum contra conscientiam rectam, & erroneam non differũt specie, nec hæc circunstantia debet explicare in confessione.

18 Inquires primò an peccatum contra conscientiam rectam specie differat à peccato contra conscientiam erroneam? V. gr. Aliquis sciens in vigilia alicuius Apostoli obligare præceptum ieiunij, illud omittit, & similiter iudicans erroneæ, feria secunda esse præceptum ieiunandi, illud etiam omittit. In isto casu quæritur, an istæ omissiones differant specie, ita vt debeant, in confessione aperiri. Affirmat Navarrus in Manuali cap. 6. num. 14. ¶ Sed cum Merolla tom. 1. disp. 3. dub. 3. num. 33. negativam partem amplectimur. Nam applicationis diversitas non variat obiectum in suo esse specifico; sed conscientia sive recta, sive erronea solum se habet per modum applicationis voluntatis ad obiectum prohibitum, proponendo illud, vt malum: ergo sive illud obiectum proponatur, vt verum malum, sive vt falso apprehensum, non variatur in suo esse specifico: & consequenter actus peccaminosi non distinguntur specie, nec in confessione est necesse explicare, an peccaverit ex conscientia vera, an ex erronea? Nec etiam necesse est, in confessione explicare, an scienter contra conscientiam peccaverit? Nam vt diximus tom. 1. tract. 6. cap. 8. num. 66. punct. 4. eiusdem speciei, & malitiæ est peccatum sciẽter aut cum ignorantia commissum; licet verum sit, quod cæteris paribus magis peccet, qui scienter iudicans aliquid esse malum, illud committit, quam qui cum aliqua inadvertencia culpabili, illud operatur, quia est magis voluntarium. Sic Sayrus num. 22. Bon. num. 29. Sanchez num. 5. locis iam supra citatis. ¶ Sed ab hac doctrina excipiendi sunt aliqui casus, quorum primus est, quando error excusat à censura incurrenda, iuxta dicta tract. 10. cap. 1. punct. 15. à n. 191. Tunc enim pœnitens debet fateri errorem, vt confessarius agnoscat eam non incurrisse. Secundus, quando furtivè aliquid accipit. V. gr. ab Ecclesia, & postea agnoscit esse suum; tunc enim licet non liberetur per errorem à peccato; bene autem à restitutione, & à censura, si forte posita est. Tertiùs. Si confiteatur, se non audivisse sacrum die Iovis maioris hebdomadæ, tenetur dicere, illud omisisse ex conscientia erronea, alias confessarius iudicabit non confiteri illud vt peccatum, sicut re ipsa tale non est, sed vt aliquam imperfectionem; in his, & similibus casibus circunstantia conscientiæ erroneæ explicari debet. Sic Lugo Cardin. de

pœnit.disp.16. à num.503. Dicastillo disp.9. à num.707.& alij.

Peccatum contra conscientiam erroneam est speciei quã falso apprehendit.

19 Sed rogabis secundò ad quam speciem malitiæ, & culpæ quantitatem reducitur peccatum contra dictamen conscientiæ erroneæ? Respondetur reduci ad illam, quam falso apprehendit. Quare si iudicat erroneæ esse peccatum mortale contra Religionem expuere in Ecclesia; peccabit mortaliter contra Religionem expuendo: similiter si carnaliter cognoscit aliquam fœminam iudicans habere votum castitatis, peccatum sacrilegij committet, & si tale votum non habeat; & consequenter tenetur explicare in confessione circunstantiam, & qualitatem malitiæ falso apprehensam, quando contra conscientiam erroneam peccavit. Et ratio eorum est, quia tota malitia operationis contra conscientiam erroneam consistit in eo, quod discordat à dictamine illius: ergo tanta, & talis erit malitia, qualis depingitur à conscientia errante. Sic D.Thom. 1. 2. quæst. 19.art.5.ad 3.Medina ibi, art.6.dub.4. Cayetan.in Summ.verb.Conscientia. Navarrus tom. 3.prælud.9.num.9.Corduba lib.3.quæst.4. post solut.ad 2. contra 1.propos.dub.1. Azor tom. 1.instit.moral.lib.2.cap.8. quæst.4. Salas tract. 8.disp.vnica, sect.3.num.17. Sayrus lib.1.cap. 4.num.19. Valentia tom.2. disp.2. quæst.14. punct.4.dub.2. Vazquez in 1.2.disp.59.cap.3. Sanchez lib.1.Summ.cap.11.num.5. Bonacina de peccatis, disp.2. quæst.4. punct.7. num.20. Laym.lib.1.tract.1,cap.4.num.2.

Circa traditam notitiã duo notanda.

20 Sed hic duo notare licèt: Primò, quod si conscientia erronea dictet esse veniale, quod re ipsa est mortale: tunc distinguendum est; nam vel talis conscientia erronea est vincibilis, aut invincibilis: si vincibilis, erit mortalis: quia ignorantia culpabilis non excusat à culpa: si invincibilis, tunc agere contra illam, solum erit veniale: quia ignorantia inculpabilis, & invincibilis excusat à culpa; & sic solum importabit ille actus malitiam, quam conscientia dictat, nimirum venialem. ¶ Secundò: quod si aliquis detentus in carcere iudicat peccare mortaliter sacrum non audiendo, hic nullo modo peccat, illud omittendo: & ratio est, quia nequit esse peccatum absque libertate; sed hic non habet libertatem ad omittendum sacrum, vt constat: ergo nec peccat mortaliter non audiendo sacrum. Nec obstat dictamen erroneum conscientiæ: quia tunc dictamen erroneum est causa peccati, quando applicatur ad opus, hoc est quando influit in operationem; sed tale dictamen tunc non influit in talem omissionem, cum hæc solum proveniat ab alijs causis extrinsecis: ergo nequit constituere omissionem illam peccaminosam: vnde tale dictamen in prædicto casu solum est falsum speculativè, non vero practicè. ¶ Hic solet inquiri, an sit gravius peccatum agere contra conscientiam erroneam, quam contra præceptum Prælati, & an hoc obliget in conspectu illius? Sed de hoc iam supra diximus agendo de conscientia recta num.12. Quare ab hac quæstione supersedèmus. Videantur circa dicta Vazquez disput.61.cap.1. Azor lib. 2.cap.8.9.& 10. Palaus loc.cit.punct.6.num.4. Sanchez cap.11.cit. num.16. Bonacina loc.cit. num.17. licèt hic Author solum eam teneat, loquendo de conscientia erronea invincibili, non autem vincibili; & idem sentit Sayrus in Clavi Regia lib.1.cap.4. num.35.& 28.

Conformare se conscientiæ erroneæ invincibili est bonum, secus autem si conformetur conscientiæ vincibili

21 Deinde rogabis tertiò: An, sicut supra diximus, esse malum, discordare à conscientia erronea, sit bonum, se illi conformare? Respondetur primò: quod si conscientia est invincibilis, dictans vt bonum, quod ex se est malum, tunc conformare se prædictæ conscientiæ, est actus bonus, & illius virtutis, ac si obiectum esset bonum, & conscientia recta. Ita Salas tract.8.disput.vnica, sect.3.num.20.Azor 1.part.lib.2. cap.8. quæst.13. Cornejo in 1.2. quæst.19.disput.2.dub.6.concluf.2. Suarez disput.12.tract.3. in 1.2. sect.4. num.8. Sanchez cap.11.cit.num.17.& alij communiter. Probaturque primò à ratione. Talis conformatio in individuo non est mala: ergo est bona. Patet consequentia: quia vt communis tenet sententia, non datur actus indifferens in individuo. Secundò: quia illud dictamen prudentiale, quod habuit Jacob, quod Liæ reddendum erat debitum in illis circunstantijs, quæ illam vt vxorem proponebant, erat rectum, supposita ignorantia invincibili, qua existimabat esse Rachelem: ergo erat talis actus bonus: ergo pertinuit ad speciem iustitiæ coniugalis, cum in alia specie collocari non possit. ¶ Secundò dicimus: quod si illa conscientia erronea vincibilis est, si dictet vt malum, quod est bonum, vel vt bonum, quod est malum, tunc conformare se prædictæ conscientiæ est peccatum. Sic D.Thom.1. 2. quæst.19. artic.6. N. Cornejo loc. cit. dub.6. num. 10. Bonacina punct.cit. num.14. & alij quia cum in nostra potestate sit deponere hunc errorem, si non deponimus, omnia, quæ ex tali conscientia procedunt, nobis imputantur ad culpam.

Conformari se conscientiæ dictanti aliquid indifferens, est actus indifferens.

22 Sed quid dicendum, quando proponit talis conscientia invincibilis aliquid vt indifferens; erit ne peccatum, aut bonum, conformare se tunc prædictæ conscientiæ? Aliqui recentiores apud Salas num.21. Sentiunt tunc actum esse indifferentem; quia sicut facere, quod conscientia erronea iudicat bonum, est bonum, & facere quod iudicat malum, est malum: ita similiter facere, quod iudicat indifferens, erit indifferens. ¶ Sanchez vero num. 17. Salas num.21. dicunt non esse talem actum indifferentem; & ratio est, tum quia secundum veriorem sententiam huiusmodi actus non datur in individuo; tum, quia, vt actus sit bonus, non requiritur, quod obiectum iudicetur bonum, sed satis est, quod in eo resplendeat aliqua convenientia absque aliqua turpitudine. Sed hæc ratio falsa omnino est. Nam si in eo resplendet aliqua convenientia, iam in eo apprehendit aliquam rationem boni; si enim non iudicat obiectum illud, vt bonum, est impossibile, quod illud apprehendat, vt conveniens: ergo falsum est dicere ex vna parte, illud obiectum non iudicari bonum, & ex alia apprehendere in illo aliquam convenientiam. Quare melius cum N. Salmant.Scholast. tract.11. disput.6. dub.2. §. 4. dicendum est, quod conformari se conscientiæ erroneæ invincibiliter dictanti opus indifferens, ignoranti-

que

que esse peccatum operari ob finem indifferentem, esse actum, nec bonum, nec malum, sed per accidens indifferentem in individuo. Et ratio est: quia qui invincibiliter ignorat malum esse, operari ob finem indifferentem, non peccat sic operando, cum ignorantia invincibilis excuset à peccato; sed nec enim talis actus est bonus, cum nec obiectum, nec finis, nec alia circunstantia illius sint bona: ergo operari iuxta dictamen conscientiæ erroneæ invincibilis dictantis aliquid vt indifferens, est actus in individuo per accidens indifferens. Hanc sententiam tenent Curiel, Cornejo, Valentia, Granados, Suarez, & alij apud Salmanticens. loc.citat.

PUNCT. III.

Quomodo deponenda est conscientia erronea, ne sit peccatum contra eam agere: & confessarius qualiter se gerere debeat cum pœnitenti tali conscientia laborante?

Conscientiã posse deponi absque vlla ratione, & ad libitum tenét aliqui.

23 SI deponatur conscientia erronea rationabiliter, nullum esse peccatum agere contra illam, sæpius supra diximus, & concors Theologorum sententia est. Quare restat nunc videre, quomodo sit deponenda, vt sine culpa ab ea discordemur. Prima sententia est Cayetani 1.2.quæst.19.artic.5.vbi sic ait. Advertat Confessor, quod depositio erroneæ rationis fit non solum per oppositam rationem, aut veritatis cognitionem, sed etiam per exclusionem ad applicationem ad opus; v.gr. Mulier audiens à Prædicatore, quod vti alienis capillis, est peccatum mortale, quia est simulatio; concipiensque ex ratione audita, & authoritate Prædicatoris talem vsum esse peccatum mortale; & ex alia parte vellet vti huiusmodi capillis, & inde ratione, hinc appetitu movente, nescit solvere motiva rationis erroneæ contrariæ appetitui suo; tamen putans absque solutione rationis id sibi licere, vtitur talibus capillis: in hoc, & similibus non est voluntas discordans à ratione errante, quia non fit contra conscientiam. Et ratio est, quia licèt maneat ratio errans in se, non tamen manet applicata ad hoc velle, nec actualiter, nec virtualiter; sed deponitur applicatio illa, ac per hoc erronea conscientia, quæ in applicatione consistit. Licitè autem hoc absque vlla ratione fit, etiamsi ex impetu, vel libito fiat; quia ratio erronea non habet in se, vnde liget, sed quatenus acceptatur. Vnde ex quacumque causa non acceptetur, vel in se, vel in applicatione, non ligat. Sic Cayetanus. Ex quibus verbis constat conscientiam erroneam posse deponi ad libitum, & absque vlla ratione per solam exclusionem iudicij erronei. Cayetanum sequuntur Navarrus, cap. *Siquis autem*, num.62.de Pœnit.dist.7. Valentia 1.2.disput. 2.quæst.14.punct.4.quæst.3. Azor tom.1.instit. moral.lib.2.cap.19. Sayrus in Clavi Regia lib. 1.cap.4. num.18. Ioann. Sancius in select.99. disp.41.num.27.

Proponitur sententia cõtraria.

24 Secunda sententia asserit, conscientiam erroneam non esse deponendam ad libitum, sed ex aliqua ratione, & authoritate sufficienti. Et ratio est: tum, quia temere, & imprudenter deponeretur, si hoc fieret absque sufficienti ratione, & alias exponeret se periculo peccandi. Tum etiam, quia illa conscientia, vel ex rationibus probabilibus, vel ex moraliter certis secundum propriam æstimationem errat; sed quocumque modo hoc sit, debes habere rationes ad minus æquè probabiles in contrarium, vt eam prudenter, & rationabiliter deponas: ergo sine ratione sufficienti nequit deponi solum pro libito operantis. Præterea, quia conscientiam veram non potes pro libito deponere; sed illa conscientia erronea tibi videtur vera: ergo non tibi licèt pro libito deponere. Denique. Nam intellectus nequit variare iudicium, quin ei proponatur ad hoc aliquod motivum rationale: ergo impossibile est intellectum mutare iudicium illud erroneum, quin aliqua gravis ratio ei proponatur, vt assentiat contrario dictamini. Sic tenent Corduba in suo quæstionario, lib.3. quæst.12. fine. Medina cap. *de Confessione*, tract. 2. in quæst.*de tempore, quo confiteri oportet*. Vazquez 1.2.quæst.19.artic.6. disput.67. cap.1. in fine. Salas quæst.21.tract.8.disput.vnica, sect. 3.num.30. Granad. part.2. contr.2. tract.12. disput.7.sect.5. Castro Palaus disput.1.dub.6. num.5. Tapia lib.1.Cat.mor. quæst.8. artic.7. N.Cornejo disput.2.dub.vltim.conclus.2.num. 12. Bardi discept.3.cap.11. Palanco quæst.10. §.2.

Media via procedendũ est.

25 Sed inter has extreme oppositas sententias media via eligenda est. Nam vel illa conscientia erronea concepta est rationabiliter, & prudenter, hoc est, ex aliqua causa, & ratione sufficienti, vel absque illis? Si primò modo concepta est, tenendum est cum hac secunda sententia, non excusari à peccato, qui absque sufficienti motivo, & ratione illam deponit; & notat hic Vazquez, quod si illa conscientia ratione probabili concepta est, debet deponi alia efficaciori; nam, si sit minus efficax, non erit sufficiens ad generandum assensum contrarium; quam sententiam etiam amplectitur Corduba contra Sanchez, num.10. Si vero secundò modo concepta est, tunc ad illam deponendum, non requiritur aliqua nova ratio in oppositum, sed sufficit advertere falsitatem iudicij erronei, & illud deponere formando sibi iudicium, & conscientiam de honestate operationis; & hoc modo explicata sententia Cayetani vera est, eamque in hoc sensu admittunt, & tenent Navarrus tom.1. in cap. *Siquis de Pœnitent.* distinct. 7. num. 115. Medina, Sanchez, Bardi, & Vazquez loc. citatis. Et ratio huius secundæ partis ea est, quia cum talis conscientia erronea absque vlla ratione temere formata sit, neque innitatur aliqua probabili authoritate, sufficit ad licitè operandum, temeritatem illam agnoscere; & sic poterit deponi licitè; nam res per easdem causas dissolvitur, per quas nascitur; sed concepta, & orta fuit absque vlla ratione: ergo

abs-

absque illa disolvi potest. Per quod vtraque sententia conciliatur, & quælibet ex illis veritatem continet.

Ad deponendam conscię tiã erroneã, tenetur homo adhibere diligentiã ordinariam, & moralem.

26 Sed inquires: qualiter se debeat habere ad deponendum conscientiam erroneam, qui illa se irretitum cognoscit? Pro solutione adverte, duplicem esse diligentiam, quarum vna est ordinaria, & moralis, alia extraordinaria, summa, & exactissima: prima est expendere rem apud se, consulere viros doctos, & etiam quando ad hoc non est recursus, preces ad Deum fundere, ieiunijs, eleemosynis, alijsque pijs operibus lucem à Deo exposcere, præsertim pro rebus difficilibus, & quæ ad salutem animæ concernunt: secunda est ad alia media non ita obia recurrere, vt provincias peragrare ad consulendos viros doctos, & ab eis veritatem inquirere, & similia. ¶ Ex quibus iam quæstioni respondetur, dicendo, hominem irretitum conscientia erronea vincibili, teneri non secundam, sed primam adhibere diligentiam, scilicèt ordinariam, & moralem; etsi hanc omittit, non satisfacit suæ obligationi: & ratio est: quia quilibet tenetur, quantum in se est, vitare peccatum, & periculum peccandi; sed qui non adhibet diligentiam ordinariam,& moralem,non facit quantum in se est, & moraliter potest, & quantum communiter præstant alij homines in similibus negotijs ad peccata vitanda: ergo iste amat periculum, & peribit ex sua negligentia in illo. ¶ Verum tamen est, quod diligentia hæc assignata non debet esse æqualis in omnibus, & pro quolibet negotio, sed iuxta qualitatem, gravitatem, & dignitatem illius; & ita hoc committendum est arbitrio prudentis, qui rerum, & personarum qualitate perspecta, attentisque occurrentibus circunstantijs iudicet, quæ diligentia sit hic, & nunc moralis, & sufficiens ad modum prudentem operandi, & quam alij viri timorati, & cordati pro similibus negotijs præstare solent: & ea adhibita, si conscientia erronea vincibilis non vincitur, nec deponitur, iam iudicanda est invincibilis, & consequenter minimè imputabilis. ¶ Non tamen tenemur (per quod secunda pars assertionis solvitur) adhibere summam, & exactissimam diligentiam ad eam vincendam: tum, quia hic modus operandi non est communis, sed superat moraliter humanam facultatem: tum, quoniam, qui aliquem finem assequi intendit, non tenetur vti omnibus medijs possibilibus, sed solum illis, quæ ordinata, & requisita per se sunt ad illius consecutionem: sed summa, & exactissima diligentia non est per se ordinata ad vincendam conscientiam erroneam, sicut nec ad quodcumque aliud negotium, etiam salutis æternæ: ergo talis diligentia necessaria non est, sed sufficit diligentia ordinaria, & moralis ad conscientiam erroneam deponendam; etsi hac adhibita *vinci* non potest, invincibilis deinceps est iudicanda. Sic Victoria relectione de Indijs, part.2. num.8. & 9. Sotus in 4. dist.5. quæst.vnica, artic.2. Vega lib.6. in concil. capit.18. Cayetan.2.2.quæst.64.artic.8. Valent. 1.2.disput.6.quæst.6.punct.1. Sayr.lib.2.cap.9. num.22. Sanchez lib.1.Summæ, cap.16.n.34. Cornejo 1.2.q.19.disp.2.dub.vlt.n.13. & alij.

Tenetur cõfessarius instruere pœnitentem,si laboret ignorantia erronea vincibili,sed si talis sit invincibilis sub distinction. respondetur.

27 Inquires tandem, qualiter se gerere debeat confessor cum illo, qui conscientia erronea laborat? Respondetur breviter ex dictis tom.1. cap.12. à num.33. & ex Bardi tom. de Conscientia, discept.3. cap.12. quod vel pœnitens laborat conscientia erronea vincibili, aut invincibili. Si primum, tenetur confessarius veritatem illi manifestare, antequam illi impendat absolutionem: quia cum illa conscientia non excusetur à culpa, erit, quandiu illa laborat, in statu peccati mortalis, & consequenter incapax absolutionis. Si vero secundum, hoc est, si laboret ignorantia invincibili, & inculpabili, sub distinctione respondendum est: nam si ignorat ea, quæ sunt media necessaria ad salutem, vt si ignoraret mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & similia; aut iudicaret erroneæ non requiri dolorem ad confessionem peccati mortalis, tunc tenetur confessarius eum instruere, alias incapax est absolutionis, vt ait Innocent. XI. damnando sequentes propositiones: 64. *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi*: 65. *Sufficit illa mysteria semel credidisse*: 22. *Non nisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Redemptoris.* Et sic in his casibus, & similibus est obligatio in confessario instruendi pœnitentem, ab eoque removendi illam ignorantiam invincibilem. Si autem ignoret alias res, quarum ignorantia eum incapacem absolutionis non reddit, adhuc distinctione opus est. Si ex veritatis manifestatione fructus non speratur, sed potius timentur gravia scandala, aut peccata, quia pœnitens etiam post admonitionem in eo statu perseveraturus est: vt si cognoscat nullitatem alicuius matrimonij, & timeat, quod patefacta veritate, nec pœnitens petet dispensationem, nec à coniugio, & cohabitatione abstinebit: & similiter si cognita obligatione restitutionis, probabiliter timet, post admonitionem à pœnitente non esse restituendum, tunc potius debet dissimulare, quam veritatem aperire: quia confessarius solum tenetur manifestare veritatem,quando cognoscit talem monitionem pœnitenti pro futuram, & non nocituram; sed tunc talem manifestationem, seu monitionem cognoscitur non(pro futuram) sed potius nocituram, & in spiritualem ruinam pœnitentis esse futuram: ergo non tenetur tunc veritatem impedimenti, & restitutionis aperire, sed debet pœnitentem in bona fide antea habita relinquere. Cui consonat illud D.Augustt.relati in cap.*Siquis de pœnitent.dist.7. Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Sic tenent Sanchez de Matrimonio, lib.2.disput.38.num. 8. Granados part.2.controvers.2.tract.12. disput.7.sect.5.num.32. Cardin.Lugo de pœnitent.disput.22.sect.2.§.1.num.24.Noster Franciscus.Bonæ Spei disp.12.num.35. Noster Antonius à Spiritu Sancto num. 1424. in Direct. Confes.

28 Sed quid faciendum, quando dubium est, an monitio (pro futura sit?) Respondetur cum

Quid agendum quando dubium est,

est, an admonitio sit pro futura, aut nocitura?

cum Lugo loc.citat.num.31.& Filliucio tom.2. tract.28. num.135. quod si nullum timeatur damnum, debet pœnitentem monere, quia quando nullum timetur inconveniens, & speratur profectus, monendus est pœnitens, & ab ignorantia deturbandus : & ita etiam docet Granados 2.2. tract.12. disput.1. num.6. loquendo de correctione fraterna. Si vero dubium est de damno, & profectu sequendis ex tali admonitione, tunc comparatio debet fieri inter vtilitatem, & damnum; & eligendum est, quod arbitrio prudentis, & cordati viri præponderari videtur : sed hæc non vlna methaphysica dimetienda sunt, sed morali prudentia libranda. ¶ Sed adhuc vrgebis. Si post omnia vndique discussa, omnia adhuc apparent æqualia, quid tunc est eligendum ? Responderi potest ex his, quæ docent Theologi, & maximè Bonacina de Charitat. disput.3. in Decalog.quæst.4.punct.7.num.8. loquendo de fraterna correctione : & nos infra tract.21. cap.7. num.67.docebimus; quod in tali dubio cessat obligatio corrigendi, nisi in articulo mortis, & quando ex omissione correctionis sequitur damnum contra bonum commune, aut in detrimentum Innocentis. Sic ergo & nunc dicimus, quod in tali dubio, & sub circunstantijs relatis, non tenetur confessarius pœnitentem monere, veritatem illi aperiendo, & à conscientia erronea liberando. ¶ Nota tamen, quod si de contrahendo matrimonio agatur, aut quocumque alio contractu ineundo, tunc monere debes pœnitentem, aut consulentem, etiamsi damna timeantur. Tum quia omnibus maior est reverentia Sacramenti. Tum etiam, quia post contractum matrimonium, solet error agnosci, & cum scientia nullitatis in peccata ruunt, & difficillimè à coniugio separantur. His duobus numeris dicta adnotare volui, quia sunt aliqui confessarij adeò inexpertes, vt statim ac dignoscunt aliquem pœnitentem conscientia erronea invincibili laborare, ei veritatem detegant, & quando medicinam sibi videtur applicare, venenum propinant; quia ex tali monitione cum peccatis repetunt, quæ sine culpa antea exequebantur. Quare maxima prudentia in confessario necessaria est, vt sciat quando debeat veritatem aperire, & quando eam expediat celare. Sed de his latius, dum loco citato de præcepto correctionis sit nobis sermo.

Hic agendum nobis erat de conscientia probabili; cœterum quia difficultates, & quæstiones, quæ circa eam movent Doctores, sermonem exigunt prolixiorem, quam methodus huius Cursus Moralis patitur, ideò pro nunc ab illarum discussione supersedemus, remittentes Lectorem ad ea, quæ in diversis locis huius nostri Cursus de licito vsu opinionis probabilis, licèt per transennam docuimus.

CAPUT VI.

De conscientia dubia.

BReviter ab hoc Capite nos expediemus, quia plura, quæ ad conscientiam dubiam attinent, manent decisa in diversis huius Cursus tractatibus. Nam in tract.9.cap.15.punct.4. egimus de redditione debiti in matrimonio dubio. In tract.10. cap.1. punct.16. diximus, quomodo se gerere debeat, qui dubius est, an censuras incurrerit : & de Irregularitatibus cap.7. punct.3. num.42. Tract.11. cap.2. punct.6. egimus de lege dubia : & tract.17.cap.1. punct.6. §.2. de Voto, & Iuramento dubio : & tract. 18. cap.1.punct.6.de Privilegijs dubijs : & de alijs dubijs circa diversas res alibi etiam resolvimus. Quare hic solum, quæ alibi desiderantur decidere in hoc Capite per tria Puncta curabimus.

Punct. I. *AN sit peccatum, & quale, operari cum conscientia dubia; & quomodo sit deponenda?*

Punct. II. *Vtrùm ad deponendam conscientiam dubiam, licèat vti Epikeia?*

Punct. III. *An licitum sit Crucifixi Imaginem apparentem venerari, quando dubitatur, an sub illa specie lateat dæmon?*

PUNCTUM I.

An sit peccatum, & quale, operari cum conscientia dubia; & quomodo sit deponenda?

Pro dubij decisione aliqua notãtur.

1 TItulus quæstionis innuit, dari conscientiam dubiam : quare, priusquam ad eius difficultates resolvendas, gradum faciamus, aliqua supponenda, & breviter probanda sunt. Supponendum ergo primò est: dari conscientiam dubiam, quæ non aliter melius probari potest, quam experientia ipsa: quotidie enim experimur intellectum nostrum multoties dubium, & ancipitem manere, quin possit inflecti magis in vnam, quam in alteram partem : quare cum conscientia in communi sit applicatio scientiæ vniversalis ad opus; & conscientia in particulari; v.gr. recta, aut probabilis, applicatio rationis rectæ, aut probabilis ad opus determinatum; conscientia dubia erit:

Ap-

Applicatio dubij vniversalis ad dubitandum de opere particulari. An, v.gr. sit hic, & nunc licitum, aut non? ¶ Secundò: supponendum est, hoc dubium posse esse vel speculativum, aut practicum: dubium speculativum est, quando quis in communi dubitat, an liceat hoc; vel illud agere; vt si dubitatur, an die festo liceat iter agere: practicum est, quando dubitat de hoc opere in particulari, an liceat hic, & nunc illud agere; v. gr. an sit mihi licitum die festo hunc contractum inire, vel non? ¶ Tertiò: supponendum est, dubium esse posse, vel de iure, vel de facto: de iure, quando dubitatur, an detur hæc, vel illa lex; hoc, aut illud præceptum: de facto, quando dubitatur, an recitaveris officium canonicum, nec ne? ¶ Denique supponendum est, quod, stante dubio speculativo, nequit aliquis practicè licitè operari, nisi adsit aliqua circunstantia nova, aut distincta efficax ratio, quibus illud deponat: alias operaretur contra rationem: vt si dubites, an aliqua levis infirmitas sit causa sufficiens ad omittendum sacrum, nequis illud omittere cum simili ægritudine, nisi illud deponas ob aliquam circunstantiam de novo advenientem, vel ex medici consilio, quo practicè iudices hic, & nunc talem omissionem esse tibi licitam. Dicta tenent Corduba lib.3.quæst.5.dub.5.post primam propositionem. Vazquez 1.2.quæst.19.disput.65. cap.1. num.2. Suarez tom.5. in 3. part. disput. 40. sect.5. num.24. Sanchez in dec.lib.1.cap.10.num.7. & 8. & de Matrimon.lib.2.disput.41.num.6. Montesinos 1.2.tom.1. disput.29. quæst.4. num.76. Bardi discept.5.cap.1.num.9. Palaus disput.3. punct. 1.num.4.& alij. His suppositis.

Operari cũ conscientia dubia est peccatum.

2 Dicendum est, semper esse illicitum operari cum conscientia practicè dubia. Probatur primò ex D. Thom. quodlib.8. artic.13. supr.cit.vbi ait: *Quod qui dubitat, an sit licitum habere plures præbendas, si, manente tali dubitatione, plures præbendas habeat, periculo se committit, & sic proculdubio peccat, magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem.* Quæ ratio D. Thom. est adeò clara, vt non sit necesse eam amplius expendere. ¶ Secundò ostenditur. Ad licitè operandum, debet homo cognoscere bonitatem obiecti; sed qui dubitat non cognoscit bonitatem obiecti, circa quod operatur: ergo licitè non operatur. At è contra ad malè operandum sufficit, non cognoscere bonitatem obiecti, & aliàs cognoscere malum sub dubio; quod quidem facit, qui sub dubio operatur: ergo est malum, & illicitum operari cum conscientia practicè dubia. ¶ Tertiò: sub dubio operans legem Dei contemnit: cum interpretativè faciat hunc actum: *Hoc volo facere, sivè sit contra legem Dei, sivè non.* Sed ita operari cum virtuali divinæ legis contemptu, est peccatum: ergo qui sub dubio operatur, committit peccatum. Vnde hæc sententia est communis, eamque expressè docent Suarez tom.5.in 3.part. disput.40. sect. 5.num.2. Vazquez disput.65.in 1.2.cap.1.n.4. Sanchez in decal. lib.1. cap.10. num.2. omnes Summistæ, verb. *Dubium.* Navarrus cap.Siquis de pœnitent.dist.7.à num.81. Montesinos 1.2. disput.29. quæst.4. num.73.& 82. N.Cornejo tract.8.disput.4.dub.1.num.1. Sotus in 4.dist. 18. quæst.2. artic.5. ad 5. Azor tom.1. lib.2. cap.18. quæst.4. Layman tract.1. lib.1. cap.5. §.1. num.3. Bonacina de Legibus, disput.2. quæst.4.punct.7.num.3. N.Lezana tom.2.verbo *Dubium*, num. 3. Prado cap.1. de Conscientia,quæst.8.num.5. Palaus disput.3.punct. 1.num.5. Tapia tom.1.lib.1. quæst.8. artic.8. Bardi discept.5.cap.2. num.1. Palancus quæst. 15.& alij. Ex qua sequitur, quod si aliquis, dubitans, an sit mortale, aut veniale, operatur, peccabit vel mortaliter, aut venialiter pro dubij qualitate: quia periculo illius peccati, de quo dubitat, se exponit; & consequenter erit eiusdem speciei cum illo. Sic Sanchez cap.10.num.2.& 6.

Ad conscientiam dubiã deponẽdam, requiritur diligens veritatis inquisitio.

3 Inquires secundò: Quomodo est deponenda conscientia dubia, vt licitè operemur? Respondetur, quod vt conscientia dubia deponatur, adhibenda est omnis diligentia ad inveniendam veritatem; vel curandum est, quærere aliquam rationabilem causam ad dubium licitè deponendum. Vnde, si hæc deficiant, absdubio erit peccatum, operari contra talem conscientiam. Nota vero hic, sufficientem diligentiam non solum esse eam, quæ sufficit ad dubium deponendum; sed etiam illam, quæ possibilis est fieri pro vrgentia rei faciendæ. Vnde, si ex vna parte vrget operari, & ex alia oportunitas temporis, & loci non permittit omnem necessariam diligentiam adhibere, sufficit, si ponatur ea, quæ tunc est possibilis, & ea adhibita, poterit conscientiam dubiam deponere, & contra illam operari; quia tunc ignorantia veritatis est prorsus involuntaria, & practicè nullum est peccati periculum.

Aliqui autumant possessionem non sufficere ad dubium deponendum.

4 Rogabis tertiò: an, si adhibita diligentia, veritas ignoratur, sit sufficiens titulus, ad dubiam conscientiam deponendam, possessio in materia iustitiæ? Adrianus in 4. de restitut. quæst.de præscript. §. *Hoc supposito.* Et quod lib.2.punct.2. in solut.2. confirmationis primi argumenti, docet, possidentem bona fide teneri restituere, si post adhibitam sufficientem diligentiam adhuc manet dubius. Et ratio est: quia iuxta regulam illam desumptam *ex cap. Siquis autem dist. 7. de Pœnitent. ex cap. Ad audientiam de homicidio, & cap. Iuvenis de sponsalibus. In dubijs tutior pars est eligenda*; sed in dubio an res sit sua, tutius est eam restituere, quam retinere: ergo debet eam restituere: ergo in tali casu nequit deponere conscientiam dubiam eam retinendo ob titulum possessionis. ¶ Alij vero censent sic dubitantem teneri dividere rem cum persona, de qua dubitat, an sit verus dominus; vel si hic non appareat cum pauperibus. Ita Sotus lib.4. de Iustit. quæst.5. artic.vltim.ad finem vers.*Post hæc autem.* Martinus de Ledesma 2.p.4. quæst.18.artic.1.dub. 14.pag.231. Aragon 2.2.quæst.62. art.1. tract. de dominio ante §. *His constitutis*, & reputat probabile Corduba lib.3.quæst.6.ad 3. in 1.solut. quos allegat Sanchez lib.2. de Matrimon. disp.41.num.11.

Si adhibita sufficiẽti diligentia veritas

5 Sed verior est sententia defendens, in tali casu posse deponere dubiam conscientiam, & licitè retinere rem, quam possidet, imò, &

ritas ignoratur, possessio satis est ad dubiam cõscientiam deponendam.

& dispendere, aut consumere. Quia iuxta regulam illam iuris: *In dubijs melior est conditio possidentis.* Et vt ait regula 5. de regul.iuris in 6. *In pari causa potior est conditio possidentis.* Sed quando dubitas, an res sit tua, vel aliena, æqualiter dubitas: ergo cum alias possideas, melior erit tua conditio. Deinde: licèt sit dubium, an res sit tua, non tamen est dubium te illam possidere: ergo habes duplex ius, alterum dubium, & alterum certum possessionis: sed duplex ius superat vnicum dubium, & incertum: ergo pro te est fortius ius, & potior conditio. Vltimò in foro externo nullus in dubio spoliatur re, quam bona fide cœpit possidere: nam vt ait regula 11. de regul. iur. in 6. *Cum sunt partium iura obscura, reo potius favendum est, quam actori.* Et sic requiritur evidens probatio, vt illa privetur, vt dicitur lib.1. in fine, cap. *De conditionibus insertis.* Sed forum internum conformatur cum externo, nisi hoc falsa præsumptione innitatur: vt communis Theologorum fert sententia apud Sanchez in Decalog.lib.1.cap.10. num.11. ergo in casu posito non debes te spoliare re possessa, neque cum alio, de quo dubitas, an sit illius dominus, eam dividere. Ita tenent Covarrub. reg. possessor.2.part.§.7. num.4. Vazquez 1.2.disput.66.cap.7.num.42.Salas tract.8.disp.vnica, sect.23.num.223. Anton. Perez in sua laurea, certam.10.Scholast. num.127. Molina tom.1. de Iustit.tract.2. disput.35. in fine. Villalobos tom.1.Summ.tract.1.difficil.20.num.1. Sayr. in Clavi, cap.13. num.13. Tapia tom.1. Caten. Mor.lib.1.quæst.8.art.9.num.3. Palaus tom.1. disput.3.punct.2.num.4. Escobar lib.2. sect.2. problem.35.num.142. N.Lezana tom.2.verbo *Dubium*, num.4. Et nos tract.13.cap.1.punct. 3.§.3.num.64. Eandem sententiam docuimus, simulque ab hac regula excluimus accipientem rem à principio cum tali dubio. Videantur ibi dicta à num.62. ¶ Sed hic interim nota (vt tacitam obiectionem diluas) quod dubium impedit bonam fidem in possidente, quando cum illo incipit rem possidere. Secus vero, si postea suboriatur: & ita, dum aperte non probatur, rem esse alienam, pro possidente est præsumptio, vt dicitur in cap. *Si virgo* 34. quæst.1.per hæc verba: *In iure prædiorum tantum vnusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quandiu possidere se ignorat alienum.* Quare possidenti favendum est, quin debeat aliquid pro dubio restituere, iuxta leg. *Is, qui destinavit, ff. de rei vindic.* & §.3. *retinendæ, institut. de interdictis.* ¶ Per quod patet ad obiectionem positam: quia principium: *In dubijs tutior pars est eligenda*, non tenet in materia iustitiæ, quando favet possessio. Tunc enim solum vim habet aliud in nostra conclusione positum: nimirum, *melior est conditio possidentis.* Vide etiam dicta à nobis tract.10.cap.7.punct. 3.num.47.vbi explicuimus regulam iuris nobis oppositam.

In sola materia iustitiæ favere titulum iustitiæ ad deponendam conscientiam dubiã, aliqui sentiunt.

6 Inquires quartò, & difficilius, an in materia aliarum virtutum extra iustitiam sit sufficiens ratio, ad deponendam conscientiam dubiam titulus possessionis? Prima sententia est negativa: & probatur primò ex cap. *Ad audientiam*, & cap. *Significasti*; & cap.penult. *de Homicidio*: vbi in dubio an Sacerdos quidam homicidium commisserit, censeri debet irregularis: & reddit rationem: *Cum in dubijs semitam debeamus eligere tutiorem*: & cap. *Significasti. In hoc dubio, tanquam homicida debet haberi Sacerdos: cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare.* Vlterius probatur ex cap. *Illud dominus de Clerico excommunicato ministrante.* Vbi Pontifex decernit Episcopum dubium de excommunicatione deponendum esse, si celebravit. Et causam offert: *Quia tamen in dubijs via est tutior eligenda, & si delata in eum sententia dubitaret, debuerat potius se abstinere, quam sacramenta pertractare.* Ergo extra materiam iustitiæ titulus possessionis non est sufficiens ad conscientiam dubiam deponendam. Probatur secundò, ab inconvenienti: quia aliàs nullum præceptum in dubio obligaret, cùm semper adsit possessio libertatis: ergo &c. Tertiò: quia contraria sententia non tradit regulam certam ad diiudicandum, quando pars minus tuta sit sequenda, & quando libertas possidet in dubio: ergo possessio non est sufficiens regula ad deponendam conscientiam dubiam. Sic tenent plurimi Iuristæ, in cap. supra citat. qui videri possunt apud Sanchez in Decal. lib.1. cap.10. num.10. Insuper ex Theologis eam defendunt Azor tom.1.Instit.Mor. lib.2.cap.19.quæst.10. & lib.11.cap.15. quæst.2. Sayr. in Clavi Reg. lib.1.cap.13.num.6.Vazquez 1.2.disp.65.cap. 3.num.13. Anton. Perez certam.10. Scholast. num.132. Salas tract.8.disp.vnic.sect.17.num. 162. Tabiena verbo Dubium, num.3.quæst.2. Manuel 2.tom.Summ.cap.15. num.6. concl.4. N.Cornejo tract.8.disp.4.dub.2.num.2. Montesinos disp.29.quæst.4.num.112.& alij.

Verius est in omni materia valere.

7 Secunda sententia, & verior asserit, in omni materia aliarum virtutum extra iustitiam, titulum possessionis cum bona fide esse sufficientem ad deponendam conscientiam dubiam. Hanc conclusionem insinuavimus tract. 11.cap.2.punct.6.num.109. & probatur. Ideò in materia iustitiæ valet, quod in dubio melior sit conditio possidentis: quia possessio est novus titulus; sed vbi datur novus titulus in quacunque materia sit, est potior conditio, & fortius ius: ergo sivè sit in materia iustitiæ, sivè Religionis, vel temperantiæ, titulus possessionis est sufficiens ad dubiam conscientiam deponendam. Secundò: quia semper, quando iura sunt paria, favendum est reo, potius quam actori, & nisi hic planè probet, absolvendus est reus; sed possidens est quasi reus: ergo illi favendum est in dubio, seu quando sunt iura paria. Tertiò: quia voluntas possidet suam libertatem: ergo nemo ea privare potest, nisi certo probet onus, seu præceptum iustum. Quare hanc sententiam tenent Sanchez lib.2.deMatrimon.disp.41. num.32. & in Decal.lib.1.cap. 10.num.11. Suarez tom.5. in 3.part. disp.40. sect.5.à num.14. Navarrus cap. Siquis autem, num.34. de Pœnit. dist.7. & in Summ.cap.27. num.281.Villalobos tom.1.Summ.tract.1.difficul.21. num.1. Ioannes Sanchez disput. 42. num.7. Garcia tom.2.de benefic.part.7. cap.2. num.14. Filliuc.tom.2. tract.21. cap.4.numer. 165. Tapia tom.1. lib.1. quæst.8. artic.9. §.1.

n.4.& de Legib.q.15.art.2.Bard.diſcept.5.c.4. n.4.D.Anton.1.p.tit.3.c.10.§.10.poſt 6. regulam. Palaus tract.1. de Conſc. diſp.3. p.6. n.1. Lopez 1.p.c.45. §. *Dubitans de voto.* Raphael de la Torre 2.2.tr.1.q.88.art.3.diſp.3.n.4.Bonacin.de Reſtit.diſp.1.q.2.p.2.§.*Incidenti.*Rocaful lib.4.c.3.n.22. Prado de Conſc. c.1. q.9. §.2.n.10.Dian.4.p.tr.3.reſol.3.& alij.

Primæ ſententiæ argumentis reſpondetur.

8 Ad argumentum primum reſpondetur, S.Pontificem legem ſtatuiſſe irregularitatis in caſu homicidij dubij ob decentiam rerum Sacrarum, ad quod vſus eſt illo principio, quod *in dubijs tutior eſt eligenda*; non quia ſemper eſt obligatorium, vt rectè vidit Suarez tom.5. in 3.part. diſp.40. ſect.6. num.9. Sed quia eſt regulis prudentiæ magis conſentaneum. Vnde diximus tract.10. cap.7. num.47. quod triplicem exceptionem patitur illa regula iuris, in qua verificari nequit. Prima, quando dubius eſt in poſſeſsione. Secunda, quando ſequitur damnum,& incommodum poſsidenti. Tertia, quando, eſtò tutior pars non eligatur, non exponitur periculo peccandi. Quare talis regula eſt conſilium, non præceptum ſemper obſervandum. Ad alium textum in cap. *Illud dominus de Clerico excom.* Reſpondetur Pontificem optimo iure punire excommunicatione Epiſcopum illum, quia non adhibuit diligentiam ad veritatem illius indagandam, & ſic, quia temere celebravit, iuſte ſententia excommunicationis debuit feriri: nam quando non adhibitur diligentia ad ſciendam veritatem, non favet poſſeſsio, vt ſupra diximus, ſed tunc tutior pars eſt eligenda. ¶ Ad ſecundam probationem negatur ſequela: quia non ſemper poſsidet libertas, ſed multoties præceptum, vt infra magis patebit; & tunc obligat contra libertatem. Ad tertium etiam conſtabit ex dicendis.

Traditur certa regula ad cognoſcendū pro quo individuo ſtet poſſeſsio.

9 Inquires quinto: quæ ſit regula certa ad cognoſcendum, quando in dubio ſtet poſſeſsio pro lege,& quando pro libertate? Reſpondetur cum Soto lib.7.de Iuſtit.q.3.art.2.col.3.verſic. *Hic vero.*Aragon 2.2.q.88.art.9.notab.2.Sanchez lib.1.in Decal.c.10.n.13.quod pro eo,pro quo ſtat præſumptio in foro externo, ſtat poſſeſsio etiam in foro interno. Vnde ſi in foro externo ſtat pro lege, pro ea erit poſſeſsio; ſi vero ſtet pro libertate,pro ea etiam erit poſſeſsio. Et ratio eſt:quia ius nihil ſine cauſa præſumit,alioquin temerarium eſſet, quod non eſt credendum, maximè cum præſumptio iuris ſit veriſimilitudo quædam ſufficiens ad rem dubiam credendam:ergo cum iuris præſumptio ſtat pro aliqua lege, etiam in foro conſcientiæ obligare contra libertatem credendum eſt. At, ſi præſumptio iuris ſub lite ſit,aut probabilis,vt nulla cenſenda eſt: quia tunc pro nulla parte ſupponitur certa, & conſequenter erit nulla. Sic præter ſup.cit.docent Bonac.diſp.2. de Peccat. q.4.p.7.n.14. Rocaful 3.p.lib.1.c.3.n.16. Menoch.de præſ.lib.4.præſ.82.n.62.Molin.tom.1. de Iuſtit.diſp.196.col.3.Palaus diſp.3.de Conſcienc.p.6.n.2. Prado cap.1. de Conſc.q.9.§.3. Bardi diſcept.5.c.5.n.4.& 7.Baptiſta diſp.209. dub.9.concl.2.plures alios referens. Salas tr.8. diſp. vnic. ſect. 23. n. 233. & alij. Inveſtigare nunc in præſenti, pro quibus in particulari ſit iuris præſumptio,eſſet,vt optimè dicunt Prado, & Palaus,totam Moralem Theologiam percurrere,& à proprijs locis extorquere. Quare,quia nos iam in proprijs tractatibus egimus, pro quibus in dubio de peccato,de cenſuris, matrimonio,lege,iuramento, voto, & privilegijs ſtet poſſeſsio; ideò ne actum agamus, ad propriam ſedem lectorem remittimus,& quæ in alijs materijs deſiderantur, decurſu operis explicabuntur. Interim vide Magiſtrum Barnabam Gallego loc.cit.qui de conſc.dubia centum,& triginta duo dubia ediſſerit,Caramuel. qui in Theol. fundam.plurima diſcutit, & denique Bardi,qui vſque ad nauſam à pag.109. vſque ad 329. innumerabiles quæſtiones reſolvit.

Sub diſtinctione reſpō detur quæſtioni poſitæ

10 Denique inquires. An ſi facta ſufficienti diligentia, maneat dubium, pro quo ſtet poſſeſsio, poſsit quis partem, quam maluerit eligere? Huic quæſtioni ſub diſtinctione neceſſe eſt reſpondere. Nam, quando facta diligentia, adhuc ſub dubio eſt, quæ pars poſsideat, vel agitur de actione elicienda, quæ dubitatur, an ſit illicita; vel de rei alicuius dominio, an ad hunc, vel illum pertineat? Si primum, ſuperſedendum eſt ab actione; quia tunc adhuc eſt practicè dubius, & ſi cum hoc dubio eliceret aliquam actionem abſdubio peccaret; cum ſe committeret peccandi periculo. Si ſecundum: ſi res eſt diviſibilis, dividenda eſt inter litigantes, iuxta qualitatem dubij; ſi vero eſt indiviſibilis erit ſortienda, aut iuxta arbitrium vtriuſque partis componenda. Sed quid dicendum, quando neceſſario eſt operandum,& ignoratur, quod præceptum poſsideat? Reſpondetur: Tunc vtrumlibet poſſe eligi: quia cum vtrumque impleri non poſsit,non eſt ratio,quare vnum alteri præponatur. Ita Sanchez lib.1. cap.10.n.19. Corduba lib.3.q.5.poſt 2.prop. in 1.reg. Medina 1.2.q.19.art.6. concl.4. q.4. & alij.

PUNCT. II.

Vtrùm ad deponendam conſcientiam dubiam, licèat vti Epikeia?

Oſtenditur quid ſit epikeia.

11 EPikeia, ſi ad nominis ethimologiam attendamus, nihil aliud eſt, quam quædam iuris benignitas. Et ſic ait Panormitanus in cap.vltimo de tranſact. num.5. *Epikeia eſt iuſtitia dulzore miſericordiæ temperata.* Quia eius munus eſt legis rigorem pro aliquibus caſibus temperare, & declarare legislatorem in aliquo caſu particulari,noluiſſe obligare ob occurrentes circunſtantias. Vnde differt à riguroſa legis interpretatione: quia interpretatio verſatur circa verba legis, quando ſunt obſcura,an habeant hunc ſenſum,vel illum;at epikeia ſupponit determinatum ſenſum verborum, & inſuper tales perſonas comprehendi ſub lege; ſed in hoc caſu particulari ob aliquam circunſtantiam occurrentem præſumit noluiſſe legiſlatorem obligare, & ſic ſubditum eſſe excuſatum à lege ſecunda. His ſuppoſitis.

Affirmant aliqui,in dubio licitam eſſe epikeiā.

12 Quæritur primò: Vtrùm liceat vti tali epikeia in caſu dubio obligationis legis humanæ civilis, aut Eccleſiaſticæ, ſi poteſt conſuli Su-

Superior. Affirmant Sylveſter verbo *Papa.* Corduba lib.3.quæſt.13.ante regulum 1. Henriquez lib.4. de Irregul. cap.3. & Salas 2. part. tract.8.diſput.vnica, ſect.25.num.259.& 260. Et fundamentum illorum eſt; quia voluntas poſsidet ante legem ſuam libertatem: ſed in dubio nequit ea privari: ergo in dubio poteſt ſe excuſare à lege, vtendo epikeia. ¶ Negant, & verius D. Thom.2. 2. quæſt.120. artic.1. in corpore,& 1.2.quæſt.96.artic.6.ad 2. Cayetan. ibi. Medina cap.de Pœnitentia, tract. de ieiunio, quæſt.de his, qui tenentur ad ieiunia. Sotus lib.1.de Iuſtit.quæſt.6. articul.8. concluſ.3. Thomas Sanchez lib.2. de Matrimon. diſp.41. num.37. Suarez lib.6.de Legibus, cap.8.num. 10.Vazquez de Euchar. diſp.219. cap.4.num. 43. Palaus diſp.3.punct.8.num.2.Merolla tom. 1.diſp.3.cap.3.dub.2.num.128. Sanchez diſp. 43.num.8.Breſſeus deConſcientia,lib.4.cap.17. num.179. Bardel.tom.1.lib.5.diſp.47.num.16. & alij. Et nos etiam docuimus tract.11. cap.4. num.41. Probaturque primò authoritate D. Thom.ex loc.cit. 1.2. vbi ait: *Si enim dubium ſit, debet vel ſecundum verba legis agere, vel ſuperiorem conſulere.* Ex quibus ſic arguitur: Operari cum conſcientia dubia, quando deponi poteſt, eſt peccatum; ſed in caſu poſito, dubitatur, an voluerit illum comprehendere ſub lege, & alias dubium deponi poteſt ex conſilio Superioris: ergo non licèt vti epikeia in tali dubio, Superiori in conſulto. Secundò: in tali caſu lex eſt in poſſeſsione, & mens Superioris volentis ſubditum in hoc caſu ab ea eximere, eſt dubia: ergo, ſi adiri poteſt Superior, non eſt principium ad conſcientiam deponendam, inconſulto Superiori, vtendo epikeia. ¶ Per quod patet ad argumentum. Non enim poſsidet libertas, ſed lex quæ eſt certo lata, & ſupponitur iuſta, & recepta, & ſolum eſt dubium, an hic, aut ille caſus ſub illa comprehendatur. Quare, ſi ad non poſſeſsionem legis ſufficeret, quod antea poſsideret libertas,numquam daretur caſus,in quo lex poſsideret, cum pro priori ad legem poſsideat libertas: tollitur ergo talis libertas per promulgationem legis iuſtæ, & acceptatæ.

Non eſt licitum vti epikeja in caſu dubiæ obligationis,& ſi Superior adiri non poſsit.

13 Rogabis ſecundò: An in dubio obligationis legis in hoc, aut illo caſu, poſsit vti epikeia; quando non poteſt conſuli Superior, & vrget operatio, caſuſque ſit moræ impatiens? Affirmant ſupra relati Authores. Nam nimis durum eſt, obligare homines legibus non certis, ſeu dubijs; ſed in caſu poſito dubia eſt legis obligatio: ergo non poſſunt homines per illam obligari. Deinde Cordub.q.13.lib.3. explicando quartum modum deponendi conſcientiam, aſſerit, interpretari leges in foro contentioſo pertinere ad Legislatorem, in foro vero conſcientiæ ad quemlibet in facto ſuo in dubijs interpretari,& epijkiezare, ſi ipſe eſt doctus: ergo iuxta iſtum authorem quilibet poterit vti epikeia,ſivè poſsit,ſivè non conſuli Superior.¶Negat ſecunda ſententia, & verius, quam defendunt D.Th.Cayet.Medin.Vazq.& vterque Sanchez ſupra relati, quibus adhærent Bonac.diſp. 1.de Legib.q.1.p.vlt.§.2.n.10. Laym.lib.1.tr. 4.c.19.n.4.Pellizar.in man.reg.tr.4. c.2.n.394. Palaus diſp.3.p.8.n.4. Bardel.tom.1.lib.3.diſp. 47.n.16.& alij. Et prima ratio eſt: quia lex eſt certa,& ſolum eſt dubia nolitio Superioris: ergo dum hæc non probatur, pro lege ſtandum eſt.Secundò:Nam impotentia adeundi, & conſulendi Superiorem, non tollit, quod lex certo non poſsideat: ergo hic nequit habere locum epikeia.Per quæ ſolvuntur argumenta.¶An autem ſit licitus vſus epikeiæ reſpectu legis naturalis, & Divinæ reſolvimus tract. 11. cap. 4. punct.3.num.42.

PUNCT. III.

An licitum ſit Crucifixi Imaginem apparentem venerari, quando dubitatur, an ſub illa ſpecie lateat dæmon?

Deſcribitur occaſio dubij.

14 OCcaſionem dedit huic dubio, quod refert ſanctiſsima, doctiſsima, & glorioſiſsima Mater noſtra Thereſia in lib. vitæ ſuæ cap.29.col.5.pag.193.& in lib. fundat.c.8. vbi narrat, quemdam confeſſarium ei præcepiſſe,vt digitis ſannas oſtenderet Chriſto ſub propria imagine apparenti,ob dubium,quod habebat de veritate illius revelationis, & apparitionis,& quia iudicabat ſub illa figura dæmonem apparere. Sed audiamus eius verba loc.cit.lib. vitæ.*Como las viſiones fueron creciendo, vno de ellos, que antes me ayudaba (que era con quien me confeſſaba algunas vezes,que no podia el Miniſtro) començò à dezir, que claro era demonio. Mandabame,que yà que no avia medio de reſiſtir, que ſiempre me ſantiguaſſe, quando alguna viſion vieſſe, y dieſſe higas, y tuvieſſe por cierto era demonio,y con eſto no vernia.*An autem hoc licitum ſit ad trutinam,& examen revocamus.

Non poſſe licitè apparentem Crucifixum adorare,qui dubitat ſub illa figura dæmon delitescere, aut ab illo eſſe fabricatam,tenent aliqui.

15 Thom.Sanch.lib.2.deMatrim.diſp.41. n.43.& 53. occaſione cuiuſdam argumenti, & Bardi de Conſc.diſcept.6. cap.3. §.22. docent non poſſe Crucifixum apparentem adorare eum,qui dubitat ſub illa figura dæmonem eſſe, aut ab ipſo tunc efformari.Quorum vnica ratio ea eſt: quia venerans Crucifixum ſub prædicto dubio ſe committit periculo idololatriæ, nimirum dæmonem adorandi;ſed periculo idololatriæ ſe committere, eſt intrinſece malum: ergo in dubio poſito licitum non eſtCrucifixum adorare,& conſequenter honeſtum eſt, ſannas irriſorias ſimili apparitioni exhibere. Vrgetur: Nam quando ſannas oſtendebat Virgo puriſsima Thereſia, & conquerebatur cum Chriſto de tam acerba obedientia, reſpondit ei, optimè operari præceptum confeſſarij adimplendo:*Deziame, que no ſe me dieſſe nada, que bien hazia en obedecer, mas que èl haria, que ſe entendieſſe la verdad.* Sed quod Chriſtus approbat,licitum eſt:ergo licitum eſtCrucifixum apparentem non adorare,quando dubitatur, an ſub illa figura lateat dæmon, aut ab ipſo ſit tunc confecta. Et hanc ſententiam tenent Medin. tom.1. in 3. p. q.25.art.3.concl.2. pag.557. cui adhæret Bazquez diſput.108. cap.5. citans pro ſe D. Bonaventur. Alexandrum, & Adrianum, aſſeritque peccatum idololatriæ committere,qui imagines apparentes Chriſti,& aliorum Sanctorum

venerantur absolutè, & absque hac explicita conditione: *Si vere Deus, aut vere Sanctus est, & non aliter te adoro.* Et tationem reddit, quia cum sub eisdem aliquando dœmon deliteat, exponit se periculo dœmonem adorandi, quod est illicitum.

Per se loquèdo potest tales imagines quilibet adorare.

16 Dicendum tamen est primo, per se licitum esse apparentes imagines Christi, aut Sanctorum adorare, etsi dubium sit an sub illis delitescat dœmon, vel illas efformaverit; & consequenter est illicitum talibus imaginibus convitia dicere, & sannas ostendere. Hanc sententiam tenet, & docet expressissimè Sanctissima Doctissima,& seraphyca M.N.Theresia lib.Mansionum, mansione 6.cap. 9. per hæc verba: *Dezia vn gran Letrado, que el demonio era vn gran pintor, y si le mostrasse muy al vivo la imagen de el Señor, que no le pesaria, para con ella avivar la devocion, y hazer al demonio guerra con sus mismas armas: que aunque vn pintor sea muy malo, no por esso se ha de dexar de reverenciar la imagen, que haze, si es de todo nuestro bien. Pareciale muy mal lo que algunos aconsejan, que den higas, quando viessen alguna vision; por que dezia, que adonde quiera que veamos pintado à nuestro Rey, le hemos de reverenciar: y veo que tiene razon: pues aun acà se sentiria, si supiesse vna persona, que quiere bien à otra, que hazia semejantes vituperios à su retrato, ni gustaria de ello; pues quanto mas es razon, que siempre se tenga respeto adonde vieremos vn Cruzifixo, y qualquier retrato de nuestro Emperador? Aunque he escrito esto en otra parte, me holguè de ponerlo aqui, porque vi, que vna persona anduvo afligida, que la mandaban tomar este remedio: no sè quien le inventò, tan para atormentar à quien no pudiere hazer menos de obedecer, si el Confessor le dà esse consejo, pareciendole va perdida, si no lo haze. El mio es, que aunque os le den, le digais esta razon con humildad, y no le tomeis. En extremo me quadraron las buenas, que me diò quien me lo dixo en este caso.* Hucusque Seraphyca virgo Spiritu Sancto plena, & in schola cœlesti erudita. Sed, quia apud omnes eius doctrina in corde, & votis est, molestum minime erit aliam eius authoritatem addere ex lib. Fundationum, cap.8. pag.235. desumptam,vbi sic omnes edocet.

Prosequitur eadem doctrina.

17 *Yo sè de vna persona que le traxeron harto apretada los Confessores por cosas semejantes, que despues, à lo que se pudo entender, era Dios; y harto tenia (quando veia su imagen en alguna vision) que santiguarse, y dar higas, porque se lo mandaban ansi. Despues, tratando con vn gran letrado Dominico Fray Domingo Vañez, dixo, que era mal hecho, que ninguna persona hiziesse esto: porque adonde quiera, que veamos la Imagen de Nuestro Señor, es bien reverenciarla, aunque el demonio la aya pintado: porque èl es gran pintor; y antes nos haze buena obra, queriendonos hazer mal, si nos pinta vn Crucifixo, ò otra Imagen, tan al vivo, que la dexe esculpida en nuestro corazon. Quadròme mucho esta razon; porque quando vemos vna Imagen muy buena, aunque supiessemos la ha pintado vn mal hombre, no dexariamos de estimar la Imagen, ni hariamos caso de el pintor, para quitarnos la devocion.* Hæc Seraphyca Doctrix, eamque sequuntur eius filij, & inter eos singulariter N. Salm. Scholast. tom. 10. tract.21.disp.37.dub. 3. §.5. num.53. Fr. Antonius ab Anuntiatione in disceptat. mystica, tract. 4. q. 1. art.5.n.21. P. Gratianus tract. de verb. spirit. cap. 2. p. 2. Ioannes à Iesu Maria in Schol. orationis.tr. 13. dub. 28. & alij.

Insuper ostenditur ratione.

18 Probaturque hæc sententia ratione desumpta ex verbis relatis. Quia imaginem non aliter adoramus, nisi quatenus prototypum repræsentat; sed quælibet imago Christi, etsi à dœmone picta, Christum verè, & propriè repræsentat: ergo illam adorare debemus. Maior probatur ex 7. Synodo act. 7. vbi sic ait: *Imaginis enim honor in prototypum resultat,& qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum.* His consonat D. Thom. 3. part. quæst. 25. art. 3. in corpore, his verbis: *Relinquitur ergo, quod exhibeatur imagini reverentia solum in quantum est imago: & sic sequitur, quod eadem reverentia exhibetur imagini Christi, & ipsi Christo.* Idem docet 2. 2. quæst. 81. art. 3. ad 3. & in 3. distinct. 9. q. 1. art.2. quæstiunc.2. ergo imagini solum debetur cultus,prout prototypum repræsentat. Tunc sic. Sed licet dubium sit, an dœmon illam depinxerit, vel fabricatus sit, non tamen est dubium, sed potius evidentia, quod crucifixum verè, & realiter repræsentet: ergo illam licitè possumus adorare. Confirmatur. Nam imagines Christi, & Sanctorum non adoramus propter earum artifices, sed ob prototypum, quem repræsentant. Plerumque enim scimus, plures imagines depictas, & fabricatas esse à Gentili, Hæretico, vel Catholico, licèt vitijs, & criminibus coinquinato; quo non obstante, eas adoramus, quia in esse repræsentativo sunt, vel Christus, Beata Virgo Maria, aut alius Sanctus: sed imagines fabricatæ à dœmone, etsi in eis delitescat, verè, & propriè sunt in esse repræsentativo Christus, aut Beatissima Virgo Maria: ergo licitè possumus illas adorare.

Semper est illicitum talibus imaginibus convitia dicere.

19 Dicendum est secundò: quod licèt in casu dubij, an author illius imaginis sit dœmon, posimus abstinere à veneratione illius, tamen semper illicitum est illi convicia inferre, & sannas ostendere. Et probatur primò authoritate Matris nostræ aientis, vbi supra. *Si el Confessor le dà esse consejo, pareciendole va perdida, si no lo haze. El mio es, que aunque os le dèn, le digais esta razon con humildad, y no le tomeis.* Ergo ex mente D. Theresiæ licitum non est, imagini Crucifixi apparenti, etiam sub dubio, an illius author sit dœmon, convitia dicere, & sannas manifestare. Deinde ostenditur ratione eiusdem Cœlestis Doctricis: Quia calumnia illata imagini, directè infertur prototypo, & in illius convitium redundat: cum in esse repræsentativo sit idem cum illo; sed talia convitia Christo inferre blasphemum est: ergo & illa dicere contra illius imaginem. Sed audiamus D. Theresiam: *Si supiesse vna persona, que quiere bien à otra, que hazia semejan-*

mejantes vituperios à ſu retrato, no guſtaria de ello; pues quanto mas es razon, que ſiempre ſe tenga reſpeto, quando vieremos vn Crucifixo, y qualquier retrato de nueſtro Emperador? Vnde ægre ferens tale conſilium, concludit: *No sè, quien inventò eſte remedio tan para atormentar.* Probatur ſecundò: quia, vt dicunt Suarez loco citato, & Lorca quæſtione 25.art.3. diſput.93.num.20. Licèt non ſit præceptum affirmativum obligans ſemper imagines adorare; tamen eſt præceptum naturale negativum non inferendi eis iniuriam, cum hæc redundet in prototypum: ergo eſt graviſsimum peccatum illis convitia dicere, aut ſannas monſtrare. Quare vt illicitum reprobandum eſt, vt docet etiam ipſe Suarez diſp.64.in 3.part.ſect.6.

Argumentis reſpondetur.

20 Ad argumentum primum contrariæ ſententiæ reſpondetur in adorando Imaginem Crucifixi, ſub qua deliteſcit dœmon, nullum eſſe periculum idololatriæ, cum non colatur, quod deliteſcit ſub Imagine, ſed quod imago repræſentat; & nullus Catholicus eſt adeò ſtolidus, vt vel materiam, ex qua imago fit, vel dœmonem, qui ſub illa deliteſcere poteſt, adoret; agnoſcit enim ſolum adorare debere Chriſtum, qui per illam repræſentatur. Vt his verbis Concil.NicenumDeum venerari nos docet:

Hoc Deus eſt, quod imago docet, ſed non Deus ipſa.

Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa.

Quod clarius, loquendo de Chriſto, hi duo ſequentes verſus explicant:

Effigiem Chriſti, cum tranſis, pronus adora;

Nec tamen effigiem; ſed quid deſignat, honora.

Hoc ergo modo Chriſti Imaginem venerando, evidens eſt, nullum eſſe idololatriæ periculum. ¶ Ad ſecundum dic, Chriſtum laudare pronam D.Thereſiæ obedientiam; non vero illius materiam, quæ illicita certe eſt, vt ait Suarez tom.1.in 3.part.diſp.64.ſect.6.§.dico 3.

Per accidens poterit eſſe illicitum tales imagines adorare.

21 Dixi in prima concluſione per ſe eſſe licitum apparentem Crucifixum adorare, cuius authorem eſſe dœmonem, dubitatur; quia, licèt per ſe, poſsit quis illi tunc tribuere adorationem, per accidens tamen poterit ab ea abſtinere. Et ratio eſt, quia, cum frequenter per talem imaginem dœmon animæ alloquatur, ſi eius verbis credat, facilè deceptionem patitur: quare optimè dicit N. Ioannes à Ieſu Maria loc.ſupr.citat.num.28.fol.614.in his viſionibus magna circunſpectione opus eſſe, non quia tales imagines adorare ſit illicitum, ſed quia ex colloquijs cum dœmone poterit quis, facilè deludi. Vnde, ſi aliquis Crucifixo ſic apparenti cultum tribueret, & alias in his, quæ ab illo audit, cum cautione procederet, non credendo, niſi ea, quæ iuxta regulas Theologiæ Myſticæ prodeſſe poſſunt, tunc, vt ſæpiſsimè ait Seraphica Thereſia, non damnum ex illa viſione pateretur, ſed potius magnum lucrum reportaret. Sed ad ita procedendum magna cautela opus eſt, qua plerumque fœminæ carent: quare optimè conſulunt N. Salmantic. loc.cit.in dubijs de authore imaginis apparentis, ceſſandum eſſe ab adoratione illius: quia hoc præceptum adorandi eſt affirmativum, & ſic non ſemper obligat, & maximè in noſtro caſu. At animadverte, omnino eſſe illicitum illis iniuriam, aut convitia inferre, & hoc eſt quod Seraphica Doctrix D.Thereſia execratur. Sed de hac quæſtione infra tract.21, cap.10. num.95.aliquid dicemus.

CAPUT VII.

De conſcientia ſcrupuloſa.

VLtimò diſcutiendam ſe nobis offert conſcientia ſcrupuloſa, quæ, cum ex innani apprehenſione oriatur, ideò quæſtiones parum etiam difficiles de ea moventur: ſed quia præcipuè ſunt circa eſſentiam, cauſas, & remedia, quibus ſcrupuloſi medentur, ideò eas duplici tantum Puncto reſolvere decrevimus.

Punct. I. *Quid ſit ſcrupulus, quæ eius cauſæ, & quibus remedijs medendus?*

Punct. II. *An liceat, agere contra conſcientiam ſcrupuloſam?*

PUNCTUM I.

Quid ſit ſcrupulus, quæ eius cauſæ, & quibus remedijs medendus?

Ethymologia, & eſſentia ſcrupuli traditur.

1 NOn accipitur in præſenti ſcrupulus, ſeu conſcientia ſcrupuloſa iuxta mentem vulgi, apud quod ſcrupuloſi dicuntur, qui obſervantiæ legis divinæ accurate ſtudent: Sed aſſumitur hic magis propriè, vt diſtinguitur ab opinione, & dubio. Scrupulus enim, ſi ad vocis ſignificationem attendamus, eſt diminutivum, & oritur à *ſcrupo*, qui ſignificat lapillum, qui in calceo latet, & dolorem cauſat. Vnde vſurpatur iam ſcrupulus ad ſignificandam moleſtiam, & anxietatem animi ortam ex aliqua falſa apprehenſione. Quare ſecundum hanc acceptionem, ita ab omnibus Doctoribus definitur: *Scrupulus eſt levis quædam ſuſpicio peccati ex levibus orta fundamentis.* Sic illum definiunt Sanchez in Decalog.cap.9.num. 2. Vazquez 1.2.diſput.67.cap.2.num.8. Salas 1.2. tract.8. diſput. vnica, ſect.29. num. 291. Perez certam.10.Schol.num.40. Palaus diſput. 4.punct.1. Tapia quæſt.8. lib.1. artic.22. Et quod hæc definitio ſit recta, patet: nam per illam diſtinguitur ſcrupulus à conſcientia recta, vt patet ex ſe: à dubia, quia hæc eſt ſuſpenſio; ab opinione, quoniam hæc oritur ex gravibus fundamentis. Conſtat etiam ex hac diffinitione ſcru-

ſcrupulum conſiſtere principaliter in actu intellectus, & ſecundario in actu voluntatis. Cum ex parte intellectus importet illam ſuſpicionem, ſeu falſam exiſtimationem, & ex parte voluntatis timorem cum animi anxietate: & ſic S. Antoninus, declarans, quid ſit ſcrupulus, ait: *Eſſe vacillationem quandam cum formidine.* Ergo hæc definitio eſt recta, cum ſufficienter explicet naturam ſcrupuli, & diſtinctionem à conſcientia certa, dubia, & probabili. Videatur laudatus Doctor 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 9. qui latè de hoc diſputat.

Referuntur cauſæ ſcrupulorum.

2 Diverſæ ſunt cauſæ, ex quibus hæc ſpiritualis ægritudo oritur. Nam quædam ſunt intrinſecæ, aliæ vero extrinſecæ; ex quibus quædam ſunt naturales, & ſupernaturales aliæ. Cauſæ intrinſecæ naturales corporales plures ſunt: quia quandoque naſcitur ex abundantia atrabilis, ſeu melancholiæ: cuius ratio aſſignari poteſt, quia cum valdè terrea ſit, & frigida, comprimit partes, ne calor cordis eas laxet, & dilatet tranſmittendo ſpiritus ad illas: qua propter frigida complexio auget valdè ſcrupulos, quia vt ait Ariſtotel. lib. 2. de partibus animal. cap. 4. *Metus cauſat frigiditatem, & frigiditas fovet metum.* Vlterius iuxta Philoſoph. in parvis natural. cap. 4. Melancholici facilè moventur phantaſmatibus; & rationem reddit ibi D. Thom. lect. 8. quia, cum tales homines terreſtrem naturam habeant, apti ſunt, vt in illis formentur phantaſmatum impreſſiones. Interdum etiam oritur ex debilitate capitis, & læſione imaginativæ: ſed dum ex his cauſis provenit magis indiget, vt ait D. Hieron. epiſt. ad Ruſtic. remedijs Hipocratis, aut Galeni, quam Theologorum conſilijs. Cauſæ extrinſecæ ſolent eſſe familiaritas cum ſcrupuloſis, lectio librorum de caſibus conſcientiæ tractantium; & aliquando Deus ſolet in pœnam peccatorum, aut ad Sanctorum magis, ac magis elaborandam coronam, ſcrupulos ingerere, imò & permittere, vt dœmon immutet potentias indirectè, commovendo melancholiam, alioſque humores, & ſic animam ſcrupulis torqueat. ¶ Cauſæ vero intrinſecæ huius ægritudinis ſunt nimius amor proprius, ignorantia, puſillanimitas, ſuperbia, & aliæ, quas longum eſſet referre. Videantur interim D. Antoninus 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 9. D. Laur. Iuſtin. de Diſciplin. Monaſtic. cap. 12. & 16. Gerſon tract. de Puſillanim. Ludovicus Granatenſis part. 2. de Devot. cap. 3. §. 3. pag. 164. qui vt aſſolet, non minus devotè, ac eleganter de hoc nervoſe agit.

Notantur aliqua.

3 Sed inquires: quibus remedijs conſcientia ſcrupuloſa eſt medenda? Antequam reſpondeamus, nota, quod neceſſe eſt ante alia cognoſcere hanc infirmitatem: ſi enim hæc ignoratur, quomodo conveniens medicina ei adhiberi poterit; & non minus periculoſum eſt pharmaca ſanis applicare, quam infirmos incuratos relinquere. Cognoſcet autem ſpiritualis medicus tunc pœnitentem hac laborare infirmitate, quando viderit eum ſæpius exiſtimare ſine fundamento, eſſe peccatum, quod re vera non eſt, & hoc ſivè ſit in vnica materia, ſivè in pluribus; ſi enim hoc pluries deprehendit, debet pœnitentem ſcrupuloſum iudicare. Sed notare hic debet confeſſarius eſſe duo genera horum infirmorum: quidam enim ſcrupulis torquentur tam circa futura, quàm præterita, & præſentia: alij vero præcisè circa præterita; v.gr. an integre confeſsi ſunt; an ſit mortale retro acta operatio; an conſenſerint tentationibus; & tamen nihil curant de futuris. Quapropter his mederi difficillimum eſt. ¶ Quo ſuppoſito reſpondetur dupliciter poſſe medicum contra hanc ægritudinem ſe gerere: primò, adhibendo remedia, quibus præveniantur ſcrupuli, ne inſurgant. Secundò, poſtquam inſurgunt, applicando pharmaca ſpiritualia, quibus evellantur, aut ſedentur, & de his agemus in præſenti.

Præcipuum medium eſt humilis obedientia.

4 Præcipuum huius ægritudinis remedium eſt obedientia humilis, propmta, & cœca erga animæ rectorem, aut Prælatum ſpiritualem, & doctum. Dixi erga rectorem animæ, ſpiritualem, & doctum: quia talis eſſe debet ſpiritualis pater. Qui enim ſpiritui accurate non ſtudent, ſpiritu Dei non aguntur, nec ſpirituales filios generant; ſed potius prioribus ſuæ ignorantiæ deſiderijs configurant: coniungat etiam ſpiritualis pater cum ſpiritu ſapientiam, vt ſit in doctrina verax, & viam Dei in veritate doceat. Confeſſarij enim vix limina ſapientiæ ſalutantes, ait Seraphica noſtra S. Thereſia, multum animæ obſunt. Requirat ergo ſcrupuloſus rectorem conſcientiæ ſpiritualem, & doctum, & huic vnicè fidem præſtet, & vocem eius audiat: non curſitet diverſos medicos, quia, experientia teſte, multiplicitas medicorum, & medicinæ infirmos occidit. Non adeat varios caſuiſtas, donec inveniat, qui ad libitum reſpondeat, proferatque ex probabiliſmi Theſauro ſententias cupiditatibus ſuis congruentes, non vero conſcientiæ ſcrupulis oppoſitas; ſed quærat talem ſuæ animæ rectorem, vt Magiſtrum ſuum Chriſtum in omnibus redoleat, & imitetur; huicque vnicè credens ab hoc ſpirituali morbo magis in dies convalebit: nam vt dicitur in cap. Inquiſitioni, de ſententia excommunicationis. *Conſcientia levis, & temeraria explodi debet ad ſui Paſtoris conſilium.*

Quæ debeat obſervare cõfeſſarius erga ſcrupuloſos.

5 Aliqua tamen obſervare debet Confeſſarius erga ſcrupuloſos. Primum, vt ipſos ſuaviter, & benigne pertractet; non tamen permittat ſæpius de ſcrupulis alloqui. Secundum, quod, ſi videat pœnitentem vehementer ſcrupulis cruciari, poteſt, ait Vazquez 1. 2. diſput. 67. cap. 2. num. 8. ei tale conſilium præbere, vt nihil putet eſſe mortale, niſi quod manifeſte, & abſque formidine mortale ipſi videatur: imò interdum poteſt aliquis eſſe adeò ſcrupuloſus, vt niſi iurare poſsit illud eſſe mortale, credere non debeat mortale eſſe; & hoc etiam ei conſilium aliquando præbere oportebit. Hucuſque laudatus author. Tertium, vt non curet ſatisfacere omnibus ſcrupulis; ſed plures contemnat, breviterque aliquibus reſpondeat; alias numquam ſcrupulorum vena exhaurietur. Alias regulas, ſeu remedia, ad vitandos ſcrupulos tradit Sylveſter verb. *Scrupulus*, per hæc verba. Prima regula pro ſcrupulis eſt, vt homo ſe præparet ad gratiam dolore præteritorum, cautela futurorum. Secunda,

da, ſollicita Sacræ Scripturæ indagatio. Tertia, continuatio devotæ orationis, quæ eſt optimum remedium, ſed eo ſcrupuloſi parum vtuntur, & malè. Qui plura voluerit ad medendum huic ægritudini, laudatos authores conſulat.

Quomodo medendum eſt ſcrupuloſis circa confeſsionē, & doloris defectum.

6 Sed inquires primò: quæ medicina applicanda eſt his, qui ſcrupulis vexantur circa peccatorum confeſsionem, doloris defectum, & in ſuggeſtionibus conſenſum? Ad primum reſpondetur, Confeſſarium admonere debere tali ſcrupulo laborantem, quod niſi certo ſciat, tale peccatum faſſum non fuiſſe, illud in confeſsione aperire, non teneatur: imò non ſolum Vazquez ſupra citatus, ſed & Saà verb. *Dubium*. Sanchez in Decalog.lib.1. cap.10.num. 82. Azor tom.1.lib.2. cap.20. Bonacina de Præceptis, diſput.2. quæſt.4. punct.8. Palaus tom.1.tract.1.diſput.4.punct.2.num.4. Tapia tom.1.lib.1.quæſt.8.artic.23. num.3. Delugo part.1.prævij decurſus, cap.4. ſect.2. num.15. & alij iudicant accidere poſſe ita aliquem ſcrupulis torqueri, vt niſi iure iurando affirmare poſſet, quod tale peccatum ſit mortale, vel quod non confeſſus fuerit, non teneri clavibus confeſsionis illud ſubijcere. ¶ Secundò, ſcrupulo ſcilicèt de doloris defectu, eſt occurrendum, perſuadendo illis certum eſſe habuiſſe ſufficientem dolorem: quia præſumptio pro illis ſtat: cum ex vna parte ſciant ad validam confeſsionem eſſe neceſſarium ſupernaturalem dolorem, & ex alia à peccatis abhorruerint, & divina præcepta obſervare ſtuduerint. ¶ Tertiò, ſcrupulo de ſuggeſtionum conſenſu, ſatisfieri poteſt, dicendo illi debere practicè deponere conſcientiam illam ſcrupuloſam; quia vt in plurimum in ſimilibus hominibus ſimilis anxietas, & dubitatio eſt imprudens. Vnde ſi forte talis conſenſus ſit verè talis, excuſabitur per accidens à confeſsione ob conſcientiæ ſcrupuloſæ naturam, & maximè ſi id fiat prudentis Confeſſarij conſilio.

Quid ſit dicendum de ſcrupuloſis circa Officiū Divinum.

7 Inquires deinde, quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum ſcrupuloſis circa recitationem Officij Divini? Ad quod dicunt Navarrus de Oratione, notab.13.num.28. Suarez de Religione, tom.2. lib.4. de Horis Canonicis. Bræſſerus lib. 6. de Conſcient. Scrupuloſ. cap.13. num.167. Bardi diſcept.7. cap.6.§.4. num.3. & alij, quod, ſi ſcrupuloſus dubitat, an in Officio Divino recitando prætermiſerit hos, vel illos Pſalmos, aut Hymnos; tunc Confeſſarius debet illi dicere non teneri, nec debere eos repetere. Quia ſufficiens cauſa eſt deponendi ſcrupulum, incæpiſſe, imò, & finiſſe talem Horam, aut Officium. Et idem dicendum eſt, quando dubium eſt de neceſſaria attentione ad debite recitandum. At ſi dubium eſſet non de parte Horæ Canonicæ inceptæ, ſed de tota hora: tunc videndum eſt, an ſæpius tali dubio laboret, an non? Si primum, vt innanis ſcrupulus habendus eſt, ſi ſecundum, tenebitur iterum recitare. ¶ Hic placuit ſcribere remedium, quod adhibere, nec infructuoſe, vidi, ſcrupuloſis circa Officium Divinum perſolvendum: nimirum illis præcipere, vt flexis genibus Horas Canonicas, de quibus dubitant, recitent. Hoc remedio, experientia teſte, pluribus mederi, compertum eſt. Et ratio eſt clara: quia cum ſcrupuloſi amore ſui inordinato redundent, laborem effugiunt; & timore huius medicinæ confeſſorem adire metuunt; & ita per ſe ipſos curant ſcrupulis ſatisfacere. Vnde evenit quod brevi tempore, inconſulto confeſſore, illis occurrant, & denique ab eorum cruciatu liberentur.

Quid dicendum de illis ſcrupuloſis, quibus ſuæ conſcientiæ cura non eſt?

8 Sed quomodo medendum erit illis ſcrupuloſis, qui circa præterita valde ſcrupulis vexantur, at de peccatis in poſterum vitandis parum curant? His aiunt Vazquez, Tapia lib.1. Caten.Moral.quæſt.8. artic.24. §.2. num.4. & Sanchez difficillime remedium adhiberi poſſe. Quare quod illis applicare congruit, eſt, vt frequenter ad confeſsionem accedant: ſic enim à peccatis expiati, apti ſunt, vt remedijs alijs vti poſsint. Sed ſi hoc etiam renuant, ſi revera ſcrupuloſi ſunt circa præterita, eodem modo cum illis agendum eſt in eorum dubijs, ac cum cæteris ſcrupuloſis. Sed hic notat optimè Sanchez, hos minimè circa præſentia crimina ſcrupulis vexari, ſed ſolum cruciari circa præteritorum confeſsionem. Vnde tunc, ſi agnoſcat Confeſſarius, ſufficienti diligentia adhibita, ea aliquando integre in confeſsione patefeciſſe; poterit illis ſuadere, ne illorum repetant confeſsionem, niſi forte certo ſciant, tale peccatum in confeſsione minimè manifeſtatum fuiſſe. Hæc remedia hic adnotare volui, qui plura voluerit, citatos Authores adeat, qui ad abigendos ſcrupulos non pauca remedia adhibent.

PUNCT. II.

An liceat, agere contra conſcientiam ſcrupuloſam?

Non licere agere cōtra ſcrupulos in eis perſeverantibus, aliqui ſentiunt.

9 PRincipale, & ſalubrius remedium ex his, quæ ſcrupuloſis ſunt adhibenda, eſt contra ſcrupulos audacter, & fortiter agere; ſic enim puſillanimitas animi, qua foventur ſcrupuli, vincitur, & diſsipatur. Quare tota difficultas eſt, an quando ſcrupulus dictat, aliquod eſſe peccatum, liceat agere contra illum adhuc eo pungente, & perſeverante? Prima ſententia tenet id non licere, ſed prius eſſe deponendum ſcrupulum: cuius prima ratio ſic ſe habet. Nam in cap. *Inquiſitionis*, *de ſententia excommunicationis*, loquendo de vxore habente ſcrupulum de valore Matrimonij, quærens an teneatur ab eius vſu abſtinere, ſic reſolvit S.Pontifex: *Conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa, licitè poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum coniugale.* Vbi ſentit S. Pontifex, quod, vt petitio, & redditio debiti ſint licitæ, oportet prius illud dubium ſcrupuloſum deponere: ergo ad honeſte operandum, ſcrupulus eſt abigendus, priuſquam contra illum agamus. Probatur ſecundò, alio eleganti textu ex cap. *Per tuas de Simonia*: Vbi quidam ordinatus ab Epiſcopo, qui dicebatur Simoniacus, permittitur, inſuſcepto ordine, miniſtrare, non tamen ad alium promoveri, donec deponat errorem ex ſcrupulo

pulo ortum: ergo non licèt operari ſcrupulo non depoſito. Tertiò à ratione: ſcrupulus tollit aſſenſum de honeſtate actionis; ſed ad licitè operandum requiritur determinatus aſſenſus de honeſtate actionis: ergo, niſi depoſito ſcrupulo, non licèt operari. Sic tenent Ludovic. Lopez in ſuo inſtr. part.1. cap.3. verſ. *Ex quo ſequitur*, in fine, & Rodriguez in Summ.tom.2. cap.51.num.3.

Communis ſententia eſt poſſe agere contra illos, & ſi non deponantur.

10 Secunda ſententia, & vera, è contra affirmat, licitum eſſe, operari contra ſcrupuloſam conſcientiam, & ea non depoſita. Quod efficaciter oſtenditur, primò: quoniam ſcrupulus non tollit determinatum aſſenſum de honeſtate actionis: ergo eo non depoſito, poteſt licitè operari. Aſſumptum probatur. Nam ſcrupulus conſiſtit; v. gr. in eo, quod aliquis determinatè iudicans Officium Divinum perſolviſſe, tamen ſuſpicatur ex levibus indicijs, an recta intentione, vel an integre illud recitavit: ergo ſcrupulus non tollit aſſenſum determinatum de honeſtate actionis. Quare vt optimè dixit Cayet. in Summ. verbo *Scrupul.medicina. Dubia ſcrupuloſi non ſunt vt dubia reputanda.* Etenim, vt ait, regius Vates Pſalm. 52.verſ.6. *Illic trepidaverunt timore, vbi non erat timor*: ergo &c. Probatur ſecundò: quia ſcrupulus in omnium ſententia diſtinguitur à dubio; ſed dubium tollit aſſenſum determinatum de honeſtate actionis, facitque intellectum ancipitem, & pendulum manere: ergo ſcrupulus, licèt obnubilet, & quaſi ſuffocet levibus rationibus iudicium determinatum de honeſtate actionis, non tamen poteſt radicitus illud tollere. Vnde non ſolum eſſe licitum, ſed & aliquando neceſſarium, agere contra ſcrupulos, tenent Navarrus in cap. *Siquis autem*, num.64. & 65. & in manuali prælud. 9. num.9. Gerſon 2. part. tract. de Præparat. ad Miſſ.alphab.37.litt.F. D.Antonin.1.part.tit.3. cap.10.§.10. Sylveſter verb.*Scrupulus*. Cayetan.loc.cit. Salas tract.8.diſput.vnica, ſect.29. num.298. Sanchez in Decalog. lib.1. cap.10. num.80. Sayrus lib.1. cap.14. num.4. Tapia lib.1.quæſt.8.artic.24.num.3. Villalobos tract. 1.Summ.diffic.27.num.5. Palaus tom.1.tract. 1.diſput.4. punct.1. num.2. Merolla tom.1. diſput.3.cap.3.dub.3.num.379. Bardi diſcept. 7.cap.4. num.5. Prado cap.1. quæſt. 10. §.2. num.11. Scobar lib. 2. cap. 8. Bonacina de Peccatis, diſput.2. quæſt.1. punct.8. num.5. Filliucius tract.21.num.176.& alij.

Contrarijs argumentis occurritur.

11 Per quæ iam patet ad tertium argumentum deſumptum à ratione. Ad alia duo ex diverſis teſtibus deprompta reſpondetur. Et ad primum ex cap. *Inquiſitionis, de ſententia excommunicat.* dicimus; ibi loqui de conſcientia levis, & temerariæ credulitatis, quæ non erat ſcrupuloſa, ſed dubia, vt ait Gloſſa; & dubitans ex errore, tenetur, vt licitè operetur, deponere illam conſcientiam dubiam erroneam, quia hæc explodit iudicium rectum de honeſtate operationis, non vero conſcientia ſcrupuloſa. Vel cum Thom. Sanchez dic, textum prælegatum intelligi non de exploſione totali, ita vt ſcrupulus nullatenus pungat, hoc enim impoſsibile eſt; ſed de exploſione, ita vt illi non acquieſcat, vel conſenſum præſtet, formando determinatum iudicium, quod illa res non liceat. Ad ſecundum textum, nobis obiectum, eodem modo reſpondetur, dicendo ordinatum illum non habuiſſe ſcrupulum, ſed errorem, quo non depoſito, illicitum eſt operari, cum tollat iudicium certum de honeſtate operationis, quod contrarium accidit in ſcrupulo, cum ſit levis ſuſpicio, quæ tale iudicium explodere nequit. ¶ Hic autem breviter nota, quod ſcrupulus converti ſolet in iudicium erroneum determinatum: & tunc, ſi ſit vincibile, eſt illicitum, eo non depoſito, operari: at ſi invincibile eſt, poterit licitè cum illo operari, vt ſupra diximus, quando egimus de conſcientia erronea invincibili.

Aliquando eſt obligatorium contra ſcrupuloſos agere.

12 Inquires primò: An non ſolum ſit licitum agere contra ſcrupulos, ſed etiam aliquando obligatorium? Reſpondetur affirmativè. Ita docent Sayrus in Clavi Regia,lib.1.cap.14. Valentia diſp.2.quæſt.14.punct.4. Thom.Sanchez cap.10.lib.1.in Decal. num.83. Monteſinos 1.2. diſp.29. quæſt.6. num.255. Baldellus tom.1.lib.4. diſp.21. num.9. Ioannes Sanchez in Select.diſp.41.num.7. Bræſſerus lib.6.cap.4. Palaus tom.1.tract.1. diſp.4. num.2. Bardi de Conſcientia, diſcept.7.cap.4. num.6. & Tapia tom.1, Caten.Moral. lib.1. quæſt.8. artic.24. num.3. in fine. Quod ſic primò oſtenditur. Tum, quia ſcrupulos fovere, affert notabile damnum non ſolum corpori, ſed etiam animæ: ergo eſt illicitum. Probatur antecedens: quia ſcrupuloſus, ob vehementiam illarum innanium aprehenſionum ſpiritus vitales atterentium, periculo amentiæ ſe exponit, ad proprium munus obeundum ſe inutilem reddit, & denique à communione, & confeſsione interdum ob paſsionis impetum ſe retrahit: ergo exponitur gravi periculo corporis, & animæ: ergo ob hæc vitanda incommoda, tenentur ſcrupulos abigere,& *Debent* (vt ait Gerſon loc. ſupra citato) *ſcrupuloſi audacter contra talès ſcrupulos operari, alias numquam pacem habebunt.* Attamen credo, plerumque excuſandos eſſe à culpa ſcrupuloſos, qui abigere ſcrupulos non nimis curant; quia impetus huius ſpiritualis ægritudinis adeò vehemens eſſe ſolet, vt diſcurſum obnubilet, & libertatem adimere aliquibus, videatur; & ſic cum illis agendum eſt, tamquam cum gravi morbo laborantibus.

Qualiter ſcrupulus deponi poſsit ex motivo minus probabili.

13 Inquires ſecundò: An liceat deponi conſcientiam ſcrupuloſam per vſum opinionis minus probabilis? Reſpondetur quod reſolutio huius difficultatis dependet ab illa quæſtione, an liceat ſequi opinionem minus probabilem in conſpectu æquè probabilis, ſeu probabilioris? Si ergo affirmativam partem teneas, vt docent graviſsimi Doctores, poteris deponere ſcrupulum per vſum opinionis minus probabilis; ſi vero negativam ſequaris, negativè etiam quæſtioni præſenti reſpondere teneris; cum vſus opinionis minus probabilis iuxta hanc graviſsimam ſententiam, quam defendunt non minus claſsici Doctores, ſit illicitus,& peccaminoſus.

)(✠)(

CA-

CAPUT VIII.

De peccatis in communi.

POstquam egimus de principijs moralitatis vt sic, seu præscindentis à bonitate, aut malitia: restat nunc sermonem instituere de causis, & principijs moralitatis prout ad malitiam contractæ, quæ dicitur peccatum. Circa quod prius disputabimus de eius essentia, & divisione. Secundò de distinctione numerica, & specifica, & denique de illius causis, tam concurrentibus ad eius malitiam, quàm ab ea excusantibus.

Punct. I. *Declaratur essentia, & quiditas peccati.*

Punct. II. *Divisio peccati traditur.*

PUNCTUM I.

Declaratur essentia, & quiditas peccati.

Diffinio peccati traditur ex D. Augustin.

1 NOn aliter essentiam, & quiditatem alicuius rei melius venari possumus, quam ex eius definitione. Quare, vt brevius eam calleamus, accipe illam desumptam ex D. Augustin. & approbatam à D. Thoma 1. 2. quæst. 71. artic. 6. omnibusque Scholasticis cum Magistro in 2. dist. 35. quæ sic se habet. *Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Ita D. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 27. in principio tom. 6. Nec huic est dissimilis alia tradita à D. Ambrosio lib. de Parad. cap. 8. nimirum: *Peccatum est transgressio divinæ legis, & inobedientia cœlestium mandatorum.* Quod autem prædicta D. August. definitio sit recta, patet; tum ex communi consensu Doctorum: tum, quia, vt rectè observat D. Thom. tam quod est quasi materiale, quàm quod est formale in peccato, apprime explicat. Dicitur enim peccatum *dictum, factum, vel concupitum* ad ostendendum comprehendere omnia peccata cordis, oris, & operis; licèt enim malitia primario sit in actibus voluntatis, tamen etiam intrinsece reperitur in alijs potentijs, vt in irascibili, & concupiscibili motis à voluntate, & denominative, & extrinsece in membris corporis, & sensibus externis, vt docent N. Salmant. Scholast. tom. 4. tract. 13. disput. 10. dub. 1. §. 1. & 2. Per quæ verba etiam excludit S. Doctor aliquorum errores, qui solum exteriores actus, vel solas concupiscentias, & actus interiores lege divina prohiberi, & peccata esse iudicabant: cum certum sit omnes actiones oris, cordis, & operis lege divina prohiberi. Dicitur *contra legem æternam*: Quia omnia peccata, sivè contra legem naturalem, sivè contra legem humanam, sunt contra legem æternam Dei, saltem indirectè, cum omnis alia lex ab illa derivetur, & emanet iuxta illud Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*, & Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuxta decernunt.* Quare optimè prædicta definitio explicat genus peccati per prima verba, & per sequentia, differentiam; & sic est vndique recta, & vt talem eam defendunt Magister, & D. Thom. locis citatis. Sanchez in Summ. lib. 1. cap. 1. Azor 1. part. lib. 4. cap. 1. Clav. Reg. lib. 2. cap. 5. num. 4. Beccanus tom. 2. tract. 2. cap. 1. num. 1. Prado cap. 2. quæst. 1. Bonacina de Peccatis, disp. 2. quæst. 2. punct. 1. num. 1. Tapia tom. 1. lib. 3. quæst. 1. artic. 1. num. 1. Araujo in 1. 2. quæst. 71. artic. 6. Vazquez disp. 97. cap. 1. Villalobos tract. 3. diffic. 1. tom. 1. Summ. N. Salmant. tom. 4. in expositione artic. 6. quæst. 71. Layman tract. 3. cap. 1. num. 3. Scobar lib. 3. sect. 1. num. 3. & alij.

Proponuntur, & solvuntur quædam obiectiones.

2 Sed dices, peccatum ommissionis, vel habituale non est *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*, cum non sit actus, vt ex se liquet: ergo diminuta est hæc definitio, cum non conveniat omni definito. Confirmatur primò: quia odium Dei, & alia peccata, etsi non esset lex æterna, essent peccata: ergo vt sit aliquod opus peccatum, non requiritur, quod sit contra legem æternam. Confirmatur secundò: peccatum veniale non est contra legem Dei, sed præter legem Dei, vt ait D. Thom. 1. 2. quæst. 88. artic. 1. ad 1. ergo non est de ratione peccati esse contra legem æternam. ¶ Sed his, licèt non levem difficultatem ingerentibus, breviter respondetur, & ad argumentum fatemur D. Augustinum directè definivisse peccatum commissionis, at indirectè etiam definijsse peccatum ommissionis. Et ratio est: tum, quia omnis omissio debet importare actum, qui sit causa, aut occasio omittendi: tum etiam, quoniam vt constat *ex lege Si mora, curata Glossa verbo Facto, ff. soluto Matrimonio*, affirmatio, & negatio ad idem genus reducuntur; ac proinde idem est dicere: *Dictum, factum, &c. ac non dictum, non factum, &c.* Quæ omnia dilucide complexus est D. Thom. ad 1. his verbis: *Dicendum, quod affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus, sicut in divinis genitum, & ingenitum ad relationem, vt Augustinus dicit in 5. de Trinitate. Et ideò pro eodem accipiendum dictum, & non dictum, factum, & non factum.* Et quod dictum est de peccato omissionis, cum proportione dicendum est de peccato habituali, cum generetur per actus peccaminosos, & sic indirectè sub illa diffinitione comprehenditur. ¶ Ad primam confirmationem patet ex dictis cap. 2. punct. 2. à num. 9. vbi diximus, ad essentiam moralitatis pertinere esse vel iuxta, aut contra legem æternam; vnde si nulla lex esset, nullum etiam esset peccatum formaliter tale; sed solum fundamentaliter; in quantum haberet capacitatem, vt à lege prohiberetur. Quare, si tollerentur omnes leges, odium Dei non esset formaliter peccatum, sed tantum fundamentaliter, in quantum opponitur amori

Divino; & sic est dignum, vt per æternam legem prohibeatur. Videantur dicta loc. citat. Secunda confirmatio tangit gravem difficultatem, quam num.sequenti decidemus.

Venialia esse contra legé aliqui sentiunt.

3 Rogabis: An peccatum veniale sit contra legem, an vero præter legem? Durandus in 2.dist.42.quæst.6.ad 1. Vega lib.14.in Tridentin. cap.13. Salas tom.2. in 1.2. tract.13. disput.16.sect.9.num.27. Bonacina de Peccatis, disput.2.quæst.2.punct.1.num.2. Vazquez 1.2.disput.143.cap.3. Zumel quæst.88.artic.1. disput.3. Azor tom.1. lib.4. quæst.3. Medina 1.2.quæst.88.artic.1.post 6.concluf.Petrus Soto lect.6.de Peccatis, & alij sentiunt venialia esse verè contra legem, & sic convenire illis definitionem D. Augustin. Quorum fundamentum primum est: quia Ecclesiast.7. prohibetur omne mendacium, his verbis: *Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona*: ergo omne peccatum veniale est contra aliquam legem. Secundum: quoniam *Vbi non est lex, nec prævaricatio*, iuxta Apost. ad Rom.4. sed peccatum veniale est verè prævaricatio, seu peccatum: ergo quia opponitur legi. Tertium: peccatum veniale non est contra consilia Evangelica: alias non servare virginitatem esset peccatum, quod est hæreticum, & contra Apostolum. *Si nupserit virgo, non peccabit* 1. Chorinth.7. ergo est contra aliquod præceptum, seu legem. Quartum: Matth.5. ait Christus: *Ego autem dico vobis, non iurare omnino*. Quibus verbis prohibet omne iuramentum sine causa, aut necessitate: sed sic iurare est peccatum veniale: ergo opponitur veniale Christi præcepto. Vltimo in politicis præcipiuntur aliqua, vt necessaria ad Reipublicæ conservationem, & aliqua, vt solum vtilia ad prædictum finem: ergo in ordine ad bonum spirituale hominum quædam præcipiuuntur, vt necessaria simpliciter ad finem vltimum vitæ æternæ consequendum, & quædam, vt præcisè vtilia, & ad melius esse, quorum transgressio non deviat à prædicto fine.

E contra alij defendũt venialia esse præter legẽ.

4 Scotus vero in 2.dist.21.quæst.1.§.*Dico ergo*, & Gabriel in 4.dist.16. quæst.1. artic.1. notab.1.dicunt peccatum veniale non esse contra aliquam legem, sed contra consilia. ¶ Denique Alensis 2. part. quæst.106. memb.1. §. Contra 5. ad 3. Magister in 2. dist. 35. (iudicans diffinitiones supra traditas verificari de solo peccato mortali) docent non esse contra legem, sed præter legem. Idem tenet D.Bonavent. in 4. dist.16. part.2. artic.3. videturque expressa D.Thomæ 1.2. quæst.88.artic.1.ad 1. vbi postquam dixit divisionem peccati in mortale, & veniale esse analogi in analogata, subijcit hæc verba: *Peccatum autem veniale non est contra legem: quia venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat: sed facit præter legem: quia non observat modum rationis, quem lex intendit.* Et probant hanc conclusionem ex illo Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, & Ioann.1. cap.4. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.* Sed, estò quis peccata venialia committat, ad vitam æternam ingreditur, & diligit Deum: ergo servat Dei mandata, & leges; & consequenter peccata venialia non sunt contra Dei mandata.

Pro resolutione aliqua notantur.

5 Sed istæ duæ sententiæ solum in vocibus differunt, vt benè notant Cayetan. 1. 2. quæst. 88.artic.1.ad 3. Montesinos disput.18.quæst.3. à num.42. Martinez dub.3.concluf.3. Alvarez disput.189. num.6. & alij. Quare dicendum est vtramque veritatem continere, si rectè explicetur. Pro quo nota primò: omnia peccata venialia per aliquam legem prohiberi: quia cum malum hominis sint, discordant regulis moralitatis, & rectæ rationi. Vnde lex, quæ prohibet furtum in materia gravi, etiam illud prohibet in materia levi, & quæ prohibet mendacium in re gravi, etiam illud prohibet in re levi: quare nullum est veniale, quod alicui legi non opponatur, & per illam non prohibeatur. ¶ Nota secundò: quod in qualibet lege, & est considerare id, quod in ea se habet, vt substantia; & id, quod se habet, vt modus illius. Primum est illud, sine quo talis lex nequit homines ad finem vltimum perducere; & hæc sunt præcepta sub gravi culpa obligantia, ob horum enim transgressionem homines ab vltimo fine avertuntur. Secundum, est illud sine quo, licèt cum aliqua imperfectione, potest lex homines ad finem vltimum perducere; & hæc sunt præcepta obligantia sub veniali. Vnde, vt benè notat Sanchez in Summ.lib.1. cap.1.num.3.lex per ordinem ad primum dicitur absolutè lex; sed per ordinem ad secundum, dicitur lex secundum quid; ad modum quo per peccatum mortale denominatur homo simpliciter peccator, & per veniale solum secundum quid talis: quia, vt communiter dicitur: *Analogum per se sumptum stat pro famosiori.*

Concordantur sententiæ supra relatæ.

6 Ex quibus iam constat, qualiter vtraque sententia verum dicat. Nam prima, quæ docet peccatum veniale esse contra legem, verificatur de lege, pro vt venialia prohibet, quæ verè lex est. Secunda, quæ asserit non esse propriè contra legem, loquitur de lege, pro vt obligat sub mortali, quo pacto absolutè, & per antonomasiam dicitur lex. Contra hanc, verum est, minimè directè procedere peccatum veniale, quia licèt destruat aliquem nitorem, & modum illius, tamen minimè pertingit ad destructionem substantiæ, nec ad avertendum hominem à fine vltimo legis. Vnde dicitur optimè esse præter legem, non autem contra legem. Sed audiamus D.Thom.quæst.7.de malo, artic.1.ad 1. hæc dilucide his verbis docentem: *Convenienter dicitur, quod peccatum veniale non est contra legem, sed præter legem: quia, si in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsam corrumpit; quia non corrumpit dilectionem, quæ est plenitudo legis, vt dicitur ad Rom.12.* Vbi clare docet Angelic. Doctor peccatum veniale non corrumpere substantiam legis, sed aliquem modum perfectionis illius: & sic veniale vtrumque habet, & esse contra legem, & esse præter illam; & sic vtraque sententia conciliatur, nec aliquam inter se repugnantiam continent. Aliam expositionem vide in Cayet. & in nostris Salmant.Scholast.tom.4. disput. 19. dub.1. à num.10. ¶ Hic solet ab aliquibus inquiri, vtrùm peccatum sit Dei of-

fen-

ſenſa, & qualis hæc ſit? Sed quia primum eſt omnibus notum, & ſecundum latè diſputant N.Salmant.tom.9.diſput.1.per totam, & alias hæ difficultates magis propriæ ſunt Theologiæ Scholaſticæ, ideò ab his in præſenti ſupereſedemus.

PUNCT. II.

Diviſio peccati traditur.

Dividitur peccatum in originale, & perſonale, actuale, & habituale, carnale, & ſpirituale, & in proprium, & alienum.

7 POſt traditam eſſentiam peccati, reſtat eius diviſionem declarare. Dividitur ergo primò peccatum in originale, & perſonale. Originale eſt, quod à primò parente deribatur, & per originem, & generationem transfunditur. Perſonale eſt, quod propria voluntate peccantis committitur, & ab alio non deribatur. ¶ Secundò dividitur peccatum perſonale in actuale, & habituale: illud eſt actus malus difformis regulis moralitatis: iſtud vero eſt quædam privatio voluntaria gratiæ ſanctificantis relicta ex peccato actuali non retractato, quæ privatio, quia permanet, donec per gratiam ſanctificantem auferatur, dicitur peccatum habituale. ¶ Tertiò dividitur in peccata carnalia, & ſpiritualia, de quibus ſic loquitur Apoſtolus 2.ad Chorinth.2. *Emundemus nos ab omni inquinamento corporis, & ſpiritus.* Hoc eſt, ab omnibus peccatis corporalibus, & ſpiritualibus. Peccata carnalia ea dicuntur, quæ perficiuntur in delectatione carnali, vt luxuria, & gula. Spiritualia vero ſunt, quæ in delectatione ſpirituali conſumantur, vt ſuperbia, invidia, &c. quæ in ſola apprehenſione alicuius obiecti deſiderati perficiuntur. Vnde ait D.Gregorius 31. moral. citatus à D. Thoma 1.2. quæſt.72. artic.2. *Septem capitalium vitiorum quinque ſunt ſpiritualia, & duo carnalia.* ¶ Quartò peccatum dividitur in peccata propria, & aliena: illa ſunt, quæ ab ipſo peccante committuntur; iſta vero, quæ licèt ab alio committantur, nobis tamen imputantur ratione conſilij, iuſsionis, ſuaſionis, protectionis, adulationis, aut carentiæ correctionis, vel vt explicat D.Auguſt.in Pſalm.18. Peccata aliena ea ſunt, quæ ex aliorum ſuaſione committimus; propria vero, quæ nullo inſtigante, aut ſuadente, motu proprio perpetramus.

Proſequitur diviſio in peccata cordis, oris, & operis.

8 Quintò dividitur peccatum, vt ait D. Thom.1.2.quæſt.72. artic.7. in peccata cordis, oris, & operis. Quæ diviſio multipliciter poteſt accipi, vt notant Sayrus lib.2.cap.6.num.4. Herrera diſput.31.quæſt.8. Azor tom.1.lib.4. Reginald. lib.15.cap.1.num.7. Malderus 1.2. quæſt.72.artic.7. Eſcobar lib.3. ſect.1. cap.1. num.15. Layman tract.3.cap.4.num.7.& alij. Primò ita vt ſit generis in ſpecies completas: quatenus ſunt aliqua peccata, quæ perficiuntur corde, aut cogitatione: vt hæreſis, deſperatio, odium Dei, & alia. Quædam vero ſunt, quæ ore conſumuntur, vt detractio, periurium, blaſphemia, &c. Alia denique quæ opere complentur, vt homicidium, & furtum. Quæ diviſio licèt ſit eſſentialis, eſt tamen, vt notat D. Thom. loc.citat. ad 3. coniuncta cum accidentali. ¶ Secundò accipi poteſt, ita vt ſint tres gradus eiuſdem peccati; taliter quod vnus ſit diſpoſitio ad alterum; vt cum quis iraſcitur, & vindictam appetit: *Primò quidem perturbatur in corde*, ait D.Thom. 1.2. quæſt. 72.artic.7. in corpore: *Secundò in verba contumelioſa prorumpit; tertiò vero procedit vſque ad facta iniurioſa. Et idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato.* Et ſic videmus, quod luxurioſus primò intendit fornicationem, ſecundò mulierem verbis provocat, & denique fornicationem actu committit. Tertiò ſumitur prout ſunt tres ſpecies peccatorum, ſed imperfectæ, & inchoatæ; vt cum quis fornicationis cogitatione delectatur, nolens turpia loqui, aut facere. Alius & delectatur, & loquitur, non procedens ad operis exequutionem: tertius delectatur, loquitur, & opus exercet: eſtò enim ſint gradus ſubordinati, tamen poſſunt ex operantis intentione ſeparari: ita vt primus peccatum cordis, ſecundus oris, & tertius operis tantum committat, & vt ſic ſeparata ſunt peccata numero diſtincta.

Inſuper dividitur in peccata contra Deum, & cótra proximũ & in peccata ex paſsione, ignorantia, & malitia.

9 Sextò dividitur in peccata, quæ ſunt contra Deum, & contra proximum, & contra ſe ipſum: quia licèt omnia peccata ſint contra Deum, cum ipſum offendant, & contra proximum, cum ipſum maculent; tamen quædam ſunt, quæ ſpecialiter tendunt contra Deum, contra proximum, & contra ipſum met peccatorem. Peccata contra Deum ſunt, quæ contrariantur virtutibus, cuius obiectum eſt Deum, cuius modi ſunt fides, ſpes, charitas, & religio: contra proximum ſunt, quæ violant virtutes ad ipſum pertinentes, vt immiſſericordia, iniuſtitia: & contra ipſum peccatorem dicuntur illa, quæ violant eas virtutes, per quas propriæ paſsiones moderantur, vt intemperantia, &c. Et hanc diviſionem proponit, & latè probat Angel.Doctor 1.2.quæſt.72. artic.4. in corpore, ex triplici ordine, quem homo habet. Primus eſt ad regulam divinæ legis, per quam in omnibus dirigi debet. Secundus ad regulam rationis, pro vt omnes actiones, & paſsiones debent ſecundum regulam rationis commenſurari. Tertius eſt ad alios homines, quibus convivere debet. Contra primum dicitur peccare hæreticus, ſacrilegus, & blaſphemus: contra ſecundum guloſus, luxurioſus, & prodigus: contra tertium homicida, fur, & iniuſtus. Cui triplici ordini ſatisfacit homo, ſi facit quod Dominus ait per Prophetam Micheam cap.6.verſ.8. *Indicabo tibi::: quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium.* Quantum ad ſe ipſum; *diligere miſericordiam*, quod reſpicit ad proximum, & *ſolicitum ambulare coram Domino Deo tuo*, quod pertinet ad Deum. ¶ Septimò dividitur in peccatum ex paſsione; ex ignorantia; & ex malitia. Primi generis ſunt, quando committuntur ex vi alicuius gravis tentationis trahentis hominem ad conſenſum. Secundi generis dicuntur, quæ oriuntur ex ignorantia vincibili, & culpabili. Tertij generis ſunt, quæ ex plena voluntate patrantur, nulla ignorantia, aut paſsione incitante, vel excuſante.

Vltimo traditur diuisio in peccatum commissionis, & omissionis, veniale, & mortale.

10 Octavò dividitur in peccatum commissionis, & omissionis. Primum consistit in aliquo actu, vt difformi regulis morum: secundum in carentia alicuius actus debiti: primum opponitur præcepto negativo non ponendi talem actum, & de eo intelligitur illud Eccles. 48. *Quidam ipsorum fecerunt, quod placeret Deo; alij autem multa commisserunt peccata.* Secundum contrariatur præcepto affirmativo, negligendo exequi actum, qui præcipitur: & de hoc verificatur illud Iacob 4. *Scienti bonum, & non facienti.* ¶ Nonò dividitur in peccatum mortale, & veniale: illud est, quod mortem animæ affert, privando eam vita spirituali, quæ est gratia sanctificans iuxta illud Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et 1. Ioann. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Istud vero, seu veniale est, quod non privat gratia Dei, nec ab eo avertit animam, sed quasi divertit, & retardat, minuitque fervorem, & nitorem charitatis; diciturque veniale, quia leviter offendit, & dignum maxime est, vt faciliter dimittatur.

Subdividitur veniale in veniale ex genere, ex malitia, & inadvertentia.

11 Sed nota ex Sanchez lib. 1. Summ. cap. 1. num. 3. Layman tom. 1. tract. 3. cap. 5. num. 1. Azor tom. 1. lib. 4. cap. 9. quæst. 7. Soto disert. 1. lect. 6. & alijs communiter, peccatum veniale triplex esse: aliud, quod ex genere, & natura sua est veniale: quia eius obiectum, seu materia, secundum se inspecta, non habet gravem cum lege Dei repugnantiam, vt cogitatio vana, mendacium iocosum, & verbum otiosum. ¶ Aliud dicitur, & est veniale ex materiæ parvitate: quia licèt adversetur præcepto sub mortali obliganti, tamen tale præceptum in re parva transgreditur: vt furtum vnius assis, tressis, aut forte denarij. Adverte tamen aliqua esse, quæ, etsi ex se parva videantur; formaliter tamen gravia sunt; quia omnis quantitas deformitatis in eis reperitur, vt in odio, infidelitate, periurio, & alijs huiusmodi. Vnde, vt postea magis explicabimus, parvitas materiæ non tam attendenda est ad rei quantitatem, quam ad finem legislatoris, & præcepti. ¶ Denique veniale aliud est ex imperfecta deliberatione, & advertentia: quia, licèt materia sit gravis, tamen, cum ad rationem peccati sit necessarium, quod perfecte sit volita, & libera, ex defectu huius plenæ libertatis non graviter, sed leviter, & aliquomodo involuntarie frangitur præceptum. Et hæc de divisionibus peccati: Sed quia tam circa peccatum originale, quam circa peccatum mortale, & veniale, commissionis, & omissionis plures, & gravissimæ se offerunt difficultates, ideò eas resolvere diversis capitibus decrevimus.

CAPUT IX.

De peccato originali.

POstquam de essentia, & divisione peccati in communi egimus, rectus ordo postulat, vt ad eius species in particulari descendamus. Qua propter cum peccatum originale sit fons, & principium, à quo cætera dimanarunt, compellimur ad primùm de eo in hoc Capite disputandum. In quo quæstiones morales, quæ circa eius essentiam, traductionem in posteros, effectus, & miserias inde nobis provenientes, desiderantur, tribus punctis explicabimus.

Punct. I. *Explicatur essentia peccati originalis, & quomodo sit parvulis voluntarium?*

Punct. II. *De traductione peccati originalis, & quos comprehenderit?*

Punct. III. *De effectibus, seu pœnis debitis pro peccato originali?*

PUNCTUM I.

Explicatur essentia peccati originalis, & quomodo sit parvulis voluntarium?

Supponitur vt de fide existētia peccati originalis.

1 LIcèt consideratio peccati originalis magis ad Theologos Scholasticos, quam Morales attinere videatur, tamen, *quia adeò est necessaria peccati originalis notitia*, ait D. Augustin. lib. 5. contra Iulianum, cap. 2. *vt, qui illud negant, ipsa fidei fundamenta nitantur evertere*, ideò præmentes vestigia fere omnium, qui methodo Morali Theologiam scripserunt, de illo breviter in hoc capite disputabimus. Sed, quia eius existentia est definita à Concilio Tridentino sess. 5. toto decreto de peccato originali, specialiter can. 2. vbi illud probat ex illo Apostoli ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransit, in quo omnes peccaverunt.* Ideò, ea suppositа, gradum facimus ad eius essentiam indagandam, remittentes interim lectorem ad nostros Salmantic. tom. 4. Scholast. disput. 14. dub. 1. Montesinos disput. 21. tom. 2. in 1. 2. quæst. 1. Gonet tom. 3. de Peccatis, disput. 7. artic. 1. Vazquez disput. 130. & alios, qui latè eam contra hæreticos propugnant, & varijs textibus S. Scripturæ, & rationibus efficacibus probant. Circa quiditatem ergo peccati originalis.

2 Inquires primò, in quo eius essentia con-

In quo consistat essentia peccati originalis

consistat? Et omissis hæreticorum erroribus. Aliqui Catholici senserunt essentiam peccati originalis consistere in quadam qualitate morbida causata ex sibilo serpentis: sic Gregorius Ariminiensis, & Albertus Friguis. ¶ Ambrosius vero Catherin. collocat eam in peccato Adami, prout parvulos extrinsece denominat peccatores. ¶ Durandus in 2. dist.30. quæst.3. in reatu pœnæ. Martinez hic quæst.82. artic.1. dub.1.conclus.4. Herrera de Concept.Virgin. cap.15. Nuño 3.part. quæst.86. artic.2. dub.2. in habitu causato in nobis ex Adami peccato inclinante hominem ad bonum commutabile, vt vltimum finem. ¶ Sed istæ sententiæ falsæ sunt. Quare dicendum est cum nostris Salmant. tract.13. tom.4. disput.14. dub.5. Gonet, & communiter omnibus recentioribus Thomistis, essentiam peccati originalis consistere in privatione iustitiæ originalis voluntaria nobis ex vi peccati Adami, vt tollit solum primarium effectum iustitiæ originalis, scilicèt rectifare animam ad Deum. Quod probatur primò ex D. Anselmo lib.de Concept.Virgin.cap.26.vbi sic ait: *Peccatum originale aliud intelligere nequeo, nisi nuditatem iustitiæ.* Non minus clare loquitur D.Thom. in 1.2. quæst.82. artic.3. his verbis: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia: formaliter vero est defectus iustitiæ originalis.* Et quæst.5. de malo, artic.2. ita ait: *In peccato originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicèt destitutio animæ à iustitia originali.* Insuper probatur à ratione. Peccatum originale consistit in eo, quod primò tollitur per baptismum, cum hoc Sacramentum sit institutum ad illud delendum; sed per se primò per baptismum tollitur privatio iustitiæ originalis, cum communicetur gratia sanctificans immediatè animam Deo coniungens: ergo tantum consistit in privatione iustitiæ originalis, vt nobis voluntaria ex Adami peccato. Præter citat.Author. hanc conclusionem defendunt Palaus tract.2. disput.2. punct. 1.num.3. Salas sect.3.num.38. Bonacina disp. 2.de Peccat.quæst.1.punct.2.num.4. Tapia tomo 1.lib.3.quæst.13.art.4.num.1.

Quomodo peccatum originale est parvulis voluntarium.

3 Rogabis secundò: An peccatum Adami sit parvulis voluntarium? Dicendum est peccatum originale esse parvulis voluntarium intrinsece, non formaliter per modum exercitij, sed terminative per modum effectus, non physicè, hoc est, iuxta propriam voluntatem, sed moraliter in ordine ad voluntatem Adami, quatenus ex Dei voluntate continebat voluntates posterorum. Et quidem, quod tale peccatum debeat parvulis esse voluntarium patet ex eo, quod sit peccatum illorum, & de ratione peccati est, quod peccanti sit voluntarium. ¶ Quod autem non sit per modum exercitij, liquet: quia peccatum originale non est actuale, sed habituale ex Adami peccato causatum; sed peccatum habituale solum est voluntarium terminativè: ergo & originale. ¶ Vltima denique pars, scilicèt non fuisse parvulis physicè voluntarium; sed præcisè moraliter, in quantum Adamus continebat voluntates hominum, est D.Thomæ 1.2.quæst.81.artic.1. Et probatur exemplo D. Thomæ. Homines respectu Adami sunt sicut membra respectu corporis; *sed actus vnius membri corporalis*, verba sunt D.Augustini, *non est voluntarius voluntate ipsius manus; sed voluntate animæ, quæ primò movet membrum... Sic igitur* (concludit Ang. Doctor) *inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex eius origine derivantur: sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum.* Deinde ostenditur. Nam Adamus considerari potest, vt persona particularis, & vt constitutus à Deo caput totius generis humani: ergo licèt vt persona particularis, eius peccatum non fuerit voluntarium posteris, fuit tamen voluntarium, in quantum illud commisit, vt caput generis humani. Patet consequentia: quia hoc ipso quod Adamus sit morale caput, nos sumus illius membra, & ex capite, & membris constituitur communitas humana in modum corporis mystici, sicut aliæ communitates consurgunt; sed voluntas membrorum alicuius communitatis est moraliter in voluntate capitis, & peccatum capitis est moraliter peccatum communitatis: ergo hoc ipso, quod Adamus sit à Deo constitutus caput hominum, & in voluntatem illius transtulerit voluntatem generis humani, peccatum originale, quod est peccatum capitis, fuit illis moraliter, licèt non physicè voluntarium. Ita Scholastici omnes, præsertim N.Salmant.tract.13.disp.14.dub.2.§.2. Gonet disp.7.artic.2. Vazquez disp.131. cap.2. & 3. & alij. Ex moralistis vero Azor instit. lib.4. cap.29.in fine. Palaus tract.2.disp.2.num.3.

Contra secũdam partem conclusionis quædam replica enervatur.

4 Contra secundam partem conclusionis dices. Peccatum originale est formaliter peccatum: ergo erit etiam formaliter, & non tantum terminativè voluntarium. Patet consequentia: cum peccatum esse nequeat sine voluntario. ¶ Sed huic replicæ respondetur, negando consequentiam: quia aliunde sumitur ratio peccati, & ratio voluntarij: nam voluntarium dicitur *à principio intrinseco se movente cum cognitione.* Vnde quod dum est in se ipso, voluntati non sub est, & ab ea formaliter emanat, nequit dici voluntarium formaliter: ratio vero peccati sumitur per ordinem ad legem prohibentem, aut præcipientem iuxta definitionem supra positam, scilicèt: *Dictum, factum, aut concupitum contra legem.* Et ita, quod in se à lege prohibitur, quomodocumque à voluntate procedat, dicitur in se, & formaliter peccatum. Vnde vidimus, quod omissio Sacri die Dominica est formaliter peccatum, estò non sit voluntaria in se, sed in causa; v.gr.quia deditus fuit somno, prævidens periculum omissionis Sacri. Similiter proijciens breviarium in mari, prævidens aliud non habiturum, formaliter peccat, dum omittit recitare; & tamen, estò peccatum hoc sit formaliter tale, est voluntarium tantum interpretativè, & in causa; non tamen in se formaliter: ergo malè arguitur: est formaliter peccatum: ergo est formaliter voluntarium.

Contra tertiam partem arguitur.

5 Contra tertiam partem obijcies ex Durando loc.citat.quæst.1. contendente non esse propriè peccatum respectu parvulorum ex defectu

fectu voluntarij. Voluntarium liberum debet esse ab intrinseco cum cognitione, & esse in potestate illius, cui est voluntarium; sed peccatum originale nec est ab intrinseco cum cognitione, cum sit ab Adamo, & sine cognitione parvulorum vsu rationis carentium: nec in potestate illorum, sed Adami: ergo non est illis voluntarium. ¶ Confirmatur primò. Ad hoc, vt illud, quod alter operatur, sit mihi voluntarium, necesse est, vt vices meas ego illi commisserim; sed parvuli proprias vices in Adamum non commisserunt, cum tunc non existerent: ergo nequit peccatum originale esse illis voluntarium. ¶ Confirmatur secundò. Parvuli contrahunt originale, non solum vt partes naturæ, sed etiam vt sunt personæ particulares: sed sine voluntario personali, illud contrahunt: ergo sine voluntario capitali, seu naturæ. Cætera constant; & maior probatur. Nam Deo inviſi, & inimici per originale parvuli sunt, non solum vt partes naturæ, sed etiam vt personæ particulares: ergo, &c. ¶ Confirmatur tertiò. Quia, si originale fuit nobis voluntarium, prout eramus in Adamo: ergo solum peccavimus, prout eramus in illo; & sic non erit intrinsece in nobis tale peccatum.

Notabile primum pro solutione, vbi explicatur quot modis sit voluntarium morale.

6 Pro harum obiectionum solutione, nota primò, quod duplex est voluntarium, aliud physicum, aliud morale. Primum est, quod à voluntate propriæ personæ procedit, sivè actualiter, sivè habitualiter. Secundum est, quod procedit à voluntate alicuius reputata vt propria: quia alter in alium suum transtulit consensum: quæ translatio quatuor modis fieri potest: primò cum aliquis per se ipsum dat consensum alteri, vt quidquid ab illo actum fuerit, ipse ratum habeat: & hoc modo voluntas mandantis transfertur in mandatarium, & eligentis procuratorem, in procuratorem sibi constitutum. Qua propter diximus tract.9. capit.3. punct.3. dub.4. num.83. matrimonium per procuratorem contractum esse validum, & constat *ex cap. fin. de procurator. in 6. & leg. sufficit, ff. de sponsalibus.* ¶ Secundò hæc translatio fieri potest dispositione iuris, & iudicis; qua ratione voluntas tutoris censetur voluntas minoris, curatoris pupilli, & mariti vxoris: & patet ex leg. *Cum plures, §. quæ bona fide, ff. de administrat. & peric. tutor.* ¶ Tertiò quando vnus continetur naturaliter sub alterius dominio, vt voluntas filiorum impuberum continetur sub Patris voluntate. *Leg. Sed si plures, §. ad substitutos, ff. de vulg. & pupill. substit.* ¶ Quartò ex pacto, quod acceptat aliquis pro se, & in se contentis: vt si Paulus accipiat à Rege privilegium sibi, & posteris suis ex conditione, quod hoc, aut illud adimpleat, sin minus omnes illud amittant: vnde, si Paulus non adimpleat illam conditionem, tam pro se, quàm pro suis posteris illud privilegium amittit.

Secundum notabile probans Deum transtulisse voluntates parvulorum in voluntatē Adami.

7 Nota secundò, quod Deus de facto transtulit voluntates omnium hominum in Adami voluntatem in ordine ad conservationem, vel amissionem iustitiæ originalis, ita vt cum illo pactum inivit Deus, quod eius consensus, aut dissensus pro omnium consensu, aut dissensu haberetur: & hoc liquet ex illo Oseæ 6. *Ipsi, sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me.* Et Apostolus ad Rom.5. *In quo omnes peccaverunt.* Et ex communi SS. Patrum consensu. Et insuper à ratione probatur. Quia supremi legislatores habent potestatem transferendi voluntates parvulorum in alios homines scilicèt curatores, & tutores: ergo multo magis Deus in voluntatem Adami, qui erat caput naturale totius generis humani. Patet consequentia. Quia Deus habet maius, & excellentius dominium nostrarum voluntatum, quam alij homines, vt eleganter dixit D.August.de correct. & gratia, cap.14. *Magis habet Deus in sua potestate hominum voluntates, quam ipsi suas.* Ergo, si legislator humanus potest transferre in ordine ad consensum vnam voluntatem in aliam, multo magis Deus Legislator Divinus poterit hoc facere, & de facto ita fecisse probant authoritates allegatæ, & aliæ plurimæ, quæ ex SS. PP. & Concilijs referri poterant, obiæ quæ sunt in citatis authoribus.

Argumentis respondetur.

8 Ex quibus iam est facilis solutio obiectionum. Ad argumentum dicimus, peccatum originale esse ab intrinseco cum cognitione, eo modo quo est voluntarium; cum autem sit nobis voluntarium non physicè, sed moraliter, in quantum fuimus in Adami voluntate, sufficit, quod in Adamo sit à principio intrinseco cum cognitione. Et idem dicimus de eo quod non sit in potestate parvulorum: nam hoc peccatum, quia originale, non est voluntarium personale, sed capitale, & sic sufficit, quod sit in libertate capitis. *Peccatum originale*, ait D. Thom. in 2. dist.30. quæst.1. artic.2. ad.1. *cum non sit vitium personæ, vt persona est, sed quasi per accidens, in quantum habet talem naturam, ideò non oportet quod sit in potestate huiusmodi personæ hunc defectum habere, vel non habere; sed sufficit quod sit in potestate alicuius, qui est caput in natura illa.* ¶ Ad primam confirmationem patet ex primò, & secundò notabili: ibi vidimus, quomodo Deus posit transferre voluntates parvulorum in Adami voluntatem, & de facto transtulerit. Videatur Concil. Trident. sess.6. Sed hic nota, hoc solum posse, à Deo fieri in ordine ad peccatum, quod sit originale, seu naturæ, non vero in ordine ad peccatum personale; hoc enim essentialiter postulat committi à voluntate propria. Et sic numquam evenit peccatum personale alicui tribui ex transmissione voluntatis, quin prius transmittens in illud consenserit. Vnde, si peccatum mandatarij tribuitur mandanti, est, quia ipse prius consenserit in illud. ¶ Ad secundam confirmationem concedimus, parvulos peccare, vt personas particulares, sed hoc est secundario; primario vero solum peccant, vt partes naturæ. Vnde cum voluntarium sequatur conditionem per se primò peccantis, non debet esse personale, sed sufficit esse naturale, seu capitale. ¶ Ad vltimum negatur sequela: quia peccatum capitale descendit cum natura infecta. Vnde, sicut natura in se infecta descendit ad membra in se ipsis, ita descendit infectio, seu peccatum ad eadem membra etiam in se ipsis considerata.

PUNCT.

PUNCT. II.

De traductione peccati originalis, & quos comprehenderit?

Explicatur ad quos, & qua virtute traductū sit peccatū originale.

9 COnstat ex dictis num.1. dari peccatum originale, & hoc maculasse non tantum Adamum, sed etiam eius posteros: Vnde solum restat inquirere, quomodo hæc malitia vsque ad posteros potuerit traduci; & quæ virtus sit hæc, quæ post tot annorum millia, totque succesivas generationes possit puerum nunc in lucem editum inficere? Cui difficultati respondetur dicendo, Adamum medio semine ex antecedenti culpa infecto, tanquam instrumento traducere peccatum originale in posteros. Ita docet D.Thom. 1.2.quæst.83. artic.1. his verbis: *In semine corporali est peccatum originale, sicut in causa instrumentali, eo quod per virtutem activam seminis traducitur in prolem simul cum natura humana.* Vnde nota cum nostris Salmant.tract.13.disput.14.dub.3. §.3. Gonet disput.7.artic.3. Ferrariensi 4.contra Gent.cap.5. Conrad.hic, quæst.81.artic.1. Lyra in cap.5.epist.ad Rom. Iustitiam originalem communicatam fuisse Adamo pro se, & posteris, qui ab eo per originalem propagationem descenderent sub pacto vt in innocentia permaneret: vnde in semine, & erat virtus instrumentaria ad causandam iustitiam originalem, & simul virtus naturalis ad propagandam naturam; at post peccatum licèt manserit in semine virtus naturalis, non tamen supernaturalis, sed potius defectus, & privatio illius virtutis orta ex peccato Adami secundum quam est instrumentum, vel peccati, vel Adami ad communicandum defectum iustitiæ originalis. Quare, sicut ante peccatum erat instrumentum Dei ad propagandam cum natura iustitiam originalem, ita post peccatum est instrumentum ipsius ad communicandum defectum iustitiæ originalis. Quod eleganter expresit D.Thom. quæst.4.de malo, artic.1. ad 9. his verbis: *Ex peccato primi parentis destituta est caro eius illa virtute, vt ex ea possit decidi semen, per quod originalis iustitia in alios propagaretur. Et sic in semine defectus huius virtutis est defectus moralis corruptionis: & ex hoc est etiam ibi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.* En vbi D.Thom.asserit, quod, sicut ante peccatum erat virtus in semine ad propagandam cum natura iustitiam originalem, ita post illud est defectus virtutis ad similem imperfectionem communicandam: ergo peccatum originale fuit causa efficiens principalis defectus, seu privationis originalis iustitiæ parvulorum, & semen physicum illius instrumentum. Sed hac stabilita doctrina.

Siquis miraculosè absque seminis commixtione, vel ex solo semine mulieris formaretur non contraheret originale

10 Inquires primò. Vtrùm si quis miraculosè absque seminis commixtione ex humana carne formaretur, contraheret peccatum originale? Respondetur negative cum D.Thom. 1.2.quæst.81. artic.4. Et ratio est: quia non descenderet iste homo per seminalem propagationem ab Adamo; sed iuxta Concilium Tridentinum sess.6.cap.3. *Homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti.* Ergo qui miraculosè ita nasceretur non contraheret originale. Sic Scholastici super D.Thom.& insuper Azorius lib.4.cap. 30.quæst.9. Becanus tract.2. cap.9. quæst.10. Bonacina de Peccatis, disput.10.quæst.1.punct. 3.num.7. ¶ Ex quibus oritur, quod, si quis ex semine solius mulieris formaretur, non contraheret originale: at è contra si ex solo semine viri ad vulvam, vel divina virtute, vel dæmonis arte transportato, quis nasceretur, absdubio contraheret originale. Ratio vtri usque casus est, quia ille non descenderet per seminalem propagatio nem; secus vero iste: ergo hic solum originale contraheret. Nec hæc conceptio dici posset miraculosa quo ad substantiam, sed solum quantum ad modum, seu applicationem virtutis, cum originem traheret ex virili semine ab Adamo descendenti.

Alij casus particulares deciduntur.

11 Ex dictis patèt quid etiam dicendum est alijs casibus; quorum primus est. An si mulier aliquo ex bruto conciperet (vt testatur Nicolaus Florentinus tract.1. cap.23. accidisse, quod ex fœmina, & vrso natus fuerit filius probus, & strenuus, à quo Vrsinorum familia fuit ex orta) tunc talis filius cum originali conciperetur? ¶ Secundus est. An, si Deus miraculosè alicui communicaret iustitiam originalem, eius filij sine originali peccato nascerentur? ¶ Tertius casus est. An, si Deus aliquem hominem ex semine viri formaret, sicut ex sanguine formare potest, taliter, quod semen non concurreret activè, sed passivè, peccatum originale contraheret? Sed his facilè respondetur. ¶ Ad primum plurimi negant tam hunc, quàm alios similes casus, quos historiæ narrant; quia est repugnans veræ philosophiæ: sed hoc non tam difficile videtur, cum ex gravissimis Doctoribus referat similia exempla Eminent. Aguirre in Ludis Salmant. lud.4. excurs.2.à num.31. & nunc anno 1707. ex equo, & mula, monstruum vtrique partim simile natum, & genitum fuerit in Villa *Morales* prope Taurum: sed quidquid sit de hoc, admisso disputationis gratia tali casu, negamus contraxisse originale, cum virtus generativa per lineam virilem ab Adamo non descenderit. Sic Bonacina loc.cit. num.8. & alij. ¶ Ad secundum dicimus, quod, si Deus conferret illi homini iustitiam originalem pro se, & suis posteris, tunc filij non contraherent; at, si pro se solo illam communicaret, peccatum incurrerent. Et ratio primi est: nam tunc tota natura reintegraretur, talisque homo caput morale posterorum constitueretur. *Et, si hoc fieret*, ait D. Thom.1.2.quæst.82.artic.4. ad 3. *proculdubio geniti absque originali culpa nascerentur.* Ratio vero secundi est: quia tunc tale beneficium esset personale tantum, & sic semen ab illo descenderet infectum, & vitiatum per privationem vigoris ad transfundendam iustitiam originalem. ¶ Ad tertium respondetur negativè: cum semen viri, quod solum passivè ad generationem concurreret, non sit formaliter semen, sed præcisè materialiter: vnde eodem modo concurreret tunc, sicut concurrit limus, ex quo Deus Adam formavit, & sanguis purissimus

simus Virginis, ex quo humanitas Christi formata fuit.

Beatissima V. Maria nõ contraxit originale peccatum, bene autem debitum illius.

12 Hinc solent Authores quærere: An Beatissima Virgo Maria originale contraxerit? Plurimi antiquitus affirmativam tenuerunt; sed nunc contraria non solum est vera, sed etiam communis ob speciale privilegium, quod pie credimus à Christo purissimæ eius matri concessum fuisse. Et licèt hæc nostra sententia non sit definita ab Ecclesia, certo credimus, ad filiorum tantæ matris solatium, breviter definiendam esse. Interim tamen Alexander VII. prohibet in Bulla de hoc edita, alterutram ex his sententijs errore, aut hæresi notare; & insuper pro conservando vinculo pacis innovat pœnas à suis prædecessoribus impositas contra eos, qui verbo, aut scripto aliquid docuerint contra piam sententiam immaculatæ Conceptionis. Idem præcipit Gregorius XV. in quadam Bulla, quam ad verbum refert Bonacina tom.3.de Censuris in particulari, disp.3.quæst.6.punct.5. Quare ab hoc supersedendo. ¶ Inquirunt secundò Theologi: An etiam à debito contrahendi originale fuerit B.Virgo exempta? Affirmant aliqui neoterici sequentes Chaterinum lib. de Peccato originali, cap. vltimo. Negant vero Cayetanus opusc.de Peccato origin.cap.4. Zumel quæst.81. artic.3. propos.3. Bonacina de Peccat.disput.2. punct.3. num.2. Suarez 1.2.disput.9. de Peccat. origin. sect.4. num.4. N.Cornejo tom.2. in 3.part.tract.3.ad quæst.27. dub.3. Azor lib.4. cap.34. quæst.3. Salas 1.2.tract.13. disput.11. sect.5. quæst.11. num.69. Palaus tract.2.disput.2. punct.3.num. 3. Bellarminus tom.1.de amissione gratiæ, cap. 16. (asserens illam Catherini sententiam non videri sibi admodum tutam) & alij, quibus libenter subscribimus. Tum, quia hæc præservatio prævisionem peccati originalis præcedit: ergo nequit B.Virgini competere. Antecedens est certum, & consequentia probatur. Si hæc præservatio à debito contrahendi originale Virgini competeret, deberet esse ex meritis Christi, vt sic per illum diceretur redempta; sed si præcesit prævisionem peccati originalis, non potuit esse ex meritis Christi, qui post peccatum originale fuit decretus, vt Redemptor: ergo nequit Virgini competere. Deinde habere debitum contrahendi, & non contrahere magis extollit Virginis dignitatem, cum demonstret copiosam illius redemptionem: ergo, &c. Præterea ex sententia contraria sequeretur, quod, si Adamus non peccaret, B. Virgo non haberet ex pacto Dei cum Adamo iustitiam originalem, seu gratiam, sed aliunde ex alia providentia divina; sed hoc non est conforme Scripturæ Sacræ, Sanctisque Patribus: ergo tenendum est tale debitum incurrisse, vt maior Beatæ Virginis dignitas extollatur, congruentiusque intelligantur S. Scripturæ, & SS.Patrum testimonia. ¶ Inquires tertiò. An Adamo non peccante, si Eva peccasset, filij eorum, peccatum originale contraherent? Respondetur negativè cum D. Thoma 1.2.quæst.81.artic.5.quem ferè omnes sequuntur, vt Durandus 2.dist.31.quæst.1.Alexander part.1.quæst.105. Azor lib.4. cap.30. quæst.9. & communiter alij. Et ratio est: quia ille solus potest in alios transfundere originale peccatum, qui est illorum caput morale, sed solus Adamus constitutus est caput morale posterorum, cum solum cum illo inierit Deus pactum transfundendi iustitiam originalem: ergo solum ab illo derivaretur peccatum originale, & non ab Eva, aut aliquo alio.

Si Adamus ante peccatum genuisset aliquem filium, ab hoc postea geniti, originale contraherent.

13 Inquires quartò: An in casu, quo Adam genuisset aliquem filium ante peccatum, & talis filius alios procreasset post Adæ peccatum, contraherent originale? Aliqui respondent negativè: quia Adamus non transmittit peccatum originale, nisi medijs proximis parentibus; sed in casu posito proximi parentes non possent esse media per quæ Adamus transmitteret peccatum originale; cum ipsi, vt supponitur, non contraxerint, nec acceperint ab illo semen corruptum: ergo tales filij originale non contraherent. ¶ Sed verius dicendum est tales filios contracturos originale peccatum. Ita docent Azorius lib.4.cap.30.quæst.8. Salas 1.2.disput.11.quæst.7.num.72.Suarez 1.2.disput.9.sect.4.num.4.de peccato originali. Bonacina disput.2.de Peccatis, quæst.1. punct.3. num.10.& alij. Quod probatur sic: quia per peccatum Adæ tota natura est infecta: ergo omnis natura, quæ post peccatum derivatur ab Adam est infecta; sed, si talis natura est infecta, individua illius debent nasci infecta: ergo in casu posito tales filij originale contraherent. Videatur D.Thom.3.part.quæst.8.art.5. ad 1. ¶ Ex quo sequitur, quod filij geniti ante Adæ peccatum non essent contracturi peccatum originale. Tum, quia tales filij haberent iustitiam originalem, vt beneficium personale; sed beneficium personale non amittitur, nisi per proprium peccatum personale: ergo per Adami peccatum, illam non amitterent. Tum etiam: quoniam originale non contrahitur, nisi medio semine infecto; sed, quando tales filij nati sunt, non erat semen Adæ infectum, sicut nec natura humana: ergo non illud contraherent. Quod etiam tenent Authores citati. Ad argumentum respondetur, tunc parentes non esse medium, seu instrumentum ad diffundendum peccatum originale, esse tamen conditionem sine qua non, vt naturam humanam corruptam reciperent, & sic originale contraherent.

Sententia asserens peccatum de comedendo de ligno vitæ esse causãori ginalis culpæ, non quia primum, sed quia tale.

14 Inquires quintò. An solum primum peccatum Adami fuerit causa traductionis culpæ originalis? Prima sententia est negativa, tenentque eam Alensis 2.part.quæst.22.memb. 3.artic.3. Catherinus opusc. de peccat. origin. part.vltim.Montesinos disput.11.quæst.7.num. 94. Suarez de opere 6.dier. lib.6. cap.13.num. 8. Meratius disput.14. de Peccat. sect.4. & 5. & alij recentiores sentientes solum peccatum comedendi de ligno vetito, etsi alia peccata præcessissent, traducturum originalem culpam. Et probatur primò: quia solum peccatum comedendi de ligno vetito, est peccatum capitale, vt patet ex illo Genes.2. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; sed solum peccatum capitale est quod derivatur ad posteros: ergo solum peccatum comedendi de ligno vetito, sivè esset primum, sivè secundum, est

est quod derivatur ad posteros. ¶ Secundò: de facto primum peccatum, quod Adamus commisit, fuit superbiæ, vt docet D.Thom. 2.2.quæst.163.artic.1.& videtur colligi ex illo Genes. *Eritis sicut Dij.* Et tamen peccatum, quod transmittitur in posteros non est superbiæ, sed inobedientiæ, iuxta illud Apostoli ad Roman.5. *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*: ergo non fuit primum peccatum, quod de facto transmittitur in posteros. ¶ Tertiò: iustitia originalis solum transmitteretur per obedientiam præcepti de non comedendo de ligno vetito, & sic estò Adamus esset fidelis, aut castus, non transmitteret in posteros iustitiam originalem: ergo sola inobedientia, seu transgressio illius præcepti, est quæ transmittit in posteros culpam originalem: ergo non quia primum, sed quia tale peccatum Adami fuit capitale, seu originale.

Sententiam contrariam, vt verâ amplectimur.

15 Secunda sententia, & verior est affirmativa docens ex vi præsentis decreti solum primum Adæ peccatum præcisè, quia primum, non vero, quia tale, transmissurum in posteros culpam originalem. Ita D.Thom. 2. 2. quæst. 163.artic.3.ad 2. vbi loquendo de pœna originali causata à peccato illo, sic ait: *Dicendum quod magnitudo pœnæ, quæ consequuta est illud primum peccatum, non correspondet ei secundum quantitatem propriæ speciei, sed in quantum fuit primum.* Sed pœna correspondet culpæ: ergo si quantitas pœnæ correspondet illi peccato, quia primo, etiam debet correspondere quantitas culpæ. Clarius loquitur in 2.distinct.33. in fine exposit.ad 2. diffic. vbi loquendo de vitio, quod naturæ intulit originale, addit sequentia. *Quodcumque autem aliud peccatum fuisset hoc modo primum, etiam similem effectum habuisset, sivè fuisset peccatum operis, sivè voluntatis.* Secundò ostenditur à ratione. Ideo Adami peccatum originavit prædictam culpam in posteros, quia per illud amisit iustitiam originalem toti naturæ collatam; sed per quodlibet primum peccatum talem iustitiam amitteret: ergo & prædictam culpam originaret. Cætera constant, & minor probatur: quia iustitia originalis, vt pote includens gratiam sanctificantem, est incompossibilis cum quolibet peccato: ergo per quodlibet eam amitteret. ¶ Confirmatur primò: hoc ipso, quod per primum peccatum denudaretur iustitia originali, non haberet iam vigorem ad communicandam iustitiam posteris, cum vigor ille commitetur iustitiam: ergo omnibus, quos postea genuisset, communicaret naturam, vt in se habebat; sed in se ipso erat infecta culpa originali: ergo tali culpa infectam naturam communicaret. ¶ Confirmatur secundò: supposito alio primo peccato, non potest Adamus transmittere in posteros iustitiam originalem, vt manet probatum: ergo transmitteret peccatum. Patet consequentia: quia hoc ipso quod Deus constituerit Adamum caput morale totius generis humani, debebat in illud aliquid transmittere: ergo vel gratiam, vel peccatum, cum non detur medium; sed non gratiam, cum illam amiserit: ergo peccatum. Hanc sententiam tenent cum D.Thom. Durandus in 2.distinct.33. quæst.1. Curiel de Peccat. artic.1. dub. vltim. Alvarez disput.172. Martinez artic.2. dub.2. Gonet tom.3.disput.7.de Peccat.art.4.num.53.& alij. N.Salmant.tract.13.disp.14.dub.5.

Respondetur sententiæ contrariæ.

16 Ad primum argumentum respondetur, ideò peccatum de comestione de ligno vetito fuisse capitale; non quia tale, sed quia primum: vnde, si alia peccata præcessissent, absdubio originalem pœnam transmitterent. Quod eleganter dixit D.Thom. in 2.dist.33. in expositione textus, his verbis: *Sed in hoc ostenditur, quod, etiam si alia peccata commississet, similem pœnam sustinuisset.* Et rationem reddit, quia graviora sunt præcepta naturalia, quam positiva. Quare, si Deus specialiter intimavit præceptum non comedendi, & non aliud naturale erat, quia cum illud esset positivum, non esset absque tali intimatione cognitum præceptum; non vero, quia iustitia originalis non amitteretur per transgressionem cuiuscumque præcepti naturalis, si esset primum peccatum. ¶ Ad secundum ita respondet D.Thom.1.2.quæst.82.artic.2.ad 1.*In peccato primi parentis, quod per originem traducitur, fuerunt plures deformitates, scilicèt superbiæ, inobedientiæ, gulæ, & aliæ huiusmodi.* Ex quibus verbis sequitur, quod licèt superbia in illo fuerit prius prioritate naturæ in genere causæ finalis, quia ex fine assimilationis ad Deum, motus fuit ad comedendum, tamen omnes malitiæ fuerunt simul simultate temporis, & quasi partes illius primi peccati. ¶ Ad tertium respondetur, quod, etsi præceptum illud observasset, si tamen prius alia præcepta, vel naturalia, vel positiva non custodiret, minimè transmitteret iustitiam originalem: vnde necessaria pro priori fuit totius legis observantia.

PUNCT. III.

De effectibus, seu pœnis debitis pro peccato originali.

Peccatum originale causat mortem, morbos, aliosque corporales defectus.

17 DIcendum est primò, mortem, aliasque miserias corporales esse effectus, & pœnas originales peccati. Hæc conclusio est de fide, & patet ex epist. ad Roman. cap.5.vbi ait Apostolus: *Per vnum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Et cap.6. *Stipendia peccati mors.* Et probatur ratione. Quia estò mors, morbi, fames, sitis &c. sint homini naturales, vtpote ex contrarijs elementis composito; tamen iustitia originalis, quæ plenè subijciebat corpus animæ, hos defectus impediebat; vnde oritur, quod peccatum originale tale iustitiam destruens; sit causa per accidens mortis, & aliorum defectuum corporalium, & consequenter si Adamus non peccasset, minimè mortis pœnam incurreret. Sic docent D. August. lib.7. Geneseos ad litteram, & lib.13.de Civit.cap.15. D.Thom.1.part. quæst.97. artic.1.& 4. & 2.2. quæst.164.per totam. Abulensis in cap.13.Genes.

nes. quæst.169. Suarez de oper. 6. dier. lib.3. cap.14. Gonet tom.2.tract.8.disput.6. artic.2. à num.49. & tom.3. tract.5. disput.8. artic.2. Azor instit.moral.lib.4.cap.32. Salas tract.13. disput.11.sect.6.num.74. & alij plurimi extendentes doctrinam non solum ad mortem,morbos, & alias miserias corporales, sed etiam ad alias aliquomodo magis spirituales, vt concupiscentiam, fomitem peccati, ignorantiam, aliasque animæ passiones.

Pœnam damni patientur qui cum solo originali decedunt.

18 Dicendum est secundò, peccatum originale causare in posteris pœnam damni; taliter quod decedentes cum solo originali numquam visuri sint Deum. Colligitur hæc assertio ex illo Ioanne 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire Regnum Dei.* Idque definijt Synodus Palestina, vt refert D.August. lib. de gestis Pelagij, cap.8. Dicendum est tertiò cum D. Thom. in 2.dist.33.quæst.2. artic.1. quem sequuntur Salmeron ad Roman.5. disput.48. Suarez tom.2. in 3.part.disput.57. sect.6. Salas tract.13. disput.11.sect.6.num.74. & alij, quod pueri decedentes cum solo originali nullam pœnam sensus habituri sunt. Et ratio desumitur ex D. Thom. Quia pœna proportionatur culpæ, ita vt aversioni, quæ est in peccato, correspondeat pœna damni, & conversioni ad creaturam, pœna sensus; sed in peccato originali non est conversio, sed sola aversio; cum non sit illorum peccatum actuale, sed habituale: ergo decedentibus cum solo originali non debetur pœna sensus, sed præcisè damni. Videatur etiam D. Thom. quæst.5. de malo, articul.2. Hæc, licèt communiter recepta sint, tamen est magna difficultas circa illos, qui simul cum originali deciderint cum aliquo veniali, quod numero sequenti decidemus.

Sunt qui asserant decedentes cum originali, & aliquo veniali habiturus pœnam sensus.

19 Inquires: An pueri decedentes cum originali, & simul aliquo veniali, puniantur aliqua pœna sensus? Salas tract.13. disput.18. sect.6. & 7. latè probat posse aliquem decedere cum originali, & aliquo veniali: quo supposito, ait Palaus punct.2. num.1. tunc talem puerum passurum, non pœnam sensus æternam, sed temporalem pro illo veniali, & designans locum huius pœnę addit,esse locum quemdam, vel inferni, separatum à damnatis, vel limbi, licèt à Doctoribus ignotum. Pro hoc modo dicendi citat Suarez tom.4. in 3.part. disp.11. sect.2. & pro ea referri etiam possunt Durandus in 4. dist.4.quæst.7. D.Bonavent. dist.21. artic.1.quæst.1. Richard.dist.14.artic.3. quæst. 2. Henriquez quodlib.5.quæst.20.Vazquez disput.149.cap.2. Lorca disput.63.memb.2. Valentia disput.6.quæst.19.punct.5. Salas loc.cit. Azor tom.1.instit.moral.lib.4.cap.10. quæst.6. & alij. Ex quibus aliqui consentiunt cum Palao in designando locum pro illo peccato purgando: alij dicunt, vel Deum non permissurum aliquem cum solo originali, & veniali moriturum, vel si permittit, ad eum attinere designare locum distinctum ab enumeratis pro purgando illo peccato.

Est evidenter contra D.Th posse coniungi originale cum solo veniali.

20 Sed hæc sententia evidenter contraria est D.Thomæ 1.2.quæst.89.artic.6. vbi in corpore sic determinat prædictam quæstionem. *Dicendum quod impossibile est, quod peccatum veniale sit in aliquo cum originali peccato absque mortali.* Et ratio desumpta ex D. Thom. est quia ante vsum rationis nequit esse peccatum: sed alias, quando vsus rationis advenit, debet homo se in Deum convertere, & ordinare, vt ad vltimum finem, etsi hoc omittit, absdubio peccabit mortaliter: ergo nequit aliquis decedere cum originali, & solo veniali. Deinde probatur ab inconvenienti, quod ibi infert D.Thom. in argumento *sed contra.* Nam dari nequit status in hac vita, cui in futura non correspondeat determinatum receptaculum; sed huic puero decedenti cum originali, & veniali non daretur, vbi reciperetur: *Quia,* verba sunt D.Thomæ, *pro peccato originali puniuntur homines in limbo puerorum, vbi non est pœna sensus: in inferno autem detruduntur homines propter solum peccatum mortale: ergo non erit locus, in quo possit puniri illi, qui habet peccatum veniale cum originali solo.* Hæc D. Thom. Sed si D. Thomam latuit receptaculum, quod possit recipere decedentes cum originali, & veniali, credendum pie est, alijs non fuisset manifestatum: ergo falsa est contrariorum opinio. ¶ Sed nota, merito D. Thomam solum meminisse locorum limbi, & inferni: quia de cæteris certum est, non posse tale peccatum in illis puniri: non quidem in purgatorio, quia ibi non puniuntur, nisi qui in gratia decedunt, vt illo igni purgati in cœlum ascendant: neque etiam in limbo antiquorum Patrum: quia iste locus destinatus præcisè est pro detinendis Sanctis post omnia peccata plene purgata: ergo cum hæc sint receptacula, quæ ex Scriptura, & Sanctis Patribus nobis constat adesse, alia fingere voluntarium omnino est. Et per hæc patet ad rationes contrariorum. Dicta hoc numero tenent omnes Thomistæ, suo Angelico Doctori inhærentes, nec non multi Scotistæ, vt dicunt N. Salmanticen. tom.4.tract.13.disput.20.dub.2.num.46.Montesinos tom.2.disp.20.quæst.3. num.27.& disp. 13.num.15.

An qui decedunt cum solo originali patiantur aliquam tristitiam.

21 Denique inquires: An ex pœna damni pueri decedentes cum solo originali aliquam tristitiam patiantur ob carentiam visionis beatificæ? Prima sententia est affirmativa, & tenent eam Abulensis super cap.25.Matth.quæst. 666.& 671. Sotus lib.1. de natura, & gratia, cap.14. Bellarminus tom.1. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap.6. Valentia tom.2. disput.6.quæst.17.punct.4.& alij. Et probatur-que primò: quia tales pueri habent proportionem ad beatitudinem, cum ad illam elevati sint, quando in Adamo fuit omnibus promissa; sed quilibet tristatur, si privetur eo beneficio, ad quod habet proportionem: ergo cum videant se privatos beatitudine, necessario tristari debent. ¶ Secundò: tales pueri privantur naturali felicitate; sed hoc ipso tristantur, cum sibi eam cognoscant possibilem: ergo, &c. ¶ Secunda sententia, & verior, est negativa, quam defendunt Magister in 2.dist.33. Ricardus, Bonaventura, Scotus, Durandus, Vazquez disput.134.cap.3.num.8. Montesinos tom.2.disput.13.num.18. & alij Thomistæ, vt Curiel, Zumel, Martinez, & alij expositores D.Thom.in hac quæst.89. 1.2. quos esse proli-

xum

xum referrē; eſtquē expreſſa Angel. Doct. in 2. diſt. 33. quæſt. 2. artic. 1. & quæſt. 5. de malo, articul. 2. Probaturque primò ratione ex eo deſumpta. Nemo triſtatur de amiſsione illius, quod non cognoſcit eſſe ſibi conſequibile; ſed pueri decedentes cum originali, non cognoſcunt, eſſe ſibi debitam, vel conſequibilem viſionem beatificam: ergo de eius amiſsione non triſtantur. Probatur minor, quia cætera conſtant. Prædicti parvuli ſolum habebunt cognitionem rerum naturalium, non autem fidei; cum nec in hac, nec in alia vita habeant lumen ad res ſupernaturales attingendas, ibi enim carent omni gratia, & auxilio ſupernaturali: ergo non cognoſcent, vt ſibi debitam, & conſequibilem viſionem beatificam.

Reſpondetur argumētis ſententiæ affirmativæ.

22 Per quod patet ad argumenta. Ad primum reſpondetur, negando maiorem cum D. Thom. in diſtinct. citata ſic dicente: *Pueri autem numquam fuerunt proportionati ad hoc, quod vitam æternam haberent, quia neque eis debebatur ex principijs naturæ, cum omnem facultatem naturæ excedat; nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum conſequerentur; & ideò nihil omnino dolebunt de carentia viſionis divinæ. Vnde ſicut nullus ſapiens* (ſunt exempla Angel. Doct.) *affligetur de hoc, quod non poſsit volare, ſicut avis; vel quia non eſt Rex, vel Imperator, cum ſibi non ſit debitum; ita pueri non dolebunt de amiſsione viſionis beatæ, cum nec ſit debita, nec ad illam habeant proportionem.* ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod, licèt parvuli cognoſcant beatitudinem, vt ſibi poſsibilem, non tamen agnoſcent, ſe fuiſſe ad illam ordinatos, cum talis ordinatio non ſit naturalis, ſed gratuita ex Dei voluntate omnino dependens; & nemo ſanæ mentis iuſte triſtatur de amiſsione perfectionis ſibi non debitæ: vnde parvuli ob prædictam privationem triſtari minimè poſſunt.

Species atoma peccati originaliseſt ſuperbia.

23 Pro coronide huius capitis inquires, quæ ſit ſpecies atoma peccati originalis? Ad quod breviter reſpondetur, eſſe ſuperbiam. Sic D. Thomas 2.2. quæſt. 173. artic. 1. his verbis: *Primus homo peccavit, appetendo ſimilitudinem Dei quantum ad ſcientiam boni, & mali: : : Et ſecundario quantum ad propriam poteſtatem operandi.* Sed hæc pertinent ad ſuperbiam: ergo talis fuit ſpecies atoma peccati originalis. Videantur N. Salmant. Scholaſtici tract. 13. diſp. 16. dub. 6. num. 157.

CAPUT X.

De peccato commiſsionis, & omiſsionis.

CElebris eſt apud Doctores diviſio peccati in peccatum commiſsionis, & omiſsionis. Cæterum quia plures quæſtiones, quæ circa illa moventur, purè Scholaſticæ ſunt, ex his ſolum extremis digitis attingemus, quæ ad maiorem doctrinæ moralis intelligentiam omnino deſiderantur, noſtram curam, & operam applicando his, quæ tantum moralitatem concernunt. Vnde prius agemus de eſſentia peccati commiſsionis, & omiſsionis, eorumque diſtinctione, & denique de actu, qui prærequiritur vt cauſa, aut occaſsio omittendi.

Punct. I. *De eſſentia peccati commiſsionis, & omiſsionis: & an differant ſpecie, quando ex eodem motivo procedunt?*

Punct. II. *Qualiter vitientur actus, qui ad omiſsionem peccaminoſam concurrunt?*

Punct. III. *Vtrùm omittens culpabiliter, peccet non ſolum, quando ponit cauſam, ſed etiam quando ſequitur omiſsio, etſi tunc non ſit ſui compos?*

§. I. *Deciditur prima pars difficultatis propoſitæ.*

§. II. *Proponitur altera pars dubij, & deciditur an peccatum omiſsionis imputetur ebrio, aut dormienti, qui dedit libere cauſam omittendi.*

PUNCTUM I.

De eſſentia peccati commiſsionis, & omiſsionis: & an differant ſpecie, quando ex eodem motivo procedunt?

CUm ignorata eſſentia peccati commiſsionis, & omiſsionis impoſsibile ſit ad alias difficultates ſolvendas procedere, ideò ante omnia eorum quiditates declarare aggredimur.

Peccatum commiſsionis eſſentialiter conſtitui per malitiam privativam, aliqui opinantur.

1 Vnde rogabis primò, in quo eſſentia peccati commiſsionis conſiſtat? Ad quod prima ſententia reſpondet, aſſerendo eſſentiam peccati commiſsionis conſtitui per malitiam privativam, non vero per poſitivam. Et movetur primò, quia ſi eſſentia peccati commiſsionis in aliquo poſitivo conſiſteret, cauſaretur à Deo; cum tale poſitivum eſſet ens, & ens in quantum ens à Deo producatur; ſed hoc repugnat infinitæ Dei ſanctitati: ergo etiam repugnat, quod peccatum conſtituatur per aliquid poſitivum. ¶ Secundò: nam peccatum habituale, quod eſt terminus actualis, non conſiſtit in poſitivo, ſed in privatione gratiæ: ergo in eadem privatione conſiſtit peccatum actuale commiſsionis. Ita Suarez de bonit. & malit. diſp. 7. ſect. 6. Lorca de actib. human.

disp.25. Azor lib.4.Instit.moral.cap.1.quæst.6. Salas tract.13. disp.2. sect.3. Et ex Thomistis Araujo in præsenti dub.1. & Montesinos disput.34.

Probabilius est constitui per malitiã positivam.

2 Secunda sententia, & verior, docet, essentiam peccati commissionis constitui per malitiam positivam; privativam vero esse extra illius conceptum essentialem. Quod sic probat primò: nam primum, quod invenitur in peccato commissionis, est tendentia ad obiectum dissonum; sed hæc tendentia est malitia positiva, in qua fundatur privatio rectitudinis, quæ dicitur malitia privativa: ergo non in hac, sed in illa consistit essentia peccati commissionis. ¶ Secundò: prædicta tendentia ad obiectum dissonum est pro priori ad privationem: ergo cum sit in genere moris, debet esse vel bona, vel mala: sed non primum: ergo secundum. ¶ Tertiò: moralitas vt sic consistit in positivo, vt diximus supra cap.1.punct. 1.num.5. ergo in positivo consistit bonitas, & malitia. Patet consequentia, cum moralitas sit genus respectu earum: Tunc sic; sed malitia, quæ in positivo consistit, nulla alia esse potest quam peccati commissionis: ergo in prædicta malitia positiva tale peccatum consistit. ¶ Vnde ex his infertur, quod malitia privativa tantum se habeat ex consequenti, & vt illius proprietas; quia ex quo actus peccaminosus dicat tendentiam positivam ad obiectum dissonum, resultat quod careat rectitudine sibi debita. Ita Bañez 1.part.quæst.48.artic. 1. Ioannes à Sancto Thom. de actib. human. disput.9.artic.2. N.Salmantic. tract.13. disput. 6.dub.4. num.63. Gonet disput.3. articul.1. Filliucio tract.21. cap.7. num.255. Bonacina de Peccatis, disput.2.quæst.2.punct.1.num.13. & alij.

Argumentis cõtrarijs respondetur.

3 Ad primum argumentum respondetur, malitiam illam positivam posse considerare sub ratione entis,& sub ratione malitiæ:primo modo non explicat deformitatem, & sic de facto causatur à Deo:secundo modo dicit deformitatem,& ideo à Deo nequit produci. Nec obstat, quod prædicti duo conceptus identificentur ad hoc, vt vnus possit à Deo produci, non vero alius: quia plures retiones in Theologia videmus identificatas, quæ in ratione termini separari possunt, sicut essentia Divina, quæ vnitur Beato sub ratione speciei,& humanitati Christi sub ratione subsistentiæ, & existentiæ, quin vniantur sub ratione intellectionis, & naturæ, esto sint inter se omnes isti conceptus realiter identificati: ergo identificatio realis nil obest, quominus malitia positiva causetur à Deo sub ratione entis, & non sub ratione malitiæ.¶ Ad secundum respondetur peccatum habituale non esse terminum primarium peccati actualis, sed præcisè secundarium: nam terminus primarius, quando illum habet actuale peccatum,est habitus vitiosus, vel dispositio facile mobilis, quæ non habent rationem peccati habitualis. Diximus, quando peccatum actuale habet terminum: quia actus immanentes peccaminosi, licet ex se sint fœcundi, & potentes generare habitum, aut dispositionem,tamen per se non indigent, illum producere, cum sint actus perfecti, & de genere qualitatis.

Quæ sit essẽtia peccati omissionis.

4 Rogabis secundo, in quo essentia peccati omissionis consistat? Respondetur cum D. Thom. 2.2. q.79.art.3. Bonac.de peccat.disp. 2.q.2.punct.1. num.14. Filliuc.tract.21.cap.7. num.256. & communiter cum alijs Theologis Scholasticis, & Moralistis, consistere in carentia, & prætermissione actus præcepti; taliter quod nullus actus potest ingredi ad constituendam eius essentiam, sed ad summum concurrere potest vt causa, aut occasio omittendi. Et ratio est, quia cum omissio actus præcepti sit non ens, seu carentia, implicat quod aliquid positivum eam intrinsicè constituat: ergo cum actus positivum quid sit, implicat intrinsicè constituere omissionem, seu non ens:quod cum apud omnes certum sit, maiori non indiget probatione.

Peccatum commissionis non distinguitur specie à peccato omissionis.

5 Rogabis tertio,an peccatum commissionis,& omissionis sint eiusdem speciei in genere moris,si ex eodem motivo procedant? Respondetur affirmativè cum D. Thom.1.2.quæst.72. art.6. & colligitur ex illo celebri effato D.Ambrosij: *Si non pavisti, occidisti.* Hoc est, eiusdem malitiæ est omittere ministrare egeno, ac occidere. Suadetur insuper à ratione, primo; quia peccata distinguntur specie iuxta eorum motiva: ergo si peccatum commissionis, & omissionis ex eodem motivo procedunt, erunt eiusdem speciei essentialis. ¶ Secundò. Facere bonum, & omittere malum ex eodem motivo sunt partes integrantes iustitiæ, iuxta illud Psalm. 33. *Diverte à malo, & fac bonum,* & consequenter est eiusdem speciei: ergo è contra facere malum, & omittere bonum ex eodem motivo sunt partes integrantes eiusdem speciei.Quare non distinguntur specie peccata, quæ committit avarus(exempla sunt D.Thom.) quando ad congregandam pecuniam rapit, ac quando non elargitur ea, quæ dare debet: & similiter eiusdem speciei peccata committit gulosus, quando ad satisfaciendum gulæ, & superflua comedit, ac quando ieiunia debita prætermittit: ergo peccatum commissionis, & omissionis, quando ex eodem motivo procedunt, ad eamdem speciem pertinent.D.Thom. sequntur Caietanus, Medina, Serra,& communiter alij Discipuli D. Thom.apud Gonet disp. 3. art. 5. & N. Salmanticenses tract. 13. disp. 8. dub 1. num. 4. Idem docent Azor tom. 1. lib. 4. cap.3. quæst.1 Valentia 1.2. disp.6.q.2. punct. 2. Escobar lib.3. sect. 1. cap.2.num.20. Filliuc. tract.21. cap.7.num.259.& alij.

Proponuntur aliquæ obiectiones contrariæ.

6 Sed obijcies primo, cum Vazquez disp. 97. num. 25.& Bonac. disp.2. de peccatis,q.4. punct.4. num.1. alios referente, quibus arridet sententia contraria. Si peccata commissionis, & omissionis essent eiusdem speciei, minimè necessarium foret illa seorsim in confessione explicare, sed sufficeret dicere se peccasse peccato talis speciei (maximè in nostra sententia quam secuti sumus in hoc Cursu tract.6.cap.8. punct. 2. num. 23. asserentes, non esse necessarium aperire in confessione circunstantias aggravantes, seu non mutantes specie) sed hoc est falsum; alias qui omitteret actum charitatis, quando vrget præceptum, & ex eodem motivo Deum odio haberet, sufficeret dicere, se peccasse contra charitatem: ergo signum est, præ-

prædicta peccata commiſsionis, & omiſsionis eſſe eiuſdem ſpeciei. ¶ Secundò. Qui legitimè vocatus non vult iurare, peccat contra iuſtitiam legalem per omiſsionem, è contra vero, ſi iurat falſum, peccat contra religionem per commiſsionem, etſi ad vtrumque procedat ex eodem motivo; ſed peccata contra iuſtitiam legalem, & religionem ſunt diverſæ ſpeciei: ergo dantur peccata commiſsionis, & omiſsionis ex eodem motivo procedentia, quæ ſint diverſæ ſpeciei. ¶ Tertiò. Qui non exhibet reverentiam debitam parentibus, peccat contra pietatem; at ſi vlterius eos contumelijs afficiat, peccat contra iuſtitiam; ſed hæc ſunt peccata commiſsionis, & omiſsionis: ergo aliqua peccata commiſsionis, & omiſsionis diſtinguntur ſpecie, & ſi ex eodem motivo procedant.

Fit ſatis obiectionibus immediatè poſitis.

7 Sed hæc levia ſunt, vt communem infirment ſententiam. Ad primam ergo obiectionem (relicta ſolutione Araujo, & Monteſinos admittentium ſequelam) reſpondetur, circunſtantiam peccati commiſsionis, & omiſsionis, eſtò ſint eiuſdem ſpeciei, deberi in confeſsione explicari. Et ratio eſt, quia, vt tract. 6. ſupra allegato diximus, circunſtantiæ, quæ ſe habent, vt partes integrantes ſubſtantiam ſpeciei peccati, debent expræſsè confiteri; & ideò ibi numer. 11. ſuppoſuimus peccatum externe commiſſum deberi confiteri, & non ſufficere dicere actum præcisè internum, quia exterior actus non tam eſt circunſtantia, quàm pars ſubſtantiæ peccati, eiuſque complementum: peccata vero commiſsionis, & omiſsionis, quando ex eodem motivo procedunt, ſe habent vt partes integrantes vnicam ſpeciem peccati; cum hæc adæquatè conſtituatur per hoc quod proſequamur malum, & omittamus bonum: vnde nihil obeſt quo minus ſint circunſtantiæ neceſſariò aperienda in confeſsione.

8 Ad ſecundum dicitur, illud exemplum non habere idem motivum proximum; nam qui legitimè vocatus non vult iurare, habet tamquam motivum malum, ſeu damnum, quod bono communi infert; qui vero iurat falſum, intendit adducere Deum in teſtem mendacij: vnde nihil mirum, ſi ſint peccata diverſæ ſpeciei.

9 Ad tertium reſpondetur, non exhibere parentibus debitam reverentiam, & illos contumelijs afficere, pertinere ad eamdem ſpeciem impietatis, & nullo modo ad ſpeciem iniuſtitiæ, & ſic nihil contra noſtram doctrinam concluditur.

Peius eſt peccatū cōmiſsionis, quam omiſsionis.

10 Denique rogabis quartò: An peccatum commiſsionis cœteris paribus ſit gravius, quam peccatum omiſsionis? Reſpondetur affirmativè cum D. Thom. 2.2. quæſt. 79. artic. 4. Bonacina de Peccat. diſput. 2. quæſt. 4. punct. 4. num. 2. Filliucio tract. 21. cap. 7. num. 260. & alijs communiter, & rationem tradit Angelicus Doctor, quia peccatum commiſsionis eſt directè contrarium virtuti, ſecus autem peccatum omiſsionis; ſed vnum contrarium magis diſtat à ſuo contrario, quam negatio illius: plus enim diſtat nigrum ab albo, quam non album: ergo plus diſtat à virtute peccatum commiſsionis, quam omiſsionis: tunc ſic, ſed quod magis diſtat à virtute gravius, & peius eſt: ergo gravius, & peius abſolutè eſt peccatum commiſsionis, quam omiſsionis. ¶ Confirmatur, & explicatur. Plus recedit à virtute charitatis qui poſitivè odit, quam qui non amat; ſed primum eſt peccatum commiſsionis, & ſecundum omiſsionis: ergo peccatum commiſsionis plus recedit à virtute contraria, & conſequenter eſt gravius, quam omiſsionis.

PUNCT. II.

Qualiter vitientur actus, qui ad omiſsionem peccaminoſam concurrunt?

Omiſsio peccaminoſa neceſſariò petit actum.

11 LIcèt ad omiſsionem voluntariam, & peccaminoſam non requiratur actus, qui per ſe, ſeu tanquam conſtitutivum eſſentiale ad eam pertineat, tamen cum probabiliori ſententia in via D. Thomæ ſupponendum eſt primò, non poſſe dari peccatum omiſsionis ſine actu, qui ſit cauſa, aut occaſio omittendi. Et ratio eſt, quia omiſsio peccaminoſa debet eſſe exercitium liberum voluntatis; ſed pura omiſsio nequit eſſe exercitium liberum voluntatis, cum voluntas ſe moveat per actum, & non per negationem actus: ergo neque eſſe peccaminoſa. Qui plura voluerit, legat N. Salmantic. tum tract. 10. diſp. 4. dub. 1. tum etiam tract. 13. diſput. 5. dub. 2. Gonet tom. 3. tract. 5. diſput. 3. artic. 2. Filliucium tract. 21. cap. 7. num. 264. contra Suarez de voluntario, diſput. 1. ſect. 5. Azor lib. 4. Inſtit. moral. lib. 4. cap. 3. quæſt. 3. Bonacina de Peccat. diſp. 2. quæſt. 4. punct. 4. num. 12. affirmantes poſſe dari omiſsionem peccaminoſam ſine aliquo actu.

Actus, qui eſt cauſa vel occaſio omiſsionis peccaminoſæ, vitiatur ab ea.

12 Ex quibus ſupponendum eſt ſecundò, quod ſi actus, qui neceſſariò requiritur ad omiſsionem peccaminoſam, eſt cauſa, aut occaſio illius, etiam ſi ex proprio obiecto ſit bonus, ab omiſsione vitiatur. Et ratio eſt, tum quia qui liberè dat cauſam, & occaſionem omiſsioni peccaminoſæ, illam virtualiter vult: ergo peccat. Tum, nam vt dicitur Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*; ſed qui elicit actum, qui ſit cauſa, aut occaſio omittendi peccaminoſe, amat periculum peccandi: ergo peribit in illo, ſeu peccatum committet. Vnde non ſolum actus, quo quis v.gr. intendit omittere Sacrum, eſt malus moraliter, ſed etiam eſt malus ludus, aut venatio, imò & ſtudium, vel oratio, quando propter hæc aliquis Miſſam audire omittit; quia tunc talis actus, etiam ſi ſint honeſti, vitiantur ab omiſsione peccaminoſa, cuius ſunt cauſæ. ¶ Nota tamen traditam doctrinam eſſe veram, quando omiſsio præcepti eſt peccaminoſa; ſi enim talis non ſit, tunc actus, qui eſt cauſa omittendi non eſt culpabilis. Quare actio, qua quis curat infirmum, vel moribundo aſsiſtit, & ſi ob hæc omittat Sacrum, non eſt mala, quia in præſenti caſu omiſsio auditionis Sacri eſt bona, & obligatoria. Vnde neceſsitas, quæ tunc excuſat omiſsionem à culpa, à fortiori etiam ex-

excusat actum, qui est causa omittendi. Ita Vazquez disput.93.cap.2. Gonet disput.3.artic.3. Sayrus in Clavi Reg.lib.2.cap.6.num.11. Becanus 2.part.tract.2. cap.3. quæst.3. num.4. Azor lib.1.cap.12.quæst.5. Filliucio tract.21. cap.7.quæst.7. à num.266. Bonacina de Peccatis, disput.2. quæst.4. punct.4. à num.13. Layman tract.3.cap.4.num.2. & alij communiter.

Actus coexistentes omissioni peccaminosæ ab illa non vitiantur.

13 His ergo suppositis solum est in hac materia lis inter Doctores circa actus concomitantes, seu coexistentes omissioni. Vnde inquires primò: An actus, qui nullo modo sunt causa, aut occasio omissionis, ei tamen coexistunt, vitientur ab illa? Respondetur negativè cum communi sententia. Tum, quia prædicti actus nullo modo influunt in omissionem: ergo ab ea vitiari nequeunt. Tum etiam, quia actus coexistentes omissioni peccaminosæ possunt cadere sub voto: validum enim esset votum dandi eleemosynam, aut aliquas preces recitandi eo tempore, quo quis Sacrum præceptum omittit: ergo sunt moraliter boni, & nullo modo peccaminosi. Qua propter siquis decernat non audire Sacrum præceptum, & tempore quo vrget obligatio, ne otiosus sit, legat, aut recitet, tales actiones non sunt peccaminosæ; quia solum concomitanter, & per accidens ad dictam omissionem se habent. ¶ Sed dices. Prædicti actus concomitantes fiunt tempore indebito, scilicèt quando Sacrum audiendum erat: ergo ratione temporis indebiti nequeunt non vitiari. ¶ Respondetur negando antecedens; quia prædicti actus minimè fiunt tempore indebito. Et ratio est, quoniam præceptum audiendi Sacrum solum prohibet actus incompossibiles cum illius adimpletione, qui verè sint causæ omissionis auditionis Sacri: cum ergo actus præcisè concomitantes non sint causa omissionis Sacri, hinc est, quod non fiant tempore indebito, nec à tali præcepto prohibeantur.

Iuxta aliquos explicantur actus qui dicuntur concomitantes.

14 Inquires secundò, & est gravior difficultas. Qui actus, qui coniunguntur omissioni peccaminosæ, dicendi sunt purè concomitantes, seu nullo modo in eam influentes? Aliqui Doctores, vt Valentia loco allegato puncto 4. Lorca disput.6. Azor lib.4.cap.3.quæst.5. Et alij sentiunt solum esse actus concomitantes, qui simul esse possunt cum actu omisso; vt recitatio Officij Canonici est actus concomitans, respectu auditionis Sacri, quia coniungibilis licitè est cum auditione Sacri: alios vero actus v. gr. studium, aut deambulatio, quia sunt incompossibiles cum adimpletione præcepti de audiendo Sacro, esse non præcisè concomitantes, sed verè in omissionem peccaminosam influentes. Et ratio eorum est, quia eo ipso quod sint tales actus incompossibiles cum adimpletione præcepti sunt impeditivi illius: ergo verè sunt causa omissionis auditionis Sacri. ¶ Alij docent, tunc actum esse concomitantem, quando sequitur ad voluntatem determinatam ad omittendum, dummodo talis determinatio, ita parum distet ab executione, quod non sit probabilis spes, quod eam voluntas revocabit. Sic Gonet disput.3. artic.3.num.117.& alij.

Refellitur vterque modus dicendi.

15 Sed vterque dicendi modus à veritate deficit. Et quidem primus. Etenim plures actus incompossibiles cum adimpletione præcepti, eiusque omissioni coexistentes, sunt boni, vt patet in eo qui domi maneret, iam determinatus omittere Sacrum ob pluviam, aut aliud motivum, si tunc voveret docere ignorantem, aut pascere esurientem, validum esset tale votum, & prædicti actus essent honesti, & boni; & tamen sunt incompossibiles cum adimpletione præcepti: ergo falsum est, quod omnis actus incompossibilis cum adimpletione præcepti sit vera causa omissionis peccaminosæ, & non merè concomitans. ¶ Similiter displicet secundus dicendi modus. Quia sivè voluntas omittendi multum, sivè parum distet ab omissione, semper manet libera voluntas ad exequendam omissionem, sivè nihil exterius agendo, sivè exercendo actum incompossibilem cum eo, qui omittitur: ergo quicumque actus, qui vt incompossibilis cum adimpletione præcepti assumitur, post voluntatem omnino determinatam ad omittendum, verè influit in omissionem. Præterea: licèt aliquis sit determinatus ad omittendum præceptum, adhuc potest servare illud, cum conservet libertatem ad prædictam determinationem mutandam: ergo omnis actus, qui tunc assumitur incompossibilis cum adimpletione præcepti verè influit in omissionem illius. Patet consequentia. Quoniam talis actus, licèt supponat causam omissionis intrinsecam, scilicèt determinationem ad omittendum, tamen non supponit causam extrinsecam, sed potius hanc ipse constituit, & adæquatè complet: ergo verè influit in prædictam omissionem peccaminosam, & sic non est purè concomitans. Vnde oritur, quod Clericus navigans, qui proijcit Breviarium in mare, postquam efficaciter decrevit Officium Canonicum non recitare, peccat per dictam proijcionem Breviarij: quia semper erat capax retractandi propositum, & proijciendo Breviarium in mare, fit totaliter incapax adimpletionis præcepti. Similiter, qui habet firmum propositum omittendi Sacrum, & hora vndecima, seu duodecima se somno tradit, peccat somno se tradendo, quia omnino necessitatur per hunc actum ad non mutandum antecedens propositum, & ad omittendum Sacrum: ergo falsum est, quod tunc est actus concomitans, quando subsequitur ad voluntatem determinatam parum distantem ab omissione.

Propria mẽs aperitur.

16 Vnde his modis dicendi derelictis, dicendum est, quod tunc censendus est actus concomitans respectu omissionis, quando subsequitur ad omnem causam tam intrinsecam, quàm extrinsecam illius; & hoc verum est, sivè talis actus sit compossibilis cum adimpletione præcepti, sivè sit incompossibilis: si vero talem causam non supponit, & alias est incompossibilis cum adimpletione præcepti, non est concomitans, sed influens in omissionem. Prima pars huius nostræ conclusionis liquet: quia si supponit totam causam omissionis, nequit esse aliquomodo eius causa; cum iuxta communem sententiam Theologorum, & Philosophorum eiusdem effectus nequeat esse duplex

plex causa totalis, sivè moralis, sivè physica. ¶ Secunda pars etiam facilè ostenditur; quoniam actus incompossibilis cum adimpletione præcepti, hoc ipso quod non præsupponat causam adæquatam omissionis, tollit indifferentiam vltimam voluntatis, & eam totaliter ad omittendum determinat: ergo verè est omissionis causa, & non actus purè concomitans. Quod amplius patet sequenti exemplo: Nam etsi voluntas sit omnino determinata ad omittendum Sacrum, tamen quoties illud non omittit, potest mutare animum, & adimplere præceptum: cæterum si post hanc determinationem se venationi committit, ita vt ad Ecclesiam iam redire non possit, quando vrget præceptum, totaliter impeditur per hunc actum ad eius adimpletionem: ergo talis actus complet causam adæquatam omissionis præcepti, & consequenter non est purè concomitans, sed verè in omissionem influens. Sit N. Cornejo disput.3.dub.9. Montesinos disput.2. quæst.3. N.Salmant.tract.13.disput.5.num.74. & alij.

Alius dicendi modus satis probabilis.

17 Nec ab hoc modo dicendi multum deviat opinio Becani loco citato, quæst.4. Filliucio tom.2.tract.21.cap.7.num.268. Bonacina disput.2.citata, quæst.4. punct.4. num. 16. nimirum, quod tunc dicitur actus influens, & causa omissionis, quando ex proposito omittendi eligitur vt incompossibilis cum actu præcepto: reliqui vero actus, qui post electionem primi operis incompossibilis cum adimpletione præcepti secundario, & ex alijs motivis eliguntur, sunt purè concomitantes, sivè sint incompossibiles, sivè non, cum observatione dicti præcepti. Ratio primi est, quia tales actus verè influunt in omissionem præcepti, & ex vi illorum sequitur eius transgressio: ergo sunt veræ causæ dictæ omissionis. ¶ Ratio secundi est, quia actus, qui eliguntur secundario, & ex alijs motivis, post electionem primi actus incompossibilis cum adimpletione præcepti, nullo modo influunt in eius omissionem; cum supponant totam causam adæquatam tam intrinsecam, quàm extrinsecam prædictæ omissionis; & vnius effectus, vt numero antecedenti diximus, nequeant esse plures causæ totales: ergo respectu illius de materiali se habent, & sunt purè concomitantes. Sed explicare oportet vtramque partem sequenti exemplo. Missam omittere efficaciter decreviisti, & ad hoc extra locum, opidum vè iter aggressus fuisti; & postea amicum venantem, aut piscantem reperisti, eique te adiungis, & in venatione, aut piscatione exerces: in hoc casu licèt deambulatio vt incompossibilis cum auditione Sacri, & primò intenta ad eam omittendam, influat in eius omissionem, sitque vera eius causa; venatio tamen, seu piscatio, licèt incompossibilis cum auditione Missæ, non influit, nec defacto causat omissionem dicti præcepti, cum iam supponat causam illius adæquatam, & ideò sivè in illo tempore vacares piscationi, aut venationi, sivè non eodem modo sequeretur omisio Sacri ex vi primi actus electi, vt incompossibilis cum adimpletione præcepti, qualis est deambulatio: ergo sola deambulatio est actus influens, & causa omissionis Missæ; venatio vero, seu piscatio est purè concomitans, materialis, & minimè in eam influens: & consequenter actus incompossibiles cum adimpletione præcepti, si primò eligantur ex proposito omittendi, erunt causa omissionis; si vero post hos alij quasi secundario, & ex alijs motivis eligantur, etsi etiam sint verè incompossibiles, sunt actus purè concomitantes, nulloque modo influentes in omissionem præcepti ex vi priorum actuum causatam.

Prima sententia asserens actum, qui est causa omissionis habere malitiã moralem ab ea distinctam.

18 Inquires tertiò: An actus, qui est causa omittendi culpabiliter habeat malitiam moralem numero, aut specie distinctam ab omissione peccaminosa? Affirmat prima sententia, & movetur primò: quia studium v.gr. quando est causa omissionis Sacri, non solum opponitur religioni, verum etiam virtuti studiositatis, quæ prohibet inordinatum modum studendi; sed studium, in casu posito, habet modum inordinatum, cum non fiat, quando oportet: ergo opponitur non solum virtuti Religionis, sed etiam studiositatis, & consequenter continet duplicem malitiam specie diversam. ¶ Secundò: qui ob studium omittit Sacrum, est ob inordinatum affectum studendi: ergo prius affectus ille est inordinatus, & culpabilis, quam sit causa omissionis Sacri, & sic habet & malitiam oppositam studiositati, & virtuti Religionis. Ita sentiunt Gabriel in 2.dist.4.quæst.1.artic.3.dub.3. Henric.quodlibet.12. quæst.24. Suarez de Peccat. disp.3. sect.3.num.4. Granad.disp.3. sect.3. num.22. & alij.

Probabilius est oppositũ.

19 Secunda, vera, & communis sententia docet vnam tantum malitiam moralem continere, desumptam ex omissione, & consequenter actum, & omissionem vnicum moraliter constituere peccatum. Quod facilè suadetur primò, quia studium, in casu posito, ideò est malum, quia est causa omittendi Sacrum: ergo solum ex hac omissione accipiet malitiam. ¶ Secundò: studium non habet malitiam contrariam virtuti studiositatis; sed ob hanc rationem docent contrarij habere duplicem malitiam: ergo eam non habet. Probatur maior à paritate. Qui furatur, vt det eleemosynam, non committit malitiam contra virtutem misericordiæ, sed solum contra iustitiam: ergo qui omittit Sacrum, vt studeat, non committit malitiam contra virtutem studiositatis, sed præcisè contra religionem. ¶ Tertiò: quia ex oppositа sententia oritur, quod qui omittit Sacrum ob studium, plus peccaret, quam qui omittit manendo otiosus, cum hic solum committeret vnum peccatum contra religionem; sed sequela est per se manifeste falsa: ergo &c. ¶ Quartò: etiam sequeretur ex contraria opinione; teneri pœnitentem explicare in confessione motiva omissionis Sacri, an v.gr. omisserit ob studium, venationem, ludum &c. sed hoc est contra praxim, & sententiam communem Theologorum, vt probabimus tract.6. cap.8. punct.4. num.109. ergo actus, qui sunt causa omittendi, non habent distinctam specie malitiam ab omissione, nisi alias sint ex se pravi, & peccaminosi. ¶ Ex quibus constat prædictos actus, moraliter loquendo,

non

non constituere distinctum peccatum ab omissione. Et ratio est, quia actus subordinati concurrentes ad integrandum vnum peccatum, non constituunt diversa numero peccata, licèt malitiæ sint numero diversæ, vt patet in actibus volitionis furandi, consilij, iudicij, electionis, imperij, & vsus, qui constituunt vnicum peccatum furti; sed actus, qui est causa omissionis, ordinatur ad omissionem: ergo non constituit diversum numero peccatum. Hanc conclusionem docent Zumel quæst.71. artic.5.disp.3. Medina dub.2. Salas tract.13. disput.2.sect.7.num.103. N.Cornejo disput.3. dub.6. Montesinos disput.2. quæst.3. Sayro lib.2. cap.7. num.14. Bonacina de Peccatis, disput.2.punct.4. num.26. Azor. lib.4. cap.3. quæst.5. & 7. Becanus 2. part. tract.2. cap.3. quæst.5. Filliucio tract.21. cap.7. num.270. Leander de Pœnit.disput.8.§.6.quæst.8. Dicastillo disp.9.dub.8.num.693.& alij.

Respondetur obiectionibus contrarijs.

20 Ad primum argumentum dic, studium in prædicto casu non opponi virtuti studiositatis: quia hæc solum prohibet inordinatum modum studendi intra propriam lineam, hoc est, ne ad res prohibitas, & innanes feratur, non tamen ad illam attinet alios inordinatos modos ad alias materias pertinentes moderari. Circunstantia indebiti temporis non est inordinatus modus studij, cum hoc nullum tempus determinatè excludat, sed præcisè est modus inordinatus, quia tunc impedit audire Sacrum, vnde ad virtutem religionis pertinet moderare hunc inordinatum modum, non autem ad studiositatem. ¶ Ad secundum respondetur, quod, estò admittamus obnimium affectum studendi, omitti Sacrum; tamen hic affectus non est prius inordinatus, & nimius, quam causa omittendi, cum ideò sit nimius, quia causat omissionem Sacri; vnde non est prius culpabilis, quam sit causa omissionis, imò potius de illo verificatur, quod ideò est culpabilis, quia est omittendi causa. ¶ Hic solent disputari Authores, an actus, qui est causa omissionis, sit dicendus peccatum omissionis, vel commissionis: aliqui sentiunt esse commissionis, quia talis actus est operatio positiva: alij esse omissionis, quia constituit idem peccatum cum omissione. Sed benè notant N. Salmantic. num.67. & Gonet num.139. quæstionem esse de nomine; vnde ad illam dicendum, quod si quæstio sit de actu realiter sumpto, est peccatum commissionis, si de actu in esse moris, seu peccati, est omissionis.

Quãdo actus qui est omissionis causa ex se est malus potest cõfiteri seorsim ab omissione.

21 Inquires deinde: An quando actus, qui est causa omittendi est distinctum peccatum ab omissione, vt quando quis omittit Sacrum ob furtum, sufficiat confiteri vtrumque seorsim? N.Cornejo disput.3.dub.8. sentit debere vtrumque simul confiteri; quia ex quo furtum sit causa omissionis Sacri, advenit illi circunstantia notabiliter aggravans eius malitiam, & è contra: ergo debet vtrumque peccatum simul confiteri. Sed contraria sententia est omnino tenenda cum Angelo, verbo *Interrogationes*, §.6. & Navarro in Manuali, cap.6. & alijs communiter. Tum, quia, vt fusè à nobis relinquitur probatum tom.1. tract.6. cap.8.punct.2.circunstantiæ, quæ speciem peccati non mutant, sed præcisè sunt notabiliter aggravantes intra eandem speciem, non debent necessariò confiteri; sed ex hoc motivo docet sententia contraria deberi vtrumque peccatum simul confiteri: ergo ad id minimè tenetur pœnitens. Tum etiam, quia, qui furatus est ad fornicandum, sufficit ad integritatem confessionis confiteri divisivè se commississe peccatum furti, & postea peccatum fornicationis, vt tenent Diana tom.1. tract.7. resolut.23.alios referens, Cardinalis Lugo de Pœnitent.disput.16.num.265. Leander ibi disp.8. §.6.quæst.5.& alij, quos sequuti sumus tract.6. cap.8. punct.4. num.112. ergo sufficit etiam confiteri, qui omisit Sacrum ob furandum, se commisisse vnum peccatum contra religionem, & postea addere, & alterum contra iustitiam.

PUNCT. III.

Vtrùm omittens culpabiliter, peccet non solum quando ponit causam, sed etiam quando sequitur omissio, etsi tunc non sit sui compos?

DUplicem partem continet difficultas proposita, & ideò duplici §. & conclusione eam resolvere curabimus.

§. I.

Deciditur prima pars difficultatis propositæ.

Peccatum omissionis iuxta aliquos solum imputatur, quando vrget præceptum.

22 MArsilius in 2.quæst.21.artic.2.suppos.2.& concluſ.2.& 4. Palatius dist.35. disput.vnica circa finem, & Sylvester verb.*Omissio*, docent peccatum omissionis solum imputari, quando adest, & vrget præceptum exercendi actum; non vero quando quis apposuit causam omissionis. Et probari potest hæc sententia, primò ex D. Thom.2.2. quæst. 79.artic.3. ad 3. vbi sic ait: *Dicunt quidam, quod tunc incipit peccatum omissionis, quando, quis se applicat ad actum illicitum, & incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur, sed hoc non videtur verum: quia dato quod excitaretur per violentiam* (loquitur de somno debito ob ebrietatem) *& iret ad matutinas, non omitteret. Vnde dicendum, quod omissio incipit imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi*: ergo iuxta D.Thom.peccatum omissionis non incipit imputari, quando apponitur causa, sed quando vrget præceptum. Secundò ostenditur à ratione. Omisio est violatio præcepti affirmativi; v.gr.audiendi Sacrum: ergo non committitur peccatum omisionis Sacri, nisi quando violatur præceptum affirmativum audiendi Sacrum. Tum sic: sed præceptum audiendi Sacrum non violatur nisi tempore, quo Missa erat audienda: ergo tunc violatur, & datur omisio præcepti. Vrgetur: præceptum

tum affirmativum non violatur per actus, sed per omissionem, ad distinctionem præcepti negativi, quod violatur per actus: ergo præceptum Sacri non violatur per actum internum, quo illud homo non vult audire, aut per actum studij incompossibilis cum illo. Quæ omnia sic complexus est D.Thom. 1. 2. quæst. 71.artic.5.ad tertium: *Dicendum quod peccatum omissionis contrariatur præcepto affirmativo, quod obligat semper, sed non ad semper: & ideò solum pro illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat.*

Rectius alij sétiũt, quod incipit imputari, quando ponitur illius causa.

23 Sed verius docent Zumel disp.5. opinione 1. Lorca disput.7. Medina hic, §. *Est aliud dubium.* Sayrus lib. 2. cap. 6. num.4. Henriquez lib.5. de Pœnitent. cap.5. num.5. Bonacina disput.2. quæst.4. punct.4. num.5. Montesinos disput.2. quæst.4. num.41. Salas tract.13. disput.2. sect.9. Sanchez in Summ. lib.1.cap.17.num.17. Becanus loc. supra citat. quæst.6. Filliucio tract.21. cap.7. num.271. Reginaldus lib.15.cap.2.num.18. Pensantius part.2.quæst.71. artic.5. disput.3. & alij communiter, quod peccatum omissionis incipit imputari ei, qui dat voluntarie causam omissioni, etsi tempus præcepti non advenerit. Et probatur primò ex D. Thom. 1. 2. quæst.76. artic.4. ad 4. & 77. artic.7. & 2.2. quæst.150. artic.4.vbi docet, effectus sequutos ad somnum, aut ebrietatem imputari etiam ad culpam, quando libere homo posuit causam. Et insuper probatur à ratione. Quando aliquis vult directè omittere Sacrum, peccat: ergo etiam quando illud indirectè vult omittere; sed qui ponit actum, qui sit causa, vel occasio omittendi, indirectè vult omittere Sacrum: ergo peccat. Explicatur, quando quis actu interno vult fornicari, incipit ei imputari malitia fornicationis, iuxta illud Matth.5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est in corde suo*: ergo eo ipso, quod culpabilis omissio sit, adhuc indirectè volita, incipiet ei imputari eius malitia, antequam exterior omissio ponatur à parte rei. Confirmatur. Qui se exponit periculo peccandi, peccat, sed qui apponit actum, qui sit causa omittendi, v.gr.Sacrum, se exponit periculo peccandi: ergo sivè postea sequatur, sivè non omissio, iam in positione causæ peccavit.

Argumentis respondetur

24 Ad authoritatem D. Thom. respondetur, quod Angel.Doctor est expresissimè pro nostra sententia locis allegatis: quia eius mens solum est dicere, quod peccatum omissionis in suo esse perfecto, & consumato incipit, quando est tempus operandi, & vrget præceptum, non tamen negat, quod absolutè incipiat, quando quis posuit libere causam omissionis illius, vt videre licèt in locis pro nostra conclusione citatis, & satis se explicat D. Thom.in loco vltimo nobis obiecto, vbi dixit peccatum omissionis committi cessando ab actu, quando præceptum affirmativum obligat; ad denotandum huiusmodi peccatum etiam committi antecedenter per actum positivum, qui fuit causa, aut occasio talis cessationis. ¶ Ad secundum dic, præceptum audiendi Sacrum dupliciter obligare, perfectè, scilicèt, & imperfectè: primò modo obligat, quando vrget tempus audiendi illud, imperfectè, quando quis vult apponere causam impeditivam illius: vnde violatur perfectè, quando datur omissio Sacri, & imperfectè, quando quis vult, vel directè omittere, vel quando indirectè vult, hoc est apponendo causam omissionis. Ad tertium respondetur, quod licèt præceptum affirmativum directè violetur per omissionem, indirectè etiam violatur per actus, qui sunt causæ illius, & incompossibiles cum obseruantia præcepti.

§. II.

Proponitur altera pars dubij, & decidi-tur, an peccatum omissionis imputetur ebrio, aut dormienti, qui dedit libere causam omittendi?

Omissionẽ volũtariam tẽpore somni cõtingentem nõ esse in se peccatum sentiũt aliqui.

25 PRima sententia circa propositam difficultatem ait: si omissio alicuius præcepti contingat tempore somni, aut ebrietatis, tunc, & si hoc ex causa libera, & voluntaria procedat, non imputari ad culpam, nec talem omissionem esse in se peccatum, sed effectum peccati. Et probatur primò: nam in tantum est aliquid peccatum, in quantum est liberum, & voluntarium; sed in casu posito, talis omissio non est libera, nec voluntaria in se, sed in causa: ergo non in se, sed in causa erit peccatum. Secundò: libertas in causa non sufficit ad Sacramenta conficienda: vnde, estò quis vellet proferre in somnis verba consecrationis supra debitam materiam, & de facto diceret ea, absdubio non consecraret: ergo nec eadem libertas in causa sufficit ad culpabiliter omittendum. Et idem dicendum est de eo, qui in somnis diceret convitia, & blasphemias, quæ non reputarentur vt peccata, etsi ex causa libera procederent: ergo &c. Tertiò: quia ex contraria sententia sequitur primò, quod si quis prævidens omissiones ieiunij, auditionis Sacri, recitationis, quæ ad infirmitatem consequuntur, inciderit in illam ex causa voluntaria, omnes omissiones imputentur illi ad culpam; sed hoc non est dicendum, vtpote contra communem sententiam Theologorum: ergo, quia omissiones sequutæ ex causa voluntaria non sunt in se peccata. Secundò sequitur, quod quis peccet dormiendo; vt quando aliquis posuit causam alicuius omissionis, & postea retractavit voluntatem ante effectum sequutum, ac proinde iustificatus fuit; attamen ipso dormiente, quia non potuit impedire antea virtutem causæ, sequitur omissio, tunc absdubio iuxta sententiam contrariam peccabit, cum illa omissio sit voluntaria in causa: ergo cum hoc sit absurdum, falsa erit prædicta opinio. Tertiò sequitur, quod si quis propinaret venenum; tandiu esset actualiter peccans, quandiu duraret veneni virtus, etsi esset per integrum annum; hoc admitti non videtur: ergo &c. Vltimò probatur hæc sententia: ad merendum non sufficit liber-

tas in causa: ergo nec ad demerendum. Vnde hanc sententiam defendunt D. Bonavent.in 2. dist.22. artic.1. quæst.3. Maior in 4. dist.9. conclus.4. Paludanus ibi. Covarrubias in Clementina si furiosus, part.2. num.4. Vazquez disput.94.cap.2.& 3. num.4. Granados tract. 4.disput.3.Bonacina disput.2.quæst.4.punct.4. Azor tom.1.lib.4.cap.3.quæst.4. Sayr.in Clavi Regia, lib.2.cap.6.num.15. Filliucio tract.21. cap.7. num. 272. & Layman tract. 2. cap.3. num.5.

Verius tamẽ est esse in se peccatum.

26 Secunda sententia, & omnino tenenda, defendit, omissionem voluntariam in causa culpabili imputari omittenti, & esse in se peccatum, etsi tunc vel ob ebrietatem, aut somnum impedire eam non possit. Et ratio est, quia vt aliquid sit formaliter peccatum sufficit, quod sit indirectè, & in causa liberum, & voluntarium: sed omissio Sacri in somno contingens, quando antea prævidetur, est voluntaria in causa: ergo est peccatum. Maior, in qua est difficultas patet, & declaratur exemplis. Nam in *cap.Mulieres, de sentent.excommunic.*dicitur, quod siquis voluntarie se inebriet prævidens occisurum Clericum, incurrit excommunicationem maiorem, sequuta occisione; sed excommunicatio incurritur ob peccatum: ergo tunc peccat. Similiter siquis polluatur in somnis ex causa voluntaria prævisa, puta ex turpi cogitatione, aut tactu, peccat, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 80. artic.7. Præterea si virgo eo animo inebrietur, vt tunc à viro defloretur, peccat non solum quando apponit causam, sed etiam, quando inebrietate amittit virginitatem: ergo sufficit libertas in causa, vt aliquid sit peccatum: ergo omissio libera in causa est in se peccatum. ¶ Confirmatur primò: quod in se non est peccatum, sed effectus peccati, licèt desiderare, vt patet in muliere, quæ potest desiderare partum fœtus ex adulterio concepti, & in comedente feria sexta carnes, qui potest desiderare postea illis nutriri; sed omittere Sacrum tempore somni ex causa voluntaria, non est licitum desiderare: ergo quia talis omissio non est effectus peccati, sed verè, & in se peccatum. ¶ Confirmatur secundò: omissio v. gr. Sacri opponitur præcepto affirmativo audiendi illud: ergo est in se peccatum. Patet consequentia, & antecedens probatur. Ideò actus, qui est causa omissionis opponitur præcepto audiendi Sacrum, & ab eo prohibetur, quia est causa illius omissionis: ergo potiori titulo ipsa omissio debet opponi tali præcepto, & ab eo prohiberi, & consequenter erit in se peccatum, cum hoc nihil aliud sit, quam omissio voluntaria, aut actus contra præceptum. Sic docent Glossa, cap.*Quia vero, fine*, dist.6. Abulens. cap.5. Matth. quæst.246. ad finem. D.Thom. 1.2.quæst.76.artic.3.ad 3. & quæst.77.artic.7. & 2.2.quæst.150.artic.4. Cayetan.ibi. N. Salmantic.de Peccatis, tract.13. disput.5. dub.6. Sotus in 4. dist.12. quæst.1. artic.7. Corduba lib.2.quæst.23. Medina dub.4. N.Cornejo disput.3.dub.13. Alvarez disput.127. Suarez de Peccatis,disput.3.sect.4.num.5. Araujo dub.3. Lorca disput.4. Salas tract.13.disput.2.sect.9. plures referens. Lopez 2.part.instruct.de Euch. cap.76.§.2. Navarr.in Summ.cap.16. num.8. Sanchez lib.9.de Matrimon. disput.45. à num. 27. Villalobos tom.1.tract.3.diffic.16. num.3. Gordonius lib.1. quæst.11. cap.8. num.44. & alij, quos citant Diana 3.part. tract.6. resolut. 52. & Palaus tract.2.disput.1. punct.3. num.6. Ex quibus.

Diluuntur rationes in contrarium positæ.

27 Ad primum argumentum sententiæ contrariæ dicitur, quod vt aliquid sit actualiter peccatum, sufficit quod sit virtualiter liberum, & voluntarium; quia liberum, & voluntarium dicuntur à principio intrinseco libere se movente: vnde quod in se ipso à voluntate non emanat, non est formaliter liberum, & voluntarium, sed solum in causa: peccatum vero sumitur per ordinem ad legem, vel prohibentem, vel præcipientem: vnde quod ab ea præcipitur, aut prohibetur, quomodocunque à voluntate procedat, dicitur peccatum: quare cum omissio in se prohibeatur, etsi indirectè à voluntate procedat, dicitur in se peccatum, licèt in se & formaliter voluntaria non dicatur, sed tantum in causa. ¶ Ad secundum respondetur, quod qui in somno, aut ebrietate profert verba consecrationis, aut blasphemiæ, neque consecrat, nec blasphemat; quia ad hæc requiruntur verba, quæ sint talia formaliter; verba autem prolata à dormiente, aut ebrio non sunt talia formaliter, quia hæc debent actualiter significare: vnde tantum sunt quidam soni, aut verba materialiter, sicut quæ proferuntur à psitaco, vel pica. Quare quod Sacramenta non conficiant, non provenit ex defectu libertatis in causa, sed ex defectu verborum, quæ formaliter verba sint. ¶ Ad tertium negatur prima sequela: quia qui per aliquam actionem extrahitur ab obligatione legis, non peccat in non adimpletione illius, vt latè probavimus tract.11. cap.2. punct.10.à num.158.& cap.3.punct.4.num.47. per infirmitatem autem extrahitur homo ab obligatione legis ieiunij, recitationis Officij Divini, & auditionis Sacri: vnde licèt peccet, dando causam infirmitati; tamen omissiones postea sequutæ non sunt obligatoriæ, nec consequenter peccaminosæ. Vide ibi differentiam, quæ est inter excusari, & extrahi à lege, & à quibus legibus possit homo extrahi, & à quibus non. ¶ Secunda sequela etiam negatur: quia eo ipso, quod ille homo iustificatus est, iam retractavit causam, & ex consequenti effectum. Vnde licèt hic sequatur, erit involuntarius. Tertiam sequelam admittimus, dum non retractat voluntatem. ¶ Al vltimum argumentum negatur antecedens: quia siquis se traderet somno prævidens in illo passurum martyrium; si postea in somno in odium fidei occideretur, certe videtur, quod iste mereretur coronam martyrij: ergo voluntarium in causa sufficit ad merendum. Licèt notent N. Salmant.Scholast.disput.5.dub.6. quod raro in somnis dabilis est actus meritorius, cum exigat directè oriri à voluntate, vt sit bonus, & in somnis difficillimum est directè ab illa oriri.

Solvuntur alia duo argumenta.

In confessione declaranda est nõ solũ causa, sed etiã omissio.

28 Ex nostra sententia sequitur contra Vazquez cap.4. num.16. Bonacinam num.8. Dianam tract.8.part.1.resolut.74.& 75. Layman num.5. necessariò fatendum esse in confes-

ſeſsione non ſolum cauſam peccati, ſed etiam omiſsionem, & effectus ad illam conſequutos; tum, quia in ſe ſunt peccata, & complementum illius primi peccati, atque ideò explicandos eſſe, docuimus tract.6. cap.8. punct.2. num.11. Tum, quia alias nullus tenetur confiteri pollutionem, aut occiſionem, ſed ſolum cauſam illius, quod aperte falſum eſt, & contra communem fidelium praxim. Quare ſi tegulam è tecto proijciſti perſpecto manifeſto periculo hominem occidendi, debes explicare, an mors ſequuta ſit, nec ne? Noſtram illationem tenent Sotus in 4. diſt.12. artic.7. Lopez 1.part. Inſtruct. cap.31. & 2.part. cap.36. Sanchez de Matrimon.lib.9.diſput.45. Ledeſma 1.part.cap.4.quæſt.21.artic.7.dub.1. §. *Et argumenta.* Palaus tract.2. diſput.1. punct.3. num.7. & alij communiter: ex quo oritur etiam, quod non ſolum ratione reſtitutionis debitæ pro homicidio, aut cenſuræ pro illo impoſitæ, debes illud confiteri, vt notant ex contrarijs Vazquez, & Bonacina, ſed etiam ratione ipſius operis exterioris, cum in ſe ſit peccaminoſum.

Si retractata eſt cauſa nō eſt fatenda omiſsio, nec ob effectus inde ſequutos incurritur excommunicatio.

29 Sed hic nota, quod ſi ante ſubſequutum homicidium, aut omiſsionem retractes efficaciter per pœnitentiam cauſam, eſt ſatis veriſimile, quod non tenearis fateri homicidium, aut omiſsionem, & effectus ſubſequutos ad illam: quia tunc iam non ſunt voluntarij, cum cauſa etiam voluntaria non ſit. Ita docent Azor lib.1.Inſtit.cap.7. quæſt.vnica, §. *In hac re.* Salas loc.citat.num.116. Villalobos tract.3. difficult.6. num.4. Sanchez loc. citat. num.29. ¶ Ex quibus etiam oritur, quod, in caſu poſito, & ſi effectus ſubſequantur poſt cauſæ retractationem, non incurritur cenſura contra illos impoſita. Et ratio eſt: quia cum hæc petat contumaciam, & inobedientiam, iamque ſit obediens, & in gratia Dei conſtitutus, nequit illam incurrere, vt latè probavimus tract.10.cap.1. punct.12. num.153. agendo de eo, qui occiſionem mandavit, & poſtea retractavit mandatum, ſed eius revocatio non innotuit mandatario, & tamen ſequuta eſt occiſio. Videantur ibi dicta, quæ hanc doctrinam non leviter confirmant: & in ſpecie noſtri caſus eam defendunt Henriquez lib.5. cap.5.num.5.littera *H.* Tabiena verbo *Excommunicatio* 5. cauſa 1. Palaus tom.1. tract.2. diſput.1.punct.3.num.2. Sed hæc, licèt vera ſint circa omittendam, aut non confeſsionem eorum, quæ ſequuntur poſt retractationem cauſæ, & excommunicationem non incurrendam, tamen falſa ſunt circa reſtitutionem faciendam: quare ſi mandaſti ſervo occidere Petrum, & ſi pluries revoces mandatum, ſi tamen non innotuit mandatario; teneris ad reſtitutionem, ſi poſt revocationem homicidium commiſſum fuit; quia iam tuum mandatum fuit efficax cauſa damni illati. Sic communiter Authores relati, & cum eis illud docuimus tract.13.cap.1.punct.3.num.115.

Quæ ſint omiſsiones indirectè voli tæ in poſitione cauſæ?

30 Sed rogabis hic, quæ omiſsiones, & effectus intelligantur indirectè voliti, quando aliquis vult cauſam apponere? Reſpondetur, illos ſolos intelligi volitos, qui in tali cauſa poterant prævideri. Vnde qui die feſto, quando vrget præceptum audiendi Sacrum, ſe tradit ludo, vel qui curam habens alicuius portæ civitatis obſeſſæ, ſe committit ſomno, & ob id inimicus ingreditur civitatem, & cives occidit; tunc implicitè vult omiſsionem Sacri, & mortes inde ſequutas, & illi imputantur vt in cauſa volitæ. At vero ſi quis incidat in infirmitatem ex cauſa voluntaria, licèt ad illam ſequantur omiſsiones ieiunij, & auditionis Sacri, non cenſentur ab illo in cauſa volitæ, quia homo non tenetur in illa eas prævidere, cum hoc communem providentiam, & ordinarium modum prævidendi ſuperet.

Gravitas omiſsionis ſumitur ex nobilitate actus omiſsi, licèt diminuatur ob bonitatē cauſæ.

31 Rogabis denique, vnde ſumatur gravitas omiſsionis? Reſpondetur cum D.Thom. de malo, quæſt.1.artic.1. ad 13. Azor tom.1. lib.4.cap.3. quæſt.8. Medina quæſt.71.artic.5. Vazquez diſput.94. cap.5. num.18. Maior in 4.diſtinct.42. quæſt.2. ad 5. Zumel quæſt.71. artic.5.diſput.8.punct.1. Angles in 2. diſtinct. 35. diſput.37. quæſt.2. difficult.9. gravitatem omiſsionis ſumi ex nobilitate actus oppoſiti debiti. Et probatur evidenter: quia omiſsio actus præcepti eſt privatio actus debiti; ſed omnis privatio ſumit gravitatem ex nobilitate actus, vel formæ, qua privat: ergo omiſsio ſumit gravitatem à nobilitate actus, quo privat. Quare gravior eſt omiſsio Sacri, quam ieiunij: quia actus, quo prima privat, eſt actus Religionis, & actus, quo privat ſecunda, eſt abſtinentiæ, & nobilior eſt actus Religionis, quam abſtinentiæ. ¶ Sed quid dicendum erit, ſi omittat Sacrum ob aliquam actionem honeſtam; verb. grat. propter ſtudium, an tunc ſit gravius peccatum omittere Sacrum ob ſtudium, quam ob ludum? Negant Vazquez, & Azor: quia bona intentio non minuit malitiam pravæ electionis. ¶ Sed affirmat rectius Angles, Medina, Zumel, & alij ſupra citati, & inſuper N. Salmantic. Scholaſtici tom.3. tract.11. diſput.5. dub.2. num.11. & plures ibi videndi, qui docent finem bonum minuere malitiam actus mali: ergo etiam minuit omiſsionis malitiam: & ideò minus peccat, qui furatur ad dandam eleemoſynam, quam qui furatur ex nimia cupiditate. Vnde docet D.Auguſt.lib. contra mendacium, quod levius peccat, qui mentitur ad ſalvandam vitam proximi, quam qui ex libidine, aut alia cauſa parvi momenti: ergo gravius peccatum eſt, omittere Sacrum ob ludum, quam ob ſtudium, aut alium finem honeſtum.

CAPUT XI.

De peccato mortali, & veniali.

BReviter ab hoc capite nos expediemus, ſuppoſitis his, quæ de peccatis in communi ſupra cap.8. diximus; vnde ſolum hic agemus de eſſentia, & diſtinctione peccati mortalis, & venialis, & qualiter peccatum mortale poſ-

posſit fieri veniale, & è contra veniale tranſire in mortale, quod duplici Puncto præſtabimus.

Punct. I. *A liquibus ſuppoſitis, declaratur, qualiter peccatum mortale ex genere ſuo fiat veniale?*

Punct. II. *Oſtenditur, quomodo peccatum veniale poſsit tranſire in mortale?*

PUNCTUM I.

Aliquibus ſuppoſitis, declaratur, qualiter peccatum mortale ex genere ſuo fiat veniale?

Declaratur eſſentia peccati mortalis, & venialis tã actualis, quàm habitualis

1 SUpponendum eſt primò, peccatum actuale mortale nihil aliud eſſe, quam *dictum, factum, vel concupitum contra legem ſimpliciter.* Veniale vero, *eſſe dictum, factum, vel concupitum contra legem ſecundum quid.* Explicantur hæ diffinitiones. Dicitur peccatum mortale, *dictum, factum, vel concupitum contra legem*: quia per hoc convenit cum alijs omnibus peccatis, & additur, *ſimpliciter*, ad diſtinguendum illud ab omni peccato veniali: quia licèt veniale ſit aliquomodo contra legem, non tamen eſt contra legem ſimpliciter talem, hoc eſt quæ ſimpliciter eſt neceſſaria ad vltimum finem conſequendum, ſicut eſt lex, contra quam tendit peccatum mortale, vt diximus cap.9. à num.5. Ex peccato mortali, & veniali actuali oritur peccatum habituale, tam mortale, quàm veniale: peccatum mortale habituale, nihil aliud eſt, quam, *Privatio voluntaria gratiæ*, vt latè probant Salmantic. Scholaſt. tom.6. tract.15. diſput.1. dub.1. Peccatum vero habituale veniale eſt: *Privatio fervoris charitatis*, vt dicunt ipſimet Patres loc.citat.num.13. & diſput.2. dub.8. §. 3.& 5. Vnde conſtat, in quo vtriuſque peccati eſſentia conſiſtat. Ratio vero, quare denominentur mortale, & veniale, eſt, quia cum peccatum mortale privet gratia, quæ eſt vita ſpiritualis, ideò dicitur, verè, & propriè mortale, hoc eſt, mors animæ; & quia peccatum veniale non privat gratia, quæ eſt principium veniæ, inquit D.Thom.quæſt.7.de malo, art.2. ideò dicitur veniale.

De facto dãtur peccata mortalia, & venialia.

2 Supponendum eſt ſecundò, de facto dari huiuſmodi peccata: quod, præterquamquod experientia liquet, probatur ex D. Paulo ad Roman.1. *Qui talia agunt, digni ſunt morte.* Et ad Galat.5. *Qui talia agunt Regnum Dei non conſequentur*: ſed mors animæ, & Regni Dei privatio ſunt effectus peccati mortalis: ergo tale peccatum datur. Deinde Matth. 7.dicitur: *Qui vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.* Et Proverb.24. *Septies in die cadit iuſtus.* Quæ authoritates explicantur, & intelliguntur ab omnibus Theologis de peccatis venialibus: ergo dantur peccata mortalia, & venialia inter ſe diſtincta. Videantur Concil. Trident. ſeſſ.14. cap.14. D.Thom.1.2. quæſt.72. artic.5. & ibi eius diſcipuli. ¶ Sed dices: iuxta D. Matth. cap.5. *Qui ſolverit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorum*: ergo nullum datur peccatum veniale, cum hoc non efficiat hominem minimum in Regno Cœlorum. Deinde cap.19. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ſed qui peccat venialiter, ad vitam ingreditur: ergo ſervat mandata: ergo non eſt peccatum veniale. ¶ Sed hæc facilè diluuntur. Ad primum dicitur: Chriſtum vocare hic minimum præceptum legis Dei, non quia tale eſſe; ſed quia à Phariſæis tale exiſtimabatur, ipſi enim iudicabant, legem Dei non prohibere actus internos, ſed tantum externos, & ſic præceptum circa actus internos minimum appellabant, & de his dicit: *Qui ſolverit vnum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in Regno Cœlorum*, hoc eſt, *nullus*, vt interpretantur hic D. Chriſoſtomus, & Theophilatus; quaſi indignus admitti in illa cœleſti gloria; & vt ait D. Thom. in Catena, id eſt, *deſpectiſsimus, & viliſsimus ab his, qui ſunt in Regno.* Vide Cornel. Ad ſecundum reſpondetur, loqui de præceptis gravibus, quæ neceſſum eſt ſervare, vt vitam æternam conſequamur.

Proponuntur capita ex quibus mortalia diſtinguantur à venialibus

3 Supponendum eſt tertiò: peccatum mortale, & veniale multipliciter differre. Primò: differunt, in eo quod mortale eſt contra legem ſimpliciter talem, & veniale contra legem ſecundum quid, quæ qualiter intelligenda ſunt explicuimus, cap.9. à num.3. Secundò: quoniam peccatum mortale opponitur gratiæ, & charitati, & deſtruit illas; veniale vero ſolum opponitur fervori charitatis. Tertiò: quia peccatum mortale deordinat voluntatem circa finem; at veniale tantum circa ea, quæ ſunt ad finem. Quartò: differunt, quia peccatum mortale meretur pœnam æternam, tam ſenſus, quàm damni, ſecus autem veniale. Quintò: nam mortale maculat ſimpliciter animam, veniale autem, ſi aliquam maculam reliquit, eſt ſecundum quid, & impropriè. Alij Authores diſtingunt peccatum mortale à veniali per hoc, quod, primum eſt contra præceptum, ſecundò vero contra conſilia. Ita Scotus in 2. diſtinct.21. quæſt.2. §. *Dico ergo.* Gabriel in 4.diſtinct.16.quæſt.1.artic.1.notab.1. Baſolis in 2.diſtinct.22.quæſt.1. dub.1. Sed hæc differentia communiter reijcitur à Doctoribus: quia conſilium, etſi tranſgrediatur, non inducit obligationem alicuius peccati. Et ita nullum eſt peccatum cœlibatum non ſervare: ergo per hoc talia peccata inter ſe non diſtinguntur. Sic ſentiunt Cayetanus 1.2. quæſt.72. artic.1. Salmant. Scholaſt. tract.13.diſput.19.num.6. Prado cap.2. quæſt. 1.num.13. Azor lib.4. cap.9. quæſt.2. Gregor. Martinez 1.2.quæſt.88. artic.1. dub.3. & communiter alij Theologi.

4 Supponendum eſt quartò, peccatum mor-

Quale sit peccatũ mortale, & quale veniale?

mortale, & veniale dividi in illud, quod *ex genere est tale*, & in illud, quod *per accidens sic dicitur*. Peccatum mortale *ex genere*, est, quod ex se opponitur graviter charitati Dei, & proximi: vnde omnia peccata, quæ sunt contra Deum, vel proximum sunt ex genere gravia, & talia dicuntur; quæ opponuntur fidei, spei, charitati, & iustitiæ. Peccatum veniale *ex genere*, est, quod ex se non opponitur charitati Dei, & proximi: v.g. simplex mendacium, verbum iocosum, immoderatus risus, innanis gloria, & similia. Peccatum vero mortale, aut veniale per accidens est, quando ex aliqua adiuncta circunstantia fit ex mortali, veniale, vel ex veniali, mortale. Quibus modis peccatum mortale fiat veniale, aut è contra, constabit ex proximè dicendis.

Peccatum mortale ex genere fit veniale ex defectu perfectæ deliberationis, seu consensus.

5 Dicendum est ergo primò, peccatum mortale ex genere dupliciter posse transire in veniale, primò ex defectu perfectæ deliberationis, & consensus: secundò ex parvitate materiæ. Primam partem docet D. Thom. 1. 2. q. 88. art. 6. his verbis: *Potest tamen id, quod ex genere est mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non perfectè pertingit ad rationem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus.* Et ratio est, quia gradus malitiæ moralis attenditur secundum gradum libertatis; sed actus semi deliberatus est etiam imperfectè liber: ergo etiam habebit imperfectam malitiam. Confirmatur. Deus ob peccatum mortale totum hominem damnat: ergo debet totus homo peccare, sed quando semiplena deliberatione aliquis peccat, non peccat totus homo: cum deficiat nobilior pars, nimirum facultas rationalis, & deliberativa: ergo non peccat totus homo. Hanc conclusionem defendunt communiter Doctores, & specialiter Vazquez disp. 107 Sylvester verbo *decertatio*, quæst. 1. p. 4. Caiet. in Summ. verb. *delectatio*. Sanchez in Summ. lib. 1. cap. 1. n. 6. Palaus disp. 2. punct. 6. tract. 2.

Fit veniale ex parvitate materiæ.

6 Dicendum est secundò, peccatum mortale ex genere posse transire in veniale ex parvitate materiæ; vt si quis, v.g. modicum furripuerit: quia licet furtum ex genere suo sit mortale, at si materia est parva, erit tantum veniale. Et ratio est, quia qui in re parva agit contra legem, leviter illi offendit, sed qui leviter legi offendit: mortaliter non peccat: ergo qui in re parva agit contra legem, mortaliter non peccat, sed tantum leviter, seu venialiter. Ita defendunt communiter Doctores, Valent. tom. 2. disp. 6. quæst. 18. punct. 2. Navarr. in manuali, prælud. 9. n. 11. Reginald. lib. 15. num. 30. Sayrus lib. 2. cap. 14. num. 9. Bonac. disp. 2. quæst. 3. punct. 3. num. 10. Medina 1. 2. q. 88. art. 2. Toletus de peccat. mort. cap. 2. Palaus tr. 2. disp. 2. punct. 7. Sanchez lib. 1. Summ. cap. 4. num. 1.

Non in omni genere peccatorum datur parvitas materiæ.

7 Sed rogabis primò: An in omni genere peccatorum parvitas materiæ inveniatur? Respondetur negative. Quia sunt aliqua peccata, in quibus integra offensionis, & irreverentiæ ratio, in qualibet parva materia indivisibiliter salvatur: ergo cum ex genere suo sint mortalia, in qualibet minima materia, tota eorum gravitas verificabitur. Huiusmodi sunt peccata infidelitatis, odij Dei, simoniæ, periurij, & alia, quæ immediate contra Deum versantur; nam quodcumque minimum mysterium fidei neges, negas divinam veritatem; si Deum odis, infinitam bonitatem odisti; si falsum iurasti, Deum testem mendacij facis: & si rem spiritualem temporali pretio vendidisti, simoniam commisisti. Quod extendunt etiam Doctores ad ieiunium naturale, ad Eucharistiæ sumptionem requisitum, quod per minutissimam cibi sumptionem frangitur: ergo non omnia peccata ex genere mortalia, possunt in venialia transire ratione parvitatis materiæ. Hæc doctrina licèt difficilis videatur Palaus tract. 2. disput. 2. punct. 7. num. 2. tamen ab omnibus admittitur, eamque defendunt Navarr. super extravag. *De datis pro iustitia, vel gratia*, notab. 10. num. 20. vers. *Per quæ omnia*. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 3. num. 5. & lib. 3. de Legibus, cap. 28. num. 23. Hugolin. tract. de Simonia, tabula 1. cap. 17. num. 3. Sanchez lib. 1. Summ. cap. 4. num. 1. Bonacina disput. 2. quæst. 3. punct. 3. num. 11. Tapia lib. 4. quæst. 9. artic. 5. num. 1. & 4. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 5. dub. 3. num. 16. Prado cap. 2. de Peccatis, quæst. 2. §. 7.

Modus insufficiens ad cognoscendum materiã esse gravem, aut levem.

8 Rogabis secundò, & difficilius, quomodo cognoscemus materiam esse gravem, vel levem? Navarrus de Oratione, cap. 10. num. 43. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 7. quæst. 3. asserunt gravitatem, & levitatem materiæ accipi in ordine ad totam materiam præceptam, & consequenter asserunt esse gravem materiam tertiam partem alicuius totius. Sed hæc regula fallax est, vt inter alios notant Sanchez lib. 1. Summ. cap. 4. num. 18. Bonacina disput. 2. de Peccatis, quæst. 3. punct. 3. num. 14. Layman tract. 3. cap. 5. num. 10. Nam multoties tertia pars materiæ præceptæ adeò exigua est, vt incapax sit obligationis gravis, vt liquet in tertia parte vnius argentei, tertia parte vnius Horæ Canonicæ, aut Rosarij: deinde, vt optimè vidit Azor, multoties tertia pars alicuius totius potest esse ita magna, vt parva materia nequeat dici, & apud prudentes, vt talis existimari. Vt liquet in præcepto servandi aliquem diem festivum in honorem alicuius Sancti, vbi octo horæ, quæ sunt tertia pars totius diei, nequeunt esse materia parva; neque centum aurei, qui sunt tertia pars trecentorum aureorum, queunt iudicari in ordine ad restitutionem levis materia: ergo tradita regula pro dignoscenda gravitate, aut parvitate materiæ inefficax, & obliqua est.

Tres regulæ traduntur ad cognoscendam gravitatem, aut parvitatem materiæ.

9 Quare iuxta dicta tract. 11. de Legibus, cap. 2. punct. 2. à num. 22. tres regulæ assignandæ sunt. Prima est, tunc materia dicenda est gravis, quando actus præceptus, aut imperatus multum conducit ad charitatem Dei, vel proximi, si vero ex genere parum conducit, erit levis. Secunda, si res præcepta multum conducit ad finem legislatoris, etsi sit in se levis, gravis iudicanda est, si vero parum conducit, absolutè levis dicenda est. Tertia, videndum est, an res præcepta admittat parvitatem materiæ, si enim illam non admittit, semper gravis iudicanda est, vt diximus numer. 8. Si enim parvitatem materiæ in se admit-

mittit, inſpicienda eſt per comparationem ad ſubiectum, circa quod verſatur, & præceptum, à quo prohibetur, aut præcipitur; nam per ordinem ad illa venanda eſt illius gravitas, aut levitas. Quare iuxta primam regulam, peccata, quæ ſunt contra Deum, vt amandum, honorandum, ſperandum, & credendum, vel contra proximum, vt non lædendum, ſunt in materia gravi, & hæc ſunt peccata hæreſis blaſphemiæ, odij Dei, adulterij, furti, fornicationis, &c. Iuxta ſecundam, ſilentium, ingreſſus cellularum, eſt materia gravis reſpectu Superioris Religioſi; & ſimiliter reſpectu Principis Sæcularis gubernantis Rempublicam, arma nocte portare, & canales purgare; quia hæc valdè conducunt ad Reipublicæ pacem, & ſanitatem, & illa ad religioſam obſervantiam. Denique ex tertia regula oritur, quod ſi omittas duos Pſalmos eſt levis reſpectu totius Pſalterij, gravis vero reſpectu vnius Horæ Canonicæ. Similiter furtum vnius regalis eſt materia gravis reſpectu pauperis, & levis reſpectu divitis, quia finis iuſtitiæ eſt vitare damnum proximo illatum, & pauperi furtum vnius regalis magnum nocumentum infert, non autem diviti. Ex his ergo regulis agnoſci aliquomodo poteſt gravitas, aut levitas materiæ, & licèt, vt Sanchez fatetur, certa regula abſolutè præſcribi nequit; nihilominus traditas regulas docent Vazquez 1.2. quæſt.96. artic.4. diſput. 158.cap.6.num.56. Suarez de Legibus, lib.3. cap.25. num.4. Sanchez lib.1. Summ. cap.4. num.2.& 3. Sayr.lib.3.cap.7. num.14. Valentia 1.2.diſput.7.quæſt.5.punct.6. Palaus tract. 2.diſput.2. punct.7. num.4. Layman tract.3. cap.5. num.10. Bonacina diſput.2. quæſt.3. punct.3. num.12. Azor lib.1. cap.7. quæſt.3. Tapia lib.4.quæſt.9.artic.4.& 5.& alij.

PUNCT. II.

Oſtenditur, quomodo peccatum veniale poſsit tranſire in mortale?

Senſus quæſtionis ex mente Divi Thom.

10 POſtquam tradidimus, quomodo peccatum mortale poſsit fieri veniale; reſtat videre, quomodo veniale poſsit tranſire in mortale? Quod etiam inquirens D. Thom. ſub eiſdem terminis, ait 1.2.quæſt.88. artic.4. quod quæſtionis titulus poteſt habere triplicem ſenſum. *Vno modo, quod idem actus numero primo ſit peccatum veniale, & poſtea mortale.* ¶ *Alio modo poteſt intelligi, vt id, quod eſt veniale ex genere, fiat mortale, in quantum conſtituetur in eo finis.* ¶ *Tertio modo, quod multa venialia conſtituant vnum peccatum mortale.* Cuius morem gerentes, eodem ordine etiam propoſitam quæſtionem decidemus.

Idem actus peccaminoſus moraliter ſumptus nequit tranſire ex peccato veniali in mortale.

11 Dicendum eſt primò: quod idem actus numero, ſumptus in eſſe moris, nequit eſſe ſucceſsivè peccatum veniale, & mortale, benè tamen ſumptus in eſſe naturæ. Prima pars probatur à D. Thom. his verbis: *Peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis, ſicut, & quilibet actus moralis: vnde non dicitur vnus actus moraliter, ſi voluntas mutetur, quamvis etiam actio ſecundum naturam ſit continua.* Probatur etiam à ratione. Peccatum mortale, & veniale in genere moris eſſentialiter diſtinguntur: ergo nequit peccatum veniale tranſire in mortale abſque variatione ſpecifica; & conſequenter non erit idem numero moraliter actus venialiter peccaminoſus cum eo, qui poſtea eſt mortaliter peccaminoſus. Quo ad ſecundam partem etiam liquet. Idem numero actus phyſicus ortus ex ſemiplena deliberatione poteſt fieri plenè liber per ſolam continuationem: ergo ſi cum ſemiplena deliberatione erat peccatum veniale, ex plena deliberatione poſtea elicitus, erit mortale. Vlterius. Actus comedendi immoderate carnem feria quinta, eſt peccatum veniale, ſi tamen continuetur poſt horam duodecimam erit mortale: ergo idem actus phyſicè ſumptus, ſeu in eſſe naturæ, poteſt ex veniali tranſire in mortale. Divum Thomam ſequuntur Martinez dub.1.concluſ.2. Sylveſt. verb. *Peccatum*, quæſt.4. D.Antonin.1.part.titul.10.cap.1.§.3. Sayr.lib.2.cap.13.num.20. Bonacina diſput.2. quæſt.3.punct.5.num.21. Prado cap.2.de Peccatis, quæſt.2.num.7.& alij.

Peccatum veniale tranſit in mortale, ſi in eius obiecto conſtituatur ratio vltimi finis.

12 Dicendum eſt ſecundò: peccatum veniale poſſe fieri mortale, ſi in obiecto illius conſtituatur vltimus finis. Pro cuius maiori intelligentia ſciendum eſt, quod dupliciter poteſt aliquis conſtituere rationem vltimi finis in obiecto peccati venialis. Primò directè, & formaliter, quod tunc continget, quando aliquis ex errore intellectus exiſtimat tale obiectum eſſe vltimum finem, & vt ad talem defert honorem. Secundò virtualiter, & interpretativè, hoc eſt, quod taliter illud obiectum diligat, vt ob illud non recuſet, committere aliquod peccatum mortale: & hoc adhuc dupliciter, vel quia de facto eligit tale peccatum mortale ob prædictum finem, vt ſi quis ad oſtendendam inaniter ſuam fortitudinem, aliquem occideret; vel quia licèt de facto illud non eligat, tamen eſt ita affectus ad obiectum peccati venialis, vt, data occaſione, illud præeligeret, ne illo privaretur, vt quando avarus eſt ita affectus ad pecunias, vt non dubitaret, oblata occaſione, potius committere mortale, quam illis carere. Et hoc modo peccatum veniale tranſire in mortale docent cum D. Thom. Cayetan. in Summ. verb. *Ambitio.* Sylveſter verbo *Peccatum.* Monteſinos 1.2. quæſt.88. artic.3. num.76. Salmant. in Commentarijs 1.2.quæſt.88.artic.4.pag.878.Curiel ibi artic.4. §.2. Sanchez lib.1. Summ. cap.5. num.14. Suarez de Pœnitent.diſput.22.ſect.4. num.11.Navarrus in Summ.prælud.9.num.18. Sayr.lib.2. cap.13. num.13. Reginald.lib.15. cap.3.num.32. Bonacina de Peccat. diſput.2. quæſt.3.punct.5.num.2. & 3.

Cuius ſpeciei erit ſimile peccatum & an ſit neceſſariũ circunſtantiam vltimi finis explicare?

13 Si autem roges, cuius ſpeciei ſit peccatum illud mortale, per quod conſtituitur finis vltimus in obiecto peccati venialis? Reſpondetur, quod ſi ita operatur ex errore iudicans creaturam eſſe vltimum finem, tunc tale peccatum erit in ſpecie idololatriæ. Si autem conſtituat vltimum finem in obiecto peccati venialis ex tali affectu ad illud, vt paratus ſit actua-

actualiter, quodcumque peccatum committere propter ipsum, tunc constituitur tale peccatum, vel in specie temeritatis, vel nullum erit speciale vitium ad quod pertineat, vt dicunt Salmantic.to m.4.tract.13. disput.13.num.81. & nos diximus supra, cap.4. punct.2. num.10. sed reducetur ad communem defectibilitatem voluntatis. Si vero denique constituat vltimum finem, committendo aliquod peccatum mortale ex affectu ad ipsum; tunc constituitur tale peccatum in specie illius, quod commisit, vt siquis ob mendacium fornicetur, tunc transit mendacium in speciem fornicationis. ¶ Ex quo oritur, quod in casibus positis, (quidquid in contrarium dicant Sanchez num. 15. & Tapia quæst.17. artic.8.num.5.) non est necessarium declarare circunstantiam vltimi finis, sed satis est, si in primò casu dicas, commisi peccatum idololatriæ; in secundò, habui affectum actualem committendi quodlibet peccatum; & in tertiò, peccavi peccatō fornicationis. Et ratio est, quia cum peccata venialia non teneamur, iuxta Tridentinum, confiteri, & alias circunstantia vltimi finis constituat peccata prædicta in specie, confitendo eam, ad nihil amplius tenemur. Sic sentiunt Bonacina de Peccatis, disput.2.quæst.3.num.2. & de Pœnit. disput.5. quæst.5. sect.2.punct.2. difficult.3.num.27.§.18.Reginaldo lib.6.num. 129. Azor lib.4.Institut.cap.3.quæst.7. Palaus tract.2.disp.2.punct.9.§.1.

Multiplicatio venialiū non potest integrare vnu mortale.

14 Dicendum est tertiò: peccata venialia, quantumvis multiplicentur, non posse constituere vnum mortale. Hæc conclusio intellecta de ipsis malitijs venialibus formaliter sumptis, est D.Thom. loc. cit. in corpore: *Quod, si sic intelligatur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter constituatur vnum peccatum mortale, falsum est: non enim omnia peccata venialia de mundo possunt habere tantum de reatu, quantum vnum peccatum mortale ::: Si vero intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt vnum mortale dispositivè, sic verum est.* Et insuper ostenditur alia ratione, præcludendo argumenta contraria: quia licèt plures materiæ leves; v. gr. furta parva, possint per continuationem constituere materiam gravem, & sufficientem, vt vltimus actus furti, etsi levis, per conotationem præcedentium fiat gravis; tamen malitiæ plures in se formaliter sumptæ, etsi sint veniales, nequeunt vniri ad constituendum vnum peccatum mortale; cum solum augeant malitiam extensivam, non autem intensivam: ergo ex pluribus malitijs levibus nequit integraliter constitui vnum peccatum grave. Præterea per peccatum mortale constituitur homo inimicus Dei, & avertitur ab illo, tamquam ab vltimo fine; sed nihil horum habet peccatum veniale, vt ait Tridentin.sess.14.cap.5. ergo, & si multiplicetur, non poterit vnquam pervenire ad malitiam mortalis. Vltimò, quia, vt ait D.Thom. pœna sensus, vel damni correspondens peccato mortali est æterna, & infinita; at omnes pœnæ correspondentes peccatis venialibus sunt temporales, & finitæ; sed finitum ad infinitum nulla est proportio: ergo quantumvis venialia multiplicentur, minimè poterunt adæquare gravitatem vnius peccati mortalis. Sic docent communiter Doctores sequentes D. Thom. loc. citat. maximè Medina, Cayetan. Conrad.& alij Scholastici. Similiter eam tenent Suarez de Legibus, lib.3.cap.28. num.9. Becanus 2.part.tract.2. cap.2. quæst.5. num.2. Sayr.lib.2. cap.14. num.18. Filliuc. tract.21. cap.6. num.253. Sanchez lib.1. Summ. cap.4. num.9. Bonacina disput.2. de Peccat.quæst.3. punct.5.num.22. Layman tract.3. cap.5.num. 7. Palaus tract.2.disput.2.punct.9. §.4. Prado cap.2.quæst.2.§.8. Tapia tract.3.quæst.17.artic.8.num.1.& alij.

Obiectiones in contrariū

15 Contrariam sententiam tribuit Castro Palaus, Vazquio 1. 2. quæst. 96. disput. 158. cap.6.num.60. Sed immerito, vt benè notat Prado, cum nostram, & communem, expræssis verbis doceat, & rationibus D.Thom. eam comprobet, disput.146. cap.2. num.3. ¶ Potest tamen contra illam obijci primò ex D.Augustin.tract.12.in Ioann. D.Chrisostom.serm. *De levium peccatorum periculis.* D. Bernard. serm.59. in Cantic. & alijs, qui dicunt: *Quod minuta peccata, si negligantur, occidunt, & si colligantur, opprimunt, sicut vnum aliquod grande peccatum*: ergo ex multis peccatis fieri potest vnum mortale. Secundò: propositum committendi omnia peccata venialia est mortale, vt docet Sanchez lib.1.Summ. cap.5. numer.4.& lib.6.cap.4.num.18.& sic dicunt plurimi probabiliter, vt vidimus tract.15. cap.1. num.23. Religiosum, qui haberet animum, & propositum servandi solum ea, quæ in religione præcipiuntur sub mortali, non vero ea, quæ ordinantur sub veniali, esse in pravo statu, & graviter peccare: ergo quia plura peccata venialia efficiunt vnum mortale. Tertiò: quia plura furta levia si adunentur, constituunt vnum grave, & in illo est peccatum mortale: ergo idem, quod prius.

Enodantur obiectiones propositæ.

16 Sed horum facilis est solutio. Ad authoritatem primi argumenti desumptam ex D.Augustino, sic respondet Angelic. Doctor 1.2.quæst.88.artic.4. *Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur in illo sensu, quod multa venialia dispositivè causant mortale.* Vnde hanc doctrinam lectu dignam infert Cayetan.in fine, artic.3. Et hinc habemus, quantum à venialium consuetudine cavendum sit, cum tot modis, & illis periculosis disponant ad mortale, propter quod frequentibus contritionibus non superficie tenus, singula secundum suas species, distinguenda sunt, ne habituatis nobis in illis occurrentes tentationes animos dispositos propinque ad mortale inveniant. ¶ Ad secundum respondetur, prædictum propositum non vitandi vllum veniale secundum se, & secluso alio quocumque periculo, aut contemptu, non esse mortale. Et ratio est, quia tota ratio peccati in actu voluntatis desumitur ex obiecto, ac proinde actus nequit habere maiorem malitiam formalem, quam obiectum obiectivam; sed omnia peccata venialia non pertingunt ad constituendum vnum peccatum mortale: ergo nec per modum obiecti, possunt malitiam mortalem tribuere actui in se tendenti. Quare quando Sanchez, & alij Authores dicunt, prædictum propo-

positum esse mortale, moventur ex eo, quod sentiat in illo esse proximum periculum læthaliter peccandi. At verius est, nec in hoc casu, nec in eo, in quo Religiosus habeat animum servandi solum ea, quæ obligant sub mortali, & nihil curant de his, quæ sub veniali præcipiuntur, tale propositum esse proximum periculum incidendi in mortale; cum videamus plures venialia non curantes vitare, non incidere frequenter in mortalia. Sic sentiunt Salas tom.2. 1.2.quæst.88. tract.13. disput.16. sect. 26. Suarez 4.tom. de Statu Religioso, tract.8. lib.1.cap.4.num.19. Layman lib.1.tract.3.cap. 3.num.2. N.Fr.Anton. à Spiritu Sancto direct. regul.tract.3. disput.1. sect.2. num.45. Palaus tom.1.tract.2.disput.2. punct.9.§.4. num.3. & tom.2.disput.2.punct.9.§.3.num.5.& alij,quos dedimus tract.15.cap.1.à num.24. Sed negare non possumus, tale propositum habentes, & secundum illud operantes,esse in probabili periculo mortaliter peccandi, & fortè de facto scandalum præbent cæteris Religiosis eos videntibus passim silentium; v.gr. ingressumque cellularum violantes, vt benè notavit Palaus loc.cit.num.3.& Sanchez in Decalog.lib.6.cap. 4.num.18.

Solutio tertij argumẽti

17 Ad tertium respondetur, quod qui plura furtiola committit, si advertat, vel formaliter, vel virtualiter ad furta præcedentia, illorumque continuationem, peccare mortaliter in illo furto, in quo completur materia gravis, vt diximus tract.13.cap.5.punct.2.numer. 20. sed hoc non ideò accidit, quia ex pluribus peccatis venialibus integretur vnum mortale, hoc enim impossibile est, cum peccatum mortale, & veniale differant specie, & quæ sic differunt in invicem transire non possunt; sed quia materia ex se levis, si continuatur cum præcedentibus, non est iam levis, sed gravis; at acceptio rei gravis peccatum mortale est: ergo qui accipit, vel furatur rem levem, quæ fit gravis, quia moraliter continuatur cum rebus parvis ablatis in alijs furtiolis, mortaliter peccat. Ex quibus oritur, quod qui in die ieiunij post plures leves comestiones, aliquid comedit, per quod complet gravem quantitatem, tunc peccat mortaliter, & ieiunium frangit. Similiter si laboras pluries die festo, & si singulis vicibus parum temporis consumas, peccas mortaliter, quando ad duas horas; v.gr. pervenis: (si hæc est notabilis quantitas) quia omnes illi labores moraliter vniuntur, & quasi in eodem tempore facti reputantur. Sed hæc, & alia similia exempla non ideò veritatem continent, quia ex pluribus venialibus fiat vnum mortale, sed quia vltima materia, & si in se levis, fit gravis ob continuationem cum alijs: & ideò actus tendens in illam non est leve, sed grave peccatum. Videantur dicta tract. 13.cap.5. punct.2. num.22. vbi plurimos Authores pro hac solutione citavimus. Et præter ibi relatos, insuper eam defendunt Sotus de Iustitia, quæst.3.artic.3.ad 3. §.*Sed aliud.* Medina 1. 2. quæst.88. artic.4. Alvarez ibi. Vazquez disput.146. cap.2. Sanchez lib.1.Summ. cap.4.num.9.& 10. Azor 3.part. lib.5. cap.13. quæst.4. Prado cap.2.de Peccatis, quæst.2.§.9. num.62.& alij.

18 Præter modos assignatos à D.Thom. artic. citat. quibus veniale transit in mortale, alios tres referunt Authores. Primus est ratione periculi proximi incidendi in mortale, in quod periculum incidere videtur ille, qui habet animum, non vitandi venialia iuxta illud Ecclesiast.3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Sed iam ad secund. argument. diximus, propositum committendi omnia venialia non esse ex se proximum periculum peccandi mortaliter, quid quid in contrarium sentiant Sanchez lib.6.cap.4.num.20. Valentia tom.2. disput.6.quæst.18. punct.2. Sayrus lib.2.cap.13. num.17. Bonacina disput.2. quæst.3. punct.5. num.17. & Prado, qui nervose conatur eam probare. Sed de hoc latius, quando egimus in tom.1.de occasione proxima. ¶ Secundus est ratione formalis contemptus, vt si aliquod veniale committatur in contemptum legis divinæ, aut humanæ non obligantis ad mortale; vel etiam consilij; vt si Religiosus in contemptum regulæ non servaret silentium; vel aliquis in contemptum virginitatis duceret vxorem. Et ratio est, quia tunc talis contemptus cedit in dedecus potestatis legislatoris divini, & humani: secus autem accideret, si aliquis silentium non observaret, non quia præceptum, sed quia res parva in se est; tunc enim solum peccaret venialiter, quia non est contemptus formalis legislatoris, sed materialis, & præcisè rei præceptæ. Et licèt de his plura possem dicere, ab eis supersedeo, cum de illis actum nobis iam sit tract.11. cap.2. punct.2. toto §.4. ¶ Tertius est ratione scandali, vt si mulier se nimis exornaret, credens probabiliter ob id proximum peccaturum; vel Parochus, aut Religiosus diceret coram alijs turpes fabulas: tunc enim, licèt hæc in se peccata venialia sint, ratione tamen scandali inde insurgentis, mortaliter peccarent. Sed plura omittimus, quia de his erit nobis sermo in primo præcepto Decalogi. Interim videantur Sanchez libro primo Summæ, capite sexto. Navarrus prælud. nono, numero decimo octavo; & nos etiam aliquid tetigimus tractatu 13. capite primo, numer.114.

Alij modi quibus veniale transire potest in mortale.

CAPUT XII.

De distinctione specifica,& numerica peccatorum.

NOtitia distinctionis specificæ, & numericæ peccatorum valde necessaria est tam Confessarijs, quàm Pœnitentibus: cum enim illi debeant ferre iudicium de culpis pœnitentium; & isti teneantur eas secundum speciem, & numerum confiteri, nequeunt huic muneri planè satisfacere, nisi aprime distinctionem eorum specificam, & numericam calleant, quam, Deo favente, ma-

maiori claritate, qua posimus, per septem Puncta in hoc capite trademus. Vnde primo agemus de distinctione specifica, deinde vero de numerica. Sed quia ex diversis principijs, verbi gratia obiectis, legibus, & circunstantijs, specificam peccatorum diversitatem quærunt Doctores; ideò eorum morem gerentes, hanc ex eisdem investigare curabimus.

Punct. I. *Vtrùm distinctio specifica peccatorum sumatur ab obiectis?*

Punct. II. *An sumatur distinctio specifica peccatorum ex diversitate præceptorum, seu legum?*

Punct. III. *Vtrùm distinctio specifica peccatorum sumatur ex circunstantijs?*

Punct. IV. *An maior, aut minor gravitas peccatorum sumatur ex circunstantijs non mutantibus speciem, & ex dignitate virtutum, quibus opponuntur?*

Punct. V. *Vnde distinctio numerica peccatorum desumenda sit?*

§. I. *Prima radix distinctionis numericæ peccatorum est interruptio moralis actuum.*

§. II. *Secunda radix distinctionis numericæ peccatorum est diversitas totalis, & integra obiectorum.*

Punct. VI. *An in eodem actu possint esse plures malitiæ morales solo numero distinctæ?*

Punct. VII. *An detur in individuo actus humanus, & deliberatus, qui sit indifferens, hoc est, nec bonus, nec malus?*

PUNCTUM I.

Vtrùm distinctio specifica peccatorum sumatur ab obiectis?

Distinctio specifica peccatorum sumitur ab obiectis.

1 SCotus in 2. distinct. 35. quæst. 2. Becanus tomo secundo, tract. 1. capite 5. quæst. 2. Valentia tomo 2. disputatione 6. quæstione 2. puncto 1. Bonacina disputatione 2. quæstione 4. puncto 3. Pensantius, & alij tenent, distinctionem specificam peccatorum desumi per ordinem ad diversas specie perfectiones, quibus privant. Quorum fundamentum est. Nam peccatum formaliter sumptum consistit in privatione debitæ perfectionis; sed privatio specificatur à forma, cuius est privatio: ergo peccatum specificatur à perfectione, qua privat: vnde, si istæ sunt specie diversæ, distinguentur etiam specie peccata. ¶ Sed contrariam, vt veram sententiam tenent Divus Thomas 1. 2. quæstione 72. articulo 1. omnesque Scholastici: & ex Moralistis Prado capite 2. quæstione 3. §. 1. numero 2. Tapia tomo 1. suæ Catenæ, libro 3. quæstione 2. articulo 1. & alij docentes id, à quo primo, & per se specificantur peccata, esse obiecta specie diversa, per accidens vero ad talem specificationem concurrere inordinationem privativam actus. Et ratio Divi Thomæ sic efformatur. Peccatum est actus voluntarius malus: sed actus voluntarius specificatur ab obiecto, in quod tendit: ergo actus voluntarius malus, quod est peccatum, specificatur per ordinem ad obiecta. Quo ad secundam partem etiam constat, & ostenditur ex Divo Thoma; quia omnis privatio est malum; sed, vt dicit Divus Dionysius cap. de divinis nominibus, nullus intendens ad malum operatur: ergo nullus peccat intendens, & habens pro fine privationem ordinationis ad legem: ergo non per se primo, sed per se secundo concurrit ad specificationem actus peccaminosi.

Contraria sententiæ rationi satisfit.

2 Ad argumentum sic respondet Divus Thomas loco citato. *Ad secundum dicendum, quod peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus, & ideò peccata magis distinguntur specie secundum obiecta actuum, quam secundum opposita, quamvis etiam si distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem reddiret: virtutes enim distinguntur specie secundum obiecta, vt supra dictum est.* Ex quibus constat, quod peccatum, cum sit actus peccaminosus, debet per se primo specificari ab obiecto, sicut alij actus: & quia importat per se secundo privationem, hæc etiam ingreditur ad specificationem illius, in quantum privat rectitudine inventa in virtutibus contrarijs. Vnde sententia, quæ docet distinctionem specificam peccatorum desumi per ordinem ad virtutes oppositas, coincidit cum nostra, cum species virtutum ab obiectis sumantur. Quare, si virtutes specie distinguantur, necesse est, quod peccata illis opposita distinguantur, & ideò si peccatum iniustitiæ distinguitur specie à peccato intemperantiæ, est, quia opponitur virtuti iustitiæ specie distinctæ à temperantia: & hæc regula cognoscendi per oppositionem ad virtutes specie distinctas distinctionem specificam peccatorum, ait Illustrissimus Tapia, est planior, & facilior pro his, qui philosophiæ, & maiorum facultatum studijs non incumbunt, sed duntaxat casuum moralium resolutioni operam navant.

Alia replica diluitur.

3 Sed dices: dantur aliqui actus boni, vel mali, qui totam bonitatem, aut malitiam sumunt ex fine operantis, & non ex obiecto: ergo conclusio nostra est falsa. Probatur antecedens. Actus, qui versantur circa verba, accipiunt bonitatem, & malitiam ex fine operantis, & ideò si quis proferat verba secundum

se gravia, & iniuriosa zelo disciplinæ, intendens his proximum proficere, talis actus est in specie virtutis; si vero ea proferat animo convitiandi, est in specie contumeliæ: si autem vt is, qui audit erubescat, est in specie irrisionis: ergo dantur actus, qui non ab obiecto, sed à fine extrinseco operantis sunt boni, aut mali: & sic nec virtutes, nec peccata distinguntur specificè ex ordine ad obiectum.¶ Respondetur, omnes fines assignatos non esse extrinsecos, sed intrinsecos, & de ratione propria obiecti: quia talia verba solum sunt obiecta illorum actuum, vt formaliter verba sunt; nec sunt formaliter verba, nisi in quantum exprimunt loquentis conceptum, & ad placitum significant, vnde talis, vel talis modus significandi, non est in illis circunstantia accidentalis, sed differentia essentialis obiecti: qua propter, quia significatio pendet ex se ex animo, & intentione loquentis; ex variatione intentionis, variatur finis operis, pertinensque ad rationem intrinsecam obiecti: quando autem finis est intrinsecus, coincidit in specificando cum obiecto; vt dilucide explicat D. Thom.1.2. quæst.72. artic.1. ad 1. his verbis: *Dicendum, quod finis principaliter habet rationem boni, & ideò comparatur ad actum voluntatis, qui est primordialis in omni peccato, sicut obiectum: vnde in idem reddit, quod peccata differant secundum obiecta, vel secundum fines.* Ex quibus liquet prædictos fines in verbis dictis esse intrinsecos, & de linea obiecti; vnde semper distinctio specifica peccatorum sumitur ab obiecto tam in verbis, quàm in alijs actibus.

PUNCT. II.

An sumatur distinctio specifica peccatorum ex diversitate præceptorum, seu legum?

Peccata distingui specificè ex diversitate præceptorũ aliqui sentiunt.

4 Affirmant Navarr. in Summ.lat.cap.6. num.3.& cap.11.num.4. Granados controvers.6. tract.2. disput.1. sect.7. Lopez 1.part.cap.29.§.*Tertio dico*. Tanner.disput.4. de Peccatis, quæst.2. dub.3. & alij, asserentes tot esse malitias in confessione aperiendas, quot sunt præcepta, quibus tale peccatum prohibetur. Et probant primò: peccatum ideò dicitur tale, quia dicit difformitatem ad legem: ergo cum prohibetur per legem naturalem, & divinam, dicit difformitates, & malitias specie diversas, sicut lex divina, & humana specie differunt. Secundò: inobedientia contra legem divinam est diversæ speciei ab inobedientia contra legem humanam, sicut diversæ speciei est obedientia, qua Deo obedimus, quam ea, qua obedimus hominibus; sed hæc distinctio solum provenit ex parte præceptorum: ergo ab hac provenit distinctio specifica peccatorum. Tertiò: quando sunt diversi fines ex parte præcipientium, peccata distinguntur specie ex diversitate præceptorum, vt est sententia communis; sed semper ac sunt diversa præcepta, sunt diversi fines ex parte præcipientium: nam, quando furtum; v. gr. prohibetur lege divina, naturali, & humana, Deus vult rectificare humanam voluntatem in ordine ad beatitudinem supernaturalem, Author naturæ in ordine ad beatitudinem naturalem, & legislator humanus in ordine ad pacem reipublicæ: ergo ex diversitate præceptorum distinguntur specie pecc ata.

Diversitas tantum præceptorũ non causat distinctionem specificam in peccatis.

5 Sed huic difficultati duplici conclusione respondendum est. Dico ergo primò: quod, si præcepta præcisè distinguantur ex parte præcipientis, diversitas præceptorum non inducit distinctionem specificam in peccatis. Quod probatur primò. Nam diversitas præcipientium non facit quantum est ex se, præceptum esse multiplex formaliter, sed solum facit præcipientes esse multiplices, & præcepta materialiter multa; sed hæc multiplicitas materialis non distinguit specificè peccata: ergo præcisa distinctio, & multiplicitas præceptorum, & præcipientium, non diversificant peccata, nec ea specie distinguunt. Secundò: peccata distinguntur specie ex parte conversionis, & non ex parte aversionis, vt ait D.Thom.1.2. quæst.72. artic.6. ad 2. his verbis: *Peccatum etiam non habet speciem ex parte aversionis, quia secundum hoc est negatio, vel privatio. Sed ex parte conversionis, secundum quod est actus quidam. Vnde secundum diversa præcepta legis non diversificantur peccata secundum speciem.* Sed peccata non respiciunt præcepta, & leges, se convertendo ad illa, sed potius ab eis avertendo: ergo per ordinem ad præcepta solitarie sumpta, non arguitur distinctio specifica peccatorum. Tertiò ostenditur ab exemplis. Desiderium rei alienæ, & furtum eiusdem rei non sunt peccata specie distincta, imò nec numericè, quando desiderium vnitur cum acceptione illius; & tamen diversis præceptis Decalogi prohibentur: ergo &c. Similiter furtum prohibetur lege divina, naturali, & positiva; comestio carnium in vigilia alicuius Sancti concurrentis in die veneris; & omissio sacri in die Sancti Ioannis, si eius festum in die Dominica venerit, prohibentur duplici præcepto Ecclesiastico, & tamen non sunt peccata specie distincta ex distinctione præceptorum: ergo distinctio, aut multiplicitas præceptorum per se solam non multiplicat, nec dat diversam speciem peccatis. Quare diximus tract.10.cap.1.punct.14.num.177.quod si ab vno Superiori pluries eadem excommunicatio feratur, vel à pluribus habentibus eamdem potestatem, qui contra illam operaretur, vnam tantum excommunicationem incurret, quia sunt plures præcipientes tantum materialiter; non vero formaliter. Authores huius primæ conclusiones dabimus numero sequenti.

Diversitas præceptorũ quando habent diversum motivũ præcipiendi facit peccata specie differre.

6 Dicendum est secundò: quod si præcepta distinguantur, vel ex parte rei prohibitæ, vel ex parte motivi prohibendi, multiplicitas illorum infert distinctionem specificam in peccatis. Et probatur ratione. Quia si præcepta differunt ex parte rei præceptæ, vel motivi prohibendi (loquimur de motivo intrinseco, & operis, non vero extrinseco, & operantis) tunc

tunc peccata illis oppoſita habent diſtinctum obiectum formale, & motivum intrinſecum; ſed peccata habentia diſtinctum obiectum, & motivum formale, ſeu intrinſecum, diſtinguntur ſpecie: ergo præcepta ſic diſtincta cauſant diſtinctionem ſpecificam in peccatis. Confirmatur alia ratione à Bonacina accepta. Præcepta lata ex diverſis motivis conſtituunt actus præceptos intra obiectum illarum virtutum, ex quarum motivis illos præcipiunt, & conſequenter illorum omiſsio eſt peccatum contra tales virtutes; ſed peccata oppoſita virtutibus ſpecie diverſis, diſtinguntur ſpecie: ergo præcepta lata ex diverſis motivis inferunt diſtinctionem ſpecificam in peccatis. Vtramque concluſionem defendunt cum D. Thom. eius diſcipuli, vt Cayetan. Medina, Alvarez, Monteſinos, N. Cornejo, & alij exponentes quæſtionem 72. 1.2. Inſuper eam tenent Vazquez diſput.98.cap.2.malè citatus à Prado pro contraria. Valentia 2.2. diſput.6.quæſt.2.punct.o 1. Salas tract.13.diſput.2.ſect.2.num.9. & 14. Sanchez, plures alios referens, lib.9. de Matrimon.diſput.15.num.3.& in Summ.lib.1. cap.14.num.9. Azor lib.4.cap.2.quæſt.6. Henriquez lib.5.Summ. cap.5. §.6. Sayr. Layman lib.1.tract.3.cap.2. num.1. Coninch.diſput.7. dub.6. Prado cap.2.quæſt.3.§.2.num.9.Palaus tract.2.diſput.3.punct.1.Bonacina de Peccatis, diſput.2. quæſt.4. punct.3. num.5. propoſ.2. Tapia tom.1.Catenæ Moral. lib.3. quæſt.2. artic.3.num.2.& 4. & alij. Ex quibus facilè eſt, ſententiæ contrariæ reſpondere.

Soluuntur argumenta.

7 Ad primum argumentum dicitur, peccatum eſſe contra legem, ſumpta lege formaliter, non vero materialiter: quando lex divina, & humana; v. gr. prohibent furtum, hoc peccatum non eſt contra duas leges formaliter diverſas, ſed tantum materialiter, cum habeant idem motivum; prohibent enim illud ad evitandum damnum proximo inferendum, & ſic non accipit ab illis multiplicitatem diſtinctionis ſpecificæ. ¶ Ad ſecundum datis, & non conceſsis præmiſsis, negatur conſequentia: quia hoc eſt ſpeciale in inobedientia, quæ præceptum Superioris reſpicit, vt proprium obiectum, & per modum termini ad quem; vnde cum vitia diſtinguantur ſpecie ex parte obiecti, hinc provenit, quod inobedientia reſpectu præcepti divini ſit ſpecie diſtincta ab inobedientia reſpectu præcepti humani; alia autem peccata cum non reſpiciant præcepta per modum obiecti, ſed per modum termini à quo, inde provenit, quod ab illis non accipiant diſtinctionem ſpecificam. ¶ Ad tertium reſpondetur, fines illos ſolum eſſe extrinſecos, non autem intrinſecos, ſeu operis, iuxta quos diſtinguntur ſpecie peccata: finis autem intrinſecus operis, ſeu legum illarum in prohibendo furtum, tantum eſt conſervatio bonorum proximi, ſeu vitatio damni alieni, vnde, cum in hoc conveniant omnes illæ leges divina, naturalis, & humana, ſolum diſtinguntur materialiter, non vero formaliter; & ſic non cauſant diſtinctionem ſpecificam in furto.

Illuſtratur doctrina duplicis finis in trinſeci, & extrinſeci.

8 Sed pro maiori huius ſolutionis claritate nota, duplicem finem communiter à Doctoribus aſsignari, alium extrinſecum, & intrinſecum alterum. Finis extrinſecus eſt ratio motiva, quæ abſolutè movet legislatorem ad condendam legem; finis intrinſecus eſt ipſa res præcepta, vt præcepta, quæ aliquando præcipitur nude ſumpta ſecundum ſe, aliquando vero prout ſubeſt alterius fini; v. gr. finis extrinſecus prohibens homicidium eſt pax Reipublicæ, quia ipſa eſt, quæ movet Principem ad illud prohibendum: at finis intrinſecus ipſius præcepti non eſt pax Reipublicæ, ſed iniuſtitia, quæ fit proximo ſecundum ſe: quod, ſi fiat in loco ſacro, non ſolum erit finis intrinſecus præcepti Eccleſiaſtici ipſum homicidium, vt eſt iniuſtum, ſed prout ſubeſt fini Religionis, videlicèt prout eſt ſacrilegium, quia vt ſic prohibetur à lege eccleſiaſtica. ¶ Ex quibus liquet ſolutio argumenti: quia fines illi ab arguente relati ſunt extrinſeci, non autem intrinſeci, ex quibus vnicè penſanda erat ſpecifica diſtinctio in furto.

Quando agnoſcitur fines legũ eſſe intrinſecos, & quando extrinſecos.

9 Sed quæres, quando agnoſcemus leges conditas eſſe ob diverſos fines intrinſecos, aut propter eundem? Plura conglomerat Oviedo 1.2.tract.6.controverſ.5.punct.2. à num.9. vſque ad 99. & poſtquam per omnia motiva virtutum, & vitiorum ſpatiatur, concludit, hoc prudentum iudicio reliquendum eſſe: quod, eſtò verum eſſe cognoſcamus; tamen accipe hanc generalem regulam pro diverſis finibus, aut motivis intrinſecis cognoſcendis. Quotieſcumque præceptum trahit actum ad ſpecialem actum virtutis in affirmativis, vel in negativis ad ſpecialem oppoſitionem erga eandem virtutem, vel aliquam eius ſpecialem rectitudinem, tunc apparet nova ratio, ſeu motivum intrinſecum præcepti, ſecus vero ſi ad id non trahat. Ratio huius regulæ ſumitur ex doctrina communi omnium Doctorum: quia motivum proprium, & intrinſecum condendi legem, eſt cuſtodia alicuius rectitudinis, vt eſt certum apud omnes: ergo quælibet lex affirmativa efficit actum, ad quem obligat, materiam alicuius virtutis; & ſimiliter præceptum negativum habebit ratione prohibitionis factæ per negativam legem, quod actus prohibitus oppoſitionem dicat cum rectitudine alicuius virtutis: ergo quoties præceptum trahit actum ad ſpecialem virtutem, vel oppoſitionem cum illa: tunc cognoſcetur, an leges ſint conditæ ob eundem, an vero ob diverſum finem.

Aliqua inferuntur corollaria.

10 Ex hucuſque dictis libet pro maiori claritate aliqua corollaria deducere. Infertur ergo primò: Sacerdotem committentem carnis peccatum, duo peccata ſpecie diſtincta committere, alterum contra caſtitatem, & alterum contra Religionem: nam hoc peccatum eſt prohibitum Sacerdotibus, & cuicumque initiato ordine ſacro, & ex motivo caſtitatis, & ex motivo religionis. Et ob eandem rationem, qui Sacerdotem occidit, committit peccatum homicidij, & ſacrilegij, cum ſit etiam prohibitum ab Eccleſia ob reverentiam Sacerdoti debitam. Ita omnes. ¶ Infertur ſecundò: quod, ſi quis voluntarie ſanguinem in loco Sacro effundit, duo peccata committit, vnum contra iuſtitiam, alterum contra reverentiam loco Sacro debitam, & ex præcepto Eccleſiæ præſcriptam ex motivo Religionis.

Tertia illatio.

11 Infertur tertiò: iuxta aliquos, Religiosum Franciscanum, qui non ieiunat die veneris, in quem incidit vigilia alicuius Sancti ex præcepto colenda; vel Minimum, qui eadem feria sexta carnes comedit, duplex peccatum committere: quia Franciscanus ex suæ Regulæ præcepto tenetur, ferijs sextis ieiunare, & alias vovet regulam observare; & similiter Minimus adstringitur quarto voto vtendi semper cibo quadragesimali. Vnde vltra obligationem iuris communis, & præceptum Ecclesiæ ex motivo temperantiæ, adest alterum ex motivo Religionis. Ita Vazquez tom.1.in 1.2. disput.98.cap.3. num.10. Montesinos tom.2. disput.4.quæst.4.num.70. Bonacina de Peccatis, quæst.4.punct.3.num.7. Sanchez lib.9.de Matrimon. disput.15. num.6. ¶ Sed contrarium est probabilius, vt benè docent Cayetan. 1.2. quæst.186. artic.4. §. *Dicitur ad hoc*. N. Cornejo tom.1. in 1. 2. disput.5. dub.8. num. 10. Leander præcept.4.Ecclesiast. tract.5. disput.9.quæst.6. N. Salmant. Scholast. tract.13. disput.8.num.33. Et ratio est: quia Religiosi non vovent regulam, nec ea, quæ in illa traduntur, sed solum secundum illam vivere: at regula non præcipit Franciscanis simile ieiunium ex motivo obedientiæ, sed ex motivo temperantiæ; nec Minimis, vt eliciant votum quartum abstinentiæ ex motivo Religionis, sed temperantiæ: ergo violatio ieiunij in Franciscanis, & abstinentia quadragesimalis in Minimis non est distinctum peccatum, etsi fiat in vigilia alicuius Sancti.

Beneficiarius omittés Divinũ Officium, si non vellit facere fructus suos, vnum tantũ peccatũ committit.

12 Infertur quartò; Sacerdotem beneficiarium omittentem Divinum Officium, non committere duplex peccatum contra Religionem, & contra iustitiam, si non vellit suos facere fructus correspondentes omissioni. Fundamentum est: quia ratione beneficij solum se obligavit cum Ecclesia, ad non faciendos fructus suos, si recitationem omittat: ergo si non habet animum faciendi fructus suos, quando recitationem omittit, solum peccabit contra Religionem, ex cuius motivo præcipit Ecclesia beneficiarijs officium divinum recitare. Sic contra Bonacina, Layman, Suarez, & alios docuimus tract.16. cap.2. punct.3. §.1. num.32. Et insuper eam defendunt Garcia de beneficijs, tom. 1. part.3. cap.1. num.125. Azor 2.part.lib.4.cap.8.quæst.6. Diana 2.part. tract.12.resolut.23. & 4. part. tract.4. resolut. 219. Trullench tom.1.Decalog. lib.7. cap.23. num.3. & alij. Nec similiter verum est, quod addit Bonacina de horis canonic. disput.1. quæst.5.punct.1. num.4. Sacerdotem, etiamsi non sit beneficiarius, omittentem officium divinum duplex peccatum committere, vnum contra Religionem, & aliud contra specialem obedientiam Ecclesiæ debitam, quia videlicèt *in cap.Dolentes de celebrat.Missarum*, imponitur illis præceptum in virtute obedientiæ, vt omnes hoc faciant. ¶ Sed hoc nullatenus credimus; quia hoc præceptum non imponitur ad addendam novam obligationem, sed ad antiquam confirmandam: sicut licèt Alexander III. in cap. *Ita quorumdam de Iudæis*. Et Clemens III. in cap. *Quod olim*, eodem titulo, prohibuerint sub excommunication.deferre arma Sarracenis; qui semel ea deferret, vnicam tantum excommunicationem incurreret, quia secunda prohibitio solum fuit primæ confirmatio: ergo similiter dicendum est respectu beneficiarij recitationem Officij Divini omittentis.

PUNCT. III.

Vtrùm distinctio specifica peccatorum sumatur ex circunstantijs?

Circunstantia moralis est extra essentiã actus moralis, & quotuplex sit.

13 POstquam inquirit D. Thom. 1.2. quæst.72. artic.1. an peccata distinguantur specie ex obiectis? Quærit artic.9. an etiam distinguantur ex circunstantijs? Quod in præsenti ad examen vocamus. Pro cuius clariore luce supponendum est primò: circunstantias morales esse illas, quæ cum sint extra essentiam actus moralis, illum quodammodo circunstant, & afficiunt moraliter, vel in se ipso, vel ratione principij, effectus, aut causæ; quod tunc fit, quando circunstantia importat rationem convenientiæ, aut disconvenientiæ ad actum morale. Quare, quod quis furetur argentum, aut aurum eiusdem valoris; mentiatur, sedens, aut stans, non est circunstantia moralis, sed physica, non distinguens, nec aggravans peccati malitiam.

Septem describũtur circunstãtiæ actus moralis

14 Supponendum est secundò: circunstantias esse septem illo Tulli versiculo comprehensas, vt refert D. Thom. 1. 2. quæst.7. articul.3. *Quis*, *quid*, *vbi*, *quibus auxilijs*, *cur*, *quomodo*, *quando*. *Quis*, denotat operantis personam, vt si sit vxoratus, aut Sacerdos, Laicus, vel Religiosus. *Quid*, significat circunstantiam materiæ, & obiecti, vt si furtum, magnum, vel paruum. *Quibus auxilijs*, denotat instrumenta, & media, quibus actio exercetur, vt si percusit alterum ense, baculo, aut lapide, vel virginem solicitavit mediatrice aliqua. *Cur*, innuit finem extrinsecum (nam intrinsecus coincidit cum obiecto) vt si furatur ad dandam eleemosynam, vel fornicandum. *Quomodo*, denotat modum actus, vt si fuit voluntarius, vel non, intensus, aut remissus. *Quando*, dicit circunstantiam temporis, vt si exercetur die festivo, aut feriali, si est brevis, aut diurnus.

Quare circũstantiæ sint tantum septem.

15 Quare autem circunstantiæ non sint plures, aut pauciores docet D.Thom. loc. cit. Nam cum circunstantia sit accidens quodam attingens actum extra propriam substantiam, tot erunt circunstantiæ, quot fuerint modi attingendi moraliter actum; sed isti sunt septem: ergo septem sunt circunstantiæ. Minorem sic probo ex Angelic.Doct. Nam actus tripliciter potest attingi, vel secundum se, vel ratione causæ, vel ratione effectus. Si primum, aut erit per modum mensuræ, sicut tempus, & locus, vel per modum qualitatis actus, sicut modus agendi, & sic resultant tres circunstantiæ: *Quando*, *vbi*, *quomodo*. Si secundum; aut ratione causæ efficientis principalis, & hæc est circunstantia, *quis*, aut ex parte causæ in-

instrumentalis, & hæc est circunstantia, *quibus auxilijs*, aut ex parte causæ finalis, & hæc est circunstantia, *Cur*. Si denique tertium; hoc est ex parte effectus, erit circunstantia, *quid*: ergo cum non sit excogitabilis alius modus circunstandi, & afficiendi moraliter actum, septem tantum erunt circunstantiæ morales.

Circunstantiæ aliæ sunt mutãtes speciem, aliæ vero aggravantes præcisè.

16 Tertiò supponendum est: circunstantiam dupliciter posse afficere actum pravum moralem; primò transferendo illum ad aliam speciem distinctam ab ea, quam habet ex obiecto proprio, vt si quis furatur aliquid in loco sacro, tunc species peccati furti habita ex proprio obiecto, quia nimirum accepit invito domino rem non suam, ratione circunstantiæ loci sacri transfertur in speciem sacrilegij: & similiter si Religiosus fornicetur cum vxorata; speciei simplicis fornicationis consistentis in eo, quod accedat ad non suam, superadditur alia duplex species malitiæ, sacrilegij scilicèt, ob votum Religiosi, & iniustitiæ ob vinculum matrimonij. Secundò modo potest circunstantia afficere peccatum non transferendo illud ad aliam speciem, sed intra illam augendo eius malitiam, vt si quis furatur maiorem quantitatem; vel Religiosus absque causa violat ieiunium: nam illa maior quantitas ablata causat maiorem gravitatem in furto; & circunstantia Religiosi, cui ex statu convenit corpus mortificare, auget malitiam violationis ieiunij. Quare istæ circunstantiæ solent dici aggravantes, quia licèt speciem peccati non mutent, tamen illius malitiam aggravant.

Aliæ sunt leviter, aliæ graviter aggravantes.

17 Sed nota primò: quod circunstantiæ aggravantes sunt in duplici differentia; aliæ enim sunt leviter aggravantes, & aliæ notabiliter aggravantes: primæ dicuntur, quæ taliter afficiunt, & constituunt pravum actum, vt veniale non excedat; vt si quis loco, & tempore non competenti, aut modo non debito recitet officium divinum, si, verb. grat. sit absque debita attentione, vel extra tempus consuetum, aut in loco minus decenti, tunc ratione circunstantiarum, *vbi*, *quando*, & *quomodo*, aggravatur leviter actus malus recitationis. Secundæ sunt, quæ taliter augent malitiam peccati intra eandem speciem, vt per se sufficerent ad constituendum grave peccatum; vt si quis furatur mille aureos, & alius octo: furari mille aureos est circunstantia notabiliter aggravans malitiam illius furti supra aliud, cum excessus per se tantum sit sufficiens materia peccati mortalis; & hæc, & similes dicuntur circunstantiæ notabiliter aggravantes. An vero istæ circunstantiæ notabiliter aggravantes sint necessariò in confessione explicandæ, celebris est quæstio, quam negativè decidimus tract. 6. de Pœnitent. cap.8. punct.2.

¶ Deinde nota secundò: quod aliæ sunt circunstantiæ non aggravantes, sed minuentes malitiam peccati, vti sunt metus, ignorantia, inadvertentia, & parvitas materiæ, seu potius, vt melius dicam, minor gravitas materiæ; quæ similiter dividi possunt in eas, quæ minuunt malitiam peccati intra eandem speciem, vt si quis ex metu incuso mentiatur, aut die veneris carnes comedat; vbi ratione metus, qui aliquo modo tollit voluntarium, minuitur peccati gravitas: & in eas, quæ extrahunt peccatum à graviori specie, & constituunt illud in minori; vt qui accedit ad vxoratam cum ignorantia status illius mulieris, qui ratione ignorantiæ talis circunstantiæ transfert adulterium in simplicem fornicationem, & istæ dicuntur *minuentes mutantes speciem*, vt ait Tapia tom.1. lib.3. quæst.3. articul.1. num.8.

Peccata distinguntur specie ex circunstantijs, quæ specialé oppositionẽ dicunt ad rationem.

18 His ergo suppositis dicendum est, peccata distingui specie ex circunstantijs, quæ specialem deordinationem habent ad rectam rationem. Et ratio est, quia distinctio specifica peccatorum desumitur à diverso motivo, seu diversa deordinatione à recta ratione: ergo quando acrescit diversum motivum, & distincta deordinatio ad rectam rationem ob circunstantiam denuo advenientem, erit distincta species peccati: sed pluries accidit, ratione circunstantiæ denuo advenientis, dari diversum motivum, & diversam deordinationem à ratione in actu peccaminoso, vt quando quis furatur in loco sacro, vel fornicatur cum habente votum castitatis, aut vxorata: ergo tunc ratione circunstantiæ datur distinctio specifica peccatorum. ¶ Hic explicare opportebat in quibus casibus omnes septem supra assignatæ circunstantiæ tribuant actibus, quos afficiunt diversas species; sed quia hoc decisum relinquimus tr. 6. cap.8. punct. 4. à num. 51. ideò ad ibi latè dicta remittimus lectorem. Videatur etiam Tapia tom.1. lib. 3. q. 3. per totam.

Circunstantiæ variantes, aliæ dãt primam speciem peccati, aliæ secundam.

19 Nota tamen, quod quælibet circunstantia potest variare speciem actus dupliciter, primò dando primam speciem peccati, vt quando talirer afficit actum, qui ex se erat bonus, vt illum vitiet, reddatque pravum, vt qui venit audire sacrum ob alloquendam fœminam, vel qui elargitur eleemosynam ob vanam gloriam; tunc actus, qui ex se erant boni, vitiantur ex prava circunstantia: quare hæc non tam habent rationem circunstantiæ, quàm obiecti, quod ab actu in genere moris directè respicitur. Secundò modo potest variare speciem peccati, non dando illi primam, sed addendo aliam distinctam; vt qui rem habet cum Religiosa; licèt enim tunc votum castitatis habeat rationem obiecti respectu sacrilegij, at in ordine ad fornicationem habet rationem circunstantiæ speciem variantis: vnde non tribuit primam speciem malitiæ, sed secundam.

Si speciem non mutant debent necessariò aggravare, vel minuere malitiam.

20 Dicendum est secundò: quod si circunstantiæ non habent specialem deordinationem ad rationem, tunc si sint ex aggravantibus augebunt intra eandem speciem malitiam peccati, si vero sint ex minuentibus, illam diminuent. Et ratio est, quia de ratione circunstantiæ est minuere, aut tribuere aliquam bonitatem, aut malitiam actui, cui adiungitur: ergo omnis prava circunstantia, si non variat speciem, augebit, vel minuet malitiam obiecti. Probatur antecedens. In naturalibus maior, aut minor perfectio rei tribuitur non solum à forma substantiali, sed etiam accidentali, ita vt sine ista non sit perfecta substantia completè; sed circunstantiæ se habent, vt accidentia actus moralis: ergo ab illis proveniet in actu morali maior, aut minor bonitas; maior, aut mi-

minor malitia. Confirmatur. Ratione circunſtantiæ peccatum eſt magis, vel minus rationi oppoſitum: ergo ab illa accipiet maiorem, aut minorem malitiam. Probatur antecedens. Furtum ratione maioris, aut minoris quantitatis ablatæ, eſt magis, aut minus rationi oppoſitum: homicidium ex plena advertentia commiſſum gravius peccatum eſt, quam ex ſemiplena, aut ex ſubita ira patratum: ergo ratione circunſtantiæ, vel aggravantis, vel minuentis, creſcit, aut minuitur peccatum, & deordinatio ad rationem: ergo, cum hoc ſit intra eandem ſpeciem peccati, augebit, vel minuet illius malitiam. Ita Magiſter in 2. diſtinct. 38. & 40. Scotus ibi. quæſt. 1. Almayr. cap. 14. tract. 1. Moral. Monteſinos tom. 1. in 1. 2. diſput. 23. quæſt. 2. num. 39. N. Cornejo diſput. 4. dub. 1. Lorca 1. 2. quæſt. 18. concluſ. 1. Medina 1. 2. quæſt. 18. Tapia tom. 1. Caten. Mor. lib. 3. quæſt. 3. artic. 1. & alij.

PUNCT. IV.

Vtrùm maior, aut minor gravitas peccatorum ſumatur ex circunſtantijs non mutantibus ſpeciem, & ex dignitate virtutum, quibus opponuntur?

Aliqui ſentiunt gravitatem peccati ſuperioris non poſſe excedi à peccato inferiori.

21 EX dictis puncto antecedenti conſtat, gravitatem eſſentialem peccatorum ſumi ex obiecto, & circunſtantijs variantibus ſpeciem; nunc videndum eſt, an maior, aut minor gravitas peccatorum, abſolutè loquendo, proveniat etiam à circunſtantijs non mutantibus ſpeciem, & ab oppoſitione cum virtutibus. Pro cuius reſolutione eſt non levis difficultas, quam tam Theologi, quàm Moraliſtæ movent hic: *Vtrùm peccatum ex obiecto levius poſsit ratione circunſtantiarum non mutantium, aut variantium ſpeciem excedere gravitatem peccati ſuperioris ſpeciei?* Negant Durandus in 4. diſtinct. 22. quæſt. 1. num. 8. Vazquez 1. 2. quæſt. 73. artic. 3. num. 21. Monteſinos ibi. diſput. 5. quæſt. 6. à num. 71. Curiel §. 2. Martinez dub. 2. concluſ. 2. quorum fundamenta ſic ſe habent. Quia ſpecies ſunt ſicut numeri; ſed numerus inferior quantuncumque creſcat, nequit adæquare ſpeciem numeri ſuperioris, ſicut quantuncumque creſcat cœlum, nequit adæquare formicæ perfectionem: ergo ſpecies inferior peccati, quantuncumque creſcat intra eamdem ſpeciem ratione circunſtantiarum, nequit adæquare, aut excedere gravitatem ſuperioris. ¶ Confirmatur primò: peccatum illud eſt gravius, quod magis avertit à Deo; ſed peccatum gravius ex obiecto, & ſpecie magis à Deo avertit, cum convertat hominem ad peius obiectum: ergo eſt abſolutè gravius quocumque alio peccato, quod eſt levius ex obiecto. Confirmatur ſecundò: maior, aut minor gravitas in peccatis ſumi debet ex his, quæ illis conveniunt per ſe, non autem per accidens; ſed gravitas deſumpta ex obiecto, convenit peccatis per ſe; quæ vero deſumitur à circunſtantijs, convenit per accidens: ergo maior, aut minor gravitas peccatorum deſumi debet ex obiecto, & non ex circunſtantijs, & ſic quantuncumque iſtæ creſcant in peccato ſpeciei inferioris, non adæquabunt gravitatem peccati ſuperioris.

Peccatũ ex obiecto ex circunſtãtijs excedere poteſt gravitatem peccati ſpeciei ſuperioris.

22 Sed verius affirmant Cayetan. 2. 2. quæſt. 94. Suarez de Peccatis, tract. 5. ſect. 2. num. 5. Medina 1. 2. quæſt. 73. artic. 3. Salas tract. 13. diſput. 5. ſect. 2. Lorca diſput. 19. memb. 1. Alvarez diſput. 35. Soto de Iuſtit. & Iure, lib. 5. quæſt. 10. artic. 3. Tapia in Caten. Moral. tom. 1. lib. 3. quæſt. 5. artic. 5. num. 3. Prado cap. 2. de Peccatis, quæſt. 4. §. 3. num. 11. Sayrus lib. 5. cap. 4. num. 9. Azor tom. 1. lib. 4. quæſt. 4. fin. Palaus tract. 2. diſput. 3. punct. 4. num. 3. & alij communiter, probaturque primò ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 10. artic. 3. ad 1. vbi ſic ait: *Nihil prohibet peccatum, quod eſt gravius ſecundum ſuum genus, eſſe minus grave ſecundum aliquas circunſtantias.* Oſtenditur inſuper à ratione. Gravitas eſſentialis peccati ſuperioris eſt finita: ergo licèt phyſicè non poſsit excedi à malitia peccati ſpeciei inferioris, moraliter tamen excedi poterit. Sicut licèt aurum phyſicè excedat argentum, tamen moraliter, & ſecundum æſtimationem prudentum poteſt ita augeri, vt excedat in valore morali aurum. Probatur deinde ab exemplis. Periurium gravius peccatum eſt ex obiecto, quam homicidium, & furtum; & tamen ſi quis occiderit mille viros, vel furaretur ærarium publicum, vnde pauperes aluntur, vel milites Rempublicam defendentes, ſtipendiantur, graviora in æſtimatione morali eſſent hæc peccata, quam periurium: ergo &c. Præterea. Sodomia, & beſtialitas ſunt graviora peccata in eſſe moris, quam furtum, & periurium, vt colligitur ex illo Levit. 18. *Cum maſculo non commiſcearis coitu fœmineo: quia abominatio eſt*; & docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 144. artic. 3. & tamen periurium, & furtum ſunt ſuperioris ſpeciei, cum ſint contra iuſtitiam, & Religionem, quæ ſunt virtutes perfectiores, quam temperantia, contra quam ſunt ſodomia, & beſtialitas, vt dicunt, & eruditè explicant Salmantic. Scholaſt. tom. 3. in arbore prædicamentali virtutum, §. 13. num. 123. pag. 774. ergo peccatum levius ex obiecto poteſt ratione circunſtantiarum ſuperare in malitia peccatum gravius.

Sententia contraria diluitur.

23 Ad primum argumentum reſpondetur, ſolum habere veritatem loquendo de peccatis ſumptis modo phyſico, & in eſſe rei, non autem in eſſe moris, vt liquet ex exemplis poſitis pro noſtra concluſione: nec mirum eſt, quod peccata conſideremus modo phyſico, & modo morali; nam etiam de actibus virtutum eodem modo philoſophamur, eſtò non minus quam peccata ad genus moris pertineant: & ſic licèt actus Religionis excedat actum temperantiæ, ſi phyſicè ſumatur; tamen actus Religionis poteſt eſſe adeò remiſſus, & actus temperantiæ adeò intenſus, vt moraliter loquendo, ſit iſte perfectior illo. Eodem ergo modo diſcurrimus in peccatis, quæ eſtò phyſicè conſiderata ea, quæ ſunt graviora ex obiecto, exce-

cedant alia, quæ sunt levia ex obiecto: tamen si moraliter considerentur per ordinem ad totum conflatum ex obiecto, & circunstantijs, poterit peccatum, quod est levius ex obiecto superare ratione circunstantiarum, quod est gravius secundum speciem. ¶ Ad primam confirmationem dicimus, peccatum levius ex obiecto, quando fit gravius ex circunstantijs, magis offendere Deum, quam illud, quod præcisè est gravius ex obiecto: quis enim dubitavit, quod violare mille virgines, non magis Deum offendat, quam vnum interficere hominem: estò hoc peccatum sit gravius ex obiecto: ergo ex gravitate præcisè specifica ex obiecto, non arguitur maior offensa Dei. ¶ Ad secundam confirmationem respondetur, gravitatem ex circunstantijs desumptam, physicè loquendo, esse per accidens, at moraliter, & in æstimatione prudentum se habet per se.

Maior gravitas peccatorum oritur ex oppositione ad virtutē perfectiorem.

24 Sed vlterius inquires cum D. Thom. 1.2.quæst.73.artic.4. Vtrùm gravitas absoluta peccatorum sumatur secundum dignitatem virtutum, quibus opponuntur? Dicendum est, illud peccatum esse gravius, quod opponitur directè perfectiori virtuti. Ita D.Thom.& probat illud ex Philosopho 8. Ethicor. cap.10. per hæc verba: *Pessimum optimo contrarium est.* Ex quo sic infert D. Thom. in argumento sed contra: *Optimum autem in moralibus est maxima virtus, pessimum autem gravissimum peccatum: ergo maximæ virtuti opponitur gravissimum peccatum.* Ex quibus sic probatur conclusio à ratione. Illud peccatum est gravius, quod destruit maius bonum; sed peccatum, quod opponitur perfectiori virtuti, destruit maius bonum: ergo eo peccatum est gravius, quo opponitur perfectiori virtuti. Sola minor indiget probatione, quam sic ostendo. Peccatum, & virtus, contrariè directè opposita, habent pro obiecto eamdem materiam, licèt illam respiciant diverso modo: virtus enim per modum accessus, & prosecutionis, & peccatum per modum fugæ, & recessus; sed, qui recedit à maiori bono, quod est materia perfectioris virtutis, destruit maius bonum, cum destruat commensurationem illius cum ratione: ergo peccatum, quod opponitur perfectiori virtuti destruit maius bonum, & consequenter est gravius. Confirmatur. Quo obiectum est melius, vt attingibile per virtutem, eo est peius, vt attingibile per peccatum: & sic, quo Deus est melior, & dignior, vt attingatur per charitatem; eo est magis improportionatus, & indignus, vt attingatur per odium: ergo quo obiectum virtutis est melius, & dignius, vt attingatur per perfectiorem virtutem, eo erit indignius, & peius, vt attingatur per peccatum: ergo sicut virtus sumit suam perfectionem à maiori bonitati obiecti, ita & peccatum suam gravitatem à maiore bonitate virtutis, cui opponitur.

Quædam replica opponitur.

25 Sed dices: hæc doctrina est contraria exemplis in conclusione antecedenti positis, & alijs de facilè addendis. Quia sodomia, & bestialitas sunt graviora peccata, quam furtum; & tamen hoc opponitur iustitiæ, quæ longè excedit temperantiam, cui illa opponuntur: ergo doctrina tradita ruit. Secundò: schisma, invidia, odium proximi, & alia contrariantur charitati; sed, hoc non obstante, infidelitas, & desperatio, fidei, & spei oppositæ, illa superant in gravitate: ergo &c. Similiter homicidium est gravius, quam omissio sacri; & tamen hæc est levius peccatum licèt opponatur Religioni, quæ est perfectior; quam iustitia, cui homicidium opponitur: ergo gravitas peccatorum non sumitur ex dignitate virtutum, quibus opponuntur.

Notabile primū pro solutione illius.

26 Vt his obiectionibus satisfiat, nota primò cum Cayetano 2.2. quæst.94. artic.2.§. *Ad obiectionem.* Medina 1.2.quæst.73. artic.4. Alvarez ibidem notabili primò. Salas tract.13. disput.5.sect.3. quod comparatio peccatorum ad cognoscendum, quod sit maius, aut minus, debet fieri inter maxima peccata vtriusque virtutis; & sic semper erit gravius, quod perfectiori virtuti opponitur. Vnde quia occidere Regem, aut destruere Rempublicam est maximum peccatum contra iustitiam, est gravius, quam quodlibet peccatum intemperantiæ etiam contra naturam, vt est sodomia, aut bestialitas. Si autem maximum peccatum intemperantiæ comparatur cum mediocri iniustitiæ, sine dubio poterit esse maius peccatum intemperantiæ; sicut est bestialitas respectu furti. Et quod diximus respectu peccatorum, verificatur etiam in actibus virtutum: iustitia est virtus præstantior fortitudine; & tamen vendere merces iusto pretio non excedit omnem actum fortitudinis; v. gr. fortiter rempublicam defendere: ergo comparatio tam virtutum, quàm vitiorum ad cognoscendas dignitates, aut gravitates eorum debet fieri maximi ad maximum. ¶ Si autem quæras, quando actus virtutum, aut vitiorum sunt maximi? Breviter respondeo, tunc hoc accidere, quando virtus tendit in obiectum primarium, & principale, & vitium secundum idem obiectum directè opponitur illi. Vnde oritur, quod licèt charitas sit principalis virtus, & odium Dei peccatum maximum; tamen odium proximi non est, licèt ei opponatur, vitium gravissimum; quia non opponitur ei directè, & secundum obiectum primarium, sed secundum obiectum secundarium, vt eleganter docuit D. Thom.2.2. quæst.39. artic.2. ad 3. omnino videndus.

Secundum notabile.

27 Deinde ad peccatorum gravitatem cognoscendam nota secundò, an peccatum contra inferiorem virtutem includat etiam oppositionem cum virtute superiori; si enim hoc evenit, absdubio poterit superare peccatum, quod perfectiori virtuti opponitur. Et ideò peccatum nefandum excedit furtum, quia vltra oppositionem cum castitate, adversatur etiam iustitiæ; fit enim iniuria proli per emissionem seminis extra locum aptum generationi. Similiter idololatria, vt ait D.Thom.2.2.quæst.94. artic.3. quæ opponitur Religioni, est gravius peccatum, quam infidelitas, & desperatio, quæ opponuntur fidei, & spei, quia vltra oppositionem cum Religione opponitur fidei, quia vt docet D.Thom. ad primum argumentum: *Idololatria præsupponit interiorem infidelitatem, & adijcit indebitum cultum*: ergo

ad metiendum peccatorum gravitatem, attendendum est etiam an opponantur non solum inferiori, sed etiam superiori virtuti?

Fit satis replicæ positæ

28 Ex quibus facilis est solutio argumenti positi; ad cuius primum exemplum liquet ex primò, & secundò notabili: Ideò enim sodomia est gravius peccatum, quam furtum, quia non fit comparatio maximi ad maximum, sed maximi ad minimum; & quia sodomia habet etiam oppositionem cum iustitia; imò, vt ait D.Thom.2.2.quæst.154.artic.12.ad 1. cum sit peccatum contra naturam, facit Deo iniuriam. Vnde ex vtroque capite oritur in sodomia maior gravitas. Ad secundum patet ex primò notabili; quia schisma, invidia, & odium proximi non contrariantur charitati directè, sed indirectè secundum obiectum secundarium, & sic nihil mirum, si superentur ab infidelitate, & desperatione, quæ directè opponuntur fidei, & spei. Ad tertium liquet etiam ex primò notabili: quia contrarietas homicidij, & omissionis sacri ad virtutes non est in vtroque æqualis, & directa, cum prima sit contraria, & secunda privativa; & ideò hic diversus modus oppositionis sufficit ad variandam gravitatem inter peccata.

PUNCT. V.

Vnde distinctio numerica peccatorum desumenda sit?

Quid in hoc puncto est explicandū?

29 AGgredimur quæstionem æquè difficilem, ac vtilem; imò & valdè necessariam ad dignè Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum, & ministrandum: nam cum præcipiat Rituale Romanum in rubrica de pœnitentia: *Quod si pœnitens numerum, speciem, & circunstantias explicatu necessarias non expræsserit, Sacerdos eum interroget.* Et Concil. Trident. sess.14.can.7. definiat: *Necessarium esse iure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia.* Ex his clarè constat, teneri pœnitentem aperire in confessione speciem, numerum, & circunstantias peccatorum explicatu dignas; & si ita non fecerit, Confessarium debere de illis interrogare. Vnde, quia impossibile est pœnitentem aperire, & confessarium quærere, quæ vterque ignorat; ideò postquam tradidimus, quæ attinent ad distinctionem specificam peccatorum, tam ex parte obiecti, quàm circunstantiarum, restat explicare, vnde distinctio numerica illorum sumenda sit. Qua difficultate pressum se esse fatetur Palaus tract.2.disput.3.punct.2.num.1.& difficillimam esse explicatu docet Navarrus, cap. *Considereret*, in principio, distinct.5. num.13. vers. *Pone item.* Sed quia tract.6.cap.8.punct.1. num.9. promisimus de hac distinctione numerica in præsenti agere, ideò curabimus (estò difficilè facinus aggredi non ignoremus) Deo præeunte, eam maiori, qua potuerimus luce, duplici §. & conclusione declarare.

§. I.

Prima radix distinctionis numericæ peccatorum est interruptio moralis actuum.

Distinctio numer. peccatorum sumitur ex interruptione morali actuum.

30 DIcendum est primò: distinctionem numericam peccatorum tam exteriorum, quàm interiorum circa idem obiectum, desumi ex morali interruptione actuum. Ita D.Thom. in 2. distinct.42. quæst.1.artic.1. Suarez lib.5.de Voto, cap.6.num.10. Azorius tom.1. lib.4. cap.4. quæst.4. Cayetan. tom.1. opuscul.tract.31.respons.15.ad 2.dubitat. Navarr.in Summ.cap.6. num.16. & de Pœnitent. distinct.5. cap. *Considereret.* Bonacina disput.2. de Peccat.quæst.4.punct.2.num.5. Salas tract. 13.disput.5.sect.8.num.84. Palaus tract.2.disput.3. punct.2. num.2. Prado cap.2. quæst.5. §.3. num.30. plures alios referens num.19. Tapia lib.3.quæst.4.artic.2.& alij. Et ratio est, quia peccatum, vt docet D.Thom.1.2. quæst. 18 artic.2. est motus liber, aut quasi motus, tendens in suum terminum, scilicèt obiectum; sed motus accipit suam distinctionem numericam ab interruptione temporis, vt docent N. Complut.lib.5.physic.disput.22. quæst.3. ergo peccatum sumit distinctionem numericam à morali interruptione actuum: & consequenter tot erunt peccata numero distincta, quot fuerint actus voluntatis moraliter interrupti.

Traditur regula ad cognoscendum quādo actus volūtatis interrūpuntur moraliter.

31 Sed quæres primò: quando actus voluntatis peccaminosi sint moraliter interrupti? Respondetur cum Bonacina, tunc esse huiusmodi actus moraliter interruptos, quoties non perseverant formaliter in se, nec virtualiter in aliquo effectu; v.gr. peccatum hæresis, quod Petrus commisit heri distinctum est à peccato hæresis, quod hodie committit: quia actus heri elicitus nec in se perseverat, nec virtualiter in aliquo effectu. E contra vero actus, quo intendi, & decrevi inimicum occidere, non est distinctus moraliter ab eo, quo iterum, atque iterum renovo prædictam voluntatem, quia cum primus non sit retractatus, virtualiter permanere censetur. ¶ Sed vt hæc plenius capiantur, advertendum est ex supra dictis, & ex doctrina D.Thom. in 1.2.quæst.72.artic. 7. peccatum dividi in peccatum *cordis*, *oris*, & *operis*. Peccatum *cordis* dicitur, quod non habet pro obiecto aliquod opus externum, sed in ipso corde omnino completur, & consumatur: vt peccatum odij Dei (quidquid in contrarium dicat Salas num.85.) & proximi, hæresis, iræ, invidiæ, avaritiæ, iudicij temerarij, &c. Peccatum *oris* dicitur, quod in ipso ore omnino consumatur, quale est mendatium, periurium, blasphemia, falsum testimonium, convitium, &c. Peccatum denique *operis*, illud est, quod in ipso opere externo perficitur, vt homicidium, adulterium, idolatria, fornicatio, furtum, & alia. Et de his omnibus peccatis supponimus totaliter interrumpi per actum voluntatis contrarium, quo vult non esse illius, aut primam intentionem retractat. Quare sola difficultas est, an interrum-

rumpantur per temporis discontinuationem.

Peccata cordis multipli cantur numero secundum distinctionẽ actuũ voluntatis.

32 Dicimus ergo, quod si peccata sint *cordis*, hoc est consumata perfectè in intellectu, & voluntate, non solum per expressam retractationem, sed eo ipso, quod actus voluntatis multiplicentur, interrumpuntur moraliter, & tot quot sunt actus voluntatis, tot peccata multiplicantur numero. Et ratio est clara: quia huiusmodi peccatum postquam committitur, nullo modo manet nec formaliter, nec virtualiter; vnde statim ac perficitur per actum intellectus, aut voluntatis, desinit esse, & solum manet vt peccatum habituale; sed peccatum, quod in se non manet, nec formaliter, nec virtualiter nequit continuari cum alio: ergo huiusmodi peccatum cordis, hoc ipso quod semel fiat, nequit cum alio sequenti actu continuari, sed moraliter interrumpitur; & sic tot sunt peccata, quot actus intellectus, aut voluntatis tempore aliquo interiecti. Ex quo oritur, quod, quando aliquis elicit actum odij Dei, vel proximi, invidiæ, hæresis, iudicij temerarij, delectationis morosæ, ambitionis, &c. peccat; etsi immediatè post repetit eosdem actus circa idem obiectum, tot multiplicat numero peccata, quot elicit actus. Ita docere videtur D.Thom.in 2.distinct.42.quæst.1. artic.1. Armil.verb.Peccatum, & expræsè tenent Azor tom.1.lib.4. cap.4. quæst.4. Salas 1.2.tract.13.disput.5.sect.8.num.89. Vazquez disput.75. 1.2. cap.1. num.2. Navarr. Summ. cap.6.num.16.Busembaum lib.5.Summ.cap.1. artic.4. num.2. Montesinos tom.1. disput.28. num.93. Filliuc.tract.21.cap.8.num.313. Tapia loc.cit.num.3. Bonacina disput.2. quæst.4. punct.2.num.10.Palaus tract.2.disput.3.punct. 2.num.2. & Layman tract.3. cap.3. num.3. citans Suarez 3.part.tom.4.disput.22.sect.5.

Sola retractatione voluntatis interrũpi peccata aliqui docent.

33 Contrariam tamen huius conclusionis sententiam defendit Canus in relect. de Pœnit. part.5.quem sequuntur Ioannes à Cruce in Direct.Conscient.part.2.de Sacrament.Pœnitent. quæst.3.dub.6. Petrus Fay disput. de Sacram. Pœnitent.in addit.ad 3.part.D.Thom.quæst.9. artic.2.disput.5.ad 4.argument. Pirigian.in 4. sentent.tom.2.distinct.17.quæst.vnica, artic.5. circum.quantum.Homo bonus de Examin.Eccles. punct.1. tract.5. cap.13. quæst.83. apud Dian.3.part.tract.4.resolut.95. quam opinionem probabilem reputat in fine resolut.citatæ. Sentiunt enim omnes hi Authores, quod, licèt actus voluntatis peccaminosi, qui in ipsa consumantur, interrumpantur per contrariam voluntatem; non tamen si interruptio illorum fiat naturali oblivione, somno, aut inconsideratione: quare asserunt, quod si quis elicuit hodie actum odij, & post quindecim dies repetit eumdem actum contra eumdem hominem, non committit plura peccata, sed vnum, quia, cum prædictus actus non fuerit retractatus, continuatur cum consequenti. Alij Authores, vt Filliuc.& Busembaum loc. cit. iudicant esse probabile, quod, si interruptio sit brevis, & accidat per somnum, aut naturalem inadvertentiam, & inconsiderationem, tunc interruptio illa est physica, & non moralis.

Improbatur prædicta sententia.

34 Sed hanc sententiam falsissimam vocat Vazquez tom.4. in 3. part. quæst.91. artic.1. dub.5.num.11. & Suarez tom.4. in 3.part.disput.22. sect.5. num.9. incredibilem, quos sequuntur Nugnus in addit. ad 3. part. tom.2. quæst.9.artic.9.dub.1. & quod pluris est, Diana loco citato. Et ratio est, quia isti actus voluntatis, sivè interrumpantur per actum contrarium, aut voluntariam advertentiam, in quo non est dubium, sivè per somnum, aut inconsiderationem, vel inadvertentiam, vnus ex alio non dependet: ergo nequeunt moraliter continuari. Et sic, si ad numerum facilè reduci possunt, debent omnes interruptiones explicari, sed, si commode determinatus numerus illarum haberi non potest, tunc explicetur saltim tempus continuationis in illo pravo actu odij, delectationis morosæ, aut invidiæ. Vnde non approbo, quod ait Suarez num.11. quod licèt re ipsa sint distincta peccata tales interruptiones, non tamen distinguntur in ordine ad confessionem; quia humano modo cognosci nequeunt, quando est brevis interruptio. Hoc ergo vniversaliter loquendo, & cum tanta amplitudine falsum est; quia licèt aliquoties tales interruptiones cognosci nequeant, multoties tamen distinctè percipiuntur, & tunc tenetur pœnitens eas aperire in confessione, cum sint peccata numero distincta: ergo, licèt quando eas distinctè non percipit homo, Deus non iubeat in particulari confiteri, nec sint per accidens moraliter distincta peccata in ordine ad confessionem, attamen, quando eas distinctè percipit, in particulari patefacere, per se tenetur, & vt distincta peccata confessori aperienda sunt. Et ratio est: nam præceptum confessionis obligat ad confitenda ea peccata, vt distincta, quæ in se distincta sunt, & eo modo, quo in se distincta sunt, nec inducit novum modum ea numero distinguenda, sed suppositа distinctione, quam in se habent, obligat ad illa, vt sic distincta declaranda: & ideò si in se sunt numero distincta peccata, sunt etiam distincta in ordine ad præceptum confessionis; sed tales interruptiones sunt in se distincta peccata: ergo sunt distincta etiam in ordine ad obligationem eas in confessione manifestandi.

Declaratur, quando peccata exterius consumata multiplicentur.

35 Si vero actus voluntatis versentur circa peccata, quæ exterius consumantur, vt sunt peccata *oris*, & *operis*, vt si quis intenderet furari, aut occidere; tunc tales actus discontinuantur moraliter, quando peccatum exterius consumatur, vel quando intercedit inter ipsos aliqua notabilis temporis morula, si non vniantur in aliquo effectu ex ipsis orto, qui conducat ad finem intentum, & consumationem peccati. Ratio primæ partis constat. Quia illi voluntatis actus eatenus sunt peccata, quatenus ordinantur ad obiectum pravum: ergo, si obiectum pravum, seu peccatum consumatur; consumatur, & perficitur malitia illorum actuum: ergo si postea adveniant alij actus, non continuantur cum præcedentibus, sed erunt distincta peccata. Quare qui habet propositum furandi, & illud statim executioni mandet, si postea repetat idem propositum, committit duo peccata: quia primum propositum interruptum fuit per consumationem operis exterioris. ¶ Ratio secundi est. Nam

actus voluntatis nequeunt permanere virtualiter niſi in aliquo effectu ab ipſis orto, ſed ad continuationem requiritur, quod permaneant virtualiter: ergo nequeunt continuari ad conſtituendum aliquod vnum peccatum, niſi vniantur in aliquo effectu ab ipſis orto, & conducente ad finem intentum, & peccati conſumationem. Vnde qui haberet animum vlciſcendi ſe de inimico, & immediatè voluntarie per aliquot tempus ad alia ſe divertat, ſi poſtea repetat idem propoſitum, ſunt tales actus voluntatis duo peccata numero diſtincta: quia prima voluntas cum non permaneat in aliquo effectu ab illa orto, diſcontinuatur moraliter à ſecunda. Videantur Salmanticenſes Scholaſtici tom.3.tract.11.diſput.5.à num.40.& 32.

Illationes ex doctrina ſuperiori conſequutæ.

36 Ex quibus colligitur primò: quod qui furari intendit, & ſtatim viam arripit, ponit ſcalas, & furatur, etſi in via repetat pluries primam intentionem, vnum peccatum committit. Et rationem reddit D.Thom. in 2. diſtinct.42.quæſt.1.artic.1.his verbis: *Contingit eſſe actus plures ſecundum quod ad genus naturæ referuntur, qui tamen ſunt vnum ſecundum quod in genere moris conſiderantur: vt patet in eo qui furatur, quia omnes actus eius, qui ad finem furti ordinantur peccatum ſunt, cum mala intentione fiant, qui poſſunt valdè multi eſſe: & tamen omnes computantur, vt vnum peccatum, quia non habent rationem peccati, niſi ſecundum quod per vnam voluntatem in perverſum finem ordinantur.* ¶ Colligitur ſecundò: ſi quis intendens occidere inimicum arma præparat, viam carpit, Salmanticam ad hoc venit, & per multos dies inimicum quærit, & tamdem occidit, etſi pluries repetat prædictam intentionem, vnum peccatum committit, & ſatisfacit præcepto confeſsionis, dicendo ſe homicidium perpetraſſe, quin ſit neceſſarium declarare, quo tempore duravit in illa prava voluntate, & quoties eam inculcavit: quia omnia illa opera, & media ad ociſſionem, nec non repetitæ voluntates ortum habuerunt à prima, in quibus hæc virtualiter perſeverat. Et ideò vnicum tantum peccatum conſtituunt. Ita tenent Vazquez 1.2.diſput.75. cap.2. & de Pœnitent.diſput.91.artic.1.dub.5. num.12. D.Bonavent.in 2.diſtinct.41. artic.1. quæſt.3. Cayetan. tom.1. opuſc.17. quæſt.3. Penſatius punct.2. quæſt.20. artic.3. diſput.1. verſicul.*Secundo dico*. Navarr.in Summ.cap.6. num.16. & in cap.*Conſideret*, diſtinct.5. num. 48. Henriquez lib.2.de Pœnitent. cap.5. Salas tract.13.diſput.5.ſect.8.num.87. Bonacina de Peccatis, diſput.2. quæſt.4. punct.2. num.8. Sylv.verbo Peccatum 1. §. 2. Tapia tom.1. lib.3. quæſt.4. artic.2. à num.4. Prado cap.2. quæſt.5.§.3.num.30. N.Cornejo tom.1.in 1.2. tract.7.diſput.3.dub.13.num.28.& alij.

Quot peccata committat qui per annum ſtatuit non reſtituere.

37 Colligitur tertiò: quod qui ſtatuit non reſtituere rem alienam, ſi non retractat efficaciter voluntatem, vnicum peccatum committit, & ſi per vnum annum in ea voluntate perſiſtat, pluriesque idem propoſitum repetat: imò & ſi interim offerantur occaſiones reſtituendi, vel alienetur, aut conſumatur res, aut debitor impotens reddatur ad reſtituendum, aut ſomno ſe tradat, vel alio diſtrahatur. Et ratio eſt, quia illa prior voluntas virtualiter permanet in ipſa retentione, & læſione rei alienæ, quæ exiſtit, donec fiat reſtitutio, & ex illa prima voluntate oriuntur, & dimanant ſequentes voluntates. Sic docent Salmanticenſ. Scholaſt.tom.3. tract.11. diſput.5.dub.5.num. 32.& 40.Lugo de Pœnitent.diſput.16.ſect.14. num.548. Diana plures referens 1. tract.7. reſolut.58. & 2.part.tract.16. reſolut.25. & alij, quos ſequuti ſumus in hoc Curſu Morali tomo 3.tract.13.cap.1.punct.14. num.264. Et inſuper eam tenent Trullench lib.7.cap.14.dub.10. num.7. & cap.5. dub.3. contra Vazquez 1. 2. diſput.75. cap.2. & 3. Suarez 3. part. tom.4. diſput.22.ſect.5. Palaum loc.cit. num.2. contendentes voluntatem interrumpi per ſomnum, & per inadvertentiam; ſed hæc interruptio nimis methaphyſica eſt, non vero moralis & ad multiplicanda peccata conducens. Imò addit Lugo num.551. quod ſi retractatio voluntatis ſit breviſsima, ita vt ſtatim iterum decernat non reſtituere, aut retinere rem alienam, non interrumpitur illa prima voluntas. Et exemplum ponit in eo, qui die ieiunij, in fine prandij decernit amplius non commedere: ſi enim antequam è menſa ſurgat, commedit aliud ferculum, tunc hæc commeſtio, & voluntas comedendi non diſcontinuantur à prima; quia hæc adhuc poſt retractationem permanet moraliter ratione loci, & temporis, vt docent Villalobos in Summ. tom.1. tract.23. difficult.6. num.2. & alij, quos refert Diana tom.1. part.1. tract.9. reſolut.32. Et idem dicendum eſt de eo, qui in die veneris commedit carnes, ſi poſt finitum prandium, immediatè aliud ferculum miniſtraretur, quia tunc vnica tantum comeſtio peccaminoſa eſſet.

Quãdo actus voluntatis permanere virtualiter dicantur.

38 Sed ſi denique ſcire cupis, quando iſti actus voluntatis permanere virtualiter iudicantur? Pro reſolutione ſupponere debes, eſſe aliquas interruptiones breves, & communes, vt quæ fiunt per ſomnum, inadvertentiam, aut brevem morulam, vt per lectionem epiſtolæ. Alias eſſe extraordinarias, & diuturnas, in quibus moraliter præſumitur primam intentionem perſeverare non poſſe, vt interruptio per menſem, Sabbatum, diem, aut horam, ſecundum qualitates actionum exteriorum. ¶ Deinde ſupponendum eſt, inter peccata externa, ad quæ tendunt illi actus voluntatis, eſſe aliqua, quæ longius, alia, quæ brevius durant, ſeu maiorem, & minorem admittunt extenſionem, vt contumeliæ, & iniuriæ peccata maiorem admittunt latitudinem, quam odium proximi, & furtum. ¶ His ergo ſuppoſitis, dicendum eſt, quod, licèt in hoc certa regula aſsignari non poſsit; tamen tunc voluntatis actus cenſetur permanere moraliter, quando tantum diſcontinuatur per interruptiones breves, & communes; & ideò furandi, aut fornicandi intentio permanet virtualiter in æſtimatione morali, & ſi diſcontinuetur per ſomnum, comeſtionem, lectionem epiſtolæ, amici ſalutationem, & ſimiles interruptiones; vnde, eſtò poſt eas iterum repetas hoc pravum propoſitum, vnicum peccatum committis: quia, cum prima voluntas permaneat virtualiter, vnitur, & continuatur cum ſecunda.

da. At si discontinuatur actus voluntatis per interruptiones extraordinarias, & diurnas, tunc non censetur prima voluntas virtualiter permanere. Quare si commedas, transactis vna, aut duabus horis post prandium hæc secunda voluntas, & comestio est moraliter discontinuata à prima, & sic, si fiat in die ieiunij, erit peccaminosa: quia illa interruptio censetur apud homines nimis diurna, impotensque ad constituendam vnicam comestionem, & vniendum duplicem illum actum voluntatis. Idemque dicendum est de eo, qui hodie intendens, & quærens inimicum ad occidendum, & non inveniens, iterum post mensem intendit illum occidere: quia ob diurnam illam interruptionem, censetur illa prima voluntas interrupta moraliter, & sic secunda constituit novum peccatum numericè distinctum à prima. Et hæc sunt, quæ in hac implexa materia de distinctione numerica peccatorum iuxta primam illius radicem cum maiori claritate, & probabilioritate statuere potuimus.

§. II.

Secunda radix distinctionis numericæ peccatorum est diversitas totalis, & integra obiectorum.

Ex diversitate numerica obiectorum sumitur multiplicitas peccatorum.

39 TRadita prima radice, à qua provenit distinctio numerica peccatorum, restat agere de secunda. Dicimus ergo multiplicari numero peccata, si versentur circa obiecta plura integra, & totalia numero distincta, & hoc est verum, sivè sit per vnicum actum, internum, aut externum, sivè per plures. Explicatur conclusio. Dicimus multiplicari numero peccata, si versentur *circa obiecta plura integra*, quia si obiectum non sit integrum, sed pars alterius, seu ordinatum ad constituendum cum alio aliquod totum, nequit multiplicare peccata. Addidimus, *numero distincta*, quia si distinguantur specie, tunc multiplicabunt peccata non solum numero, sed etiam specie. Vltimò diximus, *sivè sit per vnicum actum internum, aut externum, sivè per plures*: quia regula tradita de omnibus loquitur, & verificatur. Sic nostra conclusio intellecta probatur. Peccata distinguntur specie pœnes obiecta specie distincta: ergo debent numero distingui pœnes obiecta totalia, & adæquata numero distincta. Patet consequentia. Tum, quia peccata distinguntur specie ex obiectis, quia ordinantur ad illa, in quantum sunt specie diversa; sed etiam ordinantur ad obiecta, in quantum sunt tantum numero diversa: ergo sicut à diversitate specifica obiectorum, distinguntur specie, ita à distinctione numerica illorum, distinguntur numero. Tum etiam, quia peccatum est motus, aut quasi motus tendens in obiectum; sed motus sumit suam vnitatem numericam à subiecto, & termino: ergo peccatum sumit suam vnitatem, & distinctionem numericam ab obiecto. Ita tenent Azor tom. 1. Instit. Moral. lib. 4. cap. 4. quæst. 3. 5. & 6. Ægidius Coninch disput. 7. de Pœnitent. dub. 6. Lopez 1. part. instruct. cap. 29. §. *Tertio dico.* Salas tom. 2. in 1. 2. quæst. 73. tract. 13. disput. 5. sect. 13. num. 107. Vazquez 1. 2. quæst. 75. cap. 1. & 2. num. 7. & 10. Tapia tom. 1. lib. 3. quæst. 4. artic. 3. Montesinos tom. 1. in 1. 2. disput. 28. quæst. 4. dub. 3. Sayr. lib. 2. cap. 5. num. 14. Diana 3. part. tract. 4. resolut. 164. & 1. part. tract. 7. resolut. 29. & 9. part. tract. 9. resolut. 55. plures alios citans. Trullench lib. 5. in Decalog. cap. 5. dub. vltim. num. 7. N. Anton. Direct. Confess. tract. 5. disput. 9. sect. 1. num. 645. Caramuel in Theolog. Fundament. num. 740. Lugo de Pœnitent. disp. 16. num. 358. & alij.

Qui extrahit simul duos homines ab Ecclesia, vel qui blasphemat contra duodec. Apostolos vnì cum peccatum committit.

40 Ex qua conclusione infertur primò: quod, si Iudex Sæcularis duos homines eadem actione morali extraheret ab Ecclesia, vnicam excommunicationem incurreret: quia talis extractio est prohibita ob reverentiam debitam loco sacro, & sic per vnicam actionem, vnicè violaretur. Sic docuimus tract. 10. cap. 1. punct. 14. num. 180. ¶ Infertur secundò, iuxta dicta loc. cit. num. 183. quod si quis vnico, aut pluribus actibus successivè blasphemaret contra duodecim Apostolos, vnicum peccatum committeret, quia irreverentia Sanctis irrogata est moraliter vna, cum conveniant in vna ratione, ob quam sunt digni veneratione. Et ideò obiectum formale, & totale est vnicum, estò obiectum materiale sit multiplex. Ita docent plures Authores ibi relati.

Qui eodem tempore aliquem diversis contumelijs afficit, semel peccat.

41 Infertur tertiò: quod, si eodem tempore plures blasphemias in Deum effucias, aut diversis verbis contumeliosis afficias aliquem, dicendo esse furem, adulterum, homicidam, &c. vnicum peccatum committis, quia, licèt materialiter specie distinguantur, tamen moraliter conveniunt in eo, quod lædant honorem, & sic sunt partes vnius obiecti totalis pluribus blasphemis, & contumelijs lacesiti, & alias non interrumpti moraliter. Vnde *Glossa in cap. Lotharius, distinct. 31.* quæst. 2. ait, quod qui vno impetu in iudicio ter appellavit, semel appellasse dicitur. Et in *leg. Cum quæstio, Cod. De legatis, §. Sed & alia*, dicitur, qui eamdem rem cuipiam in testamento bis, aut ter legavit, proinde est, ac si semel legaverit. Ergo idem dicendum est de blasphemijs, & contumelijs continuo prolatis. Quam sententiam sequuti sumus tract. 6. cap. 8. num. 74. & 75. Et præter ibi relatos, tenent Navarr. in Summ. cap. 6. num. 17. & 18. Simancas in Instit. cap. 8. & probat ex leg. *Inficiendo, §. Infans, ff. De furtis.* Covarrub. 2. variar. cap. 10. num. 8. Tapia loc. citat. num. 6. Fagundez de Pœnitent. lib. 3. cap. 5. num. 3. Leander de Pœnitent. disput. 8. §. 3. quæst. 10. plures alios referens, Dicastillo disput. 9. num. 77. N. Anton. disput. 9. num. 653.

Si contumelias dicas contra plures homines plura committis peccata.

42 Infertur quartò: quod, si has contumelias dicas contra plures homines, tot committis peccata, quot sunt subiecta contumelijs affecta, quia respectu iniuriarum, sivè sit in honore, sivè in alijs, diversitas cuiuscumque subiecti est integra, & adæquata. Et ratio est, nam peccati multiplicatio attenditur secundum diversum damnum, quod infertur, & damnum diversum secundum diversum ius

damnificatum; sed ius, quod habet Petrus ad suum honorem est diversum ab eo, quod habet Paulus: ergo damnum illatum Petro, est diversum ab illato Paulo: ergo est diversum peccatum. Huic sententiæ adhæsimus tract.10. cap.1. punct.14. num. 183. tenent etiam Bonacina de Sacrament. disp.5. quæst.5. sect.2.punct.2.§.3.difficult.3.num.16. Henriquez lib.5. cap.5. num.4. & alij apud Dianam 1. part. tract.7. resolut. 29. Filliucio tom.2. tract.21.cap.9.num.325. Iribarne in 4.tom.2. distinct.17.disput.15.sect.8.Azor tom.1.lib.4. cap.4.quæst.5. Vazquez tom.4.in 3.part.quæst. 91.artic.1.dub.4.num.10.& alij.

Qui tres homines occidit, tria committit peccata.

43 Vnde infertur quintò: quod, si quis vnico actu tres homines intendat occidere, aut de facto occidat, tria peccata numero distincta committat. Sic tradidimus tract.6. cap.8. num.5. & tract.10.cap.1.num.185. quia vt diximus, diversitas actionis moralis contra iustitiam, sumitur ex diversitate iuris læsi; sed in quolibet homine occiso, est diversum ius læsum: ergo, & diversa actio moralis peccaminosa. Vide Authores ibi citat. & insuper Tapiam num.7. Azor lib.4. cap.4. quæst.6. Vazquez de Pœnitent. quæst.91. artic.1. dub.4. E contra vero, si quis tribus incessanter ictibus hominem occidit, non committit tria peccata, sed vnicum: quia illi tres ictus sunt partes vnius homicidij, & ad illum ordinantur. Vnde *in cap.pro causa de sententia excommunicationis*, dicitur, quod ob verberationem Clerici factam in dormitorio, & continuatam per claustrum, vnica excommunicatio contrahitur: estò sint plures percussiones, quia reputantur vt vna. Sic Suarez de Censur. disput.5. sect.3.num.8. Sayr.lib.1.cap.10.num.9. Vgolin. tab.1. cap.16. §.3. Bonacina disput.2. de Peccatis, quæst.4. punct.2. num.11. Navarr. de Pœnitent. cap. *Considereat*, num.46. Azor lib.4. cap.4. quæst.5. Caramuel in Theolog. Fundament. fundament.29. num.732. N. Anton.loc.cit. num.649. Dicastillo de Pœnitent. disput.9. num.73. Lugo disput.16. num.544. Perez disput.36.sect.3.num.2. & alij.

Si oves diversorũ dominorum furaris, diversa peccata facis.

44 Infertur sextò: qui vnico actu plures oves, aut vobes plurium dominorum furatur, licèt ex eodem grege, tot peccata numero distincta committit, quot sunt domini; cum lædat illa actione iura multorum realiter numericè distincta. Ita Azor lib.4. cap.4. quæst.5. Molina tom.4.disput.41.num.4. Henriquez lib. 5.cap.5.num.4.& insinuavimus tract.10.cap.1. num. 183. estque contra Tapia lib.4. tom.1. quæst.4. articul.3.num.8. Sed si essent vnius domini, qui illas diversis vicibus eadem nocte expilaret, vnicum peccatum committeret, quia moraliter non discontinuantur furta, & alias sunt partes vnius furti totalis. ¶ Infertur septimò: qui vnico actu statuit non ieiunare tota quadragesima, aut toto mense non recitare divinum officium, tot peccata committit, quot sunt ieiunia quadragesimæ, & mensis dies: quia illa obiecta sunt totalia, & numero distincta. Et similiter, qui eadem nocte pluries coit cum muliere, pluries etiam mortaliter peccat: nam copulæ non accipiunt distinctionem à fœmina, sed à delectatione venerea, quæ in qualibet copula est distincta totaliter ab alia, & sic constituunt distincta peccata. Ita docent Borgia quæst.6.num.13.in suis quæstionibus selectis. N.Anton.de Pœnitent.tract. 5.in Direct.Confes. disput.9. sect.1. num.650. Caramuel in Theolog. Fundam. num.740. & communiter Doctores.

Tactus antecedentes, & subsequẽtes ad copulam vnicum peccatum sunt.

45 Infertur octavo: non solum tactus, oscula, antecedentia ad copulam, sed etiam subsequentia, imò & delectationem immediatè subsequutam de copula habita, vnicum peccatum constituere: quia sunt partes integrantes, & complentes copulam illam. Vnde videmus, quod nullus iudicat se teneri confiteri delectationem actualem, quæ est in copula: ergo nec etiam immediatè subsequentem, quia hæc, sicut illa est pars vltimo complens copulam. Ita Navarr.in Summ.cap.6.num.16. & 17. Lugo de Pœnitent.disput.16.num.553. & 555. Leander disput.8.§.6.quæst.9. Ioann. Sanchez disput.6.num.6. Moya in Select. tom. 1.tract.3.disput.2.quæst.1.num.24. & alij contra Suarez, & Vazquez. ¶ Sed sunt hæc intelligenda, quando tactus, oscula, & delectationes subsequuta non fiunt animo alterius subsequentis copulæ, tunc enim multiplicant peccata. Si vero sine prædicto animo fiant, communiter docent Doctores non esse distinctum peccatum. Ostenditur alio exemplo doctrina tradita: si quis occidat inimicum, & statim gaudeat de morte, iuxta communem sententiam, non committit distinctum peccatum: ergo idem dicendum erit de delectatione copulæ immediatè habitæ. Ita Henriquez lib.5.Summ.cap.5.§.5. Salas tract.13. disp.5. sect.8. num.91. Azor loc. cit. quæst.6. in fine, & alij apud Lugo, Dicastillo de Pœnitent. disput.9.num.72.N.Anton.disput.9.num.649. ¶ Nota tamen contra Moyam in Select.tract. 3.disput.2.quæst.2. referentem pro se Delgadillo, & Oviedo; & insuper contra Leandrum de Pœnitent. disput.8. §.6. quæst.10. quod, si quis deosculatur fœminam sine animo fornicandi, & postea mutato animo eam carnaliter cognoscit, committit duplex peccatum mortale, ac proinde, vt distincta esse explicanda in confessione. Et ratio est, quia licèt tactus, & oscula habeant suam malitiam in ordine ad copulam, tamen diverso modo opponuntur virtuti castitatis; copula enim opponitur, vt actus consumatus, at oscula, & tactus opponuntur non solum, vt dispositiones ad illam ob periculum, quod afferunt, sed etiam ob delectationem turpem, quam in se, & ex se habent; quare si in ipsis sistitur, quando ab operantis intentione non ordinantur ad copulam, constituent distinctum numero peccatum à copula. Et ideò hanc propositionem ordine 40. damnavit Alexand.VII. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.* Quod explicari licèt in eo, qui haberet animum solum graviter aliquem vulnerandi, & post vulnus inflictum, cum alio vulnere graviori percuteret, & occideret; tunc enim duplex peccatum absdubio committeret, vnum percussionis gra-

gravis , & alterum homicidij : ergo eodem modo dicendum est in casu posito. Et in hoc sensu dicta defendunt Navarro in cap. considereret , num.48.& in Summ.cap.6. num.16. Canus de Relect. de Pœnitent. punct.5. §. *Hinc, & aliud.* Vazquez de Pœnitent.quæst.91.artic. 1.dub.5. num.27. Hurtado disput.9. diffic.6. Lugo disput.16.sect.14. num.556. Diana tomo 5.tract.4.miscell.resolut.205. Dicastillo de Pœnitent.disput.9.num.96. N.Anton. de Pœnitent.tract.5. in Direct.Confes. disp.9. sect.1. num.649.& alij.

Qui plures confessiones successivè audit in peccato mortali vnicum peccatũ mortale committit.

46 Infertur nonò : eum , qui in peccato mortali plures confessiones successivè audit, vnicum peccatum mortale committere , quod sic ostenditur : quia illæ omnes actiones , licèt materialiter sint diversæ , tamen in ordine ad irreverentiam Deo , & Christo factam , cuius Sacramenta irreverenter tractantur , adunantur formaliter ; quia non fit irreverentia iuri alicui residenti in Sacramentis , sed iuri existenti in Authore Sacramentorum , & alias ex fine , & intentione agentis non separantur: ergo , sicut qui successivè plura vasa sacra furatur , vnicum peccatum committeret , ita & semel peccaret , qui culpa gravi infectus plures homines simul absolveret : ita dicendum est de eo , qui successivè plures confessiones in peccato mortali audiret. Ita docuimus tom.2. tract.10. cap.1. punct.14. num.182. cum Rodriguez , Lugo , Diana , Fagundez , Leandro ibi citat.& insuper eam tenent Remigius tract. 5.cap.5.§.20. Ludovicus à Concept. in Exam. Verit.Moral.tract.5.de Pœnitent.illat.10.

Diversitas præceptorũ non multiplicat malitias , nisi quando habent obiecta num. distincta.

47 Vltimò infertur ex hucusque dictis, peccata non multiplicari numero ex diversis præceptis præcisè , nisi quando talia præcepta prohibent diversa obiecta numero distincta, vel quando prohibent eamdem rem sub diversa ratione formali numero distincta. Exemplum primi casus , est , quando quis vno ictu occidit multos homines , quorum occisio est prohibita in particulari , quatenus quælibet persona est numericè ab alia distincta : & sic multiplicantur peccata in illis , non præcisè, quia prohibitæ sunt tales occisiones lege divina , naturali , & humana , sed quia sunt obiecta numericè distincta. Exemplum secundi casus, est , in adultero , qui rem habet cum adultera , vbi præter peccatum simplicis fornicationis , est aliud duplex peccatum numero distinctum contra iustitiam , quia nimirum idem adulterium est prohibitum sub diversa ratione formali solo numero distincta , nempè propter iniustitiam , quam infert propriæ vxori , & propter iniustitiam , quam infert marito alterius , quam adulterio polluit. Ex qua doctrina alij plures casus deduci possunt. Sed quia brevitatem amamus , posita sufficiant.

Argumentũ primum cõtra conclusionem , & illationes.

48 Sed contra nostram conclusionem , & illationes deductas , sic arguitur primò : qui intendit totam familiam occidere , non committit tot peccata , quot sunt homines illius familiæ : ergo , qui vno ictu tres homines occidit , vel in bonis temporalibus graviter per furtum damnificat , non committit plura peccata , nec consequenter iniuriæ multiplicantur secundum diversa obiecta integre damnificata. Cætera constant , & antecedens ostenditur primò : nam familia in iure pro vnica persona reputatur , leg.1. ff. *Si familia furtum fecisse dicatur.* Sed qui intendit occidere vnam personam , vnicum peccatum committit : ergo qui intendit totam familiam occidere , vnicum peccatum committit. Ita docent Bonacina de Peccat.disput.2.quæst.4.punct.2. num.1. Filliuc. tract.21. cap.8. quæst.12. num.320. Navarr.in Summ.cap.6. num.18. in nova edit. Ludunens.vers.Infertur 4. ¶ Probatur secundò idem antecedens : sicut domus est quoddam totum ex pluribus partibus constans , ita familia est collectio multarum personarum; sed qui totam domum vellet comburere , vnicum peccatum committeret : ergo , & qui occidere intenderet totam familiam. Confirmatur ex Bonacina. Qui profert vnam blasphemiam in duodecim Apostolos dicitur vnicum peccatum committere : ergo non tot sunt peccata , quot obiecta , in quæ vnicus actus tendit.

Respondetur.

49 Ad argumentum respondetur , quod licèt fictione iuris familia vna persona dicatur, tamen re vera plures personæ in ea sunt , & consequenter plura peccata omnes illas occidere : sicut , si quis vellet totum exercitum occidere , nemo dicet plura peccata non committere ; & tamen exercitus est collectio plurium personarum : ergo estò familia sit plurium personarum collectio , qui eam intenderet occidere tot , quot in illa personæ , peccata committeret. Præterea : si in ea familia essent aliqui clerici , talium occisiones essent peccata sacrilegij specie distincta à cæterorum homicidijs: ergo quia occisio totius familiæ non est vnicum peccatum , sed multiplicatur , & distinguitur secundum speciem , & numerum personarum , quæ in illa sunt. Neque nos vrget paritas combustionis domus , aut aliæ similes, quales sunt furtum totius bibliothecæ , tritici cumuli , vel gregis ovium , quorum furtum vnicum peccatum est : quia in his partes totum componentes sunt verè partes illius : at in familia , personæ componunt illam non vt partes , sed vt personæ , quarum quælibet est quoddam totum distinctum ab alia , & vt sic prohibetur occidi quinto Decalogi præcepto. Quare si prædictæ domus partes non acciperentur vt partes , sed vt totum distinctum ab ipsa domo , tunc illarum combustio esset peccatum distinctum , sicut diximus agendo de grege ovium ad plures dominos pertinente, vbi ratione diversi dominij , & iniustitiæ illatæ, sunt plura peccata illum abigere. Ita docent Azor lib.4. cap.4. quæst.3. Salas 1. 2. tom.2. tract.13. disput.5. sect.6. num.65. Ad confirmationem patet ex dict.num.40.illat.2.

Secundum argumentũ.

50 Sed replicabis , & erit secundum argumentum. Si quis lædat ius , quod habet aliqua communitas , aut civitas ; v. gr. possidendi , aut eligendi , non committit tot peccata, quot sunt personæ illius communitatis , aut civitatis ; & tamen omnes personæ damnificantur , cum sint partes illius in quantum personæ : ergo non multiplicantur peccata , quot sunt personæ damnificatæ , aut occisæ. ¶ Confirmatur , actus , quo quis vult dare eleemosynam

nam decem pauperibus, non habet tot bonitates, quot sunt obiecta: ergo neque actus, quo quis vult decem homines occidere, habebit tot malitias, quot sunt personæ damnificandæ.

Respõdetur. 51 Ad hanc replicam, quæ non levem continet difficultatem, vt respondeamus, notandum est: quod ius alicuius communitatis potest dupliciter ad illam pertinere. Vel vt communitas est, & per modum vnius, vel vt diversa capita in ea sunt. Primò modo competit ius communitati per se primò, vt est quædam persona ficta, sed individuis illius in particulari, & in se nullum ius competit. V.gr. Civitas, aut Capitulum, vel Religio habet ius eligendi, nominandi, aut possidendi; hoc ius competit illis Communitatibus secundum se, & vt vna persona ficta sunt, & nullo modo competit individuis illius in particulari, & sic totum ius residet vnicè in Civitate, Capitulo, aut Religione. Vnde oritur, quod, si quis lædat prædictum ius, tunc vnicum peccatum committit: quia licèt sint physicè plures patientes damnum, tamen solum læditur ius Communitatis, quod vnicum est. Secundò modo competit ius communitati, non vt Communitas est, sed vt diversa capita sunt, vnumquodque habens ius suum; taliter, quod ius illud primò competat individuis illius, & ratione illorum Communitati. V. gr. Infamatur aliqua familia, quod sit ex genere Iudæorum, aut Hæreticorum: tunc hoc dedecus non tangit familiam, vt Communitas est, sed personas particulares illius familiæ, quia hæc non est capax huius infamiæ, nisi quatenus singulæ illius personæ sunt capaces similis dedecoris. Quare si iniuste talis familia infamatur, tot sunt peccata, quot illius individua, cum ius, quod quælibet persona illius familiæ habet suæ famæ servandæ, lædatur; & ius cuiuscumque individui sit totaliter distinctum ab alio. Per quod iam patet ad argumentum. Quia ius, quod habet Capitulum, aut Civitas pertinet ad illam, vt Communitas est; & sic nihil mirum, si peccata non multiplicentur iuxta numerum personarum: at ius, quod quilibet habet ad conservandam vitam est proprium personæ, & ideò toties quoties læditur, committitur distinctum peccatum.

Qui vult dare plures eleemosynas, elicit vnicũ actum virtutis.

52 Ad confirmationem respondet Navarrus in cap. *Consideret*, quem sequuntur aliqui moderni, negando antecedens, iudicat enim tot esse bonitates in actibus virtutum, ac malitias in vitijs; & quod, sicut diversitas obiectorum multiplicat malitias in vitijs, ita & bonitates in virtutibus. Sed melius respondetur cum Dicastillo de Pœnitent. disp. 9. num. 249. esse disparitatem magnam inter virtutes, & vitia. Virtus enim non sumit suam vnitatem, & bonitatem ab affectu, & effectu, sed à motivo; v.gr. virtus eleemosynæ non multiplicatur ab effectu dandi plures eleemosynas, sed à motivo honestatis illarum: vnde si velis decem eleemosynas dare vnico actu, & per modum vnius obiecti ob vnicum motivum, erit tantum vnicus actus virtutis, licèt in elargatione sint plures eleemosynæ. At peccata multiplicantur ad multiplicationem effectuum, seu damni proximo illati voluntariè saltem indirectè, nec requiritur quod directè illud amet, sed sat est, si indirectè illud velit, alia amando. Quare qui cognoscit effectus pravos esse plures, & si eos velit directè ob vnicum motivum, tamen censetur eos indirectè velle, vt plures, quia ad indirectè peccata amandum, sufficit illa cognitio. Vnde cum contrarium accidat in virtute, quæ debet amare effectus bonos reduplicativè ob honestatis propriæ motivum; hinc est, quod qui intendit dare decem eleemosynas, vnicum virtutis actum elicit: at qui decem homines vult occidere, plures actus pravos operetur, & consequenter tot peccata committat. Videantur à nobis dicenda tract. 21. cap. 10. punct. 4. à num. 33.

Tertium argumentum, & eius solutio.

53 Arguitur tertiò: qui vult occidere multitudinem hominum, cuius numerum ignorat, non committit tot peccata, quot sunt homines in illa multitudine, cum *nihil volitum, quin præcognitum*; & tamen essent plures personæ damnificatæ in affectu: ergo non multiplicantur peccata iuxta numerum personarum, quæ læsionem patiuntur. Respondetur facilè, negando maiorem: quia qui vult occidere multitudinem hominum, saltem in confuso cognoscit personas illius; quæ cognitio confusa sufficit vt tot peccata committat, quot homines apprehendit. Nemo enim vult occidere multitudinem, quin in illa apprendat saltem confuse numerum occidendorum; v.gr. posse esse centesimum, aut octogesimum plus, minus vè, aut saltem timeat ad illum posse pervenire: & hæc confusa apprehensio, aut timor prudens sufficit ad multiplicanda peccata iuxta numerum apprehensum.

Quartum argumentũ.

54 Arguitur quartò: qui eadem nocte plures copulas cum eadem amasia habuit, plura peccata commisit, vt omnes defendunt contra Zanardum in Direct. Confes. punct. 1. de Sacrament. Pœnitent. cap. 18. ergo, qui plures contumelias simul evomit, aut indignè plures confessiones successivè audit, plura peccata committit. Patet consequentia. Nam ideò primum est verum, quia fornicatio completur in vnica copula, sed etiam contumeliæ, & confessiones complentur in vnico verbo contumelioso, & in vnica absolutione, cum vna ad aliam non ordinetur: ergo si in primò casu sunt plura numero peccata, etiam erunt in secundò.

Traditur solutio præcedentis argumenti.

55 Ad hoc argumentum, cuius non levem difficultatem Caramuel in Theolog. Fundament. fundament. 29. num. 733. fatetur sensisse; respondetur cum Suarez tom. 5. in 3. part. disput. 5. sect. 3. num. 7. Constantino de Castro in Collectione Theolog. Moral. tract. 1. cap. 6. artic. 4. sect. 4. Bonacina de Censuris, disput. 1. quæst. 1. punct. 5. num. 6. & de Pœnitent. disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. difficult. 2. num. 7. Diana punct. 11. tract. 1. resolut. 2. Notando quod sunt aliqua peccata, quorum actiones habent terminum præfinitum, in quo complentur, nec vltra possunt progredi: talis est fornicatio, pollutio, homicidium: vna enim fornicatio non ordinatur ad aliam, & idem dicendum est de pollutione, & homicidio, neque ex eo, quod sequatur secunda fornicatio, prima intenditur, aut perficitur, sed æquæ per-

perfecta est, ac si aliæ non subsequerentur: & in his multiplicatis actionibus, multiplicantur peccata. Alia vero peccata sunt, quorum actiones non habent terminum definitum, sed indefinitum, & incertum: vt percussio, quæ amplius, & amplius vsque ad mortem, in qua completur, potest extendi, & sic vnica percussione potest mors induci, sicut per plures. Et in his, quando moraliter continuantur ex eodem impetu, aut tempore, non multiplicantur peccata. Vnde vnicum peccatum committit, qui pluribus ictibus continuatis hominem interfecit. Et idem explicari poterat in actionibus continuatis extrahendi triticum ex eodem horreo, & libros ex eadem Bibliotheca, quæ sunt actiones termino definito carentes. ¶ Ex quibus iam liquet ad argumentum, ad quod respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam; & disparitas stat in eo, quod actio fornicandi habet terminum definitum; è contra vero actio absolvendi terminum indefinitum habet. Nam Confessarius eadem absolutione posset simul plures absolvere, nec completur omnino in absolutione illius: vnde estò multiplicentur actiones absolvendi, seu excipiendi indigne multorum confessiones, vnicum peccatum committitur. Videantur dicta tract.10.cap.1.punct.14.num.181. & 182. De contumelijs statim dicam.

Fit satis paritati plures contumelias in alterum simul evomentis.

56 Ad paritatem desumptam ex contumelia (& idem dici potest de alijs actibus, qui in ore consumantur) respondetur verba exterius prolata aliquando complere voluntatis actum, variando illum moraliter, & aliquando insinuare illum. In quibus hæc est differentia, quod, quando complent, sunt tot peccata, quot verba; secus vero, quando solum insinuant; tunc enim, si successivè repetantur, vnicum peccatum efficiunt. Explicatur exemplis. Si quis actum, quo vult occidere Paulum sæpius incessanter repetat, dicendo volo Paulum occidere, non committit plura peccata, sed vnum: quia illa verba, & si sæpius repetita, non complent, sed testantur voluntatem occidendi. Si quis vero proferat successivè plura mendacia, talia verba complent voluntatis actum, & non præcisè indicant: quare tot erunt peccata, quot sunt verba mendacia prolata. Ex quibus constat ad instantiam contumeliæ; istæ enim, & si sæpius repetantur eodem iræ impetu contra aliquem hominem, non constituunt plura peccata, sed vnicum: quia talia verba non complent, sed testantur mentem iniuriantis, & non constituunt plura peccata, testari sæpius medijs verbis habere actum pravum convitiandi. Quare, licèt illæ contumeliæ sint plures physicæ, tamen prolatæ in eadem rixa moraliter vniuntur in illo impetu voluntatis intendentis alium contumelijs afficere. At copulæ eadem nocte habitæ cum amasia, cum ex se sint completæ, eo ipso, quod sint physicè plures, multiplicantur etiam moraliter, cum nec inter se, nec cum alio vniri moraliter possint.

Vltimum argumentum.

57 Vltimò arguitur: secundum D.Thom. & doctrinam nostrorum Salmantic. Scholast. tom.1.tract.1.disput.2.dub.1.non potest dici, quod duo accidentia solo numero distincta queant esse in eodem subiecto, sed ex hucusque dictis, sequitur duas malitias morales esse in eodem actu: ergo doctrina in hoc puncto stabilita est contra D. Thom. & N. Salmantic. Hoc argumentum tangit difficultatem adeò gravem, vt iuste mereatur sequenti puncto illi satisfieri.

PUNCT. VI.

An in eodem actu possint esse plures malitiæ morales solo numero distinctæ?

Pro resolutione aliqua vt certa supponuntur.

58 PRo huius difficillimæ quæstionis decisione supponendum est primò: ex dictis àN.Salmantic.Scholast.tom.1.tract.1. disput.2.dub.1. duo accidentia physica solum numero distincta non posse esse in eodem subiecto: quia cum hæc individuatio sit materialis, debet sumi à subiecto: ergo si subiectum est vnum absque aliqua distinctione numerica, accidentia impossibile est numero multiplicari. Quare difficultas præsens est circa accidentia moralia. ¶ Pro quo supponendum est secundò: in eodem actu posse esse plures malitias specie diversas: quia cum vnitas specifica non sumatur à subiecto, sed ab obiectis sub diversa ratione formali inspectis, eo ipso, quod obiecta in esse talium specie distinguantur, poterit idem met actus habere plures malitias specie diversas. Vt patet in eo, qui habens votum castitatis, fornicatur, qui hoc vnico actu duo peccata specie distincta committit, vnum contra virtutem castitatis, & alterum contra virtutem Religionis ob diversos respectus oppositos his virtutibus. Et similiter si illam copulam haberet cum coniugata, adderet tertiam speciem malitiæ illi actui, nimirum contra iustitiam, violando matrimonij ius; in quo conveniunt communiter Doctores. Vnde difficultatis cardo solum vertitur circa distinctionem numericam, an scilicèt sicut in eodem actu physico videmus, esse plures malitias morales specie diversas, ita possint esse plures malitiæ solo numero distinctæ.

In eodem actu nō posse esse plures malitias morales, aliqui dicunt.

59 Circa quam difficultatem, prima sententia tenet, in eodem actu physico non posse, esse plures malitias morales solo numero diversas. Ita Suarez tom.4. in 3.part.disput.22. sect.5.num.34. Filliucio tract.21. cap.8. num. 320. Layman lib.1.tract.3.cap.3.num.2.Duardus in Bull.Cœnæ, lib.3. §.3. quæst.2. num.3. Megala in 1.part.lib.5. cap.12. num.4. Curiel 1.2.quæst.72. artic.6. dub.3. §.3. N.Cornejo, tom.1.tract.7.quæst.71.disput.5.dub.8.num.9. §.*Confirmatur*. Videtur etiam tenere. Expresè vero eam sequuntur Rodriguez tom.2. Summ. cap.82.num.9. Lugo de Pœnitent.disput.16.à num.131. Leander de Pœnitent.disput.8. §.3. quæst.19. 20.21. & 22.

Fundamenta huius sententiæ.

60 Probaturque primò Suarij argumento: quia malitia moralis est relatio transcendentalis respiciens obiectum, vt legi dissonum; sed rela-

relatio transcendentalis fundata in entitate vnius actus, nequit multiplicari ob materialem distinctionem obiectorum, cum indivisibiliter tendat in illa per modum vnius: ergo malitia moralis actus pravi, quo, quis; v. gr. vno ictu occidit tres homines, nequit multiplicari numero ob diversa obiecta, quæ per modum vnius respicit. ¶ Confirmatur, & explicatur. Licèt quodlibet ex illis obiectis sit sufficiens ad tribuendam distinctam malitiam actui, si solitarie ab illo inspiceretur; vt cadunt tamen sub tali actu, nequeunt illam tribuere, cum respiciantur per modum vnius: ergo talis actus per respectum ad illa diversa obiecta, non est capax habendi plures malitias. Alias rationes ponit Suarez desumptas ex eo quod actus, quo quis vult dare decem pauperibus eleemosynam, non habet decem bonitates: ergo nec actus, quo vult decem occidere, habebit plures malitias. Sed huic rationi iam puncto antecedenti satisfecimus. ¶ Probatur secundò: actus, quo quis vult ieiunare integram sacram quadragesimam, vnicam bonitatem habet: ergo etiam vnicam malitiam habebit actus, quo quis non vult talia ieiunia observare, cum sit privatio rectitudinis illius actus. ¶ Tertiò: quia iuxta Salmanticens. loc. citat. num.13. omnia accidentia, etiam transcendentaliter respectiva, vt habitus, & potentiæ, non individuantur ab obiectis, sed à subiectis: sed malitia moralis est accidens transcendentaliter respectivum, vt diximus cap.1. punct.1. à num.4. ergo tantum accipit suam vnitatem, aut distinctionem numericam ab actu, in quo recipitur: ergo si hic est entitativè vnus, non poterit habere plures malitias per respectum ad obiecta diversa.

Verius est posse esse in eodem actu malitias morales numero diversas.

61 Dicendum tamen est conformiter ad doctrinam traditam tom.1. tract.6. cap.8.puncto 1. num.8. in eodem actu posse esse plures malitias morales moraliter acceptas solo numero distinctas. Ita docent Vazquez in 3.part. tom.4.quæst.91.artic.1.dub.4.à num.4. & 1.2. disput.98.cap.3. Hurtado de Pœnitent.disput. 9.difficult.6. & de Peccat.disput.2. difficult.6. Salas 1.2.tom.2.tract.13.disput.3.sect.2.num. 19. Azorius tom.1.lib.4.cap.4. quæst.5. Henriquez lib.5. cap.5. num.4. Sayr. lib.2. cap.5. num.14. Granados controvers.6. de Peccatis, tract.2.disput.5.num.10. & de Pœnitent.tract. 9.disput.9.num.21. Diana 1.part.tract.7.resolut.17. & 3.part.tract.4. resolut.164. Dicastillus de Pœnitent.tract.8. disput.9. dub.4. & 5. Caramuel in Theolog.Fundament. fundament. 29.num.730. (Videat lector an sit sibi contrarius in Theolog.Regulari, disp.62. num.910.) Godoy tom.1.in 1.2.tract.3.disp.27. num.16.

Probatio ex D.Thoma.

62 Probatur primò nostra conclusio ex D.Thom. iuxta Angelicum Doctorem individuatio accidentis moralis non sumitur à subiecto, in quo recipitur: ergo possunt esse in eodem actu plures malitiæ morales solo numero diversæ. Consequentia patet: cum ob individuationem à subiecto doceant communiter Thomistæ, duo accidentia physica solo numero diversa non posse recipi in eodem subiecto. Antecedens probatur exD.Thom.in 2.distinct. 42.artic.1.vbi docet, aliqua esse plura physicè, & vnum moraliter; & è contra esse vnum physicè, & plura moraliter; sed hoc minimè posset fieri si accidentia moralia individuarentur à subiectis physicis: ergo &c.

Verba Divi Thomæ.

63 Sed quia verba D. Thomæ assumptum explicant, & dilucidant, fastidiosum non erit, hic ea transcribere. Inquirit ergo loco allegato, vtrùm voluntas peccati, & actus exterior sint duo peccata? Resolvit in corpore esse vnicum peccatum, & pro eius doctrina sic ait: *Sicut autem superius ostensum est, actus non ponitur in genere moris nisi propter voluntatem, scilicèt secundum quod est à voluntate elicitus, aut imperatus; & ideò secundum vnitatem voluntatis est sumendum iudicium de vnitate eius, quod in genere moris dicitur: vnde contingit aliquid quod est vnum in genere naturæ consideratum, vt vnum motum continuum, esse plures, secundum quod ad genus moris retorquetur, si voluntas in actu varietur, vt quando bona intentione quis incipit, & mala terminat, vt supra ostensum est.* En à D.Thom. probatam secundam partem antecedentis, scilicèt stare, quod aliquid sit vnum physicè, & multiplex moraliter.

64 Accipe etiam nunc quomodo prosequitur Angelicus Doctor ostendendo primam: *E contrario contingit esse actus plures secundum quod ad genus naturæ referuntur, qui tamen sunt vnum secundum quod in genere moris considerantur, vt patet in eo, qui furatur: quia omnes actus eius, qui ad finem furti ordinantur, peccatum sunt: cum mala intentione fiant, qui possunt valdè multi esse; & tamen omnes computantur vt vnum peccatum, quia non habent rationem peccati nisi secundum quod per vnam voluntatem in vnum perversum finem ordinantur*: ergo ex mente D. Thomæ stat aliqua esse vnum physicè, & plura moraliter; & è contra esse plura physicè, & vnum moraliter; & consequenter quod individuatio malitiæ moralis non sumitur à subiecto, seu actu physico, in quo recipitur, sed ab alio principio; vnde nulla est repugnantia, quod plures malitiæ morales solo numero diversæ in eodem actu physico reperiantur.

65 Confirmatur, nam cum in eodem loco argumento quintò Angelicus Doctor sibi obiecisset, quod vnum accidens non potest esse in diversis subiectis; sed actus interior est in voluntate, exterior vero in potentia movente organum: ergo non potest esse vnum peccatum, cum peccatum sit quoddam accidens. Sic respondet: *Ad quintum dicendum, quod peccatum sicut in primo subiecto est in voluntate, sicut supra dictum est: & ideò non est inconveniens, vt & peccatum in diversis actibus consistat, quia in quantum sunt actus, habent subiecta diversa, potentias scilicèt elicientes actum: in quantum vero ad genus moris pertinent, habent vnum subiecium voluntatem.* En quomodo D.Thomas distinguit in actu interiori voluntatis, & exteriori peccati formalitatem actus physici, & malitiæ moralis, & docet, quod formalitas vtriusque actus physicè sumpta requirit diversa subiecta; formalitas vero actus moralis, seu malitia moralis vtriusque recipitur in vnico subiecto scilicèt volunta-

tate: ergo ſicut hæc duplex malitia moralis actus interioris, & exterioris poteſt eſſe in eodem ſubiecto, ita etiam & plures aliæ malitiæ morales valent reperiri in eodem actu.

66 Similiter loquitur Angelicus Doctor quæſt.2.de malo, artic.2.in corpore, vbi poſtquam docet, deformitatem peccati inveniri in actu interiori, & exteriori, ſibi proponit ſequens argumentum in ordine 12. *Idem accidens non poteſt eſſe in duobus ſubiectis; ſed deformitas comparatur ad actum deformem, ſicut accidens ad ſubiectum: cum ergo vnius peccati vna ſit deformitas, non poteſt vnum peccatum conſiſtere in duobus actibus, ſcilicèt interiori, & exteriori.* Ad quod reſpondet: *Dicendum quod in vtroque actu conſiſtit deformitas peccati; ſed tamen vna deformitas eſt vtriuſque, quod ideò eſt, quia in vno eorum cauſatur deformitas ex alio*: ergo ſi non repugnat, quod vna malitia ſit in duplici ſubiecto, nec repugnat quod plures ſint in eodem actu.

Probatur à ratione.

67 Probatur ſecunda concluſio à ratione. Diſtinctio numerica malitiæ peccatorum non ſolum ſumitur à ſubiectis, ſed ab obiectis adæquatis, & integris ſolo numero diverſis, vt ſuprà diximus; ſed idem actus phyſicè ſumptus poteſt reſpicere plura obiecta integra, & adæquata ſolo numero diverſa: ergo poteſt ab eis accipere plures malitias ſolo numero diverſas. ¶ Deinde, malitia actus conſiſtit in reſpectu contrarietatis ad rationem, & virtutem; ſed actus pravus, qui verſatur circa plura obiecta ſolo numero diſtincta, dicit plures reſpectus contrarietatis ad rationem, & virtutem: ergo habet plures malitias. ¶ Confirmatur, & explicatur. Copula coniugati cum coniugata habet duplicem malitiam adulterij, ob iniuſtitiam factam propriæ vxori, & marito alterius, vt omnes fatentur, & ſic tenetur pœnitens illam circunſtantiam aperire; ſed hoc ideò eſt verum, quia dicit duplicem reſpectum contrarietatis ad virtutem iuſtitiæ ſolo numero diverſum: ergo quoties idem actus dicit plures reſpectus contrarietatis ſolo numero diverſos ad eamdem virtutem, habebit in ſe plures malitias ſolo numero diverſas; ſed dantur plures actus, qui plures reſpectus ſolo numero diverſos habent, vt actus, quo quis vult occidere decem homines, vel non ieiunare per totam quadrageſimam, & alij: ergo tunc habebunt plures malitias ſolo numero diverſas.

Vlterius à ratione aſſertio noſtra probatur.

68 Tertiò oſtenditur concluſio. Iuxta D. Thom.1.2.quæſt.18.artic.2.malitia peccati eſt velut quidam motus tendens in ſuum terminum, ſeu obiectum: ergo in eodem actu phyſico poterit eſſe duplex malitia moralis. Patet conſequentia. Ideò in eodem ſubiecto nequeunt eſſe duo accidentia phyſica ſolo numero diverſa, quia vnicè individuantur à ſubiecto; ſed malitia moralis, cum ſit motus, non individuatur vnicè à ſubiecto, ſed ab obiecto, ſeu termino: ergo ratione termini, ſeu obiecti, poterunt malitiæ multiplicari in eodem actu, & ſic eſſe in illo plures malitiæ ſolo numero diverſæ ob diverſos reſpectus ad diverſos terminos ſolo numero diverſos. ¶ Confirmatur. Licèt obiectum, ſi inſpiciatur præcisè vt obiectum, tribuat diſtinctionem ſpecificam actui, vt benè dicunt Salmant.Scholaſt. loc. citat. at quando inſpicitur ab actu non præcisè vt obiectum, ſed vt effectum, nihil obeſt, quo minus tribuat illi diſtinctionem numericam; ſed in actibus, in quibus dicimus poſſe eſſe plures malitias morales ſolo numero diverſas, obiecta diverſa non præcisè reſpiciuntur ab illis, vt obiecta, ſed vt effectus, vt liquet in actu, quo quis ſimul occidit tres homines, infamat, aut eorum bona furatur: ergo licèt in actu reſpiciente plura obiecta, vt pura obiecta, non poſsint eſſe malitiæ ſolo numero diverſæ, at in actu reſpiciente illa, non vt pura obiecta, ſed etiam vt effectus numero diverſos, poterunt eſſe plures malitiæ ſolo numero diverſæ. Tandem Caramuel loco citat. Theolog. Fundament. num.731. probat noſtram ſententiam hac ratione ad breviorem methodum redacta. Actus, quo quis v. gr. vult occidere quatuor homines, licèt ſit vnus phyſicè, eſt tamen quadruplex moraliter; ſed ſi eſt quadruplex moraliter, continet quatuor malitias morales, & complectitur quatuor peccata mortalia: ergo in eodem actu phyſico poteſt eſſe quadruplex malitia moralis.

Reſpondetur argumentis.

69 Ad primum argumentum, & confirmationem ex Suarez deſumpta reſpondetur, illud evidenter inſtando. Si quis eodem actu vellet occidere tres homines, quorum vnus eſſet Clericus, committeret duo peccata ſpecie diverſa; vnum homicidij, & alterum ſacrilegij, & tamen reſpiceret illos per modum vnius obiecti: ergo ſicut ad vnitatem, & diſtinctionem ſpecificam malitiarum non ſufficit reſpicere obiecta per modum vnius; ſed inſuper attenditur ad vnitatem, & diverſitatem ſpecificam obiectorum; ita ad vnitatem, & diſtinctionem numericam malitiarum, non ſufficit reſpicere obiecta per modum vnius, ſed inſuper requiritur videre an obiecta ſint totalia, & numero diſtincta. Quare ſicut obiecta prava ſpecie diverſa, quia opponuntur diverſis virtutibus, eſtò per modum vnius inſpiciantur ab vnico actu, tribuunt diverſitatem ſpecificam; ita obiecta prava numero diſtincta, quia eidem virtuti opponuntur per plures reſpectus ſolo numero diverſos, eſtò ab eodem actu inſpiciantur, vt vnicum obiectum, tribuent illi diverſitatem numericam malitiæ.

Secundo argumento reſpondetur.

70 Ad ſecundum, etſi pateat ex dictis puncto antecedenti num.52. inſuper reſpondetur, dicendo, privationes bonitatis non menſurari penes bonitatem actus, ſed ſecundum rationes cauſæ, quæ ſunt in illo, & effectus mali, qui ab eo cauſantur, aut efficaciter intenduntur. In actu ergo, quo quis vult frangere omnia ieiunia quadrageſimalia, aut de facto frangit, dantur plures rationes cauſæ, & effectus; nam cum violatio ieiunij primi diei, & vt diſtincti à ſecundo ſit ſpecialiter interdicta; in actu quo vult ea omnia non obſervare, aut de facto non obſervat, dantur plures rationes cauſæ, & effectus, & conſequenter plures privationes bonitatis actus præcepti. Quis enim negabit, quod privatio bonitatis, quæ eſt in actu, quo primi diei ieiunium frangitur, non ſit diſtincta ab ea, quæ eſt in actu, quo ſecundi diei ieiunium violatur? Ergo privatio-

nes bonitatis non mensurantur penes bonitatem actus abstinentiæ, quo vult ieiunia quadragesimalia observare, sed penes rationes causæ, & effectus actus, quo vult ea omnia frangere. Si autem in actu, quo vult quis per integram quadragesimam ieiunare, non est nisi vnica bonitas, ideò est, quia virtus vnitatem, aut multiplicitatem bonitatis sumit ab vnitate, vel multiplicitate obiecti motivi, quod propter se ipsum amatur: at peccatum accipit vnitatem, aut multiplicitatem malitiæ à multitudine effectuum, qui ad ipsum sequuntur, & in prædicto actu virtutis abstinentiæ, quo vult observare omnia ieiunia quadragesimalia est vnicum motivum, scilicèt virtutis abstinentiæ: at in actu, quo vult omnia illa ieiunia frangere, sunt plures effectus, & sic nihil mirum, quod primus actus habeat vnicam bonitatem, & secundus plures malitias contineat.

Tertio argumento fit satis.

71 Ad tertium dicendum est, N.Salmant. loco citat.tantum loqui de accidentibus absolutis, & respectivis physicè acceptis, non vero de moralibus, vel si etiam de his loquitur, accipit illa methaphysicè, aut physicè, non vero moraliter: quia, estò accidentia moralia, vel malitiæ morales, si physicè, aut methaphysicè sumuntur, individuentur præcisè à subiecto, sicut reliqua accidentia; at moraliter accepta individuantur principaliter ab obiectis, & sic per ordinem ad diversa obiecta, possunt esse plures malitiæ in vnico actu physico. Poterit etiam responderi, Salmantic. loqui de accidentibus respectivis, quæ respiciunt obiecta præcisè vt talia; non vero de respectivis, quæ respiciunt obiecta, etiam vt effectus, qualia sunt plura accidentia moralia.

Estò diversitas obiectorum nó multiplicet malitias, tamen est circunstãtia in confessione aperienda.

72 Pro huius dubij coronnide, nota, quod licèt Suarez, & alij Authores sententiæ contrariæ defendant in actu, quo quis plures homines occidit, aut occidere vult, malitiam vnicam esse; censent tamen teneri pœnitentem fateri in confessione tot obiecta, quot vult occidere: quia cum hoc sit circunstantia notabiliter aggravans, & in Suarij, & aliorum sententia, sint in confessione istæ circunstantiæ necessariò apariendæ, ideò iudicant debere pœnitentem pluralitatem obiectorum manifestare. Sed nos, qui probabilius docuimus tract. 6.cap.8. punct.2. num.23. tales circunstantias non esse necessariò confitendas, conformiter ad hanc doctrinam, dicere debemus in illo casu iuxta sententiam Suarez, & aliorum, talia obiecta non esse in confessione aperienda, & sic sufficere dicere: feci, aut intendi facere homicidium. Vnde, si hoc videtur parum tutum, agnoscant in quas angustias deveniunt, negantes in actu, quo tres homines simul occiduntur, plures esse malitias, & peccata numero distincta. Videantur Vazquez 3. part. tom.4. quæst.91. artic.10. dub.4. num.8. & Trullench lib. 5. in Decalog. cap.5. dub.4.

PUNCT. VII.

An detur in individuo actus humanus, & deliberatus, qui sit indifferens, hoc est, nec bonus, nec malus?

Pro decisione notantur aliqua.

73 LIcèt Salmant. Scholastici tract.11. disput.6. dub.2. de hoc latè disputaverint: quia tamen huius dubij resolutio valdè necessaria est ad plenam intelligentiam constitutionis, & distinctionis peccati; & alias plures Moralistæ in hac quæstione illud ad examen vocant, ideò hic breviter, methodoque morali agere de illo consentaneum duximus. Pro cuius intelligentia notandum est primò: in præsenti aliud vt certum supponi, & aliud in dubium vocari: nam vt certum supponitur, dari aliquos actus humanos indifferentes secundum suam speciem, hoc est, ex parte obiecti, qui nec sint boni, nec mali; quod, licèt Scotus negaverit in 2.distinct.17. quæst.vnica, §.*Sed primo dico*. At D.Thom.1.2.quæst.18. artic.8. expresè illud docet. ¶ Notandum est secundò: in titulo additum esse: *Actus humanus, & deliberatus* ad denotandum non esse in præsenti disputandum de actibus indeliberatis, & antecedentibus omnem libertatem: quia tales actus absdubio carent omni bonitate, aut malitia, quæ in libertate fundantur. His suppositis.

Sententia affirmativa cũ suis fundamentis.

74 Pater Vazquez 1.2.disput.52.cap.2. & 3. Becanus part.2. Summæ, tract.1. cap.5. quæst.6.num.4. Scotus, Almay. tract.1.moral. cap.14. dub.2. Angest. cap.8. suorum moral. & alij apud N. Salmantic. asserunt posse dari actum, qui nec sit bonus, nec malus, sed in individuo indifferens, quod probant primò à ratione. Nullum est præceptum naturale, aut positivum obligans ad ordinandum nostras actiones, quando liberè operamur, in finem honestum: ergo absque peccato possumus operari ob finem indifferentem; & sic talis operatio erit in individuo indifferens. ¶ Secundò sunt aliquæ actiones, vt *ambulare* (vtor verbis D. Hieronym. epist.89. ad August.) *digerere alui stercora, capitis naribus purgamenta proijcere, sputis reumata iacere: hoc, nec bonum, nec malum est.* Et maximè cum non tendant istæ actiones, & aliæ similes in obiectum, vt est consonum, aut dissonum rationi, sed tantum pro vt habent aliquam commoditatem ad naturam humanam: quare nec sunt materia voti, nec confessionis: ergo dantur actiones indifferentes in individuo. Tertiò: quia dabilis est in individuo omissio indifferens: ergo & actus ad omissionem terminata. Quartò: qui habet ignorantiam invincibilem referendi omnes actus in finem honestum, vel operatur cum inadvertentia naturali ad illud, vel saltem existimat hanc sententiam esse probabilem, potest ita exercere aliquam actionem indifferentem ex obiecto, vt scalpere barbam, aut levare festucam, sine aliquo bono, aut malo fine; sed tunc talis actus erit indifferens in in-

individuo : ergo saltem in hoc casu est dabilis talis actus.

Sententia negativa est vera.

75 Sed vera sententia docet, nullum posse esse actum deliberatum, qui sit indifferens in individuo, sed necessariò debet esse bonus, aut malus moraliter. Ita D.August.Basil. Gregor. D. Thom. & alij SS. PP. vt ipse Vazquez testatur, insuper eam tenent omnes discipuli D. Thom. nec non Suarez de indifferentia actuum voluntat.disput.9.sect.3. Salas disp.4. sect.2. Montesinos disput.25. quæst.2. Lorca disput.29. Azor tom.1. lib.2. cap.4. quæst.3. Navarr.in Summ.prælud.6. num.3. & cap.23. num.1. & cap.23. de vitijs capitalibus num.1. Bonacina de Peccatis, disput.2.quæst.2.punct. 4.& alij.

76 Probatur primò : nam loqui aliquod verbum indifferens sine honesto fine est peccatum, vt colligunt communiter Sancti ex illo Matth. 12. vers. 36. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Hoc est, quodcumque verbum, quod homines loquantur sine fine honesto, puniendi sunt de eo in die iudicij : ergo etiam erit peccatum, facere aliquod opus indifferens sine honesto fine : patet consequentia, cum opera plus sint, quam verba. Vnde D.Hieronym.Psalm.16.super illud vers.*Vt non loquatur os meum opera hominum.* Ita concludit : *Si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus hominum; nam plus est facere, quam dicere.* Secundò ostenditur. Quando homo agit ex deliberatione, agit vt rationalis, & in quantum distinguitur à brutis : ergo tenetur agere propter finem proprium rationis; sed finis proprius rationis est bonum honestum, vt distinguitur à bono delectabili, quod est proprium brutorum : ergo tenetur semper agere ob finem honestum : ergo si quando homo agit circa obiectum indifferens non refert illam actionem ad finem honestum, abs dubio non operabitur, quod tenetur, & consequenter peccabit. ¶ Confirmatur. Agentia naturalia agunt iuxta principia propria naturæ, & conformiter ad finem naturæ consonum : ergo agentia libera, quando ex deliberatione operantur, tenentur ordinare suos actus ad finem naturæ rationali consonum; sed hic est bonum honestum : ergo tenetur per ordinem ad illud operari, & si secus fecerint, eorum actiones erunt defectuosæ, & peccata. Ex quo patet ad argumenta.

Respondetur primo argumento.

77 Ad primum respondetur, dari præceptum naturale ordinandi nostras actiones in finem honestum : quia sicut agentia naturalia determinantur ab Authore naturæ ad operationes sibi convenientes, ita agentia libera per leges, & præcepta determinantur à Deo, vt primo libero ad operationes convenientes naturæ rationali; alias Deus non provideret agentibus liberis, sicut providet necessarijs. ¶ Sed si quæras : ad quod præceptum Decalogi pertineat ? Respondent Salas, Montesinos, Cornejo, & alij ad nullum in particulari pertinere : quia est præceptum generale contentum in omnibus alijs, nec eius transgressionem esse contra aliquam specialem virtutem; sicut suprà diximus de hoc actu : *Volo in omnibus in-*

honeste vivere. Sed verius dicendum est cum N.Salmantic. num. 36. pertinere ad primum Decalogi præceptum, nimirum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Ex quo tenetur homo se, & omnes suos actus in Deum, & bonum honestum, tamquam in finem ordinare. ¶ Sed si denique roges : an hoc peccatum sit commissionis, vel omissionis ? Respondetur, esse peccatum commissionis, habens malitiam omissionis : quia est contra præceptum negativum prohibens operari sine honesto fine, in quo clauditur præceptum affirmativum referendi talem actionem in finem honestum. Pro cuius maiori luce nota, quod in actu eundi in agrum sine bono fine, duo debent considerari, & omissio circunstantiæ boni finis, & commissio actionis sine debita circunstantia; & licèt prima malitia sit omissionis; at quia hæc contrahitur, & determinatur per secundam, ideò absolutè dicendum est, huiusmodi peccatum esse commissionis. Et est exemplum in eo, qui orat sine attentione, & celebrat sine vestibus sacris, cuius peccatum dicitur commissionis, quanvis eius malitia sit omissionis, proveniens ex omissione debitæ circunstantiæ. Sic ergo discurrimus de eo, qui exit in agrum absque debito fine, cuius peccatum est commissionis, estò malitia ex carentia debitæ circunstantiæ sit omissionis.

Reliquis argumentis fit satis.

78 Ad secundum respondetur, Divum Hieronymum in loco citato super D.Matth. clarissimè stare pro nobis : quare quando in loco nobis obiecto ait : prædictos actos esse indifferentes, loquitur de indifferentia ex parte obiecti etiam secundum esse individuale ab illo acceptum, seu secundum speciem individuatam. Vel dic cum Montesinos, quod quando Divus Hieronymus dicit, quod operari tales actiones, *nec bonum, nec malum est* : nec iustitiam, nec iniustitiam habebit, intelligitur in ordine ad meritum vitæ æternæ; quia peccata venialia, vt sunt similes operationes, non sunt simpliciter demeritoriæ vitæ æternæ. Et ad probationem ibi imbibitam dic cum Suarez, quod, si huiusmodi actiones homo faciat in commoditatem naturæ, vt animalis est, hoc est, ob delectationem sensibilem, tunc est mala, & inepta voti materia. At si eas operetur, vt rationalis est, servando regulam rationis, & ordinando in conservationem individui expresè, vel implicitè, tunc est materia voti, nisi aliàs sint maioris boni impeditivæ. ¶ Ad tertium negatur, dari posse puram omissionem, atque ex consequenti indifferentem : quare, cum debeat dari actus, qui sit causa omittendi, hic semper erit bonus, aut malus, si omisio est bona, aut mala : si vero ipsa sit indifferens, debet actus terminari ad illam sub aliquo fine honesto, & si sic terminatur, erit bona; secus vero, si propter se, aut propter alium finem malum, aut indifferentem operatur. ¶ Ad vltimum argumentum respondetur cum Suarez vbi suprà, Valentia disput.2. circa disputationem decimam octavam Divi Thomæ, quæst.13.punct.6. in fine. Lorca ibidem, disput.29. N.Salmanticensibus num.26. verum esse, in huiusmodi casu dari actum in-

differentem : sed hoc minimè est contra traditam doctrinam, quia conclusio nostra tantum intelligitur per se loquendo, & ex natura sua, non vero per accidens ratione ignorantiæ invincibilis, aut inadvertentiæ.

CAPUT XIII.

De advertentia, & consensu requisitis ad peccatum mortale.

CUm ad rationem, & essentiam peccati non solum requiratur consensus voluntatis, sed & advertentia intellectus, iuxta illud : *Nihil volitum, quin præcognitum*, ideò Divi Thomæ præmentes vestigia, prius in hoc capite, septem punctis diviso, de advertentia ex parte intellectus agemus, & deinde de consensu ex parte voluntatis tractabimus.

Punct. I. *Vtrùm ad peccatum mortale requiratur expressa, & formalis advertentia, vel an sufficiat virtualis?*

Punct. II. *De consensu voluntatis necessariò ad peccatum mortale.*

Punct. III. *Quando dicatur, voluntatem consentire in illicitos effectus ex applicatione causæ liberæ?*

Punct. IV. *An consensus in delectationem morosam obiecti mortalis sit peccatum mortale?*

§. I. *Aliqua pro difficultatis resolutione supponuntur.*

§. II. *Deciditur difficultas proposita.*

Punct. V. *An sit licitum delectari de malo proximi ob honestum finem, vel effectum inde ortum : vel de actione prava excusata à peccato ob ignorantiam, somnum, aut alias causas?*

§. I. *Deciditur prima pars dubij.*

§. II. *Deciditur secunda pars dubij propositi.*

Punct. VI. *Vtrùm delectatio morosa in coniuge, aut vidua, vel sponsa de copula habita, aut habenda sit licita? Et an idem sit dicendum de delectatione conditionata?*

Punct. VII. *De consensu in iactantiam, & vanam gloriam.*

PUNCTUM I.

Vtrùm ad peccatum mortale requiratur expressa, & formalis advertentia, vel an sufficiat virtualis?

Quomodo voluntas ductum intellectus sequatur.

1 PRo plena intelligentia præsentis difficultatis, notandum est primò : quod cum voluntas sit cœca, debet in omnibus ductum sequi intellectus ; quare eo modo, quo illi intellectus proponit obiectum, illud vel amplectitur, vel odio habet. Sed, si scire velis, quo pacto res è sensibus ad intellectum, & ex intellectu ad voluntatem perveniant ? Breviter sic explicatur iuxta Philosophorum doctrinam. Nam res primò sensibus corporis repræsentantur, quæ perceptæ appetitum sensitivum, & animalem excitant, & quadam suavitate demulcent. Mox ex sensibus externis ad facultatem imaginandi, cogitandi, & memorandi transvolant, & commovent eorum præsentia desiderium, aut delectationem. Tandem res in mentem veniunt, & intellectæ in appetitu rationali qui est voluntas, & sui desiderium excitant, & sua iucunditate delectant, si vt bonæ proponuntur, si vero vt pravæ, odium in illo generant. Quod eleganter expresit Divus Thomas 1. 2. quæst. 75. artic. 2. his verbis : *Actus autem humani potest accipi causa interior, & mediata, & immediata. Immediata quidem causa humani actus est ratio, & voluntas secundum quam homo est liber arbitrio, causa autem remota est aprehensio sensitivæ partis, & etiam appetitus sensitivus. Sicut enim ex iudicio rationis voluntas movetur ad aliquid secundum rationem, ita ex aprehensione sensus, appetitus sensitivus in aliquid inclinatur, quæ quidem inclinatio interdum trahit voluntatem, & rationem, vt patebit quæst. 77. artic. 1.* Hucusque Divus Thomas.

Cognitio intellectus est triplex, *indeliberata, semideliberata, & deliberata.*

2 Nota secundò : cognitionem hanc intellectus esse triplicem, primam ; *omnino indeliberatam*, secundam ; *semi deliberatam*, & tertiam denique ; *plenè deliberatam.* Cognitio omnino indeliberata, est illa, quando intellectus ita rapitur ab obiecto sibi oblato, vt in illo solum percipiat rationem delectabilis, quin advertat aliquid mali, aut impedimentum boni ; & sic tunc omnimodam habet determinationem ad vnum, scilicèt ad appetibilitatem talis obiecti ; quare hic actus, cum sit omnino ad vnum determinatus, nec erit bonus, nec malus, estò obiectum sit moraliter pravum, aut honestum ; & ideò dicitur advertentia indeliberata. Ita N. Salmantic. tract. 13. disp. 10. dub. 3. num. 135. & Azor lib. 4. cap. 5. quæst. 4. & 1. ¶ Cognitio *semi deliberata*, datur quando licèt intellectus in obiecto advertat aliquam indifferentiam, non tamen hæc indifferentia plenè cognoscitur, aut firmo iudicio tenetur, sed quadam veluti transeunte luce percipitur. Vt accidit in semi dormientibus, & semi ebrijs, qui non plenè intelligunt, quæ tunc aprehendunt. Et hæc cognitio est, *advertentia semi-*

de-

deliberata. Tertia denique cognitio *plenè deliberata* est, quando pleno, & firmo iudicio discernimus ea, quæ cognoscimus, vt accidit in his, qui sunt evigilantes, & sui compotes, quando non sunt alio distracti: & tunc hæc cognitio appellatur *advertentia plenè deliberata.*

Triplex est motus: primo primus, secundo primus, & deliberatus.

3 Huic triplici cognitioni correspondet tam in ratione, & voluntate, quàm in appetitu sensitivo triplex motus: scilicèt, *primo primus*, *secundo primus*, & denique *deliberatus.* De quibus agit D.Thom.quæst.7.de malo, articul.6. & in 2. distinct.24. quæst.2. articul.2. quem sequuntur communiter Doctores. *Motus primo primos*, antiqui Theologi dixerunt esse, qui non solum rationem, sed etiam imaginationem antevertunt, quales sunt qui sensus corporis, vim naturalem, aut vitalem, sivè altricem facultatem consequuntur; huius generis sunt, sitis, fames, libidinum titilatio, & alia blandimenta, quæ nobis natura gignit. Similiter *motus secundo primos* vocarunt, qui imaginationem rerum absentium consequuntur. Sed iam omnium votis receptum est, quod *motus primo primi*, sunt, qui antevertunt omnem advertentiam rationis, sivè sensum corporis, sivè imaginationem subito consequantur, & ideò sunt omnino necessarij. Motus vero *secundo primi*, dicuntur illi, qui fiunt cum aliquali, & semiplena advertentia; & sic sunt imperfectè liberi, ac proinde in eis solum esse potest venialis malitia. *Motus denique deliberatus*, est ille, qui procedit cum advertentia rationis plenè deliberata, & completa, & sic est mortalis malitiæ capax. Ita Cayetan.in Summ.verbo *Delectatio.* Vazquez 1.2. disput.107.cap.4. Curiel 1.2.quæst.74.dub.1. artic.8.conclus.2. Sanchez lib.1.Summ.cap.1. num.10. N.Salmantic.tract.13.disput.10.num. 108. Azor loco citat. quæst.3. Tapia lib.3. quæst.7.artic.4.num.2. Bonacina disput.2. de Peccat. à num.1. Navarr. in Summ. prælud.9. & alij.

Advertentia potest esse vel entitatis physicæ, vel moralis.

4 Nota tertiò: quod sivè cognitio, aut advertentia sit tantum semiplenè, aut plenè deliberata, dupliciter potest terminari ad obiectum sibi præsentatum; primò attingendo illud secundum, quod est sibi physicè vtile, aut delectabile, & non cognoscendo malitiam, aut prohibitionem illius. Vt qui in die ieiunij, nihil de prohibitione cogitans, cœnat, aut carnes commedit; hic plenè advertit delectationem cibi, & carnis, imò & potest deliberare circa modum illius, iuxta temperantiæ regulas; quin ex hoc advertat præceptum ieiunij, illam cœnam prohibens: quia diversi generis est deliberare de convenientia, & vtilitate physica cœnæ, ac deliberare de morali eius malitia, aut prohibitione, neque ex vno aliud necessariò infertur: & ideò homo comedendo carnes, aut tunc cœnando, non peccat. Secundò terminari potest advertentia ad subiectum non solum secundum esse physicum, sed etiam secundum esse morale, nimirum secundum malitiam, & prohibitionem; & tunc adhuc multipliciter potest illud cognoscere; vel in communi, advertendo esse malum, vel in particulari, cognoscendo speciem, aut quantitatem malitiæ, an sit mortalis, aut venialis, aut denique cum notitia certa probabili, dubia, aut scrupulosa talis malitiæ, tam in ipso obiecto secundum se sumpto, quàm in sua causa: quare iuxta omnium sententiam ad peccatum non sufficit præcisa cognitio entitatis physicæ obiecti peccaminosi, sed vlterius requiritur cognitio, & advertentia eius malitiæ moralis, saltem in communi. Et sic in præsenti solum agendum est de advertentia malitiæ moralis, non vero entitatis physicæ obiecti pravi. Videantur Vazquez 1.2.disput. 105.num.13.& 14. & disput.107. cap.3. num. 6.& 7. Azor tom.1.lib.4.cap.5. quæst.4. & N. Salmanticens.tract.13. disput.10. dub.4. à numero 148.

Aliqui sentiũt ad mortale sufficere advertentiam interpretativam.

5 His prænotatis prima sententia asserit advertentiam malitiæ moralis necessariam ad peccatum mortale esse non formalem, & expressam, sed virtualem, & in causa. Ita Cayetan.2.2. quæst.88. artic.1. dub.3. *§. Verum ne fallaris.* Medina 1.2.quæst.19.artic.6. Araujo dub.1. & alij, quos refert Lopez 1. part. instruct.cap.3. quæst.3. Serra dub.3. conclus.3. Martinez quæst.74. de delect. morosa, dub.1. conclus.3. Lorca disput.29. de Peccat. memb. 1. Tapia lib.3. quæst.7. num.3. Prado cap.2. quæst. 6. plures alios, licèt non fideliter pro hac sententia referens. Probaturque ex D. Thom.2.2. quæst.53. artic.4. vbi ita ait: *Inconsideratio est peccatum :: ex hoc quod contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum iudicium procedit.* Ergo cum inconsideratione, & inadvertentia virtuali malitiæ, stat peccatum mortale. Deinde: si esset necessaria advertentia expressa, sequeretur primò: quod numquam daretur peccatum mortale cum aliqua ignorantia, & inadvertentia; sed hoc est contra Scripturam, vbi dicitur de Christo, quod è cruce pendens ita ad Patrem pro persecutoribus oraverit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Lucæ 23. vers.34. Et etiam contra D.Thom.1.2. quæst. 76. artic.2. vbi probat ignorantiam eorum, quæ quis scire tenetur, esse peccatum. Et sic concludit: *Vnde propter negligentiam ignorantiæ eorum, quæ aliquis scire tenetur est peccatum.* Ergo ad peccatum sufficit advertentia virtualis, seu interpretativa, quæ datur, quando potest homo, & tenetur advertere, & expresse non advertit. ¶ Sequeretur etiam, quod, qui ex prava consuetudine sine expressa advertentia perierat, non committeret peccatum mortale. Sequeretur denique, quod neque peccarent Hæretici, Iudæi, aut Gentiles suas sectas, & hæreses sequendo, aut Christianos occidendo, cum id faciant absque vllo conscientiæ remorsu; seu advertentia alicuius malitiæ; imò, vt ait D. Ioannes cap.16. arbitrantur in hoc obsequium se præstare Deo: ergo ad peccandum mortaliter non requiritur expressa advertentia malitiæ, sed sufficit virtualis, & interpretativa.

Alij è contra esse necessariam ad mortale advertentiam expressam, & formalem.

6 Secunda sententia defendit, hominem non posse peccare mortaliter absque plena, & expressa advertentia malitiæ, & ideò si advertentia est tantum semi plena, & si materia sit gravissima, peccabit tantum venialiter. Ita An-

Angeſt.cap.6.Moral. D.Antonin.2.part. tract. 5. cap.1.§.5. Sylveſt.verb.*Delectatio*, quæſt.1. punct.4. Cayetan. in Summ. verb. *Delectatio*. Vazquez 1. 2. diſput.107. cap.3. à num.6. & cap.4. Medina artic.6. docum.4. & alij apud N.Salmantic.tract.13.diſput.10. num.140. Inſuper eam tenent Thom. Sanchez lib.1.Summ. cap.1.à num.8.& cap.16.num.21. Bonacina de Peccat.diſput.2.quæſt.2.punct.3.num.12.Diana 3.part. tract.4. reſolut.162. Layman lib.2. tract.2.cap.4.num.6. Eſcobar lib.1.ſect.2.problem.17. Salas 1.2.tract.13.diſp.8.ſect.vltim. num.87. Franciſc. Lugo de actibus humanis, cap.4.quæſt.4. Oviedo 1.2.tract.4.controverſ. 1.punct.4. num.48. plures alios referens.

Dãtur fundamenta huius ſententiæ.

Quæ aſſertio probatur primò: ad peccatum mortale requiritur plena libertas ; ſed quando datur ſemi plena advertentia , datur ſemi plena libertas , cum plena libertas petat plenam, & expreſſam advertentiam : ergo cum ſemi plena advertentia non committitur peccatum mortale , ſed veniale præcisè , & ſi ſit obiectum graviter pravum. ¶ Secundò : per peccatum mortale damnatur totus homo ad æternam pœnam ; ſed implicat totum hominem damnari , ſi expreſsè non advertit ad malitiam peccati , vel ad periculum illius , cum deficiat expreſſa advertentia , quæ eſt pars principalis hominis : ergo ſine expreſſa advertentia malitiæ , nequit peccatum mortale committi. ¶ Tertiò : malitia obiecti , quantumvis pravi , nequit imputari , quando nulla præceſsit illius cognitio, & advertentia ; ſed quando non datur expreſſa cognitio , & advertentia malitiæ , aut ipſius periculi , nulla præcedit cognitio , ſeu advertentia : ergo nequit malitia obiecti tunc imputari. ¶ Nec tunc eſt verum dicere , quod poteſt cognoſcere obligationem advertendi ; quia ad hanc cognoſcendam requiritur advertentia expreſſa illius : ſed tunc hæc non datur : ergo abſque expreſſa advertentia obiectum quantumvis pravum , nequit imputari ad culpam mortalem. ¶ Vltimò: iuxta ſupra traditam diviſionem ab omnibus veneratam , motus *primo primi* non ſunt peccata , quia antecedunt omnem advertentiam: & *ſecundo primi* ſunt peccata venialia : quia gaudent ſemi plena advertentia : & denique, *motus plenè deliberati* circa illicita ſunt mortalia ; quia plena potiuntur deliberatione : ergo quia ſignum eſt , quod ad peccatum mortale neceſſaria eſt formalis , & expreſſa advertentia.

Concordantur præcedẽtes ſententiæ

7 Sed vtramque ſententiam conciliant N.Salmantic. tract.13. diſput.10. num.143. & vtramque veritatem continere , ſi attente introſpiciatur , defendunt ; ſed pro explicatione, & deciſione quæſtionis , diſtinctione opus eſt. Nam vel loquimur de toto proceſſu cognitionis , ex quo homo incipit cogitare , quouſque ſiſtat vltimo in obiecto peccaminoſo ; vel de illa cognitione obiecti in ſe ipſo , quæ ſupponit alias cognitiones circa cauſas , aut principia illius ? Si ergo loquamur iuxta primum modum , neceſſariò debet eſſe , & præcedere ſaltem in principio illius proceſſus advertentia expreſſa , & formalis deliberatio malitiæ obiecti , vt hæc imputetur ad culpam , ob adver-tentiam interpretativam. Tum , quia omnis interpretativa advertentia debet fundari ſupra aliquam expreſſam advertentiam ; ſicut voluntarium indirectum fundatur ſupra voluntarium directum , & in eius virtute continetur : ergo, niſi prius ſit in intellectu aliqua advertentia formalis , nequit eſſe advertentia interpretativa circa obiectum peccaminoſum. Tum etiam , quoniam advertentia interpretativa ſupponit potentiam , & obligationem advertendi ; ſed ſecluſa omni advertentia expreſſa, & formali non eſt potentia , aut obligatio advertendi , cum nulla potentia ſit expedita , nec obligatio liget , niſi prius advertatur , & cognoſcatur : ergo ſecluſa omni advertentia , nequit eſſe advertentia interpretativa : & conſequenter in omni proceſſu intellectus debet eſſe ſaltim in principio aliqua advertentia formalis , vt inde oriatur advertentia interpretativa, ratione cuius operatio illa ſit peccaminoſa. ¶ Si autem loquamur ſecundò modo : tunc dari poteſt deliberatio , ſeu advertentia interpretativa ſufficiens ad peccatum. Quia ex quo aliquis advertat plenè circa vnum obiectum, ex quo alia oriuntur , debet ex conſequenti deliberare circa illa : quare ſi hoc omittat , redditur hæc omiſsio illi voluntaria , & peccaminoſa in virtute prioris advertentiæ , & dicitur tunc talis omiſsio deliberationis advertentia interpretativa. Et in hoc ſenſu veritatem continet prior ſententia , & in primò poſterior. Et hæc eſt etiam ratio , quare pro vtraque ſententia video citari plures , & eoſdem Authores Thomiſtas.

Explicatur in quo ſenſu rationes vtriuſq; opinionis veræ ſunt.

8 Vnde breviter libet explicare in quo ſenſu intelligi debeant vtriuſque opinionis argumenta. Ad primum primæ opinionis dicimus procedere , quando adeſt advertentia aliqua expreſſa obligationis conſiderandi, tunc , ait D.Thom. omiſsionem conſiderationis eſſe peccatum. ¶ Secundum de ignorantia eodem modo intelligitur , ſcilicèt quando præcedit obligationis addiſcendi cognitio , in quo caſu optimè ait Chriſtus , ignorantiam eſſe peccaminoſam , dignamque Divina venia. ¶ Reliqua argumenta de Hæreticis , infidelibus , alijſque ex prava conſuetudine ſine conſcientiæ remorſu peccantibus , vera ſunt ; ſed hoc ideò eſt , quia præceſsit advertentia formalis , & expreſſa , quando liberè tales errores acquiſierunt , & conſuetudinem compararunt; quare dum poſtea eadem peccata repetunt, adeſt advertentia virtualis ex illa prima dimanans. ¶ Poſterioris ſententiæ rationes , maximè prima , & ſecunda , veritatem continerent , ſi ſaltem in principio operationis non adeſſet plena advertentia ; at quando hæc adeſt , ſufficit vt in toto proceſſu operationis ſit plena libertas , & peccatum toti homini imputetur. ¶ Per quod etiam patet ad alias rationes , quia iam datur ſaltem in principio advertentia expreſſa malitiæ , & obligationis advertendi : ſi vero hæc ſaltem non daretur , ſequens operatio , & ſi circa obiectum graviter peccaminoſum , non poſſet eſſe prava moraliter. ¶ Hic diſputandum erat an ad peccatum læthale ſufficiat advertere malitiam in communi, ignorando , an eſſet gravis , aut levis , vel an re-

requiratur necessariò cognoscere esse pravum? Sed quia hoc dubium decisum manet cap.4. punct.2.à num.6. ideò ab eius discussione supersedemus.

Motus primo primi nó sunt peccata

9 Ex dictis aliqua licèt deducere ad praxim valdè necessaria. Infertur ergo primò: motus illos appetitus sensitivi circa obiecta illicita, qui dicuntur *primo primi*, hoc est absque vlla rationis advertentia surgentes, non esse peccata adhuc venialia. Et ratio est, quia de ratione peccati est esse liberum; sed motus, qui insurgunt in appetitu sensitivo pro priori ad omnem advertentiam malitiæ eorum, non sunt liberi: ergo nec peccata. Imò & si ratio advertat ad nudam delectabilitatem physicam obiecti, quando insurgit motus sensualitatis, si nihil malitiæ, aut periculi in tali obiecto cognoscat; tunc, & maximè si est semi plena advertentia entitatis physicæ, talis motus non erit peccaminosus, & si sit in ratione aliqua potentia ad illum cohibendum; quia tota illa libertas, & advertentia cognitionis vltimo sistit in physicis, quin gradum faciat ad illius moralitatem.

Nec alij motus similes primo primis.

10 Infertur secundò: quod inter *motus primo primos*, numerant Doctores alios motus necessariò provenientes ex aliqua physica alteratione nobis non libera facta in corpore absque nostra libertate, vt cum percutitur, calefit, infrigidatur, &c. quæ alteratio adeò magna potest esse, vt motus appetitus inde surgentes omnino ad se attrahant rationem, & apprehensionem; at, si alteratio non ita necessariò rapiat apprehensionem, vt aliquo modo possit ab ea talis motus cohiberi; vel & si in principio rapiat, post modum vero remittitur, taliter, quod possit alio distrahi apprehensio; tunc talis motus non est dicendus *primo primus*, & *necessarius*, sed aliquando liber. Vnde necesse est rationem esse pervigilem ad cognoscendum, quando tales motus sunt naturales, & quando liberi: quia, vt ait D.Thomas 3.part.quæst.41. artic.1. ad 3. *Dicendum, quod sicut Apostolus dicit, Christus in omnibus tentari voluit absque peccato. Tentatio autem, quæ est ab hoste potest esse sine peccato: quia fit per solam exteriorem suggestionem. Tentatio autem, quæ est à carne non potest esse sine peccato; quia huiusmodi tentatio fit per delectationem, & concupiscentiam. Et sicut Augustin. dicit: Non nullum peccatum est, quando caro concupiscit adversus spiritum. Et ideò Christus tentari voluit ab hoste, sed non à carne.* Ex quibus liquet, quam difficilè sit, vt advertente ratione in nobis insurgant motus carnis, & absque aliqua macula, & peccato saltem veniali, eos statim respuamus: & ideò Angelicus Doctor similes motus, & tentationes carnis à Christo Domino, eiusque Sanctissima Matre omnino relegat. Hinc etiam provenit, quod Cayetan.1.2.quæst.74.artic.3. Durandus in 2.distinct.21.quæst.1.num.9. & alij distinguunt inter motus insurgentes ex alteratione corporis, & inter eos, qui insurgunt ex apprehensione obiecti illiciti; & dicunt, quod, licèt primi non sint venialia, secus vero secundi, cum adveniant homini advertente ratione; & alias sint adeò glutinosi, vt impossibile sit, quod inter advertentiam, eorumque resistentiam efficacem non intercedat aliqua brevis morula temporis ad veniale sufficiens.

Alia corollaria.

11 Infertur tertiò: non committere peccatum mortale, qui non plenè à somno excitatus pollutionis voluptate fruitur: quia tunc non plenè advertere potest ad eius malitiam. Ita Cayetan.verb. *Delectatio*. ¶ Infertur quartò: quod, quando in actu est duplex malitia moralis, si peccans solum vnam advertat, vnicum peccatum committit. Et ratio est, quia nihil potest esse volitum, quin sit præcognitum; sed secunda malitia non cognoscitur: ergo nequit esse volita, seu voluntaria: tum sic; sed respectu malitiæ non voluntariæ nequit dari peccatum: ergo in prædicto casu actus tendens in obiectum duplici malitia infectum, si vnam tantum advertat, erit vnicum peccatum. Sic Vazquez 1.2. disput.107. cap.3.numer.10. Bonacina disput.2. de Peccat.quæst.2. punct.3.num.10. Sanchez lib.1. Summ. cap.1. num.8. Fagundez lib.9.Decalog.cap.1.num.7. & alij. Vnde sequitur quod, qui occidit hominem, non advertens esse Clericum, solum committeret peccatum iniustitiæ; non vero sacrilegij. Similiter qui accederet ad mulierem non suam, ignorans esse maritatam; tantum peccaret peccato fornicationis; non vero iniustitiæ: quia cum non cognoscuntur circunstantiæ speciem peccati mutantes, nequeunt esse voluntariæ, & peccaminosæ.

PUNCT. II.

De consensu voluntatis necessariò ad peccatum mortale.

Duplex datur consensus alius expressus, & alius virtualis: & declaratur, quomodo voluntas circa obiectum se habeat.

12 POstquam egimus de advertentia intellectus ad peccatum læthale requisita, ordo doctrinæ exigit, vt de consensu voluntatis, omnino ad illud necessariò, disseramus: quia vt ait D. Augustin. citatus ab Angelic.Doctore 1.2.quæst.74.artic.1.argumento sed contra: *Voluntas est, qua peccatur, & rectè vivitur.* Et clarius lib. de vera religione, cap.14.fatetur: *Voluntatem esse, quæ principaliter ad peccatum concurrit.* Vt liquet ex his verbis: *Aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi.* Quare opus nobis est, in præsenti decidere, quis consensus voluntatis sufficiat, & requiratur ad peccandum mortaliter? ¶ Pro quo supponendum est primò: duplicem dari consensum, alium expressum, & formalem; alterum implicitum, & virtualem. Primus est, quando quis vult directè aliquam rem, vt si velit orare, furare, aut occidere hominem, &c. Secundus est, quando quis vult causam, aut principium connexum cum effectu, ex hoc virtualiter, & implicitè dicitur velle effectum; vt qui vult subversionem navis, ex consequenti implicitè vult omnia damna, quæ ex illa actione sequuntur: & vtrumque istum voluntatis consensum esse sufficientem ad peccandum, vt certum apud Doctores supponimus.

Se-

¶ Secundò supponendum est, quod, postquam intellectus plenè advertit, surrexisse motum sensualitatis circa obiectum sub mortali prohibitum, voluntas potest tripliciter se habere. Primò modo directè consentiendo in illum, & hoc, vt ait Sanchez lib.1. cap.2. num.1.dupliciter, vel cum affectu efficaci consequendi, quod delectat, vel fugiendi, quod displicet; vel cum inefficaci affectu cum sola complacentia, aut displicentia illius absque executionis desiderio; & hæc dicitur delectatio morosa, seu consensus delectationis, de qua postea agendum nobis est. ¶ Secundò modo potest voluntas circa illum versari, neque positivè consentiendo, nec positivè dissentiendo, sed negativè se habendo, non reprimendo talem motum. ¶ Tertiò denique circa illum se habere potest, positivè resistendo, & efficaciter curans motum illum expellere. In hoc vltimò casu, certum est, non esse peccatum; sed potius meritum. In primò vero, etiam est evidens, adesse peccatum: quare sola difficultas est circa secundum: videlicèt, an tunc censeatur, habere consensum indirectum, qui etiam sufficit ad peccandum.

Iuxta aliquos peccat mortaliter voluntas negativè se habens circa resistentiã motus illiciti.

13 Vnde rogabis, an quando voluntas neque positivè consentit, neque dissentit in motus appetitus sensitivi circa obiectum sub mortali prohibitum, sed negativè se habet, permittens talem motum; censeatur habere indirectum consensum in illum, & consequenter peccare mortaliter? Prima sententia est affirmativa, etiam si cesset tunc periculum consensus; cuius prima ratio desumitur ex D. Thom. q. 74. art. 5. & 6. Quia voluntas tenetur dirigere vires inferiores, & passiones appetitus sensitivi, non solum non consentiendo in motus inordinatos, sed eos compescendo, quando plene illos intellectus advertit: ob id enim à natura constituta est regina potentiarum, vt videtur colligi ex illo Genes.4. v.7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaveris illius*: ergo peccat non solum, quando movet ad consentiendum in motus inordinatos, sed etiam quando eos non coercet. Vnde ait D. Thom. art. 5. cit. in corpore: *Peccare rationem, quando inordinatus inferiorum virium, vel imperat, vel etiam post deliberationem non coercet.* ¶ Secunda. Quoniam si quis per tactus hos motus inordinatos in te excitaret, teneris eos reprimere: ergo etiam teneris, quando à natura moventur, cum eodem modo ad peccata provocent. ¶ Tertia. Ad peccandum mortaliter sufficit consensus interpretativus, consistens in eo, quod voluntas possit, & teneatur, & non faciat; sed in casu posito datur consensus interpretativus, siquidem voluntas non resistit, cum possit, & teneatur aliquomodo: alias non peccaret tunc saltem venialiter, quod etiam apud adversarios est falsum: ergo peccat mortaliter, negativè, & permissivè se habendo. ¶ Quarta. Velle hos motus, maximè venereos, ideò est mortale, quia sunt causa proxima pollutionis: sed eodem modo sunt causa pollutionis, quando permittuntur: ergo erit etiam tunc mortale. ¶ Quinta. Est impossibile appetitum sensitivum delectari circa obiectum illicitum, & voluntatem mere negativè se habere, seu non consentire, aut condelectari; sicut est difficile sensum sentire, & intellectum sensationem non percipere: ergo repugnat, quod in casu posito, si positivè motibus non resistit, saltem interpretativè in illos non consentiat. Ita tenent Valentia 1.2. disp.6. q. 4. punct. 3. Zumel. q. 74. art.8. disp. 2. Vazq. disp. 108. cap.2.n.2. Suarez de Peccat. disp.5.sect.5. Montesin.disput. 7. q.2. num. 32. Sayr. lib. 8. cap. 7. n. 3. Petr. Ledesma 2. part.Summ.cap.27. Lessius de Iust. lib. 4. cap. 3. num. 117. Tapia tom.1. libr.3. quæst. 7. artic. 5. num.5. Prado cap.2. quæst.9. §.6. num.21. (licet postea num.31.in quodam casu particulari amplectatur contrariam sententiam) & N. Anton. in direct. confess.tract.5.disp.8. sect.2. §.25.n.520.

Sentiunt nõ nulli secluso periculo consensus, nec venialiter peccare negativè se habendo.

14 Secunda sententia defendit, cessante periculo consensus, nec venialiter peccare, qui permittit hos motus appetitus sensitivi, negative se habendo circa illos, & maximè si præcedat displicentia in voluntate. Ita tenent expressè Ioannes Sanch. in Select. disp. 21. n. 3. Tanerus disp. 4. de peccat. q. 4.dub. 4. n. 83. & contendit, esse probabile, Ovied. 1. 2. tr.6. controv.4. punct.3. conclus.4. num.19. & pro ea refert plurimos Authores. Salas 1.2.tom.2. tract.13. disput.6. sect.3. num.30. quam opinionem probant primò: quia præceptum divinum *Non concupisces*, non refertur ad carnem, quæ libera non est, sed ad voluntatem, & ad animam, quæ liberæ sunt, præceptique capaces: vel si intelligitur etiam de carnis concupiscentia, debet intelligi taliter, quod non quærantur carnis concupiscentiæ cum periculo consensus; sed vbi non datur præceptum, vel si datur, non est periculum consensus, non est obligatio vitandi sub veniali motus appetitus: ergo in casu posito non erit peccatum veniale se habere mere negativè, seu permissivè circa motus illicitos. ¶ Sed hæc sententia improbabilis est, proindeque ab omnibus reijcitur, ad eiusque rationem ex dicendis patebit.

Verum tamen est, in casu prædicto peccare venialiter, non vero mortaliter.

15 Tertia denique, & vera sententia, & inter relatas media, tenet, cessante periculo consensus, non esse mortale, sed veniale, non reprimere motus illicitos, negativè se habendo circa illos. Probaturque primò ratione D.Thom. ex 1.2. quæst.74. artic.4. desumpta, quæ valdè efficax, & clara est. (esto eam reputet Salas num.4.intellectu difficilem) Nam inordinatio non corrumpens principium vitæ spiritualis, non causat mortem spiritualem animæ; sed huiusmodi est inordinatio appetitus sensitivi, quando ratio, & voluntas non consentiunt; cum ordinare in finem vltimum, qui est principium vitæ spiritualis, sit proprium, & præcipuum munus rationis, & voluntatis, & non appetitus sensitivi, adhuc in homine, vt ex se liquet: ergo secluso consensu voluntatis, talis inordinatio appetitus sensitivi, non est mortalis. ¶ Confirmatur, & explicatur. Appetitus sensitivus non est adhuc prout in homine liber simpliciter, sed tantum secundum quid, & ita secundum se capax tantum peccati venialis, vt docet D.Thomam 1. 2. quæst.74. artic.3. ad 3. & pluribus alijs in locis, quæ eruditè expendunt N. Salmant.

mant. Scholaſt.tom.4.diſput.10.dub.2. ſed ad peccandum mortaliter requiritur plena libertas, quæ oritur, & provenit vnicè à voluntate: ergo, ſecluſo conſenſu voluntatis, motus inordinatus appetitus ſenſitivi non erit mortalis, ſed venialis.

Probatur vlterius ab inconvenienti.

16 Probatur ſecundò ab inconvenienti. Nam ſi homo teneretur omnes motus appetitus ſenſitivi poſitivè reſiſtere, obligaretur ſub mortali ad impoſsibilia, ſaluſque æterna eſſet difficillimè conſequibilis; ſed hoc non eſt credendum de divina miſericordia: ergo, &c. Maiorem probat Cayetan. Nam omnes iſtos motus collectivè ſumptos, eſt impoſsibile vitare; tum, quia ſunt infiniti; tum, quia eorum ſinguli ſunt valdè difficiles vitare, vt experientia liquet: ergo, &c. Deinde ſi homo teneretur eos reprimere, teneretur etiam ſub mortali omnia cavere, ex quibus prævidemus, vel debemus prævidere hos motus eſſe excitandos: nam ſi poſtquam excitati ſunt, tenetur eos reprimere, etiam tenebitur impedire, ne excitentur. Vnde ſi agnoſcat homo hos motus ſuſcitari ex eo quod tali, vel tali modo accubat, tenebitur aliter decumbere, imò ſurgere, & ſe verberare, quod duriſsimum eſt: ſimiliter teneretur fœminam non alloqui, nec videre, aliaque ſimilia omittere, ex quibus agnoſcit hos motus excitari: quod eſt difficillimum, iugumque Chriſti redderetur non ſuave, ſed durum: ergo certum eſt, ſub mortali non teneri hominem eos reprimere, ſolumque peccare venialiter, circa illos negativè ſe habendo. Pro hac ſententia refert Salas tract.13. diſput.6. ſect.3. num.25. & 29. pluſquam triginta Authores videndos apud ipſum. Tenent eam inſuper D.Thom.quæſt.15.artic.4. ad 10. Navarr.in Summ.cap.11.num.12. Manuel Rodriguez tom.1.Summ.cap.212. Armilla, Gerſon, Roſella, Cordova, & alij citati à Thomas Sanchez lib.1.Summ.cap.2. num.13. Defendunt etiam hanc opinionem Granados controverſ.6.dePeccat.tract.4. diſp.vltim. Caſtro Palaus 1.part.tract.2. diſput.2. punct.10. §.5. num.3. Ioannes Sanchez in Select. diſput.21. num.3. & eſſe probabilem docet Bonacina tomo 1.quæſt.4.de matrim.punct.7.num.8.& expreſsè tenent Sanchez lib.1. Summ. cap.2. numer.13. & N. Salmantic. tract.13. diſput.10. dub.5.à num.180.

Argumentis reſpondetur.

17 Ad primam rationem contrariæ ſententiæ reſpondetur cum Cayetano, Thomas Sanchez, & Palao: verum eſſe, voluntatem teneri regere appetitum ſenſitivum; ſed hæc obligatio eſt gravis ſolum in ordine ad curandum, ne taliter prorrumpat, vt trahat ſecum conſenſum voluntatis; in ordine vero ad reſiſtendum poſitivè illius motibus illicitis, eſt obligatio levis ſecluſo periculo conſenſus: quare dum huic obligationi non ſatisfacit, negativè circa illos ſe habendo, tantum venialiter peccat: & de hoc peccato veniali loquitur D.Thom. quando in loco allegato ait: quod ratio peccat non coercendo actus inferiorum virium. ¶ Ad ſecundam reſpondetur, motus adeò turpes ab alio in te excitatos regulariter ſecum afferre periculum conſenſus, & pollutionis, ob idque ſemper vitandi ſunt: imò & ſi in te non eſſet tale periculum, quod non credam; tamen ob non cooperandum alterius peccato, teneris evitare, quod non accidit, quando à natura proveniunt: tunc nec eſt adeò proximum periculum conſenſus, & ſic minuitur obligatio, vt videmus in pollutione, quam debemus vitare, ſi alius eam moveat; at ſi proveniat à natura, ſecluſo periculo conſenſus, poſſumus permittere fluere. ¶ Ad tertiam patet ex dictis, quia voluntas non tenetur graviter ad poſitivè reprimendos hos motus, niſi quando eſt periculum conſenſus, vnde iſto ceſſante, obligatio ſolum eſt levis: admodum quo homo abſolutè tenetur ſimpliciter reſiſtere, non conſentiendo tentationibus; at reſiſtere magna diligentia non tenetur graviter, ſed imperfectè; & ſecundum quid: quare in hoc tepide reſiſtere eſt præcisè veniale. ¶ Ad quartam reſpondetur, ideò velle directè motus venereos eſſe mortale, quia vult cauſam pollutionis, & qui vult cauſam pollutionis, vult ipſam pollutionem, & eſt illius cauſa; at qui permittit hos motus à natura provenientes, non eſt propriè cauſa illius ex vi præcisè permiſsionis. An vero permiſsio motus venerei trahat ſecum periculum pollutionis, aut conſenſus poſtea dicemus? ¶ Ad quintum dicitur. Tum, quod argumentum deſtruit quæſtionem, cum ſupponamus voluntatem mere negativè ſe habere: tum etiam quia falſum eſt, quod intendit: nam vt docet D.Thom.1.2. quæſt.10. artic.3. Voluntas non movetur de neceſsitate ab appetitu inferiori; probatque hoc in argumento, ſed contra ex illo Geneſ.4.verſ.7. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaveris illius.* Et ita reſpondet ad primum argumentum dicendo: *Quod & ſi voluntas non poſsit facere, quin motus concupiſcentiæ inſurgant, tamen poteſt voluntas non velle concupiſcere, aut concupiſcentiæ non conſentire.*

Quando eſt periculu conſenſus tenetur ſub mortali poſitivè reſiſtere motui illicito.

18 Ex dictis ſequitur, quod ſi ex permiſsione motus illiciti appetitus ſenſitivi ſequatur periculum conſenſus, aut alterius gravis damni, tunc voluntas nequit negativè ſe habere circa illum, ſed tenetur ei poſitivè reſiſtere. Sic docent Authores pro contraria, & noſtra ſententia relati. Et ratio eſt evidens. Quia eadem obligatione, qua quis tenetur evitare peccatum, tenetur etiam evitare periculum peccandi: nam qui amat periculum peccati, cenſetur peccatum amare; ſed qui non vitat conſenſum in motum illicitum, peccat graviter: ergo etiam graviter peccabit qui non fugit periculum conſenſus. Videatur Thom.Sanchez in Summ.loc.cit.num.14.& de matrimon. lib.9.diſtinct.45.num.25.

Declaratur in quibus motibus illicitis ſit periculum conſenſus.

19 Sed quæres, quando aliquis poterit cognoſcere, eſſe periculum conſenſus, alterius ve gravis damni ex permiſsione motus illiciti appetitus ſenſitivi? Reſpondetur in hoc certam regulam aſsignari non poſſe, cum hoc dependeat ex qualitatibus, & virtute ſubiecti, & ex materia delectationis magis, aut minus glutinoſa, & periculoſa; plerumque enim motus appetitus ſenſitivi, qui reſpectu illius, qui eſt debilis virtutis affert periculum conſenſus, illud non inducit reſpectu illius, qui ro-

bustiore gaudet perfectione, animoque in bono firmiori: & similiter minus extorquet consensus motus illicitus iræ, quam delectationis venereæ. Communiter tamen sentiunt Doctores, quod, si delectatio venerea est gravis ex parte actus, hoc est cum magna commotione carnis, aut libidinis, tenetur sub mortali voluntas positivè illi resistere; quia in alijs materijs, estò motus appetitus vehemens plerumque non trahat secum periculum consensus; at in venereis delectationibus commotio, & si non admodum gravis, secum affert periculum consensus, & pollutionis, vel saltem notabiliter in illam influit: quare in hac materia habenas carnalis, & effrænis appetitus potius contrahendas, quam laxandas esse semper iudicavi. Monverimque omnes tam robustæ, quàm debilis virtutis, vt statim, ac cognoscunt inordinatum motum cuiuscumque fuerit materiæ in appetitu excitari, curent, ei positivè resistere. Tum, quia alias levem ad minus committent culpam. Tum etiam, quia res est valdè periculosa, & qui magis in se confidit, proclivior est ad lapsum, & citius in præceps ad vitia ruit.

Proponuntur causę permittēdi hos motus.

20 Vltimò quæres, quando possunt isti motus inordinati permitti, negativè se habendo voluntate circa illos post eorum plenam advertentiam, quin graviter quis in hac permissione peccet? Respondetur, motus hos posse permitti, quando insurgunt ex causa iusta, & moraliter inevitabili; verb.grat.quando moventur ex lectione necessaria, aut vtili librorum de hac materia tractantium, ex auditu confessionum, ex tactu ad medendum necessariò, & alijs similibus: tunc enim & si insurgant motus tentationum, à moto consensus periculo, & alias habendo firmum propositum antecedens numquam consentiendi, non tenemur sub mortali occasionem, & opus inceptum omittere, aut reprimere positivè hos motus (nisi hoc facere possimus facili negotio, & absque interruptione operis incepti) sed possumus tunc eos permittere, negativè se habendo circa illos, quin in hoc peccatum mortale committatur. Similiter non peccabit, qui circa hos motus negativè se habet, quando scit, & expertus est, quod dum motui excitato magis resistit, amplius irritatur, & roboratur; & è contra, quod minuatur, dum despicitur. In hijs, & alijs huius generis sentiunt Authores non esse peccatum mortale, negativè se habere circa illos. Et ratio est, quia, sicut consensus interpretativus sufficit ad peccandum, ita ad non peccandum sufficit dissensus interpretativus; sed in his casibus, talis dissensus datur. Tum, quia supponimus esse virum timoratæ conscientiæ, habentemque firmum propositum non consentiendi. Tum etiam, quia habet aliquam illius virtualem displicentiam existentem in continuatione operis ex necessitate, aut vtilitate inceptæ, vel in volitione suspensionis animi, aut in cura non consentiendi, quæ licèt sit inefficax ad reprimendum motum appetitus, est tamen efficax ad reprimendum voluntatis consensum, & sic vt ait Sanchez in Summ. lib.1. cap.2. num.13. est tunc illius delectationis displicentia: ergo in his casibus, & si sit veniale peccatum, negativè se habere ob tepidam resistentiam illius motus, tamen peccatum mortale non est. Ita docent Cayetan.in Summ.verb.*Delectatio*.Rodriguez tom.2.Summ.cap.212.num.1.Toletus lib.5.cap.14. Corduva lib.1.quæst.23.dub.10. artic.7. Prado cap.2. de Peccat. quæst.9. §.8. Tapia tom.1.Caten.Moral.lib.3.quæst.7.art.6. Layman tom.1. tract.3. cap.6. num.7. Lopez punct.1.instruct. cap.2. §.*Quinto modo*, & alij apud citatos Authores.

PUNCT. III.

Quando dicatur voluntatem consentire in illicitos effectus ex applicatione causæ liberæ?

Qualis sint causæ influentes in effectus illicitos

21 PRo huius quæstionis resolutione nota, quod ex causis influentibus in effectus illicitos, quædam sunt influentes *per se*, & quædam *per accidens*: per se influunt, quæ ex natura sua ad effectum illicitum concurrunt; vt propinatio veneni ad mortem, & tactus, aspectusque lascivi ad pollutionem. Per accidens dicuntur influere causæ illæ, vel quia concurrunt removendo prohibens, sicut omissio gubernationis in Prælatis est causa defectuum in subditis, vel quia alijs effectibus, in quos directè influunt iunguntur alij per accidens, vt quando ex hoc vel illo modo accubandi, sequitur pollutio. Deinde ex his causis *per se* quædam sunt notabiliter influentes, vt in ordine ad mortem, veneni propinatio; & quædam leviter, vt respectu pollutionis tactus levis manus fœminæ. Præterea aliquæ ex causis per se solum habent concurrere ad effectum illicitum, vel si ad alios concurrunt, est mediante illo; vt veneni propinatio. Aliæ vero sunt, quæ primo influunt in effectum licitum, & eo mediante in illicitum; vt tactus Chirurgi concurrit immediatè ad curationem, & mediatè, si sit in verendis, potest concurrere ad pollutionem. Vltimò nota, quod non omnes causæ, quæ leviter influunt in effectum illicitum respectu vnius personæ, possunt graviter influere respectu alterius, vt experientia liquet. Vnde ad cognoscendum, quæ causæ sint leviter, aut quæ graviter influentes, ad qualitatem materiæ, & subiecti attendendum est. His notatis.

Quando voluntas ex applicatione causę directè consentiat in effectus illicitos.

22 Dico primò, voluntatem tunc directè consentire in effectus illicitos, quando applicat causam, quæ vel est determinata ad effectum illicitum, vel præcisè eo mediante, in effectum licitum potest influere. Et ratio est evidens. Quia qui liberè vult causam præcisè habentem effectum illicitum, vel si alium habet, est mediante illo, non vult causam, sed ob effectum illicitum: ergo directè vult effectum illicitum. Præterea applicans causam habentem immediatè effectum illicitum, eligit illum effectum, vt medium ad alium, qui sit licitus; sed qui eligit medium illicitum ad effectus licitos, vult, quod est malum, & peccat: er-

ergo qui applicat cauſam habentem, vel tantum effectum illicitum, vel eo mediante alios effectus licitos, directè vult effectus illicitos. Ita docent Cayetan. in Summ. verb. *Aborſus*. Sylveſter verb. *Medicus*. Araujo de Peccatis, artic. 10. dub. 2. Alvarez diſput. 147. Thom. Sanchez lib. 9. de matrimon. diſput. 20. num. 14. N. Salmantic. tract. 13. diſput. 10. dub. 6. & alij.

Quando ex aliqua cauſæ applicatione effectus indirecti ad culpam non attribuantur.

23 Dico ſecundò, ſi cauſa prius, aut æquè per ſe primo habeat effectum bonum, ac malum, ſi adeſt ſufficiens neceſsitas iuxta gravitatem materiæ, poteſt licitè applicari ad effectum bonum, & tunc voluntas licèt effectum malum prævideat; non tamen ex hoc dicitur illum velle; v.gr. mulier gravida, ſi periculoſe laborat, poteſt ſumere medicamentum, quod eſt inductivum ſanitatis, & ſi ſit cum aborſus periculo, dum modo, non mediante illo, poſsit expellere infirmitatem, & inducere ſanitatem; tunc enim, & ſi cauſet aborſum, eſt præter intentionem. Alio exemplo poteſt concluſio declarari deſumpto ex Thom. Sanchez loco citat. num. 20. Qui iure belli poteſt expugnare aliquam civitatem, poteſt etiam medijs tormentis bellicis, aut igne illam devaſtare, & ſi prævideat ignem, & tormenta bellica æquè illatura mortem nocentibus, quam innocentibus; quia tunc innocentium mors eſt præter intentionem illius, eſtò non ſit præter prævisionem. Et ratio horum eſt, quia effectus pravus, qui non eſt directè, aut indirectè volitus, ſed præcisè permiſſus in applicatione cauſæ, non imputatur ad culpam; ſed effectus relati non ſunt voliti directè, aut indirectè: ergo non imputantur ad culpam, neque eſt peccatum applicare cauſas illorum, & ſi prævideantur futuri. Probatur minor, quo ad primam partem. Quia ad directam eorum volitionem requiritur, vel expreſsè eos velle, vel eſſe præintentos in applicatione cauſæ, aut ex intentione alicuius finis, ad quem ipſi ſunt media neceſſaria; ſed in caſu aſſertionis nihil horum accidit, cum ſolum quæratur ſalus prægnantis, & devaſtatio iuſta civitatis, & omnes alij effectus ſunt præter intentionem, cauſas illorum applicantis: ergo tales effectus ſubſequuti non ſunt directè voliti. Nec etiam ſunt voliti indirectè; quia ad hoc requiritur obligatio eos evitandi; ſed in caſu poſito ceſſat hæc obligatio, cum ſit cauſa gravis, & vrgens ad applicandam cauſam ob effectum bonum, inde emanandum: ergo effectus pravi ex applicatione cauſæ ſequuti non ſunt voliti, nec directè, nec indirectè, & conſequenter voluntas non peccat in applicatione cauſæ, nec conſentit in effectus pravos. Nota tamen, eſſe neceſſariam gravem neceſsitatem ad applicationem cauſæ boni effectus, ex qua prævidetur malum futurum; cum vnuſquiſque teneatur ex lege charitatis, & iuſtitiæ, quantum licitè poteſt, vitare damnum proximi, & alienum malum.

De neceſsita requiſita ad applicandas cauſas indirectè in effectus pravos influentes.

24 Dico tertiò, quod eſtò cauſæ ſint per accidens, ſi tamen ex eis prævidentur futuri effectus graviter nocivi, cenſetur voluntatem eos velle in applicatione illarum, quando non vrget ad hoc gravis neceſsitas, & ſic tenetur abſtinere ab applicatione illarum. Et ratio eſt, quia qui vult cauſam, ex qua prævidet futurum effectum pravum, ſi non vrget neceſsitas, cenſetur velle malum futurum; ſed in caſu poſito vult cauſam, ex qua, licèt per accidens, futurus eſt effectus pravus: ergo, ſi alias non vrgeat neceſsitas ad ponendam cauſam, cenſetur velle, in poſitione illius, effectum futurum. ¶ Sed quæres, quæ neceſsitas ſufficiat, vt non cenſeatur effectus pravus ſequutus ex applicatione cauſæ volitus? Reſpondetur, debere eſſe vrgentem, & gravem iuxta materiæ qualitatem, & cui non poſsit alia via tunc occurri; quia, ſi poteſt alia via occurri, iam tunc non erit vrgens, & neceſſaria applicatio illius cauſæ. Determinare autem in particulari, quando eſt neceſsitas gravis, & vrgens, eſt latiſsima provincia, & quæ dependet ex materia virtutum; pro harum enim diverſitate, & gravitate, mutatur gravitas neceſsitatis: vnde hoc prudentis, & ſapientis iudicio relinquendum eſt. Omittimus pro nunc agere de cauſis influentibus per ſe, & per accidens in venerea; quia propriam ſedem habent in ſexto Decalogi præcepto. Videantur interim Alvarez, & alij ſuprà relati.

PUNCT. IV.

An conſenſus in delectationem moroſam obiecti mortalis ſit peccatum mortale?

§. I.

Aliqua pro difficultatis reſolutione ſupponuntur.

Definitio delectationis moroſæ.

25 PRo huius dubij reſolutione ſupponendum eſt primò, quod delectatio moroſa, ſic definitur communiter à Doctoribus: *Eſt ſimplex complacentia obiecti pravi cogitati ſine intentione efficaci executionis illius.* Pro cuius intelligentia nota cum Sanchez in Summ. lib. 1. cap. 2. num. 1. duplicem eſſe affectum voluntatis: primus eſt conſequendi, quod delectat, qui dicitur efficax voluntas: ſecundus eſt ſimplex complacentia obiecti, quod delectat abſque executionis deſiderio: & hic dicitur delectatio moroſa, quæ non ſolum poteſt eſſe in voluntate, ſed etiam in appetitu ſenſitivo, cum hac tamen differentia, quod ſi ſit in voluntate, eſt actus purè immaterialis, ſicut eſt voluntas; at ſi ſit in appetitu ſenſitivo, eſt materialis, & ſenſibilis, cum hic appetitus corporeus ſit.

Dicitur delectatio moroſa à mora voluntatis, non temporis.

26 Secundò eſt ſupponendum, quod delectatio non dicitur moroſa, quia temporis mora menſuretur, ſed vt docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 74. artic. 6. ad 3. *Delectatio dicitur moroſa non ex mora temporis, ſed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens, & volvens libenter, quæ ſtatim, vt attigerunt animum, reſpui debuerunt.*

runt. Accidere enim potest, quod delectatio diu persistat, & morosa non sit, si voluntas resistat toto illo tempore: & è contra potest delectatio esse morosa, & si duret per vnicum instans, si voluntas statim ac illam advertit, plenè consentiat: quare ex solo pleno consensu cognoscendum est, an sit, vel non delectatio morosa. Sed advertere licèt, quod hæc delectatio morosa, & potest esse de obiecto honesto, & de obiecto pravo, si sit de obiecto honesto, est bona, & laudabilis; si vero sit de pravo, erit mala, & peccaminosa: & estò hæc vera sint, tamen ex communi acceptione delectatio morosa sumitur in malam partem pro delectatione obiecti turpis, & in hoc sensu de illa loquendum est nobis in præsenti.

Delectatio potest esse de cogitatione obiecti & de ipso obiecto cogitato.

27 Tertiò supponendum est cum D.Thomas 1.2. quæst.74. artic.8. duplicem posse esse delectationem morosam de obiecto malo cogitato; prima est de cogitatione ipsius obiecti; secunda est de ipso obiecto cogitato, quæ distinctio non est intelligenda, quasi in prima nullo modo ingrediatur obiectum cogitatum, nec in secunda illius cognitio (vt non nulli iudicant) sed taliter quod in prima ingrediatur cogitatio tamquam obiectum *quod* delectationis; obiectum vero pravum, vt quid se habens de materiali: in secunda autem è contra, obiectum pravum ingrediatur tamquam obiectum *quod*, cogitatio vero vt conditio illud applicans voluntati, vt optimè notant Vazquez 1.2. quæst.74. artic.8. disput.109. cap.1. num.1. Sanchez in lib.1. cap.2. num.3. & alij. Delectatio autem de cogitatione obiecti pravi, si absit periculum consensus non est mala, sed aliquando potest esse bona: quia hæc delectatio specificatur à cogitatione obiecti pravi; sed hæc cogitatio, nisi sit vana, aut cum periculo consensus, potest esse bona: vt cum quis cogitat rem pravam causa consultationis, prædicationis, audiendi confessiones, libros scribendi, aut ignorantes edocendi: ergo talis delectatio potest esse bona. Sic docent Salas 1.2. tract.13. disput.6. sect.7. à num.61. plurimos referens Lessius lib.4. de Virtute, cap.3. dub. 15.num.109. Bonacina de matrimon. quæst.4. punct.8.num.4. Sanchez loc.citat. Tapia tom. 1. Caten.Moral. lib.3. quæst.7. artic.2.num.1. Prado cap.2.quæst.10.§.4.num.16. & alij.

Indicia, quibus cognoscitur delectationem esse de cogitatione obiecti, non vero de obiecto cogitato.

28 Sed quæres quibus indicijs discernendum est, an delectatio sit de cogitatione, aut de obiecto turpi cogitato? Fateor esse difficillimum cognitu: sed nihilominus pro eius cognitione aliqua signa tradam. Primum est ex D.Thom. loc. citat. artic.8. attendere ad affectum, & intentionem operantis: nam si delectatio de cogitatione est ex bono motivo, evidens indicium est delectationem esse præcisè de cogitatione; at vero si est ex affectu ad rem malam cogitatam, certum est esse delectationem de re prava; quod frequentius contigit in his, qui tali vitio dediti sunt: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*; & quos videmus passim de turpibus rebus confabulari, non leve indicium est non de cogitatione, sed de obiecto turpi esse delectationem. Secundum signum est videre, ex qua occasione oritur delectatio; si enim oritur ob studium, confessionem, prædicationem, &c. potest præsumi delectationem illam esse præcisè de cogitatione obiecti turpis: at si procedat, quia v. gr. aut vindictam aliquando de inimico sumpsit, vel cum fœminam rem habuit; præsumendum est esse de re prava, & obiecto turpi. Ita Cayetan. Sylvester, Petrus Soto, Herrera, Salas loco citat.num.63. & alij apud ipsum. Tapia lib.3. quæst.7.artic.2.num.2.Palaus tract.2.disput.2. punct.10. §.1. num.5. Sanchez lib.1. Summ. cap.2.num.7.alios referens.

Delectatio morosa specificatur ab obiecto.

29 Quartò supponendum est, delectationem morosam ab obiecto specificari. Hæc suppositio est communis, imò Salas disput.6. sect.6. ait contrarium esse inopinabile. Et ratio est evidens, quia omne respectivum specificatur à termino, & obiecto, quod respicit; sed delectatio est actus respectivus, cum sit moralis: ergo specificatur ab obiecto, quod respicit; & sic erit eiusdem speciei cum obiecto, de quo delectatur. Ita omnes Scholastici, & ex Moralistis Sanchez lib.1. Summ. cap.2. num.11. Azor tom.1. lib.4. cap.6. Villalobos tom.1. tract.3. difficult.3. Filliucio tract.30. cap.10. Angelus verb.*Cogitatio*. Sa verb. *Luxuria*. Armilla verb. *Delectatio*. Bonacina quæst.4.de matrimon.punct.8. num.19. Tapia lib.3. quæst.7. artic.2. num.4. & alij plures à N. Salmantic. Scholast. citati tom.4. disput.9. dub.1.num.3.

Negant aliqui delectationé sumere speciem à circunstantijs obiecti.

30 Sed gravior difficultas est, an sumat delectatio morosa speciem non solum ab obiecto, sed etiam à circunstantijs illius? In qua quæstione conveniunt Doctores, quod si non tantum substantia obiecti pravi, verum etiam circunstantia illius est ratio motiva delectationis, tunc accipit speciem ab obiecto, & circunstantia illius; vt si quis, v. gr. delectetur de homicidio Petri, quia homo est, & quia Sacerdos est; delectatio non solum est in specie homicidij, verum etiam sacrilegij. ¶ At, si circunstantia obiecti ex se speciem mutans, non est ratio motiva delectationis, sed præcisè concomitans, estò ab appetente cognita? In hoc dividuntur Authores. Nam in hoc casu non diversificari speciem delectationis, sentiunt Vazquez 1.2.disput.112.cap.2. Sayrus in Clavi Regia, lib.9.cap.7.num.10. Reginaldus tom.2. lib.12. cap.2. num.13. & aliqui ex nostris, licèt ab hac doctrina excludant delectationem veneream; tenent etiam Palaus tract.2. disput.2.punct.10.§.14.num.2. Diana 1.part. tract.7.resolut.48. & 2.part.tract.4.resolut.67. & alijs: nisi alias ipsæ delectationes diversimode specialiter opponantur virtuti castitatis, vt delectatio de copula sodomitica, vel bestiali, quas circunstantias Palaus, & Vazquez tenent confitendas esse. Quorum ratio pro conclusione ea est: quia delectatio, cum sit simplex complacentia, non tendit in rem pro vt est in se, sed pro vt est sibi vtilis, ad distinctionem gaudij, quod est complacentia, tendens in obiectum pro vt est in se; sed quando quis delectatur de copula habita cum coniugata, aut moniali, circunstantia coniugij, aut voti non auget, estò cognoscatur, delectationem, & vtilitatem, sed potius minuit, & temperat illas: ergo circunstantia obiecti non tribuit morosæ de-

delectationi malitiam ſpecie diverſam. Notant tamen, & benè, iſti Authores, quod doctrina tradita non tenet in delectatione, quando circunſtantia mutans ſpeciem ſe tenet ex parte ſubiecti delectantis, vt ſi ſit coniugatus, aut Religioſus, tunc enim ſentiunt diverſificari ſpeciem delectationis, eſtò talis circunſtantia non ſit motiva ratio, cur delectatio eveniat.

Vera eſt ſententia affirmativa.

31 At communis, & amplectenda ſententia aſſerit circunſtantias mutantes ſpeciem, ſi ſe teneant ex parte obiecti, diverſificare ſpecificè malitiam delectationis moroſæ; & ideò qui delectatur de copula cum coniugata, duplex peccatum committere, ſcilicèt fornicationis, & adulterij. Quæ concluſio ſic oſtenditur primò. Vt delectatio ſumat malitiæ ſpeciem à circunſtantijs perſonæ ſe delectantis, non requiritur, quod tales circunſtantiæ moveant ad illam; ſed ſatis eſt, quod cognitæ non removeant appetitum à delectatione obiecti pravi: ergo vt delectatio accipiat ſpeciem malitiæ à circunſtantijs obiecti, de quo quis delectatur, non requiritur, quod ad illam moveant; ſed ſatis eſt, quod cognitæ ab ea non retrahant. Secundò: actus, & eius delectatio iuxta Philoſoph. lib. 10. & hic cap. 3. & 5. eiuſdem prorſus bonitatis, aut malitiæ ſunt; ſed actus ſumit ſpeciem bonitatis, aut malitiæ à circunſtantijs obiecti: ergo & delectatio. Tertiò: in delectatione de morte Parentis fatenda eſt circunſtantia, & ſic committitur peccatum impietatis: ergo in qualibet alia delectatione eſt fatenda circunſtantia mutans ſpeciem. Quartò: vt circunſtantia obiecti maculet delectationem moroſam, non requiritur, quod ſit motiva, ſed ſatis eſt, ſi ſit terminativa, vt patet in eo, qui delectatur de furto ob fornicationem, vbi non ſolum fornicatio, quæ eſt ratio motiva, ſed & furtum, quod eſt ratio terminativa tribuit delectationi malitiam; ſed circunſtantiæ obiecti, ſi ſemel cognoſcuntur, ſunt terminativæ: ergo ab eis accipit malitiam delectatio. Vltimò: quia ſivè actus ſit efficax, vt deſiderium, ſivè inefficax, vt delectatio, ſemper accipit ſpeciem ab obiecto, vt docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 18. artic. 2. & quæſt. 19. artic. 1. & 2. & quæſt. 72. artic. 2. Et ratio eſt, quia hoc ipſo, quod in illud tendat, approbat per affectum quid quid in obiecto eſt pravum, cumque à circunſtantijs habeat etiam eſſe malum, & pravum, approbat tam malitiam obiecti, quàm circunſtantiarum: ergo ab illis omnibus ſumit ſpeciem. Per quod iam patet ad rationem dubitandi. Noſtram ſententiam defendunt Sanchez lib. 1. Summ. cap. 2. num. 11. referens Cayetan. D. Anton. Sotum, Navarr. Alcocer, & Azor. lib. 4. inſtruct. cap. 6. quæſt. 3. Sylveſt. Angeſt. Armilla verbo *Cogitatio*, & *delectatio*. Lugo de Pœnitent. diſput. 16. ſect. 6. num. 377. Candid. diſquiſit. 24. artic. 23. dub. 16. Tapia tom. 1. Caten. lib. 3. quæſt. 7. artic. 2. num. 4. Leſsius lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 123. Bonacina de matrimon. quæſt. 4. punct. 8. num. 19. loquendo de delectatione venerea. Fagundez lib. 9. in Decalog. cap. 4. num. 25. Villalobos tom. 1. tract. 3. difficult. 3. num. 4. Prado cap. 2. de Peccat. quæſt. 11. §. 2. & denique N. Salmant. tract. 13. diſput. 11. dub. 3. num. 54. N. Anton. in Direct. Confeſſ. tract. 5. diſput. 8. ſect. 2. num. 534.

Præciſio intellectus nó obeſt quominus circunſtantiæ tribuant ſpeciē delectationi

32 Vnde minimè approbamus doctrinam Lugonis num. 384. Leand. de Pœnitent. tract. 5. quæſt. 20. & Azor lib. 4. cap. 6. quæſt. 3. aſſerentium, quod ſi quis delectetur de copula cum vxore aliena, cognita vt tali, præſcindendo tamen per intellectum, quod ſit aliena, & ſolum ſe delectando, quia gracilis, aut pulchra, non accipit illa delectatio ſpeciem adulterij; ſed præcisè ſimplicis fornicationis. Hæc, inquam, doctrina falſa eſt: quia ex virtute caſtitatis obligamur non ſolum ad nolendum expreſsè circunſtantias pravas ſpeciem mutantes; ſed etiam ob illas ad reſpuendum obiectum delectationis: quoties ergo appetitus non retrahitur à delectatione obiecti, eo ipſo cenſetur virtualiter velle illius circunſtantias: vnde tota illa præciſio per intellectum frivola eſt, & tantum velle verbis ludere, aut potius illudere; quod facilè illuſtro hoc exemplo: ſi Religioſus diceret intra ſe: volo delectari de copula, ſed non in quantum Religioſus ſum; ſed in quantum homo ſum; numquid, quia ita præſcindit, illa delectatio non erit contra religionem? Minimè: ergo ſimiliter futilis eſt illa commentitia præciſio intellectus, impotenſque ne à circunſtantijs cognitis accipiat malitiam prædicta delectatio. Quare ſicut eſt inefficax illa præciſio, ne obiectum tribuat delectationi malitiam, ita erit ne illam conferant circunſtantiæ. Ita Doctores ſuprà citat. Et in his præciſionibus intellectus, maximè rerum, quæ iuri naturali interdicuntur, cautè, & pedetentim procedendum eſt, præcipuè poſt damnatas ſequentes propoſitiones Innocenc. XI. ex quibus decima tertia ſic ait: *Si cum debita moderatione facias, poteſt abſque mortali peccato de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Decima quarta: *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem vt malum Patris, ſed vt bonum cupientis; quia nimirum obventura eſt pinguis hæreditas.* Decima quinta: *Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* His ſuppoſitis.

§. II.

Deciditur difficultas propoſita.

Delectatio obiecti moralis eſt peccatum mortale.

33 AD principalem ergo puncti quæſtionem deveniendo: An ſcilicèt conſenſus in delectationem obiecti mortalis ſit peccatum læthale? (quod vt notat benè Sanchez lib. 1. Summ. cap. 2. num. 1. & 3. eſt idem ac quærere, an delectatio moroſa obiecti mortalis ſit mortalis?) Dicimus, quod delectatio moroſa obiecti mortalis eſt peccatum læthale. Et ratio eſt, quia delectatio moroſa eſt actus humanus, ſed omnis actus humanus ſumit ſuam malitiam ex obiecto: ergo delectatio moralis ſumit malitiam ex obiecto; & ſic ſi obie-

obiectum est mortale, delectatio erit mortalis. ¶ Confirmatur. Delectationis actus est motus in obiectum pravum, sicut tendit in illud actio externa exequens; sed actio externa exequens obiectum pravum, sumit malitiam ab illo: ergo etiam ab eo sumit malitiam morosa delectatio. ¶ Denique probatur ratione D. Thom. 1.2.quæst.74.artic.8. Delectatio præsuponit in voluntate affectum illius, de quo est delectatio: ergo qui delectatur de aliquo obiecto mortali, habet affectum ad illud; sed habere affectum deliberatum ad obiectum illicitum mortaliter, est peccatum mortale: ergo omnis delectatio morosa obiecti mortalis, est peccatum mortale. Ita docent communiter Scholastici, & Moralistæ sequentes D. Thom. maximè N.Salmant.Scholast.tom.4.disput.11. dub.2. Cayetan.Medina, Alvarez, & alij. Insuper eam tenent Petrus Ledesma in Summ. tract.27.de Abstinentia, cap.17. conclus.1. alter Medina Cod. de restit.quæst.21.§.*Mihi tamen*. Azor tom.1. Instit. Moral. lib.4. cap.6. quæst.1. Montesinos 1.2. quæst. 74. artic.8. disput.7.quæst.3.num.64. Suarez 1.2.disput.5. de causis intrinc. peccat. sect. 7. §. 7. Sanchez lib.1.Summ.cap.2. num.8. Prado cap.2. quæst.10. à num.1. Fagundez lib.9. Decalog. cap.2. Illustris. Tapia tom.1.Caten. lib.3.art.2. num.3. N. Anton. à Spirit. Sanct. in Direct. Confess. tract.15. disput.8. sect.2. §.25. num. 529. Layman tract.3.cap.6. num.4. & alij.

Referuntur duæ sententiæ nostræ resolutioni oppositæ.

34 Contra propositam resolutionem duplicem invenio sententiam. Prima asserit delectationem morosam obiecti mortalis non esse peccatum mortale, etiam secluso periculo consensus. Ita aliqui, quos supresso nomine refert D. Thom. artic.8. citat. & eam approbans, vt probabilem Corduva in suo quæst. lib.1. quæst.23. §.*Opinio* 2. tribuit Martino de Magistris, quæ suaderi potest his argumentis. Primò, quia delectatio morosa non prohibetur aliquo præcepto, scilicèt sexto, aut nono Decalogi; in his enim tantum prohibetur opus externum, aut desiderium illius: ergo non est peccatum mortale. Secundò, idem est delectari de cogitatione obiecti pravi, ac de ipso obiecto cogitato; sed delectatio de cogitatione non est mortale, vt docet D.Thom.loc.cit. ergo nec erit mortalis delectatio morosa de obiecto pravo. ¶ Secunda sententia est Vazquez 1.2.quæst.74. artic.8. disput.111. cap.3. 4.& 5. Sayr.in Clavi Reg.lib.8.cap.7.num.14. Castro Pal. tract.2. disput. 2. punct.10. §. 1. num.1. citans Bonacina de matrimon. quæst.4. punct.8.num.15.& 16. Basil.Legion. de matrimon.cap.16. §.1. num.7. asserentium non omnem delectationem obiecti graviter illiciti esse mortale, nisi quando malitia huius delectationis continet ex se notabilem deformitatem ad aliquam virtutem, vt delectatio sodomiæ, & bestialitatis. Quorum potissimum fundamentum est differentia, quæ est inter actum efficacem, & inefficacem, qualis est delectatio; scilicèt, quod actus efficax voluntatis accipit malitiam ex opere externo; secus vero delectatio, sed est mala, si oppositionem habeat notabilem cum aliqua virtute: ergo non sumitur mortalis malitia delectationis ab obiecto graviter pravo. ¶ Deindè confirmatur ab exemplis. Potest delectatio esse mortalis, quin mortale sit obiectum, & è contra esse obiectum mortale, & non illicita eius delectatio. Primum patet in vidua nunc se delectante de actu coniugij præterito, qui fuit bonus, & tamen est mortalis delectatio. Secundum etiam liquet in Religioso se delectante in magnis sumptibus propria authoritate erogandis, quæ delectatio est bona,& si elargitio esset mala: ergo non omnis delectatio obiecti mortalis accipit ab illo malitiam læthalem.

Refelluntur vtriusq; sententiæ argumenta.

35 Sed hæc non enervant vim nostræ sententiæ. Ad primum primæ sententiæ respondetur, quod illis præceptis non solum prohibetur consensus in opus, sed etiam delectatio ipsius operis. Ad secundum liquet ex suppositionibus, vbi diximus delectationem de cogitatione obiecti pravi, esse distinctam à delectatione ipsius obiecti cogitati, cum in prima cogitatio se habeat per modum obiecti, & in secunda ipsum obiectum sit terminus cogitationis: quare prima potest esse honesta, sed secunda numquam erit licita. ¶ Ad primum argumentum secundæ sententiæ patet ex rationibus probativis nostræ sententiæ, & insuper respondetur, quod omnis actus, sivè sit efficax, sivè inefficax, vt delectatio, sumit malitiam ab obiecto, vt suprà diximus. ¶ Ad confirmationem negatur antecedens, & ad primum exemplum viduæ infrà punct.6. amplius patebit; pro nunc dicimus, quod talis delectatio non est mortalis, si non fiat cum delectatione venerea, & motibus libidinosis, secus si fiat cum illis: quia tunc talis motus sunt peccatum mortale, & ipsa delectatio est iam inquoata pollutio, & dispositio ad copulam. ¶ Ad secundum exemplum dic, quod si Religiosus delectetur de magnis sumptibus elargiendis à se propria authoritate, si sibi esset licitum, non peccaret, secus vero si delectaretur absolutè: quia in primo casu talis elargitio iudicatur licita, & sic etiam erit delectatio: at in secundo absolutè est mala, & absque honesto fine: quare etiam erit mala illius delectatio. Ita Layman lib.1.tract.3. cap.6.num. 10. Suarez tom.1.de Religione, lib.8. cap.15. num.8. & Vazquez 1.2. disput.111. cap.3. num.9.

Delectatio de prohibitio iuræ naturæ,& positivo,in quantum prohibitis est læthale.

36 Sed rogabis: An doctrina tradita verificetur non solum de prohibitis iure naturæ, verum etiam de prohibitis iure positivo? Respondetur æqualiter procedere de omnibus consideratis sub ea ratione, sub qua prohibentur: quia tunc non minus est malum prohibitum, & peccatum fornicatio, ac esus carnium in quadragesima. Vnde eodem modo etiam erit peccatum delectatio esus carnium in quadragesima, ac fornicationis; cum delectatio sumat malitiam ab obiecto, vt malo, & prohibito. Quæ conclusio ab omnibus, vt certa admittitur, & adeò veram esse ait Basilius Pontius lib.10. de matrimon. cap.16. num.2. vt iudicet certam secundum fidem. Quare in hoc nullum est discrimen inter ea, quæ iure naturæ prohibentur; ac inter ea, quæ iure positivo interdicuntur.

37 Sed maior difficultas est: An possit quis

Delectatio de prohibitis iure positivo quo ad substantiam rei est licita; secus in prohibitis iure naturæ.

quis præscindere in prohibitis iure naturali, & positivo substantiam operis ab eius prohibitione, & malitia, & sic licitè de illa delectari? Respondetur affirmativè de iure positivo prohibitis, & negativè de prohibitis iure naturali. Et ratio est, quia ea, quæ prohibentur solo iure positivo, non sunt intrinsecè mala, sicut sunt, quæ iure naturali prohibentur: sed in his, quæ non sunt intrinsecè mala, operis substantia potest apprehendi sine prohibitione, secus vero in his, quæ intrinsecè mala sunt: ergo potest licitè de illis, & non de istis, vt sic apprehensis delectari. Probatur minor, in qua sola est difficultas. In his, quæ non sunt intrinsecè mala, v.gr. esus carnium die veneris, & omissio sacri die Dominica, malitia illorum provenit ab extrinseco ex prohibitione legis, & ea secluſa, eorum substantia est bona, & vt talis apprehendi potest: è contra vero in his, quæ sunt intrinsecè mala, & iure naturali prohibita, vt odium Dei, furtum &c. malitia provenit ab intrinseco, & essentia operis, & ideò nequit concipi eorum substantia, quin malitia moralis concipiatur: ergo licèt in illis delectatio possit esse de substantia operis, præscindendo ab eorum prohibitione, ideòque bona, in istis vero, quia semper erit de malitia, vt potè in præscindibilis ab eorum essentia morali, nequit delectatio non esse mala. Hæc conclusio circa prohibita iuræ naturæ est communis; circa prohibita iure positivo eam defendit Vazquez 1.2.disput.110.cap.2. qui, licèt prius impugnet rationes probativas aliorum; tamen alia ratione ex proprio cerebro deprompta, à nobisque sæpius impugnata numero septimo, communem sententiam approbat; quam insuper tenent Lesius lib.4.cap.3.dub.15.à numero 114.N.Salmantic.tract.13.disput.11.dub.2. num.21. Oviedo 1.2. tract.6. controvers.4. punct.4. citans Reginaldo, Palao, Layman, Hurtado, Filliucio, Villalobos tom.1.tract.3. difficult.3. num.5. Trullench lib.6. Decalog. cap.1.dub.13. Mendoza lib.1.sect.2. problem. 3. Tapia lib.3. quæst.7. artic.3. num.4. Salas tract. 13. disput. 6. sect.5. num.52. Sanchez lib.1.Summ.cap.2.num.10.Lugo de Pœnitent. disput.16.sect.6.num.338. Diana 3.part.tract. 5.resolut.5.referens plures alios.

Quædam ex dictis inferuntur.

38 Ex quibus oritur primò, quod si quis delectatur de fœmina coniugata, cognita vt tali, peccat non solum peccato fornicationis, sed & adulterij: quia circunstantia alienæ vxoris est in præscindibilis moraliter ab obiecto, licèt per intellectum velit illam circunstantiam præscindere, & accedere ad illam, non quia aliena, sed quia mulier. Sed si delectetur de fœmina in communi abstrahendo à circunstantijs omnibus, erit peccatum præcisè simplicis fornicationis: nisi alias in illa apprehensione in communi, velit quamcumque fœminam cuiuscumque status sit; quia tunc hæc delectatio habebit omnes species luxuriæ. ¶ Oritur secundò, si quis morosè delectetur die veneris de esu perdicis, aut capi mente concepto, non quia prohibito, sed quia stomachum, & palatum valdè oblectat, non peccat mortaliter. Quis enim, aiunt Villalobos, Salas, & Vazquez, audebit damnare peccati mortalis reum Carthusianum, qui videns hominem carnibus vesci, de illis, non quia sibi prohibitis, sed quia salubribus, delectatur, ac si re ipsa illas comederit? Ergo delectari de rebus prohibitis iure positivo, non quia prohibitis, sed ob aliam rationem, non est læthale. Hac ratione dicunt N.Salmantic.num.21.quod sanus videns infirmum carnibus vescentem die quadragesimæ, potest absque peccato de illis delectari, apprehendendo illis vesci: quia potest sibi objcere ipsam substantiam, præscindendo à circunstantia temporis prohibiti. Et Religiosus potest se delectari apprehendendo, se dispendere propria authoritate magnam summam in pauperes, non quia paupertatis voto ligatus, sed abstrahendo à voto, & status conditione, sub quibus illi non prohibetur.

Delectatio de modo artificioso rei pravæ non est mortale.

39 Vltimò inquires: An sit læthale, delectari de obiecto mortali, non quia malo, sed quia quodam modo mirabili, & artificioso fuit perfectum? Respondetur negativè. Et ratio est, quia tunc delectatio non versatur circa rem, quia malam, sed quia miram, vel vt melius dicam circa modum illius, hoc est, circa dexteritatem, ingenium, fortitudinem, velocitatem, quæ nullam malitiam important; sed delectatio, quæ versatur circa rem, quæ non est mala, nequit esse peccaminosa: ergo dicta delectatio non est peccaminosa, sed potius licita. Vnde licitum est delectari de cogitatione, aut aspectu belli iniusti, non quidem ob cædes inde ortas, sed ob dexteritatem, & stratagemata pugnandi. Similiter poterit quis delectari de artificio, aut subtilitate in aliquo furto relucente, cum talis modus malitiam non contineat. Quare communiter, quando videmus aliquem in præceps ruere, aut narrantur fraudes, furta, aut bella, ridere, & delectari solemus, non quia delectemur de casu, aut furto, sed de modo illius; & in hoc nullus censetur peccare. Sic docent Sanchez lib.1. cap.2.num.5. Bonacina de matrimon.quæst.4. punct.8.num.7.Palaus tract.2.disput.2.num.5. Azor tom.1.lib.4. cap.6. quæst.1. N.Anton.in Direct.Confess.tract.5.disput.8.sect.2.num.19. & communiter Doctores.

Limitatur doctrina numeri præcedentis.

40 Nota tamen, posse esse læthale, delectari de tali modo subtili, & ingenioso, si sit periculum ea committendi, aut consentiendi in ipsas res, vel modus artificiosus in se sit malus, cum tunc sit delectatio de obiecto pravo. Cognoscetur tamen delectationem esse præcisè de ipso modo ingenioso, quando æquè delectat, si inveniatur in rebus licitis, ac in illicitis: at si iucundius, aut avidius leguntur, aut audiuntur carmina, & cantinelæ de rebus turpibus, quam de honestis, & pijs, estò æquè elegantia, & artificiosa sint, convincitur manifestè delectationem non esse de modo artificioso, sed de substantia, & malitia rerum: vt benè notant Palaus, & alij. Eiusdemque peccati rei arguendi sunt, qui verba casu dicta, aliudque sonantia, ad turpia deflectunt, imperitiam alterius accusantes, proprij que ingenij, vel potius genij extollentes acumen. Similique iudicio, ait Salas loco citat. sect.8. deprehendimus, aliquos decipi latenti delectatione carnis, qui frequentius, & liben-

libentius loquuntur de occultis partibus corporis, de ægritudinibus, medicinis, vestibus, & alijs ad eas pertinentibus, quarum memoria erumpit in risus incompositos, testes alicuius delectationis latentis: vnde monet cum Gersone alphab.29.amatorem castitatis, cum hæc vel invitus audit, vel iuxta de causa profert, debere nullum præbere signum lætitiæ, sed serenitatem, & gravitatem vultus in omnibus servare, seque gerere, ac si loqueretur de ædificanda domo, vel ligno dolando.

PUNCT. V.

An sit licitum delectari de malo proximi ob honestum finem, vel effectum inde ortum: vel de actione prava excusata à peccato ob ignorantiam, somnum, aut alias causas?

§. I.

Deciditur prima pars dubij.

Ob nullum finem licèt delectari de damno spirituali proximi.

41 PLura continet sub se dubium propositum, quæ gravi indigebant discussione, sed quia brevitati studemus, ea levi calamo tangemus. Inquires ergo: An sit licitum delectari de damno proximi spirituali, aut temporali ob bonum finem? Dicendum est primò, illicitum esse delectari ex quocumque fine, de damno spirituali proximi; v.gr. de æterna damnatione, vel de amissione gratiæ. Et ratio est, quia ex lege charitatis tenemur cuilibet, quamtumvis peccatori, desiderare æternam beatitudinem; sed hæc amittitur per damnationem æternam, & impeditur per privationem gratiæ: ergo nequit cum hac obligatione charitatis, & beatitudinis desiderio componi delectatio de æterna damnatione, & amissione gratiæ. Cum hoc tamen componitur, quod licitè delectemur de permissione peccati, quando ex Dei misericordia ordinatur ad maius bonum peccatoris, vt accidit in D.Petro, & Paulo: quia tunc & ipsa permissio est bona, & effectus ex illa mediatè orti maiora bona peccatoribus afferunt.

De morte naturali ob finem honestum licèt aliquando delectari.

42 Dicendum est secundò, licitè posse delectari de damno temporali proximi, vt de morte naturali, ægritudine, &c. ob finem bonum, & sufficienter honestum. Quod ostenditur primò ex Scriptura, vbi Ioann.11. dicitur de Christo: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, &c.* id est, vt videntes discipuli eius resurrectionem, confirmarentur in fide, vt interpretantur Cayetan. Lyra, & alij, quos sequitur Maldonat. Rursus D. Paulus 2. ad Corinth. 7. dixit vers.9. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*: ergo de morte, aut alio damno naturali possumus delectari ob finem honestum. Et ratio est, quia damnum temporale; v.gr.mors naturalis, aut infirmitas non est adhuc materialiter, & obiectivè peccatum, sed quid à Deo dispositum, afferensque maiorem vtilitatem, & convenientiam, quam incommodum damnum proximo illatum: ergo licitè potest de illo delectari, cum versetur circa bonum absolutè maius. Hæc communia sunt.

Designantur fines ob quos licèt delectari de morte aliena naturali.

43 Sed difficultas est, quod bonum ex illo damno sequutum sit absolutè maius, vt licitè possimus de morte proximi complacere? Respondetur primò, quod bonum spirituale proprium, & alienum excedit omne damnum temporale, & ideò ob illud possumus complacere de morte, & damno temporali proximi. Quare docent Toletus lib.4. Summ. cap.11. Bonacina de Charit.disput.3. quæst.11. punct. vltim. num.7. & 8. Navarr. in Summ. cap.15. num.10.posse quemlibet complacere de infirmitate, & amissione bonorum deliquentis, vt à peccatis desistat; imò & de morte, si videas non convertendum, ne graviores in inferno luat pœnas. Adduntque Navarr.loc.cit. Toletus de sept.peccat.mort.cap.66.& lib.4.Summ. cap.11. Reginald.lib.17.cap.116. Bonacina de Charit.disput.3. quæst.4. punct.vltim. num.7. Ioann.Sanchez in Select.disput.2.num.6. licere delectari de morte peccatoris scandalosi, ne alijs sit ruinæ occasio. Et hinc oritur, quod liceat delectari de morte Hæreticorum, & Turcarum; imò & eam illis imprecari; ne aliquos eorum execranda hæresis pestis inficiat, & tyrannide alij pervertantur. Vnde ait Ecclesia in collect. *Et gentes Paganorum, & Hæreticorum dextera tuæ potentiæ conterantur.*

Ob bonum Reipublicæ licèt complacere de morte malefactoris publica authoritate patrata.

44 Respondetur secundò, quod si mors, aut infirmitas cædat in damnum Reipublicæ, licèt de ea ob bonum temporale commune delectari. Et ita ex zelo iustitiæ licèt gaudere de morte malefactorum à publica authoritate patrata, quatenus est actus iustitiæ vindicativæ, cædensque in aliorum exemplum. Sic Ledesma 2.part.Summ.tr.17.concl.3.Tolet.lib.4.Summ. cap.11. Lesius lib.2. de Iust. cap.47. dub.4. num.21. Quare N. Lumbier, & alij Neoterici summistæ explicando propositionem 13. & 14. damnatas ab Innocentio XI. asserunt posse licitè Patres optare mortem filiæ, aut filij, qui, vel ob eorum turpitudinem, aut furta prudenter timentur infamiam allaturum familiæ; & fortasse moventur; quia familiæ honor est bonum commune, quod particulari longè excellit.

Ob bonum particulare tēporale illicitum est gaudere de morte naturale alterius

45 Respond.tertiò, quod ob bonum temporale particulare non licèt delectari de damno gravi proximi. Et sic illicitum est delectari de morte naturali Patris, aut alterius ob hæreditatem inde provenientem, aut aliud particulare emolumentum. Et in hoc sensu iustissime damnatæ sunt sequentes propositiones ab Innoc. XI. *Si cum debita moderatione fatias, potest absque mortali peccato de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.13.Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, vt malum Patris, sed vt bonum cupientis; quia nimirum obventura est ei pinguis hæreditas.* 14. ¶ Ex qui-

quibus prima erat Palai, tom. 1. tract. 6. disp. 4. punct. 1. num. 11. & secunda Tamburini lib. 5. cap. 1. §. 3. num. 29. & 33. Et ratio reprobationis earum ea est: quia ex charitate tenemur vitam proximi divitijs, & particulari emolumento temporali præferre; sed si ob hæreditatem delectaris de morte proximi, præfers temporale emolumentum,& divitias vitæ illius: ergo peccat contra præceptum charitatis, & insuper pietatis, si sit delectatio de morte Patris. ¶ Vlterius si doctrina harum propositionum esset tuta, quod scandala, & odia ex illis, non pullularent? Licitum enim esset vxorato delectari, & cupere mortem vxoris, ad alienam, quam turpi amplectitur amore,sibi in matrimonium copulandam; & etiam liceret viro cælibi delectari de morte mariti, illamque cupere ad viduam in vxorem ducendam: cum eadem ratio vtrobique vigeat. ¶ Deinde ex licito desiderio, & delectatione mortis Patris ob hæreditatem cupiendam, statim ebullirent odia, & tædia in Parentes, machinationes mortis, & alia huius generis, quæ nimis longum esset referre: ergo merito talis doctrina à Chatolicorum libris abrradi debet, & nostra penitus amplectenda est.

Non licet optare mortem ob evitanda damna temporalia.

46 Nec approbamus doctrinam Azoris 1. part. Sum. lib. 3. cap. 12. quæst. 2. Bonac. de charit. disp. 3. quæst. 4. punct. vlt. num. 7. & Palai loc. cit. num. 11. asserentium posse matrem mortem filiarum optare, & consequenter de ea delectari, quia ob deformitatem, aut inopiam nequit eas iuxta animi sui desiderium nuptui tradere: vel si ob illam causam male tractetur à marito, vel iniurijs afficiatur: quia in hoc desiderio, & delectatione pervertitur ordo charitatis, cum præferatur temporale emolumentum bono vitæ, quod longe excellentius est. ¶ Et ob eandem rationem minime nobis placuit opinio Ioann. Sanchez in select. disp. 2. n. 9. stabilita, quam sequitur Diana. 5. part. tract. 14. resol. 29. asserentis licere sibi, vel proximo optare mortem ob vitandam molestiam infirmitatis, mendicitatis, vitæ pœnalis à marito inflictæ, atque ægritudinem, internam afflictionem, & similia. ¶ Hæc, inquam, opinio displicet, & ideo tenendum est cum Navarro in Manual. cap. 15. num. 15. Abulens. in cap. 19. lib. 3. Reg. quæst. 4. esse læthale ob prædictam sibi, vel alijs mortem exoptare. Et ratio est, quia vitium timiditatis, & pusillanimitatis est velle carere vita ob vitanda aliqua mala minoris momenti: ergo peccat mortaliter, qui talia sibi imprecatur. ¶ Convenimus tamen cum illis, non statim esse damnandas de culpa mortali mulierculas, & maximè vetulas, quæ ob res minimas vociferantur, sibique mortem exoptant, cum plurumque ex advertentiæ defectu hæc proferant. ¶ Nec damnamus vt illicitum, quod coadiutor, aut successor in aliquo Beneficio Ecclesiastico,aut etiam pingui patrimonio,delectetur de proventibus sibi ex morte alterius obvenientibus, vel quod mulier, dire à marito vexata, gaudeat de eo, quod à tanta miseria ob mariti mortem erepta sit. Sed monere debemus materiam esse valde lubricam, & sic in ea pedetentim procedendum, quia latet anguis sub herba, & delectatio emolumenti temporalis sæpè sæpius oritur ex mortis alienæ gaudio. Videatur Trullench lib. 1. cap. 6. num. 13.

Læthale est delectari de opere formaliter malo ob bonum finem, aut effectum inde ortum.

47 Sed rogabis, an licitum sit delectari de peccato formaliter tali, v. gr. de homicidio iniusto, aut fornicatione ob bonum effectum inde ortum, scilicet pacem Reipublicæ, aut filios optimè procreatos? Respondetur negative contra Vazquez 1. 2. disp. 111. Lesium lib. 4. cap. 3. num. 106. Bonac. de Matr. cap. 2. quæst. 4. punct. 8. num. 8. Palaum tract. 2. disp. 2. punct. 10. §. 2. num. 11. Salas tract. 13. disp. 6. sect. 32. & ratio est: quia, qui delectatur de fornicatione ob optimos filios inde ortos, ratio terminativa est fornicatio, licèt motiva sit bonus effectus illius, & sic terminatur ad rem intrinsece malam, esto ob finem bonum; sed actus terminatus ad obiectum intrinsecepravum,esto sub fine bono, est malus: ergo delectatio de fornicatione ob optimos filios inde ortos, est mala. Deinde Deus nequit complacere de homicidio, aut fornicatione in quantum conducere potest ad pœnitentiam, sed tantum ea permittere: ergo nec nos. Præterea. Licet finis sit bonus, est tamen medio peccato consequibilis; sed hoc est illicitum: ergo, & illius delectatio: Solum ergo licèt delectatio ob finem bonum illius obiecti, quod sine peccato effici potest. Nostram assertionem tenent Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 7. col. 6. Medina 1. 2. quæst. 74. artic. 6. in fine. Montes. tom. 2. disp. 7. quæst. 7. num. 9. Tapia lib. 3. quæst. 7. articul. 3. numer. 2. & alij.

§. II.

Resolvitur secunda pars dubij propositi.

De opere prohibito sub mortali inculpabiliter tamen facto ratione ignorantiæ, iuxta aliquos licet delectari.

48 PRo resolutione secundæ partis quæstionis rogabis,an sit mortale ob aliquem finem honestum delectari de opere prohibito sub mortali, facto tamen absque culpa ratione ignorantiæ, somni, ebrietatis, oblivionis, aut erroris invincibilis? Vt si quis, v. gr. delectetur ob aliquem bonum effectum inde ortum de fornicatione, homicidio, & esu carnium die veneris ex ignorantia perpetratis. Prima sententia, quam defendunt Adrianus tract. 4. de Eucharist. quæst. *incipienti*. Leonard. lib. 4. de Iust. cap. 3. num. 106. Vazquez 1. 2. disp. 115. cap. 2. & 3. Corduba quæst. 30. dub. 1. Ledesma 1. part. cap. 4. quæst. 21. articul. 7. dub. 5. Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 6. num. 389. & alij, docet esse licitum delectari de tali opere prohibito, facto tamen absque culpa, ratione ignorantiæ. Quorum primum fundamentum est; quia delectatio sumit malitiam ex obiecto; sed homicidium, aut omissio sacri ex ignorantia facta non sunt mala, & peccata: ergo nec erit peccatum illorum delectatio. Secundum (quantum ad obiecta solo iure positivo prohibita, de quibus aliqui ex contrarijs tantum loquuntur) sic procedit. Non est peccatum delectari de omissione sacri ob infirmitatem: ergo neque ob ignorantiam, seu inadvertentiam.

Si per ignorantiam non liberatur prædictum opus etiam

49 Sed vera est sententia, affirmans esse illicitum delectari de similibus operibus, aut omissionibus, sivè iure naturali, sivè positivo prohibitis; quando per prædictas causas excu-

etiam à malitia obiectiva non licet delectari.

santes, tantum liberantur à malitia formali, non vero obiectiva; si vero à malitia obiectiva etiam liberantur, tunc licitum erit de illis delectari ob effectum bonum inde ortum, aut ob alium finem honestum. Sed antequam vtrumque partem conclusionis probemus, nota ex dictis tract. 11. cap. 3. punct. 4. aliquas causas esse, quæ ita liberant actionem à malitia formali, vt simul etiam liberent à malitia obiectiva; & alias causas esse, quæ tantum liberant à malitia formali; non vero obiectiva: primi generis sunt, quæ operantes extrahunt à subiectione legis; secundi vero dicuntur, quæ licet excusent à transgressione legis; non tamen extrahunt ab eius obligatione, sed manet adhuc sub illa operans. Nota deinde; esse magnam differentiam inter leges, aut præcepta naturalia, & positiva; quod à præcepti naturalis obligatione nullus ob quamcumque causam extrahitur, licet ob aliquas ab eius transgressione excusetur: & sic licèt ignorantia, inadvertentia, &c. excusent homines à peccato homicidij, & fornicationis, non tamen extrahunt illos ab obligatione legis naturalis hæc prohibentis. Vnde homicidium, & fornicatio licet tunc non sint formaliter peccata, sunt tamen obiective mala. Præcepta vero positiva non obligant cum tanto rigore: quare non solum dantur causæ excusantes ab eorum transgressione, verum etiam extrahentes ab eorum obligatione. Et sic infirmitas, iuventus, amentia, &c. ita excusant à peccato frangentes ieiunium, vt simul extrahant illos ab eius obligatione: itaque respectu horum omissio ieiunij nec formaliter, nec obiective est mala. At ebrietas, oblivio, &c. licet excusent à peccato, non tamen extrahunt ab obligatione ieiunij, aut sacri: quare horum omissio manet tunc obiective mala.

Probatur assertio.

50 Ex his iam liquet probatio vtriusque conclusionis. Quia in his, quæ esto per aliquas causas excusentur à peccato, adhuc enim manent obiective mala; delectatio libere, & cum sufficienti advertentia tendit ad id, quod obiective est malum; sed delectatio, quæ libere, & cum plena advertentia tendit ad id, quod est obiective malum, est formaliter mala; cum libere velit, & approbet obiectum malum; ergo talis delectatio est mortaliter mala. Deinde vlterius probatur conclusio. Quia homicidium, v. gr. perpetratum ab ebrio ex se malum est, & ideo non habet tunc malitiam formalem, quia ei deficit advertentia, & libertas; sed hæc omnia adsunt in delectatione: ergo nihil est per quod à peccato excusetur. Vnde sequitur, quod si quis delectetur de furto, homicidio, aut fornicatione factis in ebrietate, aut somno peccat mortaliter: quia libere delectatur de re obiective mala: similiter est læthalis culpa, si quis delectetur de omissione sacri, aut ieiunij ex oblivione, quia oblivio licet excusat à culpa, non tamen extrahit omittentem à sacri, & ieiunij obligatione, & sic tales omissiones remanent adhuc obiective malæ; at si quis omittat ieiunium, quia est iuvenis, & Sacrum, quia est graviter infirmus, tunc, & si delectetur de his omissionibus, non peccat mortaliter; quia per illas causas extrahitur totaliter à lege, quare omissio Sacri, aut ieiunij non est tunc adhuc obiective mala. Per quod liquet ad argumenta contraria. Hanc sententiam docent Paludanus 4. dist. 9. quæst. 3. artic. 1. num. 7. Adrian. quod lib. 10. artic. 2. propos. 3. litt. M. Azor tom. 1. instit. Moral. lib. 4. cap. 6. quæst. 9. Sanchez lib. 1. Summ. cap. 2. num. 16. Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 7. colum. 6. vers. *Non desunt*. Valentia de peccat. quæst. 9. punct. 1. Montes. tom. 2. disp. 7. quæst. 7. num. 108. & hæc nostra sententia videtur expresse definita ab Innocenc. XI. in prohibitione propos. 15. quæ sic se habet: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consequutas*. Si enim delectatio parricidij nequit honestari ob finem honestum consequendi hæreditatem, quia esto parricidium non sit peccatum, vt commissum ab ebrio, est tamen semper obiective malum: ergo similiter dicendum est de omni alia delectatione operis obiective mali, quod licet pro vt commissum ex ignorantia, aut advertentia non sit formaliter malum, aut peccatum; tamen vt est obiective malum, nequit esse obiectum delectationis morosæ liberæ, & voluntariæ, quin ipsa delectatio sit mortaliter peccaminosa.

Aliqui asserunt esse illicitum delectari de pollutione naturali nocturna.

51 Hinc oritur gravis difficultas, an sicut de homicidio facto in somnis nequit quis ob quemcunque honestum finem delectari; ita similiter nequeat de pollutione naturali in somnis habita, complacere in vigilia ob sanitatem, aut tentationes carnis sedandas? Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 7. colum. 6. Ledesma 1. part. cap. 4. quæst. 21. artic. 7. dub. 6. Valentia 2. 2. disp. 9. in fine. Medina 1. 2. quæst. 74. artic. 6. in fine. Lopez 1. part. instruct. cap. 74. Azor tom. 1. lib. 4. cap. 6. quæst. 9. & Illustr. Tapia tom. 1. lib. 3. quæst. 7. artic. 8. num. 3. referens Adrianum, Lorcam, Scotum, Cordubam, & Azor, & alij docent esse illicitam delectationem naturalis pollutionis, quæ habita fuit in somnis. Quorum primum fundamentum est, quia pollutio est intrinsece mala, sicut homicidium: ergo semper illicita est de ea delectatio. Secundum, quia alias esset licitum ponere media irritantia ad eam; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur sequela. Nam Authores contrarij dicunt non solum esse licitam delectationem de pollutione naturali, verum etiam illius desiderium; sed quod licet desiderare, licet procurare: ergo licet ponere mediâ ad eam irritantia.

Verior est sententia affirmativa.

52 Sed verior est sententia contraria, docens licitum esse delectari de copula naturali habita in somnis: imò, & eam desiderare inefficaciter, dummodo non sit desiderium adeò intensum, vt influat in pollutionem futuram. Hanc sententiam tenent D. Thom. in 4. distinct. 9. quæst. 1. artic. 4. quæstiunc. 1. ad 5. Palud. quæst. 3. artic. 1. num. 10. Gerson. alfab. 38. litt. *E*. loquendo de complac. & nihil dicendo de desiderio. Sed audiamus D. Thom. sic loquentem. *Si autem placeat*, id est nocturna pollutio, *vt naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur*. Docent eam absolute loquendo de eius delectatione, & desiderio, Navarr. in Summ. cap. 16. num. 7. & 9. Saà verb. *Luxuria*. Vazquez 1. 2. quæst. 115. cap. 3. num.

num.7. Sayr. lib.8. cap.5. num.15. Sylvest. verb. *Pollutio.* Lesio lib.4. de Virtut. cap.2. dub.4. Salas tract.13. disput.6. sect.32. num. 215.plurimos referens.Sylvester verb.*Pollutio.* Tabiena verb.*Communicare.* Villalobos 2.part. tract.40.difficult.16. Bonacina de Matrimon. quæst.4. punct.10. num.14. Thom.Sanchez in Summ.cap.2.num.18. Filliucio tract.30.cap.8. quæst.5. num.144. Cayetan. 2.2. quæst.154. artic.5. N.Salmantic.Scholast. tract.13.disput. 11.dub.3.§.2.à num.37.ad 40. Palaus tract.2. disput.2.punct.10.§.2.num.11. Lugo de Pœnitent.disput.16.sect.6.num.389. Montesinos tom.2. in 1.2. disput.7. quæst.7. à num.111. & maximè in responsione ad 1. Et ratio huius conclusionis desumpta ex Thom.Sanchez, & alijs, ita se habet. Pollutio à natura proveniens non est intrinsecè, & obiectivè mala: ergo est licita eius delectatio, aut desiderium. Consequentia liquet, & ostenditur antecedens. Pollutio ita proveniens est actus merè naturalis, sicut evacuatio sudoris, vrinæ, aut sanguinis; sed isti actus non sunt intrinsecè mali: ergo nec pollutio vi naturali proveniens.

Confirmatur nostra conclusio. Et solvuntur argumenta contraria

53 Confirmatur. Ideò fornicatio, & homicidium, quomodocumque fiant, sunt intrinsecè mala; quia ex se sunt actus hominis, postulant que ab intrinseco fieri libere, & subijci hominis voluntati; sed pollutio à natura proveniens non est actus hominis, sed mera evacuatio naturalis, sicut emisio sudoris, vrinæ, &c. per quas natura se exonerat: ergo, estò homicidium, & fornicatio sint intrinsecè mala, & consequenter de illis nequeat delectatio esse licita; at pollutio naturalis in somno habita non est intrinsecè mala, & sic si apponatur finis honestus, licita sunt eius delectatio, & inefficax desiderium. ¶ Per quod liquet ad primum argumentum. Ad secundum dicimus cum Vazquez loco citat. num.10. & alijs esse falsum posse procurari ea, quæ desiderare licet. Sacerdos potest desiderare malefactores à iustitia suspendi, & non potest id procurare. Similiter, vt suprà diximus, licet proximo desiderare mortem ob bonum spirituale ipsius; non tamen licet ad eam media adhibere: ergo, estò liceat desiderare inefficaciter pollutionem naturalem, non tamen eam quærere. Et ratio differentiæ est, quia quando quis eam procurat, vult eam violenter excitare, quod intrinsecè est malum, & consequenter illicitum.

Extenditur doctrina ad pollutionē naturalem diurnam.

54 Sed nota hic primò, quod Authores citati extendunt doctrinam traditam non solum ad pollutionem nocturnam naturalem, sed etiam ad diurnam, & quæ in vigilia accidit, si præcisè ex vi naturali proveniat; imò docent N.Salmantic.num.39. licitum esse delectari de illa, cum præsens est, & consentire in illam, dummodo consensus sit inefficax, & nihil in illam influat. Sed hæc doctrina, licèt speculativè, & methaphysicè sequatur ex opinione circa delectationem, & desiderium pollutionis naturalis in somno, & vigilia, quæ esse licita docent Sanchez num.19. & Vazquez disput.115. citat. cap.1. num.2. nec maiorem contineat difficultatem ac delectatio, & desiderium illius: tamen practicè raro iste consensus potest esse adeò inefficax, vt in eam nullum præstet influxum, vel saltem sit periculum illius: & quia alias in his lubricis materijs, lapsus est facilis, ideò à frequenter contingentibus iudicandum est; & ob id solent ad mortale damnare Theologi consensum in delectationem: sed si attente legantur, non loquuntur de consensu omnino inefficaci, de quo procedit nostra conclusio; sed de efficaci aliquomodo, influenti que, vt pollutio citius emittatur. ¶ Nota tamen secundò cum Vazquez, Sanchez, & N. Salmantic. quod si pollutio nocturna eveniat ex tactu proprio, vel alieno, aut ex aliquo turpi somno, sivè cogitatione, etiam non libera, tunc non est naturalis evacuatio, sed venerea, & sic obiectivè mala, de qua nequit delectatio honestari. Et ratio est, quia iam natura per se non se exonerat, sed ab alio non licito ad evacuationem impellitur. At si accidat ex causis per accidens, quas homo vitare non tenetur, vt ex moderato cibo, aut potu, vel quia audit confessiones fœminarum, aut dat operam harum rerum studio, tunc est pollutio naturalis, & sic licita eius delectatio. ¶ Notant denique, quod quando pollutio est merè naturalis, nihil obest, vt licitè possimus de ea delectari, estò secum attulerit delectationem, & commotionem sensibilem, quia hæc naturaliter pollutionem comitantur. At si quando delectamur vel de pollutione naturali præterita, aut futuram desideramus, datur hæc spirituum vitalium generationi deservientium commotio; tunc delectatio, desiderium, aut consensus sunt læthale peccatum: quia iam similes actus sunt venerei, & lascivi, & consequenter obiectivè mali. Vnde nostra, & horum Authores assertio intelligenda est de delectatione, desiderio, & consensu in pollutionem naturalem, quando tales actus sunt purè naturales, omnino que inefficaces, & absque vlla, ex vi illorum corporis, & spirituum vitalium, commotione. Sic ergo intellecta est omnino vera, minimè in hac lubrica materia habenas laxans.

PUNCT. VI.

Vtrùm delectatio morosa in coniuge, vidua, vel sponso de copula habita, aut habenda sit licita? Et an idem sit dicendum de delectatione conditionata?

Quid est dicendum de delectatione mariti in absētia vxoris.

55 TRiplicem continet difficultatem prima pars dubij propositi, quas seorsim decidemus. Circa primam inquiritur: An si coniuges in absentia alterius delectentur de copula habita, aut habenda peccent mortaliter? De hac difficultate egimus tract.9. cap.15. punct.6. num.90. diximus que, quod si delectatio hæc fiat cum titillatione, & spirituum deservientium generationi aliqua notabili

bili commotione, esse mortale, secus vero si absque illis eveniat. Quare ne actum agamus, ad ibi dicta lectorem remittimus.

Secundum aliquos vidua peccat se delectando de copula præterita

56 Circa secundam quæres: An vidua peccet mortaliter se delectando de copula tempore matrimonij habita? Prima sententia asserit talem delectationem, sivè voluntatis, sivè appetitus sensitivi, esse læthalem, & si non adsit consensus periculum, aut commotio motus libidinosi. Ita Vazquez 1. 2. disput. 114. cap. 2. num. 3. Sanchez de matrimon. lib. 9. disput. 47. num. 7. Corduba lib. 1. quæst. 23. dub. 12. Lopez 1. part. instruct. cap. 75. Azor 1. part. lib. 4. quæst. 6. Tapia tom. 1. lib. 3. quæst. 7. artic. 9. num. 2. Palaus tract. 2. disput. 2. punct. 10. §. 2. num. 7. Layman lib. 1. tract. 3. cap. 2. num. 14. Diana 3. part. tract. 5. resol. 2. & alij. Quorum fundamentum est, quia talis delectatio respicit copulam vt præsentem, estque illius inchoatio, cum afferat semper commotionem spirituum deservientium generationi; sed copula præsens est solum coniugatis licita: ergo etiam illis solis est licita eius delectatio.

[Certius est non peccare si absit cõmotio libidinosa.

57 Secunda sententia, & vera docet, si absint consensus periculum, & commotio libidinosa, quamlibet delectationem voluntatis, vel appetitus de copula habita tempore matrimonij esse viduis licitam. Quod ostenditur primò. Quia idem est obiectum delectationis tempore viduitatis, ac tempore coniugij; sed tempore coniugij erat licitum, & honestum tale obiectum, & consequenter eius delectatio: ergo etiam erit honestum, & licitum tempore viduitatis, & ex consequenti de eo delectari; cum temporum differentiæ speciem moralem minimè varient. ¶ Secundò. Iuxta Philosophum. 1. Ethicor. cap. 3. ad finem, eiusdem bonitatis, aut malitiæ est operatio, & eius delectatio; sed operatio, quam delectatio habet pro obiecto, est licita: ergo & delectatio. ¶ Tertiò. Licitum est delectari de commotione carnis, quando licita fuit, & de suspensione latronis, quando aliquis desinit esse iudex: ergo licita etiam erit delectatio in viduis de copula habita tempore matrimonij. ¶ Quartò. Non omnis delectatio, etiam appetitus sensitivi est venerea, & affert secum commotionem spirituum deservientium generationi; sed dabilis est delectatio illius à libidine abstracta, quæ respiciat copulam præteritam, non vt delectabilem, sed vt vtilem ad finem aliquem honestum, qualis est filiorum procreatio: ergo similis delectatio morosa in vidua licita est. ¶ Vltimò. Quid maius est approbare, quam delectari; sed in viduis cum fine honesto licitum est approbare copulam præteritam: ergo & delectari de illa. ¶ Diximus in conclusione, dum modo in tali delectatione absit periculum consensus, & commotio libidinosa. Quia, si hæc adsint, talis delectatio est venerea, quæ ex se mortalis est, nisi per matrimonium fiat licita. Per quæ liquet ad argumenta contraria. Hanc sententiam defendunt Cayetan. in Summ. verb. *Delectatio*, §. 2. Navarr. in Summ. cap. 16. num. 11. Valentia 1. 2. disput. 6. quæst. 4. punct. 4. Medina 1. 2. quæst. 74. artic. 8. dub. 2. & ibi Zumel disput. 4. dub. 3. Montesinos disput. 7. quæst. 6. num. 102. N. Salmantic. disput. 11. num. 46. Araujo quæst. 74. artic. 10. dub. 3. num. 48. Sylvest. Armilla in Summ. verb. *Delectatio*, num. 3. Sa verb. *Luxuria*, & Bonacina de Matrimon. quæst. 4. num. 14.

Circa sponsos respondetur sub distinctione.

58 Circa tertiam quæres: An sit licitum sponsis delectari de copula futura? Ad quod respondent Authores pro præcedenti conclusione relati, eodem modo moralizandum esse de copula viduæ, ac sponsi: quare, qui in primo casu negant, aut affirmant esse licitam, idem docent de secundo. Sed N. Salmantic. distingunt, & optimè, dicendo, talem delectationem posse esse, vel de copula futura secundum esse, quod in se habebit tempore futuro, & nunc non habet; vel de esse, quod nunc habet in determinatione causarum. Si delectatio sit de copula primo modo sumpta, est mortale: quia tunc copula non est obiectum delectationis, nisi vt præsens, cum delectatio versetur circa obiectum vt præsens; sed vt præsens est mala: ergo & eius delectatio. ¶ Si vero delectatio sit de copula secundo modo sumpta, est licita. Quia tunc talis delectatio nihil aliud est, quam delectari de futuritione copulæ, vel quia copula erit iuxta determinationem causarum, sed hoc bonum est, & præsens: ergo poterit de illo esse licita delectatio. ¶ Nec inferas ex hoc, delectationem in vidua copulæ habitæ, esse illicitam, cum sit de re absenti: quia illa copula fuit aliquando præsens, & in possessione, & per respectum ad illam præsentiam potest in illo quiescì, & delectari appetitus. Videantur citati Authores, num. 39. ¶ Nota tamen cum Montesinos, consulendas esse viduas, & sponsas, vt abstineant à delectatione copulæ præteritæ, & futuræ, & in his pedetentim gradiantur; quia facilis est transitus à delectatione immateriali, & licita, ad veneream, & illicitam, ob id que debent in confessione de his delectationibus ob periculum turpitudinis se accusare.

Sententia asserens delectationem de copula, sub conditione, quod esset propria vxor, esse licitam.

59 Circa secundam partem inquires primò: An sit peccatum delectatio obiecti prohibiti, sub conditione, illud licitum constituentes; v.gr. delectatio copulæ cogitate cum fœmina sub conditione, quod esset eius vxor? Pro huius quæstionis resolutione supponendum est vt certum, quod si delectatio sit de prohibitis iure positivo, est licita. Et sic licitum est cuilibet delectari de comestione carnium die veneris, casu, quo Ecclesia id non prohiberet, quia tunc omni modo est licitum. At circa prohibita ab intrinseco, & iuræ naturæ, etiam casu, quo fieret licita sub aliqua conditione, Sanchez in Summ. lib. 1. cap. 2. num. 33. distinguit inter delectationem voluntatis, quæ dicitur gaudium, & inter complacentiam appetitus, quæ dicitur propriè delectatio; & asserit, quod si delectatio sit voluntatis de obiecto conditionali, quod secluſa conditione, esset mortale, tunc est licita; at si delectatio est appetitus, est mortalis, & illicita. Et ratio differentiæ est, quia delectatio voluntatis potest esse de obiecto conditionato; secus vero delectatio appetitus. Et discrimen con-

consistit in eo, quod intellectus, ex cuius propositione oritur delectatio voluntatis, potest obiectum proponere sub conditione, & à malitia præcisum; at imaginativa, ex cuius apprehensione movetur delectatio appetitus sensitivi, nequit obiectum sub conditione proponere, & vt præcisum à malitia: quia præcisio est propria intellectus, non sensus. Et sic delectatio voluntatis erit licita; at delectatio appetitus evadet mortaliter prava.

Verius est, esse illicitã.

60 Sed verior est sententia negans in casu posito, delectationem tam voluntatis, quàm appetitus sensitivi esse licitam. Ita tenent Cayetan. in opusc. tom. 1. tract. 14. de delectatione morosa, dub. 1. & in Summ. verb. *Delectatio*. Navarr. cap. 16. Summ. num. 9. Valentia 1. 2. disput. 6. quæst. 4. punct. 4. Medina 1. 2. quæst. 74. artic. 8. dub. 4. N. Salmantic. num. 49. loco citat. & alij. Et ratio sumitur ex differentia inter consensum, & delectationem; consensus enim tendere potest in obiectum conditionatum; at delectatio ex sua essentia est actus absolutus, quia nemo delectatur actualiter, nisi de eo, quod actualiter possidet, cum essentialiter sit quies: ergo sivè delectatio sit voluntatis, sivè appetitus sensitivi, debet habere præsentem, & possessam bonitatem rei, de qua delectatur, nihil enim delectat, quia erit, sed quia est, aut fuit; sed delectari de bonitate copulæ, vt actualiter apprehensa, est malum: ergo illicita est similis delectatio. Deinde ostenditur ab inconvenienti, quia vt ait Medina, alioquin omnia replerentur delectationibus, & libidinibus; nam Religiosus posset habere has delectationes, & Monachus in istis delectationibus conditionalibus occupari, & delectari, aut complacere actu de copula, quam haberet cum Maria, casu quo non esset Religiosus, sed eius maritus; sed hæc satis absurda sunt: ergo falsum est, licitum esse delectari de obiecto iure naturæ prohibito sub conditione, qua esset licitum. Ex quo patet ad rationem contrariam. ¶ Vnde oritur in casu quæstionis, consensum, & desiderium simplex copulæ sub conditione, qua esset licita, non esse peccatum mortale ob oppositam rationem; quia terminari possunt ad obiectum sub conditione: ergo si talis conditio denudat obiectum à malitia, erit licitus illius consensus, aut simplex desiderium.

Absolute delectatio de obiecto gravi peccaminoso sub cõditione *si liceret*, est peccatum.

61 Inquires secundò: An sit licitum delectari de his rebus, quæ graviter peccaminosæ sunt, sub ea tamen conditione, *si licerent, aut malæ non essent*? Pro resolutione huius quæstionis nota, quod dupliciter potest aliquis se gerere in casu posito. Primò, dicendo: *Si hoc liceret, seu non esset peccatum, delectarer de eo.* Secundò: *Delector de obiecto malo, & prohibito sub mortali, si peccatum non esset, aut sub conditione quod esset licitum.* Si hoc modo aliquis delectatur, peccat mortaliter, quia delectatio est absoluta, & de facto existens, & consequenter obiectum illius absolutè prohibitum. Vnde conditio apposita ex parte obiecti se habet merè speculativè ad illud, & habetur vt non adiecta. Sic Cayetan. & Navarro loco citat. Montesinos tom. 2. disput. 7. quæst. 8. num. 120. Azor lib. 4. cap. 6. quæst. 10. Lorca disput. 28. memb. 3. dub. 2. Araujo quæst. 74. 1. 2. artic. 10. dub. 3. num. 47. Adrian. quodlib. 10. artic. 2. Alvarez disput. 143. & alij. Si autem primò modo sit delectatio, tunc non est peccatum mortale. Quia conditio non solum se tenet ex parte obiecti, verum etiam ex parte subiecti, & valet idem ac si diceret: *Si hoc liceret, haberem delectationem, quam de facto non habeo*; & hoc licitum est, cum delectatio non sit præsens, sed futura sub conditione honestatis illius. Sic communiter Doctores.

Desiderium obiecti pravi sub conditione quod nõ esset peccatum, non est illicitum.

62 Sed quæres denique: An sit licitum desiderium alicuius rei graviter prohibitæ sub conditione, quod mihi liceret, aut peccatum non esset? Respondetur affirmativè: imò & si versetur tale desiderium circa prohibita iure naturæ, aut positivo. Et ratio est, quia desiderium sumit speciem ex obiecto sub conditione concupito; sed obiectum sub conditione posita, *quod non esset prohibitum*, non est malum: ergo nec est malum tale desiderium. Nec ex hoc sequitur, vt ait Vazquez, quod velit, non esse prohibita ea, quæ iure naturæ prohibentur: quia aliud est desiderare, quod non sit prohibitio de aliquo opere iure naturæ prohibito, & aliud velle tale opus ex suppositione, quod non esset prohibitum: primum est malum; sed non oritur ex desiderio à nobis admisso: secundum est bonum, & est, quod defendit nostra conclusio. Præterea. Tale desiderium circa iure naturæ prohibita (in quibus est maior difficultas) non est efficax, sed quædam in illa propensionis ostensio, casu, quo licerent: sed Thom. Sanchez (nobis circa iure naturæ prohibita contrarius) asserit num. 25. quod simile desiderium non est peccatum mortale: ergo nec desiderium in casu nostræ resolutionis. Ita tenent Vazquez 1. 2. disput. 116. cap. 2. Cayetan. in Summ. verb. *Cogitatio*. Saà verb. *Peccatum*. Manuel tom. 1. Summ. cap. 212. num. 2. Sayr. in Clavi Regia, lib. 8. cap. 7. num. 28. & 29. Salas tom. 2. tract. 13. disput. 6. sect. 27. num. 180. Bonacina de Matrimon. quæst. 4. punct. 8. num. 21. Suarez de Legibus, lib. 3. cap. 13. num. 10. Palaus tract. 2. disput. 2. punct. 10. §. 2. num. 10. Montesinos tom. 2. disput. 7. quæst. 8. num. 117. Tapia tom. 1. lib. 3. quæst. 7. artic. 7. num. 4. Thomas Sanchez lib. 1. Summ. cap. 2. num. 25.

Ex quibus quædam inferuntur.

63 Ex quibus infertur cum Thomas Sanchez, esse læthale peccatum hic actus: *Nisi meum statum Religiosi, aut Presbyteri expectarem, vindicarer*: quia in hoc actu, quando voluntati verba consonant, conditio non aufert vindictæ malitiam, & sic voluntas est quasi absoluta. ¶ Infertur secundò, hunc actum: *Si hoc mihi accideret, quando eram iunior, vindicarer*, esse etiam peccatum mortale, dummodo adsit desiderium vindictæ, si eo tempore talis iniuria ei accideret: quia etiam illa conditio adhuc non tollit malitiam obiecti: ergo, &c. At si solum per illam exprimat eius perversam conditionem, quæ talis erat, vt si in illo tempore accideret, vindictam sumeret, tunc caret omni culpa. ¶ Tertiò infertur, hoc desiderium: *Si Deus vellet, vt Petrus moreretur, gauderem.* Si solum per illud ex-

exprimat animum conformandi noſtram voluntatem cum divina, eſſe licitum: ſi vero ſenſus illius ſit, quod voluntas noſtra eſt optare, quod Deus vellit, vt Petrus moriatur, eſt mortale. Quare in his, & ſimilibus deſiderijs conditionatis magna cum cautela procedendum eſt, quia communiter oriuntur ex pravo affectu, & ſic potius eſt deſiderium abſolutum, quam conditionatum, mortis proximo inferendæ.

PUNCT. VII.

De conſenſu in iactantiam, & vanam gloriam.

Aliqua notantur.

64 IActantia propriè loquendo, ait Div. Thom.2.2.quæſt.112.artic.1. *Importare videtur, quod homo verbis ſe extollat. Tunc autem propriè aliquis ſe extollit, quando de ſe ſupra ſe aliquid dicit.* Et hoc poteſt contingere dupliciter. Primò, ſe iactando ſupra id quod de eo alij opinantur, licet non ſupra id, quod in ſe eſt. Secundò, ſe extollendo per verba ſupra id, quod in rei veritate in ſe eſt; & de vtroque modo agendum nobis eſt in præſenti. Sed prius ſupponendum eſt, quod ſi te de peccato mortali iactes, non quantum ad malitiam, ſed quia illud hac, aut illa dexteritate, ingenio, aut ſolertia commiſiſti, non peccas mortaliter, dummodo abſit periculum conſenſus, aut ſcandali. Et ratio eſt, quia tunc iactantia non eſt de peccato; ſed quodam bono naturali. Ita Sanchez lib.1. cap.3.num.4. & 12. Leſsius de Iuſtitia, & Iure, lib.2.cap.47. dub.6. num.42. Bonacina quæſt.4.de Matrimon.punct.8.num.10. Cayetan. 2. 2. quæſt. 112. artic. 2. Palaus tract.2. diſput.2.punct.11.num.2. Dicaſtillo de Pœnit. diſput.9.dub.8. quæſit.8. num.506. N.Anton. in Direct.Confeſſ.tract.5.diſput.8.ſect.2.§.18. num. 476. qui benè notat in hoc ad minus committi veniale. ¶ Secundò ſupponendum eſt, quod iactantia ex genere ſuo, & per ſe ſolum eſt peccatum veniale continens malitiam mendacij, & vanagloriæ, cuius eſt potiſsima filia. Sic colligitur ex D. Thom. loco citat. artic.2. & tenet Leſsius num.42. & Ledeſma tract.18.cap.4.

Iactantia de peccato eſt mortalis, aut venialis ſecúdum eius gravitatem.

65 His ſuppoſitis, dicendum eſt primò, quod ſi iactantia ſit de peccato veniali, erit venialis; ſi de mortali, erit mortalis. Ita Div. Thom.loc.citat. artic.2. per hæc verba: *Et ſic quando que eſt mortale, quando que veniale. Mortale quidem, quando aliquis iactanter de ſe profert contra gloriam Dei:: quando que vero eſt veniale, quando, ſcilicèt, aliquis de ſe talia iactat, quæ neque ſunt contra Deum, neque contra proximum.* Et ratio eſt, quia quærere vanam gloriam ex opere peccaminoſo, malum eſt: ergo ſi ſit ex opere venialiter peccaminoſo, erit peccatum veniale, ſi vero peccaminoſo mortaliter erit mortale. Sanchez vero id probat ex eo quod iactantia de re mala illius approbationem continet, & de ea complacet; ſed complacentia de obiecto pravo eſt mala iuxta malitiam obiecti: ergo iuxta illam erit iactantia etiam mala, ſeu prava. ¶ Sed hæc ratio ſolum probat de malitia complacentiæ; non vero iactantiæ: nam quando iactantiæ advenit complacentia eſt duplex peccatum, vnum iactantiæ, & alterum complacentiæ, & tunc peccat homo, non ſolum ſe iactando, ſed etiam ſe complacendo; & quia hoc frequenter contingit in omni iactantia, ideò duplex in ea committitur peccatum. Ita docent Abulenſ. cap.6. in Matth. quæſt.8. Cayetan. 2. 2. quæſt.132. Sylveſt. verb. *Vana gloria, & iactantia*, quæſt.2. Navarr.in Summ. cap.23. num.12. Azor tom.1. lib.4. cap.13. quæſt.2.num.5. Sanchez Summ. lib.1. cap.3. à num.4. Palaus tract.2. diſput.2. punct.11. numer.1.& alij.

Doctrina tradita eſt vera, ſivè ſit iactantia de peccato vero, aut falſo.

66 Et hic notare oportet, quod immediatè dicta vera ſunt, ſivè quis ſe iactet de peccato re ipſa commiſſo, ſivè falſo ficto: quia in vtroque caſu ex iactantia præcisè eadem deformitas reperitur, cum illius malitia conſiſtat in eo, quod quis aſſumat Dei offenſam, vt medium ad inanem gloriam captandam; ad quod de materiali eſt, quod peccatum ſit verum, aut falſum, licet in ordine ad complacentiam illius, communiter adſit delectatio, quando eſt verum, ſecus vero quando eſt falſum. Sic Sanchez loc. citat. num.4. referens Cayetan.Sylveſt. Angel. Navarr. Leſsium: inſuper que idem docent Palaus tract.2. diſput.2.punct.11.num.1. Lugo de Pœnitent. diſput.16.num.274. N.Anton. in Direct.Confeſſ. tract.5. diſput.8. num.478. Dicaſtill. de Pœnitent. tract.8. diſput.9. dub.8. quæſit.8. num.527.

In quibus caſibus iactantia eſt mortalis.

67 Sed rogabis primò: In quibus caſibus peccatum iactantiæ ſit mortale? Reſpondetur ex Cayetan.2.2.quæſt.112.artic.2.Leſsio lib.2. cap.47.dubit.6.num.42. & Abulenſi in cap.6. Matth. quæſt.8. eſſe læthale. Primò: quando quis ſe iactat de eo, quod eſt contra gloriam Dei, vt tribuendo ſibi, quod eſt Dei proprium. Sicut dicitur de Rege Tyri Ezech.28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum.* ¶ Secundò: quando ſe iactat, proferendo ea, quæ ſunt contra charitatem proximi, contemnendo, & iniuriando illum, vt dicebat Phariſæus ille Lucæ 18. *Non ſum ſicut cæteri homines raptores, iniuſti, adulteri, vel vt etiam hic Publicanus.* ¶ Tertiò: ſi procedat ex inani gloria, & ſuperbia mortifera ſibi arrogando dona Dei, quaſi ab eo non illa accepiſſet, ſed ſe illis dignum iudicando. ¶ Quartò: quando cum intentione damni proximi, aut ex cupiditate emungendi iniuſtè pecuniam magnum medicum, aut advocatum quis ſe iactat, & ſic corpora lædit, vel pecunias fugit, aut crumenas exhaurit: tunc vltra peccatum, quod committit, tenetur damna illata reſtituere. *Argum.cap.fin.de iniur. & leg.qui occidit, ff. ad leg. Aquila.* ¶ Notat tamen hic, & optimè Sanchez num.2. quod Candidatus, quando aliquam Cathedram ambit, & de more Salmantino poſt lectionem finitam ſua merita, & ſtudia extollit, & ſi in hoc notabiliter mentiatur, non peccat mortali-

taliter ; quia electores parum ex his moventur ad Cathedram conferendam, sed alia via veritatem inquirunt, scientes quemlibet sua merita laudibus vsque ad astra effetre. ¶ Quintò, quando ita captus est amore iactantiæ, vt paratus sit peierare, aut aliquod grave peccatum committere, potius quam à iactando se abstinere. In his ergo, & alijs casibus, quos late refert Abulens. loc. cit. iactantia est peccatum mortale.

Qui laudat alium de peccato comisso peccat mortaliter.

68 Rogabis secundò. An laudans alterum de peccato mortali commisso, graviter peccet? Respondetur affirmative : quia idem est laudare de peccato commisso, ac illud approbare. Deinde ; qui sic alium in præsentia laudat, vehementer movet ad se in illo complacendum, aut committendum peccatum non dum factum : quare ad damna inde sequuta restituenda, tenetur: imò si hæc proferat coram consanguineis illius, in quorum honorem cedit peccatum, aut vindicta, de qua alterum laudat, committit peccatum scandali, cum sit illis occasio ruinæ spiritualis, & iactantiæ, seu approbationis illius, vel si non dum commissum erat, ansæ illud patrandi. Ita Cayet. in Summ. verb. *Iactantia*. Navarr. in Summ. cap. 23. n. 13. Sanchez Summ. cap. 3. à num. 6. Lugo de Pœnit. disp. 16. num. 274. & Palaus tract. 2. disp. 2. punct. 11. num. 4. quod verum est sivè peccatum sit verum, aut fictum, vt notant prædicti Authores. ¶ Nota vero, quod, si quando alius te laudat de peccato sivè vero, sivè ficto, vel falso, placida facie laudes acceptes: vel si falso laudatus advertens aliquod damnum notabile inde sequendum, non contradicis quantum oportet ad illud obiandum, peccas iuxta qualitatem peccati, & damni; nisi fortasse ex verecundia taceas: quare cordis tunc displicentiam aliquomodo exterius vultu, aut gestu indicare debes, quia alias censeris illi consentire. Ita Navarr. num. 13. Palaus num. 3. Sanchez num. 3.

Audire falsas alterius laudes, aut iactare se virtuosum, est veniale, nisi inde alijs obveniat grave damnum.

69 Rogabis tertiò. An si te iactes de falsis operibus virtutis, aut in hoc falsas alterius laudes acceptes, & de illis congaudeas, peccas mortaliter ? Respondetur, quod, si inde alijs grave nocumentum, aut scandalum non obvenit, solum est veniale; imò tenent Navarr. num. 13. & Sanchez num. 3. esse virtutis actum audire absque contradictione falsas laudes virtutis, non tamen quia falsæ, sed quia laudes propriæ, sunt que valde conducentes ad bonum nomen, & famam conservandam. Quare, quando vxor oculte adultera laudatur de fidelitate, eam neque approbare, neque reijcere tenetur, sed potest licite illas sereno vultu accipere, vt vtiles ad proprium honorem servandum. Vnde dicitur Ecclesiast. 41. vers. 15. *Curam habe de bono nomine ; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille Thesauri pretiosi, & magni.* Ex quibus oritur, quod si opera virtutis fingeres ad mundanam, & vanam laudem captandam, secluso aliorum gravi damno, non peccares mortaliter, sed tantum venialiter : quia hæc non videtur adeò gravis inordinatio, vt ob eam homines mortis æternæ reos esse iudicemus. Vnde hypocrita, qui factis vitæ sanctimoniam fingit, cupiens, & inhians bonus haberi, & prædicari, peccat venialiter tantum, quia mentitur simulando se Sanctum, & iustum. Diximus secluso aliorum gravi damno : quia si quis simulet se iustum, Prophetam, Doctorem que Catholicum, vt incautius hæreticam doctrinam seminet, peccat mortaliter, est que verè interius *lupus rapax*, licet exterius veniat *in vestimentis ovium*, quos cavendos esse admonet Christus Matth. 7. 13. similiter peccant mortaliter, qui vt ad Ecclesiasticam dignitatem promoveantur, talia simulant; cum Ecclesiæ Dei iniuriam, vt indigni irrogent. Et ideò D. Thom. 2. 2. quæst. 111. artic. 4. in corpore ait : quod in his duobus casibus, & quando *aliquis non curat sanctitatem habere, sed solus Sanctus apparere* (vt faciunt plures politici huius ætatis, qui reprehenduntur in S. Scriptura. Isai. 16. Iob. 1. & Thrænor. 4.) *Tunc manifestum est, quod est peccatum mortale.* In alijs vero casibus est tantum veniale, & rationem assignavit in argumento *sed contra* his verbis. *Præterea intentio hypochritæ est ad hoc, quod videatur bonus ; sed hoc non opponitur charitati : ergo hypocresis non est secundum se peccatum mortale.* Dicta hoc numero tenent Navarr. in Summ. cap. 23. num. 13. Azor tom. 1. lib. 4. cap. 13. quæst. 5. Lessius de Iust. & iure lib. 2. cap. 47. dub. 6. num. 45. Palaus tract. 2. disp. 2. punct. 11. numer. 10. Sanchez in Summ. cap. 3. num. 3. & alij.

Celebrare Sacrum, aut recipere Sacramenta ob vanam gloriam est venitale.

70 Regabis quartò, an sit læthale efficere principaliter opera virtutum, & res quantumvis sacras ob iactantiam, & vanam gloriam? Thom. Sanchez lib. 1. Summ. cap. 3 num. 1. referens Sylvestrum, Navarr. & Henriq. nec non Bonac. de Matr. quæst. 4. punct. 8. num. 10. Palaus loc. cit. punct. 11. num. 9. tenent esse tantum venialе sacrum celebrare, & alia Sacramenta ministrare ob vanam gloriam : & ratio est, quia estò debitus finis in hoc pervertatur, ea tamen inordinatio non est adeò gravis, vt metam peccati venialis transgrediatur, cum sit præcisè captare inanem gloriam ex bono opere, quod mortale non est. ¶ Pro contraria sententia Navarr. & Sanchez referunt Abul. in cap. 6. Matth. quæst. 3. & q. 55. sed neque q. 3. neque q. 55. aliquid apud eum invenire potui. In tertia enim tantum inquirit: an ambitio, & inanis gloria impediant rectitudinem finis, & quæ sint duæ conditiones honoris, & quomodo honor, & gloria differunt? In 55. quærit an ludus alearum, vel taxilorum sit licitus, & quod mala, & peccata reperiuntur in ludo; & quod clerici ad aleas prohibentur ludere, vel interesse ludo? At quæst. 2. docet, quod Christus nos instruit cap. 6. Matth. quod finis omnium operum nostrorum debet esse Deus, & quando ponitur alius finis vltimus, error committitur; & ideò opus nunquam erit bonum. Et quia inanis gloria, aut laudis appetitus distrahunt nos ab illo fine, faciendo, vt interdum constituamus in eis finem operum nostrorum ; vetat Christus hic illud, dicens *attendendum esse*, id est, solicite cavendum, ne faciamus opera nostra, vt videamur ab hominibus, vt ab eis accipiamus laudem, vel honorem, aut gloriam. Vbi nota, quomodo nullo modo exprimit an sit hoc mortale,

vel

vel potius veniale. Deinde quæst.8.ait:peccare mortaliter, qui operatur, referendo intentionem suam ad gloriam tamquam ad vltimum finem, ad quem ordinet opera sua, & opera virtutis: quod quidem verum est, quia mortale est constituere vltimum finem in alio, quam in Deo. Similiter loquitur quæst.6.& 4. nullibi tamen legi sententiam, quam prædicti Authores illi imponunt. Sed quid quid sit de hoc, sententia Sanchez vera est, quia qui principaliter sacrum dicit ob vanam gloriam, non ponit in ea vltimum finem ita, quod principaliter intendatur ipsa actu, & habitu, sed tantum intenditur principaliter actu; sed hoc non est mortale: ergo nec efficere res sacras ob vanam gloriam. Deinde, vt benè ait Sylvester ex sententia contraria sequeretur, quod si quis glorietur de sacris vestibus, cantu Missæ, vel eruditione theologica, nullum alium finem actualiter intendens, peccaret mortaliter, & ita totus penè Clerus esset in malo statu; sed hoc dicendum non est: ergo nec quod sit læthale agere virtuose ob vanam gloriam.

Qui alium exprobat de peccato mortali non commisso, læthaliter peccat.

71 Rogabis quintò: An qui alium exprobat de eo quod hoc, aut illud peccatum mortale non commisserit, peccet mortaliter? Respondetur affirmativè. Tum, quia hoc est tale peccatum approbare. Tum, quia vehementer movet illum ad simile peccatum committendum; sed hæc mortalia sunt: ergo mortaliter peccat. Ex quo oritur primò, quod teneatur specificare in confessione speciem peccati, de quo alterum exprobravit, cum ab ea sumat specificam vnitatem. Secundò oritur, quod si alter eius exprobatione commotus opere perfecit illud peccatum, debet restituere damna inde sequuta, cum sit efficax illorum causa. Ita docent D.Anton. 2.part. tit.1. cap. 12. §.12. Navarr.lib.3.de Restit.cap.3.Cayet. Summ.verb.*Iactantia*.Sanchez in Summ.lib.1. cap.3. num.9. Palaus tract.2. disput.2. punct. 11.num.4. Dicastillus de Pœnitent. disput.9. dub.8.quæsit.8.num.528. & nos diximus tom. 3. tract.13. de Restit. explicando num. 124. cap.1.particulam *Palpo*.

Iactantia sumit speciem à peccato, de quo aliquis gloriatur.

72 Vltimò rogabis: An iactantia sumat speciem à peccato, de quo aliquis se iactavit, & sic teneatur illud in confessione aperire? Duplicem sententiam retulimus tom.1. tract.6. cap.8. à num.78. vnam affirmativam, quam defendunt Thomas Sanchez in Summ. lib.1. cap.3. num.13. & alij ibi citati: alteram negativam, quam tenent Navarr. Palaus, N. Gabriel à S.Vincentio, N. Antonius, & alij discurrentes de iactantia peccatorum, sicut de diversitate contumeliarum, quæ estò materialiter sint distincta, formaliter tamen in ordine ad privandum honore, non sunt diversa. Sed quia ibi affirmativam partem probabiliorem iudicavimus, & ideò eam selegimus, hic etiam ei adhærere necesse est: quare ne actum agamus, remittimus lectorem ad ibi non transcursim dicta, sed pro meritis stabilita, & non ignobilibus fundamentis comprobata. ¶ Hic vero addere tantum visum nobis est: quod quando petulantes iuvenes gloriabundi se iactant, & quasi certant, quis eorum plura commiserit peccata, non habendo rationem illorum specierum in particulari, sed tantum se gloriando, & iactando in communi de peccatis vt mortalibus; tunc non debent explicare in confessione species peccatorum. Et ratio est, quia talis iactantia, seu gloriatio non respicit, vt obiectum, aliquam determinatam rationem peccati, sed præcisè rationem communem peccati mortalis, in qua omnes conveniunt; at qui à ratione communi nequit actus accipere multiplicitatem specificam: ergo talis actus nequit specificè diversificari per ordinem ad illam: ergo iactantia, in casu posito, habet vnicam speciei malitiam, & sic non tenentur explicare in confessione multiplicitatem specierum, quæ sub illa continentur, aut contineri possunt.

CAPUT XIV.

De Ignorantia.

POstquam Divus Thomas egit de consensu requisito ad peccandum, considerationem convertit ad causas ipsius peccati: & primo agit de causis intrinsecis, inter quas primatum tribuit ignorantiæ, & iure optimo; quia *stultorum infinitus est numerus*, ignorantiæ que provincia longè, latè que adeò diffusa est, vt ab exordio mundi eius tenebræ essent super faciem abysi, & nunc iuxta Isaiæ vaticinium: *Tenebræ operiunt terram, & caligo populos*; & sic nihil mirum, quod D. Thom. illi tribuat principatum; cum solum in cœlo viderit Ioannes librum apertum super thronum; in terreno vero solio, non apertum, sed coopertum quotidie plangamus. Sed quoniam ignorantia est non minus errorum, quam vitiorum mater, in eorum que explicatione pluribus scateat difficultatibus, quæ densa caligine obnubilant intellectus aciem; & quia *forsitam illius tenebræ conculcabunt me*; ideò, præeunte Solis Aquinatis luce, eas discutere, & fugare in præsenti curabimus. Sed quia iam egimus tract. 10. cap.1. punct.15. de ignorantia censuræ. Et cap.7. punct.3. num.48. de ignorantia irregularitatis. Et tract.11.cap.1. punct. 6. num.78. de ignorantia legis. Et tract. 12. cap.2. num.115. diximus qualiter ignorantia impediat præscriptionem. Et tract.18.cap.4. à num.9. qualiter excuset à reservatione. Et tract. 18. cap. 4. punct. 1. num. 38. Et tract. 10. cap. 1. num.194. nec non cap.7. num.54. explicavimus quomodo ignorantia excuset à petitione debiti; ideò alia dubia, & difficul-

ficultates ; quæ in hoc Cursu Morali desiderantur , per quinque puncta edisseremus.

Punct. I. *Quid , & quotuplex sit ignorantia : & an sit causa peccati?*

Punct. II. *Quid requiratur vt aliqua ignorantia sit invincibilis : & an omnino excuset à peccato?*

Punct. III. *An detur ignorantia invincibilis iuris positivi Divini , & humani?*

Punct. IV. *An possit dari ignorantia invincibilis iuris naturalis?*

Punct. V. *Qualiter ignorantia invincibilis sit peccatum , illud que diminuat?*

PUNCTUM I.

Quid , & quotuplex sit ignorantia : & an sit causa peccati?

Essentia ignorantiæ, & aliquæ eius divisiones.

1 ESsentiam ignorantiæ explicat Div. Thom.1.2.quæst.76. artic.2. dicendo , quod ignorantia , *Est scientiæ privatio.* Et ratio est, nam dum aliquis caret scientia eorum , quæ aptus natus est scire , dicitur propriè habere ignorantiam : at quando non habet scientiam eorum , quæ aptus natus non est scire , non dicitur propriè habere ignorantiam, sed nescientiam , quam ponit Dionysius in Angelis , & Theologi in Christo respectu omnium possibilium , & eorum , quæ per scientiam acquisitam postea scivit. Quia vero hæc nescientia parum ad moralitatem conducit, ideò ea omissa , ignorantiæ essentia , divisio, & effectus totam nostram in præsenti rapient attentionem.

Dividitur autem primò ignorantia in eam, quæ est puræ privationis , & in eam , quæ est pravæ dispositionis ; illa est , quæ affert puram privationem scientiæ eorum , quæ scire debebat , quin vlterius habeat errorem vllum in contrarium : hæc vero est , quæ vlterius importat errorem contrarium , vt si aliquis ignorat, hunc contractum esse vsurarium , habet ignorantiam puræ privationis ; si vero vlterius existimet vsurarium contractum esse licitum, habet ignorantiam pravæ dispositionis. Secundò dividitur in ignorantiam *iuris*, *facti* , & *pœnæ*. Prima est , quando aliquis ignorat ius , aut præceptum prohibens aliquam rem : vt si Paulus , v.gr.ignorat in vigilia D.Ioannis esse præceptum ieiunandi. Secunda est , quando scitur lex , & ignoratur factum , vt si quis sciret esse censuram contra occisores Clericorum , & ignoret hunc , quem occidit esse Clericum. Tertia denique est , quando scitur lex , ignoratur tamen pœna à lege imposita ; vt in casu posito, qui sciret esse occisionem Clerici ab Ecclesia prohibitam , ignoraret tamen esse sub pœna censuræ. Sed hæc ignorantia pœnæ reducitur ad ignorantiam iuris ; vnde aliqui hanc divisionem inter alias non annumerant , sed vt inclusam in ignorantia iuris supponunt.

Alia ignorantiæ divisio.

2 Subdividitur autem ignorantia iuris , & facti in invincibilem , & vincibilem. Ignorantia invincibilis (quæ ab aliquibus vocatur antecedens , inculpabilis , & probabilis) est, quæ adhibita necessaria diligentia ad prudentis iudicium pro qualitate negotij , vinci non potest : quare licet hæc ignorantia vinci posset aliqua extraordinaria diligentia respectivè ad qualitatem negotij , & materiæ , vt aliquo extraordinario studio , oratione , pœnitentia, &c. adhuc invincibilis esset , quia hæc non exigit humanus , & communis modus operandi in illa materiæ qualitate ; & ideò si post illam ordinariam diligentiam ignoretur , talis ignorantia vt invincibilis iudicanda esset. Vnde quando D.Thom.1.2.quæst.76. artic.2. definit illam dicendo esse , *quæ studio superari non potest* , loquitur de studio , & diligentia debita pro materiæ qualitate ; non enim æqualis diligentia petitur in omnibus rebus , sed diversificatur iuxta gravitatem illarum , taliter quod ea , quæ est sufficiens pro vna , sit insufficiens pro alia. Talis ignorantiæ exemplum est, quando quis post adhibitam sufficientem diligentiam iudicans aliquem hominem esse feram , in illum proijcit sagitam , & occidit: tunc talis ignorantia est invincibilis , quia licet vinci potuerit aliqua extraordinaria diligentia adhibita , tamen , quia adhibuit , quam viri cordati , & prudentes in simili casu solent adhibere ; ideò illa ignorantia invincibilis censenda est. Et ad hanc ignorantiam invincibilem reducitur tam inadvertentia , quàm inconsideratio actualis , & solum differunt penes hoc , quod ignorantia dicit habitualem nescientiam rei , inadvertentia vero , & inconsideratio actualis, dicunt actualem illius ignorantiam. ¶ Ignorantia vero vincibilis (quæ solet dici voluntaria , iniusta , improbabilis, & consequens) est , quæ studio , & diligentia necessaria , & debita iuxta arbitrium prudentis vinci potest : quæ rursus in plura membra secatur , de quibus numero sequenti.

Ignorantia iuris,& facti aliquādo est vincibilis,& aliquādo invincibilis.

Subdividitur ignorantia vincibilis in affectatā, crassam , seu supinam.

3 Ignorantia vero vincibilis subdividitur in Affectatam,Crassam, seu Supinam. *Affectata* est , qua quis data opera , & ex consilio vult ignorare , vt liberius , & sine conscientiæ remorsu peccet iuxta illud Psalm.35. *Noluit intelligere , vt benè ageret.* Ignorantia *Crassa*, & Supina, parum inter se differunt , cum illa sit, quando aliquis maxima desidia detentus ferè nullam diligentiam apponit in addiscendo ea ad quæ tenetur ; admodum quo homines crassi desides sunt ad discendum ; ista vero dicitur supina ob modicam curam ad eam depellendam , sicut qui in lecto supinus iacet , nihil de rebus curans , vel vt alij volunt , dicitur hæc ignorantia crassa , aut supina ad similitudinem hominis crassi , & supini, qui etiam coram se posita non videt , & sic ignorat ea , quæ communi-

muniter omnes sui ordinis, seu status sciunt.

Ignorantia antecedens, & concomitans reducitur ad vincibilem, & invincibilem.

4 Solent aliqui dividere ignorantiam in antecedentem, & concomitantem. Antecedens dicitur, non quia antecedat effectus ortos ex ignorantia; sed quia antecedit actum omnem liberum voluntatis; & sic non est nec directè, nec indirectè ab ea volita: quare coincidit cum invincibili. Ignorantia concomitans est illa, quæ comitatur actum voluntatis taliter, vt sine illa effectus eodem modo sequeretur: vt cum Ioannes, v.gr. occidit inimicum, credens esse feram, quem tamen eodem modo occideret, si sciret esse suum inimicum. At si verum fateamur, estò hæc ignorantia constituat diversum membrum ab alijs; at in praxi coincidit cum invincibili, aut vincibili; vt optimè adnotant Suarez tom.5. in 3. part. disput.4. sect.8. num.8. in 1.2.disput.4. de Ignorantia, sect.2. num.17. & 18. Sanchez lib.1. Summ.cap.16.num.4. Nam vel talis homicida fecit sufficientem diligentiam ad quærendum, an talis fera erat inimicus, vel non? Si primum, talis ignorantia erit invincibilis; si secundum, vel id prævidit, aut non prævidit: si prævidit, & non fecit, erit vincibilis; si non prævidit, invincibilis erit; & ideò in ordine ad praxim non erit necessarium addere aliam ignorantiam ab alijs distinctam.

Aliqui negãt esse ignorantiam vincibilem mortalem, quæ non sit crassa, aut supina.

5 Maior vero difficultas est inter Doctores: An præter ignorantiam crassam, aut supinam, detur alia ignorantia mortaliter culpabilis, quæ dicitur purè vincibilis, distincta ab illis? Negant Suarez de Censur.disput.4.sect.10. num.10. Lorca de Peccat. disput.29. cui adhærere videntur Vazquez 1.2.disput.117. cap. 1.num.3. Azor tom.1. lib.1. cap.12. quæst.1. divis.4. & expressè Palaus tract.2. disput.2. punct.15.num.3. non capiens qualiter peccare quis possit mortaliter, non apponendo diligentiam necessariam ad investigandam veritatem, licet aliquam posuerit; & quod hæc negligentia non proveniat ex ignorantia crassa, aut supina; cum hæc detur, quando ponitur aliqua diligentia licet modica: ergo si peccat mortaliter, quia non ponit diligentiam necessariam, sed solum modicam, peccabit ex ignorantia crassa, aut supina, & sic non est excogitabilis alia ignorantia mortaliter culpabilis, quæ sit distincta à crassa, vel supina.

Datur ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non sit crassa, aut supina

6 Sed dicendum est, dari ignorantiam mortaliter culpabilem, quæ non sit crassa, aut supina. Tum, quia ignorantia crassa, aut supina est, quando modica, & valdè exigua ponitur diligentia ad adiscendum, vt constat *ex leg.reg.9. vers.Sed facto, ff. de iur. & fact.ignor.* vbi dicitur, quod ignorantia crassa procedit ex summa negligentia, his verbis: *Sed facti ignorantia ita demum cuiquam non nocet, si non ei summa negligentia obijciatur.* Sed potest aliquis peccare mortaliter apponendo maiorem hac diligentiam, licet non eam, quæ est necessaria ad non peccandum: ergo potest dari ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non sit crassa, aut supina. Probatur minor. Supponamus diligentiam necessariam ad non peccandum, debere esse vt decem; si quis tunc apponit diligentiam vt duo, aliquam diligentiam apponit; sed adeò exiguam, vt quasi pro nulla reputetur; & sic tunc peccabit ex ignorantia crassa, aut supina; si vero alter ponat diligentiam vt octo, etiam peccabit mortaliter, non tamen ex summa negligentia, quia ferè accedit ad diligentiam necessariam ad non peccandum: ergo hic licet peccet, non tamen dici potest, peccare ex ignorantia crassa, aut supina, sed ignorantia purè vincibili, seu mortaliter culpabili: vnde dabilis est ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non sit crassa, aut supina. Tum etiam, quia vt dicitur cap. *Vt animarum*, de constitut. in 6. *Vt animarum periculis obvietur, sententijs per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dummodo illorum ignorantia non sit crassa, vel supina.* Ergo aliqua ignorantia excusat à censuris, quæ non est crassa, aut supina; sed illa nequit esse invincibilis, cum de hac non posset esse prudens dubitatio, sed apud omnes est evidens, excusare ab illarum incursione: ergo est alia, quæ sit mortaliter culpabilis, licet non crassa, aut supina. Dicta hoc numero tenent Valentia tom.2. disput.6.quæst.6.punct.1. Salas 1.2.tract.13. disput.8.sect.10.num.72. Thomas Sanchez lib.1. Summ.cap.16. num.7. referens plurimos. Bonacina disput.1. de Conver. quæst.2. punct.1. Escobar lib.1.sect.2.problem.16.Prado cap.2. quæst.12.§.3.num.13. & apud ipsum Sylvester verb.*Culpa*. Navarr. cap.17. num.158. Curiel 1.2.quæst.76.in præludio, §.*Ex duobus*. Sotus in 4.distinct.18.quæst.3.artic.3.col.3. §.*Sed est hic*. Denique N. Salmant. Scholast. tract.13. tom.4.disput.13.dub.1.num.5.& nos iam hanc divisionem accepimus tom.2. tract.10. cap.1. punct.15. num.197. & licet ibi non facilè distingui in praxi à supina, & crassa, visum nobis sit, tamen eam absolutè non negavimus.

Ignorantia vincibilis est causa per accidés peccati

7 Sed quæres primò: An ignorantia sit causa peccati? Respondetur affirmativè, & probari potest ex pluribus textibus S. Scripturæ. Primò ex cap. 15. Numer. vbi dicitur: *Si anima nesciens peccaverit, offerret capram anniculam pro peccato suo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quod insciа peccaverit coram Domino.* Et ex 1. ad Corinth.cap.2. *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Levitic.4. *Si peccaverint Principes per ignorantiam.* Et Lucæ 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Et pluribus alijs locis idem passim repetit Sacer textus: ergo datur aliqua ignorantia, quæ sit causa peccati. Probatur secundò hæc conclusio ex D. Thom. 1.2.quæst.76. artic.1. quia cuiuscumque effectus duplex esse potest causa; vna per se, & alia per accidens removendo prohibens; sed ignorantia licet non sit sic causa influens per se in effectum, potest tamen influere per accidens, cum sit privatio scientiæ perficientis rationem, quæ prohibet actum peccati, in quantum dirigit actus humanos: sicut quando ignoranter vincibiliter quis occidit Patrem, illa ignorantia est privatio scientiæ, & cognitionis Patris, quæ scientia, & cognitio si adessent, non occideret Patrem: ergo estò ignorantia non sit causa per se, est tamen causa per accidens peccati. D.Thom.sequuntur omnes eius comentatores in præsenti quæst. vt Cayetan. Medina,

N.

N.Salmantic.Vazquez, Valentia, Salas, & antiqui in 2.distinct.22. Et ex Moralistis Sylvest. verb. *Ignorantia*, num.7. D. Antonin.1.part. tit.6. cap.1. §.1. Vincent. in Specul. Morali, punct.2. distinct.5. Sayr. lib.2. cap.9. num.4. Tapia tom.1.lib.3.quæst.9.artic.2. Prado cap. 2.quæst.12.num.2. & alij. Vnde non rectè dixit Angles in 2.distinct.22.quæst.2. artic.2. ignorantiam affectatam esse per se causam peccati, quia est per se intenta: etenim estò quis per se intendat removere aliquod impedimentum, lapidis; v.gr. non tamen ex hoc dicitur esse causam per se descensus illius: ergo estò quis directè intendat ignorantiam, quæ est impedimentum scientiæ, non ex hoc debet dici esse causam peccati ad defectum scientiæ consequuti. ¶ Sed nota, ea, quæ dicta sunt, tantum tenere in ignorantia vincibili, non vero in invincibili, cum hæc sit in omnium sententia incapax omnis culpæ.

PUNCT. II.

Quid requiratur vt aliqua ignorantia sit invincibilis: & an omnino excuset à peccato?

Ignorantiã non esse invincibilẽ ex defectu considerationis, & adverten tiæ, aliquorũ est opinio.

8 PRo resolutione dubij, quæres primò: An vt aliqua ignorantia sit invincibilis, sufficiat, quod nulla notitia, sivè specialis, sivè confusa iuris, aut facti, aut scrupulus præcesserit? Negant Zumel 1.2. quæst.76. artic.3. disput.2.dicto 4. Valentia 1.2.disput.6. quæst. 6. punct.1.corol.5.& alij relati à Sanchez lib.1. Summ. cap.16. num.20. & à Salas tract. 13. disput.8. sect.11. num.86. asserentes sufficere, vt ignorantia non sit invincibilis, quod detur consideratio virtualis, quam adesse sentiunt, quando & si actu quis malitiam non consideret, potuit tamen, & debuit illam considerare. Et moventur primò, quia in regula *ignorantia, de regul.iur. in 6.* habetur quod ignorantia facti, non autem iuris excusat: ergo, quia hoc ipso quod tenearis leges scire, ignorantia illarum non est invincibilis, sed vincibilis. ¶ Secundò, *leg. quod te mihi 5. ff. de rebus creditis*, dicitur idem esse præceptum scire, & illud debere scire; sed si scires, & contra illud ageres, peccares: ergo peccas, agens contra illud, quando debes illud scire; & si non præcesserit aliqua advertentia illius. ¶ Tertiò, tunc ignorantia est invincibilis, quando humanò, & morali modo vinci nequit; sed quando teneris advertere præceptum, potest humano modo illam ignorantiam vincere, cum nemo teneatur ad impossibilia, & eadem lex, quæ præcipit aliquid, obligat ad advertendum præceptum: ergo quando teneris advertere, ignorantia est vincibilis. ¶ Quartò, *Instit.de leg.Aquilia, §.Præterea*, dicit: non excusare imperitiam in re ad proprium officium pertinente: alias excusarentur plurimi confessarij, Iudices, Medici, &c. qui tumidi præ stupiditate illorum iudicant, sufficientem pro sui muneris debita administratione scientiam acquisisse; cùm vix limina illius attingerint: ergo ignorantia horum non est invincibilis diiudicanda.

Sententia contraria est omnino vera.

9 Sed vera est sententia docens, dari ignorantiam invincibilem, quando, estò ex officio, & statu tenearis advertere, tamen non advertis ad obligationem, si sit ignorantia iuris; vel ad malitiam obiecti, si sit ignorantia facti: quia nulla de hoc dubitatio implicita, aut expressa, vel scrupulus præcesit. Et ratio est, quia nequit ignorantia iuris, aut malitia alicuius obiecti imputari, quin intellectui obijciatur, cum *Nihil volitum, quin præcognitum*; sed quando de illis non præcedit aliqua cognitio, aut scrupulus, non obijciuntur intellectui: ergo neque imputantur ad culpam. Confirmatur: nam quantumcumque aliquis faciat contra suam obligationem, si inculpate illam ignorat, non peccat; sed qui penitus ignorat obligationem, inculpate illam ignorat: ergo faciendo contra illam, non peccat. ¶ Deinde. Nullus humano modo potest expellere, & vincere ignorantiam legis, aut malitiæ obiecti, de quibus nulla occurrit advertentia, aut scrupulus; sed ignorantia, quæ humano modo vinci nequit, invincibilis est: ergo, &c. Probatur maior. Quia secluſa omni advertentia, caret omni principio homo, quo possit circa legem, aut malitiam discurrere, aut inquirere ad vincendam illarum ignorantiam: quia prima cognitio, qua intellectus posset moveri ad inquirendum, est necessaria, & non existens in illius potestate. Quare Arist. 7. Ethicor. illam fortunæ tribuit: ergo nulla existente advertentia, seu cognitione legis, aut obiecti malitiæ, invincibilis est prorsus illarum ignorantia. Videatur D.Thom.quæst.15. de Veritat.artic.4.ad 10.

Nota.

10 Sed notant hic Doctores, quod cognitio obiecti in esse physico, seu secundum vnam malitiæ speciem, non est sufficiens principium ad inquirendum circa moralia, seu circa aliam speciem moraliter distinctam: quia entitas physica non ducit in cognitionem necessariam moralitatis, nec per vnam speciem moralem devenimus in notitiam alterius: potest enim quis contra præceptum temperantiæ immoderate comedere, quin ex hoc agnoscat frangere ieiunium eo die præceptum: ergo, &c. Sententiam numero antecedenti relatam tenent Salas tract.13. disput.8. sect.11. num.87. referens D.Anton.2.part.tit.5. cap.1. §.5. Navarr.prælud.9.num.9.& cap.16.num.9. Angel. Tabienam, Armillam, Cayetanum, & alios: insuper eam docent Vazquez 1.2.quæst. 123.cap.2.num.6. & disput.124.cap.2.num.5. Sanchez lib.1. Summ. cap. 16. num.21. Sayr. lib.2.cap.9. num.11. Palaus tract.2. disput.1. punct.15.num.5. Tapia tom.1.lib.3. quæst.9. artic.5.& 11.& denique N.Salmantic.Scholast. tom.4. tract.13. disput.13. dub.1. num.8. qui optimè advertunt, quod hac via excusantur plerumque homines à transgressione præceptorum pertinentium, tum ad generalem conditionem Christiani, tum ad proprium cuiuscumque munus, & officium; si enim illis nulla cogitatio, aut recordatio eorum occurrit, estò contra ea operentur, non peccant mortaliter, quia

quia tunc ignorantia invincibilis iudicatur.

Argumento primo respondetur.

11 Ad primum argumentum desumptum ex illa regula iuris in 6. dicimus, quod si veritatem continet, est solum quo ad forum externum, non autem internum, seu conscientiæ: in hoc enim ignorantia invincibilis non solum iuris, sed etiam facti admittitur. In foro autem externo verum est, quod aliquando non admittitur similis ignorantia: quia cum solemniter promulgetur, si sit lex Principis, vel si naturalis à natura, raro præsumitur adesse ignorantiam invincibilem. Diximus aliquando non admittitur similis ignorantia: quia non semel permittit ius eius probationem ex multiplici capite; primò, ex coniecturis iuxta textum in cap. *Cum in tua qui matr. accusare possunt.* Et in cap. *Præsumitur*, vers. 3. *Quando probatur, de regulis iuris in 6.* Glossa cap. 2. de constit. in 6. notabili 2. Abbas cap. 2. num. 9. eodem titut. Sylvest. verbo *Lex*, quæst. 7. & coniecturæ sunt, vt tradit Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 2. casu 186. num. 16. si probes absentiam tempore publicationis; si laborasti infirmitate; aut eras in tenera ætate, &c. Secundò probatur etiam ex iuramento, ex cap. *Si vero el 2. de sententia excommunicationis*, verbo *Propria.* Et ex cap. *Proposuisti* 82. *distinct.* cap. *Qui divinis*, verbo *Et humanis* 12. quæst. 2. Et licet quando alia via probari potest, iudicetur in foro externo iuramenti probatio inefficax ex cap. *Præsentium de testibus.* Et ex cap. *Ex litteris de præsumpt.* de quo videndus est Menoch. loc. cit. à num. 2. Tamen quando deest aliqua alia probatio, valida est, vt benè notat relatus Author, numer. 7. ex leg. 2. §. *Divus el* 1. *de iure fisci.* At in foro conscientiæ non solum tenet probatio invincibilis ignorantiæ tam iuris, quàm facti per iuramentum, sed etiam per simplicem assertionem, vt ex communi sententia docet Sanchez de Matrimon. lib. 9. disput. 32. numer. 5. quia ibi res est de solo præiudicio confitentis, & sic illi credendum est.

Respondetur cæteris argumẽtis.

12 Ad secundum dic: idem esse scire, ac debere scire præceptum in ordine ad culpam; sed quando non datur aliqua notitia obligationis, non teneris actu scire, vt manet supra probatum. ¶ Ad tertium respondetur, quod eo modo obligat lex ad sui adimpletionem, ac ad eius advertentiam: vnde sicut ad primum non obligat, nisi quando est sufficienter promulgata, ita nec ad secundum, nisi quando de illa advertentia datur cognitio, aut saltem scrupulus, seu dubium. ¶ Ad quartum dicimus, illam regulam non esse vniversaliter veram; quia vt diximus in responsione in nostra probatione conclusionis, & ad primum, potest dari, & de facto datur ignorantia invincibilis plurium legum, tam ad communem Christiani conditionem, quàm ad proprium vniuscuiusque officium expectantium. Verum tamen est, quod de legibus ad proprium statum, & officium pertinentibus, non est ita facilis ignorantia invincibilis, ac de legibus communis; quia de illis facilè occurrit dubitatio; secus de istis, at si de omnibus nulla adsint cogitatio, dubium, vel scrupulus; æqualiter de illis salvabitur ignorantia invincibilis: quia humanum superat captum vincere ignorantiam rei, cuius nulla occurrit cogitatio: cum nihil sit vincibiliter, & culpabiliter volitum, quin prius sit aliquomodo præcognitum.

Triplex potest esse diligentia.

13 Supposito ergo, quod præcesserit aliqua advertentia, vel cognitio confusa, scrupulus, aut dubium de lege, aut obiecti malitia; quæres, quæ diligentia sufficiat ad hoc, vt earum ignorantia sit invincibilis? Pro decisione huius difficultatis, nota primò: quod diligentia debet mensurari per negligentiam, cui oponitur: negligentia ergo, sicut constat ex dictis tom. 3. tract. 13. cap. 1. punct. 2. num. 9. est triplex, lata, lèvis, & levissima. *Lata* est, quando omittitur diligentia, quam homines illius status regulariter adhibent. *Levis* est, quando omittitur diligentia, quam diligentiores, & prudentiores adhibere solent. *Levissima* dicitur, quando omittitur diligentia, quam vigilantissimi, & studiosissimi præstant: simili ergo modo dividere possumus diligentiam *in communem*, *exactam*, *& exactissimam*: quarum explicatio liquet ex immediatè dictis circa negligentiam, cui opponitur, quin opus sit alia addere.

Quilibet tenetur scire, quæ ad proprium munus spectat.

14 Secundò nota, quod cum ignorantia debeat esse eorum, quæ scire tenemur, & diligentia sit adhibenda ad illorum ignorantiam vincendam; opere pretium est declarare, quæ debent homines scire. Primò ergo tenentur omnes scire omnia mysteria, & articulos fidei, qui in cathechismo parvo continentur; de qua obligatione, & necessitate dicemus infrà in primo Decalogi præcepto. Insuper debent scire omnes leges communes ad mores pertinentes, quæ continentur in decem Decalogi, & quinque Ecclesiæ præceptis, & statuta, leges que ad proprium statum, & officium expectantia. Quare Prætor debet scire, quæ sunt propria Prætoris; Dux, quæ militiæ; Iudex, quæ iuris; Prælatus, & subditus, quæ Religionis; & denique Confessarius, si rectè munus suum, Angelicis humeris formidandum, adimplere debet, quæ ad omnium statum pertinent: quia cum de omnium conscientijs iudicare debeat, omnium statuum, & officiorum fraudes, & errores callere oportet, vt discernat, quæ agenda, & quæ fugienda ab vno quoque sint. Sed hic deploranda est aliquorum stupiditas, vel audacia, qui vix limina Theologiæ Moralis salutantes, intrepide se exponunt etiam in civitatibus, audiendis confessionibus sine discrimine cogniti, & incogniti, dextrorsum, sinistrorsum que absque vllo scrupulo, imò & cum iactantia, omnibus absolutionem impendentes, relinquentes que conscientias eisdem, imò & maioribus vinculis irretitas. Sed numquid sanguis pœnitentium non exquiretur de manu illorum, terribile que fiet iudicium, non tantum eis, verum & Prælatis id non ignorantibus, & fortasse permittentibus? Absit hoc suspicari; quin potius postea, & si inviti Prælatus, & confessarius sibi videbunt, & sanguineis plangent lachrymis, quando nullus iam erit medicinæ locus.

15 His ergo suppositis dicendum est, quod

Ignorantia invincibilis dicitur illa, quæ posita diligẽtia ordinaria non vincitur.

quod vt in casu posito dicatur ignorantia invincibilis, sufficit ad eam vincendam, apponere diligentiam communem, & ordinariam, & non requiritur maxima, aut exactissima. Vnde si, ea posita, adhuc ignorantia permanet, iudicatur invincibilis, & effectus inde orti involuntarij. Et ratio est, quia suppositа advertentia legis, aut malitia obiecti, tenetur homo adhibere aliquam diligentiam ad eam vincendam; sed non requiritur, quod adhibeat diligentiam maximam, sed tantum communem, & ordinariam: ergo, ea adhibita, si non vincatur, vt invincibilis tenenda est ignorantia. Minor, quo ad primam partem ostenditur: quia leges, & præcepta obligant ad sui obseruantiam humano modo; sed hoc falsum esset, si in casu posito peterent diligentiam exactissimam, cum hæc fere sit impossibilis, & positu difficilis: ergo ad vincendam ignorantiam hæc non requiritur. Ex quo iam patet quo ad secundam: quia si aliqua diligentia adhibenda est, debet esse saltem, quam alij homines ordinarie adhibent in simili casu, & negotio; sed hæc dicitur communis: ergo hæc ad minus adhibenda est. ¶ Quæ autem diligentia sit communis, & necessario adhibenda ad ignorantiam pellendam, id arbitrio prudentis; vt notant Vazquez, & Tapia locis infra citandis; diiudicandum est pro qualitate materiæ, & subiecti: quia diligentia, quæ in rustico est sufficiens ad non peccandum, insufficiens est pro docto, & litterato; & quæ satis est pro negotio aliquo temporali, inepta est pro re spirituali, & ex cuius notitia salus animæ pendet. Vnde dicunt optimè N. Salmanticens. Scholast. tom. 4. tract. 13. disp. 13. num. 9. Reges teneri summo studio veritatem, & iustitiam inquirere, quando volunt inferre bellum, cum hoc sit res grauissima, innumera damna temporalia, & spiritualia inferens, & ex quo plurium damnatio, aut glorificatio pendet. Et addunt Tapia lib. 3. quæst. 9. art. 7. num. 12. Salmantic. num. 7. Sanchez lib. 1. Summ. cap. 16. num. 39. quod vt ignorantia sit invincibilis in rebus fidei, tenetur homo prius adhibere pœnitentias, orationes, & ieiunia, lucem à Deo expostulando, quia hic modus operandi, maximè in rebus tanti momenti, non est supra captum humanum, & diligentiam moralem.

Exẽplis explicatur doctrina tradita.

16 Sed placet, hucusque dicta aliquibus illustrare exemplis. Qui emit aliquam rem à venditore, non tenetur scisciari ab illo, an res sua sit: quia viri boni hoc facere non solent, nisi sit vehemens suspicio esse furatam, vt accidit in vase aureo, calice, & similibus; quæ ab hominibus ignotis aurificibus solent vendi. Nec similiter comesturus oblatum cibum, tenetur consulere Medicum, an sit venenosus, nec ne: quia nullus prudens, sed fortasse aliquis mania laborans, id facit. Quare diligentia hac communi adhibita, non ei imputantur effectus ex ignorantia prouenientes: quia oriuntur ex ignorantia invincibili. Similiter rusticus regulariter non peccat, exequendo ea, quæ Parochus, quem existimat doctum, docet, nec tenetur alios consulere ad difficultates vincendas: vnde excusatur à culpa non seruans ieiunia, & festa in illa hebdomada occurrentia, si Missæ solemni, seu *vulgò* maiori, interfuit, vbi annuntiantur prædicta festa; & tunc Parochus ea non annuntiavit, aut promulgavit: quia iam illa ignorantia respectu illius manet invincibilis. Denique, nec Iacob peccavit dormiendo cum Lia, quæ clam fuit ei suppositа, quia maritus non tenetur accedens ad vxoris lectum, cum ea dormiturus, explorare, lumine admoto, an, sit propria, vel aliena vxor, quæ in lecto decumbit; cum viri prudentes eam diligentiam minimè adhibeant, nec circunstantiæ præsentes Iacob aliquam suspicionem ingerere poterant: & ideò illius ignorantia fuit invincibilis: ergo vt ignorantia sit invincibilis non requiritur ad eam expellendam, adhibere omnem possibilem diligentiam, sed sufficit ponere ordinariam, & communem pro negotij grauitate; & si hac posita, adhuc non vincitur, effectus, qui ex tali ignorantia procedunt, nequeunt esse voluntarij, & consequenter nec pravi, aut peccaminosi. Conclusionem præiactam tenent Cayetan. 2. 2. quæst. 64. art. 8. Valentia 1. 2. disp. 6. quæst. 6. punct. 1. Vazquez ibi disp. 124. cap. 2. num. 5. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 4. sect. 8. à n. 16. Tapia tom. 1. Cat. Moral. lib. 3. quæst. 9. art. 6. & 7. Azor lib. 1. instit. cap. 16. quæst. 6. Sayr. lib. 2. cap. 9. num. 22. Laym. lib. 1. tract. 2. cap. 4. Palaus tract. 2. disp. 1. punct. 15. num. 5. & alij.

Ignorantia invincibilis excusat à peccato.

17 Inquires denique, quod si post adhibitam communem, seu ordinariam, & necessariam diligentiam, ignorantia est invincibilis, an hæc excuset à peccato? Respondetur affirmativè cum D. Thom. 1. 2. quæst. 76. art. 3. quia opus pravum perpetratum ex ignorantia invincibili, non manet aliquo modo voluntarium, sed quod nullo modo est voluntarium, nequit esse culpabile: ergo opus factum ex ignorantia invincibili non est culpabile. Hæc sententia est contra Lutherum in cap. 12. Genes. sic in Scholasticos stomacantem. *Scholastici dicunt invincibilem ignorantiam reddere excusabiles: tanta cæcitas in Papæ scholis, & Ecclesijs.* Est similiter contra Jansenium, qui lib. 2. de statu naturæ lapsæ, cap. 2. sentit ignorantiam invincibilem iuris naturalis à peccato non excusare. Sed hoc videtur in 2. propositione ab Alexandro VIII. damnata, quæ sic se habet: *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali*: ergo omnis ignorantia invincibilis excusat à peccato. At hæc nostra conclusio intelligenda est respectu illius circunstantiæ, de qua est ignorantia invincibilis; si autem sit scientia respectu alterius circunstantiæ eiusdem obiecti, respectu huius non excusabitur à culpa. Vt si aliquis videns procul hominem, illum occidit, si ille homo esset eius Pater, & ignoretur ab illo, excusabitur, ob ignorantiam invincibilem; à delicto parricidij, non vero homicidij, vt habetur in leg. *eum qui nocentem, §. si iniuria, ff. de iniurijs*, & in alijs textibus adductis à Cobarrub. cap. *Alma*, part. 1. §. 10. à num. 13. Vnde Iudas Genes. 38. ob ignorantiam invincibilem excusatus est ab incestu cum Thamar nuru sua; non tamen à fornicatione. Ita D. Thom. 1. 2. quæst.

quæst. 76. articul. 2. & 3. quem sequuntur communiter Doctores.

PUNCT. III.

An detur ignorantia invincibilis iuris positivi Divini, & humani?

Præcepta alia sunt supernaturalia, & alia naturalia.

18 NON leves sunt difficultates, quas titulus discutiendas offert: & ideò à facilioribus prius exonorari oportet, vt commodius, quæ sunt maioris momenti, diluamus. Pro omnium ergo resolutione notandum est, quod, vt constat ex D. Thom. 1. 2. quæst. 100. articul. 1. & 2. leges, & præcepta sunt in duplici differentia: quædam enim sunt supernaturalia, vt præcepta fidei, spei, charitatis, sacramentorum, & similia: quædam vero sunt naturalia, quæ vt constat ex ipso Angel. Doctore eadem 1. 2. quæst. 94. articul. 5. alia sunt communissima, & vniversalissima principia naturæ, vt illud: *Bonum est faciendum, & malum est fugiendum*; & illud: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*: & alia sunt magis specialia, quæ immediatè, & proximè deducuntur ex ipso iure naturali absque vlla fere difficultate, vt *Deum esse collendum*: *Parentes esse honorandos*. Quæ iterum subdividuntur. Nam alia sunt, quæ licet immediatè ex eisdem principijs inferantur, non tamen ita facile, & evidenter ex eis deducuntur, sicut dicta, & talia sunt reliqua Decalogi præcepta, v. gr. furtum, homicidium, &c. alia, quæ ex eisdem naturæ principijs mediatè deducuntur, & cum labore maiori, & difficiliori discursu: vt sunt præcepta de vitandis vsuris, de indissolubilitate matrimonij, & similia: & ad hæc etiam reducuntur præcepta naturalia secundæ tabulæ, non secundum se sumpta, sed vt vestita aliquibus circunstantijs: vt quod mentiendum est ob salvandam proximi vitam, vel furandum ad elargiendam eleemosynam, &c. & de his omnibus agendum nobis est in præsenti, pro quibus.

Secundum aliquos nequid dari ignorantia invincibilis mysteriorũ fidei.

19 Inquires primò. An possit dari ignorantia invincibilis mysteriorum fidei? Aliqui, quos late referunt Vazquez, Montesin. Salas, Prado locis citandis, asserunt non posse dari ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei, sive sit inter hæreticos, sive sit inter fideles. Primò: quia iuxta axioma illud. *Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam*. Ergo si datur ignorantia mysteriorum fidei, est, quia stat per hominem, & sic erit vincibilis, & culpabilis. Secundò, D. Thom. quodlibet. 3. art. 10. vt suprà retulimus, cap. 6. de conscient. probabili, puncto 3. ait: *In his vero, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri; in talibus enim ignorantia non excusat, alioquin immunes fuissent à peccato, qui sequuti sunt opiniones Arij, Nestoris, & aliorum Hæresiarcharum*. Et artic. 1. docet: *Peccare discipulos, qui sequuntur falsas doctrinas suorum Magistrorum, & tamen videtur istos habere ignorantiam invincibilem*. Ergo ex D. Thom. nequit dari ignorantia invincibilis mysteriorum fidei. Tertiò: *Sine fide nemo potest placere Deo*, vt dicitur ad Hebr. 11. Sed si posset dari ignorantia invincibilis mysteriorum fidei, posset quis Deo placere sine fide, cum talis ignorantia non sit peccatum: ergo nequit dari ignorantia invincibilis mysteriorum fidei.

Sed affirmativa pars est vera.

20 Sed cum opposita sententia dicendum est, dari posse ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei. Quod ostendi potest primo ex illo Ioann. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Quod explicat D. Augustin. tract. 89. in Ioan. de peccato infidelitatis. Nam vt ait Apostolus ad Roman. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Sed tunc datur ignorantia invincibilis, quando humano modo vinci nequit: ergo cum sine prædicante, aut alijs medijs vinci non possit multoties ignorantia mysteriorum fidei, censenda est tunc invincibilis, & excusans à peccato. Secundò. Infidelitas negativa. *In illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ*. ait D. Thom. 2. 2. quæst. 10. artic. 1. sed hæc ignorantia datur nunc in pluribus infidelibus circa omnia mysteria fidei, vt patet in Indijs, Chinis, & alijs Barbaris, in quibus nullum esse vestigium fidei his temporibus repertum est, & evangelium apud illos nullo modo fuisse promulgatum: ergo potest dari, & de facto datur ignorantia invincibilis mysteriorum fidei. ¶ Nec obest quod dicat Apostolus: *Numquid non audierunt. Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum*: ergo, &c. Tum: quia dicta verba continent prophetiam, quæ habet tractum successivum vsque ad finem mundi, vbi necessariò complebitur. Tum: quia ad eius veritatem sufficit, fuisse evangelium prædicatum in omnibus Provintijs, earum que principalibus Civitatibus; cum quo componitur, quod alia opida ignobilia careant omnino eius notitia: ergo dari potest ignorantia invincibilis mysteriorum fidei. Imò hæc carentia notitiæ mysteriorum fidei, saltem aliquorum, inveniri etiam potest in aliquibus fidelibus, maximè rusticis, vt experientia liquet; licet verum sit, quod hoc accidit in paucioribus; & familiarior sit apud infideles. Vide interim circa hoc Vazquez 1. 2. disp. 121. Sayr. lib. 2. cap. 9. & alios. Nostram conclusionem principalem docent D. Thom. 3. part. quæst. 69. art. 4. ad 2. & 2. 2. quæst. 10. art. 1. & ibi Bañez, Aragon, Montes. in 1. 2. quæst. 76. disp. 8. quæst. 6. num. 64. Salas tract. 13. disp. 8. sect. 4. num. 21. Azor lib. 1. cap. 13. quæst. 2. Sayro lib. 2. cap. 9. num. 13. Sanchez lib. 1. cap. 16. n. 34. Prado capit. 2. de Peccat. quæst. 12. §. 14. Bonacin. disp. 2. de Peccat. quæst. 8. punct. 8. num. 9. Palaus tract. 2. disp. 1. punct. 15. num. 6. Leander tom. 1. Decalogi, tract. 2. disp. 3. quæst. 75. Trullench lib. 1. in Decalogi, cap. 1. dub. 2. & alij.

Sententiæ cõtrariæ respondetur.

21 Ad primam obiectionem respondetur, axioma illud intelligi de faciente quod est in se ex viribus gratiæ: vnde si illi desint tales vires, nil mirum, si habeat ignorantiam invincibilem, etiam

etiam eorum, quæ necesitate medij sunt necessaria ad salutem. Videantur D.Thomas 1.2. quæst.109. artic.6. ad 2. & quæst.111. artic.2. ad 3. & N.Salmantic.Scholast.tom.4. tract.13. disput.20. dub.1. ¶ Ad secundum dicendum est, loqui Divum Thomam non de his, qui habent ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei, sed de illis, qui illa vincibiliter ignorant, eligendo potius sequi errores suorum Magistrorum conformiores carni, & apetitui, quam adhibere sufficientem diligentiam ad veram fidem tenendam legibus carnalibus repugnantem, spiritui tamen valdè dulcem, & melifluam. ¶ Ad tertium respondetur, nullum posse sine fide placere Deo; & ideò *Qui sic sunt infideles*, ait D.Thomas 2.2.quæst.10. artic.1. *Damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur ob infidelitatis peccatum.*

Datur ignorantia invincibilis iuris humani.

22 Inquires hic: An sicut datur ignorantia invincibilis iuris positivi Divini, possit etiam dari iuris positivi humani? Respondetur affirmativè. Et ratio est, quia tunc datur ignorantia invincibilis, quando humano modo vinci nequit; sed ignorantia, saltem alicuius legis, aut præcepti humani, morali, & humano modo vinci nequit; cum impossibile sit, vtriusque iuris civilis, & ecclesiastici leges, etiam Doctori admodum perito, & studioso, scire, & agnoscere, & nullus est ita doctus in aliqua materia, vt multa non ignoret: ergo datur ignorantia invincibilis iuris positivi. ¶ Deinde: nequit dari ignorantia culpabilis, & vincibilis alicuius legis, seu præcepti, nisi de illa prius aliqua dubitatio, aut consideratio nobis occurrat; sed tot sunt leges, tot que statuta tam civilia, quam ecclesiastica, vt impossibile sit, quod de omnibus aliqua dubitatio, aut consideratio, etiam litteratis occurrat: ergo impossibile est, quod omnis ignorantia iuris humani sit vincibilis: qua propter necessariò fatendum est, dari aliquam ignorantiam prædicti iuris, quæ invincibilis sit. Ita Vazquez 1.2. disput.123. Sayro lib.2.cap.9.num.20.& alij communiter.

23 Ex quibus sequitur, admittendam etiam esse hanc ignorantiam invincibilem respectu legum, seu præceptorum, quæ ad proprium statum pertinent: cum impossibile sit, quod, v.gr. Iudex, Mercator, Agricola, & alij similes sciant omnia præcepta, & leges, quæ ad proprium statum pertinent; alias deberet quilibet ex his in omni scientiarum genere esse peritus. Sed licet hæc ita sint, tamen fateri debemus, quod in ordine ad leges, quæ proprium statum concernunt, facilè cuilibet apparet ratio dubitandi, & ideò frequentius dicta ignorantia iudicanda est vincibilis. Sic Vazquez disput. 123. cap.2. num.6. Sanchez lib.1.Summ. cap.16. num.27. Covarrubias in Decret.punct.2. cap.3. §.1. num.9. Suarez de Censuris, disput.4. sect.8. num.15. Banc. de Peccat.disput.2.quæst.8.punct.3.num.8. & 18. Salas disput. 8. sect. 4. Prado cap. 2. quæst. 19. §. 7. num.34. & alij.

PUNCT. IV.

An possit dari ignorantia invincibilis iuris naturalis?

De primis principijs iuris naturalis non datur ignorátia invincibilis.

24 ANte resolutionem difficultatis propositæ supponendum est ex dictis num.18. quod nequit dari ignorantia invincibilis de primis principijs iuris naturalis; v. gr. *Quod bonum est faciendum. Malum est fugiendum. Caste est vivendum. Vnicuique suum ius est tribuendum. Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, &c. Et de præceptis Decalogi his primis principijs propinquis, vt quod *Deus est colendus. Pater est amandus.* Et licet, nescio quis Neotericus, aliqua ex his in dubium vertat, tamen ea omnia communiter docent Doctores. Et ratio est: primò, quia dicta principia sunt per se nota, nullo que indigent discursu, sed statim ac termini manifestantur, eorum veritas à quolibet deprehenditur: ergo nullus homo potest de illis ignorantiam invincibilem habere. ¶ Secundò, quia in speculabilibus non datur ignorantia invincibilis circa vniversalissima principia, qualia sunt *Quodlibet est, vel non est. Totum est maius sua parte*: ergo neque in primis, & vniversalissimis principijs practicis, qualia sunt supra relata. ¶ Tertiò denique, quia illa duo Decalogi præcepta supra relata sunt adeò proxima principijs vniversalibus, vt à quovis rationis compote ex illis deduci possint, & facillimo negotio eorum veritas deprehendi; sed de veritate, quæ ita faciliter à quovis deprehendi potest, nequit dari ignorantia invincibilis: ergo de dictis primis principijs, & duobus Decalogi præceptis, non potest dari talis ignorantia. Sic Vazquez 1.2.disput.122.cap.2.Sayro lib.2. cap.9. num.17. Azor lib.1. cap.13. quæst.1. Sanchez lib.1. Summ. cap.16. num.33. Prado cap.2. quæst.12. §. 5. à num.16. Tapia lib.4. quæst.2. artic.5. num.2. & plurimis relatis Solorçanus de Iure Indiar.lib.2.cap.13.à num.71. pag.406.& alij communiter.

Nullius præcepti naturalis posse dari ignorantiam invincibilem tenent aliqui moderni.

25 Hoc ergo supposito, difficultas inter Doctores est: An circa alia præcepta Decalogi, (quæ licet immediatè ex eisdem principijs inferantur, non tamen ita facilè sicut illa duo, quæ modo diximus) possit dari ignorantia invincibilis? Negant plures moderni, etiam si dicta præcepta aliqua circunstantia sint vestita. Et probant primò ex D.Augustino contion.25. in Psalmum 118.vbi ait: *Nullus est qui faciat alteri iniuriam, nisi qui fieri sibi nolit, & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare.* Sed de lege naturali, quæ non sinitur ab aliquo licitè ignorari, nequit dari ignorantia invincibilis: ergo nullius præcepti naturalis potest talis ignorantia dari. ¶ Secundò: Tunc datur ignorantia invincibilis de aliquo præcepto, quando humano, & morali modo vinci nequit; sed ignorantia cuiuscumque præcepti naturalis humano, & morali modo vinci potest: ergo, &c. Probatur minor. Tum, quia omnia Dei præcepta sunt homini possibilia, vt definit Concilium Tridentinum sess.

ſeſſ.6.cap.11.his verbis: *Deus impoſsibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere, quod poſſis; & petere, quod non poſsis; & adiubat, vt poſsis.* Tum etiam, quia vt docent N. Salmantic.Scholaſt.tom.5.tract.14.diſp.2. dub.1. poteſt homo abſque ſpeciali gratia percipere quamlibet veritatem naturalem, cum contineatur ſub obiecto proportionato intellectus humani. Tum denique, quia ius naturale eſt ſcriptum in cordibus hominum, & non legunt eius veritates, niſi qui nolunt, vt docet D.Auguſtinus ſuper Pſalm.57. his expreſsis verbis: *Non enim & ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant*: ergo ignorantia cuiuſcumque præcepti naturalis humano, & morali modo vinci poteſt.

Opinio præcedens confirmatur.

26 Confirmatur primò. Lumen naturale, *quod ſignatum eſt ſuper nos*, licet poſt peccatum originale ſit aliquomodo obnubilatum, non tamen taliter quod non illuminet omnem hominem: ergo ſi aliquis illud non percipit, eſt, quia ad illud non attendit, ſed potius naturali lumini oculos ſcienter claudit. ¶ Confirmatur ſecundò. Quia hoc lumen naturale in inſtanti vſus rationis intimatur hominibus, vt in Deum ſe convertant; quo ſi malè vtantur, & non convertantur in Deum, peccant mortaliter, vt tradit D. Thomas 1.2. quæſt.89. artic.6. quia voluntariè oculos claudunt, & obſtaculum culpabilè ponunt radijs naturalis legis, & ideò ignorantia ſubſequens, vtpotè ex illo peccato voluntaria, eſt vincibilis, & culpabilis: ſi vero illo lumine naturali benè vtantur, eſt certiſsimum, Deum illis maiorem immiſſurum lucem, qua poſsint veritates, & præcepta naturalia cognoſcere: ergo nulla eſt veritas naturalis, quæ ab hominibus cognoſci non poſsit; & conſequenter eius ignorantia non erit invincibilis, quin potius vincibilis, & peccaminoſa. Ita Palancus de Conſcientia humana, quæſt.9. §.3. Contenſon de Probabilit. diſſert.6. cap.1. quæres 5. Genettus tom.1. tract.1.cap.2.quæſt.10.

Sententia aſſerens de præceptis Decalogi ſecundarijs apud nullum hominem poſſe dari ignorantiam invincibilem.

27 Quidam modernus media via procedit, docens non poſſe dari ignorantiam invincibilem de præceptis naturalibus, ſeu Decalogi, ſi ſecundum ſe accipiantur; benè vero ſi conſiderentur, vt veſtita aliqua circunſtantia aparenter bona, aut ſint ex illis præceptis naturalibus, quæ multò ſtudio, & labore ex Decalogi mandatis deducuntur, vt vſura, polygamia, &c. Duplicem partem continet eius reſolutio, & prima, in qua aliquomodo convenit cum ſententia præcedenti probat primò ex D.Thom.1.2. quæſt.94. artic.6. vbi poſtquam D.Thomas diſtinguit præcepta naturalia in ea, quæ communiſsima dicuntur, & de quibus nequit dari ignorantia invincibilis in vllo homine etiam ruſtico, & in ea quæ ſecundaria dicuntur, ſunt que concluſiones propinquæ primis principijs, ſic de his loquitur: *Quantum vero ad alia præcepta ſecundaria poteſt lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perſuaſiones (eo modo, quo etiam in ſpeculativis contingunt circa concluſiones neceſſarias) vel etiam propter pravas conſuetudines, & habitus corruptos: ſicut apud quoſdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, vt etiam Apoſtolus dicit ad Roman.1.* Sed ignorantia, quam Gentes, & Barbari habebant de hoc, quod eſſent licita furta, fornicationes, pæderaſtiæ, adulteria, mendacia, &c. nequit eſſe invincibilis; cum in eam incurrerent, vt ait D. Thomas, *ob eorum pravas conſuetudines, & habitus corruptos*, & ignorantia, quæ ſic ob propria peccata incurritur vincibilis ſit, vt conſtat: ergo nulla ignorantia de præceptis ſecundarijs legis, vel Decalogi, etiam in homine ruſtico, & illiterato poteſt eſſe invincibilis. Qua propter Apoſtolus ad Roman.1. probat ex eo quod Gentes Deum non glorificaverint, ſicut cognoverunt, eos tradidiſſe in deſideria cordis eorum, in immunditiam, in mendacia, in pæderaſtiam, alia que vitia contra naturam, & in reprobum ſenſum, cæcitatem que circa legem naturæ, & ob id dignos eſſe morte, *non ſolum, quia ea faciunt, ſed etiam quia conſentiunt facientibus*: ergo ignorantia legis naturalis, ſi incurratur *ob pravas conſuetudines, & habitus corruptos*, nequit eſſe, etiam in ruſtico homine, invincibilis; ſicut etiam probat D.Thomas, ſuper dicta verba Apoſtoli lect.7. omnino videndus. Legatur etiam D.Paulus ad Epheſ.4.à verſ.17. ad 20.

Cõfirmatur ex D. Th.

28 Vlterius confirmat ſuam ſententiam ex eodem Angelico Doctore 3.part.quæſt.80. artic.4.ad 5. vbi ait: *Dicendum quod hoc, quod non habet aliquis conſcientiam ſui peccati, poteſt contingere dupliciter. Vno modo per culpam ſuam, vel quia per ignorantiam iuris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum, quod eſt peccatum; puta, ſi aliquis fornicator reputaret, ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale: vel, &c. Et ſic nihilominus peccat peccator ſumens corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati, quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum.* Ergo iuxta Divum Thomam nullus homo poteſt habere ignorantiam invincibilem de eo, quod ſimplex fornicatio non ſit peccatum mortale contra ius naturale commiſſum. ¶ Deinde, & clarius probat aſſumptum ex eodem Angelico Doctore 1.2. quæſt.100.artic.1. vbi explicans diverſitatem præceptorum legis naturalis, ita inquit: *Quædam enim ſunt, quæ ſtatim per ſe ratio naturalis cuiuslibet hominis diiudicat eſſe facienda, vel non facienda: ſicut honora patrem tuum, & matrem: &, non occides, non furtum facies, & huiuſmodi, ſunt abſolutè de lege naturæ. Quædam vero ſunt, &c.* En vbi D. Thomas æquiparat præceptum honorandi parentes cum præcepto non occidendi, & non furandi; ſed apud omnes certum eſt, vt vidimus num.24. quod nullus homo, etiam ruſticus, & pro parvo tempore, poteſt habere ignorantiam invincibilem de præcepto naturali honorandi parentes: ergo nec etiam poterit habere de præcepto non occidendi, & non furandi: & conſequenter cum eadem ratio ſit de alijs præceptis Decalogi, legis que naturalis, dicendum videtur, quod de nullo præcepto naturali ſecundum ſe ſumpto poteſt dari, etiam in homine illitterato, & pro brevi tempore ignorantia invincibilis. ¶ Secunda pars huius ſententiæ, ſcilicèt poſſe dari ignorantiam invincibilem

præ-

præceptorum Decalogi, & legis naturalis, si considerentur vt vestita aliqua circunstantia aparenter bona, patebit ex dicendis pro sequenti sententia.

Probabilior opinio asserens, de præceptis naturalibus secũdũ se sumptis posse in aliquo homine per breve tempus dari ignorantiam invincibilẽ.

29 Denique alij Doctores probabilius docent, posse dari ignorantiam invincibilem de præceptis Decalogi nude, & secundum se consideratis respectu aliquorum hominum illitteratorum per aliquod temporis spatium, secus vero per totam vitam, & respectu alicuius gentis, seu Provinciæ: cæterum si sumantur vt vestita aliqua circunstantia, vel conditione aparenter bona, posse per totam vitam à pluribus invincibiliter ignorari. Prima pars huius conclusionis probatur: quia dicta præcepta non sunt per se nota, sed indigent aliquo discursu, vt ex primis principijs legis naturalis deducantur: ergo contingere potest, quod vel propter ruditatem, aut defectum Doctoris, vel fidei, aliquis homo in hoc discursu deficiat, & sic pro parvo tempore possit ea invincibiliter ignorare. Dixi pro parvo tempore, quia per longum tempus, & vt in pluribus hominibus talis ignorantia admittenda non est; quia cum huiusmodi præcepta parum distent à primis principijs per se notis, moraliter impossibile est, quod eorum veritas aliquomodo non appareat, & peccati contra ea commissi turpitudo, & fœditas conscientiam non stimulent, & lancinent. Sic docent communiter Doctores maximè Sayrus lib.2.cap.9.num.18. Azor lib.1. cap.13.quæst.1. Valentia 1.2.disput.6.quæst. 6.punct.1. Sanchez lib.1. Summ. cap.16. numer.33. Suarez de Legibus,lib.1.cap.8.num.7. Sotus de Iustitia, quæst. 4. artic. 4. Diana 3.part. tract.4. resolut. 108. Prado cap.2. de Peccatis, quæst. 12. §. 5. & 6. Tapia tom.1. lib.4.quæst.2.artic.5. N.Salmantic. Scholastic. tom.4.disput.13.dub.1. num.15. & alij, quos sequti sumus tom. 3. huius Cursus tract.11. cap.1.num.27.

De præceptis Decalogi aliqua circunstantia vestitis, & de alijs à primis principijs remotis potest per longum tempus dari ignorãtia invincibilis.

30 Secundam vero conclusionis partem, scilicèt posse dari ignorantiam invincibilem de præceptis naturalibus, vt vestitis aliquibus circunstantijs ea aparenter honestantibus, & consequenter de alijs præceptis, quæ longo studio, & sudore à sapientibus ex Decalogo deducuntur, sic probant Doctores relati primo ex D.Thom.1.2.quæst.100. artic.1. vbi sic ait: *Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis à sapientibus iudicantur esse observanda, & ista sic sunt de lege naturæ, vt tamen indigeant disciplina, qua minores à sapientibus instruantur, sicut illud, coram cano capite consurge, & honora personam senis, & alia huiusmodi.* Idem repetit artic.3. in corpore, & artic.5.ad 1. in fine. Sed ignorantia præceptorum naturalium, quæ vt cognoscantur, indigent *subtiliore consideratione rationis, & disciplina, qua minores à sapientibus instruantur*, potest esse invincibilis per longum tempus, & vt in pluribus: cum stultorum maior sit numerus, & pluries ad manus habere sapientes non possint, vt eos consulant, ab eis que instruantur: ergo in isto casu poterit per multum tempus, & vt in pluribus dari præceptorum naturalium ignorantia invincibilis. Vnde paulò antea dixerat Angelicus Doctor, loco citato, loquendo de præceptis naturalibus: *Quædam vero sunt, ad quorum iudicium requiritur multa consideratio diversarum circunstantiarum, quas considerare diligenter non est cuiuslibet, sed sapientum.* Sed plurimi sunt insipientes, & illitterati: ergo ad hos non pertinet horum præceptorum, & circunstantiarum multa consideratio; & consequenter eorum ignorantia in illis poterit per longum tempus esse invincibilis.

Secunda probatio.

31 Probant deinde secundò: Nam plures viri docti habuerunt ignorantiam invincibilem per longum tempus de aliquibus præceptis naturalibus remotis à primis principijs: ergo potiori titulo similis ignorantia concedenda est in hominibus illitteratis. Antecedens ostenditur. Nam viri docti erant Durandus, Caramuel, Thomas Sanchez, & alij; & tamen primus in 4. distinct.33. quæst.2. num.10. docuit fornicationem non esse graviter peccaminosam ex lege naturæ. Secundus ait in Theolog. Moral. lib.3. num. 1603. pollutionem non esse iure naturali prohibita. Tertius denique lib.3. Summ. cap.6. num.15. opinatus est, licitam esse restrictionem purè mentalem: ergo si post diurnum studium hæc præcepta naturalia sapientes ignoratunt; quid mirum si homines agrestes, & illitterati simili ignorantia laborent circa præcepta naturalia, vel aliqua circunstantia cohonestante vestita, vel à primis principijs remota?

Probatio tertia ab exemplis.

32 Denique probant hanc sententiam aliquibus exemplis. Nam primò refert Vazquez se vidisse quemdam rusticum, qui pium existimabat ægrotum iam iam moriturum in alteram partem versare, vt citius animam exhalaret. Secundò simile exemplum audivi à viris fide dignis nostræ Religionis. Referebam enim de quodam fratre nostro Donato, cui nomen Michael ab Ascensione, quod cum Algelij paucis ab hinc annis dura præmeretur servitute, vidit Christianum quemdam ex vngulis ferreis pendentem, diu agonizare, & misericordia motus, ne tamdiu hoc acervo cruciaretur tormento, illi propinavit spongiam aqua spartea plenam, qua obbibita, vtpotè venenosa, statim animam exhalavit, iudicans tunc, relatus frater, se in hoc obsequium gratum præstare Deo, imò & peccare, si illud omisisset: & huius ignorantiæ invincibilis signum erat, quod, cum postea ab ea aliqui nostri Religiosi illum removere conarentur, valdè difficulter adduci potuit, vt talem actionem ex se malam esse tamdem crederet. Tertiò referunt Indiarum historiæ, apud illas gentes consuetum, imò pium, & religiosum esse homines, tamquam cruentas victimas, Dijs sacrificare, existimando huiuscemodi hostijs Deos placari, peccata que lubenter remittere. Denique multi llitterati, vt Casianus collat. 17. cap.17. Origines 6. stram. Plato 3. de Republica, & alij senserunt, mendacium aliquando licere: imò & Cicero Oratorum Princeps de Offic.lib.1.cap.de Iustitia, ait: *Primum iustitia munus esse, vt ne quis cui noceat, nisi lacessitus iniuria.* Et Tusc.quæst.1. defendit, fas esse, mortem sibi inferre ad graviorem declinandam miseriam: ergo ex his omnibus satis

constat de præceptis naturalibus tam aliqua circunstantia honestante vestitis, quàm à primis principijs remotis, posse dari per longum tempus tam apud illitteratos, quàm doctos ignorantiam invincibilem.

Quædam ex dictis inferuntur.

33 Vnde plura inferunt Doctores Catholici. Nam Sanchez ait, reperiri nunc multos invincibiliter ignorantes esse peccatum periurium ob vitam, aut honorem, propria, vel aliena tuenda: & similiter pollutionem esse peccatum, non semel contingere pueros invincibiliter ignorare; quod an verum sit, discutiet Confessor, ex eo quod, an in illorum mentem dubium aliquod, vel scrupulus de harum rerum malitia venerit; si enim nihil horum deprehenderit, iudicabit adfuisse ignorantiam invincibilem. Idem docent Salas tract. 13. disput. 8. sect. 4. Diana 3. part. tract. 4. resolut. 108. & alij relati à Francisco Lugo de Actib.human.punct.2.cap.4. quæst.4. num.49. ¶ Similiter infert Azor apud vulgares, & rudes homines esse ignorantiam invincibilem, putantes esse mendacium leve, aut officiosum propter communem salutem, aut magnum aliquod bonum tuendum. ¶ Denique inferunt Sotus in 4. distinct.33.quæst.1.artic.2. Alvarez disput.153.conclus.4. in multis adesse longo tempore ignorantiam invincibilem circa pluralitatem vxorum, quia præceptum naturale id prohibens magno studio adquiritur.

Solutio primi argumenti primæ sententiæ.

34 Iam ergo necesse est argumentis vtriusque sententiæ respondere. Ad primum ergo argumentum sententiæ, quæ absolutè negat, dari posse ignorantiam invincibilem de aliquo præcepto naturali, sivè secundum se considerato, sivè vestito aliqua circunstantia aparenter honesta, dicimus multum intendere probare, cum saltem circa præcepta naturalia vt vestita aliqua circunstantia adesse posse ignorantiam invincibilem clarè demonstrent exempla suprà numero 32. posita, cum valdè durum sit tam dictos homines, quàm alios ex ignorantia vincibili, & peccaminosa contra præcepta naturalia operatos fuisse, neque aliud probat authoritas Divi Augustini, in Psalm.118. Nam Sanct. Doctor non loquitur de præceptis Decalogi, seu secundarijs legis naturæ, sed de primarijs, cum loquatur de illo primo principio *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, vt patet ex eius verbis in expositione dicti Psalmi.

Secundi argumenti solutio.

35 Ad secundum negatur minor, & ad primam eius probationem dicitur, quod si aliquid probat, probat nullius præcepti naturalis, & divini posse dari ignorantiam invincibilem, cum omnia præcepta sint à Deo, & Deus impossibilia non iubeat. Quare dicendum est: Concilium ibi tantum loqui de præceptis secundum se, quando ab hominibus cognoscuntur; cæterum hoc non obstat, quod ratione ignorantiæ ab aliquo adimpleri non possint, cum non cognoscantur tamquam præcepta. ¶ Ad secundam respondetur, loqui Salmanticenses de potentia antecedenti, non vero consequenti, plures enim sunt veritates naturales, quæ tam ab illitteratis, quàm à doctis non cognoscuntur. ¶ Ad tertiam dic, Divum Augustinum loqui ibi de iure naturali, quod continetur in illo primo principio, quod per hæc verba paulò ante traditur ibi à tanto Doctore. Quod tibi non vis fieri, non facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est.

Secundæ sententiæ fit satis.

36 Ad primum motivum secundæ sententiæ fatemur ignorantiam de præceptis naturæ, de quibus loquntur Divus Thomas artic. 4. & 6. & Apostolus ad Roman. 1. esse vincibilem, cum ortum haberet à peccatis, quæ Gentes contra Deum commisserant, & vt ait Divus Thomas super citat. locum Apostoli lect.7. *Si ignorantia causetur ex culpa, non potest subsequentem culpam ignorantia excusare.* Cæterum hoc non obstat quo minus in aliquo homine Christiano, & illitterato detur per breve tempus ignorantia invincibilis de furto, aut homicidio; cum hæc præcepta sint secundaria naturæ, & aliquo discursu indigentia, vt ex primis deducantur. ¶ Ad secundum respondetur cum Medina 1.2. quæst.76. artic.2. dub.4. conclus.3. Alvarez disput.153. num.4. & Prado loco citato, §.6. num.27. Divum Thomam loqui de Christianis, in quibus ferè numquam admitenda est ignorantia malitiæ simplicis fornicationis. Cæterum hoc non obest quo minus in aliquo infideli, aut etiam Christiano doctrina carente, per breve tempus dicta ignorantia admitatur. ¶ Ad vltimum dicendum est, Divum Thomam æquiparare præceptum honorandi Parentes cum præcepto non furandi, neque occidendi, quo ad hoc, quod hæc omnia sint de lege naturæ, non vero quoad modum, quo sub prædicta lege continentur. Et ratio est, nam mens Divi Thomæ eo collimat, vt explicet distinctionem, quæ est inter hæc præcepta, & illa *coram cano capite consurge*, &c. per hoc quod illa ratio naturalis statim diiudicat, hæc vero indigent disciplina sapientum, qua illitterati, & minores de eis instruantur, ad quod necessarium non est asserere, Divum Thomam in eadem classe legis naturæ constituere præceptum honorandi parentes, ac præcepta non furandi, neque occidendi.

PUNCT. V.

Qualiter ignorantia vincibilis sit peccatum, illud que diminuat?

Ignorantia vincibilis potest esse venialiter, aut mortaliter culpabilis.

37 NOTITIA Ignorantiæ invincibilis viam sternit ad ignorantiæ vincibilis difficultates superandas. Quare supponendum est primò, esse aliquam ignorantiam, quæ sit causa peccati, vt docet Divus Thomas 1.2.quæst.76. artic.1. & probabimus suprà numero septimo, cum ergo ignorantia, quæ est causa peccati nequeat esse invincibilis, cum hæc sit involuntaria, & de ratione causæ peccati est, quod sit directè, vel indirectè volita; sequitur quod talis ignorantia sit vincibilis. Supponendum est secundò, hanc ignorantiam posse esse vincibilem, seu culpabilem venialiter, vel mortaliter: prima est, quando procedit

dit ex levi negligentia addiscendi: secunda, quæ ex gravi negligentia procedit; vnde licet peccatum sit ex genere suo mortale, fit veniale, si oriatur ex ignorantia levi, seu veniali. Quibus suppositis.

Ignorancia vincibilis actualis est in se peccatũ, non vero habitualis.

38 Rogabis primò: An ignorantia vincibilis sit in se peccatum, & distinctum ab eo, cuius est causa? V. gr. ignorat quis vincibiliter, esse hodie ieiunij præceptum, & ideo non ieiunat; quæritur, an illa ignorantia sit in se peccatum; & an distinguatur numero à peccato omissionis ieiunij? Ad primam quæstionis partem respondetur affirmativè loquendo de ignorantia actuali. Et ratio est. Nam omissio in actu secundo voluntaria actus debiti est in se formaliter peccatum; sed ignorantia actualis est omissio voluntaria in actu secundo actus debiti, scilicèt scientiæ: ergo est in se formaliter peccatum. Ita Sylvest. verb. *Ignorantia.* D.Anton. 1. part. titul. 6. cap. 1. §. 1. Vazq. disp. 118. cap. 2. Sayr. lib. 2. cap. 9. Salas tract. 13. disp. 8. sect. 2. & alij. Vnde sequitur, ignorantiam habitualem non esse peccatum, sed effectum, & terminum peccati; cum in se non sit in actu secundo voluntaria.

Quando ignorãtia per se prohibetur est distinctum peccatum ab eo, cuius est causa.

39 Ad secundam partem sub distintione respondendum est. Nam si ignorantia sit non per se prohibita, sed ratione operis exequendi, tunc non est distinctum peccatum ab eo, quod causat; vt si quis ex ignorantia vincibili omittat sacrum; ignorantia huius præcepti non est distinctum peccatum ab omissione illius: quia non prohibetur per se, & ratione sui, sed in quantum est causa transgressionis præcepti audiendi sacrum. Ita Montesin. disp. 8. quæst. 3. num. 24. Vazquez disp. 119. cap. 3. Alvarez disp. 151. & alij. Si vero ignorantia prohibetur propter se: quia est carentia scientiæ, quam omnes, aut aliqui habere tenentur; vt omnes Christiani tenentur habere notitiam articulorum fidei, præceptorum Decalogi, & septem sacramentorum: & similiter Episcopi, Prælati, Doctores, & confessarij debent scire omnia, quæ ad proprium munus attinent; in isto casu ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, est distinctum peccatum ab eo, cuius est causa. Et ratio est: quia talis ignorantia prohibetur propter se, & scientia, cuius est privatio per se præcipitur; sed quando ignorantia per se prohibetur, scientia que per se præcipitur, est distinctum peccatum ab illo, quod ex illis oritur: ergo talis ignorantia est peccatum distinctum ab illo, quod causat. Vnde si aliquis ignorat fidei articulos, vel confessarius ea, quæ sui muneris sunt, independenter ab alio effectu pravo inde orto, committit speciale peccatum ignorantiæ oppositum virtuti studiositatis, pertinens que ad vitium negligentiæ oppositum per defectum prædictæ virtuti. Ita Azor lib. 1. cap. 12. quæst. 5. & 3. Vazquez disp. 119. cap. 2. & 3. & disp. 124. Salas tract. 13. disp. 8. sect. 3. Tapia tom. 1. lib. 3. quæst. 9. artic. 3.

Omissionẽ præcepti ecclesiastici ex ignorantia mortaliter culpabili,

40 Rogabis secundò. An ignorantia in se mortaliter culpabilis, dum modo non sit crassa, aut supina, excuset à mortali transgressione in præceptis humanis? Prima sententia est affirmativa, in ordine ad præcepta humana; non vero circa divina. Et probatur primò: quia Ecclesia, v. gr. in suis præceptis se gerit vt pia mater, illaqueare animas tam hostili vinculo nolens, vt ait Caietanus; sed hostili vinculo illaquearet, si transgrediens ecclesiasticum præceptum ex ignorantia mortaliter culpabili, non tamen affectata, aut crassa, peccaret mortaliter: ergo, licet tale peccatum cum simili ignorantia daretur, quando transgreditur præceptum divinum vel naturale; secus vero quando transgreditur ecclesiasticum, vel civile. Secundò, quia hæc est differentia inter ius naturale, aut divinum, & positivum humanum; quod ius naturale, & divinum maiorem diligentiam exigit, ad eorum præcepta adimplenda, quam ius humanum, dum deficit fraus, seu ignorantia affectata, & crassa: ergo ignorantia, quæ esset mortaliter culpabilis respectu præcepti naturalis, & divini, non esset talis respectu Ecclesiastici, & humani. Ex quo infert Sanchez num. 21. ex sententia Caietani, Sylvestri, Saà, Navarri, & aliorum, excusari à mortali eum, qui transgreditur præceptum audiendi sacrum, vel ieiunij, si hoc faciat bona fide ex causa, quam putat sufficientem, etsi eà vere sufficiens non sit, & procedat ex ignorantia mortaliter culpabili. Nam si isti Authores (contendit Sanchez) intelligendi essent de sola ignorantia venialiter culpabili: Quare hanc doctrinam vt singularem in præceptis humanis docerent? Cum ignorantia venialiter vincibilis excuset à culpa gravi transgressionem præcepti naturalis, & divini: ergo intelligendi sunt etiam, quando adest ignorantia mortaliter culpabilis, seu vincibilis. Vnde hanc sententiam tenent Caietan. 2. 2. quæst. 147. art. 3. dub. 3. & in Summa, verbo *Ieiunium*, cap. 3. & verb. *Præcepti transgressio.* Armilla verbo *Præceptum.* Sylvest. verb. *Ignorantia*, quæst. 5. num. 10. & quæst. 8. dist. 1. Navarr. in Summ. cap. 21. & 23. & alij, quos sequitur Sanchez in Summ. lib. 1. cap. 17. num. 20. & 21. Insuper eam docent Reginald. lib. 11. num. 30. Bonacin. de Peccatis, disp. 2. quæst. 8. part. 3. num. 22. & 23. refert respectu ieiunij præcepti Navarr. Azor, Lesium, Salas, Suarez, Vazquez, Sanchez, &c. & eosdem citat, & sequitur Leander in 5. præcepta, tract. 5. disp. 8. quæst. 142. & hæc opinio non parum favet, imo aliquantulum adhæret propositioni 23. damnatæ ab Alexand. VII. & propositioni 52. ab Inocenc. XI. prohibitæ.

li, non esse grave peccatum, aliqui sentiunt.

Omnino verum est talem transgressionem esse culpam gravem.

41 Sed hæc sententia mihi omninò falsa, & inintelligibilis videtur. (ita est dispar hominum genium) Primò: quia loquens Apostolus 1. ad Corinth. 14. ait: *Si quis ignorat, ignorabitur*: ergo, cum vniversaliter loquatur de omni ignorantia mortaliter vincibili, absque fundamento restringitur ad ignorantiam iuris naturæ, vel divini: quare cum eadem vniversalitate concludit D. Thom. 1. 2. q. 76. art. 1. in corpore: *Ex quo patet, quod nulla ignorantia invincibilis est peccatum. Ignorantia autem vincibilis est peccatum; si sit eorum, quæ aliquis scire tenetur; non autem si sit eorum, quæ quis scire non tenetur*: ergo cum scire teneamur tam præcepta naturalia, & divina, quam Ecclesiastica, & civilia, omnis vtriusque ignorantia mortaliter vincibilis, erit culpa mor-

mortalis. ¶ Secundò: ignorantia mortaliter culpabilis, non tollit voluntarium, quod sufficit, vt actus subsequens sit peccatum, sed ignorantia, quæ non tollit voluntarium; aut, vt ait D. Thom. loc. cit. art. 3. *Non causat involuntarium, non excusat à peccato*: ergo cum talis sit ignorantia mortaliter culpabilis respectu præcepti Ecclesiastici non excusabit à culpa. ¶ Tertiò: inintelligibile est, quod ignorantia illa sit mortaliter culpabilis, & quod transgressio præcepti Ecclesiastici, quæ est effectus illius non sit mortaliter culpabilis; sicut est inintelligibile, quod causa sit mortaliter culpabilis, & quod illius effectus non sit etiam mortaliter culpabilis; sed illa ignorantia est mortaliter culpabilis, vt supponunt adversarij: ergo quælibet transgressio præcepti humani positivi inde orta, erit mortaliter culpabilis. ¶ Denique: quia licet ignorantia, quæ est mortaliter culpabilis respectu iuris naturæ, aut diuini, non sit mortaliter culpabilis respectu iuris humani, sed requiratur ad hoc gravior ignorantia, & negligentia: (quod concedimus adversarijs) tamen est impossibile, quod si ignorantia est mortaliter culpabilis respectu iuris humani, peccatum ad illam subsequutum non sit mortale; sicut est impossibile, quod peccatum contra ius naturæ ortum ex ignorantia mortaliter culpabili, nõ sit mortale: ergo impossibile est, quod detur transgressio alicuius præcepti Ecclesiastici ex ignorantia mortaliter culpabili, & quod ipsa transgressio culpa mortalis non sit. Et per hoc patet ad rationes dubitandi supra positas. Nostram resolutionem tenent plures Authores pro contraria relati, vt prius optimè notavit Prado, dicens expressè illam solum tenuisse Valentiam, Sanchez, & alios Neotericos; nobiscum vero sentiunt Suarez tom. 3. in 3. part. disput. 82. sect. 3. Montesin. 1. 2. quæst. 76. disp. 8. quæst. 9. à num. 118. Palaus tract. 2. disput. 1. punct. 16. num. 3. Prado cap. 2. de Peccatis, quæst. 13. §. 2. num. 13. & alij.

Transgressio præcepti ex ignorantia venialiter culpabili est leve peccatum.

42 Ex dictis sequitur, quod si ignorantia sit venialiter vincibilis, transgressio præcepti erit tantum venialis. Et ratio est: quia *Ita se habet simpliciter ad simpliciter, sicut magis ad minus*, vt commune tenet axioma; sed si transgressio precepti oriretur ex ignorantia omnino invincibili, nullo modo esset peccatum: ergo si oritur ex ignorantia venialiter vincibili, erit peccatum veniale. Deinde: quando aliquod peccatum non est volitum in se, sed in sua causa, non importat aliam gravitatem malitiæ, quam eam, quam contraxit in sua causa; sed hæc tantum est venialis, quando procedit ex ignorantia venialiter culpabili: ergo peccatum ex illa ortum erit tantum veniale. Vnde qui frangit præceptum ieiunij, vel omittit auditionem sacri ex ignorantia vincibili venialiter, tantum peccat venialiter. Sic Silvestr. verbo *Periurium*, quæst. 1. Navarro in Summ. cap. 12. num. 7. Alvarez 1. 2. disp. 161. Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 82. sect. 3. Valentia, Zumel, & alij apud Sanchez in Summ. lib. 1. cap. 17. num. 17. Bonacin. de Peccat. disp. 2. quæst. 8. punct. 3. num. 21. Reginald. lib. 11. num. 11. Layman, lib. 1. tract. 2. cap. 4. n. 9. Franc. Lugo de Actib. human. cap. 4. quæst. 4.

¶ Hic agendum erat. An ignorantia vincibilis excuset à pœnis per legem taxatis; sed quia de his latè actum nobis fuit tract. 10. cap. 1. punct. 15. & cap. 7. punct. 3. num. 48. ibi lectorem remittimus. Similiter erat disputandum: An peccatum ex ignorantia vincibili commissum, esset eiusdem speciei cum peccato ex scientia patrato? At, quia hoc decissum relinquimus, tom. 1. tract. 6. cap. 8. num. 66. & in hoc tract. cap. 5. de conscientia erronea, punct. 2. num. 18. ab eius resolutione supersedimus.

Quot peccata committat ignorans vincibiliter.

43 Sed hic insurgit gravis difficultas, à paucis tamen exagitata: scilicèt quot peccata committit, qui incurrit ignorantiam vincibilem, prævidens se exponere pluribus peccatis, quæ ex tali ignorantia oriri possunt? V. gr. Confessarius, qui sine necessaria scientia, & cum ignorantia vincibili eorum, quæ ad licitè obeundum proprium munus desiderantur, audiendis confessionibus se committit, prævidens ob illam se exponere periculo errandi circa honorem, vitam spiritualem, & corporalem pœnitentium, bona temporalia, & alia plurima, quæ ex indebita huius Sacramenti administratione oriuntur damna, & de quibus, vt iudex in foro conscientiæ iudicare debet; in quo casu quæritur, quot peccata in illa vincibili ignorantia committit? An omnia, quæ sequi possunt ex illa; an tantum ea quæ prævideri possunt? Et idem dicendum est de quocunque alio Iudice, aut Prælato, qui sine debita scientia munus suum obijt. Salas tract. 13. disput. 8. sect. 9. num. 72. in fin. Thom. Sanchez lib. 1. Summ. cap. 17. num. 16. asserunt, quod si tantum prævidit imminere periculum alicuius peccati vagè, tunc committeret tantum vnum peccatum, & illius speciei, cuius esset hic actus: *Volo aliquod peccatum*, nullum determinando; si vero prævidit imminere periculum duorum, vel trium, sive copulatim, sive disiunctim; tot peccata committet, & illius speciei, cuius essent scienter commissa. Quæ doctrina, licet vera, indiget tamen maiori explicatione.

Notatio pro maiori explicatione doctrinæ.

44 Pro qua nota, verum esse, quod ad hoc vt peccata, quæ ex ignorantia vincibili oriuntur, culpabiliter imputentur, debent esse prævisa in causa ab ignorante, dum scire neglexit; at hæc prævisio non debet esse peccati, vt metaphysicè, sed vt moraliter possibilis; hoc est cuius periculum sit proximum; quia suppositа ignorantia, alia via humano, & morali modo tale peccatum vitari nequit, & sic communiter non vitatur; si enim alio modo communiter, & moraliter loquendo vitari potest; iam non erit periculum proximum, sed remotum. Quod hoc illustro exemplo. Qui, quando exprofesso operam navat studio casuum conscientiæ, seu theologiæ moralis, ad postea confessiones excipiendas, negligit culpabiliter adiscere ea, quæ necessaria sunt ad ritè hoc munus administrandum; prævidens ex tali ignorantia periculum plurium errorum, & peccatorum; in hoc casu hoc periculum est proximum, & non remotum: quia licet verum sit, quod vitari possit novo, & diligenti studio moralis theologiæ; at hoc licet methaphysicè possibile

sit,

sit, moraliter tamen rarò contingit; videmus enim communiter, quod postquam Sacerdotes licentiam excipiendi confessiones habent, potius quæ addiscerant, obliviscuntur, quam denuo alia studio comparent. Vnde prævisum periculum futurorum errorum in his non est remotum; sed proximum.

Illustratur veritas nostræ sententiæ.

45 Ex quo iam patet in quo sensu vera sit doctrina Sanchez suprà relata. Dicimus ergo, quod non tot peccata, quæ sequi possunt ex ignorantia vincibili, debent culpabiliter imputari; sed tantum, quorum periculum proximum prævidetur in causa, aut prudenter & moraliter timeri potest; estò aliorum in mentem veniat suspicio aliqua, aut dubium. Sed quia moralia agimus, rem exemplis practicis delucidemus. Proijcit quis ex culpabili inadvertentia (quod est idem ac ignorantia) lapidem per fenestram, vel ex illa versus viam publicam catapultum, vel sclopum explodit; in hoc casu etiam si ex illis possent sequi plura homicidia, aut vnicum homicidium, quod esset simul parricidium, aut sacrilegium, tamen, si non prævidit, quod possit tunc transire pater, aut clericus: quia id contingere rarum est; & solum prævidit posse illuc transire alium indeterminatè hominem, quod frequentius accidit, hoc periculum prævisum erit proximum, & imputabitur ad culpam; secus vero primum; vnde si fortè accidat parricidium, aut clericidium, vt casuale quo ad istas circunstantias iudicandum est: quia horum periculum est remotum, licet ex illa inadvertentia sit possibile evenire. Idem dicimus de iudice, qui ex ignorantia obijt munus suum, cui tantum attribuuntur peccata, quorum proximum imminet periculum, & quæ alia via nequeunt moraliter vitari; non vero alia, quæ ex illa alias remote sequi possunt. Vnde patet quid dicendum sit de confessario cum ignorantia vincibili munus suum exercente. In quot enim peccatorum periculum proximum ob illam incidet; quot que culparum erit causa simili ignorantia laborans? Solus Deus, cui sigillum confessionis patet, testis, & Iudex erit reddens vnicuique iuxta opera sua, vel potius secundum mortaliter culpabiles ignorantias, quibus non minuunt, sed potius augent pœnitentium peccata animas novis illaqueantes vinculis. Et dicta pro hoc capite de ignorantia sufficiant. ¶ Post hæc disputandum erat de metu; qualiter excuset, vel non à peccato, pœnis que incurrendis, & irritet contractus; sed de primo egimus tract. 11. cap. 2. punct. 7. per totum: de secundo in tract. 10. cap. 1. punct. 15. num. 203. & denique de tertio tract. 10. cap. 2. per totum, & tract. 14. punct. 2. quare ne actum agamus ab eorum discussione calamum retrahimus.

***

TRACTATUS XXI.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

PROOEMIUM.

QUÆ hactenus diximus, præludia quædam sunt, planam que sternunt viam ad claram Decalogi intelligentiam capessendam; cuius vtilitas, imò & necessitas cuilibet, non solum cæcutienti, sed etiam vitijs obtenebrato, patet. Hæc est enim illa lex, quam nobis Deus per manus servi sui Moysis populo Christiano intimavit: hæc, quam in vertice fumante Synai in duobus tabulis dedit. Hoc est pactum, quod nobis Dominus ostendit: *Quod præcepit* (Deuteron. 4.) *vt faceretis, & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. Hæc sunt verba, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, & ligabis ea, quasi signum in manu tua, erunt que, & moventur inter oculos tuos. Scribis que ea in limine, & ostijs domus tuæ*, cap. 6. vers. 6. 7. 8. & 9. *Hæc sunt præ-*

præcepta, quæ mandavit Dominus Deus vester, vt docerem vos, & faciatis. Audi Israel, & observa, vt facias, quæ præcepit tibi Dominus, & benè sit tibi, & multipliceris amplius, vers.3. *Hæc sunt mandata, quæ ego præcipio tibi, & filijs, ac nepotibus tuis cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui*, vers.2. Hæc per quæ sunt *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Lucæ 2. *Non enim*, ait Apostolus ad Roman.2. *auditores legis iusti sunt apud Deum; sed factores legis iustificabuntur.* Hæc de quibus dixit Christus. Matth.19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* ¶ *Hic denique est Decalogus legis* (vtor verbis D.Augustin. lib.de decem chordis, cap. 5.6.&9.) *qui decem præcepta habet, quorum tria priora ad Deum pertinent; alia vero septem ad homines. Hæc decem præcepta sunt decem chordæ psalterij, quas tangendo feras peccatorum occidis*, quibus occisis securus, & innocens in dilectione Dei, & humana societate versaris. *Tangis primam chordam, qua colitur vnus Deus, & cecidit bestia superstitionis. Tangis secundam, qua non accipis nomen Dei tui in vanum, cecidit bestia erroris nefandorum hæresum. Tangis tertiam chordam, vbi pro spe futuri quietis facis, quid quid facis, interficitur crudelior cæteris bestijs, amor sæculi huius propter quam laborant homines in omnibus negotijs. Tangis quartam chordam, vt honorem parentibus deferas, cecidit bestia impietatis. Tangis quintam chordam, non occides, cecidit bestia crudelitatis. Tangis sextam chordam, non mœchaberis, cecidit bestia libidinis. Tangis septimam chordam, non furtum facies, cecedit bestia rapacitatis. Tangis octavam chordam, non falsum testimonium dices, cecidit bestia falsitatis. Tangis nonam chordam, non concupisces vxorem proximi tui, cecidit bestia adulterinæ cogitationis. Tangis decimam chordam, non concupisces rem proximi tui, cecidit bestia cupiditatis. Ita cadentibus omnibus bestijs securus in Dei dilectione, & humana societate versaris. Nam in singulis chordis, non singulas bestias, sed greges interficis bestiarum. Sic ergo canticum novum cum amore, non cum timore in æterna beatitudine cantabis.* Ita Divus Augustinus vtilitatem observantiæ Decalogi encomians, & satis erudite viam, qua ad Deum pervenitur, demonstrans.

Et rectè vtique, quia vt edocet Divus Thomas 1.2. quæst.100. artic.5. *Sicut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad quandam communitatem humanam: ita præcepta legis divinæ ordinant hominem, ad quandam communitatem, seu rempublicam hominum sub Deo.* Cum ergo ad hoc, quod aliquis in aliqua communitate benè commoretur, duo requirantur; primum quod homo benè se habeat ad eum, qui præest communitati. Secundum ad alios communitatis consocios; ideò divina providentia cautum est, quod tria prima præcepta ordinarent hominem ad Deum, reliqua vero ad proximos

ximos ſimul convenientes ſub Deo. Primum adipiſcitur homo per fidelitatem, reverentiam, & famulatum ad Deum, quod in tribus primis præcipitur. Secundum vero per hoc, quod ius ſuum vnicuique ſervetur illæſum, reddendo debitum illis, quorum eſt debitor; v.gr. deferendo Parentibus honorem, & alijs proximis neque opere, ore, aut corde nocumentum inferendo, quod in reliquis Decalogi præceptis à Domino iubetur. Et ſic manet homo ſecurus in Dei dilectione, & humana ſocietate, & ad Deum perfectè ordinatus, vt poſsit hoc canticum novum cum amore, & ſine timore in æterna beatitudine lætus decantare.

Has ergo decem pſalterij fides apprime ferire, quin à vitijs contrarijs feriamur, noſtri muneris in præſenti edocere eſt; ſed quia tertia fides vix pulſari valet, quin alias quinque cordas Eccleſiaſticæ Chelys, hoc eſt, Eccleſiæ quinque præceptorum, tangamus, ideò ea hui operi inſerere in animo eſt. Vtinam ita feliciter, vt ſic hoc pſalterium, & chelym pulſando, ait Divus Auguſtinus, vitiorum feras interficiamus, & ſecuri in Dei dilectione, & humana ſocietate verſemur, vt poſsimus cum amore in æterna beatitudine hoc canticum novum in conſpectu Dei, & agni perpetuo modulari.

CAPUT I.

De Decalogo in communi.

QUia difficillimum eſſet in præceptorum Decalogi diſquiſitione recto methodo procedere, niſi prælibata ſaltim in communi ipſius Decalogi notitia, ideò hoc caput inſtituimus, in quo de eſſentia, & Præceptorum multitudine, nec non de eorum obligatione per duo puncta diſſeremus. Cap. hoc duo puncta continet.

Punct. I. *Quid ſit Decalogus, quot eius præcepta, & quæ primæ, & quæ ſecundæ tabulæ?*

Punct. II. *Oſtenditur obligatio præceptorum Decalogi, & an ſint ab aliquo diſpenſabilia?*

PUNCTUM I.

Quid ſit Decalogus, quot eius præcepta, & quæ primæ, & quæ ſecundæ tabulæ?

Quid ſit Decalogus, & eius excellẽtia declaratur.

1 PRo limine expoſitionis præceptorum Decalogi, quædam prælibanda neceſſariò ſunt, quorum notitia gradum planum facit ad ſingula illius præcepta declaranda. Pro quo rogabis primò: Quid ſit Decalogus? Huic quæſito reſpondetur breviter, dicendo: *Quod Decalogus eſt lex naturalis, & divina decem præceptis comprehenſa, digito Dei in duabus tabulis ſcripta, & per manum Moyſis populo Hebræorum delata.* Quæ deſcriptio ſic explicatur. Dicitur *lex naturalis*: quia omnia præcepta naturalia ad illum reducuntur, vel vt principia, vel vt concluſiones in ipſo contentæ. Additur *Divina*: quoniam à Deo fuit immediatè hominibus intimata, vt ait D. Thom. 1. 2. quæſt. 100. artic. 3. *Decem præceptis comprehenſa*, quia decem tantum continet præcepta. *Digito Dei in duabus tabulis ſcripta*: quia miniſterio Dei, vel, vt alij volunt, Angelorum, aut Moyſis (de quo videatur N. Anton. à Matre Dei, prælud. 1. digreſ. 1.) in duabus tabulis lapideis hæc præcepta fuerunt exarata. Et denique additur: *Et per manum Moyſis populo Hebræorum delata*: quia Moyſes iuſſu Dei ad populum Iſrraëliticum detulit, vt patet Exod. cap. 20. & 34. Deuter. cap. 10. Vnde D. Auguſtin. quæſt. 140. ſuper Exod. ait: Decalogum eſſe aliarum legum ſummam, & epitho-

me;

me ; cui adhærent D.Thom.opuſc.4. in principio ,& Concil.Colon.fol.161. §.*Cæterum*, dicendo : quod ſicut ſumma omnium , quæ credenda ſunt , continentur in Apoſtolorum ſymbolo , & quæ petenda ſunt , in oratione Dominica : ita ſumma omnium , quæ agenda ſunt in Decalogo exprimitur.

Decalogi encomia.

2 Qua propter,primus omnium , qui hæc decem præcepta proprio nomine inſignivit, fuit Clemens Alexandrinus , ea nomine in compoſito lib. 6. ſtromat. appellans Decalogum ; quo poſteà vſi ſunt Origines , Hieronymus , & alij Græci , & Latini Patres. Sed Iacobus Baius in ſuo Catechiſmo alijs duodecim nominibus ex Scriptura decerptis illum ſic encomiat. Dicitur enim *Lex* : quia homines ligat. *Præceptum* : quod Deus per ſe tulit. *Mandatum* : quia per hominem dedit. *Eloquium, ſermo , verbum* : quia per Filium à Patre emanavit. *Iudicium* : quia per illud homines iudicantur. *Iuſtitia , & æquitas* : quia vnicuique tribuit , quod ſuum eſt. *Iuſtificatio* : quia præcipit ea , per quæ homines iuſtificantur. *Via*: quia eſt forma benè vivendi. *Semita* : quia rectè ad Deum ducit. *Teſtimonium* : quia teſtis eſt tum bonorum , tum malorum operum; vel quia Dei voluntatem nobis teſtificatur. At licet hæc decem Dei præcepta hæc omnia nomina ſub ſe comprehendant , tamen iam, vt proprium , nomen Decalogi ſibi apud ſapientes vnicè arrogant.

Præcepta Decalogi ſunt tantum decem.

3 Rogabis ſecundò : Quot ſint Decalogi præcepta ? Reſpondetur eſſe decem ; quod ſatis indicant ipſum Decalogi nomen , & ſcripturæ authoritas , Exod.20. & Deuteron.5. vbi decem tantum ſic enumerat. Primum : *Non habebis Deos alienos in conſpectu meo. Non facies tibi ſculptile , nec ſimilitudinem omnium, quæ in cœlo ſunt deſuper , & quæ in terra deorſum , & quæ verſantur in aquis ſub terra. Non adorabis ea , & non coles.* Secundum:*Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertium:*Memento vt diem Sabbati ſanctifices.* Quartum : *Honora Patrem tuum , & Matrem tuam.* Quintum : *Non occides.* Sextum : *Non mœchaberis.* Septimum : *Non furtum facies.* Octavum : *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Nonum : *Non concupiſces vxorem proximi tui.* Decimum : *Non deſiderabis domum proximi tui , non ſervum, non ancillam , non bovem , non aſinum , nec omnia , quæ illius ſunt.* Ita Exod.20. & Deuteron.5.

Aliter Decalogum numerât Iudæi

4 At hæc licet ita ſint; tamen Iudæi è contra dicunt , primum præceptum tantum eſſe: *Non habebis Deos alienos in conſpectu meo.* Ac proinde ſecundum aſsignant : *Non facies tibi ſculptile.* Et ne numerus præceptorum accreſcat , duo vltima , ſcilicèt : *Non concupiſces vxorem proximi tui* : : : : *Non deſiderabis rem proximi tui*, contrahunt in vnum. Ita Ioſephus , Philo , & Origines lib. de Decalogo. Athanaſ.in ſynopſi , & alij , quos æquo animo ſequitur Calvinus , vt imaginum cultum de medio tollat. His etiam adhæret Heſichyus in cap.26.Levitici , vbi pro primo præcepto aſſignat ea verba : *Ego ſum Dominus* , &c. (quæ à nobis relata præcedunt) & omittit id , quod eſt de Sabbati ſanctificatione , tamquam vnicè ceremoniale.

5 Sed hæc omnino falſa ſunt : Tum , quia *Non habebis Deos alienos.. Non facies tibi ſculptile* , non ſunt duo , ſed vnicum præceptum , cum ad vnum aliquid ordinentur , ſcilicèt Dei cultum. Tum etiam , quia alias non decem , ſed vndecim eſſent præcepta , contra illud Deuteron. 4. *Et oſtendit vobis pactum ſuum , quod præcepit , vt faceretis , & decem verba , quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis*: ergo , &c. Sequela eſt evidens : quia duo vltima præcepta ſuprà poſita , nequeunt ad vnum reduci. Nam præceptum,vt ait Abulenſ.quæſt. 2.in cap.20.Exod. eſt quædam propoſitio regulativa actionis humanæ , quæ regulatur iuxta diverſitatem potentiarum ; ſed in illis dantur duæ potentiæ regulatæ, ſcilicèt potentia tactiva in ordine ad delectationem carnalem , & cupiditas quædam ſpiritualis in ordine ad rerum deſideria : ergo nequeunt ad vnum reduci. ¶ Deinde nonum , & decimum præceptum habent idem obiectum , ac ſextum , & ſeptimum ; cum hac ſola differentia , quod hæc reſpiciunt actus externos , illa vero internos : ergo ſi ſextum , & ſeptimum nequeunt in vnum coniugi , nec etiam poterunt nonum , & decimum. ¶ Nec denique, quod addit Heſichyus veritatem continet. Nam omne præceptum debet dari per verba imperativa ; ſed illud: *Ego ſum Dominus Deus tuus* , &c. non datur per verba imperativa ; ſed aſſertiva , & indicativa , quin in eis aliquid præcipiatur : ergo nequeunt talia verba primum præceptum conſtituere. ¶ Ad illud de Sabbatho , dico eſſe præceptum naturale , quo ad ſubſtantiam , & tantum ceremoniale , quo ad deſignationem temporis : vnde ob hoc à Decalogo nequit relegari. Videatur D. Thom. loco immediatè citando,artic.3.ad 3. ¶ Quare dicendum eſt præcepta Decalogi eſſe decem eo modo , quo ſupra ex Scriptura traslata à nobis ſunt. Ita D.Auguſtin.quæſt.71. in Exod. Clemens Alexandrin.lib.6.ſtromat. D.Hieronym. in Pſalm. 32. & communiter Scholaſtici in 3. diſtinct. 37. & D.Thom.1.2. quæſt.100. artic.3. & 11. & cum eo omnes eius diſcipuli , nec non Abulenſ.in cap.20. Exod.quæſt.2. Cornel.in cap.5. Deuter. Docent etiam Sotus lib.2. de Iuſtit. quæſt.3.artic.3. Sayr.lib.4.cap.2. num.6. Trullench tom.1.in Decal.prælud.1.num.9.Leand. tract.1.in Decalog.quæſt.2.& alij.

Falſa tamen eſt iſta numeratio.

6 At non levis eſt inter Doctores difficultas , quot , & quæ præcepta erant ſcripta in ſingulis tabulis ? Heſichyus loc. cit. D. Hieronym.in cap.10.Oſeæ , & Origines in prima tabula ponunt quatuor iſta præcepta. Primum: *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Et iuxta Originem loco huius: *Non habebis Deos alienos coram me.* Secundum : *Non facies ſculptile.* Tertium : *Non aſſumes nomen Dei in vanum.* Quartum : *Memento vt diem Sabbati ſanctifices.* In ſecunda tabula alia præcepta ad proximum expectantia collocant. Hebræi vero, vt ait Ioſephus lib.3.antiq.cap.6.in vtraque tabula quinque collocant , addendo præceptum de honorandis parentibus his quatuor de Dei dilectione ; & alia quinque circa proximum in ſe-

Inſufficiens modus ſupputâdi quot præcepta eſſent in ſingulis tabulis.

ſecunda tabula ponunt. Et ratio eſſe poterat; tum, quia tabulæ erant æquales: ergo in vtraque quina erant ſculpta. Tum, quia, cum à Deo omnis paternitas oriatur, inſtar ſui voluit parentes coli.

Vera doctrina traditur ex D.Th.

7 Sed D. Thom. 1. 2. quæſt.100. artic.4. poſtquam in corpore has, & alias opiniones refert, ſic quæſtionem reſolvit: *Convenientius Auguſtinus* (quæſt.71.in Exod.) *ponit ſub vnō præcepto non habebis Deos alienos; & non facies ſculptile. Similiter etiam concupiſcentia vxoris alienæ ad commixtionem, pertinent ad concupiſcentiam carnis. Concupiſcentiæ autem aliarum rerum, quæ deſiderantur ad poſſidendum, pertinent ad concupiſcentiam oculorum. Vnde etiam Auguſtin.* (quæſt. 71. in Exod.) *ponit duo præcepta de non concupiſcendo rem alienam, & vxorem alienam, & ſic ponit tria præcepta in ordine ad Deum, & ſeptem in ordine ad proximum.* Videatur artic.6. ad.2. & artic.8. in corpore. Quare & nos ſequentes tantum Doctorem, dicimus illa verba: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, habere rationem exordij; & ideò in prima tabula eſſe tantum ſculpta tria præcepta ad Deum pertinentia: ſcilicèt: *Non habebis Deos alienos coram me; nec facies tibi ſculptile, vt adores illud*, quod eſt primum præceptum Decalogi: *Non aſſumes nomen Dei in vanum*, quod eſt ſecundum; & denique tertium: *Memento, vt diem Sabbati ſanctifices.* In ſecunda vero tabula reliqua ſeptem erga proximum; nempè: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* Et alia num.3. poſita. D. Thom. ſequuntur Abulenſ. in cap. 20. Exod.quæſt.2. Sotus de Iuſtitia, & Iure, lib.2. quæſt.3.artic.4.& 5. Sayr.in Clavi Regia lib.4. cap.2. num.7. Reginald. tom.2. lib.16. cap.4. num.46. Trullench in Decalog.tom.1. prælud. 1.num.10.

Prima principia iuris naturalis, & præcepta de fide, ſpe, & charitate nō pertinent ad Decalogum.

8 Rogabis tertiò: An prima principia iuris naturalis, vt *bonum eſt faciendum*, & *malum eſt fugiendum*, &c. Et præcepta dilectionis Dei, & proximi; nec non ſpei, fidei, & charitatis, & alia iuris naturalis in Decalogo contineantur? Reſpondetur negativè, ſi loquamur de continentia expreſſa; & affirmativè, ſi ſermo ſit de implicita. Explicatione indiget concluſio, pro qua nota ex ſuprà dictis, præcepta naturalia, ſeu moralia eſſe in triplici differentia: quædam enim ſunt per ſe nota, vt *Bonum eſt faciendum*, &c. alia ſunt, quæ ſtatim ex primis principijs naturalibus deducuntur, vt *Pater eſt honorandus*, &c. Ex quibus quædam ſolo lumine naturali ad hoc indigent; alia vero indigent, vt ratio naturalis divinitus inſtruatur, vt *non facies tibi ſculptile.* Alia denique ſunt, quæ vt deducantur ex principijs naturalibus, opus eſt conſideratione plurium circunſtantium, quas diligenter conſiderare, ſolum ſapientium eſt, vt *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis.* Levit.19. Quibus ſic præſuppoſitis.

Doctrina D. Thom. illuſtratur aſſertio.

9 Ad quæſtionem his verbis reſpondet D.Thom.1.2.quæſt.100.artic.3. *Illa ergo præcepta ad Decalogum pertinent, quorum notitiam homo habet per ſe ipſum à Deo: huiuſmodi vero ſunt illa, quæ ſtatim ex principijs communibus primis cognoſci poſſunt modica conſideratione, & iterum illa, quæ ſtatim ex fide divinitus infuſa innoteſcunt. Inter præcepta ergo Decalogi non computantur duo genera præceptorum, illa, ſcilicèt, quæ ſunt prima, & communia, quorum non oportet aliquam editionem eſſe, niſi quod ſunt ſcripta in ratione naturali, quaſi per ſe nota: ſicut, quod homo nulli debet malè facere, & alia huiuſmodi. Et iterum illa, quæ per diligentem inquiſitionem ſapientum inveniuntur rationi convenire: hæc enim proveniunt à Deo ad populum, mediante diſciplina ſapientum. Vtraque tamen horum præceptorum continentur in præceptis Decalogi, ſed diverſimode. Nam illa, quæ ſunt prima, & communia continentur in eis, ſicut principia in concluſionibus proximis. Illa vero, quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in eis è converſo, ſicut concluſiones in principijs.* Per quæ patet quomodo principia communia iuris naturæ, & alia præcepta, quæ ſunt remotæ illius concluſiones, contineantur in Decalogo. Ad præcepta dilectionis Dei, reſpondetur ex D.Thom.ibi ad 1. eſſe principia prima, & communia legis naturæ. Vnde continentur in Decalogo, ſicut principia in concluſionibus. Videat.S.Doct.art.1.& 11.nec non art.4.ad 1.

Applicatur præceptis fidei, & ſpe.

10 De præceptis fidei, ſpei, &c. dicendum eſt ex D.Thom.2. 2. quæſt.16. artic.1. & quæſt.22. artic.1. non eſſe de ſubſtantia legis, ſed quædam præambula ad legem: quia ſine illis lex exiſtere nequit; nam lex eſſe nequit, quin prius ſint ſubditi, qui eam accipiant: nullus autem ſubijcitur Deo, niſi per fidem, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræor. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*: ergo præceptum fidei eſt præambulum ad legem. Similiter, niſi homo ſperaret præmium, & Legiſlatorem amaret, nequit & Legislatori ſubdi: ergo ſine illis non poteſt eſſe ſubiectio, ſeu ſubditi; ſed ſine ſubiectione ad Superiorem, & Legislatorem nulla lex eſſe poteſt: ergo nec eſſet lex Decalogi; & ideò præcepta fidei, ſpei, & charitatis non ſunt de ſubſtantia Decalogi, vt ait D.Thom. ſed præambula ad illum. Angelicum Doctorem ſequuntur Navarr.in Summ. cap.11.num.5. Cayetan.2.2. quæſt.64. artic.8. D.Anton.4.part.tit.4.cap.1.§.1. Sayr.in Clavi Regia, lib.4.cap.2.num.1.& 2. Sotus lib.2.de Iuſtit.& Iur.quæſt.3. & 4. Trullench tom.1.in Decalog.prælud.num.13. & Abulenſ.quæſt.33. in cap.20.Exod. Vbi eruditè totam hanc quæſtionem reſolvit, & explicat. Quare ſic hanc doctrinam concludit Sapientiſsimus Navarrus loc.citat. *Et conſequenter errant, qui dicunt primum Decalogi præceptum eſſe de diligendo Deo. Eſt enim contra prædicta, & contra textum ipſius Decalogi eod.cap.20. Cuius primum eſt illud: Non habebis Deos alienos*, &c. *Quibus verbis ſolum peccatum ſuperſtitionis, & idololatriæ, quæ ſunt contraria virtuti Religionis, & latriæ prohibentur; quæ quidem virtus non eſt theologalis, ſed moralis: nulla ibi fit mentio de dilectione erga Deum, & proximum, quæ pertinet ad virtutem Charitatis, quæ theologa eſt. Errant etiam, qui putant præceptum de credendo in Deum eſſe primum Decalogi eadem ratione, cum fides ſit virtus theologa, non moralis.*

Omnia præcepta naturalia ad Decalogum reducuntur.

11 Sed quia diximus omnia naturalia præcepta, tam prima, quàm, quæ solum sapientibus nota sunt, & Deus per Moysem populo tradidit, appellantur que à D. Thom. artic.11.quæst.100.citat. præcepta moralia Decalogo super addita, pertinere, vt principia, vel conclusiones ad Decalogi præcepta; ideò (& quia hæc doctrina est valdè necessaria confessarijs, & pœnitentibus ad peccatorum species dignoscendas) breviter ad illa curabimus ea omnia reducere. ¶ Ad primum ergo præceptum Decalogi, in quo cultus alienorum Deorum prohibitus est, reducuntur in primis, vt Decalogi principia, & præambula, præcepta vniversalia iuris naturalis, & præcepta fidei, spei, & charitatis, vt vidimus numero antecedenti ex D. Thom. Deinde reducuntur omnia præcepta, quæ prohibent ea, quæ ad cultum idolorum, & superstitionem idolatricam ordinantur, vt Deuteron.18. *Non inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam suam ducens per ignem, nec sit maleficus, atque incantator, neque qui Phytones consulat, nec divinos, & quærat à mortuis veritatem.* ¶ Secundum præceptum prohibet periurium; ad quod reducuntur præceptum prohibens blasphemiam. Levitic.14. & quando prohibet falsam doctrinam. Deuteron.13. ¶ Tertiò præcepto iubetur sanctificatio Sabbati, ad quam reducuntur omnia cæremonialia legis præcepta. ¶ Ad quartum præceptum de honoratione parentum ordinatur præceptum de honoratione senum, iuxta illud Levit.19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Et consequenter omnia præcepta circa reverentiam maioribus exhibendam, & beneficia æqualibus, aut minoribus conferenda. ¶ Quintò præcepto, quod est de homicidij prohibitione, additur prohibitio odij, & cuiuscumque læsionis externæ opere exequutæ: sicut illud Levitic.19. *Non stabis contra sanguinem proximi tui.* Et iterum: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.*

Prosequitur eadem materia.

12 Sexto præcepto, quod est de prohibitione adulterij, prohibetur omnis actus luxuriæ, sivè sit fornicatio simplex, iuxta illud Deuteron.23. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec fornicator de filijs Israel.* Sivè sit crimen nefandum, aut voluntaria pollutio, secundum illud Levit.18. *Cum masculo non commisceberis, cum omni pecore non coibis.* Et 1.ad Chorinth.6.vers.9. *Nolite errare: nec fornicarij, neque adulteri, nec molles, nec masculorum concubitores...regnum Dei possidebunt.* ¶ Septimo præcepto, de non furando, additur prohibitio vsuræ, secundum illud Deuteron.23. *Non fæneraberis fratri tuo ad vsuram.* Et prohibitio fraudis iuxta illud Deuteron.25. *Non habebis in saculo diversa pondera.* Et vniversaliter omnia, quæ ad prohibitionem calumniæ, & rapinæ attinent. ¶ Ad octavum, quod est de prohibitione falsi testimonij, reducitur prohibitio falsi iudicij iuxta illud Exod.23. *Nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero debies,* & prohibitio mendacij, secundum immediatè dicta ibi: *Mendacium fugies*, & prohibitio detractionis iuxta illud Levit.19. *Non eris criminator, nec susurro in populis.* Ad postrema autem præcepta nulla alia reducuntur: quia per ea vniversaliter omnis mala concupiscentia prohibetur, & omnis cohibetur sinistra cupido. Videantur D. Thom. loc. cit. Abulens. in cap. 20. Exod. quæst.33. Sayr.lib.4.cap.1.num.4.& 5.& Trullench prælud.1.num.18.

PUNCT. II.

Ostenditur obligatio præceptorum Decalogi, & an sint ab aliquo dispensabilia?

Præcepta Decalogi sunt iuris naturalis, & divini.

13 PRiusquam descendamus ad obligationem præceptorum Decalogi tradendam, opere pretium est prius explicare: An talia præcepta sint iuris naturalis, & divini? Ad quod dicendum est, esse, vtriusque iuris. Et quidem quo ad primum patet: quia vt ait D.Thom.1.2. quæst.100. artic.1. Omnia præcepta moralia sunt de iure naturæ: quia vt ait Apostolus ad Rom.2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.* Hoc est, quæ ad bonos mores pertinent, vt explicat Angel.Doctor, sed præcepta Decalogi moralia sunt, cum ex narura sua ad mores dirigendos ordinentur: ergo sunt de iure naturæ. ¶ Quoad secundam etiam liquet. Quia ea sunt de iure divino, quæ Deus præcipit; sed hæc decem Decalogi præcepta Deus per se ipsum, vel saltem ministerio Angelorum per se ipsum Populo Hebræorum præcepit, & proposuit, vt dicitur Exod.22.& docet D.Thom. loc.citat.artic.3. & quæst.98.artic.2.& 3.Sotus de Iustit. & Iure, lib.2. quæst.3. artic.1. ergo sunt vtriusque iuris naturalis, scilicèt, & divini.

Obligant etiam nunc in lege gratiæ.

14 Quibus suppositis quæres primò: An talia præcepta Decalogi obligent nunc in lege gratiæ? Ad quod respondendum est affirmativè. Et ratio est, quia licet lex vetus, quo ad cæremonialia, & iudicialia morte Christi, sufficienti que Evangelij promulgatione, quo ad obligationem cessaverit, vt diximus tract.11. cap.1. §.4. & constat ex *§. finali 6.distinct. & cap.1. de purificat. post part.* Tamen quo ad moralia, seu naturalia non cessavit, cum hæc non dependeant ex alicuius positivi legislatoris authoritate; sed præcepta Decalogi sunt præcepta moralia, seu naturalia in lege veteri populo intimata: ergo eorum obligatio quoad ius naturale non cessavit morte Christi, sed potius denuo viget in lege gratiæ, cum non venerit legem solvere, sed adimplere. Dixi *quo ad ius naturale*, quia tertium Decalogi præceptum continet aliquid de iure naturali, & aliquid de iure cæremoniali, & licet quo ad primum eius obligatio vigeat, nunc in lege gratiæ, non tamen quo ad secundum. Ita D. Thom. 1. 2. quæst.103. artic.3. & 4. & quæst. 100.artic.2. Navarr.in Summ. cap.11. num.2. Bellarmin.tom.3.de Iustificat.lib.4. cap.5. Bonacina disput.3. in 1. præcept. Decalogi ante quæst.1. Fagundez lib. 1. in Decalog. initio num.

num.2. Trullench prælud.2. num.9. & 10. & Leander tom.1.in Decalog.tract.1.quæst.6.

Illorũ transgressio regulariter est mortalis.

15 Quæres secundò : An transgressio cuiuscumque præcepti Decalogi sit mortalis? Respondetur, ita esse regulariter, nisi vna ex tribus causis excusetur. Prima est parvitas materiæ, vt qui parum furatur, regulariter peccatum veniale committit. Secunda est defectus deliberationis; vt qui ex subitaneò motu vult occidere; vel qui tædium, aut accidiam circa spiritualia subito corripientem, habet. De vtraque loquitur D. Thom. 1. 2. quæst.88. artic.5. & 6. & 2. 2. quæst.59. artic.4. ad 2. Tertia est defectus rationis vsus, seu iudicij, vt evenit in semidormientibus, seu ebrijs, qui plenè non advertunt obiecti malitiam; ob quam causam excusatur à mortali in his pollutionis delectatio, aut consensus. His ergo causis non excusantibus mortalis est transgressio cuiuscumque præcepti Decalogi. Et ratio est, quia quælibet Decalogi transgressio avertit à Deo vltimo fine, & destruendo Charitatem, & Iustitiam, cum omnia ad has duas virtutes reducantur, Deum colendo, & honorando, & proximo damnum non inferendo, vt docet D.Thom.1.2.quæst.100. artic.2. & quæst.104. artic.1. Sed quæ ex se avertunt à Deo, vltimo fine, & destruunt Charitatem, & Iustitiam, sunt peccata mortalia: ergo quælibet transgressio Decalogi, nisi excusent causæ supra assignatæ, mortale peccatum est. D.Thomam sequuntur Cayetan.1.2.quæst.15. artic.4. Navarr.in Summ.cap.11.num.4.D.Anton.2.part. tit.4. cap.5. §.7. & 8. Toletus in Summ.lib.4. cap.12. Sayr. in Clavi Reg. lib.4. cap.2. num. 14. & Trullench prælud. 4. in Decalog. n. 6.

Esse propriè dispensabilia aliquorũ fuit opinio.

16 Quærit D.Thom.1.2.quæst.100. citat. artic.8. Vtrùm præcepta Decalogi sint dispensabilia? De qua quæstione, licet aliquatenus tract.9. cap.5. à num.41. & tract.11. cap.4. punct.3. & in præced. tract.20. cap.4. punct.3. à num.13. actum nobis fuerit; tamen, quia loc. citat.non nulla desiderantur, quæ hic propriam sedem habent, & alias hæc difficultas scitu dignissima est, curabimus pro eius meritis de ea agere. Circa quam triplex versatur sententia. Prima est Occham 2. sentent. distinct.19. qui ait non solum omnia Decalogi præcepta esse à Deo dispensabilia, verum posse illis contraria præcipere, vt odium ipsius, mendacium, &c. quæ in tali casu laudabilia essent. Cuius ratio ea est, quia iuxta illud effatum Angeli, Luc.1. *Non erit impossibile apud eum omne verbum*: ergo, &c. Sed hæc sententia erronea est, & repulsu facillima, cum mereri per odium Dei, idem sit, ac per demerita mereri; quod ex terminis liquet, esse falsum. ¶ Secunda opinio est Scoti in 3. distinct.37. asserentis, quod licet circa præcepta primæ tabulæ nulla possit cadere dispensatio, benè autem potest Deus dispensare in præceptis secundæ tabulæ. Scotum sequuntur aliqui eius Scholares. Potest que pro ea sic primò argui. In Decalogo prohibitum est homicidium; sed in hoc dispensavit Dominus cum Abraham, vt charissimum filium immolaret. Genes. 22. cum Sansone, vt se cum Philisteis occideret. Iudit 16. & cum Eleazaro, qui ab Elephante, quem interfecit, oppressus occubuit: ergo potest Deus in Decalogi præceptis dispensare. Secundò : Observatio Sabbati est tertium Decalogi præceptum, & tamen in illa dispensavit, cum Machabeis lib.1.cap.2. concedendo eis licentiam, vt impugnarent eos, qui ad eos in bello venerint in die Sabbatorum : ergo, &c. Tertiò : Deus dispensavit in sexto præcepto cum Osea, præcipiendo ei, vt mulierem fornicariam reciperet. Oseæ 1. & in septimo cum filijs Israel imperando, vt Ægyptiorum vasa aurea, & argentea surriperent. Exod.22. ergo cum eadem ratio militet in his, ac alijs præceptis, poterit in omnibus dispensare. Denique legislator humanus potest dispensare in legibus ab ipso latis : ergo & Deus poterit dispensare in præceptis Decalogi, quæ ipse tulit.

Vera sententia suadetur.

17 Tertia sententia, & à nobis amplectenda, docet non posse Deum, & ex consequenti nec alium humanum legislatorem propriè in aliquo ex Decalogi præceptis dispensare. Hæc conclusio ostenditur primò hac ratione D.Thom.in præsenti artic.8. In illis præceptis fieri potest propriè dispensatio, quando si littera legis observaretur in aliquo casu, contrariatur intentioni legislatoris; sed intentioni legislatoris, qui est Dominus respectu Decalogi, in nullo casu observando litteram legis, & præcepti Decalogi potest contrariari: ergo nec vnquam in ea cadere propriè dispensatio. Probatur minor. Intentio Dei in præceptis primæ tabulæ est bonum commune, quod est ipse Deus, & in præceptis secundæ tabulæ est ordo iustitiæ inter homines servandæ, vt nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum; sed observando præcepta primæ, & secundæ tabulæ adimpletur intentio Dei, tam in ordine ad bonum commune, quod est Deus, quàm ad particulare, quod est ordo iustitiæ apud homines : ergo nullo modo contrariatur intentioni legislatoris : & sic in nullo casu erunt dispensabilia. Quod vlterius docet D.Thom.his exemplis. *Si poneretur hoc præceptum in aliqua Communitate, quod nullus destrueret Rempublicam, nec proderet civitatem hostibus; sivè, quod nullus faceret aliquid iniustè, vel malè: huiusmodi præcepta essent indispensabilia : quia continent intentionem legislatoris*, quæ est conservatio boni communis, & ordinis iustitiæ; sed eodem modo se habent præcepta Decalogi: ergo, concludit Angel. Doct. *Præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia.*

Cõfirmatur.

18 Confirmatur primò. Tunc datur propria dispensatio, quando lex obligat immutatis circunstantijs, quæ obligationem causabant; sed Deus nequit facere, quod lex naturalis in aliquo casu non obliget, manentibus omnino immutatis circunstantijs, quæ ex natura sua obligationem inducebant : ergo nec poterit proprie in illa dispensare. Probator minor. Licet Deus possit facere, quod ablatio rei alienæ non sit furtum mutatis circunstantijs, tamen nequit facere, quod, manente furto in ratione talis, non sit intrinsece malum, & prohibitum lex que illud prohibens non obliget : ergo nequit Deus proprie in illo dispensare. ¶ Confirmatur secundò.

Lex naturalis prohibet, quod intrinsecè, & ex natura sua est malum, & præcipit, quod intrinsecè, & ex natura sua est bonum; sed implicat, quod ex natura sua est malum, fiat bonum, & quod ex natura sua est bonum fiat malum invariatis circunstantijs: ergo in præcepta naturalia nequit propriè cadere dispensatio; nec Deus potest concedere licentiam, vt manente lege naturali quo ad alios, aliquis contra illam licitè, & honestè operetur. Ita docent Glossa in cap. *Sunt quidem* 25. quæst. 2. & in cap. *Proposuit de concess. prævend.* Covarrubias reg. Peccatum, punct. 2. cap. 6. §. 9. num. 3. Barbosa de iure Ecclesiastico vniverso, tom. 1. lib. 1. cap. 2. num. 122. Suarez de Legibus, lib. 2. cap. 14. num. 5. Navarr. consil. 4. de despons. impub. num. 16. Thomas Sanchez lib. 8. de Matrimon. disput. 6. num. 4. & apud ipsum plurimi. Vazquez disput. 179. cap. 2. Sotus de Iustit. & Iur. lib. 2. quæst. 3. artic. 8. Palaus tract. 3. de Legibus, disput. 6. punct. 2. num. 5. Trullench prælud. 5. num. 5. 6. & 7. & latè Abulens. in cap. 20. Exod. quæst. 35.

Respondetur primo argumento, & ostenditur occisionem hominis iussu Dei factam non esse proprie homicidium.

19 Ad primum argumentum deductum ex varijs exemplis Abrahæ, Sansonis, & Eleazari, qui sancte homicidium, vel intenderunt, aut perpetrarunt, respondetur: tunc Deum non dispensasse in homicidio illud reddendo licitum, sed tantum mutavit illius materiam, taliter quod occisiones illæ non essent homicidia formaliter, seu peccaminosa. Pro quo nota (præter ea, quæ diximus tract. 20. cap. 4. punct. 3. num. 17.) quod occisio hominis, quæ prohibetur in quinto Decalogi præcepto tantum est illa, quæ est iniusta, seu contra iustitiam, si autem non fuerit contra iustitiam, prohiberi nequit ab illo. Occisio autem, quàm Deus facere præcepit, non est iniusta; cum sit Dominus omnium rerum huius vniversi; & sicut, qui est Dominus; v. gr. ovis, potest iustè, & licitè eam occidere, ita Deus potest, in quantum Dominus vitæ hominum, illum per se, aut per alium occidere; imò & omnes in nihilum redigere, quin in hoc vlli iniuriam inferat. Maximè, cum nullus sit apud Deum innocens, & ad minus omnes ex Adami peccato mortem mereamur, iuxta illud Apostoli ad Hebr. 8. *Statutum est hominibus, semel mori.* Videatur Abulens. in cap. 3. Exod. quæst. 10. & in cap. 20. quæst. 35. Vnde quando iussit Abraham (& idem dicendum de alijs exemplis) occidere filium, non dispensavit in quinto Decalogi præcepto: quia hoc tantum prohibet occisionem iniustam; non vero illam, quæ non est contra iustitiam, aut per quam alteri iniuria non infertur, quales sunt in argumento relatæ; & quoties malefactor à iudice occiditur. Videatur D. Augustin. lib. de Liber. Arbit.

Secundo argumento satis fit.

20 Ad secundum sic respondet D. Thom. loc. citat. *Ad quartum dicendum, quod illa excogitatio magis fuit interpretatio præcepti, quam dispensatio. Non enim intelligitur violare Sabbatum, qui facit opus, quod est necessarium ad salutem humanam, sicut Dominus probat Matth.* 12. Quæ interpretatio licet possit fieri à quolibet Iudæo in casu gravissimæ necessitatis, qualis erat præsens; convenientius tamen facta fuit à Summo Sacerdote Mathatia, qui erat populi caput, & apud quem devolvebatur, vt patet ex cap. 17. Deuteron. decisio cuiuscumque quæstionis dubiæ, & ambiguæ, sicut erat ista. De qua licet retro actis temporibus dubium esset: An liceret in Sabbatis pugnare? Et hic casus numquam accidisset, ideò que non erat tale dubium decisum; & ob hoc Iudæi, contra quos primò in Sabbato pugnatum est, permisserunt se mori, dicentes, moriamur in simplicitate nostra; at alij sanctiori consilio ducti, illud que approbante Summo Sacerdote, crediderunt se iustè agere, & hunc casum in lege minimè esse comprehensum; vnde tunc non fuit aliqua dispensatio tertij præcepti Decalogi; sed interpretatio, quod intentio legislatoris non fuit obligare ad Sabbati observantiam in casu mortis, aliàs vellet subito de terra deleri populum à se dilectum.

Reliqua argumenta diluuntur.

21 Ad tertium, quo ad primum exemplum Oseæ accedentis ad mulierem fornicariam, ait D. Thom. loc. citat. ad 3. *Non est mœchatus, nec fornicatus: quia accessit ad suam, quæ sua erat secundum mandatum diuinum, qui est actor institutionis matrimonij.* Hoc est iussit Deus, quod accederet post verum matrimonium, iussu Dei initum, ad mulierem fornicariam, hoc est, quæ antea fuerat fornicaria, vel cum alienis Dijs, vt volunt aliqui, vel, vt alij sentiunt, cum multis viris; & ideò notanter dixit Deus: *Accipe vxorem fornicariam.* Nomen vxor mulierem maritatam, seu matrimonio viro copulatam significat. ¶ Ad secundum exemplum de expoliatione Ægypti facta à Iudæis, idem dicendum est, ac de homicidio. Cùm enim *Domini sit terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniversi, qui habitant in eo*; homines temporalia bona non possident, vt domini principales, sed quasi æchonomi, aut verius, vt præcarij; & sicut præcarium tandiu durat, quandiu Dominus concedens bona præcario, patitur apud illum esse, ita nos tandiu iustè possidemus bona, quandiu Deus ea à nobis non aufert, alijs que concedit: cum ergo Deus bona Ægyptiorum abstulit ab eis, & Iudæis concesit, nulla iniuria eis fuit irrogata, nec expoliatio Ægypti ab Hebræis iussu Dei facta fuit propriè furtum, seu *ablatio invito rationabiliter domino.* ¶ Ad quartum, & vltimum dicendum: Deum non posse propriè dispensare in lege naturali, seu præceptis Decalogi; quia hoc divinam maiestatem valdè dedecet. Nam vt ait Apostol. 2. ad Thimot. cap. 2. *Deus fidelis est, & se ipsum negare non potest.* Sed Deus iustus, imò ipsa iustitia est: ergo illam nequit negare. Negaret vero, si dispensaret, quod haberemus Deos alienos; negaret suam reverentiam, si dispensaret, vt assumeremus nomen Dei in vanum, &c. & idem discurrendum esset de præceptis secundæ tabulæ, cum sicut præcepta primæ tabulæ ordinant nos in Deum, ita secundæ in homines secundum actum iustitiæ, quæ à Deo in homines dimanat: ergo si in quolibet ex illis Deus dispensaret, negaret suam iustitiam, quod est impossibile. Quare, licet homines in legibus à se latis

tis posſint diſpenſare; non tamen Deus in præceptis naturalibus, & hoc, non quidem ob impotentiam; ſed ob ſuam potius omnipotentiam, per quam nihil ſibi repugnans operari poteſt.

In quibus præceptis posſit indirectè diſpenſari.

22 Ex dictis habetur, in præceptis naturalibus, & Decalogi à Deo, vel à legislatore humano propriè diſpenſari non poſſe: vnde videndum reſtat: An ſaltem impropriè, ſeu indirectè, mutando circunſtantias, & materiam, ab eis poſsit diſpenſari? Reſpondetur, quod in his, quæ ſunt prima principia iuris naturalis, vt *Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Diligendus eſt Deus, & proximus*, & quæ numquam denudari poſſunt à malitia intrinſeca, vt Dei odium, blaſphemia, periurium, &c. nec indirectè, & impropriè Deus poteſt diſpenſare: quia eſt ipſis ita intrinſeca malitia, & diſconvenientia cum lege Dei æterna, vt numquam poſſunt apponi tales circunſtantiæ, vt licita reddantur. In alijs vero præceptis Decalogi ſolus Deus poteſt indirectè diſpenſare: quia ſolus ipſe poteſt mutare illorum materias, vt patet in furto, & homicidio, quorum poteſt ita mutare materias, vt iam non ſit furtum, aut homicidium, quod antea tale erat.

Legislator humanus ne quit indirectè diſpenſare.

23 In alijs præceptis naturalibus nullus legislator humanus, etiam ſi ſit Summus Pontifex, poteſt adhuc indirectè diſpenſare, niſi in eorum materiam habeat poteſtatem dominativam, vel ad hoc ſpecialem Dei conceſsionem obtineat, quam tantum pro matrimonio rato, & voto datam eſſe S. Pontifici, concors Doctorum ſententia fert. Dixi *niſi habeat poteſtatem dominativam ſupra eorum materiam*: quia hac exiſtente poſſunt legislatores humani non tantum diſpenſare, ſed & obligationem irritare; vt patet in Republica, quæ quia habet poteſtatem dominativam ſupra bona ſuorum civium, poteſt, ob neceſsitatem communem ſublevandam, ea expendere, auferendo à proprio Domino; & ſi illi ex iure naturæ non poſsit fieri iniuria, & debeatur ſervari ius ſuum illæſum; & in Prælatis, qui poſſunt irritare obligationem voti in ſubditis, & ſi talis obligatio ſit de iure naturæ. In his ergo, & ſimilibus conſtat, poſſe humanum legislatorem indirectè diſpenſare, non vero in alijs; & ideò diximus tract.9.cap.14.punct.1.num.1.Summ. Pontificem in impedimentis Matrimonij, quæ ſunt de iure naturæ, vt error perſonæ, ligamen, impotentia perpetua, conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, non poſſe adhuc indirectè diſpenſare, ſine Dei ſpeciali conceſsione, quam pro his non adeſſe ex praxi Eccleſiæ conſtat. Videantur pro ſtabilitis D. Thomas 1.2.quæſt.100.artic.8. & 2.2.quæſt.88. art.10. ad 2. Palaus tract.3. de Legibus, diſput.6. punct.2. num.7. Trullench prælud.5. num.8. Gordon.lib.2.quæſt.6. cap.2. num.5. Sotus in 4.diſtinct.18.quæſt.1.artic.5. Barboſa de iure Eccleſiaſtico vniverſo, tom.1.lib.1. cap.2. numer. 119. & 121. & 123. vbi probat Summ. Pontificem poſſe ſaltem declarare, & interpretare, in aliquo caſu particulari poſſe deficere obligationem alicuius præcepti Decalogi. Et ita in cap.2.*de homicid.clement.ſi furioſus, eodem titulo*, declaravit homicidium in propriam defenſionem non prohiberi quinto Decalogi præcepto. Similiter in cap. *Diſcipulos, de conſecratione, diſtinct.2.* cap. *Siquis propter, de furto*, dicitur in extrema neceſsitate non obligare ſeptimum præceptum de non furando: ſed hoc propriè non eſt diſpenſare, ſer per epikeiam declarare, ceſſare in hoc, vel illo caſu obligationem legis, quod longè diverſum eſt; & conceditur Summ. Pontifici à Divo Thoma 2.2.quæſt.54.artic.5. Soto lib.1. de Iuſtitia, & Iure, quæſt.7. artic.vltim. Sylveſtro verb. *Papa*, quæſt.16. in fine. D. Antonino part.2. titulo 17. §.20. & alijs.

CAPUT II.

De neceſsitate Fidei.

DE præceptis Decalogi in communi in ſuperiori tract. & cap. immediato ſatis, abunde que egimus; vnde iam neceſſe eſt, de eis in particulari pro meritis diſſerere; quia ſpecies, & individua ſuo generi ſuppoſita lucidiora fiunt. Primum ergo præceptum Decalogi non eſt (vt benè notat Sanchez hic, & nos cap. antecedenti num.9.& 10. ex D. Thoma, & alijs diximus) de diligendo Deum, vt vulgò dicitur; ſed tantum trina negatione traditur, nimirum: *Non habebis Deos alienos. Non facies tibi ſculptile. Non adorabis ea, nec coles.* Quibus verbis præcipitur in hoc primo Decalogi præcepto, quod Deo ſummus cultus vnicè tribuatur, quod proprium eſt virtutis Latriæ, & Religionis. Vnde per illud prohibentur omnis Idolorum cultus, vſus artis divinatoriæ, & vanæ, ſuperſticioſæ que obſervationes. Sed quia D. Auguſtin. ait cap.2. Enchirid. *Si quæritur, quo colitur Deus? Reſpondeo, fide, ſpe, & charitate.* Et alias, vt vidimus ſupra num.10. ex Divo Thoma, præcepta fidei, ſpei, & charitatis, licet non ſint de ſubſtantia legis Decalogi; ſunt tamen præambula quædam ad legem, & ita ad primum Decalogi præceptum reducuntur: ideò hoc præceptum, veſtigia ferè omnium Theologorum præmentes ab his virtutibus, ſecluſis quæſtionibus purè ſcholaſticis, exordiemur: *Et quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Et accedentem ad Deum oportet credere*, vt ait Apoſt. ad Hebræos 11. verſ.6. Hac de cauſa à virtute fidei explicationem Decalogi primum exequimur, docente nos Tridentino ſeſsione 6. cap.8. in principio: *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis.*

Punct.

Punct. I. *Quid sit fides, quod eius obiectum; & in quibus prædicta virtus inveniatur?*

Punct. II. *Vtrùm fides sit necessaria ad salutem necessitate medij, & respectu quorum mysteriorum sit hæc necessitas?*

Punct. III. *An detur præceptum credendi; quale hoc sit, & quando obliget?*

Punct. IV. *Quæ mysteria fidei; & quo modo teneantur ex præcepto ea fideles explicitè credere, & scire?*

§. I. *Ostenditur qui fidei articuli sint ex præcepto explicitè credendi?*

§. II. *Annumerantur alia à Christi fidelibus explicitè credenda.*

Punct. V. *Qualem fidei notitiam debeant habere Sacerdotes, Religiosi, Prædicatores, Parochi, Episcopi, & alij Ecclesiæ Prælati? Et quomodo examinare debeant pœnitentes circa doctrinam christianam?*

Punct. VI. *An, & quando teneamur per se ex præcepto divino affirmativo ad externam fidei confessionem?*

Punct. VII. *Qui, & quando teneantur ex præcepto affirmativo ecclesiastico fidem exterius confiteri?*

§. I. *Resolvitur difficultas quo ad beneficiarios curatos, Canonicos, & dignitates ecclesiasticas.*

§. II. *Quid dicendum de alijs Prælatis Superioribus, & inferioribus, ac Magistris: & an possit fieri talis fidei professio per procuratorem?*

Punct. VIII. *De præcepto divino negativo fidei; & qui illud transgrediantur?*

Punct. IX. *An in hoc præcepto exterius non negandi fidem, possit esse ob parvitatem materiæ peccatum veniale?*

Punct. X. *An sit licitum Catholico vestibus, signis, aut actionibus proprijs infidelium occultare fidem?*

Punct. XI. *An liceat infidelium, Iudæorum, & Hæreticorum templa adire, aut conciones audire: vel denique idolothytis, aut carnibus in die veneris, sivè quadragesimæ in eorum provincijs vesci?*

§. I. *Deciditur, quid sentiendum sit de ingressu templorum, hæreticorum que concionibus audiendis?*

§. II. *Resolvitur secunda pars quæstionis circa esum carnium, quæ Idolis sunt consecratæ, vel ab Ecclesia prohibitæ.*

Punct. XII. *An sit licitum Catholicis cum Infidelibus, & Hæreticis de rebus fidei disputare?*

PUNCTUM I.

Quid sit fides, quod eius obiectum; & in quibus prædicta virtus inveniatur?

1 BReviter ab hoc puncto expediemur, quia illius prolixior, & acrior disceptatio propria Scholasticorum est. Essentia fidei Theologicæ (quæ nostri instituti propria est) licet non sub diffinitionis forma, vt fatetur D.Thom.2.2. quæst.4. artic.1. in corpore: tamen re ipsa, & quo ad substantiam traditur à D. Paulo ad Hebr.11. his verbis: *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Quæ definitio sic declaratur ex Divo Thoma. Dicitur, fidem esse *substantiam sperandarum rerum*: quia scilicèt prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quæ virtute continet omnes res sperandas. Habitudo autem actus fidei ad obiectum intellectus, secundum quod est obiectum fidei, designatur in hoc, quod dicitur: *Argumentum non apparentium.* Et sumitur *argumentum* pro argumenti effectu: per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero; vnde ipsa firma adhæsio intellectus ad veritatem fidei non apparentem, vocatur hic *argumentum.* Ita explicatur à Divo Thoma. Et insuper eius perfectio, & bonitas sic possunt vlterius ostendi. Nam fides duo habet, & quod sit habitus faciens nos obscuris firmiter assentiri, & quod sit basis totius fabricæ spiritualis, in qua fundatur omnis spes gloriæ; sed primum significatur per illa verba: *Argumentum non apparentium*; & secundum per illa: *Substantia sperandarum rerum*, vt patet ex explicatione Divi Thomæ: ergo talis definitio est bona. ¶ Verba vero Apostoli ad formam syllogisticam ita loco citat. reducit Doct.Angel. *Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus.* Qua propter definitioD.Augustin.tract.40.in Ioann.in med.

Diffinitio fidei ex Apostolo, & D. Thoma.

&

& lib.1. quæstion. Evangel. quæst. 39. scilicèt: *Fides est virtus, qua creduntur, quæ non videntur.* Et aliæ ab alijs adductæ, ex mente Divi Thomæ explicationes sunt huius, quam Apostolus ponit. Et quod dixit Divus Thomas de diffinitionibus fidei, quæ suo tempore vigebant, dicimus & nos de hac, quæ his temporibus apud modernos invaluit, scilicèt: *Fides est habitus, quo firmiter assentimur veritatibus à Deo revelatis, & ab Ecclesia propositis.* Videantur Bonacina tom.2. disput.3. quæst.1.punct.1. num.1. Fagundez lib.1. in 1. præcept.Decalog. cap.1. num.1. Azor tom.1. lib.8.cap.1.quæst.3. Tapia tom.2.Caten.lib.1. quæst.1. num.2. Trullench lib.1. in Decalog. cap.1. num.2. Prado cap. 7. quæst.1. num.6. Palaus tom.1.tract.4. disput.1. num.2. N.Salmantic. Scholast. in expos. huius artic. & alij Divi Thomæ expositores.

Ostenditur quodnam sit obiectū formale,& materiale fidei.

2 Obiectum vero fidei, sicut & cuiuscumque alterius habitus est duplex; nimirum materiale, & formale. Obiectum materiale, (quod etiam obiectum formale *quod* dici solet, ad distinctionem obiecti formalis *quo*, seu rationis *sub qua*) est solus Deus; cætera vero, quæ credimus, sunt obiecta secundaria illius. Et ratio est, quia illud est obiectum materiale adæquatum, seu formale *quod* fidei, quod per se attingitur ab ea, & cætera ratione illius; sed quod primo, & per se attingitur à fide est Deus, & cæteræ veritates revelatæ ratione illius; cum divinum testimonium principaliter fit de Deo, & secundario de creaturis iuxta illud Ioann.8. *Ego testimonium perhibeo de me ipso*: ergo Deus est obiectum materiale, seu formale *quod*, & adæquatum fidei, aliæ vero veritates revelatæ sunt obiectum secundarium. Videantur D.Thom.2.2. quæst.1. artic.1. N.Salmantic.tom.7.tract.17. disput.1. dub.1. & plurimi apud ipsos. Insuper Prado cap.7.quæst.1. §.2.num.9. Tapia tom.2.lib.1. quæst.1.num.3.& alij. ¶ Obiectum vero formale *quo*, seu ratio formalis *sub qua* est prima veritas obscure revelans. Quæ assertio facilè ostenditur. Nam illa est ratio formalis *sub qua* fidei, quæ est motivum, & ratio quare firmiter assentimur à Deo revelatis; sed hæc est tantum veritas prima obscure revelans: nam si ab aliquo quæras, cur hoc, aut illud credat, non aliter melius respondebit, nisi, quia à Deo prima veritate est revelatum: ergo prima veritas obscure revelans est ratio formalis *sub qua* fidei. Sic D.Thom.2.2. quæst.1. quem sequuntur N.Salmantic. loc. cit. dub.2. Araujo, Lugo, Ferre, Cayetan. & alij apud ipsos. Prado cap.7.quæst.1.num.13. Tapia loc.citat. num.3. Coninch disput.9. de Fide, dub.3. num.22. Palaus tract.4. disput.1. punct.2. numer.1. Trullench cap.1. dub.1. num.3. Bonacina tom.2.disput.3. quæst.2. punct.1. num.4. Laymam lib.2.tract.1. cap.3. num.1. Leander tract.2.in Decalog.disp.1.quæst.3. & 4.

Quomodo distinguantur credere Deo:credere Deum:& credere in Deū.

3 Ex quibus constat triplicem actum à D. Augustin. serm.61. de verbis Domini tom. 10. & à D.Thom.2.2.quæst.2.artic.2. assignatum; scilicèt: *Credere Deo, credere Deum, & credere in Deum*, continere sub se omnem habitus fidei actum. Et ratio est, quia actus virtutis fidei tripliciter potest se habere ad suum obiectum. Primò pro vt illud respicit in quantum est obiectum ad quod omnia credenda ordinantur; & sic dicitur: *Credere Deo.* Secundò pro vt illud attingit, tamquam medium, & rationem formalem, quare omni credibili firmiter assentitur, & hic actus explicatur per *Credere Deum.* Tertiò denique pro vt tendit in suum obiectum, tamquam finem moventem ad credendum, & ita dicitur: *Credere in Deum* (quem actum posse habere peccatores, constat ex illo Ioann.12. *Ex Principibus multi crediderunt in eum*) ergo triplex actus à Divo Augustino assignatus sub se continet omnem fidei actum. Ex dictis num.2. & 3. etiam provenit infallibilitas, & certitudo nostræ fidei. Cum enim initatur prima veritate nobis aliquid revelante, & impossibile sit, eam posse falli, aut fallere; similiter implicatorium est posse illi sub esse falsum. Videantur Fagundez lib.1. cap.1. num.2. Tapia tom.2. lib.1.quæst.1. artic.1. num.5. Quibus vt certis stabilitis.

In Beatis nō datur fides.

4 Rogabis hic, in quibus subiectis reperiatur hæc fides supernaturalis? Ad quod multiplici conclusione respondendum est. Sed prius supponendum est primò, fidem supernaturalem subiectari, & recipi in intellectu: quia obiectum fidei est verum; sed circa verum solum versatur intellectus: ergo fides est virtus intellectualis, & consequenter in intellectu recipitur. Et hæc est ratio, quare nomine visionis eam explicet Apostol.1.ad Corinth.cap.13. his verbis: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* ¶ Supponendum est secundò, hanc fidem esse duplicem, aliam perfectam, seu informatam charitate; aliam imperfectam, seu sine charitate: & dicitur imperfecta; quia sine illa nequit consequi beatitudinem, ad quam ordinatur. ¶ Quibus supposito, dicendum est primò, in Beatis non esse fidem nec quo ad actum, nec quo ad habitum. Et ratio est, nam nequit dari visio obscura, & clara respectu eiusdem obiecti, scilicèt Dei; sed Beati habent Dei claram visionem: ergo nequeunt simul de eo habere visionem obscuram per fidem: quare ait Apostol. 1. ad Corinth.13. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*, hoc est cognitio Dei per fidem evacuabitur per claram Dei visionem. Ita D.Thom. quæst.5. artic.2. Trullench cap.1.dub.1.num.8. Palaus tract.4. disput. 1. punct. 6. num.7. Bonacina disput. 3. quæst.2. punct.1. num.7. Leander tract.2. disput.1.quæst.7. N.Salmantic.tract.17. disput.3. dub.2. & alij.

In damnatis datur tantum fides naturalis.

5 Dicendum est secundò, in damnatis fidem supernaturalem minimè posse reperiri. Et ratio est, quia nequit esse fides supernaturalis sine pia affectione; sed hæc dari nequit in damnatis, cum careant omni speciali auxilio supernaturali, sint que obstinati in malo: ergo in illis dari non potest fides supernaturalis. Vnde, quando D. Iacob. in epist. cap.2. ait quod *Dæmones credunt, ac contramiscunt*, loquitur non de fide supernaturali; sed de naturali, & acquisita, cum videant mysteria fidei

dei esse evidenter credibilia. Ita D. Thom. quæst.5.artic.2. quem sequuntur Bonacina numer.9. Trullench num.9. Palaus num. 6. locis suprà citat. Ripalda de Fide, disput.19.sect.3. num.23. Gaspar Hurtado disput.7. difficult.4. & alij apud Sanchez tract.17.disput.8.dub.2.

Animæ in Purgatorio, & SS. Patres in sinu Abrahę conservãt fidem.

6 Dicendum est tertiò, Animas Purgatorij, & SS.Patrum, quæ detinebantur in sinu Abrahæ, habere, & conservare ibi fidem. Et ratio est, quia fides est donum concessum viatoribus, vt constat ex illo 2. ad Corinth.1. *Per fidem ambulamus.* Sed animæ in Purgatorio, & SS.Patres in sinu Abrahæ sunt viatores simpliciter, licet secundum quid sint in termino: ergo ambulant per fidem. Deinde: fides infusa non evacuatur nisi per visionem Dei, vel per dispositionem contrariam; sed animæ prædictæ nec in illo statu vident Deum, aut habent dispositionem contrariam fidei: ergo conservant habitum fidei. Sic Bonacina num.9. Trullench num.11. Palaus num.8. & alij suprà citat.

Angeli, & homo in sui prima condi tione habue runt fidem.

7 Dicendum est quartò, Angelos, & hominem in prima sui conditione habuisse fidem, quod sic probatur. Nam tam Angeli, quàm homines in prima sui conditione poterant accedere ad Deum, æternam que mereri beatitudinem; sed vt ait Apostol. ad Hebr. cap.11. *Accedentem ad Deum oportet credere*: ergo Angeli, & homines in sua prima conditione habuerunt fidem. Sed quorum mysteriorum habuerint fidem? Non est vna Doct.sententia. Vnde, illis omissis, dicendum est cum D. Thom.1.part.quæst.57. artic.5. ad 3. & quæst. 64. artic.1.ad 4. & alibi, cognovisse per fidem Deum, vt authorem supernaturalem, & vt remuneratorem bonorum operum, & insuper mysterium Trinitatis, & Incarnationis, estò non expresè aliquas illius circunstantias. Et licet contrarium, quo ad mysterium Incarnationis, teneant Palaus tract.4.disput.1.punct.6. num.4. & apud ipsum Torres, & Vazquez: tamen D. Thomas locis citat. & insuper 2.2. quæst.5. artic.1. Bañez in præsenti conclus.1. Suarez lib.1.cap.5. num.6. Castillo disput.10. quæst.1.punct.1.& 2. Lorca disput.16. (Palaus quo ad alia mysteria) N. Salmantic. disput.8. dub.1. & alij nostram defendunt conclusionem.

Hæretici carent fide supernaturali, & infusa.

8 Dicendum est quintò, Hæreticos non habere fidem Theologicam, etiam respectu illius mysterij, quod credunt. Hæc assertio probatur primò ex Concilio Tridentino sess.6. cap.15.vbi supponit fidem amitti infidelitate, illis verbis: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam, & ipsa fides amittitur, sed etiam*, &c. sed hæresis est pars infidelitatis: ergo per quemcumque actum hæresis, fides amittitur. Deinde ostenditur à ratione ex D.Thom.desumpta. Nequit esse fides sine ratione formali illius, quæ est veritas prima, pro vt nobis proponitur ab Ecclesia; sed hanc non habet hæreticus, alias crederet omnia, quæ docet Ecclesia, cum eadem ratio sit in vno articulo, ac in alio: ergo si vnum credit, & alium negat, signum est non habere rationem formalem fidei, seu in credendo non inhærere primæ veritati, & Ecclesiæ illam nobis proponenti, sed potius adhærere propriæ voluntati. Vnde oritur, quod hæreticus circa vnum articulum, fidem non habeat de alijs articulis; sed, vt ait D. Thom. 2.2. quæst.5. artic.3. *Opinionem quamdam secundum propriam voluntatem.* Denique probatur. Sicut Charitati opponitur quodlibet peccatum mortale, ita dissensus vnius articuli contrariatur fidei; sed charitas destruitur per quodlibet peccatum mortalè: ergo & fides per dissensum cuiuscumque articuli. Quare estò ad sensum videatur post primum dissensum, te adhuc eodem modo assentiri, ac antea reliquis fidei articulis, tamen fallitur imaginatio: quia tunc non illis assentiris fide infusa, sed acquisita, quam antea habebas. Ita D. Thom. loc.cit. Bañez, Cayetano, Aragon, Araujo, & alij Scholastici communiter apud N.Salmanticens.loc.citat.dub.3. Insuper eam tenent Bonacina disput.3.quæst.2. punct.1. num.10. Palaus tract.4.disput.1.punct.6.num.9. Trullench cap.1.dub.1.num.10. Leander tract.2. disp.4. quæst.40. & alij.

PUNCT. II.

Vtrùm fides sit necessaria ad salutem necessitate medij; & respectu quorum mysteriorum sit hæc necessitas?

Necessarium potest esse, vel necessitate medij, vel necessitate præcepti.

9 ANte dubij præsentis resolutionem aliqua prælibare oportet. Primò ergo supponendum est, dupliciter aliquid esse necessarium ad salutem, scilicèt necessitate medij, & præcepti. Primum dicitur id, sine quo, sivè omittatur culpabiliter, sivè inculpabiliter salus obtineri non potest. Secundum est, quod solum est necessarium ad salutem ex vi præcepti Superioris. Vnde licet eo omisso culpabiliter, salus obtineri non possit, tamen si ex ignorantia, aut alia causa excusante omittatur, salus æterna obtinebitur. Primi exemplum est in Baptismo, sine quo in re susceptо, nullus parvulus salvabitur. Secundi vero est in restitutione, quæ ex præcepto est necessaria ad salutem, at si ex impotentia, aut oblivione prætermittatur, salus obtinebitur.

In præsenti loquimur de actu, & non de habitu fidei.

10 Secundò supponendum est, hic non loqui de habitu fidei, sed de actu: nam habitum fidei esse necessarium necessitate medij ad salutem, adeò certum est, vt nequeat in dubium vocari: quia nemo potest consequi salutem sine gratia sanctificante; sed habitus fidei supernaturalis consequitur ad illam, vt propria eius passio: ergo nullus potest consequi salutem sine habitu fidei: vnde quæstio præsens est de actuali fide. Quæ rursus duplex potest esse: alia nimirum explicita, & altera implicita. Fides actualis explicita est, quando aliquis articulus in particulari, & in se ipso creditur: vt, quod *Deus sit vnus, & trinus*: quod *Christus sit Deus homo, natus de virgine*, &c. Implicita vero est, quando aliquid cre-

creditur in alio, quasi principio vniversali, in quo continetur: vt qui credit mysterium Incarnationis, implicitè credit mysterium Trinitatis, & qui credit quid quid credit Sancta Ecclesia Romana, implicitè habet fidem mysteriorum Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, Ascensionis, &c. Videatur D. Thom. quæst. 14. de Veritate, artic. 11.

Salus est duplex: scilicèt prima, & secunda, vel iustificationis, aut glorificationis.

11 Vltimo supponendum est, quod salus supernaturalis, de qua in præsenti est nobis sermo, est duplex, prima scilicèt, & secunda; hoc est iustificationis, & glorificationis. Illa dicitur, per quam homo liberatur ab omni infirmitate peccati originalis, aut personalis; innuitur que ab Apostolo ad Tit. 3. illis verbis: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Ista vero est, quam homo consequitur per gloriam, quæ nos liberat ab omnibus miserijs huius vitæ, iuxta illud Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* ¶ Nota tamen, quod assensus fidei, quem dixerimus esse sufficientem, vel necessarium ad primam salutem, seu iustificationem, est similiter sufficiens, aut necessarius ad secundam salutem, seu glorificationem. Hæc omnia communia sunt apud Doctores. Videantur nihilominus Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 2. num. 1. & 2. Bonacina disput. 3. quæst. 2. punct. 2. à num. 1. Prado cap. 7. quæst. 2. §. 1. Trullench lib. 1. dub. 2. num. 1. & 2. Palaus tract. 4. disput. 1. punct. 8. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 2. artic. 8. & alij His suppositis.

Fides explicita alicuius obiecti est necessaria necessitate medij.

12 Dicendum est, necessarium esse necessitate medij adultis rationis vsum habentibus, explicitè credere aliquod supernaturale fidei obiectum ad gratiam, & gloriam, seu primam, & secundam animæ salutem consequendam. Hæc conclusio clarè ostenditur ex S. Scriptura: nam D. Paul. ad Galat. 3. dicitur: *Iustus ex fide vivit.* Et ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et Ioann. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Et ad Rom. 3. *Arbitramur iustificari hominem per fidem.* Quibus satis constat, fidem esse medium necessarium ad salutem. Deinde Tridentin. sess. 6. cap. 8. vltima verba Apostoli explicans sic ait: *Vt scilicèt per fidem ideo iustificari dicamur: quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire.* Sed si hoc est impossibile aliter fieri, arguit fidem esse omnino necessariam necessitate medij ad vtramque illam salutem consequendam: ergo ita necessaria est. Probatur vlterius ratione D. Thom. 2. 2. quæst. 2. artic. 3. Homo est elevatus ad beatitudinem supernaturalem adipiscendam: ergo necesse est præter operationes naturales habere aliam actionem supernaturalem, qua dirigatur à Deo ad illam consequendam: Tunc sic: Omnis qui dirigitur ab alio, se habet tanquam addiscens, & vt discipulus respectu Magistri; sed omnis addiscens, seu discipulus, ait D. Thom. *Oportet quod credat, ad hoc quod ad perfectam scientiam perveniat, sicut etiam Philosophus dicit, quod oportet ad discentem credere: ergo ad hoc, quod homo perveniat ad perfectam visionem beatitudinis præexigitur, quod credat Deo, tanquam Discipulus Magistro docenti.* Doct. Angelic. sequuntur Thom. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 2. num. 3. Trullench lib. 1. dub. 2. num. 3. Bonac. disp. 3. quæst. 2. punct. 2. num. 5. Laymam lib. 2. tract. 1. cap. 8. Reginaldus lib. 17. num. 14. Palaus tract. 4. disp. 1. punct. 8. n. 2. Prado loc. cit. §. 2. num. 7. Leander tract. 2. disp. 2. quæst. 1. & alij contra Hæreticos, & vnum, vel alterum Catholicum. ¶ Ex quibus oritur parvulis esse necessariam fidem saltem habitualem ad salutem. Nam cum loca Scripturæ generaliter loquantur, de omnibus intelligenda sunt. Vnde cum non sint parvuli capaces fidei actualis, sed tantum habitualis, hanc esse illis necessariam necessitate medij, fatendum est.

Necesse est ad salutem credere Deū esse auctorem supernaturalem.

13 Sed rogabis, quæ mysteria explicitè credere sit necessarium necessitate medij ad salutem? Pro huius quæstionis decisione dicendum est primo, in omni statu necessarium fuisse credere explicitè Deum esse & remuneratorem, & authorem donorum supernaturalium. Ita docet Apost. ad Hebr. 11. his verbis: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quod inquirentibus se remunerator est.* Sed, quia contraria sententia damnata est ab Innocent. XI. in propos. 22. quæ sic se habet: *Non nisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita remuneratoris.* Nostram assertionem vlterius contra Caramuelem, de Probabilitate epist. 4. num. 125. rationibus non corroboro. Videantur Lastra in dict. propos. num. 123. & Lumbier §. 3. à num. 151. ¶ Nota tamen contra Suarium, Hurtado, & Lugonem disp. 12. sect. 5. Apostolum non loqui hic de existentia Dei, vt authoris naturalis, de hac enim plurimi nequeunt habere fidem, cum ratione naturali evidenter eam demonstrent; sed de existentia Dei, vt auctoris, & remuneratoris supernaturalis. Vnde dixit D. Thom. quæst. 14. de verit. art. 9. ad 8. *Quod Deum esse vnum, prout est demonstratum, non dicitur articulus fidei, sed præsuponitur ad articulos.... Sed vnitas divinæ essentiæ talis, qualis ponitur à fidelibus, scilicèt cum omni potentia, & omnium providentia, & alijs huiusmodi, quæ probari non possunt, articulum constituit.* Videantur Thom. Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 2. num. 5. Rocaful. 1. part. praxis, lib. 3. cap. 1. num. 1. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 2. num. 4. Araujo dub. 3. num. 20. Prado cap. 2. quæst. 3. §. 1. & 2. Bonacin. disp. 3. quæst. 2. punct. 2. num. 6. Fagundez lib. 1. cap. 2. num. 15. Can. lib. 12. de Locis, cap. 4. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 2. art. 8. num. 3. & omnes ferè Scholastici apud N. Salmant. tract. 17. disp. 6. dub. 1. §. 3.

Fides implicita Christi ante Evangel. promulgationē fuit necessaria necessitate medij.

14 Dicendum est secundò: Post lapsum Adami, & ante Evangelij promulgationem fides Christi, saltem implicita, fuit necessaria necessitate medij ad salutem. Hæc assertio probatur primo ex symbolo D. Athanasij, vbi dicitur: *Necessarium est ad æternam salutem, vt Incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.* Et Apostol. ad Galat. 2. *Non iustificatur homo, nisi per fidem Iesu Christi.* Et Act. 4. *Neque enim aliud nomen est sub cœlo datum*

datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Ergo cum hæc saltim de fide implicita intelligenda sint, dicendum est ante Evangelij promulgationem fidem Christi implicitam necessariam esse necessitate medij. Et insuper ostenditur à ratione. Omnibus necessaria est fides saltim implicita medij, per quod beatitudinem sunt consequuturi; sed supposito Adami peccato omnes media passione Christi sunt consequuturi æternam salutem: ergo omnibus necessaria est fides Christi saltem implicita post Adami lapsum, & ante Evangelij promulgationem. Dixi *fides saltem implicita*: quia tantum mysterium *explicite*, ait D. Thomas quæst. 2. artic. 7. in cap. *Maiores cognoscebant: minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes, ea esse divinitus dispositа de Christo venturo, quemadmodum habeant velatam cognitionem.* Prætereà: Concil. Trident. docet sess. 6. cap. 6. hoc mysterium solum quibusdam fuisse antiquitus revelatum: ergo cæteri alij salvi fiebant sub sola fide Christi implicita. Deinde fides explicita Incarnationis supponit explicitam cognitionem originalis culpæ; sed hæc clare à multis non fuit cognita: ergo nec notitia clara Incarnationis Christi. Ita D. Bernard. epist. 77. in 2. part. D. Thom. loc. cit. Sanchez lib. 2. cap. 2. numer. 7. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 2. n. 17. Prado cap. 7. quæst. 4. §. 1. Trullench. lib. 1. cap. 1. dub. 2. num. 5. Palaus tract. 4. disp. 1. punct. 9. num. 2. Tapia tom. 2. lib. 1. q. 2. art. 8. num. 4. & 5. & alij contra Cordub. in suo quæstion. lib. 2. quæst. 5. ad 3.

Post Evãgelij promulgationẽ fides explicita Christi est per se necessaria necessitate medij.

15 Dicendum est tertiò. Post Evangelij sufficientem promulgationem fides explicita Christi *per se loquendo* est necessaria necessitate medij ad vtramque salutem, gratiæ scilicèt, & gloriæ, consequendam; at *per accidens*, ad eam non est omnino necessaria. Hæc assertio est contra Ricard. in 3. distinct. 25. artic. 4. quæst. 2. & artic. 3. quæst. 1. Furrian. & alios quos refert, & sequitur Dian. 3. part. tract. 5. Miscel. resolut. 46. asserentes solam implicitam fidem Christi, adhuc post Evangelij sufficientem promulgationem, esse medium necessarium ad salutem. Est etiam secundo contra Araujo dub. 3. conclus. 1. Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 2. num. 8. Bonacin. disput. 3. quæst. 2. punct. 2. num. 6. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 2. num. 7. Palaum. tractat. 4. disput. 1. punct. 9. num. 7. Tapiam loc. cit. n. 6. & alios existimantes nunc fidem Christi explicitam esse omnino necessariam ad quamcunque salutem animæ consequendam. Sed quia nostra conclusio duplicem continet partem, vtra que est seorsim probanda. Et prima: scilicèt esse *per se* necessariam fidem Christi explicitam, sic ostenditur. Nam vt ait Apostolus 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*: ergo est omnino necessaria per se loquendo cognitio, & fides explicita huius fundamenti, saltem vt mediatoris, & Redemptoris à quo tota salus hominum pendet. Rursus D. Athanasius in symbolo postquam mysterium Incarnationis tradiderat sic ait. *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiter que credenit, salvus esse non poterit.* Ergo saltem per se loquendo fides explicita huius misterij post Evangelij sufficientem promulgationem requiritur. Vltimo; ante Evangelium ob antiquæ legis imperfectionem erat necessaria fides Christi implicita, & nunc eadem fides pro alijs misterijs requiritur: ergo respectu huius misterij adeò excellentis, & iuxta perfectionem legis Evangelicæ, nunc est necessaria *per se* loquendo fides explicita Christi. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 2. artic. 7. quem ex Scholasticis sequuntur Medina, Suarez, Labat. & alij apud nost. Salmant. & ex Moralistis Ledesma tom. 2. Summæ, tract. 1. cap. 2. concluf. 3. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 6. quæst. 6. Villalob. tom. 2. tract. 1. difficult. 3. num. 6. Lugo disput. 12. sect. 4. num. 106. Prado cap. 7. quæst. 4. §. 3. & à fortiori tenent omnes, quos prosequenti parte conclusionis contrarios citabimus.

Per accidẽs sufficit ad salutem fides Christi implicita.

16 Secundam vero partem præiactæ conclusionis, scilicèt, quod *per accidens*, & in aliquo casu raro possit aliquis post Evangelij sufficientem promulgationem iustificari cum sola fide Christi implicita, sic probo primo ex D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. his verbis: *Si qui tamen salvati fuerunt* (loquitur de Gentilibus) *quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris: quia licet non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum.* Ergo per accidens cum sola fide implicita Christi potest aliquis vere iustificari. Deinde eodem modo requiritur ad salutem animæ fides Christi, ac baptismus in re susceptum; sed in aliquo casu raro cum solo baptismo in voto suscepto, potest quis iustificari: ergo in aliquo casu raro, & per accidens cum sola fide Christi implicita, potest aliquis consequi salutem. Vide D. Thom. 3. part. quæst. 69. artic. 4. ad 2. Prætereà. Puer enutritus in silvis potest habere notitiam ex divina illuminatione Dei, vt Authoris supernaturalis, quin nulla illi adsit cognitio Incarnationis, & redemptionis Christi: sed cum tali notitia, & auxilio gratiæ posset perfectè se ad Deum convertere, & elicere actum Charitatis, quo iustificaretur: ergo cum tunc solum haberet fidem Christi implicitam, potest in aliquo casu talis puer iustificari. Sic tenent Authores, num. antecedenti relati, & insuper Soto in 4. distinct. 5. quæst. vnica, artic. 2. concluf. 3. Suarez disput. 12. sect. 4. num. 18. Prado cap. 7. quæst. 4. §. 4. 5. & 6. Ripalda de Fide, disput. 17. sect. 15. num. 243. Arriaga disput. 12. sect. 2. num. 7. Saà, verbo *Fides*, num. 1. Coninch disp. 14. dub. 9. num. 163. Vega lib. 6. in Trid. cap. 20. Cordova lib. 2. quæst. 4. Palaus tract. 4. disp. 1. punct. 9. num. 7. Leander tract. 2. disput. 2. quæst. 13. & N. Salmant. tract. 17. disp. 6. dub. 1. num. 79.

Fides Trinitatis eodem modo requiritur ad salutẽ, ac fides Christi

17 Dicendum est quartò, fidem implicitam, aut explicitam mysterij Sanctissimæ Trinitatis, tam ante, quàm post Evangelij promulgationem esse per se ad salutem necessariam necessitate medij, eo modo, ac de fide Christi dictum est. Probatur ex D. Thom. 2. 2. quæst.

quæſt. 2. artic. 8. vbi eodem modo loquitur de myſterio Incarnationis, ac Sanctiſsimæ Trinitatis; ſed fides explicita illius eſt per ſe neceſſaria neceſsitate medij: ergo eodem modo eſt neceſſaria fides myſterij Trinitatis. Præterea. Nam Chriſtus, Matth. cap. 28. verſ. 19. præcepit baptizari: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et Marc. 16. verſ. 16. ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit. Qui vero non crediderit condemnabitur*: ergo fides explicita Trinitatis per ſe ad ſalutem requiritur. Rurſus myſterium Incarnationis credi non poteſt ſine fide ſecundæ perſonæ Trinitatis: ergo ſicut requiritur fides explicita Incarnationis, ita & Trinitatis. Quod autem per accidens ſine fide illius poſsit aliquis ſalvari, oſtenditur eodem modo, ac de Incarnatione, cum poſsit Deus vt ſumme bonus cognoſci, & amari ſine expreſſa cognitione Trinitatis, & alias non ſit textus expreſſus ſuadens neceſſariam eſſe illius expreſſam fidem. Sic Ripalda diſp. 17. ſect. 15. num. 243. Sanchez lib. 2. cap. 2. num. 10. Tapia lib. 1. quæſt. 2. artic. 8. num. 8. N. Salmantic. loc. cit. §. 4. num. 81. Palaus tract. 4. diſput. 1. punct. 9. num. 7. Prado cap. 7. quæſt. 4. §. 7. Ledeſma 2. part. Summ. tract. 1. cap. 2. concl. 4. & alij pro antecedenti concl. relati contra non nullos Doctores num. 20. citandos, qui tenent explicitam fidem Trinitatis, & Incarnationis eſſe præcisè neceſſariam ad ſalutem neceſsitate præcepti.

Aliorum myſteriorũ ſufficit fides implicita.

18 Ex quibus ſequitur primò fidem explicitam aliorum articulorum non eſſe neceſſariam neceſsitate medij ad ſalutem conſequendam, ſed tantum requiri implicitam. Quod patet tum ex communi ſententia Doctorum, qui ſolum diſputant de Deo, vt auctore ſupernaturali, & remuneratore bonorum operum, & de myſterio Trinitatis, & Incarnationis. Tum etiam: quia ad ſalutem ſufficit cognoſcere terminum, & medium illius; ſed hæc adipiſcuntur per cognitionem Dei, vt auctoris ſupernaturalis, & remuneratoris, & myſterij Trinitatis, & Incarnationis, vt liquet: ergo hoc præcisè eſt neceſſarium neceſsitate medij ad ſalutem. Præterea prædicti articuli implicitè continent quid quid ad fidem pertinet: ergo ſola illorum cognitio explicita eſt neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem. Vnde probata manet ſecunda pars, ſcilicèt requiri aliorum articulorum fidem implicitam. Sic Arriaga 2. 2. tract. de Fide, diſp. 12. ſect. 2. num. 7. & alij apud Leand. quæſt. 4. ¶ Sequitur ſecundò: non eſſe neceſſarium ad ſalutem cognoſcere explicitè omnia myſteria, quæ ad Chriſti Incarnationem pertinent, ſed ſat eſt, explicitam fidem habere divinitatis, & humanitatis Chriſti, Redemptionis per mortem, & reſurrectionem illius, cum hæc ſint præcipua noſtræ ſalutis, & Incarnationis myſteria. Ita Bañez 2. 2. quæſt. 1. artic. 8. dub. vltim. concluſ. 3. Valentia 2. 2. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 4.

Ignorãs myſteria Trinitatis, & Incarnationis incapax eſt abſolutionis

19 Sequitur tertiò: teneri Confeſſarium negare abſolutionem ſacramentalem pœnitenti ignoranti, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter myſteria Incarnationis, & Santiſsimæ Trinitatis. Et ratio, quo ad ignorantiam culpabilem liquet: quia abſolutionis incapax eſt, qui cum actuali peccato, & ſine dolore illius accedit ad ſacramentum pœnitentiæ; ſed qui cum ignorantia vincibili myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis accedit ad ſacramẽtum pœnitentiæ, cum actuali peccato, ſcilicèt ipſa vincibili ignorantia accedit, & ſine dolore illius, cum eam per ſcientiam non vicerit: ergo eſt incapax abſolutionis ſacramentalis. Quoad ignorantiam invincibilem probatur. Nam non eſt capax abſolutionis, qui ad pœnitentiæ ſacramentum indiſpoſitus accedit; ſed qui laborat ignorantia, etſi alias invincibili, myſterij Trinitatis, & Incarnationis, indiſpoſitus accedit: ergo eſt incapax abſolutionis. Minorem ſic oſtendo. Qui non ponit media neceſſaria ad ſalutem per pœnitentiæ ſacramentum conferendam, indiſpoſitus accedit; ſed cognitio myſterij Trinitatis, & Incarnationis eſt medium neceſſarium ad ſalutem, vt manet ſupra probatum: ergo qui laborat ignorantia etſi invincibili Trinitatis, & Incarnationis ad pœnitentiæ ſacramentum indiſpoſitus accedit. Videantur N. Salmantic. tract. 17. diſp. 6. num. 85. qui eruditè diluunt replicam, quæ huic rationi obijci poterat, ob quam rationem iuſtiſsimè damnavit Innocent. XI. hanc propoſitionem (quæ eſt 64.) *Abſolutionis capax eſt homo, quamtunvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiam ſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. Ieſu-Chriſti.*

Nota pro explicatione dictæ propoſitionis.

20 Sed pro illius explicatione, nota primò: quod per hanc propoſitionem non damnatur ſententia, licet nobis contraria, quæ docet fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis eſſe tantum neceſſariam neceſsitate præcepti ad ſalutem, quam tenent Suarez, Ripalda, Vega, vterque Lugus, Azor, Palaus, apud Leand. tract. 2. diſp. 2. quæſt. 8. & 13. & apud Gonet tom. 4. tract. de Fide, diſp. 6. artic. 5. num. 66. Soto, Iavellus, Serra, Martinonus. Et ratio eſt: quia ad verificandam prohibitionem dictæ propoſitionis, ſat eſt, quod cognitio, & ſcientia myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis ſint præceptæ præcepto, vel divino, vel Eccleſiaſtico, de quo puncto ſequenti: nam hoc ipſo, quod aliquis illorum ignorantia vincibili laborat, indiſpoſitus accedit, & ita eſt omnino abſolutionis incapax. ¶ Nota ſecundò: quod, quando confeſſarius agnoſcit pœnitentem horum myſteriorum ignorantia laborare, debet illum inſtruere, vt ſaltem rudi minerva ea percipiat, & explicitè quoad ſubſtantiam credat; & ita inſtructus, ſi alias de præterita ignorantia pœniteat, eſt abſolutionis capax; cum tunc rectè diſpoſitus accedat. Videantur Gonet tom. 3. diſſertatione de opinione probabili, num. 158. Laſtra in dictæ propoſitionis explicatione num. 180. nec non plurimi moderni, qui circa illam lingua vulgari ſua ſcripta his temporibus typis mandarunt.

PUNCT. III.

An detur præceptum credendi, quale hoc sit, & quando obliget?

Datur fidei præceptum.

21 DIsputatis his, quæ sunt necessaria necesitate medij ad salutem, restat agere de his, quæ sunt necessaria necesitate præcepti. Circa quæ tria quærit dubium propositum, & omnia per ordinem decidemus. Circa primam difficultatem communis est Doctorum resolutio, asserendo dari præceptum credendi fide supernaturali divina mysteria. Quod patet: tum ex illo 1. Ioan. cap. 3. *Hoc est mandatum eius vt credamus in nomine filij eius.* Et Ioan. 13. *Creditis in Deum, & in me credite.* Marc. vltim. *Qui non crediderit condemnabitur.* Et D. Augustinus citatus à D. Thom. 2. 2. quæst. 16. artic. 1. in corpore, tract. 83. ait super Ioan. exponens illud *hoc est præceptum meum. Plurima sunt nobis de fide mandata.* Ergo ex his constat dari fidei supernaturalis præceptum. Tum à ratione: quia fidei assensus est medium necessarium ad salutem; sed hoc ipso est necesse dari de illo speciale præceptum; cum teneamur media apponere ad eam consequendam: ergo, &c. Deinde Tridentin. sess. 6. cap. 6. ait, actus fidei esse dispositiones ad iustificationem adulti; sed dispositiones ad iustificationem cadunt sub præcepto: ergo & fides. Denique dantur præcepta confessionis, Eucharistiæ, spei, & charitatis: ergo & fidei; cum non minus requiratur ad salutem. Videantur omnes Scholastici in materia de fide, & ex Moralistis Sanchez lib. 2. Summ. cap. 1. num. 1. Prad. cap. 7. quæst. 5. §. 1. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 2. artic. 1. & alij communiter. Quapropter iustissimè Innocent. XI. damnavit hanc propositionem Tamburini tom. 1. in Decalog. lib. 2. cap. 1. §. 1. & in ordine est 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.* Videantur Filguera in Lucer. Decret. propositon. 16. N. Lumbier, Lastra, & alij.

Præceptum fidei esse omnino divinũ aliqui dicũt.

22 Circa secundam quæres: An hoc præceptum sit Divinum, aut Ecclesiasticum? Ad quod Bañez quæst. 2. artic. 8. dub. 2. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 6. quæst. 4. & cap. 7. quæst. 2. Petrus Ledesma tom. 2. Summ. tract. 1. cap. 2. concl. 5. Sanchez lib. 2. cap. 3. num. 13. Lorca 2. 2. quæst. 2. disput. 23. memb. 2. num. 25. Lugo disput. 13. num. 20. Prado cap. 7. quæst. 5. num. 12. respondent tale præceptum esse præcisè Divinum. Tum: quia Christus dixit Apostolis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed quod Deus iubet prædicare, & credere, est præceptum divinum: ergo summa Evangelij, quod Deus iubet prædicare, & credere, cadit sub præcepto præcisè divino.

¶ Aragon vero 2. 2. quæst. 2. artic. 6. dub. 2. docet mysteria Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Resurectionis, & Adventus in iudicium explicitè credere, cadere sub præcepto Divino; alia vero, quæ in simbolo continentur cadere sub præcepto Ecclesiastico, sed huius distinctionis rationem non capio; si enim omnia ad summam Evangelij pertinent, quare aliqua sunt de præcepto Divino; alia vero de præcepto Ecclesiastico.

Verum tamen est esse quoad substantiam divinum, & quoad determinationem ecclesiasticũ

23 Vnde dicendum est, tale præceptum esse Divinum, quoad substantiam, & Ecclesiasticum quoad determinationem. Prima pars liquet ex dictis; secunda vero suadetur: quia Ecclesia determinat quæ credere debeamus proponendo symbolum; simul nobis declarat, quando actus fidei eliciendi sint, vt infra dicemus: ergo sicut vsus Sacramenti Eucharistiæ, & pœnitentiæ est de iure Divino, & Ecclesiastico, quia de illis determinat, & declarat Ecclesia, quando recipienda sunt; ita cum determinet Ecclesia de articulis fidei credendis, quando, & quo tempore obligent, erunt non solum de iure Divino, sed etiam Ecclesiastico. Ita Filliucius tract. 22. cap. 2. quæst. 7. num. 48. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 3. num. 3. Suarez disput. 13. sect. 4. num. 13. & alij, ex Scholasticis apud N. Salmanticens. tract. 17. disp. 6. dub. 2. num. 98.

Hoc præceptum est supernaturale tam ex parte principij, quàm ex parte obiecti, seu termini.

24 Cum quibus nota primò, prædictum præceptum esse supernaturale ex parte principij, quod est Deus, vt auctor supernaturalis, & ex parte obiecti, quod est etiam ipse Deus, & aliæ res supernaturales; & simul dici potest aliquo modo naturale: quia naturale est, quod homo Deo credat, supposito quod aliquid revelet. Nota secundò: Hoc præceptum credendi esse duplex: aliud affirmativum, & negativum alterum. Primum iubet elicere determinatè actus fidei, de quo dicemus immediatè, quando obliget; secundum præcipit non discredere vllum obiectum à Deo revelatum, & ab Ecclesia propositum, quod præceptum cum negativum sit obligat semper, & pro semper; & qui contra illud pertinaciter ageret vere esset hæreticus, at *si ex simplicitate* (vt accidit in rusticis) *deficiant*, ait D. Thom. 2. 2. quæst. 2. artic. 6. ad 2. *non eis imputatur.* Videantur D. Thom. loc. cit. artic. 2. ad 2. Valentia quæst. 2. punct. 6. Sanchez lib. 1. Summ. cap. 1. num. 2. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 2. Bellarmin. lib. 3. de Memb. Eccles. cap. 19. Leander tract. 2. disp. 2. quæst. 14. & alij. Sed quia circa hoc præceptum negativum non est aliqua specialis difficultas, ideo cum Doctoribus calamum convertimus ad præceptum fidei affirmativum.

Fides obligat per se quando est sufficienter proposita.

25 Rogabis quo tempore præceptum credendi explicitè obliget ad fidei actum interiorem exercendum? Quæstio proposita plura sub se continet, quæ diversis conclusionibus decidemus; advertendo tamen hanc obligationem posse esse vel directam ortam ex ipsamet fide, vel indirectam provenientem ex alia virtute; nunc ergo agemus de obligatione directa, acturi postea de indirecta. Dicendum ergo est primo, infideles teneri per se directè elicere actum fidei, quando hæc illi fuerit sufficienter proposita. Et ratio est, quia infideles tenentur apponere media ad salutem necessaria, quando ea sufficienter vt talia cognoscunt; sed quando fides illis sufficienter proponitur, cognoscit illam esse medium ad salutem necessarium: ergo tenetur hoc medium apponere, eliciendo actum

actum illius. Deinde, quia si tunc non obligaret, nec alio tempore obligaret, cum non sit maior ratio pro vno, quam pro alio: ergo si obligat, tunc maximè debet obligare. Sic Sanchez lib.2. Summ. cap.1. num.3. Palaus tract. 4. disput. 1. punct. 12. num.4. Tapia tom. 2. lib.1. quæst. 2. artic. 2. num. 2. Valentia 2. 2. disp.1. quæst.2. punct. 5. Azor lib. 8. cap. 27. quæst.8. Trullench lib.1. cap.1. dub.6. num.3. Villalobos tom.2. tract.1. difficult. 2. num. 2. Reginald. lib.17. cap.2. sect.1. num. 16. Prado cap. 7. quæst.5. §.4. num.14.

Quando censetur fides sufficienter proposita.

26 Sed quæres, quando censenda est fides illis sufficienter proposita? Pro resolutione supponendum est, tanquam certum, non teneri infideles statim credere, vt veram fidem, quam quilibet vt talem prædicat. Et ratio est: quia *Qui cito credit, levis est corde*, vt dicitur Eccles. 19. Tum, quia prudentis non est in rebus tanti momenti auditis statim assensum præbere: ergo non tenentur infideles cuilibet dicenti, vel prædicanti credere. Ita D. Thom. 2.2. quæst. 1. artic. 4. ad 2. Caietan. ibi, Sanchez num. 4. & alij apud ipsum, Tapia lib. 1. quæst.2. artic.3. Quo supposito dicendum est, tunc fidem sufficienter proponi, quando per Ministros morum perfectione, vitæ que sanctitate conspicuos rationibus probabilioribus minus probabilem contrarium errorem convincentibus, proponitur; & maximè si vlterius veris miraculis mysteria credenda comprobentur. In hoc ergo casu, etsi sua secta adhuc infidelibus videatur credibilis, si tamen nostra fides illis appareat credibilior, tenentur statim illi assensum præbere.

Thom. Sanchez impugnatur.

27 Vnde confutata manet sententia Sanchez num. 6. docentis solum teneri infideles credere nostram fidem sibi propositam, vt probabiliorem, quando sunt in articulo mortis. Tum, quia Innocent. XI. propositione 4. damnat dicere: *Ab infidelitate excusatur infidelis non credens ductus opinione probabili.* Quod iuxta veriorem sententiam intelligitur contra aliquos modernos de opinione probabili, tam speculativè, quàm practicè: ergo cum S. Pontifex vniversaliter loquatur, damnat vt illicitum non præbere assensum in quocunque tempore nostræ fidei, vt probabiliori propositæ. Tum etiam, quia si in articulo mortis concedit Sanchez teneri circa fidem sequi opinionem probabiliorem, quare non extra mortis articulum? Si illud docet, quia in illo articulo agitur de extrema salute, & ideo ratio naturalis dictat probabiliorem fidem esse amplectendam, vt ipse fatetur. Quis non videat rationem naturalem id ipsum dictare alio etiam vitæ tempore circa fidem, cum sit medium necessarium ad salutem? Ergo si primum concedit, inconsequenter negat secundum, vt rectè notavit Palaus punct.12. num.13. qui vniversaliter docet nullo tempore teneri assentire fidei, vt probabiliori propositæ; sed hæc sententia potiori titulo inuritur Pontificis fulminea sententia. Ex quo denuo roboratur nostra, & communis sententia docens in omni materia fidei, & morum probabiliora sequenda. Dicta his duobus numeris tenent Bañez 2. 2. quæst. 10. artic.1. dub.3. concl. 3. & 4. Petrus Ledesma tom.2. Summ. tract.1.cap.5. concl.4. Victoria relect. de Indijs, num. 37. Villalob. 2. part. tract.1. difficult.8. num.4. Aragon 2. 2. q.10. artic. 1. column. 4. Trullench loc. cit. num. 3. Imò rectè convincit Palaus contra Sanchez teneri infideles elicere assensum fidei non solum statim ac sufficienter proponitur, sed etiam in ipso instanti metaphysico propositionis. Videatur citatus Auctor tract. 4. disp. 1. punct. 12. num.4. Coninch. disp.14. dub.10. à num. 25.

NOTA.

28 Sed nota primò cum Villalobos loc. cit. plerosque ex Indijs excusatos fuisse à peccato infidelitatis, quando fides nostra ab Hispanis fuit illis proposita: quia eam plerumque illis annuntiabant, & evangelizabant homines strepitu armorum circumcincti, & nulla, aut exigua sanctitate, vel vitæ integritate ornati; quin potius, vt verum fateamur, divitijs auro, & gemmis inhiantes, & ob eas crudelitatem, & sævitias non semel patrantes, vt Indiarum referunt historiæ; quare talis fidei propositio fuit insufficiens, vt ex vi illius tenerentur Indij fidem Christi accipere: vnde ex quo non præberent tunc illi assensum, infidelitatis culpæ argui non debent. Videantur Sanchez num.8. & Tapia tom.2. lib.1. quæst.2. artic.3. num.3. & 5. qui doctrinam huius conclusionis extendunt ad baptizatos, & ab infantia inter infideles, & hæreticos enutritos.

Postquam fides est sufficiéter proposita tenentur infantes illi assentiri.

29 Dicendum est secundò: pueros baptizatos, & inter fideles nutritos teneri elicere fidei actum statim, ac fidei mysteria audiunt, & illis fuerint sufficienter proposita, quod accidit in instanti vsus rationis, vt benè notant N. Salmanticens. tract.17.disput.6.dub.2. num.104. Et ratio est: quia tunc instat obligatio se convertendi in Deum, vt ait D. Thom. 1.2. q.89. artic. 6. sed nequit converti ad Deum, quem prius per fidem non cognoscit: ergo tenetur elicere actum fidei puer perveniens ad vsum rationis, quando proponitur illi fides sufficienter credibilis. Sic Sanchez num. 3. Prado loc. cit. num. 14. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 6. n.4. Bonacin. tom.2. disp.3. punct. 2. n. 8. ¶ Sed nota cum Sanchez num. 7. non eandem fidei propositionem sufficere quo ad omnes. Nam rationes, quæ respectu vnius intellectus reddunt fidem probabiliorem, respectu alterius, forte non convincent illam adhuc probabilem. Vnde ad sufficientem fidei propositionem attendendum est, tum ad ministros, & rationes, quibus illam proponunt; tum ad subiecta, quibus fit propositio.

Præceptum fidei obligat per se in articulo mortis; sed gravis tentationis contra fidem tempore solum obligat per accidens.

30 Dicendum est tertiò: obligare *per se* in articulo mortis elicere actum fidei, & iuxta aliquos quando contra fidem aliquis graviter tentatur. Prima pars conclusionis sic ostenditur. Fides est medium ad resistendum tentationibus, iuxta illud 1. Petri cap. 5. *Cui resistite fortes in fide*; sed in articulo mortis sunt graves tentationes contra fidem; cum tunc gravius bellum diabolus ingerat animæ, & ob id Ecclesia præcipit ante receptionem Sacramentorum fidei confessionem facere: ergo tunc obligat per se præceptum credendi. Ex quibus probata manet secunda pars conclusionis, & vtramque docent Suarez, disp. 13. sect. 5. Sanchez lib.2.Decal. cap.1.n.3. Valentia 2.2.disp.1.q.2. pun-

punct. 5. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 7. quæst. 6. Tapia lib. 1. quæst. 2. art. 2. num. 4. & 5. Ledesma 2. part. tract. 1. cap. 8. concluſ. 8. Villalob. 2. part. tract. 1. difficult. 2. num. 5. & alij apud Suarez loc. cit. à num. 105. contra Palaum n. 6. Trullench num. 8. Leander disp. 2. quæst. 39. & alios, qui probabiliori fundamento docent, quod hic modus, medio actu fidei reſiſtendi tentationibus, non eſt per ſe neceſſarius, ſed alijs modis poſſent convenienter repelli. Sed de hoc infra cap. 6. num. 13.

Tenentur per ſe omnes elicere actum fidei ſaltē ſemel in anno.

31 Dicendum eſt quartò, ſaltem ſemel in anno *per ſe* teneri homines exercere aliquem actum fidei. Et probatur primò: quia præceptum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ex ordinatione Eccleſiæ obligat ſaltem ſemel in anno: ergo etiam præceptum fidei obligat ad eliciendum actum illius ſaltem ſemel in anno, cum hæc virtus ſit adeò nobilis, & ad æternam ſalutem neceſſaria. Deinde: quia ſi ſaltem ſemel in anno actum fidei non teneremur elicere, eſſet hæc virtus ſumme ocioſa, valde frigeſceret, eſſent que homines in periculo illam amittendi: ergo hæc obligatio vera eſt. Quare hanc ſententiam expreſsè docent Bañez 2. 2. quæſt. 22. artic. 1. dub. 2. concluſ. vltim. Ledeſma 2. part. Summ. tract. 1. cap. 8. concluſ. 4. Tapia lib. 1. quæſt. 2. artic. 2. num. 6. N. Salmantic. num. 107. contra Trullench cap. 1. num. 8. Sanchez num. 4. & alios. ¶ Sed notant optimè Suarez loc. cit. Prado cap. 7. quæſt. 5. num. 20. huic præcepto fieri ſatis per exercitium aliarum virtutum, ſcilicèt religionis, ac charitatis, & Sacramentorum receptionem, in quibus ſemper adeſt aliquis fidei actus. Sed approbare non poſſumus ſententiam Scoti in 3. diſtinct. 27. quæſt. vnica, §. *Quantum ad ſecundum*, & Nider in ſuo præceptorio, quorum primus aſſerit præceptum fidei per ſe obligare omnibus diebus feſtis; ſecundus vero docet teneri ſaltem illis diebus, quibus prædicta myſteria celebrantur, circa illa elicere fidei actum: quia licet hæc repetitio vtilis ſit, non tamen neceſſaria, & per ſe obligatoria.

Vlterius præ dicta concluſio proba tur.

32 Sed adverte, quod ideo ſententiam, quæ docet teneri homines elicere ſaltem ſemel in anno actum fidei, amplexati ſumus: quia iudicamus non obſcurè inferri ex tribus propoſitionibus ab Alex. VII. & Innoc. XI. damnatis, quarum prima, & in ordine etiam prima ex damnatis ab Alex. VII. ſic ſe habet: *Homo nullo vnquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Secunda, quæ eſt 17. ab Innocent. XI. prohibita, ſic ait: *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.* Et 65. circa myſteria Trinitaris, & Incarnationis ſic loquitur: *Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe.* In quibus licet expreſsè tantum prohibeant, hominem ex vi fidei præcepto non teneri elicere vllum actum illius, vel illi ſatisfacere, vnicum eliciendo; tamen ex illis convincitur non tantum pluries illum actum repetere teneri, ſed etiam ad minus ſemel in anno: quia cum fides ſit noſtræ ſalutis fundamentum, ſi ſaltem ſemel in anno actibus illius non reſiceretur, abſdubio rueret tota chriſtianæ vitæ fabrica. Deinde loquendo de actu charitatis damnat Innocent. XI. ſequentem propoſitionem in ordine 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſè quinquennijs per ſe obligare præceptum charitatis.* Ex qua infert Laſtra tom. 1. num. 101. hoc præceptum dilectionis per ſe obligare ſaltem ſemel in anno, & antea id ipſum docuerant Ledeſma tom. 2. Summ. cap. 5. concluſ. 6. Petrus Hurtad. 2. 2. diſp. 174. ſect. 5. ſub ſect. 2. §. 26. Lorca 2. 2. ſect. 3. diſput. 58. num. 8. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 5. dub. 3. num. 5. & alij apud ipſum: ergo etiam obligat per ſe ſemel in anno præceptum fidei; cum vtraque virtus valdè neceſſaria ſit ad ſalutem animæ conſervandam. Et certè nobiſcum valdè, piè, & remiſsè agitur, dum ſemel repetere hos actus quotannis iubemur.

Per accidens obligat præceptum fidei ratione aliarum virtutum.

33 Hucuſque diximus de obligatione *per ſe*, nunc vero dicendum eſt de obligatione *per accidens*. Dicendum ergo eſt, *per accidens* obligari homines ad eliciendum actum fidei, quoties hic præ requiritur ad actus aliarum virtutum, vt ſpei, charitatis, & pœnitentiæ: at tunc omiſsio actus fidei non prohibetur *per ſe*, ſed ratione præcepti adiuncti, & ideo nec conſtituit diverſum peccatum ab eo, quod committitur contra præceptum aliarum virtutum, quod tunc obligat; nec eſt neceſſarium de illo ſe acuſare in confeſsione, ſed tantum dicere ſe omiſiſsè actum charitatis, ſpei, aut pœnitentiæ. Sic Suarez diſput. 13. ſect. 5. num. 5. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 1. n. 11. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 7. Bonacin. tom. 2. diſput. 3. quæſt. 2. punct. 2. num. 9. Sanchez lib. 2. cap. 1. num. 3. Leander tract. 2. diſp. 2. quæſt. 42. & alij. Vnde inferunt, quod quando peccator tenetur ſe ad Deum convertere, & iuſtificari debet elicere actum fidei: quia nequit ſe ad Deum convertere, quin ſperet ab eo veniam peccatorum; ſed nequit ſperare à Deo veniam peccatorum ſine actu fidei, cum ſperemus, quæ fide credimus: ergo tunc tenetur credere, non quidem ex obligatione fidei, ſed pœnitentiæ. Idem etiam dicunt de eo, qui tenetur ad orandum: quia hoc prærequirit fidem, iuxta illud ad Rom. 10. *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?*

Quid dicendum, quādo obligat Tyranus abnegare fidem.

34 Sed maior difficultas eſt, an teneatur homo per accidens ad actum fidei, quando vrget Tyranus ad negandam fidem? Obligare per accidens tenent Sanchez cap. 1. num. 3. Fagundez lib. 1. cap. 1. num. 10. Valentia 2. 2. diſp. 2. quæſt. 4. punct. 1. verſ. *Dicam igitur*, Azor tom. 1. cap. 7. quæſt. 6. Bonacin. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 2. num. 10. Leander tract. 2. diſput. 2. quæſt. 41. & alij, quos & nos libenter ſequimur. Nam in tali caſu tenetur homo exterius fidem confiteri, ſed nequit exterius fidem confiteri, ſine actu interiori illius, quo credat veram eſſe talem fidem: ergo tunc tenetur per accidens ad actum interiorem fidei ratione præcepti profeſsionis exterioris fidei.

PUN-

PUNCT. IV.

Quæ myſteria fidei, & quomodo teneantur ex præcepto ea fideles explicitè credere, & ſcire?

§. I.

Oſtenditur, qui fidei articuli ſint ex præcepto explicitè credendi?

Quædam pro reſolutione notantur.

35 PLura offert titulus diſcutienda; quare diverſis quæſtiunculis opus eſt, ea reſolvere. Vnde rogabis primò: An omnes fideles teneantur explicitè credere, & ſcire omnes ſymboli articulos? Diximus *omnes fideles*, comprehendendo doctos, & indoctos: quia licet quo ad modum ſciendi illos, diverſificentur, tamen quo ad ſubſtantiam pares eſſe debent, cum illi ad credendum adſtringantur, quia fideles Chriſtiani ſunt. Addidimus, *omnes ſymboli articulos*, quia aliqua debere ſcire, & credere; illa ſcilicèt, quæ ſunt neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem, vt ſupra num. 13. docuimus communiter admittitur. Diximus *ſymboli*, & non vulgaris catechiſmi: quia in hoc numerantur quatuordecim articuli fidei; in ſymbolo autem Apoſtolorum tantum duodecim; ſed in his duodecim, illa quatuordecim continentur, vt docent D. Thom. 2.2. quæſt. 1. artic. 8. Lugo diſput. 13. ſect. 4. num. 63. N. Salmantic. diſput. 6. num. 108. Ioan. à S. Thom. diſp. 4. artic. 2. concluſ. 4. Prado cap. 7. q. 6. num. 9. Vltimò diximus, *credere, & ſcire*: quia quod tenetur quis credere, tenetur ſcire; quomodo enim aſſentiri poterit eis, quæ ignorat: quare notant Azor tom. 1. lib. 8. cap. 7. quæſt. 1. Sanchez lib. 2. Summ. cap. 3. num. 1. idem eſſe inquirere, quæ teneantur fideles credere, & quæ ſcire; ſed hæc licet ita ſint, tamen claritatis gratia vtrumque in titulo propoſuimus, & in diſcurſu quæſtionis indifferenter vtemur. Quibus eſtabilitis.

Non ſufficit credere quidquid credit Eccleſia, nec articulos, quos Eccleſia ſolemniter celebrat.

36 Prima ſententia aſſerit ſufficere laicis, & ruſticis implicitè credere myſteria fidei, credendo quidquid tenet Eccleſia. Ita aliqui Canoniſtæ, quos refert Sanchez cap. 3. num. 3. Sed hanc ſententiam eſſe hæreticam probant Bañez 2.2. quæſt. 11. artic. 3. §. *Sed advertendum*, & Prado cap. 7. quæſt. 6. num. 1. contineri que inter hæreſes damnatas à Gregor. XI. & relatas à Nicolao Eymerico in 2. part. direct. inquiſit. quæſt. 10. ¶ Secunda ſententia docet non teneri fideles explicitè credere, aut ſcire omnes articulos ſymboli, vel catechiſmi puerorum, ſed quos Eccleſia ſolemni ritu celebrat: quia hoc videtur intendere Eccleſia illos ſolemni ritu celebrando, vt eos facillimè omnes percipiant, & credant. Ita D. Bonav. in 3. diſtinct. 25. artic. 1. quæſt. 3. Ibi Scotus q. 1. §. *Sed poſito*. Angel, & Sylveſt. verb. *Fides*, & alij, quos ſequitur Trullench num. 11. & videtur eſſe expreſſa D. Thom. 2. 2. quæſt. 2. articul. 8. his verbis: *Poſt tempus autem gratiæ revelatæ, tam maiores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de myſterijs Chriſti, præcipuè quantum ad ea, quæ communiter in Eccleſia ſolemnizantur, & proponuntur.* Sed hæc auctoritas D. Tomæ tantum loquitur de myſterijs Incarnationis, vt patet ex contextu, quæ iam ſupra diximus eſſe explicitè credenda, & maximè ea, quæ in ſymbolo continentur.

Quatuordecim articulos eſſe ex præcepto credendos alij docent.

37 Tertia ſententia docet, fideles ex præcepto divino teneri ſcire quatuordecim articulos in puerorum catechiſmo, vulgari idiomate excuſſo, contentos: ſeptem pertinentes ad naturam divinam, & alios ſeptem pertinentes ad naturam humanam aſſumptam, & mirabili nexu cum verbo coniunctam. Et rationem tradit Sanchez: quia Eccleſia hos ſolemniter celebrat, & ex ſymbolo Nicæno, & Apoſtolico elicitos ſic diſtinctè proponit, quaſi ab omnibus explicitè credendos, vtpotè prima fidei rudimenta. Ita Sanchez loc. cit. num. 6. referens Armillam verbo *Credere*, Vazq. 1.2. quæſt. 76. artic. 2. diſput. 121. cap. 2. num. 2. Toledo lib. 4. Summ. cap. 2. num. 9. Ledeſmam tom. 2. tract. 1. cap. 2. concluſ. 5. & alios. Vnde ex conſequenti docet, non teneri fideles maximè ruſticos communionem Sanctorum explicitè credere; tum, quia in fidei articulis non continetur; tum, quia ita eſt difficilis cognitu, vt vix docti eam plenè aſſequantur.

Vera ſententia docet tantum articulos ſymboli eſſe ex præcepto credendos.

38 Quarta denique ſententia, & nobis vera, ait teneri fideles explicitè tantum credere omnes fidei articulos, prout in ſymbolo Apoſtolorum continentur, & hoc ſufficere, vt præcepto credendi plenè ſatisfaciant. Et probatur primò: quia vt colligitur ex D. Auguſtino lib. de Fide, cap. 1. & ſerm. 191. de Tempore ex D. Cyrillo Catecheſi. 5. & D. Leone ſerm. 11. de Paſsione. Apoſtoli omnes hoc ſymbolum in duodecim articulos diſtinctum ediderunt, vt fideles ſcirent, quæ ab eis erant neceſſario credenda, vt ait D. Auguſtin. ſermon. 181. de Tempore, his verbis: *Apoſtoli certam regulam fidei tradiderunt, quam ſecundum numerum Apoſtolorum duodecim ſententijs comprehenſam ſymbolum vocaverunt, per quam credentes catholicam tenerent vnitatem, & hæreticam convincerent pravitatem.* Ergo cum non poſsimus dicere Apoſtolos in hoc erraſſe, aut diminutè proceſiſſe, cum ſpiritu divino repleti hæc tradiderint; tenendum eſt prædictos articulos eſſe neceſſario credendos, & ſufficere hoc ad præcepti divini adimpletionem. Deinde adultus non baptizatur, vt conſtat ex cap. *Ante baptiſmum*, & ex cap. *Baptizandos*, quin ſymbolum Apoſtol. ſciat ſimiliter nec ad Sacramentum Pœnitentiæ, ex cap. *Deus qui*, *de Pœnitent. & remiſſion.* nec ad matrimonium admittuntur, qui illud ignorant: ergo, quia ſymbolum ex præcepto ſcire tenemur. Præterea: Ex myſterijs, quæ in ſymbolo continentur, certum eſt apud omnes, teneri fideles aliqua ſcire: ergo & omnia; cum non conſtet dari ſpeciale præceptum, quo ad aliqua, & non quo ad omnia. Hanc ſententiam docent Gabriel in 3. diſtinct. 25. quæſt. vnica artic. 2. poſt 5. concluſ. Caſtro lib. 1. de iuxta hæret. punit. cap. 9. col. 5. Aragon 2. 2. quæſt.

quæst.2. artic. 6. Bañez ead. quæst. art. 8. Valentia 2.2. disput.1. quæst.2. punct.3.concl.2. Sayr. lib.2. cap.9. num.15. Coninch disp. 14. dub.10. concluſ.2. num.188. Suarez disp. 13. ſect.4. Bonacin. diſp.3.quæſt.2. punct.3. n.13. Fagundez tom.2. tract.22.cap.2. num.34. Palaus tract.4. diſput.1. punct.10. num. 3.

Aliquo modo conciliari poſſunt ſententiæ vltimæ.

39 Sed ſi verum fatear, credo tertiam, & quartam ſententiam parum inter ſe differre, vt optimè notant Salm.diſput.6.dub.2.num.110. plures referens Scholaſticos pro hoc modo dicendi; imo & idem videtur aſſerere D.Thom. 2.2. quæſt.1. artic. 8. vbi enumerans primò quatuordecim articulos fidei; ſeptem ad diuinitatem pertinentes, & alios itidem ſeptem ad humanitatem Chriſti pertinentes: ſtatim ait: *Quidam tamen diſtingunt duodecim articulos fidei, ſex pertinentes ad diuinitatem, & ſex pertinentes ad humanitatem.* Et eos explicans, nec approbat, nec improbat expreſsè alterutram ex his ſententijs: vnde videtur concedere inter ſe coincidere. Quare plures ex Auctoribus pro tertia relati, aſſerunt fideles teneri credere explicitè duodecim articulos, qui in ſymbolo continentur, vel quatuordecim, qui in catechiſmo parvulorum numerantur. Et expreſsè ita ſentiunt Azor lib. 8. Inſtit. Moral. cap.5. & cap.6. quæſt.4. Navarr. lib. 5. conſil. tit. de Pœnit. & remiſ. conſil.6.quæſt.1.& Fagundez lib.1. cap.2. num.30. qui conciliat articulos ſymboli, & catechiſmi, dicendo: *Quia remiſsio peccatorum, & carnis reſurectio, quæ videntur alicui deſiderari in* 14. *articulis, in illis etiam reperiuntur: remiſsio peccatorum in articulo, in quo Deus dicitur ſalvator; carnis reſurectio, in quo Deus dicitur glorificator, vt bene advertit Sanchez num.*7. Idem tenet Petrus Ledeſma, & addit in explicatione doctrinæ Chriſtianæ, fol. 142. in fine primæ partis Summæ: ad articulum *ſalvatoris*, reduci articulum *Sanctorum communionem.* Circa *Eccleſiam Catholicam* dubitat Fagundez an contineantur explicitè in quatuordecim articulis. Sed Azor loc. cit. ait, quod continetur in articulo, quo Deus dicitur *ſalvator.* Vel ſaltem, vt ait Vazquez eſt adeò patens hic articulus etiam rudibus, vt etſi ſub his vocibus videatur ab eis ignorari, non tamen quoad ſubſtantiam, nimirum dari congregationem fidelium ſub vno capite, ſcilicèt Pontifice, extra quam nemo ſalvari poſsit: & ita quaſi impoſsibile eſſe, credere quatuordecim articulos, quin prius aſſentiatur articulo: *Credo in Eccleſiam Catholicam*, cum ſit fundamentum, quo innititur fides noſtra, & nihil teneamur credere, niſi quod vt credendum Eccleſia Catholica proponit.

Reſpondeò ſentèntijs oppoſitis.

40 Sed, ſi hæc non plenè concordant vtramque ſententiam, facilè poteſt reſponderi rationibus tertiæ opinionis. Et quidem prima de publica horum myſteriorum celebratione nihil convincit: nam alias tenerentur omnes ſcire myſteria Circunſciſionis, Transfigurationis, Adventus, Spiritus Sancti ſuper Diſcipulos, Purificationis, & Præſentationis B.V.Mariæ: cum ergo hæc credere neceſſarium non ſit, nec etiam ex eo quod publicè alia myſteria ab Eccleſia celebrentur, arguitur eſſe ex hoc præcisè credenda. ¶ Nec ſecunda. Nam falſum eſt, quod Eccleſia ea vt credenda proponat. Tum, quia ſymbolum, quod in Hiſpania idiomatè vulgari circumfertur, & quatuordecim articulis comprehenſum à pueris memoriter diſcitur, vulgò que dicitur: *Los Articulos de la Fè*, non eſt toti Eccleſiæ commune, vt rectè obſervat Cardinal. de Lugo diſp. 13. ſect.4. num.3. & ex ipſo Prado cap.7.quæſt.6. num. 8. N. Salmantic. num. 108. Sed tantum eſt in vſu apud Hiſpanos. Catechiſmus vero Romanus ad Parrochos editus iuſu Concilij Tridentini, & Pij V. & alter à Bellarmino iuſu Clementis VIII. compoſitus pro pueris inſtruendis tam Romæ, quàm alibi, ſolum continent ſymbolum Apoſtolorum duodecim articulis comprehenſum: ergo falſum eſt, quod ſymbolum quatuordecim articulos continens, & apud Hiſpaniam vſitatum, ab Eccleſia, vt ab omnibus credendum proponatur. ¶ Ad vltimam de *communione Sanctorum*: dicimus hunc articulum etiam reſpectu ruſticorum non eſſe creditu, & ſcitu difficilem: nam licet ſub his vocibus forte non cognoſcant, at ſub alijs illum ſufficienter, & quoad ſubſtantiam capiunt; cum nullus adeò ruſticus ſit, qui non exoptet, quod alij pro eo orent, & qui, Sanctorum interceſsionem valdè apud Deum valere, non ſciat, vt patet experientia: nam quotidiè eorum interceſsionibus ſe, ſuas que res commendant. Ex quibus ſatis deducitur, quemcunque hominem, etſi ruſticum prædicti articuli ſubſtantiam ſcire, & credere.

Referuntur articuli ſymboli Apoſtolorum.

41 Quapropter hic libet proponere pro maiori claritate articulos ſymboli eo ordine, quo in ipſo continentur.

Primus eſt. *Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem, creatorem Cœli, & Terræ.*

Secundus. *Et in Ieſu Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum.*

Tertius. *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus eſt Maria Virgine.*

Quartus. *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.*

Quintus. *Deſcendit ad inferos, tertia die reſurexit à mortuis.*

Sextus. *Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.*

Septimus. *Inde venturus eſt iudicare vivos, & mortuos.*

Octavus. *Credo in Spiritum Sanctum.*

Nonus. *Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.*

Decimus. *Remiſsionem peccatorum.*

Vndecimus. *Carnis reſurectionem.*

Duodecimus. *Vitam æternam.*

Virginitas B. V. Mariæ eſt ex præcepto credenda.

42 Sed pro maiori intelligentia ſymboli, oportet quædam dubiola reſolvere. Quæres ergo primò circa tertium articulum, an ſit neceſſarium neceſsitate præcepti credere *Chriſtum natum ex Maria Virgine.* Non eſſe neceſſarium explicitè credere Chriſtum natum ex Maria Virgine, hoc eſt, quod permanſerit virgo tam ante partum, in partu, quàm poſt partum tenent, maximè quo ad ſecundam partem Azor lib.8. cap.6. quæſt.5. Sanchez lib.2. cap. 3. num. 17. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 2. num. 35. Quorum fundamentum eſt; quia

quia hoc esset nimis obligare rusticos, & vulgares homines. Deinde, quia non invenitur expresse traditum in Scriptura, nec scitur fuisse hominibus explicitè ab Apostolis prædicatum. ¶ Sed debere homines explicitè credere *Christum natum ex Maria Virgine ante partum, in partu, & post partum* est omnino tenendum. Tum, quia hoc satis exprimitur in symbolo, quando dicimus: *Natum ex Maria Virgine*, cum enim absolutè eam appellet Virginem, non debemus ea verba restringere ad aliquem statum determinatum, sed potius pro omnibus extendendum. Tum etiam: quia hæc circunstantia maximè commendat excellentiam mysterij Incarnationis Dei Matris; & ideo in symbolo Patrum, & quatuordecim fidei articulis proponitur hoc credendum. Sic Suarez disput. 13. sect. 4. num. 7. Bañez 2. 2. quæst. 2. artic. 8. dub. 2. Coninch. disput. 14. dub. 10. num. 189. Granad. tract. 10. disp. 3. sect. 2. num. 8. Palaus tract. 4. disput. 1. punct. 10. num. 5. Tapia lib. 1. quæst. 2. artic. 5. n. 4. Lugo disput. 13. sect. 4. num. 72. N. Salmant. num. 118. Diana part. 3. tract. 5. resol. 48. Leand. tract. 2. disput. 2. quæst. 24. dub. 1. & alij.

Difficultates patiendi sub Pontio Pilato tertia die resurgéndi, & sedendi ad Patris desteram explicantur.

43 Quæres secundò: An explicitè teneantur fideles credere circunstantiam patiendi sub Pontio Pilato, & tertia die resurgendi? Respondetur negativè: quia hæc parum conducunt ad excellentiam redemptionis generis humani. Sic Oviedo controv. 7. punct. 4. n. 52. Lugo num. 76. Palaus num. 5. ¶ Circa tertiam circunstantiam, scilicèt, quod *Sedeat ad dexteram Dei Patris*, &c. dicendum est esse ex præcepto credendam. Et ratio est: quia his verbis significatur æqualitas gloriæ, quam Christus, vt Deus habet cum Patre, & simul ostenditur illius suprema potestas, vt homo est, in Angelos, & homines, iuxta illud Pauli ad Hebr. 1. *Ad quem Angelorum dixit aliquando, sede adextris meis*; sed hæc gloria, & potestas suprema debet ab omnibus credi: ergo cum explicitè non sit in alis articulis declarata, necesse fuit, quod hic explicaretur, vt necessario ab omnibus crederetur. Sic Bañez loc. cit. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 51. sect. 3. & disput. 13. de Fide, sect. 4. num. 9. Ioan. à S. Thom. in Cutechismo Hispano, Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 2. num. 37. Palaus tract. 4. disp. 1. punct. 10. num. 5.

Tenemur explicitè credere esse crucifixum.

44 Quæres tertiò: An sit necesse sub præcepto credere genus mortis Christi fuisse crucifixionem? Et quidem teneri credere Christum passum, & mortuum pro redemptione generis humani, nullus est, qui dubitet; nam cum debeat Christus credi, vt Redemptor noster, necesse erat credere ad debitam huius beneficij gratitudinem Sanguine, Passione, & Morte sua nos redemisse, cum hæc sint media, & merita per quæ præcipuè nobis contulit salutem. Quare tota difficultas vertitur ad circunstantias assignatas. ¶ Circa crucifixionem ergo, licet pauci hanc tetigerint circunstantiam; tamen iudicamus expresse credendam esse. Tum, quia specialiter hæc excellentia passionis Christi prædicatur à D. Paulo 1. ad Corinth. 1. *Prædicamus Christum crucifixum.* Et ideò ad 17. propositionem ex his quæ decidendæ sunt propositæ Innocentio XI. Pontifici Maximo à Ministris Evangelicis pro conversione Chinarum, & sic se habebat: *Si tenentur Prædicatores Evangelij prædicare in illo Regno Christum crucifixum, & ostendere eius imaginem Sanctissimam; maximè in Ecclesijs nostris, causa huius dubitationis est, quod Gentiles scandelizantur ex tali prædicatione, & ostensione, & iudicant magnam stultitiam?* Sic respondent Patres S. Congregationis de propaganda fide sub prædicto S. Pontifice, qui observandum hoc iusit anno 1645. sub excommunicatione sedi Apostolicæ reservata. *Censuerunt nulla prudentia, aut prætextu differendam esse doctrinam passionis Christi post baptismum, sed omnino præmittendam; ad actualem vero prædicationem Christi crucifixi, licet non teneantur Ministri Evangelici in singulis concionibus, sed ad proponendum verbum Dei, & divina mysteria prudenter, & oportune, & ad illa pro catechumenorum captu explicanda; non tamen à sermonibus passionis Domini nostri abstinere tenentur, ea ratione quod Gentiles inde scandalum sumant, aut stultitiam putent. Censuerunt etiam conveniens esse, vt in Ecclesijs imagines habeantur Christi crucifixi; & ideo curandum, vt quoad oportune fieri potest, exponantur.* Ex quibus satis constat, quam necessaria sit fides explicita crucifixionis Christi. Vnde cum alias contineantur expresse in symbolo hanc explicitam notitiam Christi crucifixi esse necessariam, tenendum est. Sic Coninch disput. 14. dub. 10. num. 188. Lugo num. 78. & ex parte Angelus, Sylvestr. Tabiena, & Armilla apud Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 3. num. 14. asserendo insuper sub mortali debere fideles scire, se signo crucis signare.

Explicitè non est necesse credere Christum esse sepultum, bene vero descendisse ad inferos.

45 Quæres secundò: An teneamur ex præcepto *sepulturam Christi, & descensum ad inferos* explicitè credere? Ad primam partem quæsiti, aliqui dicunt, hanc circunstantiam sepulturæ Christi non esse adeò gravem, & necessariam ad excellentiam mysterij redemptionis, vt sit mortale peccatum eam explicitè non credere; maximè cum novam non ingerat difficultatem credere sepultum, cum mortuum credamus. Ita Lugo num. 82. Palaus num. 5. Fagundez num. 36. ¶ Alij, vt Lorca disput. 23. membr. 1. num. 5. Turrianus disput. 28. dub. 1. in communi docent esse ex præcepto credendos omnes symboli articulos. Nos vero credimus sepulturam esse tantum circunstantiam mortis, & resurectionis Christi, & ideò non adeò necessariam, vt ex illa dependeant articuli mortis, & resurectionis: quare sicut aliæ circunstantiæ articulorum symboli non creduntur ex præcepto graviter obligante, ita dicendum erit de ista. Ita præter supra relatos Medina in 3. part. quæst. 70. artic. 1. ¶ Quo ad secundam partem quidquid velint Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 43. sect. 2. Palaus num. 5. artic. 10. cit. Coninch dub. 10. num. 188. Fagundez lib. 1. cap. 2. num. 35. Granado tract. 10. disp. 3. sect. 3. num. 8. dicendum est ex præcepto teneri credere, descendisse animam Christi ad inferos. Et ratio est,

quia hic articulus, vt ab alijs distinctus, & non præcisè vt circunstantia alterius, ponitur non solum in symbolo Apostolorum, sed etiam in symbolis Athanasij, & Niceno, & in communi catechismo ex quatuordecim articulis composito: ergo vt articulus fidei ex præcepto credendus est; cum ex illo etiam cognoscatur clarius vniversalitas, & redemptionis Christi efficacia, quæ vsque ad inferos penetravit, è manibus tenebrarum, & ex vmbra mortis animas sanctorum eruendo. Sic Medina in 3. part. quæst. 70. artic. 1. Lorca de Fide, disput. 23. membr. 1. num. 20. Bañez 2.2. q. 2. artic. 8. dub. 2. concluf. 2. & §. sequenti. Oviedo de Fide, contr. 7. punct. 4. num. 52. Lugo disp. 13. sect. 4. num. 85. Leander tract. 2. disput. 2. quæst. 24. dub. 3.

§. II.

Annumerantur alia à Christi fidelibus explicitè credenda.

Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ab omnibus sciẽda sunt, reliqua vero quando sunt suscipienda.

46 HVcusque egimus de credendis per se primo ex fidei præcepto; nunc agendum est de his, quæ credenda sunt ex consequenti, & propter operationem. Dicendum ergo primo est teneri fideles credere Ecclesiæ Sacramenta. Et quidem si loquamur de Baptismo, Pœnitentia, & Eucharistia, constans omnium Doctorum sententia est, debere fideles ea explicitè credere. Et ratio est, quia hæc omnia tenentur recipere: ergo & explicitè credere: vnde scire debent eorum virtutem, & dispositionem requisitam ad ea debitè recipienda: quare de baptismo sciendum est, esse necessarium ad salutem animæ consequendam; neminem que sine illo in re, aut in voto susceptо, posse salvari. Deinde, qui in infantia baptizatus est, quando rationis vsum attigerit, tenetur eius effectum, obligationem, quam ex illo contraxit, scire. ¶ De Sacramento Pœnitentiæ habenda est notitia ab omnibus etiam ante peccati lethalis commissionem, quia saltem propter dubium: An illud commisserint? debent ad illud accedere: quapropter tenentur scire hoc Sacramentum esse medicinam contra peccata mortalia post baptismum commissa, ad illud que esse accedendum, præmisso sufficienti examine conscientiæ, cum dolore, & proposito de cætero non peccandi. ¶ De Eucharistia debent etiam habere notitiam sub illis speciebus verum Christi corpus, & sanguinem contineri, nullum que, qui se gravi culpa maculatum senserit, posse ad illam suscipiendam accedere, nisi prius confessionem præmittat. Sic Sanchez lib. 2. Summ. cap. 3. num. 9. Lugo disp. 13. sect. 5. à num. 116. Ledesm. tom. 2. Summ. cap. 2. concluf. 9. Palaus tract. 4. disput. 1. punct. 10. num. 7. Suarez disp. 13. sect. 4. num. 12. Trullech lib. 1. cap. 1. dub. 3. n. 19. De reliquis Sacramentis sentimus, solum teneri ea scire, quando suscipienda sunt, & tunc debent agnoscere cum conscientia peccati mortalis licitè à nullo recipi possæ. Ita Auctores relati, & insuper Grado disput. 3. sect. 2. §. 10. num. 10. Lugo disput. 13. num. 124. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 2. artic. 6. num. 5.

Præceptа Decalogi, & Ecclesiæ, & oratio Dominica scienda sũt sub mortali quoad substãtiam, & sub venia li memoriter.

47 Dicendum est secundò: teneri etiam fideles habere explicitam notitiam præceptorum Decalogi, & Ecclesiæ, & orationem Dominicam, quæ dicitur *Pater noster*. Quo ad præcepta patet; quia vnusquisque tenetur scire legem, in qua vivit, vt eam absque aliquo peccato integrè servet; sed lex Christi continetur in decem præceptis Decalogi, & quinque Ecclesiæ: ergo tenetur illa scire. ¶ Quoad orationem Dominicam affirmant aliqui: quia ex præcepto tenemur Deum orare; sed hanc orationem Christus nos docuit ad Deum exorandum: ergo debemus ea scire. Sic Tapia num. 9. referens Bañez, Ledesmam, & Sanchez. Alij vero docent non teneri illam memoriter scire saltem sub mortali, sed sufficere scire Deum esse orandum, & ab illo esse petenda bona spiritualia, & temporalia. Ita Azor tom. 1. lib. 8. cap. 7. quæst. 5. Villalobos tom. 2. tract. 1. difficult. 4. num. 12. Trullench tom. 1. cap. 1. dub. 3. num. 19. Sed credimus cum Lugo num. 132. N. Salmanticens. loc. cit. num. 120. omnes Auctores si rectè expendantur in idem coincidere, scilicèt teneri fideles omnes scire orationem Dominicam quo ad substantiam, & tantum eam memoriter discere sub veniali obligari, aut si tenentur sub mortali erit ex præcepto Ecclesiastico, vt videtur colligi ex Concilio Toletano 4. cap. 9. & ex Concil. Rhæmensi cap. 2. Sed quia hæc concilia provincialia sunt, nequeunt omnes Christi fideles cogere. ¶ Et quod dictum est de oratione Dominica, proportionabiliter applicandum est salutationi Angelicæ, quæ cum sit modus singularissimus, & instrumentum speciale deductum ex varijs textibus sacræ paginæ, quo B. Virginem tanquam communem totius generis humani advocatam, & opitulatricem colimus, & ob excellentissimam, & planè ineffabilem dignitatem maternitatis Dei veneramur, nequit non sub levi culpa cogere Christianos ea oratione matrem Christi salutare. Ita docent Tapia lib. 1. quæst. 2. art. 6. num. 10. Suarez tom. 2. de Religione, cap. 6. num. 10. Villalobos tom. 2. Summ. tract. 1. difficult. 4. num. 10. Lugo de Fide, disput. 13. sect. 5. num. 134. Layman lib. 2. tract. 1. cap. 9. num. 4. Diana 3. part. tract. 5. resol. 48.

Obligat sub veniali scire se signare signo crucis Et quid de operibus misericordię?

48 Dicendum est tertiò solum sub veniali teneri fideles scire se signo crucis munire. Sic Sanchez loc. cit. num. 14. Trullench num. 19. Azor lib. 8. cap. 6. quæst. 3. Diana 3. part. tract. 5. resol. 48. & Tapia supr. n. 12. qui notat ignorantiam huius consignationis rarò apud Christianos inveniri. Circa misericordiæ opera iudicat Sanchez num. 10. Satis esse si in genere credant patienti necessitatem animæ, aut corporis teneri subvenire. Idem docent Trullench num. 19. Palaus num. 8. Fagundez lib. 1. cap. 2. num. 47. Leandr. tract. 2. disp. 2. quæst. 56. & Tapia num. 11. addit debere scire talia opera in gravi necessitate obligari sub mortali.

Quomodo dicta scire debent fideles.

49 Sed rogabis, quomodo hucusque dicta à fidelibus scienda sunt? Respondetur, quod si loquamur de communi fidelium cœtu teneri sub mortali scire quo ad substantiam symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, &

& Eccleſiæ, & orationem Dominicam; at ea memoriæ mandare eo ordine, quo in catechiſmo puerorum habetur, ſolum obligari ſub veniali. Hæc concluſio duplicem continet partem, & prima ſic oſtenditur, quia omnes fideles tenentur ſub mortali explicitè credere, quæ in ſymbolo continentur, & non operari contra ea, quæ in præceptis prohibentur; ſed implicat quod huic obligationi ſatisfaciant, niſi eorum habeant notitiam, ſaltem quo ad ſubſtantiam: ergo ſub mortali eam debent habere. Ita Ledeſma 2.part. num.4. quæſt. 16. art. 13. & alter Ledeſma tom.2. Summ.tract.1.cap. 2. concluſ. 8. Lopez 1. part. Inſtruct. cap. 41. Azor tom. 1. lib.8. cap. 7. quæſt. 4. & 5. Sanchez lib. 2. Summ. cap. 3. num. 16. Palaus tract.4. diſput. 1. punct. 10. num. 9. Sed quid ſit ſenſus, & ſubſtantia harum rerum? Latè explicant Lugo diſput.13. ſect. 4. à num. 67. & alij, quæ longum eſſet ad vnguem referre. Sufficiat nunc dicere cum Azor, Ledeſma, & alijs, locis citatis, ſat eſſe, ſi fideles interrogati de ſingulis articulis rectè reſpondeat. V.g. myſterium Trinitatis conſiſtere in eo, quod in vna natura divina ſint tres perſonæ diſtinctæ realiter, quæ non ſunt tres Dij, ſed vnus tantum Deus, quin vlterius debeant ſcire, qualiter perſonæ à natura divina diſtinguantur, & aliæ ſubtilitates, quæ Doctorum torquent ingenia: ſimiliter Incarnationem ſitam eſſe in eo, quod verbum divinum ex Maria Virgine carnem aſſumpſerit, & ita Chriſtum eſſe ſimul verum Deum, & hominem conceptum non ex viro, ſed de Spiritu Sancto, natum que fuiſſe ex Maria Virgine ante partum, in partu, & poſt partum: & ſic proportionabiliter dicendum de alijs articulis. ¶ De præceptis Decalogi ſat eſt, ſi ſciant eſſe peccatum mentiri, furari, occidere, mæchari, &c. De oratione dominica ſufficere agnoſcere vniverſa bona, tam animæ, quàm corporis à Deo petenda eſſe, & ab eo nobis provenire. Videantur Azor lib. 8. cap.6. quæſt. 5. Vazq. 2. 2. q. 76. artic. 2. diſput. 121. cap. 2. Bañez 2. 2. q. 2. artic. 8. dub. 2. Sanchez cap. 3. cit. num. 17. Tapia tom. 2. lib. 1. quæſt. 2. artic.5. Sed hic adnotare licet, quod vix credere poſſumus (vt etiam Lugo num. 139. viſum eſt, Sanchez num.18.) eſſe aliquem hominem adeò hebeti ingenio, vt hæc quo ad ſubſtantiam capere non poſsit, quando habent idoneos Magiſtros, à quibus inſtruantur; cum videamus quemlibet, etſi valdè aggreſtem, & obtuſum, alia memoriter retinere, quæ maiorem diligentiam, vt percipiantur, exigunt: quare eorum ignorantia non invincibilis, ſed prorſus vincibilis iudicanda eſt. Curent tamen Confeſſarij non nimis vexare illitteratos diſquiſitionibus non neceſſarijs, & eorum captum ſuperantibus; & contenti ſint, ſi ſciant, quæ ad licitè pœnitentiæ ſacramentum excipiendum, requiruntur.

Scire memoriter quo ad verba materialia obligat ſub veniali.

50 Secunda vero pars quæſtionis, nimirum ſolum teneri fideles ſub veniali memoriter ſcire eo ordine, quo in catechiſmo poſita ſunt myſteria fidei præcepta Decalogi, & orationem dominicam, eſt omnino vera: quia licet Concilium Moguntinum tempore Caroli V. celebratum cap. 46. dicat: *Symbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & orationem Dominicam diſcere ſemper admoneant Sacerdotes populum Chriſtianum, volumus que vt diſciplinam condignam habeant, qui hæc diſcere negligunt.* Et Concilium Torolienſe ſub Carolo, & Papino deſcernat, quod: *Symbolum, & orationem Dominicam omnis Chriſtianus memoriter ſciat; omnis ſexus, omnis conditio maſculi, fœminæ; iuvenes, ſenes, liberi, pueri, coniugatæ, innuptæ que puellæ, quia ſine hac benedictione nullus poterit in cœlorum regno percipere portionem.* Et idem aſſerant Concilium Rhemenſe cap.1. Bracarente ſecundum, & Cabilonenſe cap.46. relata de *Conſecratione, diſt. 4. cap. 20. & ſequent.* & D. Auguſt. lib. de Fide, & ſymbolo à principio. Tamen hæc omnia Conciliorum decreta, etſi rigidè videantur loqui, & ita intelligenda ſint, quo ad memoriter ſciendam ſubſtantiam rerum, tamen quo ad ipſa verba materialia memoriter ſcienda, conſuetudo, ait Sanchez num. 19. iam expoſcit obligationem hanc non tanti eſſe momenti, vt culpam venialem excedat illius tranſgreſsio. Deinde: nam memoria verborum materialium, & ordinis illorum eſt certè materia levis in ordine ad ſcienda, & credenda myſteria fidei, & præcepta Dei, & Eccleſiæ; cum ad hoc ſat ſit eorum ſubſtantiam intelligere: ergo propter illorum ignorantiam non eſt damnandus homo ad lethale peccatum. Ita Navarr. in Summ. cap.11. num.18. in fine num.22. vt leges apud Sanchez & Leandrum. Lopez 1.part. inſtruct.cap.41.verſu *Veniale eſt.* Azor tom.1. lib.8. cap. 7. quæſt. 4. & 5. Suarez diſput. 13. de Fide, ſect.5. num.8. Fagundez lib.1.in Decalog. cap.2. num. 62. Sanchez lib. 2. Summ. cap.3. num.19. Filliuc. tom.2. tract.22.cap.2. quæſt. 3. num.37. Palaus tract.4. diſp.1. punctum 10. num. 8. & 9. Layman lib.2. tract. 1. cap.9.num.4. Leander tract.2. diſput. 2. q.48. & 49. N.Salmantic.tract.17. diſput.6. dub. 2. artic. 119. Tapia tom.2. lib.1. quæſt.2.art. 7. num. 4.

Notantur quædam.

51 Sed licet hæc ita ſint: Nota tamen primò cum Illuſtr. Tapia; quod ordo materialis verborum ſymboli, præceptorum, &c. non eſt contemnendus, ſed enixe procurandus; cum non parum conducat ad ſubſtantiam articulorum memoriter retinendam; & ſi verba memoriæ non mandantur, facilè errare poſſunt illitterati improprijs verbis, aut fortaſſe ſenſum contrarium habentibus vtendo. Et hæc eſt ratio, quare Concilia, & Doctores tam enixe curant, & præcipiunt, quod fideles memoriter diſcant ſymbolum, præcepta Decalogi, & orationem Dominicam. At ſi ille ordo materialis verborum omnino requiratur, vt ſubſtantia myſteriorum fidei, & aliarum rerum ſciatur, ſub peccato lethali obligabit ad ea memoriæ mandanda, & ad amuſsim in ea conſervanda. ¶ Nota ſecundò, non eſſe neceſſarium, quod fideles prædicta memoriter ſciant idiomatè vulgari, ſed præcepto ſatisfaciunt, ſi addiſcant, & referant idiomatè latino, ſi huius ſint conſcij; ſecus vero ſi illud ignorent: quia hoc eſt idem, ac neſcire illa. Ita Bañez 2.2. quæſt.2. artic.8. dub.2. Petrus Le-

desma tom. 2. tract. 1. cap. 2. concl. 8. Sanchez lib. 2. Summ. cap. 3. num. 19. in fine, Azor lib. 8. cap. 7. quæst. 5. Navarro in Summ. cap. 11. num. 18. Fagundez lib. 1. cap. 2. n. 63. ¶ Ex quo sequitur, idem dicendum de eo, qui etsi memoriter ea referat, tamen impolito, & craso saltem modo, non intelligit; quia hoc est ea prorsus ignorare, cum voces non sint propter se, sed propter significationem, & ex se ordinentur ad manifestandum conceptum mentis, quod minimè consequuntur, quando earum significatio non percipitur. Præterea; quia prædicta retinere memoria, ordinatur ad ea credenda, & profitenda; sed memoria retinere, & nihil percipere, nihil deservit ad credendum, vt ex se patet: ergo necesse est vltra memoria retinere, ea saltem craso modo, & quoad substantiam intelligere. Sic Auctores citati, & insuper Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 3. num. 20.

PUNCT. V.

Qualem fidei notitiam debeant habere Sacerdotes, Religiosi, Prædicatores, Parroqui, Episcopi, & alij Ecclesiæ Prælati? Et quomodo examinare debeant pœnitentes circa doctrinam Christianam?

Cognitio fidei explicita non debet esse æqualis in omnibus.

52 HVcusque egimus de rebus ad fidem Catholicam pertinentibus, & quomodo ea scire omnes vtriusque sexus fideles debeant, & sub mortali teneantur; nunc videndum est qualiter Sacerdotes, Religiosi, Parroqui, Prædicatores, & Episcopi ea debeant intelligere. Pro quo supponendum est vt certum, quod Ecclesiastici, saltem aliqui, & Doctores tenentur ad magis explicitam notitiam rerum, quæ ad fidem pertinent, quam laici. Quia revelatio divina pervenit ad inferiores per superiores, nimirum ad homines per Angelos, & ad inferiores Angelos per superiores, vt ait D. Dionysius in Cœlesti Hierarch. cap. 1. & 7. ergo eodem modo explicatio fidei debet pervenire ad inferiores homines per maiores: ergo sicut superiores Angeli, quia inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus divinis, vt inquit D. Dionys. loc. cit. cap. 12. ita superiores homines, qui alios debent eruditè, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere. Sic D. Thom. 2.2. quæst. 2. artic. 6. Aragon ibi, Leandr. tract. 2. disput. 2. quæst. 63. Suarez disp. 13. sect. 6. num. 5. Dixi *Ecclesiastici, & Doctores*, quia plures laici sunt Doctores, & Magistratus, qui (quid quid dicat Suarez) tenentur ad maiorem cognitionem fidei, quam laici: cum ad rectam causarum decisionem, debeant habere notitiam plurium Canonum, & Conciliorum, potestatis Pontificis, &c. quæ absdubio à fidei principijs ortum habent, & dimanant. Vnde excluſa manet hæreticorum cabillus, docentium teneri singulos fideles legere omnem scriptarum, & eam intelligere ad sciendum, quæ credere debeant. Hic enim error confutatur, tum ex dictis: tum, quia vt ait Apostolus ad Rom. 12. *Non omnia membra eundem actum habent.* Et 1. ad Corinth. 12. vers. 17. *Nam si totum corpus oculus, vbi auditus?* Ergo necesse est, quod omnia Ecclesiæ membra non eodem modo scire fidei mysteria teneantur, sed alia se habeant vt pedes, alia vt manus, alia vt oculus, & alia vt caput. Quare D. Gregor. Magn. lib. 2. Mor. cap. 25. ad illa verba Iob. cap. 1. *Boves arabant, & asinæ pascebantur* (vt refert D. Thom. loc. cit. in argument. sed contra.) ait, quod minores, qui significantur per asinos, debent in credendis adhærere maioribus, qui per boves significantur: hoc est, debent minores sine proprio labore pabulo doctrinæ à Magistris, seu maioribus pasci. Valentia tom. 3. disput. 1. quæst. 2. punct. 3. Suarez disput. 13. sect. 6. à num. 2. Lugo disput. 13. sect. 5. n. 144. Palaus tract. 4. disput. 1. punct. 10. num. 11. & Leander tract. 2. disp. 2. quæst. 61. Quare his suppositis videandum est, qualiter maiores in hoc se habere debeant. Pro quo.

Doctrina D. Thom. de scientia fidei necessaria in Episcopis, & Parrochis.

53 Rogabis primò, ad quam fidei notitiam teneantur Sacerdotes simplices, Curati, & Confessarij? Huic quæsito respondet D. Thom. in Supplement. ad 3. part. quæst. 36. articul. 2. in responsione ad argumentum primum, cuius difficultas consistebat in eo, quod vt constat ex Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem Dei requirent de ore eius: ergo ipse debet totius legis habere scientiam.* Cui argumento sic respondet D. Thom. *Dicendum quod Sacerdos habet duos actus: vnum principalem circa corpus Christi verum, & alterum secundarium supra corpus Christi mysticum. Secundus autem actus dependet à primo, sed non convertitur. Et ideo aliqui ad Sacerdotium promoventur, quibus committitur primus actus tantum, sicut Religiosi, quibus cura animarum non committitur, & à talium ore lex non requiritur, sed solum quod sacramenta conficiant: & ideo talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quod ea, quæ ad sacramentum perficiendum spectant rite servare possint.* Hæc D. Thom. quo ad illos, qui mere Sacerdotes sunt. Et loquendo de Curatis, Confessarijs, & Episcopis, sic prosequitur. *Alij autem promoventur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticum: & à talium ore populus legem requirit, vnde scientia legis in eis esse debet: non quidem vt sciant omnes difficiles quæstiones legis, quia in his debet ad Superiores recursus haberi, sed vt sciant ea, quæ populus debet credere, & observare de lege: sed ad superiores Sacerdotes, scilicèt Episcopos pertinent vt etiam ea, quæ difficultatem in lege facere possunt, sciant, & tanto magis, quanto in maiori collocantur.*

Sacerdotes simplices nō tenentur ad magis fidei notitiā, quā laici.

54 Ex quibus oritur primò, Sacerdotes simplices non teneri scire explicitè nisi ea, quæ communiter laici tenentur, exceptis his, quæ ad proprium munus expectant. Et ratio est: quia ex vi muneris sacerdotalis ab eis non exigitur doctrina legis, nec committitur cura ani-

animarum; sed tantum debita administratio Sacerdotij: ergo solum tenetur ad sciendum, quæ alij fideles scire debent, & quæ ad proprium munus ritè, & debitè exequendum sunt necessaria. Ita Lugo disput. 13. sect. 5. n. 149. Leand. tract. 2. disp. 2. quæst. 65. Suarez disput. 13. sect. 6. num. 6. licet num. 5. loquendo de toto ordine Ecclesiastico in illo exigat (sibi non constans, sed potius contrarius) maiorem, magis que explicitam fidei cognitionem præ alijs fidelibus. Sed hoc falsum est; tum ex his, quæ dicta sunt de simplici Sacerdote; tum, quia ad alios tam minoris, quàm maioris ordines debitè recipiendos sufficit, si præter explicitam fidei notitiam sciant linguam latinam, vt docet Tridentino sess. 23. cap. 11. & 13. & nos diximus tract. 8. cap. 5. part. 2. à num. 43. ergo falsum est, quod ab omnibus Sacerdotibus vniversaliter exigenda sit præ alijs sæcularibus maior fidei notitia.

At quã fidei notitiam teneãtur Parrochi, Confessores, & Prædicatores.

55 Secundò oritur, Sacerdotes Curatos, sivè Parrochos, & Confessarios, nec non Prædicatores teneri ad sciendos fidei articulos, saltem iuxta declarationem, quæ est in catechismo præsertim Romano pro Parrochis elicito: hoc est, taliter quod difficultates, in eis communiter occurrentes possint proprijs ovibus declarare, & de eis instruere; alias debite non adimplent munus proprij Pastoris, cum pabulo necessariæ doctrinæ eas non nutrirent. Quapropter Concil. Tridentin. sess. 24. de reformat. cap. 4. vers. *Idem etiam*, & sess. 5. de reformat. cap. 2. præcipit, & admonet, vt omnes curam animarum habentes diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus oves sibi commissas pro earum capacitate salutaribus verbis pascant, & fidei rudimenta doceant, & si in hoc negligentes fuerint, peccant mortaliter, poterunt que ab Episcopis puniri. Sic Petr. Ledesma part. 1. Summ. ad finem in tract. de Doctrin. Christian. Machado lib. 4. part. 2. tract. 3. docum. 2. num. 4. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 1. dub. 4. à num. 7. Vgolim de Offic. Episcop. cap. 16. §. 4. num. 1. & alij, quos sequitur Barbosa de Offic. & potestate Parrochi, part. 1. cap. 15. à num. 1. & de potestat. Episcop. part. 3. allegat. 76. num. 39. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 2. artic. 10. num. 3. Advertunt tamen Ledesma part. 2. Summ. tract. 1. cap. 3. post 7. conclus. Trullench loc. cit. huic obligationi satisfacere Parrochos, si doctrinam Christianam in proprijs Ecclesijs, vel per se, aut idoneam personam doceant, & non teneri ad quemlibet in particuliri instruendum; debent tamen parentes in Domino exhortari, vt filios suos doctrina Christiana instruant, doceant que ea, quæ ad honestè vivendum sunt omnino necessaria. Conclusionem principalem tenent Suarez loc. cit. num. 6. allegans aliqua iuris capita, maximè caput *omnes vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus.* Coninch disput. 14. num. 196. Lugo disput. 13. sect. 5. num. 152. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 3. num. 16. Ledesma tom. 2. Summ. tract. 1. cap. 2. concl. 6. citans Sylvestr. verb. *Confessor.* Filliuc. tract. 22. cap. 2. n. 36. Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 10. n. 11. Barbos. allegat. cit. à num. 42. Tapia loc. cit. qui omnes præfatam doctrinam extendunt proportionabiliter ad Confessarios, & Prædicatores; cum omnes teneantur fideles doctrinam Christianam edocere, & de illa rationem reddere, quod exequi sine maiori mysteriorum fidei cognitione, & scientia, impossibile est.

Quam scientia fidei debeant tenere Episcopi, & aliæ Ecclesiæ Prælati, & Magistri.

56 Tertiò oritur, Episcopos (& idem dicendum est de alijs Ecclesiæ Prælatis, & Sacr. Theologiæ Magistris) teneri non solum scire, quæ hactenus de Parrochis diximus; verum etiam disolvere difficultates, quæ in mysterijs fidei occurrunt, & eos, qui contradicunt arguere, imò & convincere. Quod probatur, tum ex illo Pauli ad Titum cap. 1. *Oportet Episcopum esse iustum, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari, & eos, qui contradicunt, arguere.* Et ex illo epist. 1. D. Petri cap. 3. vers. 15. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe.* Quapropter Concil. Tridentin. sess. 22. cap. 2. de reformat. sic loquitur de scientia eorum, qui ad Ecclesias Cathedrales assumuntur. *Scientia vero præter hæc eiusmodi polleat, vt muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere ideo que antea in vniversitate studiorum Magister, sivè Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico merito sit promotus, aut publico Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos, ostendatur.* His consonant Sacri Canones, & plurima decreta, quæ videri possunt apud Gratianum dist. 23. 36. 38. & septimam Synod. sess. vltim. cap. 2. Et ratio huius illationis est. Quia aliqui debebant esse in Ecclesia, ad quos ex officio pertineret fidem ab hæreticorum fallacijs vindicare, eiusque implexas difficultates resolvere; sed hi sunt Episcopi, vtpotè Apostolorum successores: ergo tenendum est, debere prædicta scientia pollere. Deinde Apostolis dictum est: *Docete omnes gentes*: ergo vt Doctores debent fidem non solum edocere, sed argumentis contrarijs respondere. Quare in eorum consecratione iuramento testantur, se scire novum, & vetus testamentum. Dicta tenent Suarez, disput. 13. sect. 6. num. 7. Ledesma 2. part. Sum. tract. 1. cap. 2. concluf. 7. Lugo disput. 13. section. 5. num. 149. Coninch disput. 14. n. 196. Sanchez lib. 2. Sum. cap. 3. n. 2. Filliuc. tract. 22. cap. 2. num. 36. Leand. tract. 2. disp. 2. quæst. 67. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 1 dub. 3. n. 17. Palaus tract. 4. disp. 1. part. 10. n. 11.

Quædam notatu digna.

57 Sed hic notandum est primò cum Trullench, quod prædicta scientia, & explicita fidei notitia non debet esse in omnibus æqualis, quia ad plus tenentur Episcopi, quam Abbates, & alij minores Prælati, ad plus Pontifex, quam Episcopi, & denique ad plus fidei Iudices, seu Inquisitores, quam alij Magistri. Quare D. Thom. 2. 2. quæst. 2. artic. 6. resolvit fidem explicitam credendorum non debere esse æqualem in omnibus, sed ad mensuram muneris vnicuique commissi; & in supplemento loc. cit. concludit: *Et tanto magis, quanto in maiori, scilicèt gradu, collocantur.* Notandum est secundò cum Coninch num. 201. Palao, & Trullench non esse necesse, quod Episcopus adeò eruditus sit, vt ex tempore possit omnia argu-

argumenta adversus fidem insurgentia resolvere, sed satis esse, si adhibitis diligentia, sufficienti que studio, & peritorum consilio id per se assequi possit. Dixit *per se*, quia si totum hoc consequatur non per se, sed per alios, ait optimè Suarez muneri proprio non satisfacere: quia per se obligantur Episcopi ad eam fidei cognitionem, & perfectionem doctrinæ, quæ iuxta temporum, & locorum oportunitates necessaria est ad suum munus debitè implendum. Asserunt tamen Coninch num. 201. Palaus numer. 11. Lugo num. 150. & ex parte consentit Granad. disput. 13. num. 13. minus doctum, & eruditum posse licitè præferri Doctori, & eligi in Episcopum, si prudentia, & potentia Ecclesiæ necessaria, præcellat: quia in Episcopo præter scientiam requiruntur ad ritè oves guvernandum prudentia; potentia ad adversarijs resistendum; auctoritas que ad subditos compescendos, quæ multoties in Doctis desiderantur; & hac de causa sæpè Doctoribus exclusis ad Episcopatum, alias que dignitates Ecclesiasticas, eliguntur nobiles, & potentes, licet minus docti: quia hi efficacius Ecclesiam ab impugnatoribus defendent, & facilius suppletur defectus scientiæ, quam prudentiæ, & potentiæ carentia: semper tamen asserunt debere habere eam doctrinæ supellectillem, qua possint lucem à tenebris distinguere, & proprij muneris obligationes sine dedecore, vtcumque per se, adimplere.

Si detur ignorantia de Mysterijs necessarijs necessitate medij, neganda est absolutio

58 At pro fine huius puncti rogabis: An Confessarius possit absolvere pœnitentes laborantes ignorantia mysteriorum fidei? Ad quod respondetur, quod si ignorantia sit de mysterijs necessarijs necessitate medij ad salutem; tunc sivè sit vincibilis, sivè invincibilis, nequit pœnitens, nisi prius de illis sufficienter instruatur, absolvi: quia caret medio omnino necessario ad iustificationem, & sine illo prima salus animæ acquiri non potest. Sic Palaus tract. 4. disp. 1. punct. 11. n. 7. Filliuc. tract. 22. cap. 2. num. 42. Trullench lib. 1. in Decalog. dub. 4. num. 2. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 2. art. 10. num. 7. Lugo disp. 13. sect. 5. num. 140. & alij. Videantur à nobis suprà dicta cap. 2. part. 7. num. 19. vbi docuimus, hanc conclusionem esse ad mentem Innocent. XI. damnantis sequentem propositionem, quæ in ordine est 64. *Absolutionis capax est homo quamtunvis loboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Santissimæ Trinitatis, & Incarnationis D.N. Iesu Christi.* At licet ea explicitè ignoret, tamen si illis assentiatur, quando à Confessario proponuntur; ait Trullench, absolvendum esse, si promittat ea postea memoriter, & explicitè scire. Sed capere non possumus, qualiter eliciat actum explicitum fidei circa illa, & tunc ea ignoret, cum impossibile sit credere explicitè, quæ ignorantur: ergo si vt ait prædict. Doctor. illis assentitur, tunc ea non ignorat.

De mysterijs necessarijs necessitate præcepti diversimodè sentiunt Doctores.

59 Si vero ignorantia sit de mysterijs necessitate præcepti credendis, diversimodè sentiunt Doctores. Nam Medina lib. 2. Summ. cap. 7. circa finem, Lopez 1. part. instruct. cap. 27. asserunt denegandam esse absolutionem; nisi pœnitens, limitat Lopez, sit servus, aut æthiops culpa Domini ea nescius: at Ledesma part. 2. Summ. tract. 1. cap. 3. post septimam concluf. Bañez 2. 2. quæst. 2. artic. 8. dub. 2. aiunt, non esse pœnitentem dimittendum, sed instruendum à Confessario, qui, si didiscerit, absolvendus est, sin minus differenda absolutio. ¶ Azor vero tom. 1. Institut. Moral. lib. 8. cap. 8. quæst. vltim. Trullench num. 4. Filliuc. tract. 22. cap. 2. num. 44. Sanchez lib. 2. Summ. cap. 3. num. 22. docent, quod etsi pœnitens laboret ignorantia vincibili, & semel, aut iterum sit admonitus, & negligat addiscere, dum tamen ignorantiæ vere pœniteat, debet absolvi; secus vero si sæpius admonitus adhuc scire neglexerit. Cæterum Filliuc. innuit esse tantum conveniens, ita cum similibus aliquando se gerere Confessarium; non tamen necessarium; maximè habita promissione, quod ea, quam primum addiscent. Et Sanchez docet nunquam, aut rarissimè negandam esse absolutionem ob doctrinæ Christianæ ignorantiam: quia Confessor potest pœnitentes, quamtunvis rusticos sufficienter instruere, & sic instructos absolvere. Sed hoc admittere adeo vniversaliter non possumus; tum, quia ansam præbet negligentibus, vt nunquam addiscant fidei mysteria: tum, quia semper, aut quasi semper verificabitur, quod damnat Innocent. XI. in propositione allegata; nimirum: *Quod absolutionis capax sit homo, quamtunvis laboret ignorantia mysteriorum fidei.*

Propria mẽs declaratur.

60 Quare dicendum est, quod si ignorantia sit invincibilis de mysterijs ex necessitate præcepti credendis, tunc si proponat ea addiscere, absolvendus: at si ignorantia sit vincibilis, & non sit à Confessarijs admonitus, proponat que cum dolore negligentiæ præteritæ ea quam primum scire, poterit absolvi, cum tunc ritè dispositus accedat: quia ex vna parte dolet de peccato commisso, & proponit iterum illud non committere, & alias scientia illorum mysteriorum non est medium necessarium ad salutem consequendam. Cæterum si bis, aut ter à Confessarijs admonitus de obligatione illa mysteria addiscendi, adhuc negligat, & ignoret, differenda est absolutio, donec prædicta sciat. Sic Azor lib. 8. Instit. Moral. cap. 8. quæst. 5. in fin. Sanchez lib. 2. cap. 3. num. 21. Palaus tract. 4. disp. 1. punct. 11. num. 7. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 2. art. 10. num. 7. & Leand. tract. 2. disp. 2. quæst. 69.

Quid agendum cum moribundo ignorãte doctrina Christianam?

61 Rogabis secundò, qualiter se gerere debeat Confessarius cum pœnitente constituto in articulo mortis, aut gravi infirmitate, ignorante mysteria fidei? Respondetur, quod si ignorantia sit de mysterijs necessarijs necessitate medij ad salutem, tunc debet Confessarius ea illi explicare, & curare quod explicitè illis assensum præbeat; neque defatigandus est infirmus, curando ea memoriter addiscere, cum tunc fere impossibile sit; sed sat est, si curet, quod de præterita negligentia doleat, cum proposito tempore oportuno addiscendi. Ita Ledesma tom. 2. Summ. tract. 1. tract. 3. post 7. concluf. vers. *La difficultad es*, &c. Sanchez loc. cit. cap. 3. num. 23. Filliuc. tract. 22. cap. 2. num. 58. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 4. num. 5.

Qua-

Quare instruendus est de mysterijs Sanctiſ. Trinitatis, & Incarnationis, nec non de eo, quod Deus ſit, & remunerator ſupernaturalis. De alijs vero mysterijs neceſſarijs præcisè ex præcepto, inducendus est pœnitens ad dolorem præteritè negligentiæ culpabilis, quin opus ſit de illis eum instruere: cum transgreſſio præcepti ea addiſcendi ſit, ſicut aliæ transgreſsiones, pro quibus ſi adſit dolor, & propoſitum emendæ, non est differenda abſolutio. Videatur Ledeſma loc. cit. Lugo diſp. 13. ſect. 5. num. 143. ¶ Notant tamen Sanchez ex Soto in 4. diſtinct. 6. q. 2. artic. 1. Suarez tom. 3. in 3. part. quæſt. 71. artic. 2. & Valentia tom. 4. in 3. part. diſp. 4. q. 3. punct. 3. Tapia tom. 2. lib. 1. quæſt. 2. artic. 11. num. 2. Aliter agendum eſſe cum adultis baptizandis: hi enim catechizandi ſunt, & instruendi taliter, vt ſciant præcipua capita, & mysteria noſtræ religionis, ne poſt baptiſmum ſumptum allegent fuiſſe deceptos. Quare mortaliter peccabit, qui aliquem ignorantem ſimboli articulos, Decalogi præcepta, & orationem Dominicam extra mortis periculum baptizaverit, vt tenent Sotus, & Sanchez; at crederem, idem dicendum eſſe, ſi neſciat Eccleſiæ præcepta, indiſolubilitatem matrimonij, pluriumque vxorum prohibitionem; cum hæc non parum à baptiſmo ſuſcipiendo Gentiles deterreant. Attamen in mortis articulo ſufficit catechumeno proponere, quæ explicitè credere, ſunt neceſsitate medij ad ſalutem neceſſaria, vt tenet Sanchez loc. citato.

Confeſſor tenetur ſuſcitari doctrinamChriſtianam à ruſticis, & aliquando à nobilibus.

62 Rogabis tertiò: An teneatur Confeſſarius interrogare pœnitentes de doctrinaChriſtiana? Reſpondetur teneri eos, quos probabiliter præſumere poteſt illam ignorare. Et ratio eſt: quia talis ignorantia eſt peccatum mortale; ſed Confeſſarius tenetur interrogare ea peccata, quæ probabile eſt peccatorem commiſiſſe: ergo debet interrogare doctrinam Chriſtianam eos, quos veriſimilè eſt eam ignorare. Sic Vañez 2.2. quæſt. 2. artic. 8. dub. 2. Ledeſma tom. 2. Summ. cap. 3. poſt 7. concluſ. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 8. quæſt. 5. in fine. Sanchez lib. 2. Summ. cap. 3. num. 21. Filliuc. tract. 22. cap. 2. num. 55. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 4. num. 6. Ex quibus inferunt prædicti Auctores, non teneri interrogare doctrinam Chriſtianam perſonis nobilibus, & quæ honeſtè in Civitatibus ſunt educatæ, aut litterarum ſtudio vacant, vel frequenter ad confeſsionem accedunt, cum de his meritò præſumendum ſit eam ſcire. Sed conſulerem, hanc regulam non poſſe accipi adeò vniverſaliter, & cum tanta amplitudine, maximè in his, quos vitijs deditos agnoverit Confeſſarius; hos enim, etſi nobiles, non ſemel doctrinam Chriſtianam interrogare, conveniens eſſe iudico: quia etſi fortè aliquando in pueritia eam didiſcerint, tamen, experientia teſte, decurſu temporis illius obliviſcuntur; tum ob deſidiam ſemel, & iterum eam recitandi, & legendi; tum, quia mentis oculi ex peccatis caligant.

Qualiter pœnitēs examinandus eſt circa doctrinam Chriſtianā.

63 Attamen in hoc vellem Confeſſarium eſſe non minus ſolicitum, quam prudentem: quare cavere debet, ne ſit nimis negligens, aut nimis ſeverus in examinandis pœnitentibus: ſi enim ad primum extremum declinet, de manu eius ignorantia ſubditorum exquiretur; ſi ad ſecundam ſe vertat, pœnitentes deterrentur: Vnde eveniet, quod etſi doctrinam Chriſtianam ſciant, nihil de interrogatis reſpondeant. Curet deinde de ea quærere clarè, diſtinctè, & breviter; quia ſi aliter fiat, pœnitentes allucinantur, & ignorare videntur mysteria, quæ, ſi ab eis aliter ſcincitarentur, abſdubio ea ſcire, cognoſceret. Imo prudens Confeſſor indagare debet mentem pœnitentis alijs verbis, & circumloquijs: vt ſi ab eo quæras, quæ perſona carnem aſſumpſerit? Forte allucinabitur nomine perſonæ, & aberrabit dicendo prima: ſed ſi iterum roges, an filius Dei carnem aſſumpſerit? Proculdubio fatebitur ita eſſe, & hoc credere. Similiter ſi ab eo roges: *Quid ſit, Deum eſſe Salvatorem*, fortaſſe his verbis reſpondere neſcibit: atſi iterum præſcuteris: An ſciat Deum conferre gratiam, peccata que condonare? Reſpondebit, concedendo, hoc ita eſſe: quare non facile iudicandi ſunt pœnitentes doctrinam Chriſtianam ignorare: quia his, aut illis verbis interrogati multoties aberrent; ſed alijs vijs, & verbis eorum ſcientia tentanda eſt. Sic communiter Doctores. Videatur Tapia tom. 2. lib. 1. q. 2. art. 10. num. 8.

PUNCT. VI.

An, & quando teneamur per ſe ex præcepto divino affirmativo ad externam fidei confeſsionem?

POſtquam egimus de actu interiori, & primario habitus fidei, reſtat nunc diſſerere de actu exteriori, & ſecundario, qui in nullo alio conſiſtit, quam in exteriori teſtificatione, aut confeſsione alicuius myſterij fidei; & fides, vt ait D. Auguſt. lib. de fide, & ſymbolo, c. 1. *Officium exigit à nobis cordis, & linguæ.* Cæterum, quia circa illam non leves moventur quæſtiones morales, eis diverſis punctis ſatisfacere curabimus. Sed prius pro reſolutione eorum, quæ deinceps dicenda ſunt.

Externa cōfeſsio eſt actus fidei.

64 Supponendum eſt primò, externam fidei confeſsionem eſſe actum fidei. Quæ ſuppoſitio, præterquam quod eſt expreſſa D. Th. 2. 2. q. 3. art. 1. & communis apud Authores Scholaſticos, & Moraliſtas, ſuadetur ratione tanti Doctoris. Nam actus exteriores ſunt proprie actus illius virtutis ad cuius fines ſecundum ſuas ſpecies referuntur; ſed confeſsio myſteriorum fidei ſecundum ſuam ſpeciem ordinatur ſicut ad finem ad id, quod eſt fidei, ſecundum illud 2. ad Corinth. 4. *Habentes eundem ſpiritum fidei, credimus propter quod, & loquimur*: Ergo eſt proprie actus fidei. Hæc licet ita ſint, non eſt levis difficultas in declarando, qualiter hæc externa confeſsio oriatur ab habitu fidei; ſed quia hoc proprium eſt Scholaſticorum, ad illos remittimus lectorem. Videantur Lugo diſp. 14. ſect. 1. à num. 2.

Arria-

Arriaga disp.21. sect.1. Granados controv.1. tract.11. sect.1. Oviedo controv. 8. punct. 1. Bañez 2.2.q.10. art.1. & alij.

Datur præceptum divinum, & Ecclesiasticum de actu externo fidei.

65 Supponendum est secundò, dari præceptum Divinum, & Ecclesiasticum externæ confessionis fidei. De secundo postea patebit; de primo constat ex illo ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed quod est necessarium ad salutem cadit sub præcepto divino: ergo datur præceptum divinum de externa confessione fidei. Videantur D.Th. art.2. & N. Salm.tract. 17. de Fide, tom. 7. disp. 7. dub. vnic. §. 1.

¶ Tertiò est supponendum, hoc divinum fidei præceptum esse duplex, alterum affirmativum, & negativum alterum: illud præcipit confessionem fidei externam,& violatur omissione, *& non semper* obligat: istud vero prohibet negationem fidei exteriorem, frangitur que actu positivo, & obligat *pro semper*. Rursus vtrumque violari potest expressè per verba, vel virtualiter per facta; & de omnibus agendum nobis est, sed prius de præcepto affirmativo; postea vero de negativo erit differendum. Pro quo

In duplici casu obligat præceptum affirmativū confitendi exterius res fidei.

66 Rogabis primò, quando obliget præceptum affirmativum divinum confitendi exterius fidem Catholicam? Respondetur ex D. Th. 2.2.q.2. art. 2. in duobus casibus obligare: primò, quando per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo. Secundò, quando etiam vtilitas proximi impendenda subtraheretur. Et ponit exemplum, puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alij per eius taciturnitatem averterentur à fide. ¶ Sed nota hic cum Sanchez lib.2. Sum. c. 4. n. 4. & Tapia tom. 2. lib.1. q. 3. art. 5. hanc subtractionem honoris Dei, & vtilitatis proximi non esse mere negativam, qua V. g. quis abstineret à fidei confessione, quæ in Dei honorem, & proximi vtilitatem redundaret; sed debere esse privativam, & contrariam, vt si Deus ignominia afficeretur, vel cessaret Dei honor, vel quando per confessionem alij ad fidem converterentur, aut esset aliquis in periculo fidei negandæ; & hoc damnum proximi impediretur per fidei confessionem: in his ergo casibus subtrahitur propriè tam honor Dei, quàm proximi vtilitas, obligat que *per se* fidei confessionis præceptum. Alios casus proponunt Azor tom. 1. lib. 8. cap. 7. q.7. & Palaus tr.4. disp. 1. punct. 13. art. 6. Sed, vt benè notant Sanchez, & Trullench ad duos à D.Th. assignatos reducuntur, vt consideranti constabit. D. Th. sequuntur omnes eius expositores, & in specie præsentis casus Sanchez, Tapia, Palaus, & Azor loc. cit. Bonac. tom. 2. disp.3. q.2. punct. 3. num.3. Filliuc. tr.22. c.3. q. 1. & alij communiter. Sed pro maiori doctrinæ traditæ intelligentia.

Si quis interrogatus de fide, taceat, peccare mortaliter, alij affirmāt

67 Rogabis secundò: An si interrogatus de fide Catholica, taceas, pecces contra præceptum exterius fidem confitendi? Affirmant aliqui, sivè interrogeris à persona publica, sivè à privata: quia hæc taciturnitas est idem, ac erubescere Evangelium, & subtrahere honorem Dei debitum; sed hoc est peccatum: ergo, &c. Quare D.Augustt.relatus in cap. *Quisquis*, 11. quæst. 3. ait: *Qui metu potestatis veritatem occultat, iram Dei supra se provocat, quia magis timet hominem quam Deum.* Et in Psalm. 115. *Non perfectè credunt, qui quod credunt, nulunt loqui.* Deinde: D. Petrus non fuit interrogatus à persona publica, sed à privata, scilicèt à Caiphæ ancilla, & servis; & tamen negando Christum, peccavit: ergo debemus manifestare nostram fidem à quocumque de ea interrogemur. Vlterius. Nam Christus dixit: *Qui negaverit me coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo.* Ergo, qui non confitetur fidem, sivè interrogetur ab hominibus habentibus auctoritatem publicam, aut privatam, peccat mortaliter. Ita Abulens. in cap. 10. Matth. q. 129. Caietan. 2.2. quæst.3. artic. 2. Sylvestr. verbo *Fides*, quæst.5. Angel. ibi num.8. & alij apud Sanchez num.6.insuper Suarez disput.14. sect. 3. num.6. & Prado cap. 7. quæst.8. num.3.

Alij tenent peccare si sit interrogatus à persona publica, non vero à privata.

68 Alij negant, in tali casu peccare tacendo,si interrogetur à persona privata;secus vero si sit à publica, vt Rege, Præside, aut alia iurisdictionem publicam habente. Et ratio primæ partis est; tum, quia ex quo in prædicto casu aliquis non respondeat, non potest argui, aut præsumi fidem non habere, aut negare, sed potius arguitur despectus interrogantis, & dicere virtualiter. Quid ad te? Quid tua interst? Aut, quid me interrogas? Quis te constituit Iudicem super me? Ergo potest licitè tacere, quando interrogatur à persona privata. Tum etiam: quia ideò, quando Iudex iuridicè non interrogat, reus non peccat, non respondendo; quia interrogatur à persona privata: ergo similiter fidelis non peccat, non respondendo, quando de fide interrogatur à persona privata. ¶ Secundæ partis ratio etiam est clara: quia quando persona publica interrogat aliquem de fide, interrogat iuridicè; sed quando quis interrogatur iuridicè, tenetur respondere: ergo debet tunc palam respondere, & fidem confiteri. Præterea quando fidelis sic interrogatur, magnus honor ex publica confessione in Deum redundat, qui tacendo absdubio subtrahitur: ergo tenetur fidem manifestare. Vltimò, quia præceptum publicè confitendi fidem aliquando obligat, vt manet probatum, & constat ex D. Matth. cap.10. vers.32. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, & qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* Sed nullùm oportunius tempus esse potest ad eam confitendam, quam quando à Tyrano, vel Iudice interrogatur, cum tunc agatur publicum fidei negotium: ergo tenetur manifestare. Et in hoc sensu videtur damnare Innocent. XI. 18. propos. quæ sic se habet: *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem in genere confiteri, vt Deo, & fidei gloriosum consulo; tacere, vt peccaminosum per se non damno.* Sic docent Bañez 2.2. quæst. 3. artic. 2. dub. 1. concluf. 3. Azor tom. 1. Instruct. Mor. cap. 27. quæst. 1. Ledesma tom.2. Sum. tract.1. cap.4. concluf. 6. Sanchez lib. 2. Summ. cap. 4. n. 6. Bonacin. disp. 3. quæst. 2. punct. 3. num. 4. Villa-

Villalob. tom. 2. tract. 1. diffic. 5. num. 5. Trullench lib. in Decal. cap. 1. dub. 7. num. 6. Filliuc. tract. 22. cap. 3. num. 63. & alij communiter.

Conciliantur præfatæ sententiæ.

69 Sed credimus vtramque sententiam veram esse, si non accipiatur vniversaliter. Nam nec certum vniversaliter est omnem, qui interrogatur in odium fidei à persona privata, non peccare mortaliter tacendo, seu fidem publice non manifestando; nec similiter verum est, semper ac quis interrogatur à persona publica, debere fidem confiteri. Ratio primæ partis est: quia vt supra vidimus ex D. Thom. tunc vrget præceptum fidem palam confitendi, quando Deo debitus honor, & proximo spiritualis vtilitas substrahitur; sed aliquando accidit, quod si fidelis interrogetur à persona privata, & taceat, Deo debitus honor, & hominibus vtilitas spiritualis subtrahatur: ergo non est vniversaliter verum, quod si quis in odium fidei interrogetur à persona privata, possit licite tacere. Minor ostenditur exemplis ab Auctoribus contrarijs admissis. Nam si aliquis Christianus captivus fulgens apud omnes, dignitate, doctrina, & virtute interrogetur in odium fidei à persona privata coram alijs concaptivis Christianis, & iste advertat ex eius taciturnitate alios scandalum passuros, & forte in fide vacillaturos, aut defecturos, tenetur publice illam fateri. Similiter si videat nostram fidem à multitudine particularium, etiam ex vulgari turba irridere, & Christianos convitiari, eo quod non audeant confiteri fidem, tenetur publice illam confiteri, & ita fecisse Cordubæ coram Mahometanis irridentibus fidem Christianam S. Martyrem Tandillam refert: Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 3. artic. 5. num. 3. & est doctrina expressa D. Thom. quæst. 3. artic. 2. ad 2. Deinde Petrus interrogatus in domo Caiphæ à personis valde privatis, & ignobilibus, peccavit non manifestando publice fidem Christi: ergo non est vniversaliter verum, quod Christianus interrogatus à persona privata non teneatur fidem publice confiteri. Hæc exempla concedunt Sanch. num. 6. Valentia 2.2. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. dub. 3. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 2. punct. 3. num. 6. N. Salmant. de fide disp. 7. dub. vnic. num. 8. & 9.

Viterius probatur assũptum.

70 Ratio secundæ partis est: quia sicut quando Iudex interrogat vt talis, esto sit secreto, aliquem Christianum de fide, teneatur respondere: quia tunc agitur res fidei, & vt testis illius rogatur, vt docent Sanchez, Trullench, Filliuc. & alij loc. cit. Tamen non semper interrogat Iudex secreto vt talis, sed multoties vt persona particularis, & non re ipsa in odium fidei, sed ad divitias à Catholicis extorquendas: ergo quando sic secreto interrogatur fidelis, non peccabit tacendo; imò poterit respondere: quid tua interst, an sim, nec ne Christianus? Sic tenere debent Sanchez, Azor, Trullench, & quot quot negant vrgere præceptum hoc, quando à persona privata quis interrogatur. Nec in hoc sensu loquitur S. Pontifex, sed tantum quando Tyranus interrogat vt persona publica formaliter talis. Quare dicendum est, quod licet communiter, quando Christianus in odium fidei interrogatur de illa à persona publica, teneatur publice, & clam respondere, & quando interrogatur à privata, possit licite tacere, aut verbis ambiguis illudere; tamen hoc vniversaliter verum non est, sed tantum tenet hæc regula, quando ex carentia talis confessionis, aut ex taciturnitate illius non substrahitur Deo magnus honor, & proximo spiritualis vtilitas, vt ait D. Thom. si enim hæc sequantur, sive interrogetur à persona publica, sive à privata, tenetur Christianus fidem manifestare. Et in hoc sensu credo loqui Auctores pro vtraque sententia relatos, vt legenti constabit. Videantur Suarez de fide disp. 14. sect. 3. num. 36. Lugo disp. 14. sect. 2. num. 39. Granado tract. 11. sect. 2. num. 9. Hurt. disp. 48. §. 20. Coninch disp. 15. dub. 5. à num. 109. Leand. tract. 2. disp. 2. q. 9. & alij apud ipsos.

Rationibus contrarijs respondetur.

71 Ad argumentum num. 67. positum, iam manet probatum, taciturnitatem non tam esse negationem fidei, quàm interrogantis despectum. Nec contrarium convincunt auctoritates præexcelsi Parentis D. Augustini; quia prima loquitur, quando fidelis interrogatur à potestate publica, vt ipsa verba indigitant: secunda vero non agit de præcepto fidei, sed de perfectione fidei, vt ex illa etiam constat, quæ satis diversa inter se sunt. ¶ Ad secundum argumentum respondent N. Salmant. num. 8. Ideo D. Petrum peccasse non confitendo palam Christi fidem, quia fuit interrogatus, & accusatus, licet non à persona habente iurisdictionem, tamen à pluribus, & satis publice in domo Principis Sacerdotum habentis auctoritatem, & vbi causa Christi agebatur: at sub his circunstantijs debuit publice fidem Christianam confiteri. Vel secundò responderi potest, ideò D. Petrum peccasse, non quia tacuit fidem non manifestando, sed quia positive ter negavit Christum, vt patet ex Evangelistis; & valde distinctum est, quod quis interrogatus, taceat, ab eo, quod interrogatus neget: primum non est ab intrinseco, & in omni eventu malum, at secundum semper est peccatum, vt pote prohibitum præcepto negativo fidei, quod *semper, & pro semper obligat.* Ad tertium constat ex immediate dictis, cum Christus dicat: *Qui me negaverit coram hominibus, &c.* Vbi loquitur de positiva negatione, non vero de taciturnitate: rursus dicit: *Coram hominibus,* vbi satis innuit loqui, quando aliquis publice, & à persona publica interrogatur. ¶ Secundæ sententiæ rationes convincunt intentum: quia ea omnia regulariter contingunt, quando quis interrogatur à persona habente publicam potestatem, & sub ea consideratione interrogante; at si contingat non ita sciscitari, sed ob avaritiam, pecunijs que cupiditatem, & hoc sit secreto; credo tunc non peccare fidelem subticendo, aut verbis æquivocis eum illudendo.

Qui vidit sacras imagines calcari debet publica confessione fidem defendere.

72 Rogabis tertiò, an videns imagines sacras calcari, aut Christum contumelijs affici, teneatur fidem publica confessione tueri, & defendere illas ab improperantibus, & sacrilegis? Negat Palaus tract. 4. disp. 1. punct. 13. num.

num.7. quatenus licet concedat, teneri confiteri fidem, si agnoscat hac confessione irrisores esse compescendos; tamen concludit, quod si timeat irrisores ex confessione magis irritandos fore, non tenetur publicè illam manifestare, cùm cesset finis confessionis, nimirum fidei Christianæ promotio; & refert pro hoc modo dicendi Coninch disp. 15. dub.5. num. 93. & 110. ¶ Sed dicendum est cum Aragon 2. 2. quæst. 3. artic.2. dub. 2. post 2. concluf. Manuel Rodriguez in Summ. tom. 1. in 2.editione, cap.119. & in alia cap.197. Sanchez lib.2. Summ. cap. 4. num.5. Filliuc. tract.22. cap.3. quæst. 4. num. 74. Bonacin. tom. 2. disput. 3. quæst.2. punct.3. num.13. Trullench lib. 1. in Decalog. cap.1. dub.7. num. 5. & alijs teneri tunc Christianum ad fidem confitendam: quia in illo casu despicitur fides nostra, & Deo contrariè substrahitur honor debitus: ergo debet fidem publica confessione defendere, & si potest, iniuriam Deo, & sacris imaginibus illatam vi, aut armis propulsare, & repellere.

Aliquando est licitum fugere Tyrani persecutionem.

73 Rogabis quartò, quando, & quibus licitum est fugere Tyranum, ne cogantur confiteri aut negare fidem? Supponit quæstio, aliquando esse licitum declinare examen fidei à Tyrano extorquendum, & fugere persecutorem. Quod constat, tum ex illo Matth. 10. *Cum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam.* Et cap. 24. *Qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.* Tum exemplis tam ipsius Christi, qui Matth. 4. Ioann.10. & 11. Iudæorum sævitiam fuga declinavit; quam D.Pauli, qui, vt ipse refert 2. ad Corinth. 11. volente Damasci Præposito illum comprehendere, per fenestram in sporta dimissus est per murum, & sic effugit manus eius: necnon Protho Parentis N. Eliæ 3. Reg.19. fugientis Jezabel furorem, & plurium Sanctorum iram tyranorum declinantium, vt D. Athanasij, Sylvestri, Blasij, Policarpi, Cypriani, & aliorum plurimorum, vt refert Nicephorus lib. 10. historiæ cap. 10. & 16. Vnde contrariam sententiam Tertulliani negantis esse iustam fugam lib.1. de *Fuga in persecutione*, vt hæreticam fugillant D. Athanas. in Apologia de *Fuga sua*, Nazianzenus, & Cyprianus videndi apud Suarez disput. 14. sect. 3. N. Salmant. disput. 7. num. 12. Lugo disput.14. sect.2. num. 41. nec non Nicolaum Papam relatum in cap. *Scisciteris*, 7. quæst.1. Et ratio est: nam qui Tyranum fugit, potius per se confitetur, quam negat fidem: ergo non peccat: quare si fugere aliquando est peccatum non est ratione fugæ præcisè, sed ratione circunstantiæ occurrentis. Vnde si Apostoli peccarunt fugientes, relicto domino Iesu, hoc fuit, non propter fugam, sed vel ob scandalum, aut virtualem diffidentiam. Videatur Cornel. in capit. 26. Matth. vers. 31. & 56. Quo posito.

Quibus casibus talis fuga sit licita, & obligatoria.

¶ Dicendum est primò, licitum esse fidelibus, imò & teneri persecutorem fugere: primo quando timent, ne possint tormentorum vim sustinere, & ob id cogendi sunt, negare fidem: quia alias peccarent, tentando Deum. Quod colligitur ex cap. *Scisciteris*. Secundò, quando persona est tantæ vtilitatis Ecclesiæ, vt eius vita valdè sit illi necessaria. Ita D.August. tract. 46. in Ioann. & hoc confirmat exemplo D. Pauli, qui se servavit ob fidelium vtilitatem, vt constat ex illo 2. ad Corinth. 11. *Per murum in sporta demissus sum, & sic effugi manus eius.* Tertiò, si cognoscit ita secretè mortem subiturum, vt alijs esse non possit constantiæ exemplum. Palaus punct. 15. num. 3. Quartò, si timet sua morte Tyranum magis irritandum, & sæviendum esse, attrocius Christianos cruciando. Sic docent Suarez disput. 4. sect. 3. à numer. 10. Trullench lib. 1. capit. 1. dub. 7. numer. 14. Palaus tract.4. disp.1. punct.15.n.3. Filliuc. tract.22. cap. 3. num. 76. Leander lib.2. disp. 2. q. 14. & alij.

Quando sit etiam illicita.

74 Dicendum est secundò teneri non fugere, aut non declinare fidei confessionem, quando præsentia illius est necessaria ad fidem promovendam, in ea que inbecilles roborandos: quod confirmari potest exemplo incliti martyris S. Sebastiani, qui aliquando se Christianum esse dissimulavit: at quando vidit in fide Marcum, & Marcellianum vacillari, tunc se prodit, & fidem Christi palam confitens eius exhortatione sic confirmavit, vt *pro Iesu-Christo*, non solum prædicti fratres; verum (vt ait Ecclesia in eius legenda) & *multi se vltro tortoribus offerrent.* Quapropter in hoc, & similibus casibus obligat præceptum illud Christi. Ioann. 1. cap. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Sic communiter Doctores supra relati, & insuper N.Salmanticens. tract.17. disput.7. num. 16. Arriaga disp. 22. de Fide, sect.7. num.55. concluf.5. Lugo disput.14. sect.2. num. 42.

Quid dicendum de Episcopis, & Pastoribus.

75 Sed rogabis: An Episcopi, Prælati, Parrochi, seu Pastores teneantur non fugere, & etiam cum periculo vitæ non dimittere proprias oves? Ante resolutionem supponendum est primò, quod si persecutio sit in solos Pastores, permittant que Tyrani reliquum populum pacificè vivere, poterunt fugere, dum modo sufficienter per alios inferiores ministros populus doctrina salutari occultè pascatur. Ita Coninch disp.15. dub.5. num.95. & Palaus n. 4. quia eorum fuga tunc ovibus non officit; imò & videtur conveniens. Hanc suppositionem amplexus est D. Thom. cap. 10. Ioann. lect.3. his verbis: *Non enim, quia fugit, sed quia dimittit oves, vituperatur; vnde si posset fugere, non dimittendo oves, non esset vituperabile. Contingit enim aliquando, quod quæritur persona Prælati; aliquando totus grex. Manifestum est autem, quod si quæratur sola persona Prælati, possunt alij loco sui ad gregis custodiam deputari, qui vice sui consolentur, & gubernent gregem. Vnde si sic fugiat, non dicitur dimittere oves; & hoc modo, in casu fugere licet.* Secundò supponendum est, posse fugere, Prælatos, vt se in commodius tempus reservent. Nam, vt ait D. Ciprian. epist. 38. *Qui interim cedit, non fidem negat, sed tempus expectat: nam fortè, qui non secedit, negaturus remansit.*

Ex mente D. Thom. decidit quæstio.

76 Quibus suppositis, quæsito sic respondit D. Thom. loc. immediatè cit. *Si autem quæratur totus grex, aut oportet, quod Pastores omnes simul sint cum ovibus; aut oportet, quod aliqui ex eis remaneant, & aliqui recedant.*

dant. Si autem totaliter deserant gregem, tunc eis competit, quod hic dicitur. Vidit lupum venientem, & dimittit oves, & fugit; & lupus rapit, & dispergit oves. Ex quibus constat teneri ex iustitia, & charitate Pastores, saltem necessarios pro defensione ovium, eas non deserere tempore persecutionis: *Nam bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius vero videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Ioann. 10. Quæ verba non vt consiliativa, sed vt præceptiva intelligenda sunt, inducentia que gravem obligationem; quam dilucidè explicat Nicolaus Papa in cap. *Scisciteris*, exemplo nautæ, qui sub mortali tenetur, etiam cum periculo vitæ, tempore tempestatis non deserere navem, sed clavum constanter tenere: ergo si hæc obligatio illos vrget, quando multis imminet damnum temporale, salutis scilicèt corporis; quanto potius vrgebit, quando periclitatur salus spiritualis animæ? Imò hanc obligationem iustissimè, ex charitate saltem, extendunt Doctores ad alios, quorum præsentia ad infirmiores animandos, & in periculo iuvandos est valdè necessaria. Ita Suarez disput. 14. sect. 3. num. 12. Arriaga de Fide, disp. 22. sect. 7. num. 55. N. Salmantic. disp. 7. num. 16. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 7. num. 13. Palaus punct. 15. num. 4. Coninch disp. 15. dub. 5. concluſ. 4. à num. 104. Lugo disput. 14. sect. 2. num. 42. Quos Pastores expediat fugere, quos remanere explicat D. Augustin. epist. 18. ad Honoratum, cuius verba afferunt Salmant. num. 17. quæ, quia diffusa, non transcribimus, & quia apud cit. Patres facilè videri possunt. ¶ Nota tamen cum Lugo loc. cit. & Coninch num. 94. posse licitè Pastores, & Sacerdotes apud Iapones, & Hæreticorum provincias latere, & non se manifestare: quia ita possunt alios instruere, & debiles in fide corroborare, & si se proderent, impedirentur vberes fructus, quos Ecclesia ex eorum institutione percipit, cum statim caperentur, incarcerarentur, & de medio tollerentur. Imò dicendum est cum Suario num. 11. licito posse ecarcere fugere, vt fecit D. Petrus act. cap. 12. & alij innumeri Martyres.

PUNCT. VII.

Qui, & quando teneantur ex præcepto affirmativo Ecclesiastico fidem exterius confiteri?

§. I.

Resolvitur difficultas, quo ad beneficiarios curatos, Canonicos, & Dignitates Ecclesiasticas.

Decreta Tridentini referuntur.

77 AD præceptum affirmativum divinum de externa fidei confessione immediatè subsequitur præceptum Ecclesiasticum etiam affirmativum de eadem fide publicè confitenda; de quo nunc breviter explicandum est, quando, & qui ad illud teneantur, quod aptius præstare non possumus, quam transcribendo decretum Concilij Tridentini, quod sess. 24. cap. 12. de reformatione sic se habet: *Provisi etiam de beneficijs quibuscumque curam animarum habentibus teneantur à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito coram generali eius Vicario, seu Officiali Orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac iurent.* Hæc circa Beneficiatos, & immediatè prosequitur circa Canonicos. *Provisi autem de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur, alioquim prædicti omnes provisi, vt supra fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Hucusque in dict. cap. Concilium. ¶ Sed sess. 25. cap. 2. de reformatione sic prosequitur. *Præcipit igitur Sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs omnibus, qui de iure, vel consuetudine Concilio Provinciali interesse debent, vt in ipsa prima Synodo Provinciali post finem præsentis Concilij habenda: : : : Veram obedientivm Summo Romano Pontifici spondeant, & profiteantur. Idem que in posterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos promovendi in prima Synodo Provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent.* Quod immediatè extendit ad omnes beneficia Ecclesiastica habituros, & ad vniversitates, earumque Magistros, & Doctores. Ex quibus verbis, & ex titulo prædicti Concilij capitis colligunt Doctores professionem fidei ab his omnibus esse etiam faciendam. Nam titulus sic ait: *Professio fidei emittenda est ab omnibus gradum aliquem hic nominatum adepturis, aut beneficium Ecclesiasticum obtenturis, ipsis Vniversitatibus, verbi Dei interpretibus, & Doctoribus.*

Bulla Pij IV.

78 Sed quidquid sit de hoc Pius IV. in quadam constitutione, quæ incipit, *In Sacrosancta*, & in Bullario novo, est in ordine 114. vt refert Barbosa in Concil. sess. 25. cap. 2. de reformatione, cuius tenorem offert Rodriguez tom. 2. qq. regular. quæst. 72. artic. 2. iubet emittere professionem fidei omnes Doctores, Magistros, Regentes, & cuiuscunque facultatis professores. Et S. Congregatio explicuit, comprehendere omnes Magistros Grammaticæ, Arithmeticæ, Musicæ, & aliarum artium, licet hæc non in publicis Scholis, sed in privatis domibus doceant, sub pœna privationis omnium dignitatum, & officiorum, & inhabilitates ad alia in posterum obtinenda, & insuper excomunicationis maioris. Præterea Pius IV. in alio motu proprio, qui est 112. & incipit *Iniunctum nobis*, datum anno 1564. idibus Nobembr. tom. 2. pag. 119. extendit prædictum Tridentini decretum ad omes Prælatos ordinum Regularium, & Militarium. Hæc sunt decreta, quæ de hac materia hucusque edita sunt; qualiter ergo sunt in viridi observantia, videndum nobis est.

Ad fidei profeſsionē tenenturBeneficiarijCurarati intra bimeſtre à poſſeſsionis die.

97 Dicendum ergo eſt, Beneficiatos habentes curam animarum teneri, fidei profeſſionem facere in manibus Epiſcopi, aut eius Vicarij, vel Officialis, intra bimeſtre à die pacificæ poſſeſsionis. Sic Garcia 3.part.de Beneficijs, cap. 3. num. 23. Barboſa de Poteſtate Epiſcop. 3.part. allegat.61.num.12.& in Concil. ſeſſ. 24. cap. 12. num. 14. Palaus tract. 4. diſput.1. punct. 19. num. 3. Bonacin. tom. 2. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 4. num. 1. Ledeſma tom.2. Summ.cap.4.concl.10.Trullench lib.1. in Decalog. cap. 1. dub. 8. num. 1. Hanc que obligationem eſſe ſub mortali, tenent prædicti Auctores, & conſtat; tum, quia eſt præceptum cadens ſupra materiam graviſsimam, ad fideique excellentiam, & proventum, ſatis conducentem. Tum ex pœnis graviſsimis ſub quibus præcipitur. Nomine autem proviſsi de beneficijs, dicunt Barboſa de Poteſtate Epiſcopi, allegat. 61. num.12. Garcia part.4. cap.4. n.20. intelligi Commendatarios aliquarum Eccleſiarum factos ad ipſorum vtilitatem, habentes facultatem diſponendi de fructibus, ſic ſunt verè Beneficiarij; at ſi Epiſcopus illis curam Eccleſiæ præcisè commendat, non tamen providentur de titulo Parrochiali, vt mos eſt in aliquibus Hiſpaniæ provintijs, ait Barboſa loc. cit. & in cap. 12. Concil. ſeſſ.24. ſupra allegato, non teneri profeſsionem fidei emittere. Id etiam tenent Sanchez lib.2. Summ. cap. 5. numer. 1. Palaus num. 3. & Bonacin. num. 9. Nota etiam ex Anton.Ricciul. *de iure perſonarum extra gremium Eccleſiæ exiſtentium*,lib.1. cap.14.prædictum decretum intelligendum eſſe de curam animarum habentibus actualiter, non vero habitualiter: vnde proviſum de Parrochiali, quæ olim habuit parrochianos; ſed nunc non habet, non tenetur fidei profeſsionem emittere. Denique nota, quod ſi quis ratione Doctoratus profeſsionem emiſsit intra bimeſtre, poſtquam beneficium accepit, non tenetur ratione beneficij ad aliam profeſsionem emittendam; quia ſufficienter videtur ſatisfeciſſe intentioni Concilij. Sic Rodriguez tom. 2. quæſt. Regular. quæſt.72. artic.2. Sanchez num.6. Bonacin. num. 6. Palaus num. 8. contra Barboſam de poteſt. Epiſcop. dict.allegat.61. num. 9.

Idem dicendum eſt de Canonicis, & Dignitatibus Eccleſiæ Cathedralis.

80 Dicendum eſt ſecundò,Canonicos Eccleſiæ Cathedralis,& Dignitates illius teneri ad fidei profeſsionem faciendam coram Epiſcopo, & Capitulo, vt patet ex verbis Concilij, quod intelligitur, eſto ſint exempti, aut regulares, cum in eis militet ratio à Concilio intenta; ſcilicèt, quod ab altari, & Eccleſijs hæretici exulent, & abigantur, ac amandentur. Sic Ledeſma tom.2. tract.1. cap.4. concluſ. 10. dub. 5. Navarr. lib.2. conſil. tit. de iure iurando, concluſ.9. Garcia de Benefic. 3.part. cap.3. n. 21. Sanchez cap. 5. num. 2. Palaus punct. 19. n.4. Barboſa allegat.61.iam cit. à n.5. & in ſeſſ.24. Concil. cap. 12. num. 26. & 27. At ſi quando omiſsit fidei profeſsionem coramCapitulo aderat Epiſcopus, non tenetur eam coram illo denuo repetere; quia iam ſufficienter decreto Concilij ſatisfecit. Sic Barboſa dicta allegat. 61. num.17.Bonacin.num.7. Garcia num. 24. SedEpiſcopali Sede vacante debet fieri profeſsio, non ſolum coram Capitulo, verum etiam coram eius Vicario. Ita Barboſa num. 18. in dict. allegat. contra Bonac. §. 2. num. 3. quia per Vicarium, non per Capitulum adminiſtratur iuriſdictio Epiſcopalis, & Epiſcopus melius repræſentatur. Ex quibus oritur, quod minimè teneantur ad præfatam fidei confeſsionem Canonici proviſi in Eccleſijs Collegiatis, nec coadiutores Canonicorum; cum illi non ſint proviſi in Eccleſijs Cathedralibus, nec iſti ſint verè Canonici. Ita Garcia cap.3.n.13. & cap. 5. num. 76. Trullench dub. 8. num. 2. Sanchez lib.2. Summ. cap. 5. num. 1. Bonacina punct.4. §. 1. num. 9. Barboſ. allegat. cit. num.14. & 15. & in concil. num. 25. Palaus num.4.& idem dicendum eſt de beneficijs ſimplicibus, Portionarijs, & alijs Capellanijs in Eccleſia Cathedrali proviſis. Sic cit. Auctores.

Qui culpabiliter omittit fidei profeſsionē,non tenetur iuxta aliquos ad reſtitutionē fructū ante ſententiam Iudicis.

81 Sed rogabis primò: An Beneficiarius, aut Canonicus, qui intra bimeſtre à die pacificæ poſſeſsionis non emittit culpabiliter fidei profeſsionem faciat fructus ſuos, & teneatur in conſcientia ante Iudicis ſententiam eos reſtituere? Prima ſententia eſt negativa, & probatur primo. Nam hoc decretum eſt lex pœnalis; ſed lex pœnalis non obligat ante Iudicis ſententiam, maximè, quando ad ſui executionem aliquam actionem hominis requirit: ergo &c. ¶ Secundò: lex pœnalis benignè interpretanda eſt; ſed verba huius legis, ſcilicèt, quod *non faciant fructus ſuos, nec illis poſſeſsio ſuffragetur* poſſunt interpretari dicendo, intelligi poſt ſententiam ſaltem declaratoriam Iudicis: ergo ita eſt tenendum. ¶ Tertiò. Si Concilium intenderet ommittentem fidei profeſsionem, non faceret fructus ſuos ante omnem Iudicis ſententiam, id declararet, ſicut ſeſſ. 23. de reformation. cap. 1. vbi expreſsè eſſerit non reſidentes ante vllam Iudicis ſententiam teneri ad fructuum reſtitutionem: ergo ſi non fecit, eſt quia voluit, quod eos reſtitueret poſt Iudicis ſententiam. Sanchez dict. cap. 5. num.10. Navarr. conſil. 3. tit. de *Summ. Trinitate*, & conſil. 12. num.1. ſub tit. de *iure iurando*, Palaus tract.4. diſp.1. punct.19. num. 16. Villalobos tom. 2. tract.1. diffic. 6. num.9. Rodriguez tom. 2. qq. regul. quæſt.72. artic.3. Barboſa allegat.cit. num.28.& in Concil.num.33. Trullench lib.1. cap. 1. dub. 8. num. 8. Tapia tom. 2. lib. 1. quæſt.3. art. 12. & alij.

Contraria ſententia eſt verior.

82 Secunda ſententia, & vera eſt affirmativa. Et ſuadetur primò; quia Tridentinum aſſerit proviſos de beneficijs, aut Canonicatibus non facere fructus ſuos: ergo alieni ſunt; ſed fructus alienos, quos quis percepit, tenetur ex iure naturali ante ſententiam vllam Iudicis reſtituere: ergo ita tenendum eſt. ¶ Secundò. Concilium ait: *Illis poſſeſsionem non prodeſſe*: ergo eodem modo ſe habet circa illos, ac ſi poſſeſsionem beneficij non haberent; ſed qui fructus beneficij poſsideret abſque poſſeſsione, aut electione ad beneficium, teneretur ante omnem Iudicis ſententiam illos reſtituere: ergo,&c. ¶ Tertiò. Ratio ſententiæ contrariæ ad eximendum ſimiles proviſos, eſt, quia talis eſt pœna; ſed hæc ratio nulla eſt abſolutè: ergo, &c. Probatur minor ex propoſit. 20. Alexand. VII. quæ ſic ſe habet: *Reſtitutio à*

Pio

Pio V. impoſita Beneficiarijs non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declarativam Iudicis, eo quod ſit pœna. Ergo ex quo ſit pœna, nequeunt tales proviſi eximi ab obligatione reſtituendi. ¶ Quattò. Nam vt diximus tract. 11. cap. 2. punct. 3. §. 2. num. 62. ſunt aliquæ pœnæ, quæ propriè pœnæ non ſunt, ſed inhabilitates ad actum, vt eſt illa, quæ imponitur non recitantibus officium divinum, ſcilicèt, quod reſtituant fructus beneficij pro rata. Similis huic eſt alia, quæ imponitur non reſidentibus in Eccleſijs ſuis, reſtituendi nimirum fructus beneficij iuxta quantitatem temporis non reſidentiæ, & aliæ ſimiles, quæ potius ſunt inhabilitates ad non percipiendos fructus, quam puræ pœnæ: Sed his ſimilis eſt, quam ponit Concil. in caſu noſtræ quæſtionis: ergo, &c. Probatur minor. Nam ſicut in non recitantibus officium divinum Concil. Latereran. ſtatuit ſeſſ. 9. §. *Statuimus*, vt quilibet *habens beneficium cum cura, aut ſine Cura, ſi poſt ſex menſes obtento beneficio officium divinum non dixerit, legitimo impedimento ceſſante beneficiorum ſuorum fructus non faciat pro rata recitationis officij divini, & temporis.* Sic in præſenti Concil. Tridentinum præcipit omnibus profeſsionem fidei omittentibus, quod *fructus non faciant ſuos*: ergo ſicut prima lex eſt inhabilitans ad fructus percipiendos, ita, & ſecunda. ¶ Quintò, vt ait Ledeſma, hæc lex non eſt pœnalis, ſed conventionalis, aut conditionalis; ſed lex conventionalis, aut conditionalis obligat ante ſententiam Iudicis, quando non adimpletur conditio, vt pluribus exemplis demonſtravimus tract. 11. cap. 2. punct. 3. num. 63. & tenent Sanchez, Tapia, Palaus, & alij ibi cit. ergo in caſu poſito in conſcientia ante Iudicis ſententiam beneficiarius, aut Canonicus tenetur non adimpleta conditione profeſsionis fidei ad reſtituendos fructus beneficij. Sic Azor tom. 2. lib. 7. cap. 2. quæſt. 1. Garcia cap. 3. num. 45. Vgolinus de Poteſt. Epiſcop. cap. 1. §. 16. num. 4. Ricciul. dict. cap. 13. num. 43. Ledeſma 2. part. Summ. tract. 1. cap. 4. concl. 10. diffic. 1. Villalob. loc. cit. cum noſtram magis fundatam eſſe dicat. Filliuc. tract. 22. cap. 3. num. 97. docens hanc eſſe praxim S. Pœnitentiariæ, & Barboſ. dict. allegat. 61. num. 28. vt patet ex titulo dicti numeri in Summario citatæ allegationis.

Reſpondetur rationibus contrarijs.

83 Ad primum, & ſecundum argumentum ſententiæ contrariæ patet ex rationibus probativis. Ad tertium reſpondetur, ſatis Concilium innuere, imò, & declarare propriam mentem, dicendo, quod *fructus non faciant ſuos*, ſicut declarat, & concedunt adverſarij, in omittentibus recitationem officij divini. Deinde in *cap. Cum ſingula, de Præbendis, in 6.* dicitur, quod conſequens ſecundum beneficium incompatibile cum primo, ipſo iure privatur primo beneficio, & ſi non renuntiet, redditur inhabilis ad alios ſuſcipiendos. *Et in cap. Licèt Canon. de elect. in 6.* dicernitur, quod habens beneficium Curatum, ſi intra annum non ordinetur Presbyter, ſit privatus beneficio. Et in Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 2. de Reformatione, dicitur, quod electus in Epiſcopatum, eo privatus maneat, ſi intra tres menſes munus conſecrationis non ſuſceperit: & tamen in his omnibus iuxta communem ſententiam, non requitur Iudicis ſententia declaratoria, ſed ſine illa tales pœnæ incurruntur, eſto talia decreta id non explicent, vt agit Concil. in loco nobis obiecto: ergo non eſt argumentum efficax ad negandum hanc pœnam, aut quaſi pœnam ante Iudicis ſententiam incurri, quod Legislatores id non expreſſerint.

Extenditur doctrina ad eos, qui inculpabiliter omittunt.

84 Sed quid dicendum, quando ſimiles proviſi inculpabiliter omitterent fidei confeſsionem? Ad quod reſpondet Barboſa plurimis Auctoribus cit. dicta allegat. num. 29. non teneri fructus dare ante Iudicis ſententiam, quia qui ſine culpa aliquid facit, vel omittit, non meretur pœnam; ſed hic ſine culpa omittit: ergo non meretur pœnam. Ita Auctores relati num. 81. & conſequenter ad prædictam doctrinam. ¶ Sed credimus, quod etſi inculpabiliter quis omittat fidei confeſsionem teneri ad fructus reſtituendos. Tum, quia rationes à nobis ſupra allatæ, ſi veræ ſunt, probant de omni omiſsione, ſive culpabili, ſive inculpabili, vt intuenti conſtabit. Tum etiam, quia pœna conventionalis, ſeu inhabilitantes, procedunt vniverſaliter, nec fundantur in præſumptione culpæ, vt liquet in exemplis numero antecedenti allatis. Vnde ſi aliquando prærequirunt culpam, vt videtur aſſerere Concil. Lateran. ſup. citatum, & docuimus tract. 16. cap. 2. num. 51. hoc eſt ex Eccleſiæ benignitate, & non quia ſimiles pœnæ ex ſe id exigant: ergo ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter proviſi de beneficijs curatis, aut Canonicatibus intra bimeſtre à die pacificæ poſſeſsionis publicam fidei profeſsionem non emiſſerint, non faciunt fructus ſuos, ſed ante omnem Iudicis ſententiam etiam declaratoriam tenentur reſtituere. Ita Ledeſma 2. part. tract. 1. cap. 4. concluſ. 10. difficult. 2.

Adimpleto bimeſtri, incipit obligatio reſtitutionis.

85 Ex quibus oritur primò, omittentem fidei profeſsionem teneri reſtituere fructus omnes à die adimpletionis bimeſtris, vſque ad diem, quo illam emittat. Et ratio primæ partis eſt; quia intra bimeſtre non eſt in mora culpabili: ergo ſolum tenetur reſtituere fructus poſt illos duos menſes perceptos, non vero antea obtentos. Sic Garcia cap. 3. num. 31. Barboſa dict. allegat. num. 23. Palaus punct. 19. num. 14. Sanchez num. 10. Ratio ſecundæ eſt, quia de aliquibus fructibus debet decretum Concilij verificari: ergo ſi non de perceptis in illo primo bimeſtri debet ſaltem de alijs poſtea perceptis. Quod verum eſt, ſi à pacifica poſſeſsione incipit reſidere, quia ſine illa reſidentia nullos fructus, nec diſtributiones percipere poteſt. Sic Auctores citati. Imò nec Capitulum eum pro præſenti habere poteſt. Ita S. Congreg. teſte Garcia num. 51. ¶ Oritur ſecundò, quod ſi profeſsio fiat poſtquam aliquibus menſibus fuit in mora culpabili, nihil prodeſt ad fructus temporis præteriti quærendos, benè autem temporis futuri. Et ratio eſt, quia quæ ex iure ſemel deperduntur, ipſo iure iterum quæri non poſſunt, vt dicitur in *cap. Quam periculoſum, 7. quæſt. 1. leg. Qui res,*

res, §. Aream, ff. de solut. Ergo licet illa professio habilitet ad decurrendos fructus percipiendum; non tamen ad præteritos recuperandos. Ita Barbos. num. 23. cit. Sanch. lib. 2. cap. 5. num. 5. Tapia loc. cit. art. 10. num. 5. Palaus num. 14. Ledesma loc. cit. difficult. 3. Azor tom. 2. lib. 7. cap. 2. quæst. 4. & 5. & alij.

Non annullatur titulus nec deperduntur distributiones quotidianæ.

86 Oritur tertiò. Sic omittentes non deperdere titulum beneficij. Tum, quia Concil. de hoc nihil loquitur, & verba prohibitiva in riguroso sensu sunt accipienda: ergo, &c. Tum etiam, quia solum loquitur, quod possessio non proficiat ad fructus percipiendos: ergo ita intelligendum est, & non vlterius extendendum. Vnde titulus, & possessio beneficij validæ sunt, & consequenter Canonicus habet vocem in capitulo, lucratur alios fructus, proventus, si qui sunt, & distributiones quotidianas. Imò, & in ordine ad titulum suffragari illi possessionem, & regulam Cancellariæ de trienali possessione, licet non quo ad fructus ex S. Congregatione, pluribus relatis docet Barbosa allegat. 61. num. 26. & 30. cui adhærent Palaus num. 15. Sanchez num. 9. Tapia art. 11. num. 4. Azor cap. 2. quæst. 7. Garcia num. 60. Trullench cap. 1. dub. 8. num. 9. Bonac. §. 3. num. 2.

Professio fidei obligat etiam transacto bimestri.

87 Rogabis secundò: An qui fidei professionem intra duos menses non fecerit, obligetur ad eam emittendam, quam prius possit? Et ratio dubitandi est, quia Concilium assignat tempus duorum mensium ad implendam hanc obligationem: ergo sicut præceptum ieiunij, quia assignatur pro determinato die, eo transacto non obligat, ita nec obligabit præceptum emittendi fidei professionem. ¶ Sed dicendum est, tale decretum obligare ad emittendam fidei professionem etiam post duos menses. Et ratio est, quia tale bimestre non assignatur ad finiendam, sed ad non differendam obligationem. *Ex cap. Cum dilectus*, & ibi *Abbas num.* 12. *de dolo, & contumacia, & leg. Celsus, ff. de recept. arbitr.* Ergo eo transacto tenetur ad fidei professionem. Et patet exemplo illius, qui omisit votum ingrediendi Religionem intra annum, qui si in illo non ingreditur, debet curare postea eo transacto eam ingredi: ergo, &c. Ita Navarr. in lib. 2. consil. tit. *de iure iurando*, consil. 11. in additione nova eiusdem, vt referunt Barbosa allegat. 19. & Ledesma loc. infra citando. Sanchez num. 5. cap. 5. cit. Garcia dict. cap. 3. num. 29. & 30. Barbosa dict. allegat. num. 22. & in Concil. num. 22. Ledesma 2. part. Summ. cap. 4. conclus. 10. diffic. 3. Palaus punct. 19. cit. num. 2. & alij. Ad rationem dubitandi, dicimus obligationem ieiunij esse propriam illius diei: quare eo transacto, non vrget; ad nostri casus obligatio non limitatur ad bimestre, & ita non cessat eo transacto, sed durat vsque ad executionem professionis. Forma, qua dicta professio fidei emittenda est, traditur à Pio IV. constitutione, quæ incipit *iniunctum*, & referunt Quaranta in Summ. Bullar. verbo *Fidei professio*. Francisc. Leo in Thesauro fori Ecclesiast. c. 2. c. 10. num. 23. & Lavor. variar. Lescubrat. tom. 1. tit. 4. cap. 16. num. 41. quam infra dabimus.

§. II.

Quid dicendum de alijs Prælatis Superioribus, & Inferioribus, ac Magistris: & an possit fieri talis fidei professio per Procuratorem?

Archiepiscopi, Episcopi, &c. tenentur elicere actum fidei.

88 QUæres primò: An Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi electi teneantur emittere fidei professionem? Respondetur affirmativè ex Concil. Tridentino sess. 25. cap. 2. de reformatione, vbi præcipitur, quod emittant fidei professionem in prima Synodo Provinciali, sicut dicunt verba supra relata num. 77. Et quantum ad Episcopos extat Bulla Gregor. XIV. quæ incipit: *Onus Apostolicæ servitutis*, data ann. 1591. die 15. Martij, præcipiens illis hanc fidei professionem, cuius iuramenti forma traditur in Pontificali Romano iusu Clementis VIII. editi. Vbi dicitur teneri præmittere illud in manibus Episcopi, cui per S. Pontificem, aut eius Nuntium, vel Legatum fuerit commissum. Bonac. dicto punct. 4. §. 1. n. 5. Tapia quæst. 3. cit. artic. 10. num. 2. Trullench capit. 8. num. 1. Sanchez cap. 5. num. 1. Barbosa allegat. 61. cit. num. 4. & alij.

Extenditur obligatio ad Prælatos Regulares, vbi est in vsu.

89 Quæres secundò: An Prælati regulares teneantur ad hanc fidei professionem emittendam? Plures refert, & sequitur Barbosa loc. cit. num. 7. illud affirmantes ex constit. supra cit. Pij IV. quæ incipit *iniunctum*. Sed Villalob. in Summ. tom. 2. tract. 1. diffic. 6. num. 3. Sorb. in Compendio Privileg. Mendic. verbo *Professio fidei*. Tambur. de iur. Abbat. tom. 1. disp. 8. quæst. 3. num. 3. Diana part. 3. tract. 2. resolut. 78. Sanch. cap. 5. num. 3. Tapia art. 10. num. 7. Palaus punct. 19. num. 5. docent non teneri, maximè in Religionibus, in quibus non est in vsus. Et Sorbus citat. ait, ita declarasse S. Congregationem, & viros doctissimos à se consultos; quia prædicta constitutio, quo ad hoc recepta non fuit, vel contraria consuetudine abrrogata. Esto Ledesmæ cap. 4. cit. concluf. 11. hoc displiceat, doceat que omnes Religiosos Prælatos eam tenere observare, cum talis lex, iuxta, sancta, valde que rationi sit consona. Sed in hoc credimus consuetudini standum esse.

Doctores, & Magistri tenentur ad eam publicè eliciendam.

90 Quæres tertiò: An Doctores, & cuiuscumque artis liberalis professores, & lectores in quibusvis gymnasijs publicis debeant fidei professionem emittere? Respondetur affirmativè ex decreto Pij IV. quod incipit: *In Sacrosancta*, in bullario novo in ordine 114. & in bullario Cherub. tom. 2. pag. 94. const. 88. cuius verba ad vnguem referre, vtpote non parum necessaria ad conscientiæ, remorsus tollendos oportunum iudicavimus, quæ sic se habent: *Idcircò hanc fidei puritatem scientijs, doctrinis que quibuslibet, tum tradendis, tum addiscendis, tamquam necessariam basim constituere, & ne simplicia non nullorum adolescentium, res novas audiendi cupidorum, ingenia in naufragos blandientium hæresum scru-*

pu-

pulos imprudenter impingant occurrere cupientes; motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod deinceps nullus Doctor, Magister, Regens, vel alius cuiuscumque artis, & facultatis professor, sive clericus, sive laicus, ac sæcularis, vel cuiusvis Ordinis regularis sit, in quibusvis Studiorum generalium, Vniversitatibus, aut Gymnasijs publicis, aut alibi ordinariam, vel extraordinariam lectoris Cathedram assequi, vel iam obtentam retinere, seu alias Theologiam Canonicam, vel civilem censuram, Medicinam, Philosophiam, Grammaticam, vel alias liberales artes, in quibuscumque civitatibus, terris, oppidis, ac locis etiam in Ecclesijs, Monasterijs, aut Conventibus Regularium quorumcumque, publicè, vel privatim quo quomodo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere, vel exercere.

Nec Doctores ipsi, aut Vniversitatum, seu Gymnasiorum eorundem Rectores, Cancellarij, vel alij Superiores, sed nec etiam Palatini Comites, aut alij particulares facultatem eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam à nobis, & Apostolica Sede, vel alias vndecumque habentes, scholares, tam laicos, quam Clericos, & cuiusvis Ordinis regulares, vel alios quoscumque, quantalibet eruditione præditos, ad vllum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere, & admittere.

Nec Doctores, Magistri, & Scholares, ad electionem alicuius, in Rectorem, vel Cancellarium Vniversitatis, aut Gymnasij procedere: Nec ipsi Scholares, vel alij quantumlibet docti, & alioqui habiles, gradus huiusmodi, vel eorum aliquem palam, vel privatim, recipere valeant, nisi Doctores videlicet, ac Regentes, Magistri, & alij professores tam ad Cathedras, & lecturas recepti in Italia infra tres, extra vero illam infra sex menses à die publicationis præsentium computandos, reliqui vero ad Cathedras, & alias lecturas ibidem in posterum assumendi ante illorum receptionem, in Rectoris, vel aliorum Superiorum, eligendi autem in Rectores, vel Cancellarios ante illorum electionem, vel saltem admissionem in Ordinarij loci, vel eius in spiritualibus Vicarij. Ac promovendi Scholares, & alij præfati ante illorum promotionem in eisdem Ordinarij, seu eius Vicarij, aut Doctorum, aliorum ve promoventium manibus, prævio etiam processu, vel debita informatione, quantum eis sufficere videbitur, super Religione, Fide que Catholica, Rectorum, Cancellariorum, Doctorum, Lectorum, & promovendorum eorundem per ipsos locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios rite facta præcedente, eandem Catholicam Fidem, verbis, iuxta formæ infrascriptæ tenorem conceptis palam, & solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu, seu informatione, & fidei professione in privilegio Doctoratus, vel alterius gradus huiusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio, & relatio fieri debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus. Et in sequentibus prohibet omnibus quacumque dignitate etiam Regia, & Imperatoria fulgentibus, vt non permittant aliter aliquem promoveri ad gradus, vel quascumque facultates sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ, quo ad Antistites; at quo ad inferiores sub excommunicatione latæ sententiæ, nec non privationes omnium dignitatum, beneficiorum, officiorum, & fœudorum Ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtendorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda: & insuper omnes promotiones, electiones, &c. secus factas decernit nullas, invalidas que esse, nec cuipiam in iudicio, vel extra suffragari posse. Et in eodem sensu tenent Barbos. dicta alleg. 61. num. 3. & in sess. 25. Concilij, cap. 3. de Reformatione, num. 4. Riccius loc. cit. lib. 1. cap. 13. num. 2. & 9. Garcia cap. 3. num. 4. Palaus punct. 19. num. 6. Sanchez num. 4. (licet errent hi duo Auctores dicendo hanc constit. esse Pij V.) Tapia quæst. 13. art. 10. num. 8. & art. 11. num. 1. Trullench lib. 1. cap. 8. num. 4. Tambur. lib. 2. in Decalog. cap. 1. §. 12. num. 8. Leander tract. 2. de Fide, disp. 5. quæst. 4.

Posse fieri fidei professionem per Procuratorem aliqui asserunt.

91 Vltimò quæres: An hæc fidei professio possit fieri per Procuratorem? Hæc difficultas non levis in hac materia, non solum aliquorum torquet ingenia, verum, & cogit Barbosam, & Sigismundum à Bononia in eius decisione verbis parum dulcibus decertari, imò, & stomachari. Circa quam prima sententia est affirmativa, & probatur, primò: quia communiter vt constat *ex leg. 1. ff. de Procur. cap. Qui per alium. Et cap. Potest quis, de regul. iur. in 6. Quæ per nos metipsos facere possumus, potest, & præstare per Procuratorem, nisi lex, aut Canon aliter decernat*: ergo cum hic nihil in contrarium videatur decerni, iuri communi standum: ergo, &c. Secundò hæc fidei professio nihil aliud est, quam solemne iuramentum: sed vt dicitur *in cap. Tibi Domino, 63. dist. cap. Metuentes.* Vbi Glossa *verb. De præsenti, 17. quæst. 4.* Tale iuramentum fieri potest per procuratorem: ergo. Tertiò professio solemnis in Religione potest fieri per Procuratorem, vt dicunt plures, quos sequitur Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 3. num. 7. & Bartholom. à S. Fausto in Thesauro Releg. lib. 5. quæst. 217. & nos docuimus tract. 15. cap. 4. punct. 1. num. 5. Similiter matrimonium est communis sententia, vt diximus tract. 9. cap. 3. dub. 4. num. 83. & punct. 4. num. 97. posse fieri per procuratorem: ergo idem dicendum est de externa fidei professione. Ita Ledesma, cap. 4. citat. conclus. 10. difficult. 6. Navarr. consil. 11. dict. num. 2. Sanchez cap. 5. num. 7. Suarez de Religione, tom. 2. quæst. 89. disput. 72. Cayetan. 2. 2. quæst. 89. art. 2. in argum. 4. Tambur. de Iure Abb. tom. 1. disp. 8. quæst. 3. num. 11. Palaus tract. 4. disp. 1. punct. 19. num. 10. Azor 2. part. lib. 7. cap. 2. quæst. 6. Barbos. de Potestat. Episcop. allegat. 61. num. 20. & nervosè lib. 1. de Iure Vniver. cap. 21. num. 56. & tract. de Canonic. cap. 17. num. 5. & alij apud ipsum.

Alij è contra negant.

92 Secunda sententia, est negativa, quæ sic ostenditur primo: quia Fidei professio est actus personalis: ergo non per alium præstari potest, Secundò: nam Ecclesia in hoc intendit sub-

ſubditos in fide ſtabilire, & curare, vt capita Eccleſiæ alios ſuo exemplo in fide inſtruant, & confirment; ſed ad hoc valde neceſſaria eſt perſonalis fidei profeſsio: ergo, &c. Denique: quoniam exterior confeſsio eſt ſignum interioris aſſenſus: ergo cum Eccleſiæ Superiores debeant ſicut in alijs in fidei firmitate alijs præcedere, debent huius interioris aſſenſus ſignum per externam confeſsionem omnibus patefacere. Sic Stephanus Gratian. diſcept. forenſ. cap.166.num.22.Ricc.inPraxi,tom.3.reſ.156. Schillante de Obligat. Clericor. part.1. n. 91. Sigiſmundus à Bononia Capuccinus de elect. dub. 50. num. 3. Vgolinus de Offic. & Poteſt. Epiſcop. cap. 50. §. 16. num. 1. Venet. in Exam.Epiſcop. lib.5. cap.44. num.3. Gonçal. in Regul. 8. Cancell. §. 7. Proæm. num.169. Diana part.5. tract.14.reſol.23.Garcia part.3. num.75. & Trullench dub. 8. num.6.

Propia mens aperitur.

93 Inter has duas ſententias mediam eligimus viam, dicendo primam eſſe veram attento Iure Communi, & ſecundam nunc eſſe tenendam attento iure particulari Concilij, Congregationis que Cardinal. eius interpretum. Primam partem inſinuare videntur illius Patroni; cum Barboſa eam defendere curet non abſolutè, ſed vt ipſe ait, *iuris rigorem expectando*. Secundam vero, quam nunc omnes ſequi, & amplecti debent, ſuadent diverſæ S. Congregationis declarationes. Nam Farin. in Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. de Reformat. refert declaratum fuiſſe à S. Cardinalium Congregatione hanc profeſsionem eſſe perſonaliter faciendam.Idem refert additio.ad Navarri Conſilia, conſil. 11. tit. de iure iurando. Nicolaus Garc. num.75. cit. aſſerit ita S.Rotam tenuiſſe in cauſa Carthaginenſi 19. Februarij anno 1588. ſimiliter Diana part. 5. tract.14.reſ.23. refert ita declaraſſe S. Congreg. die 18. Aprilis 1590. teſte Garcia,& ex Barboſa in Sum.Bull. verbo *Profeſsio fidei*,1. §.2. die 12. Septemb. 1620. Ob quas declarationes tenendam eſſe hanc ſententiam ob magnam auctoritatem S. Congreg. ex ſpeciali iuſſu Vrbani VIII. docet idem Diana, & Bellarmin. in Notis ad Concil. cap. 12. num. 7. hæc habet: *Quod iuramentum profeſsionis eſt corporaliter præſtandum, vt tradunt Doctores in cap. Ego N. de iure iurando: vbi Abbas num.6. Plat. lib. 1. deciſ.43. Et ſic oportet profitentem præſentem eſſe, alioquin non poterit dici corporaliter illam profeſsionem præſtare,id eſt coram Capitulo,& Epiſcopo. Plat. dicta deciſ. 43. Profeſsio fidei non poteſt fieri per Procuratorem,Plat.lib.deciſ.77. in dicta Carthaginenſi fructuum dicens, ita fuiſſe reſolutum per Illuſtriſſ. Cardinales interpretes S. Congreg. Trident.* Hucuſque hic purpuratus.

Confirmatur ex Tridentino.

94 Quod confirmatur primò ex verbis Concilij ſeſſ. 24. cap. 12. num. 77. relatis,vbi dicitur: *Ad minus intra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito coram generali eius Vicario, ſeu Officiali Orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſsionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac iurent.* Sed hæc verba ſatis clarè indicant hanc profeſsionem per ſe ipſos facturos: ergo, &c. ¶ Confirmatur ſecundò. Fidei profeſsio ab Epiſcopo debet fieri per ſe ipſum, & non per procuratorem,vt docet Sanchez cap. 5. num. 7. ex duobus viris doctiſsimis à ſe conſultis, & colligit ex verbis Bullæ Pontificiæ committentis certo Epiſcopo, vt prædictam fidei profeſsionem nomine ipſius Pontificis acceptet,quæ ſic ſe habent. *Ne propter hoc ad Sedem Apoſtolicam accedendo perſonaliter, laborare cogatur, volentes parcere laboribus,& expenſis fraternitati veſtræ committimus, &c.* Sed ſi poſſet illam per procuratorem præſtare, non eſſet neceſſe laboribus parcere, aut Pontificem alicui vices ſuas committere, ſed poſſet Epiſcopus per aliquem procuratorem Romanum in manibus Pontificis prædictam fidei profeſsionem præſtare: ergo dicendum eſt Epiſcopos debere per ſe ipſos illam emittere: quare cum Concil. eodem modo loquatur de alijs,quibus hanc imponit obligationem, dicendum eſt, nullum poſſe per procuratorem prædictam fidei profeſsionem facere. Nec deſunt exempla ad hoc confirmandum: nam vt conſtat ex Baldo *in leg.1. ff. de acquirendo rer. domin.* & in cap.2. *de ordin. cognit.* iuramentum fidelitatis in feudis perſonaliter per vaſſallum, & non per procuratorem fieri debet. Similiter in cap. 3. *de Iudic.* in 6. cap. *Vnicum, §. Verum,* & ibi Barboſa num.3. Franch. num. 2. de Statu Regul. eod.lib. Ricciol. cap.13. num.29. dicitur, quod Abbatiſa, quæ ad clauſuram tenetur, ſi Monaſterium feudum habeat, ratione cuius alicui homagium præſtare debeat, & hic nolit conſentiri, vt per procuratorem præſtetur, poterit decenter aſſociata clauſuram deſerere ad illud præſtandum, vt docet Tambur. de Iure Abb. tom.1.diſp.8. quæſt. 3. num. 14. ergo non eſt vniverſaliter verum, quod iuramentum, quod quis per ſe facere poteſt, poſsit, & illud per procuratorem præſtare.

Forma profeſsionis fidei.

95 Sed hic iam expedit formam fidei profeſsionis emittendæ tradere ex Pij IV. conſtit. 88. relata in tom. 2. Bul. Cher. pag. mihi 97. cuius verba ſic ſe habent. *Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei,quo S.R.E.vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM Filium Dei vnigenitum. Et ex Patrem natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine. Deum verum de Deo vero. Genitum non factum conſubſtantialem Patri,per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis,ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare vivos,& mortuos, cuius regni non erit finis. Et Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filio que procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam,& Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor*

teor vnum Baptiſma in remiſsionem peccatorum. Et expecto reſurectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquas que eiuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſsimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto; nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vera, & propriè Sacramenta novæ legis à IESV CHRISTO Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicèt Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illa que gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupra dictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in Sacro Sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio, Profiteor pariter in Miſſa oferri Deo, verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, & realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vna cum anima, & divinitate Domini noſtri IESV-CHRISTI, fieri que converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum CHRISTVM, verum que Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuvari. Similiter, & Sanctos, vna cum CHRISTO regnantes, venerandos, atque invocandos eſſe, eos que orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero imagines CHRISTI, ac Deiparæ ſemper Virginis; nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à CHRISTO in Eccleſia relictam fuiſſe, illarum que vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam matrem, & magiſtram agnoſco. Romano que Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac IESV CHRISTI Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo, tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſsimè Deo adiuvante retinere, & confiteri; atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, & doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac iuro, ſic me Deus adiuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

PUNCT. VIII.

De præcepto Divino negativo fidei; & qui illud tranſgrediantur?

Datur præceptum Divinum prohibens negare exteriùs fidem.

96 HActenus diſputavimus de præcepto affirmativo fidei tam Divino, quam Eccleſiaſtico: quare reſtat hic agere de præcepto negativo Divino, ſub quo non leves latent difficultates. Pro quibus dicendum eſt, dari huiuſmodi præceptum Divinum obligans ſemper, & pro ſemper ad non negandam externe fidem. Quod contra Helceſcitas, Priſcilianiſtas, alioſque hæreticos probatur primo ex cap. 10. Matth. vbi dicitur: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* D. Paul. 2. ad Thimot. 2. *Si negaverimus, & ipſe negabit nos.* Et pluribus alijs locis S. Pag. & SS. Patrum, quæ congerunt Suarez in præſenti diſp. 14. ſect. 1. & lib. 6. ad Regem Angliæ, cap. 9. & N. Salmantic. tract. 17. diſp. 7. dub. vnic. §. 3. & probatur ratione. Quia negare Deo debitum cultum, eſt ab intrinſeco malum; ſed negare exterius fidem, eſt negare Deo cultum debitum vt creatori: ergo eſt ab intrinſeco malum. Deinde. Nam vel fidem exterius negat cum animo interiori, iudicando eſſe falſam, vel ſine tali animo? Si primum, hæc eſt propriæ infidelitas, quæ ab intrinſeco eſt mala; cum ſe opponat veracitati divinæ illam revelanti. Si ſecundum, eſto ſit ob metum, aut acervitatem tormentorum, eſt mendacium graviſsimum contra honorem Dei libere prolatum, cum coactio non tollat libertatem; ſed mendatium eſt ab intrinſeco malum: ergo exterior negatio fidei ſemper eſt ab intrinſeco mala, & peccatum, & conſequenter præceptum Divinum illam prohibens ſemper obligat. Sic Suarez, & Salmantic. loc. cit. Lugo diſp. 14. ſect. 2. Sanchez lib. 2. Sum. cap. 4. num. 1. Fagundez lib. 1. Decalog. cap. 3. n. 2. Palaus tract. 4. diſp. 1. punct. 13. num. 1. & 2. & communiter Doctores. Sed quia negatio fidei poteſt eſſe explicita verbis, aut factis, vel implicita per illicitam occultationem fidei, ideò in hoc puncto agemus de prima, & in ſequentibus de ſecunda.

Qui negat eſſe Chriſtianum, fidem negat.

97 Sed rogabis primò: An neget fidem, qui negaret explicitè ſe eſſe Chriſtianum, aut Papiſtam? Reſpondetur affirmativè; & conſequenter peccaret mortaliter contra præceptum fidei negativum. Et probatur ex D. Auguſtin. tract. 113. in Ioannem, his verbis: *Debemus advertere non ſolum ab eo negari Chriſtum, qui dixit eum non eſſe Chriſtum, ſed ab eo etiam, qui cum ſit, negat ſe eſſe Chriſtianum.* Et ratio eſt evidens: nam qui negat ſe eſſe Chriſtianum,

num, negat se credere in Christum, quia hoc profitetur nomine Christi: ergo negat Christi fidem. Et hoc fuit peccatum triplicis negationis D. Petri, qui præ timore negavit esse Christi discipulum: & ob hanc rationem è contra laudat Ecclesia Sanctos Martyres, qui ne negarent se esse Christianos, constanter tormenta, & mortem pertulerunt. ¶ Sed nota primò, id, quod dictum est de negante se esse Christianum, dicendum etiam esse de eo, qui diffiteretur esse *Papistam*, *Romanistam*, aut *Pontificium*: quia hæc nomina, licet ab hæreticis per contemptum imposita sint, tamen re vera significant fidei Ecclesiæ Romanæ sectatores, & agnoscentes Pontificem vt Ecclesiæ caput. ¶ Nota secundò, nostram assertionem esse intelligendam, quando nomen Christiani, aut Papistæ sumitur vt nomen Religionis, & de illa agitur; non vero quando accipitur, vt nomen nationis; sicut mos est apud Barbaros, Turcos, & Indos, quando gerunt bellum cum Christianis, qui prout hostes illorum sunt, eos nomine conciso, & communi Christianos vocitant; tunc enim negare se esse Christianum non est negare fidem, sed esse illorum hostem. Vtramque partem docent locis citatis Sanchez num.7. & 8. Suarez num. 9. & 10. Palaus n. 3. & 4. Fagundez num.6. Trullench lib.1. cap. 1. dub.7. num.7. Bonacin. disput.3.q.2. punct.3. num. 4. & 17. Arriaga disp. 22. sect. 1. & 2. num.15. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæst.1. & 2. Ledesma 2. tom. Summ. tract. 1. cap. 4. conclus. 4.

Rogatus an sit Sacerdos, & negans, non diffitetur fidem.

98 Ex quibus oritur primò, quod qui negaret esse Clericum, aut Sacerdotem, Religiosum, vel missam audivisse, etiam si ab hæreticis in odium fidei interrogetur, vt nunc accidit in Anglia, non peccare mortaliter contra prædictum præceptum. Quia hoc non est negare fidem, sed munus quoddam illius; & plures sunt vere Catholici, quin sint Sacerdotes, aut Religiosi; imò poterit hoc facere absque veniali, si subsit causa vtendi licita amphibologia. Sic Suarez num.15.ex Caietan. in Summ.verb. *Habitus*, quos sequuntur Sanchez num.10.Palaus num. 4. Azor quæst. 2. Fagundez cap. 3. num.9. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 1. dub.8. num.10. & Filliuc. tract.22. cap. 3. numer.66. & 70.

Qui interrogatus an sit Turca, negat fidem.

99 Oritur secundò, quod si quis rogatus, an esset Turca, vel Lutheranus, id affirmaret, peccaret abs dubio contra præceptum negativum fidei. Et ratio est: quia idem est affirmare esse Turcam, aut Lutheranum, ac dicere non esse Christianum; cum istæ sectæ contrarientur religioni Christianæ; & idem est affirmare vnum contrarium, ac negare aliud: vnde in illo actu non solum esset, vt ait Suarez num.11. malitia superstitionis, falsam fidem profitendo, sed etiam malitia negationis fidei: ergo, &c. Ita docent Suarez loc. cit. Sanchez num. 9. Caiet. 2. 2. quæst.3. artic. 2. dub. 1. Palaus num. 3. Trullench num.8. Filliuc. tract.22. cap.3. q.4. num.67. ¶ Sed limitant, & optimè Suarez, & Sanchez doctrinam traditam, quando fit interrogatio exprimendo illis nominibus nomen, & professionem religionis: nam si illis tantum vellent exprimere nomen nationis; non erit contra præceptum fidei affirmare se esse Turcam: quia tunc non negatur fides, sed natio, aut patria. ¶ Nota tamen, quod si hæc, aut alia etiam indirectè negantia fidem, quis dicat ioci causa, vt fit in Comædijs, & tragedijs populo exhibitis, non peccat mortaliter; quia hæc tunc non proferantur serio, sed repræsentationis gratia, & vt talia ab audientibus excipiuntur. Ita Azor lib.8. cap. 27. quæst. 6. Sanchez cap. 4. n. 15. Arriaga disp. 22. sect. 2. num. 16. Trullench lib.1. in Decalog. cap.1. dub.7. in fine, & alij communiter.

Sunt qui affirment licere thus Idolo animo ficto adolere.

100 Rogabis secundò: An liceat homini, quando non obligat confessionis externæ præceptum, etiam ob mortis periculum, adolere thus, aut genuflectere sine interiori consensu coram idolo, quin peccet contra hoc præceptum? Affirmant Adrianus in 4. tract. 1. de Baptismo, quæst.1. artic.1. ad 5. argument.& Lorca de Fide, disp.24. memb. 1. Et suadere conantur primo exemplo Naaman Syri, qui ad veram fidem conversus petit à Parente N. Eliseo licentiam, vt quando opus esset Regem suum comitari ad templum Remmon, posset sicut ille genuflectere, & adorare fictè Idolum, cui videtur annuisse Eliseus dicens: *Vade in pace.* 4. Reg. 5. Secundò. Nam Jehu simulavit se velle sacrificare Baal, vt posset melius omnes Prophetas illius occidere 4. Reg. 10. quod factum videtur Deus approbasse dicens: *Quia studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis.* Tertiò, quoniam in Act. Apostol. 16. refertur D. Paulum circumcidisse Thimoteum, & cap. 24. cum venisset Hierosolymam eleëmosynam facturus, purificasse se in templo iuxta ritum Mosaycum & cap. 21. dicitur in Cenchris caput totondisse, quia votum habebat: ergo illicitum non est vti simulatè actionibus falsæ religionis protestativis. Quartò. Simulatio materialis non est mendacium, & ita aliquando est licita, vt quando per illam homo non intendit falsum significare, aut alium decipere, sed tantum eam intendit, vt medium vtile ad alium finem à se intentum, permittendo, quod alius decipiatur; sed qui thus idolo offert, aut coram illo genuflectit, non intendit his signis declarare Idolum esse adoratione dignum, sed ob alios fines honestos, ea elicit: ergo non est hoc illicitum.

Vera & communis est sententia negativa.

101 Alij vero communiter, & bene, negant hoc esse licitum; & sic peccare contra hoc præceptum, qui tales actiones elicit, etiam absque interiori consensu. Et probatur primò. Hic actus offerendi thus, aut sacrificium idolo nullam aliam habet tunc significationem, quam tribuere Idolo cultum; sed tribuere Idolo cultum est expressè factis negare fidem Deo debitam: ergo directè, & expressè est peccatum contra prædictum præceptum. Secundò. Dicere se esse Turcam est negare expressè fidem, vt supra manet probatum: ergo adolere thus Idolo. Patet consequentia; quia ideo antecedens est verum, quia verba illa, quando agitur de negotio fidei, nullam aliam habent significationem, & per se primo vsurpantur ad talem significationem; sed actiones illæ per se primo sunt institutæ ad significandum religiosum cultum Idolo exhibitum: ergo sicut, qui verbis af-

affirmat, licet animo ficto, se esse idolatram, expressè negat fidem; ita qui affirmat factis se esse idolatram, etiam negabit fidem, etsi aliud consulto intendat. Tertiò. Exterior fidei veræ professio, quia dicit ordinem ad actum interiorem est laudabilis: ergo exterior falsæ fidei professio ob eundem ordinem erit vituperabilis, & mala. Quartò. Sicut præcepto fidei affirmativo tenemur ad fidem confitendam, non solum interius, verum & exterius; ita præcepto negativo tenemur ad non negandam fidem tam interius, quàm exterius: ergo sicut qui animo interiori negaret fidem, peccaret contra hoc præceptum, ita & peccant, qui exterius tantum illam negaret; sed qui thus offert Idolo, exterius negat veram fidem, cum confiteatur exterius falsam illi quę contrariam: ergo agit directè contra præceptum negativum fidei. Ita Valentia 2.2. disp.1. quæst.3. punct.2. dub.4. N. Salmantic. tract.17. disp.7. dub. vnic. §. 4. à num. 30. Suarez disp.14. sect. 4. apud quos videri possunt plurima S. Scripturæ, Concil. & SS.PP. testimonia. Sanchez cap. 4. num. 14. Palaus punct.16. num.3. Leander tract. 2. disput.3. quæst. 26. Prado cap. 7. quæst. 8. §. 3. num.7. Lugo disp.14. sect. 5. §. 4. num. 115. & alij.

Repsondetur primo & secundo argumento.

102 Ad primum argumentum sententiæ contrariæ deductum ex exemplo Naaman respondetur; Naaman non petisse licentiam simulandi adorationi Idoli, sed tantum comitandi Regem in templo, & in munere politicæ observantiæ ministrando, scilicèt genuflectendo, vt Regem adorantem sustineret, quæ actio mere politica erat, & non ceremonialis. Vnde Nicolaus de Lyra, Azor tom.1. lib.8. cap. 27. quæst.7. Becan. cap.9. quæst.5. num.13. & alij apud Leand. disp.3. quæst.46. optimè dicunt captivam Christianam solitam caudam dominæ suæ gestare, posse in templo genuflectere, & se se prosternere, quando Domina genuflectit, & se prosternit; quia istæ actiones sunt mere politicæ, & eodem modo hæc obsequia dominæ alibi præstat, & vt serva, aut captiva ad id tenetur; huiusque generis credo fuisse actionem, quam Elisęus Naaman concesit. Videantur in illo loco Abulens. quæst. 25. Caietan. Burgensis, & Lyra. ¶ Ad secundum sic respondet D.Thom. 2.2. quæst.111.artic.1.ad 2. *Simulationem vero Iehu non est necesse excusari à peccato, vel mendacio, quia malus fuit, vtpotè ab Idolatria Hieroboam non recedens. Commendatur tamen, & temporaliter remuneratur à Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quo destruxit cultum Baal.* Idemque docuerat D. Augustin. tom. 4. lib. contra mendacium, cap. 2. & hæc duo Ecclesiæ lumina sequuntur Caietanus, Suarez, num. 9. Salmantic. n. 34. Palaus tract.4. disp.1. punct.16. num.4. Hurtad. disp. 48. §. 51. & alij communiter, vnico excepto Lugone disp.14. sect. 5. §.4. qui fatetur sententiam tot Doctorum sibi difficilem esse, & à num. 121. longè, late que impugnat, sed qua efficacia videat Lector, inferat que ex auctoritate Doctorum, quos deserit, ne dicam, impugnat.

103 Ad tertium dicendum, quod quando D.Paulus, & alij Apostoli vsi fuerunt cæremonijs legis veteris, licet essent mortuæ, non tamen mortiferæ, quia non dum erat Evangelium sufficienter promulgatum: quare licitum tunc fuit; tum ex animo colendi Deum, eas exercere: tum in quantum vtilis ad Iudæorum animos conciliandos, vt probat D.Augustin. epist. 19. ad Hyeron. Videantur etiam Suarez lib. 9. de Legibus à cap.17. N. Salmant. num. 35. Lugo num.140. ¶ Ad quartum dicendum, quod licet simulatio materialis sit aliquando licita; at in relatis actionibus nunquam potest esse talis simulatio, quia per se sunt institutæ ad significandum falsum cultum, & ex intentione operantis nequeunt ab illa significatione detorqueri, nec nisi media illa ad aliud ordinari: vnde cum simulatio falsæ religionis semper falsum significet, numquam extrahi potest à simulatione formali, quæ ab intrinseco mala est, vt ait D.Thom. 2.2. quæst.111. art. 1. & in materia religionis peccatum gravissimum contra præceptum negativum fidei.

Alijs argumentis fit satis.

PUNCT. IX.

An in hoc præcepto exterius non negandi fidem, possit esse ob parvitatem materiæ peccatum veniale?

De quibus procedit quæstio.

104 QUæstio in hoc puncto proposita, licet circa præceptum negativum fidei singulariter moveatur, tamen eius resolutio communis est vitijs oppositis virtutibus, quæ immediatè circa Deum versantur, & sic comprehendit peccatum odij Dei, desperationis, simoniæ, periurij, &c. & alia in quorum qualibet parva materia integra offensionis, & irreverentiæ ratio salvatur, vt in homicidio, fornicatione, confessionis sygillo, pollutione, ieiunio naturali, seu Eucharistico, formis Sacramentorum, & in præceptis præscribentibus aliquem terminum indivisibilem, vt est ætas ad ordines recipiendos, professionem emittendam, & matrimonium contrahendum, &c. Quare quidquid de fide dictum fuerit eodem modo applicari debet alijs præceptis easdem conditiones habentibus.

Quædam supponuntur & casus quæstionis explicatur.

105 Pro quo supponendum est primò, quod si detur assensus internus contra aliquod obiectum revelatum, quantumvis minimum, est peccatum grave hæresis, fidei que destructivum; numquam que potest esse veniale ob materiæ parvitatem, sed ad summum erit aliquando ex defectu inadvertentiæ. Quod suaderi videtur ex illo Matth. 5. *Donec transeat cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Ergo verba Dei nec in minimis falsa esse possunt vtpote à Deo prima veritate dicta; sed si aliquis interius dissentiret alicui veritati, vel verbo revelato à Deo, etiam quantumvis levi, crederit vel illa esse falsa, vel Deum non esse fide dignum; in quo gravissima, vt ex se liquet, illi irrogaretur iniuria: ergo gravissimè peccaret, qui non præstaret fidem, vel interius dissentiret cuilibet veritati, etsi levi, quam sciret à Deo revelatam. ¶ Secundò

ſupponitur ab Auctoribus contrarijs, quod ſi id,quod externe negatur, licet ad ſenſum leve, eſſet de his, quæ pertinent ad dogmata fidei, Dei honorem, morum que integritatem: vel de illo eſſet controverſia cum hæreticis, & oporteret ſanam doctrinam explicare;tunc eſſe grave peccatum, exterius negare, vel ex induſtria, vel ex inadvertentia culpabili. Et ratio eſſe poteſt, (quam ſilentio premit Lugo) quia tunc talis res non eſt levis in ordine ad prædictos fines, ſed gravis,valde que ad illos conducens: ergo eſſet peccatum lethale illam negare. Videatur Lugo diſp.14. ſect.3.num.45. ¶ Quare quæſtionis difficultas eſt,an Concionator, vel alius, qui in aliqua concione,aut ſermone privato ſciens ex Scriptura cap. 5. Gen. conſtare Mathuſalem vixiſſe nongentis, ſexaginta, & novem annis, diceret vt à Deo revelatum vixiſſe tantum nongentis ſexaginta, & ſex annis, peccet mortaliter contra fidem, an venialiter ob materiæ parvitatem?

Negativa ſententia argumẽtis oſtenditur.

106 Negant Salas de fide in manu ſcriptis in præſenti art. 3. dub.1. cuius verba refert Lugo num. 51. Arriaga in Curſu Theolog. tom. 5. diſp. 21. ſect. 5. num.35. & alij, quos pro hac ſententia ſtare conatur Lugo num. 48. ſect. 3. cit. & licet ipſe in fine num.51. aſſerat ſe tantum argumenta pro illa proponere,vt doctiores poſſent de illa iudicium ferre; tamen re ipſa illam tuetur, & ait plures, & graves Magiſtros Salmanticenſes à ſe conſultos, & argumentis infra proponendis convictos, ita ſimiliter ſenſiſſe. ¶ Sed videamus argumenta, quibus hanc defendit ſententiam. Arguit ergo pro illa primò. Mendacium, iuxta communem ſententiam, requirit vt ſit peccatum mortale, quod ſit graviter pernitioſum; ſed in caſu quæſtionis tale non eſt, cum ſupponatur ex illo audientibus nullum ſcandalum, aut grave damnum advenire: ergo non erit peccatum mortale. ¶ Secundò. Ideò hoc mendacium eſſet grave, quia virtualiter exterius diceret Deum eſſet mendacem; ſed hoc non dicit, quin potius dicit hoc eſſe verum, v. g. Mathuſalem vixiſſe nongentis ſexaginta, & ſex annis: quia Deus illud revelavit, & conſequenter fatetur, quod ſi oppoſitum eſſet revelatum, etiam eſſet verum: ergo nullam iniuriam irrogat divino teſtimonio. ¶ Tertiò. Quia ſi aliquis haberet revelationem privatam ſuæ mortis, poſſit quis de ea interrogatus, ſine peccato lethali eam negare, cum nulli præiudicet, & alias res levis ſit: ergo poterit etiam ſine illo negare aliquam rem parui momenti eſſe in S. Scriptura, quia eſſet plurimis ſcrupulis expoſitum cogere ſub mortali Concionatores ad referendas Hiſtorias Sacras adeò exacte, vt nullam circunſtantiam, etſi levem, poſſint ſine culpa gravi variare: ergo cum hoc ſit præter morem, etiam hominum timoratorum, dicendum eſt non eſſe mortale. ¶ Vltimò: quia Sa verb. *Mendacium*, *num.* 2. Cayetan. 110. art. 4. Navarr. cap. 18. num. 4. docent dari in hoc materiam levem, vt ſi quis allegaret vnum Prophetam pro alio, aut quid ſimile: quia hoc eſſet, mentiri ſolum circa accidentalia doctrinæ: ergo falſum eſt eſſe mortale Scripturæ leviſsimum verbum ex conſilio mutare.

Sententia affirmans peccare lethaliter,eſt prorſus vera.

107 Affirmant tamen, & verius, Cayetan. 2. 2. quæſt. 110. art. 4. & in Sum. verb. *Prædicatorum peccata*, Ledeſma 2. part. tract. 18. cap.2. in fine,Azor part.3.lib.13.cap.1.dub.5. & 6. Navarr. in Manuali, cap. 18. num. 4. & cap. 25. num. 41. *De peccatis Prædicatorum.* Bonac. tom. 2. diſp. 10. quæſt. 2. punct. 2. n.7. Filliuc. tract.40. cap.2. num.40.S.Anton. part.2. tit.10. cap.1. §. 3. Sylveſt. verb.*Mendacium*, quæſt. 3. & alij probant que primò. Scribere in libris aliquid, etſi leve, contra ea, quæ Deus revelavit inScriptura,eſt lethale:ergo & docere eadem verbis. Patet conſequentia. Quia vt ait Div. Auguſt. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 3. citatus à D. Thom. 2. 2. quæſt. 110. art. 1. ad 2. Sicut mentitur verbis, ita etiam, & ſignis. *Vnde*, ait Ang. Doct. *illi, qui aliquod falſum nutibus ſignificare intenderet, non eſſet à mendacio immunis.* Ergo ſi eſt mendacium grave, peccatum que mortale contra fidem, docere ſcripto aliquid contra divinam Scripturam, quia mentiretur ſignis, etiam erit illud verbis prædicare. Antecedens patet ex praxi Sanctæ Inquiſitionis, quæ adeò exacte curat à libris expurgare quidquid, vel leviter S. Scripturæ diſſonum, aut contrarium eſſe poteſt, vt patet ex expurgatorio noviſsimo anno 1707.pro Hiſpania edito. Secundò. Peccatum grave eſt contra fidem prædicare quodcumque falſum miraculum, quamtumvis leve videatur, vt docent Cayetan. 2. 2. quæſt. 93. art. 1. fine. Sanchez lib. 2. Summ. cap. 27. num. 9. & nos infra dicemus: quia ex hoc ſequeretur, quod deſtrueretur fides circa vera miracula, quibus, vt ait D. Marcus cap.10.nobis loquitur Dominus iuxta illud: *Illi autem profecti prædicaverunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et Div. Auguſt. Epiſt. 49. quæſt. 6. *Deus miraculis loquitur.* Ergo etiam erit mortale, docere contra ea, quæ nobis Deus verbis expreſsis in S. Scriptura loquitur. Patet conſequentia. Quia vt ait D.Thom.2.2.quæſt.11. artic. 2. ad 2. *Si ſit inordinata loquutio circa ea, quæ ſunt fidei, ſequi poteſt ex hoc corruptio fidei.* Tertiò. D.Auguſt.lib.de Mendac.cap.14. ait: *Mendacium maximè pernitioſum eſt,quod fit in his, quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent.* Quod approbant tam D. Thom.2.2.q. 93.art.1. quam alij Doctores; ſed mendacium, de quo loquimur eſt in rebus fidei,ſeu ad Chriſtianam Religionem pertinentibus: ergo eſt maximè pernitioſum. Quartò. D. Thom. in 2. 2. quæſt. 110. art. 4. ait: *Vnde huiuſmodi mendacium* (ſcilicet, quod eſt circa res divinas) *non ſolum opponitur virtuti charitatis, ſed etiam virtuti fidei, & religionis: & ideò hoc mendacium eſt graviſsimum, & mortale.* Ergo omne mendacium circa res divinas, ob hanc vnicam rationem eſt contra charitatem, & religionem, & conſequenter lethale; ſed tale eſt, quando Prædicatores docent aliquid contra S. Scripturam: ergo nulla pia intentione, ait Cayetan. excuſari poſſunt à mortali peccato, aliquid contra Scripturam docentes.

Exemplis propoſitionum prohibitarum roboratur.

108 Confirmatur primò. Nam vocare Deum in teſtem mendacij, quamtumvis levis, eſt peccatum lethale: quia in iuramento aſſerto-

torio, nequit dari parvitas materiæ, vt pluribus relatis docuimus tract. 17. cap. 2. part. 5. §. 1. num. 38. & novissimè definivit Innoc. XI. propos. 24. sequenti: *Vocare Deum in testem mendacij levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Ergo mentiri leviter contra ea, quæ in Sacr. Scriptura revelata sunt, est etiam mortale. Patet consequentia. Nam ideo primum est verum, quia gravissima iniuria irrogatur summæ, & primæ veritati, vocando illam in testem mendacij; sed idem accideret in casu, quo Concionator prædicaret aliquid, esto leve, contra id quod in Scriptura est revelatum: cum diceret vt revelatum à Deo, quod tale non erat, & negaret, quod revelatum erat: ergo, &c. Confirmatur secundò. In materia luxuriæ non datur parvitas materiæ: ergo nec in materia præcepti negativi fidei. Antecedens patet, tum ex propositione 40. damnata ab Alexand. VII. *Probabilis est opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, seclusso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Et in hoc sensu explicant illam Lastra, & alij moderni vulgari lingua eam explanantes. Tum etiam ex his, quæ supra docuimus tract. 20. cap. de Conscientia probabili, punct. 4. in fine, & N. Salmantic. Schol. tract. 13. disp. 10. n. 267. contra Caramuel in Theolog. Regul. n. 1052. & alios. Consequentia vero probatur, cum non minor, aut in æqualior iniuria irrogetur Deo ex appetitu cuiuscumque obiecti lascivi, quam ex quolibet mendacio circa res fidei: ergo sicut in materia luxuriæ non datur parvitas materiæ, nec in præcepto negativo fidei.

Argumentis respondetur

109 Ad primum argumentum constat ex tertia, & quarta nostræ conclusionis probatione ex D. Augustino, & Thoma desumptis, vbi ait: *Quod mendacium ex propria falsa significatione contrariatur charitati, & si sit circa res divinas contrariatur charitati Dei, cuius veritatem aliquis tali mendacio occultat, vel corrumpit.* Verba sunt D. Thom. 2. 2. quæst. 110. artic. 4. Vbi vt vides, omne mendacium ex fine intrinseco proprio, & independenter à fine extrinseco operantis, & nocumento ab ipso intento, est valde pernitiosum, & nocivum. ¶ Ad secundum dicimus, quod si minor teneret, probaret vtique posse Concionatorem integram S. Scripturæ historiam variare, quin graviter peccaret contra fidem: quia iuxta contrarios tunc non negat, sed potius affirmat esse verum, quod Deus revelavit; sed affirmare esse verum, quod Deus revelavit, non est peccatum: ergo licitè posset variare historias Sacr. Scripturæ, quin per hoc contra fidem ageret; atqui hoc est aperte falsum: ergo, quia, qui refert scienter S. Scripturæ historiam, aliter ac in ipsa est, gravem iniuriam irrogat veritati primæ revelanti. ¶ Ad tertium concesso antecedenti, negatur consequentia. Et ratio disparitatis sita est in eo, quod vt latè probant N. Salmantic. Schol. tract. 17. disp. 1. dub. 4. à num. 104. fides nostra non innititur revelationibus privatis, & particularibus; sed, vt ait: D. Thom. 1. part. quæst. 1. artic. 8. ad 2. *Innititur fides nostra revelationi Prophetis, & Apostolis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non vero revelationi, si quæ fuit alijs Doctoribus factæ.* Vnde mendacia in privatis non sunt graviter pernitiosa, & sic nihil mirum, quod metas peccati venialis non transgrediantur. ¶ Ad quartum negatur hoc esse non homines scrupulis terrere, sed illis potius viam veritatis edocere; nec credo timoratos Concionatores hoc agere. At si aliquando id evenit, erit ex inadvertentia, aut oblivione; vel denique vt ait Caietanus, quando aliquis refert capitulum decimum pro duodecimo, aut Isaiam, pro Hieremia, vel Hieronymum pro Augustino, quia tunc non occurrit, & turpe putat sic pertransire; tunc peccat venialiter. Et ratio est, quia non committit mendatium in doctrina, sed in accidentibus eius. En vbi loquitur Caietan. quando contrarium tunc non scit, vel non occurrit memoriæ; si enim occurrat, & certo sciat Deum sic revelasse in Sacr. Sriptura, & tunc meditato, vltronee que prædicet, aut asserat illi contrarium, quacumque intentione id fiat, minimè à peccato mortali immunis erit. Et in hoc sensu loquuntur Auctores relati, & insuper Azor tom. 3. lib. 3. cap. 1. dub. 6. Filliuc. tract. 40. cap. 2. num. 40. Sayr. in Clavi Regia, lib. 12. cap. 2. num. 15. & alij cum hi omnes iuxta mentem Caietani loquantur, vt apud ipsos videri potest.

PUNCT. X.

An sit licitum Catholico, vestibus, signis, aut actionibus proprijs infidelium occultare fidem?

CONtra præceptum non negandi exterius fidem militat occultatio illius per vestes, signa, & actiones falsæ religionis protestativas, aut infidelium proprias; sed quia hæc omnia plures, & graves sub se continent difficultates eas diversis quæstionibus decidemus.

Multiplex apud Nationes datur vestimẽti genus.

110 Pro maiori difficultatis propositæ explicatione, nota vestes tripliciter posse esse infidelium proprias. Primò ex more patriæ, aut regni, in quo habitant infideles absque vllo respectu ad religionem, sicut est Cidaris apud Mauros, & alia vestimenta, quibus iuxta diversas nationes mos est homines indui. Vnde videmus, etiam apud fideles, aliter indui Hispanos, aliter Italos, aut Gallos, qui eodem modo vterentur proprijs vestibus, etsi infideles essent: quia non sunt religionis, sed nationis propriæ. ¶ Secundò modo, taliter vt vestes sint per se primo institutæ ad talem sectam profitendam, vel Auctori illius cultum exhibendum, vt apud Iudæos est vestis Summi Sacerdotis, & apud Mauros, alios que Gentiles vestis habens depictam imaginem Maumethi, vel alterius Idoli, quod colunt. Et vniversaliter omnes vestes, quibus Sacerdotes induuntur ad sacrificia offerenda vero, aut falso Deo. ¶ Tertiò modo dicitur vestimentum infidelium proprium, quando licet non ordinentur ad religionis protestationem, tamen ordinantur per se

se primo ad distinguendos homines vnius sectæ, ab alijs ob finem politicum pacis, aut tributi. Vt accidit Romæ, vbi Iudæi vtuntur pileo flavi coloris, & fœminæ pro capitis velo itidem flavo, vt à fidelibus discernantur, dignoscantur, & caveantur, & idem dicendum est de Tobalia apud Turcas, & Sarracenos. ¶ Et vt certa ab incertis separemus, supponendum est, quemlibet ex iusta causa posse vti vestibus primi generis, cum tantum sint propriæ nationis, quæ mala non est; & alias non sint protestativæ, aut indicativæ religionis. Sic sentiunt communiter Doctores infra referendi. Vnde tota difficultas ad alia duo genera vestimentorum reducitur, de quibus nunc agendum nobis est, & primo de his, quæ sunt falsæ religionis protestativa. Pro quibus

Vti vestibus falsæ religionis protestativis iuxta aliquos est licitũ ex gravi necessitate.

111 Rogabis primò: An aliquando sit licitum fidem occultare vestibus infidelium per se primo institutis ad falsæ fidei protestationem, authori que illius cultum tribuendum? Prima sententia affirmat, id licere ob finem honestum, gravem que causam, maximè ob vitam conservandam. Quod sic probat primò: quia tale vestimentum habet, & operire corpus, tegere que à temporum inclementijs, & simul falsam fidem significare: ergo licitum est, relicta hac significatione, ob aliam illud assumere. Patet consequentia: nam licitum est ad occultandam veritatem vti verbis amphibologicis; imo & iuramento firmare, quando verba duplicem sensum æque communem habent, vt diximus tom.4. tract. 17. cap. 2. à num. 115. ergo licitum est etiam, ad fidem occultandam, vti vestimentis duplicem significationem habentibus. Ita Sanchez lib. 2. Summ. cap. 4. num. 20. esto num. 21. asserat (licet parum consequenter, vt notavit Palaus punct. 17. n. 6.) hoc non intelligi in vestibus destinatis ad authoris falsæ sectæ cultum. Azor tom. 1. lib. 8. Institut. Moral. cap. 27. quæst. 4. Coninch disput. 15. dub. 3. num. 66. Hurtado disp. 48. §. 57. & vt probabilem defendit Araujo 2.2. quæst. 3. artic. 2. dub. 3. num. 38. nec dissentit Suarez disput. 14. sect. 5. num. 7. & 8.

Contrarium omnino tenendum.

112 Sed omnino tenenda est sententia negativa, & communis. Et ratio illius est. Nam significatio vestimenti sumenda est ab eo, ad quod significandum est per se primo institutum; sed prædicta vestimenta per se primo sunt instituta ad falsæ religionis cultum significandum: ergo illud per se primo significant, & non esse corporis operimentum. Confirmatur primò. Licet genuflecti coram Idolo, aut illi thus adolere, cænam Calvinisticam sumere, actiones indifferentes sint, tamen quando fiunt sub circunstantijs institutis ad falsam religionem protestandam, nequeunt assumi ad fidem occultandam, quia tunc est ab illis inseparabilis prædicta significatio: ergo licet vsus talis vestimenti actio indifferens sit ex se, tamen postquam per se primo est institutus ad fidem falsam protestandam, cultum que Idolo exhibendum, nequit ob alios fines esse licitus, & honestus. Secundò, inseparabile est ab huiusmodi vestimenti vsu scandalum, quod alij iustè inde acciperent. Quis enim esset, qui prudentissimè non iudicaret talem hominem falsam sectam profiteri, veram que fidem his actionibus negare; quapropter gravissimis pœnis à Concilio Illibertino canon. 2. & 3. & Anzirano, canon 4. multantur, qui similes actiones exercent: ergo vt illicitus, & omni eventu contra præceptum negativum fidei talis vestimentorum vsus explodendus est. Sic Suarez lib. 8. contra Regem Angliæ, cap. 9. num. 30. & 31. & de fide disp. 14. sect. 5. num. 8. & 13. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 7. quæst. 6. Aragon 2.2. quæst. 3. artic. 2. dub. 1. concl. 2. Lopez 1. part. institut. cap. 41. Becanus cap. 9. quæst. 5. n. 27. Arriaga disp. 22. sect. 3. n. 19. Navarr. cap. 11. num. 27. Tolet. lib. 4. Summ. cap. 2. num. 7. Caiet. in Summ. verb. *Habitus*, Palaus tract. 4. disp. 1. punct. 17. num. 7. Gonet, Ferre, Serra, & alij Scholastici apud N. Salmant. tract. 17. disput. 7. dub. 1. num. 39. Diana part. 3. tract. 5. resol. 49. & alij apud Leandr. tract. 2. disp. 4. quæst. 28.

Argumenti solutio.

113 Ad argumentum patet ex dictis pro conclusione: nam prædictæ vestes non sunt institutæ, & ordinatæ per se primo ad corpus operiendum, aut ornandum, cum alijs vestimentis ad id institutis super imponantur; sed per se primo assumuntur ad protestandam falsam religionem, à qua significatione nequeunt per intentionem particularem vtentis removeri. Vnde nullam similitudinem habent cum verbis æquivocis: hæc enim per se primo plura solent significare, & ad hoc ab hominibus sunt instituta: quare per intentionem loquentis possunt sumi in hac, vel illa significatione, quin per hoc audientes decipiantur, nisi alias ob eorum imperitiam hoc illis contingat, quod extra culpam loquentis erit: ex qua differentia oritur, quod esto licitum sit ex iusta, & honesta causa amphibologicè, verbis que æquivocis loqui, non tamen sit honestum, etiam ad vitam servandam, seu mortem vitandam, vti vestibus ad falsam fidem protestandam destinatis.

Quædam notanda limitatio.

114 Sed licet hæc vera sint, credo, quod si aliquis proprijs vestibus omnino expoliaretur, vt accidit, quando quis vel denudatur à latronibus, vel à militibus expilatur, & tunc nihil aliud ad manus haberet ad se decenter operiendum, vel à temporis inclementia protegendum, posse pro tunc vti vestibus Sacerdotalibus, aut alijs institutis ad falsæ fidei professionem. Et ratio est, quia in casu posito tales vestes deponunt significationem professionis falsæ sectæ, nec sunt propriè Sacerdotales, aut ad sacrificandum ordinatæ; sed earum vsus est tunc purè materialis: ergo licitum erit illis indui. Probatur assumptum. Nam prædictæ vestes, in quantum Sacerdotales, super imponuntur alijs vestimentis ad corpus tegendum institutis; sed in casu posito sic non super imponuntur: ergo amittunt sub prædictis circunstantijs significationem protestationis fidei. Deinde quis prudenter iudicaret, videns hominem præcisè, & immediatè indutum veste Sacerdotali, illo vti ad fidem falsam protestandam, & non ad se potius decenter cooperiendum: ergo ex tali vsu nulli scandalum præberet. Præterea: tunc talis vsus est illicitus, quando illo quis simulat veram religionem, & falsam protestatur; sed nihil ex his accidit in præsenti casu: ergo tunc illius

illius vſus non eſt peccaminoſus. Sic tenent Oviedo 2.2. controverſ.8. punct. 5. num. 62. Fagundez lib.1.Decalog. cap.7. num.10. Suarez diſp.14. ſect.5. num.13. in fine.

Vlterius confirmatur tradita doctrina.

115 Nec his adverſantur, quin potius in hoc ſenſu loquuntur Illuſtriſsimus Tapia tom.2. lib.1. quæſt. 3. artic. 8. num. 2. & Eminentiſ. Cardinalis Lugo de Fide, diſput. 14. ſect. 5. §.1. à num. 82. aſſerentes, hanc quæſtionem non abſolutè, ſed circunſtantiarum diſcuſione decidendam eſſe; ita quod ſi ratione temporis, aut loci prudenter non poſsit præſumi, illis vti ad fidem veram occultandam, & falſam ſectam profitendam, tunc talis veſtimenti vſus illicitus non eſt. Quod ſuaderi poteſt doctrina tradita à nobis loc. ſupra cit. tract. 17. cap. 2. punct. 8. circa amphibologiam verborum num.117. Nam eſto verba ex ſe ambigua, aut æquivoca non ſint, tamen ratione circunſtantiæ temporis, loci, perſonæ loquentis, ac modi loquendi poſſunt aliam ſignificationem habere, & illam intendendo loqui, & ex iuxta cauſa permittere deceptionem audientis: ergo ſimiliter licet veſtes Sacerdotales per ſe primo ſint inſtitutæ ad ſectam falſam proteſtandam, poterunt ratione circunſtantiæ loci, temporis, perſonæ, hanc ſignificationem deponere, propriam que tegendi corpus vſurpare. Patet conſequentia: quia verba magis per ſe primo ſunt inſtituta ad ſignificandum, quam ſigna, & veſtes: ergo ſi illa ratione circũſtantiarum poſſunt novam ſignificationem habere, & antiquam deponere, vt ibi pluribus citatis docuimus, & expreſsè tenent quot quot ſuper propoſit. 26. 27. & 28. ab Innoc. XI. damnatas ſcripſerunt: Similiter poterunt & iſta antiquam deponere, & aliam denuo acquirere.

Veſtibus diſtinguentibus homines vnius ſectæ ab alijs, vti, ad fidem occultandam, iuxta aliquos eſt illicitum.

116 Rogabis ſecundò: An liceat ob honeſtam cauſam vti beſtimentis inſtitutis ad diſtinguendos homines vnius ſectæ ab alijs? Vt inter Turcas eſt faſcia, ſeu Tobalia alba in capite, & Romæ Pontificis iuſſu pileum flavum pro Iudæis? Pro parte negativa ſic arguitur primò. Si quis verbo profiteretur falſam fidem, peccaret: ergo etiam peccaret ſi profiteretur facto: nam vt ait D. Thom. 2. 2. quæſt. 111. art. 1. *Non refert autem vtrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto.* Tunc ſic: ſed qui vteretur veſtibus inſtitutis ad diſcernendum homines vnius ſectæ, v. g. Mahometanæ ab alijs, profiteretur factis prædictam ſectam, cum magis indicaret illarum geſtatione, ſeu eſſe Mahometanum, quam ſi verbis illud exprimeret: ergo ſi quis verbis diceret ſe eſſe Iudæum, Gentilem, aut Mahometanum, prædictas ſectas crederetur profiteri, & peccaret contra fidem, idem dicendum eſt de eo, qui factis, ſeu vſu veſtium hoc exprimentium, id manifeſtat. Secundò nequit tale ſignum diſtinguere infidelem à fideli, quin ſignificet illo vtentem eſſe infidelem, & ſaltem ſecundario manifeſtet talem ſectam falſam profiteri; ſed velle ſe oſtendere eſſe infidelem, vel ſecundario manifeſtare ſe falſam ſectam profiteri, eſt intrinſecè malum, & fidei oppoſitum: ergo, &c. Ita tenent Cajetan. 2. 2. quæſt.3. art. 2. Navarr. in Summ. cap.11.num.25. D.Anton. part.2.tit.12.cap.6. Toletus lib.4. cap.2. num.7. Arriaga diſp. 22. ſect. 3. à num. 20. Becanus cap. 9. quæſt. 5. à num.35. Leander tract.2. diſput.4.quæſt.29. & alij.

Vera eſt ſententia affirmativa, quãdo fit ob iuſtam cauſam

117 Sed dicendum eſt, ob iuſtam cauſam licitum eſſe Chriſtianis vti veſtibus inſtitutis ad diſtinguendos homines vnius ſectæ, ſeu religionis ab alijs: quare in terris Turcarum poterit Chriſtianus vti Tobalia, vt ſecurus pertranſeat. Et ratio eſt: nam prædictæ veſtes per ſe primo non ſunt proteſtativæ falſæ religionis; ſed ob hanc cauſam, quæſtione antecedenti diximus, non poſſe vti veſtibus ſecundi generis: ergo poteſt quis illas licitè aſſumere propter ſuum vſum primarium tegendi corpus, relicta alia ſignificatione ſecundaria diſtinguendi infideles à fidelibus. Deinde habitus monachalis non ſolum habet ſignificare eſſe operimentum corporis, ſed etiam ſtatum religioſum; & tamen ob neceſsitatem manus Prætoris fugiendi, poteſt licitè ſæcularis illud induere, quin ob hoc cenſeatur ſtatum monachalem profiteri: ergo ſimiliter poterit quilibet, vt incolumis per infidelium loca tranſeat vti veſtibus illorum ſectæ proprijs, quin per hoc poſsit prudenter iudicari falſam ſectam proteſtari. Confirmatur primò. Si eſſet illicitum, falſæ que fidei proteſtativum geſtare Romæ pileum flavum, qui ibi eſt diſtinctivum Iudæorum à Chriſtianis, peccarent non ſolum illum portantes, ſed & Pontifex id præcipiendo; ſed hoc eſt falſum: ergo etiam erit, quod ſit illicita talis ſigni geſtatio. Confirmatur ſecundò. Voces ex natura ſua inſtitutæ ſunt ad ſignificandum hominum conceptus, taliter, quod illis vti non liceat, niſi iuxta ſignificationem illis ad placitum impoſitam; ſed veſtes non ſunt per ſe à natura deſtinatæ ad ſignificandum, ſed potius ad alios fines: ergo eſto vocibus vti non liceat, niſi ad ſignificandos conceptus loquentis, veſtibus tamen vti poſſumus ad alios fines, ſcilicèt tegendi corpus. Confirmatur tertiò. Extra iudicium licitum eſt, verbis æquivocis celare fidem: ergo & veſtibus illam occultare, ludificando hæreticorum notitiam. Patet conſequentia. Cum veſtes, de quibus loquimur ſint in ſua ſignificatione, quaſi verba æquivoca. Ita Bañez 2. 2. quæſt. 3. art. 2. dub. 2. concluſ.3. Valentia diſput.1. quæſt.3. punct. 2. dub.4. Suarez de Fide, diſp.14. ſect.5. num.7. Tapia tom.2. lib.1. quæſt. 3. artic. 7. num. 3. Palaus tract.4. diſp.1. punct. 17. num. 4. Sanchez lib.2. Summ. cap.4.num.19. Lugo de Fide, diſp.14. num. 73. Gonet. tom. 4. part. 2. diſput. 7. artic.2.num.122. & Trullench lib.1. cap.1. dub.8. num. 19.

Argumentũ ſolutio.

118 Ad primum argumentum patet ex dictis. Verba enim per ſe ſunt inſtituta ad ſignificandos proprios conceptus: vnde illis aliter vti non licet; & ideo qui diceret ſe eſſe Iudæum, contra præceptum non negandi fidem peccaret; ad veſtes ſunt ſigna non per ſe inſtituta ad exprimendos conceptus internos, ſed poſſunt vſurpari ad alios fines: quare videmus, aliquos nigri coloris, ſeu pullas veſtes vſurpare ad ſignificandam mæſtitiam internam ob propinqui mortem; & alios eas geſtare, vel ob proprium commodum, aut quia pretioſores non habent, nec conſuetudo eas vſurpandi ob

signum mæstitiæ animi, obest, quominus ob alios fines aliqui eis vtantur: ergo licet sit fidei negatio dicere se esse Iudæum; non tamen erit pilei flavi gestatio, cum strictior, & limitatior sit verborum, quam vestimentorum significatio. ¶ Per quod liquet ad secundum: gestatio enim prædicti vestimenti non est, nec secundario, falsæ religionis protestatio, sed tantum conditio talium personarum, quæ debeant hanc, vel illam gabellam solvere, aut separatim ab alijs habitare. ¶ Sed limita doctrinam traditam, si in veste illa sit depicta Idoli imago, aut Mahometi figura: quia gestatio illius esset per se eorum cultus, & veneratio, quod intrinsecè malum est. Ita Sanchez cap. 4. cit. num. 21. Suarez dict. sect. 5. num. 8. Palaus punct. 17. num. 4. disp. 1. tract. 4.

Quid dicendum de speculatoribus, & pugnantibus contra Infideles.

119 Ex quibus oritur primò, speculatores Christianos, vulgò *Espias*, posse vti lingua, & vestibus infidelium: similiter pugnantes contra Turcas, Infideles, aut hæreticos posse affixere suis vexillis signa, quibus ipsi vtuntur, & gestare solent: quia hoc est quoddam genus insidiarum, vel vt eorum arcana penetrent, vel vt incautos occidant, aut ne ab ipsis capiantur, quod licitum est; maximè cum talia signa non sint falsæ religionis protestativa, sed tantum vt cognoscatur sub quo Principe exercitus militat. Arii talia vexilla haberent depictam imaginem Mahometi, Mercurij, aut alterius Idoli, tenendum est cum Sanchez n. 23. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæst. 6. Fagundez lib. 1. cap. 7. num. 12. Palaus punct. 17. n. 5. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 2. punct. 3. num. 20. Trullench num. 21. Leandr. tract. 2. disp. 3. quæst. 32. & alijs esse illicitum etiam stratagematis causa illis vti: quia talia signa sunt ex se determinata ad cultum falsis Dijs tribuendum. Esto oppositum doceant Diana part. 3. tract. 5. resol. 49. Hurtado disp. 48. sect. 3. §. 58. Layman tom. 1. lib. 2. tract. 5. cap. 11. num. 4. in fine vbi ait: Verum hanc professionem, scilicèt falsæ sectæ, generatim loquendo non cogimus agnoscere: quando quidem etiam apud Christianos, eiusmodi signa Mercurij, veneris, &c. tanquam fabulosa ornatus gratia adhibentur. Igitur non damnarem milites nostros, si his tanquam indifferentibus, insidiarum causa in bello vterentur. Nec hoc improbat Gonet loc. cit. numer. 127.

120 Oritur secundò, quod si infidelis, aut hæreticus Princeps præciperet omnibus existentibus in suis dominijs vti veste, aut signo in cultum, & honorem falsæ fidei, non possunt illud licitè gestare Christiani etiam ob mortem vitandam; quia tunc cum de omnibus indiscriminatim loquatur, talis signi vsus esset veræ fidei negatio. Ita Sanchez cap. 4. n. 27. Coninch disp. 15. dub. 3. num. 72. Arriaga disput. 22. sect. 3. num. 27. Palaus punct. 17. num. 8. Quæ doctrina extendenda est etiam ad casum, quo solis infidelibus illud præciperet: quia iam tunc post Principis legem esset signum per se protestativum falsæ sectæ.

*** *** *** ***
*** *** *** ***

PUNCT. XI.

An liceat infidelium, Iudæorum, & Hæreticorum templa adire, aut conciones audire; vel denique idolothytis, aut carnibus in die veneris, sive quadragesimæ in eorum Provincijs vesci?

Plura & satis difficilia sub se complectitur titulus dubij, quibus vt congruè respondeatur, diversos §. instituimus.

§. I.

Deciditur, quid sentiendum sit de ingressu templorum, hæreticorum que concionibus audiendis.

Quædam vt certa præsupponuntur.

121 PRiusquam ad difficultatem principalem accedamus, aliqua vt certa prælibanda sunt. Supponendum ergo est primo, licere Catholicis templa hæreticorum ingredi, in quantum est domus apta ad habitandum, & se à Cœli inclementia protegendum. vel vrgente bello, quia locus munitissimus est, vt se ab hostibus defendant. Et ratio est: quia tunc non illud ingrediuntur, vt templum, sed vt domus privata est, & ad alios fines vtile, quod malum intrinsecè non est. ¶ Secundò supponendum est ex dictis supra num. 102. licere famulis, & ancillis suos Dominos, aut Dominas ad templa hæreticorum, & infidelium commitari, & cum illis genuflectere, aut manibus substinere, quando idolum adorant, quia tunc tales actiones solum ordinantur ad debitum servile reddendum, quod licitum est. Quare milites commitantes Regem hæreticum templum intrantem, possunt sacrificijs sacrilegijs assistere, etiam detecto capite prout coram Rege esse decet: quia hic famulatus mere civilis est, nullo que modo ad Religionem expectans, vt ostenditur exemplo Naaman comitantis Regem ad templum idoli, quod civile obsequium illi permisit Eliseus, vt constat ex 4. Reg. cap. 5. Ita Sanchez cap. 4. num. 27. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæst. 7. Hurtado disp. 48. §. 56. & alij. ¶ Tertiò supponendum est, licitum esse Catholicis Senatoribus adire templa hæreticorum, quando opus est illuc confluere ad aliquod civile negotium agendum: quia hic ingressus materialis præcisè est. Sanchez loc. cit. & alij communiter. ¶ Quartò est etiam supponendum: posse Christianos assistentes missæ Sacerdotis schismatici Græci, quando corpus Christi adorandum elevatur, illud adorare, imò, & debere, cum validè consecratum supponatur: item tenetur colere imagines sacras in eorum templis existentes: quia hoc non est signum approbationis cultus schismatici; sed cultus communis catholicis, & schismaticis. Videatur Azor tom. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 10.

His

Ex causa cõfutandi errores licitum est templa hæreticorũ ingredi.

122 His ſuppoſitis; rogabis primò: An licitum ſit Chriſtianis curioſitatis cauſa ſynagogas Iudæorum, templa hæreticorum, aut infidelium adire, eorum que concionibus intereſſe? Supponit quæſtio, quod ſi abſit perverſionis periculum ob honeſtam cauſam, licitum ſit, maximè doctis, ad refutandos poſtea eorum errores, templa infidelium, hæreticorum, & Iudæorum ſynagogas adire. Et ratio eſt: quia hoc non eſt ex ſe falſæ fidei proteſtatio: ergo adſtante iuſta, & honeſta cauſa poterunt, maximè docti, prædictis concionibus, & ritibus intereſſe. Quod confirmat, vt refert Becanus cap. 9. quæſt. 5. diſp. 3. num. 16. praxis communis. Videmus enim ſæpe homines probos his concionibus abſque vllo ſcrupulo adeſſe. Idem docent Gaſpar Hurtad. diſp. 9. diffic. 10. Palaus punct. 17. num. 12. Coninch. diſp. 15. dub. 3. concl. 5. num. 55. Bonac. diſp. 3. q. 2. punct. 3. num. 21. & Azor tom. 1. lib. 8. cap. 11. part. 4. addens, & rectè eſſe neceſſariam triplicem conditionem, vt hæc licitè fiant. Prima, ne in Catholicorum animis vlla offenſio generetur. Secunda ne vlla ſit communicatio ritus, cæremoniæ, ac impietatis hæreticæ. Tertia, ne vllum periculum immineat propriæ perfidiæ, & Catholicæ religionis contemptus.

Talis ingreſſus ex ſe mortalis culpa non eſt; ſecus autem ſi frequens ſine cauſa ſit

123 Quibus ſtabilitis, principali quæſtioni reſpondetur, quod ex ſe peccatum mortale non eſt; at ſi frequenter illorum concionibus Catholicus aſſiſtat, abſdubio mortaliter peccabit. Ratio primæ partis aſſertionis eſt; quia talis præſentia, maximè in partibus, vbi permixtæ ſunt Catholici, & hæretici, non eſt ſignum proteſtationis hæreſis, veræ que fidei abnegationis: ergo ſi ſemel, aut iterum fiat ex ſola curioſitate, non erit lethale. Sic Arriaga diſp. 22. ſect. 7. num. 51. Secunda vero pars facilè probatur: nam qui frequenter adit ad audiendas conciones, hæreticorum templa, prudenter iudicatur ab omnibus vt hæreticus, vel ipſe ſaltem vult, vt talis videri: ergo ſcandalum præbet, & ſic lethaliter peccat. Deinde in tali ingreſſu, & aſſiſtentia frequenti eſt proximum periculum perverſionis; corrumpunt enim bonos mores colloquia prava, vt experientia liquet (nunc que in noſtra Hiſpania ob bella in illa graſſantia, ſanguineis deploramus lachrymis) ſed ſola curioſitate committere ſe periculo perverſionis, peccatum eſt: ergo talis aſſiſtentia frequens ex ſola curioſitate peccaminoſa eſt. Sic Sanchez lib. 2. Summ. cap. 4. num. 26. Ægidius diſput. 15. dub. 3. num. 55. Coninch diſp. 15. dub. 3. concluſ. 5. num. 55. Palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 1. punct. 17. num. 12. Oviedo controverſ. 8. punct. 7. num. 88. Et quod dictum eſt de templis hæreticorum, proportionabiliter applicandum eſt ingredientibus ſinagogas Iudæorum.

Illicitum eſt obedire Principi præcipienti adire templa hæreticorũ, & conciones audire.

124 Rogabis ſecundò: An ſi Princeps hæreticus ſub gravi pœna præcipiat Catholicis, vt adeant hæreticorum templa ad audiendas conciones in honorem ſuæ falſæ religionis, vt accidit in Anglia, poſsint licitè illi obtemperare? Reſpondetur negativè. Et ratio eſt, quia Paulus V. de hoc conſultus à Catholicis illius regni, ſic illud definivit in Bulla edita anno 1606. decimo Kalendas Octobris, quam affert Suarez in defenſione fidei, lib. 6. in procœmio, vbi ait S. Pontifex: *Accepimus namque compelli vos graviſsimis pœnis propoſitis, templa hæreticorum adire, cætus eorum frequentare, concionibus illorum intereſſe::: Nihilominus zelo Paſtoralis officij noſtri impulſi, & pro paterna ſolicitudine, qua pro ſalute animarum veſtrarum aſsiduè laboramus, cogimur monere vos, atque obteſtari, vt nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipſis in ritibus communicetis ne Dei iram incurratis, non enim licet vobis hæc facere ſine detrimento Dei cultus, & veſtræ ſalutis.* Idemque ſubſcripſerunt, ait Sanchez num. 27. vnanimi conſenſu multi viri doctiſsimi ab Anglicanis Catholicis conſulti. Præterea videns Pontifex primum decretum ab aliquibus ſubreptitium exiſtimari, aliud addidit anno 1607. decimo Kalend. Octob. primum inſtaurans, & confirmans. Quare contraria opinio iam improbabilis eſt.

Oſtenditur etiam à ratione.

125 Nec pro prædicta ſententia confirmanda deſunt efficaciſsimæ rationes, tum ex periculo evidenti perverſionis, tum ex ſcandalo; tum denique ex honore, plauſu, & incremento hæreſis depromptæ. Quis enim negabit ex concurſu auditorum hæreſes magnam ſibi gloriam comparare? Nec valet dicere Reges, & Principes his decretis tantum intendere civilem ſubditorum obedientiam: quia licet hoc verbis fortaſſe exprimant, tamen factis aliud dicunt, vt rectè notavit Sanchez ex verbis decreti editis ab Angliæ Regina, quæ ſic ſe habent: *Modeſtè etiam, atque ſobriè, dum preces perſolvuntur, ſe gerere, & uſque ad finem dictarum precum, & concionum ibi manere teneantur.* Quare tenendum eſt, illicitum eſſe Catholicis in ſimili caſu templorum Gentilium, & hæreticorum ingreſſum, potius que mortem eligendam eſſe, quam tam tyrano, & crudeli edicto obtemperandum. Ita Sanchez lib. 2. Summ. cap. 4. num. 27. Palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 1. punct. 17. n. 13. Lugo diſp. 14. ſect. 5. §. 6. num. 175. Bonacin. tom. 2. diſp. 3. q. 2. punct. 3. num. 22. & 27. Trullench lib. 1. Decal. cap. 1. dub. 7. num. 28. Granad. tract. 11. diſput. 3. ſect. 3. num. 18. Prado tom. 1. cap. 7. quæſt. 8. §. 2. num. 5. Leand. tract. 2. diſp. 2. quæſt. 45. Gonet. tom. 4. diſp. 7. de Fide, n. 123. & alij.

Sed quid ad recipiẽdum Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, &c. in extrema neceſsitate.

126 Rogabis tertiò: An ſit licitum in articulo mortis, aut extrema neceſsitate ingredi templa hæreticorum ad recipiendum ab eis baptiſmum, aut pœnitentiæ ſacramentum, quando alius Catholicus miniſter haberi non poteſt? Ad quod affirmativè reſpondendum eſt cum Becano cap. 9. quæſt. 5. num. 19. Fagundez lib. 1. cap. 6. num. 13. & ratio eſt: quia Baptiſmus Calviniſtarum eſt verè baptiſmus, & non præcisè ritus illius ſectæ, ſed potius totius Eccleſiæ Catholicæ: ergo licet, vt innuimus tract. 2. cap. 4. punct. 2. num. 21. abſque neceſsitate ſit peccatum mortale ab alio, quam à Catholico ſuſcipere; tamen gravi vrgente neceſsitate licitum erit. Circa Sacramentum Pœnitentiæ etiam liquet: quia vt ait Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. *In articulo mortis omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris*

absolvere possint. Ex quibus verbis tanta amplitudine dictis, & pijs Sanctæ Matris Ecclesiæ visceribus intulimus cum plurimis Doctoribus tract.6. cap. 11. punct.2. num. 20. omnes Sacerdotes etiam excommunicatos, suspensos, irregulares degradatos,non approbatos; imò & hæreticos habere sufficientem iurisdictionem ad absolvendum ab omnibus peccatis, & sic si cum debita intentione absolvant,verum conficient sacramentum: ergo in extrema necessitate licitum est ab illis petere pœnitentiæ sacramentum. Ita Fagundez loc. cit. quod etiam extendit ad Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem, in casu, quo moribundus dubitaret de contritione, & non adesset, qui posset validè absolvere; & alias hæreticus vellet, validè hæc sacramenta administrare; tunc enim posset recipere ab hæretico Eucharistiam, & Extremam-Vnctionem, vt sic fieret ex attrito contritus: idem que pluribus relatis, docet Leander quæst. 51. tract. 2. disp. 3. ¶ Similiter esse iicitum amicitiæ causa assistere nuptijs, & funeribus hæreticorum, modo in cæremonijs, & precibus cum eis non communicetur, docent Palaus tract.4. disp. 1. punct. 17. num.5. Ægidius disp.15. dub.3. num. 62. Arriaga disp. 22. sect. 7. num. 52. & Lugo disputa 14. sect.5. §.5. num. 159. & 156.

§. II.

Resolvitur secunda pars quæstionis circa esum carnium,quæ Idolis sunt consecratæ, vel ab Ecclesia prohibitæ.

Idolothytis illicitum esse vesci, aliqui sentiunt.

127 DUplex genus cibi esse potest; alterum carnis,panis,aut fructus,quæ Idolo consecrantur, & idolothytum dicitur, & alterum carnis communis, idolo non consecratæ, attamen ab Ecclesia Catholica certis diebus prohibitæ; & de vtroque genere loquendum nunc nobis est. Et circa primum inquires: An liceat Catholicis in extrema necessitate idolothytis vesci? Negativam sententiam docere videntur; tum S. Scriptura, quæ act. 15. vbi decreverunt Apostoli fideles teneri abstinere se à *contaminationibus simulacrorum*, id est idolothytis. Tum D. Augustin. qui epist. 154. Publiolæ illum sciscitanti: An satius esset fame perire, quan idolothyto vesci? Sic respondit: *Si ergo certum est esse idolothytum,meliusChristiana virtute respicitur.* Ergo, &c. Idem docet lib.33. contra Faust.cap.13.Similiter etiam loquitur S. Leo epist. 77. cap. 5.

Si absit superstitionis, aut scandali periculũ, licet.

128 Sed dicendum est,quod,quando abest species superstitionis, & cultus falsæ sectæ, aut scandalum adstantium, licitum est talibus cibis vesci. Et ratio est, quia tales cibi ex se ordinati à natura sunt ad sustentationem vitæ: ergo spreta infidelium superstitione, licitus est eorum vsus. Confirmatur ex Apostol. 1. ad Corinth. cap. 8. & 10. vbi ait: *Omne quod vobis apponitur, manducatè, nihil interrogantem propter conscientiam. Si quis autem dixerit hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam dico, non tuam, sed alterius.* Vbi non prohibet cõmestionem idolothyti, nisi ob alienum scandalum: ergo talis cibus, hoc sæcluso, licitus est. Deinde ostenditur exemplo David, qui 1.Reg. cap. 2. simul cum pueris comedit panes sacros, quos laicos comedere prohibitum erat: ergo, &c. Nec dissentit D. Thom. in 4. distinct.38. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 3. ad 3. vbi ait: *Satius est fame mori, quam idolothyto vesci; scilicèt cum scandalo: quia primum est malum pœnæ, secundum malum culpæ: non tamen debet aliquis se dimittere fame mori, antequam cum scandalo idolothytum comedat, quia inijceret sibi manus, & sic cum malo pœnæ adiungeretur malum culpæ.* Quid clarius pro nostra assertione. Ita docent Vazquez 1. 2. disp. 162. num. 32. cap. 5. Arriaga disp. 22. sect.6. Oviedo controvers.8.punct.6.num.81. N. Salmantic. tract.17. disp.7. num. 51. Ægidius disp.15. dub.3. à num.54. Lugo disp.14. sect.6. §.3. num.109. Leand. tract. 2. disp. 3. quæst.58. & alij. Et ad authoritatem ex Actib. Apostol. respondet D. Thom. 1.2. quæst.103. artic.4. ad 3. illud præceptum iam cessasse,cessante causa suspitionis superstitionis in Iudæis, ob quam tunc iustissimè inductum fuerat. Ad dictum D. August. respondent communiter Doctores illud non præcipisse, sed solum consuluisse; & ideo dixit: *Melius Christiana virtute respuitur.* Vbi notanter ait: *Melius*, non necessarium; id est, *virtute*, non lege respuitur.

Licitum est carnibus apud infideles vesci diebus veneris.

129 Inquires secundò: An liceat Catholico per terras hæreticorum transeunti carnibus vesci diebus ab Ecclesia prohibitis, quando imminet illi vitæ,aut alterius gravis damni periculum ex earum abstinentia? Supponit quæstio, sine necessitate id minimè licere; quia Ecclesiæ præceptum semper,& vbique, illa non existente, proprios subditos obligat: ergo,&c. Quare tota difficultas est adhuc existente gravi, & vrgente causa. Cui respondetur affirmativè: tum, quia esus carnium diebus prohibitis per se non est abnegatio veræ fidei, & falsæ protestatio, cum varias ob causas eisdem diebus vtantur illis, etiam inter fideles, plurimi Catholici, quin hæresis arguantur: ergo, &c. tum etiam, quoniam præceptum abstinendi à carnibus diebus veneris, aut quadragesimæ non obligat cum periculo vitæ: ergo quando tale periculum adest, licitus est earum vsus. Sic Sanchez lib. 2. Summ. cap. 4. num. 25. Azor tom. 1. Instit. Moral. lib. 7. cap. 29. quæst. 7. & lib.8. cap.27. quæst. 3. Becan. 2. part. Sum. cap. 9. num. 22. Fagundez lib. 1. in Decalog. cap.6. num.14. & Palaus tom. 1. tract. 4. disput.1. punct.17. num. 9.

Idem dicendũ est, etiam si vescantur apudAnglos, & Calvinistas.

130 Sed gravior difficultas est: An licitum sit vesci carnibus ad occultandamChristianam religionem, mortem que vitandam, die v.g. veneris, in quo institutus est apud Anglos esus carnium ad hæresim Calvinianam protestandam? Circa hanc difficultatem prima sententia est negativa, & probari potest, tum ex eo, quod his diebus vescentes carnibus in illis locis, vt hæretici reputantur: ergo si Catholicus eis vescatur, vt hæreticus haberi vult. Tum etiam, quia licet illi cibi habeant vsum corpus reficiendi; habent etiam simul significare in illis

illis locis profeſsionem hæreſis calvinianæ: ergo tunc erit illicitus eorum vſus etiam ad mortem vitandam. Ita Hurtado diſp. 9. diffic. 10. Oviedo controv. 8. punct. 6. num. 80. Valentia 2. 2. diſp. 7. quæſt. 15. punct. 6. quæſt. 4. caſu 4. ¶ Sed affirmativa ſententia eſt vera, ſi abſit in hoc ſcandalum, aut Religionis Catholicæ contemptus: quia cibi illi etſi à Calviniſtis ordinentur ad oſtenſionem ſuæ hæreſis, proteſtationem que libertatis à iugo Eccleſiæ Romanæ; tamen hoc non tollit, quod habeant ſimul; imò & prius vſum ſuſtentandi vitam, corpus que reficiendi: ergo inſtanti iuſta, gravi que neceſſitate, licitum erit, poſtpoſita Calviniana inſtitutione, illis vti in ordine ad finem proprium ſuſtentandi vitam. Quæ doctrina confirmari poteſt exemplo veſtimenti diſtinctivi vnius ſectæ ab alijs, de quo diximus ſupra num. 117. Noſtram ſententiam tenent Sanchez lib. 2. Sum. cap. 4. num. 25. Azor lib. 8. cap. 27. quæſt. 3. Hurtado diſp. 48. ſect. 6. §. 99. referens Lyram, & Abulenſem, Palaus punct. 17. cit. num. 9. Lugo diſp. 14. ſect. 5. num. 104. & quot quot num. citato, retulimus.

Excipitur quando tyranus in fidei cõtemptum carnis eſum præcipit.

131 At licet prædicta doctrina vera ſit, tamen ſub illa non comprehenditur caſus, in quo tyranus in contemptum Chriſtianæ Religionis præcipiat Catholico edere die veneris carnes, etſi aliter fecerit, minatur mortem. Et ratio eſt, quia lege divina, & naturali, etiam cum mortis periculo tenemur vitare contemptum Religionis Catholicæ; ſed in talibus circunſtantijs comeſtio continet legis Eccleſiaſticæ, & Religionis Catholicæ contemptum: ergo illum etiam cum mortis periculo vitare tenemur. Ita ſupponit Sanchez loc. cit. & tenent Coninch diſp. 15. dub. 3. n. 53. Hurtado diſp. 48. §. 100. Filliuc. tract. 22. cap. 3. quæſt. 7. num. 48. Fagundez loc. cit. num. 16. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 7. num. 24. ¶ Hic inquiri poterat, an qui vi tormentorum, aut alterius gravis damni fidem exterius tantum negaret, incurreret excommunicationem contra hæreticos latam? Sed ad hæc iam diximus tract. 10. cap. 4. punct. 4. num. 48. illam non incurrere, cum non ſit vere hæreticus. Quam concluſionem tenent Suarez diſp. 14. de Fide, ſect. 6. num. 4. referens pro ea Sylv. Navarr. Azor, & alios; tenent etiam D. Anton. 2. part. tit. 18. cap. 5. Toletus lib. 4. cap. 4. num. 6. Araujo dub. 2. concl. 3. Prado tom. 1. cap. 7. quæſt. 8. §. 5. num. 14. & apud illum plurimi.

PUNCT. XII.

An ſit licitum Catholicis cum Infidelibus, Hæreticis de rebus fidei diſputare?

Quædam notanda.

132 PRo reſolutione quæſtionis, nota primò, diſputationem de rebus fidei poſſe eſſe duplicem, formalem ſcilicèt, & materialem. Formalis eſt, quæ fit ad defendendam, vel perſuadendam veritatem: materialis vero eſt, quæ habetur tantum exercitij gratia, vel ad acuenda ingenia, vt accidit frequenter in ſcholis. ¶ Secundò nota de hac re extare decretum *in cap. Quicumque*, §. *Inhibemus*, *de Hæreticis*, *in 6.* interdicens, & prohibens laicis publicè, vel privatim de rebus fidei diſputare ſub pœna excommunicationis, non latæ, ſed ferendæ; vt tradit Gloſſa verbo *Innodetur*. Et conſtat ex littera textus, quæ ſic ſe habet. *Inhibemus quoque ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publicè, vel privatim de fide Catholica diſputare; qui vero fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Quæ verba, vt ex ſe liquet, excommunicationem non latam, ſed ferendam ſignificant; obligant tamen ſub mortali. ¶ Nota tertiò. Hanc prohibitionem non eſſe de diſputatione materiali, ſed de formali: qui cum odia ſint reſtringenda, in decreto pœnali verba ſunt præciſſe formaliter accipienda, nullo que modo ad alia extra propriam, & formalem ſignificationem extendenda. Sic Caiet. 2. 2. quæſt. 10. art. 7. dub. 1. & 6. Bannez ibi. Navarr. in Summ. cap. 11. num. 27. Sanchez in Summ. lib. 2. cap. 6. num. 9. Trullench lib. 1. Decalog. cap. 1. dub. 9. num. 1. & Suarez diſp. 20. ſect. 1. num. 1. Ex quibus

Diſputatio materialis licita eſt, ſi fiat debitis circunſtantijs.

133 Nota quartò: Diſputationem materialem de rebus fidei inter Catholicos licitam ex ſe eſſe. Et ratio eſt: nam talis diſputatio ex obiecto eſt licita, cum malitiam non importet: alias ex fine, & circunſtantijs honeſtari poteſt: ſi fiat animo exercendi ingenia, vel ad doctrinam capeſendam, ſolutiones que inveſtigandas pro enodatione argumentorum, vt poſtea oblata occaſione melius, & nervoſius illis poſſet ſatisfacere: ergo licita abſolutè, & ex ſe eſt. Dixi *ex ſe*: quia ex adiunctis circunſtantijs poterit illicita eſſe. Primò: ſi fiat coram indocta plebe, lingua que vulgari: quia tunc illitterati facile decipiuntur, vnum pro alio percipiendo, & ſolent difficultates percipere, non vero earum ſolutiones callere. Sic D. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 7. Secundò: ſi procedat ex aliqua dubitatione: quia, quod ex dubitatione procedit, non eſt ex fide; *ſed quod non eſt ex fide*, iuxta Apoſt. ad Rom. 14. *peccacum eſt*: ergo talis diſputatio illicita, & peccaminoſa eſt; ac proinde reprobata, tum per Concil. Calced. act. 5. in 2. diffinit. tum per D. Leonem Epiſt. 48. aliàs 50. ad Martianum Auguſtum his verbis. *In eam fidem, quam Apoſtolicis prædicationibus declaratam per antiquos Patres accepimus (nulla penitus diſputatione cuiuſquam retractationis admiſſa) omnium corda concurrant, ne per vanam, fallacem que verſutiam, aut infirma videantur, aut dubia, quæ in Chriſto firmata ſunt, & ſine fine manſura.* Nec minus clarè loquitur D. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 7. in corpore vbi ſic ait. *Si enim diſputet, tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non ſupponens, ſed argumentis experiri intendens, proculdubio peccat, tanquam dubius in fide, & infidelis.* Videantur Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 6. Arriaga de Fide, diſp. 23. à ſect. 1. Palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 2. punct. 4. num. 2. & alij. His ſuppoſitis

Laicos dõctos non cõprehẽdi ſub hoc decreto aliqui ſentiunt.

134 Rogabis primò: An decretum prohibens laicis, diſputare cum hæreticis de rebus fidei,

fidei tam publicè, quàm privatim, comprehendat laicos, etiam doctos. Prima ſententia eſt negativa. Et ratio illius potiſsima eſt, quia ceſſante fine legis, ceſſat ipſa lex; ſed finis huius legis prohibitivæ ceſſat in præſenti caſu: ergo ceſſat ipſa lex, eius que prohibitio. Minor facile ſuadetur à contrarijs, quoniam finis huius legis eſt defectus doctrinæ, quæ communiter in laicis invenitur, ob quem periculum propriæ perverſionis, aut deſpectus fidei prudenter imminet: ergo ceſſat finis huius legis, & conſequenter eius prohibitio. Ita Caiet. 2. 2. quæſt. 10. art. 7. dub. 1. ibi Bannez, Petrus Ledeſma in Sum. tom. 2. tract. 1. cap. 5. concl. 13. Granados tract. 15. diſp. 9. num. 5. Reginald. lib. 17. num. 22. Petrus Hurtado diſp. 75. ſect. 3. §. 24. & alij.

Verius eſt laicos etiam Doctos, non poſſe diſputare de rebus fidei.

135 Sed conformiter ad dicta tract. 11. cap. 4. punct. 1. num. 6. dicendum eſt, quemlibet laicum quamtumvis doctum non poſſe publice, aut privatim de rebus fidei diſputare. Et ratio eſt: quia ceſſante fine legis in aliquo caſu particulari, non ideo ceſſat lex; ita que licèt in aliquo caſu particulari ceſſet finis legis naturalis prohibentis fornicationem; nimirum ob pravam educationem prolis inde ortam; tamen adhuc non ceſſat ipſa lex; ſed in præſenti caſu ſolum ceſſat finis legis in aliquo caſu particulari: ergo non ceſſat ipſa lex. Deinde huius legis finis adæquatus non ceſſat in hoc particulari caſu, cum ille ſit prohibere diſputationem fidei laicis ob periculum perverſionis, & fidei contemptus, quod communiter in talibus diſceptationibus ſolet evenire; & leges ferantur de his, quæ non raro, ſed communiter accidunt. *leg. Nam ad ea, ff. de legibus*; *Sed* hoc periculum licet in hoc caſu particulari non accidat; tamen communiter ſemper adeſt: ergo finis adæquatus legis ſemper ſalvatur; & ſic lex obligabit etiam in illo caſu particulari. Confirmatur primò: quia ſi contraria ſententia eſſet vera, illa lex eſſet invtilis; cum nihil novum prohiberet laicis: nam ſi iſti ſunt indocti, iure naturæ ſunt prohibiti, & inepti ad diſputandum de rebus fidei, ſicut etiam illitterati Clerici: ergo ſi talis lex vim habet comprehendit laicos, etiam doctos. Confirmatur ſecundò. Laici eſto litterati ſint, prædicare prohibentur, vt conſtat *ex cap. Sicut in vno, de hæreticis, in 6.* ergo & diſputare de fidei myſterijs. Patet conſequentia. Cum ob imperitiam communiter contingentem in laicis vtrumque prohibeatur. Sic Gloſſa *in cap. Dicto quicumque.* Navarr. lib. 5. Conſil. tit. *de hæreticis*, in 1. edit. & in 2. conſil. 24. num. 2. Farinac. lib. 5. *de hæreſi*, quæſt. 178. §. 5. à num. 112. Sanchez lib. 2. Sum. cap. 6. num. 5. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 26. quæſt. 1. Trullench lib. 1. cap. 1. dub. 9. num. 1. Lugo diſp. 22. ſect. 5. num. 139. Bonac. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 4. num. 2. Palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 2. punct. 4. num. 4. & alij apud citatos. Et ex dictis ſufficienter conſtat ad argumentum ſententiæ contrariæ.

In caſu neceſsitatis laicus Doctor poſſet diſputare de rebus fidei.

136 Hæc licet ita ſint, tamen credimus, quod ſi adeſſet caſus magnæ neceſsitatis, aut vtilitatis, vt ſi nullo adſtante Clerico, qui fidem defenderet, & eſſet aliquis hæreticus, qui ſuis concionibus, & colloquijs ad errores traheret fideles; tunc poterat laicus doctus; imò & teneretur, fidem tueri, & diſputationibus, tam publicis, quam privatis curare hæretici os obſtrudere, & effrænare. Et ratio eſt; quia tunc in illo caſu finis legis ceſſat contrarie, cum tunc iam ſit de re non honeſta: imò poſitive ipſi fidei nociva, ſed vt diximus loc. cit. & docet Suarez num. 11. quando ceſſat finis legis contrarie etiam in aliquo caſu particulari, ceſſat lex: ergo teneretur tunc laicus doctum fidem ab hæreticorum argutijs, & cabillis defendere. Sic Sanchez num. 7. Suarez num. 11. Palaus num. 6. Lugo num. 142. Coninch diſp. 18. dub. 9. num. 147. Tapia tom. 2. lib. 1. quæſt. 5. art. 1. n. 5. in fine, Bonac. tom. 2. diſp. 3. q. 2. punct. 5. num. 3. Quam doctrinam extendunt Palaus num. 8. Suarez, Coninch num. 148. Lugo, & alij loc. cit. ad Provincias, in quibus admixti ſunt Catholici, & hæretici: quia talis lex ibi per contrarium vſum abrogata eſt, & videntibus Prælatis, laici litterati frequenter cum hæreticis diſputant.

Nomine laicorum non comprehenduntur Religioſi laici.

137 Rogabis ſecundò: An nomine laicorum comprehendantur Religioſi, qui *laici*, *Donati*, *aut Converſi*, vel *mutilati* dicuntur? Affirmant Lugo num. 138. Petr. Hurtad. diſput. 74. §. 32. acriter in eos invehens, Gaſpar Hurtado diſp. 10. difficult. 11. Ægidius diſput. 18. dub. 9. num. 145. & alij. Tum quia verè ſunt laici: tum, quia carent doctrina ad id neceſſaria. Sed verius eſt tales Religioſos non comprehendi: quia ſunt verè Religioſi, perſonæ que Eccleſiaſticæ gaudent que canonis privilegio: ergo, &c. Deinde, quia in iure, quando laici diſtinguntur à Clericis, ſub his comprehenditur totus ſtatus Religioſus, vt conſtat ex cap. *Duo ſunt*: ergo cum odia ſint reſtringenda, & favores ſint ampliandi, dicendum eſt ſub hac prohibitione laicos non comprehendi. Ita docent Suarez diſp. 20. num. 10. in fine, Coninch diſp. 18. dub. 9. num. 145. Sanchez cap. 6. num. 6. Fagundez lib. 1. cap. 8. n. 10. Palaus tom. 1. tract. 4. diſput. 2. punct. 4. n. 4. Leander tract. 2. diſp. 4. quæſt. 14. Et idem dicunt de Monialibus Lorca 2. 2. quæſt. 10. in annot. artic. 7. Leander quæſt. 15. ¶ Sed nota quod ſi Donati, aut laici, vel alij Religioſi, etſi choro deputati, ſi tamen ſunt illiterati audeant diſputare cum hæreticis de fide, licet non peccent contra hoc præceptum Eccleſiaſticum, peccabunt tamen contra ius naturæ ratione periculi in multis errandi, vt docent Azor tom. 1. lib. 8. cap. 26. quæſt. 1. Sanchez num. 8. Fagundez lib. 1. cap. 8. num. 12.

Stabilitur quibus ſit licitum diſputare cum hæreticis de rebus fidei.

138 Rogabis tertiò. Quibus ergo licitum eſt de rebus fidei publicè, aut privatim cum hæreticis, aut Gentilibus diſputare? Reſpondetur omnibus, & ſolis clericis, aut Religioſis ſufficienti ſcientia ad tantum munus exequendum gaudentibus. Et ratio eſt: quia licita eſt talis diſceptatio cum hæreticis, vt ex ſe conſtat, docet que Apoſtol. ad Tit. 1. *Vt potens ſit ::: eos, qui contradicunt, arguere.* Et conſtat exemplis S. Scripturæ. Nam Act. 6. dicitur: *Surrexerunt diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere*, &c. Et cap. 17. *Paulus diſſerebat de Scripturis ſecundum conſuetudinem.* Quod conſtat etiam exemplo Sanctorum Patrum

trum, & Eccleſiæ Doctorum, qui frequenter cum hæreticis diſputabant. Vnde D. Auguſt. epiſt.48. ait: *Cum hæreticis verbis etiam agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum.* Sed hoc illicitum eſt laicis, vt ſupra vidimus: ergo Clericis licitum erit, ſi poleant ſufficienti ſcientia. Sic docent communiter Auctores ſupr. citati: quare ſupervacaneum eſt, eos in particulari referre. Ex quibus oritur: omnes Clericos ſola prima Tonſura initiatos, & Religioſos ad Chorum deſtinatos, etſi prima Tonſura careant, poſſe licitè cum hæreticis de fidei rebus diſputare: quia primi ſunt vere Clerici, & ſecundi Religioſi: ergo, &c. Primam partem defendunt Azor tom.1. lib. 8. cap. 26. quæſt. 1. Sanchez num. 6. Suarez num. 10. Fagundez num.10. Palaus num. 4. Secundam vero etiam tuentur Suarez num. loc. cit. Palaus num.4. Trullench lib. 1. cap.1. dub.9. num.1. Lugo num.138. Bonacina tom.2. diſp.3. q. 2. punct.5.num.1. Sanchez num.6. & alij.

Nequit diſputari de fide coram Principe ſæculari, tanquam vt Iudice.

139 Pro coronidè huius puncti nota, illicitum eſſe Catholicis diſputare de fide cum hæreticis coram Principibus ſæcularibus tanquam coram Iudicibus. Tum, quia laici, etſi Principes ſint, potius debent à Sacerdotibus res fidei diſcere, quam de eis iudicare cum nullo modo Iudices in cauſa fidei ſint, vt conſtat ex cap. *Si Imperator*, diſtinct. *96.* Ergo illicitum eſt coram illis vt Iudicibus diſputare. Tum etiam, quia D. Ambroſ. ob incompetentiam Iudicis vocatus ab Imperatore Valentiniano ad diſputandum coram ipſo cum Auſentio Epiſcopo Ariano comparare noluit. Rationem que reddit epiſt.32. ad eundem Imperatorem his verbis: *In cauſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicuius Ordinis eum iudicare debet, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis. Quando audiſti, Clementiſſimè Imperator, in cauſa fidei laicos de Epiſcopo iudicaſſe? : : at certè vel ſi Scripturarum ſeriem divinarum, vel vetera tempora tractemus, quis eſt, qui abivat in cauſa fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare.* Ergo, &c. Eandem ſententiam tenent Fagund.lib.1. cap.8. num.17. & Lugo diſp.22. num.143.

CAPUT III.

De vitijs, ſeu peccatis oppoſitis fidei.

1 PEccatum, ſeu vitium, quod immediatè opponitur fidei, eſt infidelitas, non negativa, ſeu quæ dicit hoc, quod eſt non habere fidem (quia *hæc* quando nulla adeſt notitia fidei, ait D.Thom.2.2. quæſt.10.art.1. *Non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi Parentis conſequta eſt, qui autem ſic ſunt infideles damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt, non autem damnantur propter infidilitatis peccatum)* ſed eſt infidelitas privativa, ſeu contraria, qua ſcilicèt aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit illam, & hæc eſt, quæ propriè eſt peccatum infidelitatis fidei oppoſitum, de quo dicitur Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus eſt.* Hæc autem infidelitas privativa, ſeu contraria, tres continet ſpecies, quas ſic explicat D. Thomas 2.2. quæſt.10. artic.5.& ex eo omnes Theologi: *Cum enim peccatum* (ait) *infidelitatis conſiſtat in renitendo fidei, hoc poteſt contingere dupliciter: quia aut renititur fideì nondum ſuſceptæ; & talis infidelitas eſt Paganorum, ſeu Gentilium. Aut renititur fidei chriſtianæ ſuſceptæ, vel in figura, & ſic eſt infidelitas Iudæorum; vel in ipſa manifeſtatione veritatis, & ſic eſt infidelitas Hæreticorum. Vnde in generali poſſunt aſsignari tres prædictæ ſpecies infidelitatis.* Quare eodem ordine in præſenti diſputandum nobis de illis eſt: & ſic à Paganiſmo, & Iudaiſmo exordium auſpicamur: ſupponendo prius ex immediatè dictis, relatas infidelitates iuxta Divum Thomam eſſe ſpecie diverſas, proindeque in confeſsione earum diverſitatem explicandam. Quidquid in contrarium dicant Fagundez lib.1.cap. 9. num. 10. Suarez diſputatione 16. ſect. 4. num.8. Coninch apud Palaum tractatu 4. diſputatione 2. puncto 1. num.4. Noſtram tamen reſolutionem præter Divum Thomam tenent N. Salmanticenſes Scholaſtici, tom.7. tractatu de Fide, diſp.9.dub.2. §. 2. à num. 21. Prado tom. 2. capite 8. in princip. Tapia tom.2. lib.1.quæſt.4. articulo 9. num. 1. & 2. & alij, apud quos videri poſſunt aliquæ obiectiones, quæ contra dicta fieri poſſunt. Hoc tamen caput decem continet puncta.

Punct.I. *QVid ſit Paganiſmus, & Iudaiſmus, & an eorum ſectatores permitti, & ritus tolerari poſsint ab Eccleſia?* num. 2.

Punct.II. *Quam poteſtatem habeant Eccleſia, Principes que Chriſtiani circa infideles, etiam ſibi non ſubditos?* n.7.

Punct. III. *An Eccleſia poſsit privare Principes infideles, non ſibi ſubditos, iuriſdictione in vaſſallos, & ſervos fideles; & eos cogere armis, ad errores, & ritus rationi contrarios relinquendos?* num.12.

Punct.IV. *In quibus caſibus ſit prohibita com-*

communicatio fidelis cum infideli? num. 24.

Punct.V. *De hæresi, & apostasia à fide; & quæ ad illas requirantur?*

§.I. *Traditur ethymologia, & definitio hæresis, & apostasiæ; & tres primæ illius particulæ explicantur,* n. 39.

§.II. *Reliquæ particulæ definitionis exponuntur, & quid sit Apostasia à fide declaratur,* num.47.

Punct. VI. *Quotuplex sit hæresis, & quæ illius pœnæ?* num. 59.

Punct.VII. *Qui incurrant excommunicationem contra hæreticos latam?* num. 70.

Punct.VIII. *Qui possint ab hæresi absolvere?* num. 80.

Punct.IX. *An omnes fideles debeant hæreticos sibi notos Iudicibus fidei denuntiare; vel sint aliqui, qui à denuntiatione excusentur?*

§.I. *Deciditur prima pars dubij,* n. 94.

§.II. *Resolvitur secunda pars; & deciditur, qui excusentur à denuntiatione?* num. 103.

Punct.X. *Quid, & quotuplex sit blasphemia; & quæ pœnæ contra eam latæ?* num. 1.

§.I. *Traditur definitio, & divisio blasphemiæ,* num.118.

§. II. *De pœnis contra blasphemantes latis: & qui de hoc crimine cognoscere possint?* num. 126.

PUNCT. I.

Quid sit Paganismus, & Iudaismus, & an eorum sectatores permitti, & ritus tolerari possint ab Ecclesia?

Quid sit Paganismus, & Iudaismus.

2 OMissis acceptionibus huius nominis Paganus videndis apud Azor tom. 1. lib.8.cap.24. Dicimus cum D.August.lib.2. retract. cap.43. *Quod Deorum falsorum cultores, vsitato nomine Paganos vocamus.* Quo supposito. Essentia paganismi ex traditis à D. Thom. loc. cit. explicari potest dicendo, quod sit *Voluntarius error fidei non dum susceptæ resistens cum pertinacia.* Quæ definitio convenit etiam Iudaismo cum sola differentia, quod iste opponitur fidei aliquomodo in figura susceptæ, ille vero fidei nullo modo susceptæ. Pro harum diffinitionum intelligentia nota: hic non loqui D. Thom. de susceptione fidei subiectiva, sed obiectiva: nam omnes Iudæi, imò & plures hæretici sunt, qui numquam habitum fidei habuerunt, cum numquam gratiam sanctificantem receperint, vt sunt adulti, qui cum errore circa aliquem fidei articulum baptizantur; & tamen fidem obiectivam habent, cum credant plura fidei mysteria, licet non omnia: ergo D.Thomas & definitio ex illo à nobis tradita, intelligendi sunt de susceptione fidei obiectiva, non autem subiectiva. In qua susceptione fidei obiectiva conveniunt Iudæi, & Hæretici, & discernuntur à Paganis: quia isti ex vi revelationis divinæ nullum fidei mysterium credunt, esto alias ex alijs titulis alicui fortasse assentiantur; at Iudæi credunt vnicè vetus testamentum, & negant novum; hæretici vero vtrumque credunt, sed ex illis non omnia, sed quæ sibi tantum placent, & per hoc distinguntur à Iudæis.

Atheismus, & Turcismus sub Paganismo cõtinentur.

3 Ex quibus oritur, quod Atheismus, & Turcismus contineantur sub Paganismo; quia Atheista etsi neget, dari Deum, quem concedit Paganus; tamen convenit in eo quod resistat fidei sufficienter propositæ, quod est de formali in illo, & sic ad eandem speciem Paganismi attinet. Turca vera etiam vtrumque testamentum negat, resistit que fidei nullo modo susceptæ, & ideo sub Paganismo continetur: & esto aliqua novi, & veteris testamenti credat, tamen illis non ideo assentitur: quia à Deo, aut Christo revelata sunt; sed quia à Mahomete dicta; & sic nullo modo convenit cum Iudæis, aut hæreticis, sed sub Paganis comprehenditur. Videantur Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 1. à num. 8. vnde notat hic Bonac. disp. 3. quæst. 2. punct. 7. num. 3. quod si quis à Fide Catholica decedit amplectendo sectam Iudæorum, aut Turcarum, duplex peccatum specie diversum contra fidem committit; alterum hæresis, prout à fide deficit, & alterum Paganismi, seu Iudaismi, prout ad illa se convertit, proinde que teneri has circunstantias in confessione aperire.

Libertatem conscientiæ sine gravissima causa concedi nequeunt Principes Catholici.

4 Sed deveniendo ad secundam dubij partem: rogabis primò: An Principes Christiani possint licite permittere Paganos, & Iudæos inter Catholicos commorari, & eorum ritus peragere? Huic gravissimæ quæstioni respondetur primò, illicitum esse ex se Christianis Principibus, id permittere. Et ratio est: quia Princeps Catholicus nequit permittere etiam minora vitia, alias contra munus proprium peccaret: ergo nec potest permittere maiora, qualia sunt Paganismus, & Iudaismus. Tum etiam, quia frequenter reprehendit Scriptura Principes, qui excelsa in Ierusalem non abstulerunt, seu permiserunt: & è contra laudantur apud D. Aug. lib. 18. de Civitate Dei Principes Catholici, qui templa idolorum primo claudi, & postea dirui fecerunt: ergo illicitum est ex se inter Catholicos illa permittere. ¶ Respondetur secundò. Posse prædicta permitti, & tolerari ex gravissima causa, puta si aliquod maius bonum inde proveniat, aut gravius damnum vitetur. Quod sic ostenditur primò. Quia Deus

Deus permittit aliqua mala fieri in vniverſo ad evitanda maiora : ergo id etiam permittere poteſt legislator, ſeu Princeps humanus. Secundò D. Auguſtin. lib.2. de ordin.cap.4. docet licitè poſſe ob aſsignatam cauſam permitti in Civitate meretrices : vnde ait : *Aufer meretrices de rebus humanis, turbabis omnia libidinibus.* Et D.Ieſus Chriſtus Matth. 13. permiſit zizaniam inter triticum. *Ne forte eradicantes zizania eradicetis ſimul & triticum* : ergo vel propter bonum, quod inde provenit, vel ad evitandum maius malum permitti poſſunt aliqua peccata. Et ita videmus Romæ nunc permitti Iudæis ſuas ſinagogas, & ſacrificia, ſic vt permiſſerat D.Gregorius in regiſtr. lib. 11. cap. 15. his verbis : *Omnes feſtivitates ſuas, ſicut hactenus ipſi*, Iudæi ſcilicet, *& patres eorum per longa colentes tempora, tenuerunt, liberam habeant obſervandi, celebrandi que licentiam.* Idem docent D.Thom. 2. 2. quæſt. 10. articul. 11. Lugo diſp. 19. ſect. 2. §. 4. Tapia tom.2. lib. 1. quæſt. 5. artic. 3. Azor tom. 1. lib.8.cap.24. quæſt.11.& cap.23. q.18.Becan. 2.2. tract.de Fide,cap.16.quæſt.4. n.10.Bonacin.tom.2.diſp.3. quæſt.2.punct.8.num.4.§.1. & alij eodem modo loquentes de hæreticis.

Iuſta cauſa permittendi Iudęos inter Catholicos eſt vnicè bonum religionis.

5 Sed rogabis ſecundò, quæ erit iuſta cauſa ad hanc libertatem conſcientiæ permittendam? Bonac. aſſerit loc.cit.& quidem bene, hoc tantum fieri poſſe ob commune Catholicæ Religionis bonum, non autem ob conſervandum Regna, vel Provincias. Quia bona inferioris ordinis ad tuenda bona religionis exponenda ſunt cuicumque periculo ; ſed Regna, vel Provinciæ ſunt bona inferioris ordinis reſpectu Religionis : ergo ob conſervandum bonum Religionis Catholicæ illa periculo exponenda ſunt : & ideo Paulus V. numquam adduci potuit ad permittendam libertatem conſcientiæ, quamvis ex tali denegatione bellum grave Provincijs Catholicis ingruere ſciret. Quæ etſi vera abſolutè ſint, maximè tamen obſervanda ſunt circa permiſsionem hæreticorum ; horum enim errores, pluſquam Paganorum, & Iudæorum Eccleſiæ Catholicæ nocivi ſunt ; perturbant enim Catholicos, & plures ad ſuos errores inducunt, quam ex illis ad fidem Catholicam reducantur ; è contra vero Pagani, & Iudæi facilius intra ſuam ſectam continentur, quin ad eam Catholicos conentur adducere ; & alias non paucos ex illis, videmus quotidiè, errores proprios dimittere, noſtram que Catholicam Religionem amplecti : quare Iudæis,& Paganis conſcientiæ libertas facilius, quam hæreticis permitti poteſt, ſi adeſt ſufficiens, & iuſta cauſa Religionis, nec non ſpes converſionis illorum ; ſi vero hæc abſit, & ſolum temporale aliquod emolumentum ſperetur, illicita erit talis permiſsio.

Conditiones ſub quibus Romæ,& alibi permitrátur Iudæi.

6 Sed nota, quod licet videamus Eccleſiam, alios que Principes, permittere Iudæos apud Chriſtianos commorari, proprios que ritus exercere ; at hoc eis concedunt, non abſolutè, ſed ſub ſequentibus conditionibus, vt conſtat ex diverſis iuris capitibus. Nam 1. in cap. *Non nullis de Iudæis dicitur. Statuimus, vt Iudæi cuiuſcumque ſexus ſint in omni Chriſtianorum provintia, & in omni tempore, qualitate habitus publicè ab alijs populis diſtinguantur.* 2. in cap. *Quia ſuper his, de Iudæis,* prohibentur habere in die Paraſceves oſtia, & feneſtras apertas. Et in cap. *Non nullis*, præcipitur ne in diebus dominicæ Paſsionis in publicum prodeant : quia hi infelices homines his diebus in contemptum Religionis Chriſtianæ politis, & feſtivis veſtibus induti in publicum procedebant. ¶ 3. in cap. *Conſuluit*, & cap. *Iudæi de Iudæis*, prohibentur novas ſynagogas extruere, & ſolum eis permittitur antiquas retinere, & reficere collabentes, non tamen cum maiori magnificentia, ſed iuxta priſtinum ſtatum. Et D. Gregorius lib.12. epiſt.18. prohibuit illis habere ſynagogas Eccleſijs Chriſtianorum vicinas. ¶ 4. *in cap. 3. 4. 7.& 15. de Iudæis, & in iure Hiſpano, leg. 1. & ſequentibus, tit. 24. part. 7. & leg. 63. tit. 4. part. 1.* præcipitur illis, vt ſacrificia, & ritus ſine ſcandalo Chriſtianorum exerceant, alioquin graviſſimè punientur. Quæ omnia conſtant ex citatis textibus, docent que Sylveſter, verbo *Iudæus*, Azor tom.1. cap. 22. quæſt.10. Tapia tom. 1. lib. 1. quæſt.5. artic. 3. & alij. Et ſub his conditionibus, & non aliter, permittit Eccleſia Iudæos apud Catholicos diu commorari.

PUNCT. II.

Quam poteſtatem habeant Eccleſia, Principes que Chriſtiani circa infideles etiam ſibi non ſubditos?

Iudæi,& Apoſtatæ poſſunt armis adduci, vt fidem ſervent

NOn procedit titulus quæſtionis de Hæreticis, & Apoſtatis, qui licet directè temporaliter ſubditi Eccleſiæ non ſint, ſunt tamen ſpiritualiter ; & ſic poſſunt ab ea compelli, tam armis ſpiritualibus, quàm temporalibus, vt adimpleant fidem in baptiſmo ſuſceptam, & teneant, quod ſemel ſuſceperunt. Videatur D. Thom. 2.2. quæſt. 10. artic.8.in corpor. Solum ergo diſputamus de alijs infidelibus, vt Paganis, & Iudæis, ſivè ſubdantur, ſivè non Domino temporali, Eccleſiæ, aut alicui alteri Principi Catholico. De quibus

Infideles nõ ſubditi nequeunt obligari ad fidẽ audiendam.

7 Rogabis primò : An Eccleſia per ſe, aut per Principes Chriſtianos, poſsit compellere Paganos, aut Iudæos ſibi temporaliter non ſubditos ad fidem audiendam? Reſpondetur negativè. Nam vt ait D. Thom. loc.cit. *Credere, voluntatis eſt* : ergo nullus eſt compellendus ad fidem audiendam, cum hoc ſit via ad credendum. Deinde compulſio petit iuriſdictionem ; ſed Eccleſia non habet iuriſdictionem in prædictos infideles : ergo compellere eos nequit. Præterea : Chriſtus Dominus, eius que diſcipuli fidem prædicarunt, & ad eam credendam mundum adduxerunt, non vi, & armis, ſed manſuetudine, patientia, verborum, miraculorum que potentia, iuxta illud Matth.10. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum.* Et de Chriſto canit Eccleſia ex D. Auguſtin. in Pſalm.54.verſ. 1. *Domuit orbem non ferro, ſed ligno.* Ergo non ſunt cogendi vi, aut armis ad fidem audiendam, vel amplec-

plectendam. Ita D. Thom. loc.cit.& artic.12. & eius Expositores: insuper Paludan. in 4. distinct.4. quæst. 4. Sotus distinct. 9. quæst.1. articul.3. Sylvest. verb. *Baptismus*, 4. quæst. 6. Suarez disput. 18. sect. 2. num. 6. Ledesma 2.part. tract. 1. cap.5. concl. 19. Bonacin. tomo 2. disp.3. quæst.2. punct.8. num. 3. Solorzano tom.1. de Iure Indiar. lib.2. cap.20. n.1. Coninch disp.18. dub.14. num. 225. concl.2. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 5. artic. 7. Palaus tract. 4. disp.4. punct. 5. num. 3. ¶ Nec refert, quod Ecclesia habeat à Christo potestatem ad prædicandum omnibus Evangelium: ergo debet cogere eos ad audiendum illud. Quia ad hoc respondetur; quod sicut Episcopus dans potestatem ad Evangelium prædicandum, non dat potestatem ad cogendos fideles ad illud audiendum; sed tantum dat ius cogendi alios,ne prædicationem impediant; ita Christus concedens Ecclesiæ potestatem fidem omnibus prædicandi,non concedit ius ad obligandos homines ad eam audiendam, sed non ad impediendam eius prædicationem.

Possint obligari infideles ad fidem audiendam, si sint subditi?

8 Sed quid dicendum si infideles sint subditi? Ad quod Palaus punct. 5. num. 5. referens Valentiam, Salmeron, & Coninch acriter negat habere Ecclesiam potestatem compellendi infideles subditos ad audiendam fidem: quia non habet super illos iurisdictionem, nisi in ordine ad finem politicum; sed auditio fidei pertinet ad finem supernaturalem: ergo nequit eos competere ad fidem audiendam. Alias rationes conglomerat sed omnes eliduntur vnico Ecclesiæ praxi: nam S. Pontifex compellit Iudæos Romæ commorantes ad semel in hebdomada fidem Catholicam, & prædicationem Evangelij audiendam; de quo extant Bulla Nicolai III. quæ incipit *Vineam*, & altera Bulla Gregorij III. quæ incipit: *Sancta Mater*: Nec deficiunt rationes satis efficaces. Nam prædicti infideles cogi possunt ad audiendum Medicum præscribentem medicinas: ergo ad audiendum Prædicatorem animæ medicamenta edocentem. Rursus: actio audiendi Evangelium non est supernaturalis, & alias est honesta, valde que conducens ad bonum, subditorum: ergo S.Pontifex, vt sæcularis Princeps, & ex consequenti quilibet alius Supremus Dominus, potest præcipere, & cogere infideles subditos ad prædicationem Evangelij audiendam. Per quod patet ad rationem sententiæ contrariæ. Nostram vero resolutionem tenent Suarez disput.18. sect.2. num.3. Bannez 2.2. quæst. 10. artic.8. Azor tom.1. cap. 24. quæst.3. Becanus cap.13. quæst.4. num.4. & 13. Bonacin.disp.3. quæst.2. punct.8. num.3. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst.5. artic.7. Filliuc.tract.22.cap.5. n.117. Solorzanus tom. 1. lib.2. cap.20. num.2.

Sola Ecclesia habet potestatem prædicandi vbique terrarũ Evangelium

9 Rogabis secundò: An si aliquis Rex infidelis impediat prædicationem Evangelij,posset Ecclesia per se, aut per Principes Catholicos eum compellere ad Evangelicos Predicatores admittendos. Pro resolutione huius quæstionis supponendum est Ecclesiam habere plenissimam potestatem ad vbique terrarum prædicandum Evangelium. Nam Christus Dominus habuit hanc potestatem, vt ex se liquet; sed hanc eandem potestatem tribuit Apostolis, & consequenter Ecclesiæ: ergo illa de facto residet in Ecclesia, summo que eius Pontifice, & capite. Vnde Matth.vlt. postquam dixit Christus: *Data est mihi omnis potestas in cœlo,& in terra*: subiungit. *Euntes docete omnes gentes.* Et Marc. vltim. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quapropter hæc potestas vnicè est in S. Pontifice, & non in alio quovis Principe Catholico, & ideo nullus absque eius permisso potest occupare terras infidelium ad fidem seminandam, defendendos que Evangelij Prædicatores: vt optimè docent Auctores citaudi. ¶ Ex quibus oritur, postquam Alexander VII. concessit facultatem Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabet, & Regibus Portugaliæ Ioann. II. defendendi Prædicatores Evangelicos, & ad hoc munus illis donavit Indiam Occidentalem, & istis Orientalem; iam alij Principes non possunt, etiam titulo defendendi fidem occupare Regna illis concessa. Quia cum S. Pontifex sit Dominus, apud quem vnicè est prædicta potestas, hoc ipso, quod alicui hanc curam defendendi Evangelicos Prædicatores demandaverit, & ad hoc Regna, & infidelium terras diviserit, nullus quovis titulo, seu prætextu potest eos ab hac possessione, & concessione deturbare. ¶ Sed nota has Provintias minimè S. Pontificem donasse prædictis Regibus absolutè, sed conditionaliter, hoc est, si opus fuerit ad Evangelij prædicatores defendendos, tuendos que recenter conversos:quare si id necessarium non est, quod rarissimè contingit, nequeunt licitè infidelibus bellum indicere, armis que, & potentia cogere. His suppositis.

Ecclesia potest vi coercere impedientes Evangelij prædicationem.

10 Dicendum est Ecclesiam habere potestatem ad coercendos vi, & armis Principes infideles impedientes persecutione, aut blasphemijs Evangelij Prædicatores. Quod sic ostendo efficaciter primò ex D.Th. 2.2.q.10. art.8. qui in corpore postquam docet infideles non esse compellendos ad credendũ,subiungit:*Sunt tamen compellendi à fidelibus, si adsit facultas, vt fidem non impediant, vel blasphemijs, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum movent,non quidem, vt eos ad credendum cogant (quia si eos vicissent, & captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent:) sed propter hoc, vt eos compellant, ne fidem Christi impediant.* Quid clarius? Deinde secundò ostenditur à ratione. Nam cui conceditur iurisdictio aliqua, conceduntur omnia ad eam necessaria, vt constat ex leg.2. ff. *de his quibus mandata est iurisdictio, cap. Prætereà.* Ergo, cum data sit Ecclesiæ potestas ad prædicandum, & ad hoc sit necessarium ius ad Prædicatores ab iniurijs tuendos, dicendum est adesse Ecclesiæ talem potestatem. Tertiò. Quilibet habet ius ad propulsandas iniurias sibi illatas; sed qui impedit Evangelij prædicationem, iniuriam infert iuri, quod Ecclesia ad hoc habet: ergo poterit illam vi, & armis, si opus fuerit, propulsare. Quartò. Supremus Princeps poterit defendere innocentes; sed quando aliquis Rex impedit Evangelij prædicationem, patiuntur iniustitiam subditi, vt innocentes, & Rex est tyra-

tyranus; cùm viam salutis æternæ illis obstrudat, qua aperta plurimi converterentur: ergo potest cogere infidelem Regem, ne impediat fidei prædicationem. Quintò. Quicumque Supremus Princeps potest mittere legatos pacis, eosque defendere; sed Prædicatores fidei Catholicæ sunt pacis legati, missi ab Ecclesia: ergo poterit eos armis, si opus sit, defendere. Ita Suarez disput. 18. sect. 1. à num. 4. Lugo disp. 19. sect. 2. num. 38. Sotus in 4. distinct. 4. & 5. artic. 10. Ledesma part. 2. tract. 1. cap. 5. concluſ. 23. Palaus tract. 4. disp. 2. punct. 5. num. 6. Tapia lib. 1. quæst. 5. art. 10. à num. 2. Caietan. 2. 2. quæst. 10. artic. 8. Trullench lib. 1. Decal. cap. 3. dub. 19. num. 10. Filliuc. loc. cit. num. 118. Solorçano tom. 1. de Iure Indiar. lib. 2. cap. 20. num. 3. N. Thomas à Iesu lib. 5. de Procur. omn. gent. salute 1. part. dub. 3. pag. 206. & alij plurimi apud Solorçan. num. 3. & 4. qui pro meritis non minus diffusè, quam eruditè à cap. 16. vsque ad 21. hanc quæstionem tractat.

Aliquando licet mittere Prædicatores Evangelicos militibus stipatos.

11 Rogabis tertiò: An liceat mittere Prædicatores Evangelicos militibus stipatos, pro eorum que securitate arces munitas ædificare? Respondetur: per se loquendo non licere: quia hoc est potius armis, quam mansuetudine fidem introducere: quod alienum est ab eo, quod docuit Christus, Apostoli que opere compleverunt, qui verbum Dei seminarunt, vt ait Apostolus 2. ad Corinth. 6. *In multa patientia... in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ*, &c. Ergo illicitum est mittere prædicatores militibus stipatos. Videatur Solorçanus loco cit. cap. 17. à num. 43. qui pluribus auctoritatibus Sacræ Paginæ & SS. Patrum hoc argumentum confirmat. Dixi *per se loquendo*: nam quando prædicandum est Barbaris, & Indijs, credo oportere multoties mittere prædicatores militibus stipatos, vt accidit Hispanijs, quando Indijs Evangelium prædicabant; cum enim essent Barbari natura effrænati, & insolentes ab amicitia præstita deficiebant; & licet primum prædicatores hilari aspectu hospicio exciperent, postea eos crudelissimè trucidabant, & vt idolis gratissimam victimam mactabant: vnde nisi terrore militum comprimerentur, impossibile esset inter illos fidem disseminare, vt plurimis Auctoribus citatis late probat Solorzano loc. cit. cap. 16. à num. 43. & cap. 18. à num. 13. Eandem sententiam tenent Suarez disp. 18. sect. num. 10. monendo, & quidem iustissime, prius esse tenenda media pacis, rogando semel, & iterum Principes infideles, vt permittant in suis Regnis Evangelij prædicationem, securosque ibi prædicatores commorari: & si secus fecerint, stipati militibus mittendi sunt. Idem docent Palaus punct. 5. num. 4. N. Thomas à Iesu, lib. 2. de Procur. Indor. salute, cap. 8. pag. 55. & alij plurimi videndi apud Solorçanum, & Lugo disput. 19. sect. 2. à num. 51.

PUNCT. III.

An Ecclesia possit privare Principes infideles, non sibi subditos, iurisdictione, & dominio in vassallos, & servos fideles; & eos cogere armis, ad errores, & ritus rationi contrarios relinquendos?

Infideles cãpaces sunt dominij, & iurisdictionis, erga subditos fideles.

12 PRo his, quæ titulus offert, supponendum est primò, omnes infideles non subditos Ecclesiæ posse habere non solum iurisdictionem in subditos fideles; verum etiam dominium proprium tam in bona temporalia, vt ex se liquet, quàm in personas, servos, & ancillas fideles. Primum patet ex illo Christi. Matth. 22. *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et epist. 1. Petri cap. 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti.* Et est communis doctrina SS. PP. vt videri possunt apud Suarez lib. 3. de Defensione fidei cap. 1. Secundum etiam liquet ex Sac. Pagin. Nam D. Petrus loc. cit. ait: *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis.* Et ad Ephes. 6. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Ergo Principes Ecclesiæ non subditi habent non solum iurisdictionem, sed etiam dominium in subditos fideles. Ex quibus infertur, quod Principes infideles, Ecclesiæ non subditi, non privantur potestate temporali iurisdictionis, aut dominij proprij in servos, ex quo vassalli, aut servi convertantur ad fidem; quia fides non destruit naturam, & hæc potestas non fundatur in fide, sed in iure naturæ, quando præcedit iustus titulus ad hanc potestatem, & iurisdictionem, qualis supponitur adesse in Principibus infidelibus. Et licet non defuerint, qui asserant fideles ex vi fidei Catholicæ esse exemptos ab omni servitute, & subiectione respectu infidelium, voluerint que hoc comprobare aliquibus Scripturæ testibus; tamen omnino falsa est prædicta sententia, rectè que à Suarez dict. lib. cap. 1. & 4. impugnatur, loca que Scripturæ in sano, & legitimo sensu explicantur. ¶ Secundò supponendum est, infideles in Regnis Catholicorum incapaces esse iurisdictionis in Catholicos de novo instituendæ. Quod constat ex decisione Innoc. III. in cap. *Cum sit nimis, de Iudæis, & Sarracenis.* Et ex cap. *Ex speciali eodem tit.* Et rationem reddit D. Thom. 2. 2. quæst. 10. artic. 10. *Cederet enim hoc in scandalum, & perniciem fidei. De facili enim illi, qui subijciuntur aliorum iurisdictioni, immutari possunt ab his, quibus subsunt, vt sequantur eorum imperium: & ideo nullo modo permittit Ecclesia, quod infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercumque præficiantur eis in aliquo officio.* D. Thom. sequuntur Suarez disp. 18. sect. 5. num. 12. Lugo disp. 19. sect. 2. num. 155. Palaus tract. 4. disp. 2. punct. 8. num. 2. & Ledes-

ma 2. part. tract. 1. capit. 5. concluſ. 21.

Quando infideles ſunt ſubditi Eccleſiæ non poſſunt habere iuriſdictionẽ in Chriſtianos.

13 Tertiò. Supponendum eſt infideles, Chriſtianis Principibus ſubditos, non poſſe habere ſervos, aut ancillas fideles; vt conſtat in cap. *Iudæi 2. de Iudæis*; in cap. *Mancipia*, & in cap. *Nulla cum alijs*, diſtinct. 54. & in leg. *Iudæus*, Cod. *Ne Chriſtianum mancipium*. Et ratio huius decreti eſt: tum periculum perverſionis: tum honor debitus religioni Catholicæ: tum dénique, quia ita expediens viſum eſt Eccleſiæ, Principibus que Catholicis, qui poſſunt quando voluerint hæc, & alia decreta pro maiori ſubditorum conſervatione, & Reipùblicæ pace ſtatuere. Vnde eo ipſo, quod ſervus fidelis, ſive vernaculus, hoc eſt natus ad ſervitutem, ſive emptus, ad fidem convertatur, manet liber, & conſtat præter iura cit. ex leg. *Deo nobis*, Cod. *de Epiſcopo, & Clerico*. Sed notant hic Canoniſtæ, & Theologi has conſtitutiones non intelligi de ſervo empto ad mercaturam: quia ad hanc licitum eſt Iudæis ſervos fideles habere: at debent intra tres menſes eum venalem exponere; alias liber erit, vt conſtat ex cap. *Iudæo, de Iudæis, & Sarracenis*. Sic Auctores citati, qui etiam advertunt, quod etſi nullus Catholicus poſſet famulari Iudæis, Sarracenis aut alijs Paganis ſubditis, vt expreſsè eſt deciſſum in cap. *Etſi Iudæi, de Iudæis, & Sarracenis*; tamen hoc non comprehendit colonos, ſive adventitios, ſive originarios in terris, aut prædijs infidelium: quia in hoc famulatu non intervenit frequens cohabitatio, & conſequenter nec periculum perverſionis. Videantur Suarez num. 14. in fine, & Lugo num. 154. ¶ Quartò ſupponendum eſt ex Concilio Toletano 4. cap 59. relato in cap. *Iudæorum filios*, 28. quæſt. 1. filium infidelis à patria poteſtate liberari ſtatim, ac ſuſcipit baptiſmum; vt indicare videntur ſequentia verba prædicti Concilij: *Iudæorum filios, vel filias ne parentum vitra involuantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus*. Et ita docent Suarez num. 15. & Palaus num. 5. Vnde his, vt certis, apud Doctores ſtabilitis.

Non habet Eccleſia directam poteſtatem ad amovendos Reges infideles à Regnis.

14 Quæſtio inter eſt: An ſuppoſito, quod Reges infideles non priventur iuriſdictione in ſubditos, & dominio in ſervos, ex quo ad fidem convertantur, poſsit tamen Eccleſia eos privare? Cui difficultati duplici concluſione reſpondendum eſt. Dicendum eſt primò, quod ſi loquamur de poteſtate directa omnino falſum eſſe, poſſe Eccleſiam eos tali iuriſdictione, & dominio privare. Et ratio eſt: quia iure naturali non ſunt privati, vt ex ſe liquet; alias nec iure divino; cum potius ipſa Scriptura, vt conſtat ex prima ſuppoſitione, talem iuriſdictionem in illis confirmet: ergo licitè directè ea privari ab Eccleſia non poſſunt. Deinde nullus iuſte privari poteſt bonis, & conſequenter iuriſdictione in ſubditos ſine aliquo iuſto titulo; ſed infidelitas præcisè ſumpta non eſt iuſtus titulus, cum ex ſe non adimat fundamentum iuriſdictionis; & alias vt peccatum eſt, nequit puniri tali pœna ab Eccleſia, cum illius ſubditi non ſint: ergo Eccleſia non habet iuriſdictionem directam ad infideles tali dominio, & iuriſdictione privandos. Ita D. Thom. 2.2. q. 10. artic. 10. Suarez diſp. 18. ſect. 5. num. 3. Sotus lib. 4. de Iuſt. quæſt. 2. artic. 2. Coninch. diſput. 18. dub. 40. concluſ. 1. num. 157. Valentia diſp. 1. quæſt. 10. punct. 8. Lugo diſp. 19. ſect. 2. num. 140. Palaus tract. 4. diſp. 2. punct. 8. Trullench lib. 1. Decal. cap. 3. dub. 19. n. 4.

Poteſtatem indirectã habet Eccleſia ad privãdos Regno infideles Principes.

15 Dicendum eſt ſecundò, Eccleſiam habere poteſtatem indirectam ad privandos infideles iuriſdictione in vaſſallos, & dominio in ſervos, quando expedit ad bonum ſpirituale ſubditorum; vt ſi vexantur à Principe infideli, vel periculum proximum, aut morale perverſionis adſit. Et ratio eſt; quia eo ipſo, quod infideles fidem Catholicam ſuſcipiant, & baptizentur; manent ſubditi Eccleſiæ, quo ad ſpiritualia: ergo ſi ad hoc fuerit neceſſe, eos eximere ab infidelium iuriſdictione, poterit ab eorum poteſtate liberare; alias invtilis eſſet poteſtas Eccleſiæ ad fideles regendos, & protegendos, quam, ſupra diximus, illi Chriſtum conceſsiſſe. Confirmatur. Quando adeſt periculum perverſionis ſeparat Eccleſia coniugem fidelem ab infideli, licet matrimonium ſit indiſſolubile, & perpetuum iure naturæ, vt diximus tract. 19. cap. 4. dub. 1. à n. 11. & punct. 2. à num. 37. & tunc privatur poteſtate, quam habebat: ergo cum non ſit adeo indiſſolubile vinculum iuriſdictionis, ac matrimonij, potiori titulo ob bonum fidei, evitandum que perverſionis periculum poterit Eccleſia, infideles Principes privare dominio, & iuriſdictione in ſubditos fideles. Et licet hanc poteſtatem credamus eſſe in Eccleſia, poſſe que etiam Regnis privare Principes infideles, quando ad fines prædictos vtile eſt, multoties tamen ob infidelium ſcandalum, ea non vtitur, vt dilucidè docet D. Thom. 2.2. quæſt. 10. art. 10. in corpore his verbis: *Poteſt tamen iuſte per ſententiam, & ordinationem Eccleſiæ auctoritatem Dei habentis tale ius dominij, vel prælationis tolli: quia infideles merito ſuæ infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper fideles, qui transferuntur in filios Dei, ſed hoc quidem Eccleſia quando que facit, quando que autem non facit*. Et poſtquam explicat, quando Eccleſia id fecerit circa infideles ſubditos, vt ſunt Iudæi. De reliquis non ſubditis, ſic proſequitur: *In illis vero infidelibus, qui temporaliter Eccleſiæ, vel eius membris non ſubiacent prædictum ius Eccleſia non eſtatuit, licet poſsit inſtituere de iure, & hoc facit ad ſcandalum vitandum*. D. Thom. ſequuntur Suarez loc. cit. numer. 6. Palaus num. 7. Lugo num. 142. Ledeſma loc. cit. concluſ. 25. Bellarmin. in controverſ. de Rom. Pontif. lib. 5. per totum. Corduba lib. 1. quæſt. 57. dub. 6. Salas de Legibus, q. 95. diſp. 7. ſect. 1. n. 1. Barb. de Poteſt. Epiſcop. part. 1. tit. 3. cap. 2. à num. 31. 33. &c. Solorçan. tom. 1. lib. 2. cap. 22. à num. 41. & alij plurimi apud eoſdem.

Vt Principes infideles priventur Regnis, requiritur, quod Chriſtianos vexent, vel ſaltem ſit huius periculũ proximum morale.

16 Sed quæres primò: An ſufficiat ad privandos Reges infideles Regno, quod infideles ſint, an vlterius requiratur, quod fideles denuo converſos iniurijs, & tormentis vexent? Reſpondetur non ſufficere, quod præcisè infideles ſint: nam videmus experientia, aliquos Principes infideles apud Iaponos mites, & benignos eſſe in recenter converſos, neque eos vexare, ſed permittere pacate vivere, in quo caſu cer-

certum est, non posse Ecclesiam eos Regnis privare ; alias suspicarentur infideles Ecclesiam vsurpare fidei prætextu Regna aliena, redderetur que apud illos Catholica religio non parum odiosa. Quare credimus necesse esse, vt ex parte Principis præcedant iniuriæ, aut molestæ suasiones ad avertendos Catholicos à nostra fide, vel saltem adsit periculum morale, & proximum hæc illis illaturum, vt ad falsam sectam reducat. Et rationem reddit Suarez num. 8. (asserens hanc esse D. Thom. sententiam loc. supra cit.) quia in rebus moralibus vitandum est periculum, priusquam speciale nocumentum eveniat. Quod principium verissimum est, quando periculum est proximum, & morale; & ideo in hoc etiam negotio observandum est, vt consideratis circunstantijs in particulari, tale iudicetur esse fidelium periculum. Idem docent Palaus num. 7. Lugo num. 148. qui omnes eodem modo sentiunt de iurisdictione in vassallos, ac de dominio in servos. Quare doctrina tradita æqualiter applicanda est. Videantur insuper pro extensione prædictæ doctrinæ Navarr. in Summ. cap. 17. n. 103. Suarez num. 10. Covarr. in Reg. Peccat. 2. part. §. 11. num. 16. Coninch disput. 18. dub. 10. concl. 3. & 4. Molina de Iustit. tit. 1. disp. 39. vers. *Quatenus est*. Palaus num. 9. & alij.

Ecclesia debet cogere infideles subditos ad deserendos errores rationi naturali cótrarios, non autem ad solum fidei nostræ oppositos.

17 Quæres secundò: An Ecclesia possit cogere infideles non subditos ad relinquendos errores, & ritus contrarios rationi naturali, & ob id illis bellum inferre, Regnis que privare? Non movemus quæstionem de infidelibus subditis Ecclesiæ, aut alio Christiano Principi: nam certum est hos posse cogere ad deserendos ritus, & errores naturali lumini contrarios. Et ratio est: quia Princeps debet subditos taliter regere, vt secundum rationem vivant; sed qui habent errores, & ritus lumini naturali contrarios, non vivunt secundum rationem: ergo non solum potest, sed etiam debet Princeps cogere infideles ad deserendos errores naturali lumini contrarios. Vnde debet obligare quilibet Rex, etiam Ethnicus, subditos suos ad deserendam idolatriam, cum sit contra lumen naturale, dictans vnum tantum Deum esse colendum. Sed hæc intelligenda sunt, quando hæc potest tollere sine magno sui Regni dispendio, vel aliorum fidelium; si enim hæc damna iuste timeantur, potest licitè dissimulare, & ea permittere, iuxta illud Christi, Matth. 13. *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis, & triticum.* Ex quibus sequitur, quod ad ritus Iudæorum, & aliquos Saracenorum deserendos, non potest cogere infideles Ecclesia, cum non sint contrarij lumini naturali, sed vnicè fidei Christianæ oppositi. Dicta docent D. Thom. 2.2. quæst. 10. art. 11. & hic Caietan. & Bannez dub. 2. concl. 2. Trullench num. 7. cap. cit. Ledesma part. 2. tract. 1. cap. 5. concl. 18. Sarez disput. 18. sect. 4. à num. 6. referens plures Imperatores edidisse decreta ad delendam idololatriam, templa que innanium Deorum diruenda. Valentia disput. 1. in 2. 2. quæst. 10. punct. 7. Coninch disput. 18. dub. 12. num. 194. Palaus tom. 1. tract. 4. disput. 2. punct. 7. num. 1. & 2. Hurtado disp. 75. §. 23. Lugo disp. 19. sect. 2. §. 4. à num. 121. & alij.

Quare tota difficultas vertitur circa infideles non subditos. Circa quos

Idem dicunt aliqui de infidelibus nõ subditis.

18 Prima sententia vniversaliter affirmat, posse cogere Ecclesiam omnes infideles, etiam non subditos, ad derelinquendos errores, & ritus ratione naturali contrarios, & ob hoc regnis privare. Quod sic primo ostendi potest. Nam Ecclesiast. cap. 10. dicitur: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diversos dolos.* Sed hæc sunt crimina contra legem naturalem: ergo ob similia delicta Deum ad fideles, seu ad Ecclesiam Catholicam credendum est, transtulisse infidelium regna: & ita concesit Israelitis terras infidelium, quia idola colebant, vt constat ex Deuteron. cap. 12. 20. & 32. ¶ Secundò. Alexander VI. concesit Ferdinando, & Elisabethæ Castellæ & Legionis Regibus totam fere Indiam Occidentalem, vt constat ex Bulla 2. eiusdem S. Pontificis, anno 1493. expedita; sed ad hoc nulla alia causa esse potuit, quam idololatria infidelium: ergo, &c. ¶ Tertiò. D. Augustin. lib. 5. de Civitat. capit. 12. & 17. & D. Thom. lib. 3. de Regim. Princip. cap. 4. laudant Romanos, quod nationes barbaras subiugarent, & eorum mores depravatos mutarent in melius: ergo, &c. ¶ Quartò. Quia Ecclesia potest coercere armis contumelias, & blasphemias contra Deum factas, cum sibi etiam inferantur; sed per idololatriam Deo, & Ecclesiæ blasphemiæ inferuntur: ergo poterit armis vindicare, & coercere. ¶ Quintò. Gentiles, vt plurimum homines, imo & filios proprios sacrificabant Dijs, vt latè probat Solorçano tom. 1. de Iur. Indiar. lib. 2. cap. 12. ergo propter defensionem innocentum eos iuste debellare Ecclesia potest. Hanc sententiam defendunt Maior in 2. distinct. 44. quæst. 3. Sepulveda apud Suarez, Tabiena verbo *Inquisitor*, Silvester verbo *Iudæus*, Nicolaus de Lyra super Num. cap. 31. Abulens. ibi quæst. 6. Castro lib. 2. de iustitia hæret. punitione cap. 14. & alij plurimi apud Solorçano lib. 2. cit. cap. 12. à num. 2. qui post plurimas impletas paginas auctoribus, & rationibus per duo capita sequentia pro vtraque parte expensis; Tandem cap. 15. num. 4. concludit ob sævam, effrenatam tyranidem humanæ carnis inglubiem, & execranda hominum, & innocentum sacrificia, posse Ecclesiam infideles debellare, & si opus fuerit regnis privare.

Ecclesia nequit vi cogere infideles non subditos ad deponendum errores naturæ contrarios.

19 Secunda sententia, quam amplectimur, docet Ecclesiam non posse vi cogere infideles ad relinquendos errores; & ob nulla peccata contra lumen naturale perpetrata, posse Ecclesiam, aut alios Principes Christianos infideles non subditos debellare, regna que sibi, aut alijs vsurpare. Quæ sententia probatur primò. Quia bellum iustum debet esse, vel ob propulsandas iniurias nobis illatas, vel ad compescendum subditorum excessus, vt constat ex leg. *vt vim*, & leg. *ex hoc iure, ff. de iustitia, & iure*; sed infideles non subditi, esto criminibus contra legem naturalem sint dediti, nobis, & Ecclesiæ, Pricipibus ve Christianis nullam iniuriam irrogant, cum nihil vsurpaverint, nec alias sunt subditi Ecclesiæ, quod erat necesse ad bellum punitivum illis inferendum: ergo nullo modo bel-

bellum iuſtum illis inferre licet. Secundò. Vnus Princeps ſupremus poſtquam naturalis regnorum diviſio facta eſt, ſe habet ad alterum Principem ſupremum, ſicut vnus civis ad alterum concivem; ſed vnus civis nequit punire ſcelera, etiam graviſsima, alterius concivis: ergo nec vnus Princeps ſupremus alterius peccata, & ob id indicere illi bellum, etiam ſub prætextu charitatis, aut pietatis. Tertiò. Nicolaus Papa ſic reſpondet ad interrogationes Bulgarorum: *De his, qui Idolis immolant, nihil aliud dicere poſſumus, niſi quod ratione potius, quam vi convincendi ſunt.* Ergo, quia ſentit ob hæc, & ſimilia peccata bellari iuſte non poſſe. Quartò. Si ob peccata contra lumen naturale poſſent iuſte infideles debellari ab Eccleſiæ Principibus, etiam poſſent ob furta, homicidia, & ſimilia; ſed hoc eſt falſum; alias vnus Princeps Catholicus poſſet alium ob hæc punire, v. g. Hiſpanus Rex Imperatorem, aut Galliæ Regem; & ſic totus mundus eſſet perturbationibus, & bellis plenus: ergo ſignum eſt, nec Eccleſiam, nec alium Principem Catholicum habere poteſtatem ad infideles Reges bello puniendos ob errores, & ritus lumini naturali contrarios, & multo minus ad eos ex Regnis exturbandos.

Ex D. Thomas confirmatur.

20 Quæ omnia confirmant ſequentia verba D. Thom. ex 2. 2. quæſt. 12. artic. 2. deprompta: *Ad Eccleſiam autem non pertinet punire infidelitatem in illis, qui numquam fidem ſuſceperunt, ſecundum illud Apoſtoli* 1. *ad Corinth.* 5. *Quid mihi, qui foris ſunt iudicare.* Ergo cum infideles de quibus loquimur, numquam fidem ſuſceperint, ſequitur, quod Eccleſia poteſtate careat ad eos ob errores, & ritus contrarios lumini naturali, puniendos. D. Thom. ſequuntur Bannez 2. 2. quæſt. 10. articul. 10. Ledeſma loc. cit. concluſ. 18. & 22. Caietan. 2.2. quæſt. 66. artic.8. Victoria in 1. relect. de Ind. n.40. Azor tom.1.lib.8.cap.26. quæſt.8. Suarez diſp.18. ſect. 4. num. 3. Lugo diſput 19. ſect.2. num. 96. N. Thomas à Ieſu de pract. omn.gent. ſalute, lib.4. part.1.dub.4. pag. 207. Menchaca lib. 1. controv. cap. 24. Cordub. 1. part. quæſt. 57. dub. 5. Molina de Iuſtitia, & iure, tract.2. diſp.106. Palaus tract. 4. diſp. 2. punct. 7. num. 4. Bonacin. diſp. 2. de reſtitut. quæſt. vltim. punct. vltim. §.2. fin. Barboſa de Poteſtat. Epiſcop. part. titul. 3. cap.2. num. 38. & alij apud ipſum, Coninch diſp.18.dub.12.n.187.Hurtado diſp.75.§.23.

Quædam illationes.

21 Ex quibus oritur, poſſe Eccleſiam, quemlibet que Chriſtianum Principem, Turcam debellare: quia Eccleſiæ actualiter iniuriam infert, cum occupet per violentiam Chriſtianis terras debitas. Attamen non approbo ſententiam Palai num.5. aſſerentis poſſe opugnari infideles carne humana veſcentes, aut homines Dijs ſacrificantes, quia ex hoc damnum innocentibus inferunt. Nam, ſi hæc ſententia teneret, etiam poſſent opugnari ob furta, adulteria, alia que peccata contra iuſtitiam; cum eadem ratio vtrimque militet: ergo ſi hoc non licet, nec primum. ¶ Nec etiam approbare poſſumus, quod faciunt Luſitani in Guinea, contra quos, etſi Patrios, ſic invehit Barboſa loc. cit. num.37. Hinc per tranſennam admonerem noſtros Luſitanos, qui, vt fama fert, in regionibus infidelium, præſertim in Guinea ſolent ex malitia, vel ex craſa ignorantia emere Ætiopes, & in ſervitutem iniuſtam reducere illos, ſcilicet, quos vident ad propria eorummet Luſitanorum navigia per vim, aut fraudem trahi, vel abſque culpa pro delicto Patris familias perpetuæ ſervituti barbare damnari. Vnde optima ratione hos liberorum hominum iniuſtos venatores arguit Rebellus de obligat. iuſtitiæ part.2. lib. 18. quæſt. 23. ſeq. 5. num. 30. advertens, oportere quod Regij Magiſtratus habita huiuſmodi iniuſti commertij plena informatione remedium aliquod efficax adhibeant. Hucuſque hic ſapientiſ. Doctor.

Argumentis reſpondetur.

22 Ad argumentum ſententiæ contrariæ reſpondetur, ibi tantum innui, quod Deus frequenter in pœnam peccatorum regna à gente in gentem trasferri permittat. Ex quo non arguitur poſſe alios Superiores, per ſe id facere; cum enim ſit Deus Dominus omnium rerum, poteſt, cui voluerit, conferre, quæ alter poſsidet, & ita permiſit Iſrraëlitis Ægyptum ſpoliare, & eiſdem terras Chananæorum poſsidere conceſsit. ¶ Ad ſecundum dicatur S. Pontificem conceſsiſſe Regibus Catholicis Provincias Indiæ Occidentalis inventas, & deinceps inveniendas in terminis licitis; hoc eſt, præcedente cauſa iuſta belli, nimirum, quia vel impedirent Evangelij prædicationem, vel Miniſtros ad id deſtinatos vexarent: aliter vero, nec poteſt, nec credendum eſt eas donaſſe, cum clara iniuſtitia ſit. ¶ Ad tertium dici poteſt Romanos præcipuè laudari: quia infideles devictos honeſtis moribus inſtruebant, quid quid ſit, an eſſet ob id iuſtum bellum; circa quod nihil tanti Doctores decidentes affirmant. ¶ Ad quartum reſpondetur idololatriam non eſſe propriè blaſphemiam, ſed tantum impropriè, & lato modo, & ſic non eſt iniuria directè fidei, & religioni irrogata: vnde licet ob iniuriam directè factam religioni, poſsit iuſtè bellum inferre, non tamen ob idololatriam, quæ tantum eſt blaſphemia materialis, & directè nõ tendit in comtemptum Catholicæ Religionis.

Vltimo argumento fit ſatis.

23 Ad quintum dicendum, quod licet poſſimus licitè defendere innocentem ab iniuſto aggreſſore, ſivè ipſe cupiat defendi, vt vult Coninch num. 101. ſivè non, vt certius eſt; tamen non id ſemper fas eſt; & inter alias exceptiones vna eſt, quando maiora damna ſequerentur ex aggreſſoris occiſione, vt in præſenti evenirent, ſecum que afferunt bella: ergo ob defenſionem innocentis non licet infidelesPrincipes armis coercere. Maximè, quia vt latè probat Solorçano, cap. 14. à num.74. pluribus alijs Auctoribus citatis, ſi ſecludamus omnem legem poſitivam divinam, & humanam, non eſt facilè probare, an ſacrificia hominum ſint iure naturali prohibita, cum apud omnes nationes, etiam non barbaras, vt Iudæos, Romanos, Hiſpanos, Gallos, Germanos, & alios videamus hunc morem invaluiſſe; imò & proprios filios Dijs ſacrificare, ſanctum iudicaſſe; ergo ſi ob immolationem hominum liceret privare infideles Regnis, nullus hucuſque fuit, qui licitè Regno expoliari non poſsit. Præterea. Si ob liberandum innocentem à morte, liceret bella indicere Supremis Principibus, etiam licitum

citum esset ob alias iniustitias, & peccata, sed si hoc admittitur, totus mundus impleretur bellis, & dissensionibus, pax que illius turbaretur, vt ex se liquet: ergo dicendum est, id non licere. Imò etsi tyranice gubernarent Principes infideles, hoc non est causa ad eos debellandos, quando titulo iusto Regnum possident, vt docet D.Thom. lib.1. de Regim.Princip.cap.46. & communiter Doctores videndi apud Suarez in Defensione Fidei, lib. 6. cap. 4. & Solorçan. loc.cit. cap.14.lib.2.à num.50. Ergo nec Ecclesia, nec alter Princeps iuste ob hoc, aut maiora crimina, vt sodomiam,& humanarum carnium esum, potest infideles debellare, à regnis que amovere.

PUNCT. IV.

In quibus casibus sit prohibita communicatio fidelis cum infideli?

Communicatio in rebus infidelitatis est iure divino,& naturali prohibitum.

24 BReviter ab hac difficultate nos expediemus, cum circa ea,quæ offert,levis sit lis apud Doctores. Triplex ergo potest esse cum infidelibus communicatio: prima formalis, id est in ipsis operibus infidelitatis. Secunda in operibus nostræ Religionis,quæ etiam formalis dici potest. Tertia civilis, & politica in ordine ad comercium tantum humanum. De prima iam diximus cap. antecedenti à punct.10.& 11. ex ibidem que late dictis,constat esse iure naturali, & divino prohibitam. Nam vt ait Apostolus 2.ad Corinth.6. *Quæ est communicatio lucis ad tenebras, aut templi Dei cum Idolis, seu quæ pars fidelis cum infideli?* Vnde communicare cum illis in sacrificando, & orando coram idolis, intrinsecè malum est, & directe contra fidem. Idem dicendum est de communicatione frequenti cum infidelibus, quando ex ea imminet fidei periculum, quod communiter adest ex diuturna communicatione cum Iudæis, & Hæreticis, vt experientia patet; maximè in simplicibus, infirmis que in fide; vt notat D.Thom. 2. 2. quæst.10. art. 9. in corpore ad finem; quare ex iure divino, & naturali tenemur hoc periculum vitare,& propriæ saluti consulere. Ita Sanchez lib.2.Sum.cap.31. num.3.Lugo disp.22. num.106. Bonac.disp.3. quæst.2.punct.5. Palaus tract.4.disp.2.punct.9. num. 3. Suarez disp. 18. sect. 6. num. 2. & 6. qui num. 2. doctrinam traditam extendit ad cooperationem formalem, & propriam in operibus infidelitatis.

Non licet vẽdere infidelibus,quę determinata sunt ad sacrilegos ritus, bene autem quæ ex se indifferẽtia sunt.

25 Pro qua hic rogabis;an sit licitumChristianis, vendere infidelibus ea, quibus ad falsos ritus, & sacrificia abutuntur: vt sunt idola, altaria, vestes Sacerdotales, gladioli circunciſsionis, lactucæ agrestes,vel ædificare Mauris Mezquitas, Idolatris delubra, & Iudæis synagogas, aut illis crucifixos excudere;& an hoc sit cooperari propriè eorum ritibus falsis? Ad quod sic respondetur ex D.Thom. doctrina 2.2. q.169. art.2. ad 4. Nam, vel tales res per se ad superstitiosos cultus sunt determinatæ, aut ex se sunt indifferentes, vel ad illos, aut alios vsus licitos? Si primum, vt sunt idola fabricare (exemplum est D.Thom.) vestes Sacerdotales, Mezquitas, aut delubra ædificare, & similia, illicitum est, hæc illis vendere, aut fabricare, cum per se, & ab intrinseco sint mala, infideles que eis vti bene non possint. Si secundum,sicut gladij,sagittæ (est etiam exemplum Angel.Doctor.)lactucæ agrestes, agnus Paschalis, & similia,& ex intentione vendentis non ordinentur ad falsum cultum, potest illa infidelibus vendere, esto prænoverit, abusuros esse illis ad superstitiosos ritus: quia hoc illorum vitio, & non Christianorum culpæ tribuendum est; illis quippe vti bene possunt, cum res ex se indifferentes sint, & earum commercio ius habent propriæ vtilitati potius consulere, quam Paganorum saluti providere. D.Thomam sequuntur Caiet.ibi, Maior in 4. dist. 15. quæst. 5. §. 3. Salon 2. 2. quæst. vlt. controv. vlt. Ledesma tract. 1. de Fide, part. 2. cap. 5. concl. 28. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 5. art.4. Azor lib.8. cap.24.q.14. & cap. 22. quæst. 6. Trullench lib. 1. Decalog. cap. 3. dub.19. num. 15. ¶ Quibus suppositis,difficultas huius puncti versabitur circa alias duas communicationes. Et quo ad communicationem in operibus nostræ Religionis.

Infideles non licet admittere ad Sacramentorum participationẽ.

26 Quæres primò: An sit prohibitum fidelibus admittere infidelem ad Sacramentorum participationem,& Missæ sacrificium? Quo ad primam partem quæstionis respondetur affirmativè,cum sint illorum fructus omnino incapaces; & consequenter est illicitum, & nullum matrimonium fidelis cum infideli diximus tract. 9. cap.12.punct.6.à n.66. Quo ad secundam dicimus, posse admitti, si infidelis non sit excommunicatus denunciatus, & alias est spes conversionis illius;at vero si hæc non adsit,non potest admitti ad Missæ sacrificium, vt habetur in cap.Episc. de Consecrat. dist.1. Vnde dixit D. Thom. 3. part. quæst.80. art.4.ad 4. *Non baptizati autem non sunt admittendi etiam ad inspectionem huius Sacramenti* (loquitur de Eucharistia) *vt patet per Dionisium in lib. de Cælesti Hierarc. cap.*7. Quod tamen non obstat quominus admittantur ad Missam, quæ Catechumenorum vocatur, vt constat ex textu cit. & ad conciones, orationes que privatas, cum hæc ad ipsorum vtilitatem conducant, nostræ que religioni vllam indecentiam adducere non possint. Ita Suarez disp. 18. sect. 6. num. 3. Palaus tom.1. tract.4. disp. 2. punct.9.num.4. Imò & immunitate Ecclesiæ gaudere quemcumque infidelem ad eam se confugientem, docet contra aliquos Lugo disp.22. num. 108. & addit ita decisum fuisse Romæ cum quodam Iudæo, qui homicidum fecerat; & aliam similem declarationem affertBarbosa de IureEcclesiast. lib. 2. cap. 3. num. 44. Videantur citati Auctores.

Communicatio politica cum infidelibus iure divino non est prohibita.

27 Circa tertiam communicationem,scilicet civilem, & politicam, plura sunt discutienda. Sed prius notare licet, hanc communicationem fidelis cum infideli ex se, & iure divino malam, & prohibitam non esse: vt patet ex Apostol. 1. ad Corinth. 7. cap. 10. vbi permittit fidelem manducare cum infideli illum invitante; quod etiam permittit D. Thom. 2. 2. quæst.10. art.9. quando: *Ex communione eorum*

rum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari potest, quam fidelium à fide aversio: Ergo ex se mala non est, nec iure divino prohibita. At, esto hæc ita sint, ait Angel. Doct. quod Ecclesia potest talem communionem dupliciter interdicere: *Vno modo in pœnam illius, cui communio fidelium substrahitur: alio modo ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne alij communicent.* Et quod vtroque modo illam interdicat Ecclesia, primo in pœnam alicuius delicti infidelium, & secundo propter securitatem Christianorum, patebit ex immediatè dicendis. Nam in decem casibus interdicta est ab Ecclesia communicatio cum Iudæis sub pœna excommunicationis, vt patet in cap. *Nullus*; vbi aliter faciens, dicitur, quod si Clericus est, deponatur; si vero laicus, excommunicetur, quæ pœnæ ex se culpam mortalem præcedentem supponunt, à qua nisi ob parvitatem materiæ nullus excusabitur. Videatur Sanchez cap. 31. num. 26. Palaus num. 28. Lug. 125. & alij infra referendi.

In quibus casibus sit Ecclesia prohibita communicatio cum Iudæis, & an extendatur ad alios infideles?

28 Sed descendendo ad casus particulares. Rogabis in quibus casibus interdicta est ab Ecclesia communicatio fidelis cum Iudæis? Respondetur, quod vt constat ex cap. *Nullus*, & ex cap. *Omnes*, 28.quæst.1. & cap. *Iudæi*, 2. de *Iudæis*, in decem casibus est prohibita. Nam primò prohibetur cohabitatio in eadem domo cum Iudæis. Secundò, Iudæos invitare, aut ad eorum convivia accedere. Tertiò, vesci eorum azimis. Quartò, simul cum eis in balneum intrare, & in eo se lavare. Quintò, ab eis medicinas accipere. Sextò, eis medicis vti. Septimò, eorum filios nutrire in suis domibus. Octavò, eis famulatum præstare. Nono, servitutis vinculo eis subijci. Dezimo, Iudæos hæredes, aut legatarios suos instituere. ¶ Sed nota, quod licet hæc prohibitio sit nominatim de Iuædæis, tamen à Doctoribus extenditur ad Mahometanos, & Sarracenos, cum talis extensio, vt ait Suarez, num.10. sæpè exprimatur in leg. vltim. §. vltim. Cod.de *Episcopis, & Clericis*, cap. *Ad hæc*, cap. *Cum sit nimis*, & cap. *In non nullis*. Et alias sit eadem in vtrisque ratio, odium scilicèt in Christianos, & perversionis periculum: & ex Sanchez n. 25. cap. 31. num.15. addidit, alios infideles Gentiles non comprehendi sub prædicta extensione; sed si attente introspiciatur Sanchez dicto numero, nec ad ipsos Mahometanos, & Sarracenos extendit, & solam eam extensionem admittit, quando ius illos exprimit, vt est textus cap. *Iudæi el* 2. de *Iudæis*. Vbi interdictio cohabitationis extenditur ad Sarracenos, & Glossa cap. *Ad mensam*, verbo *Permittimus*, 11.quæst.3.extendit prohibitionem non invitandi Iudæos aut eorum convivia admittendi, ad omnes Gentiles discernentes cibos. Quare iudicamus cum Palao num.18.& Trullench lib.1. in Decalog. cap.3. dub.20. num.3. sub dicta prohibitione ex infidelibus tantum comprehendi illos, ad quos per citatos textus fit extensio. Videantur etiam circa hoc Azor tom.1. Instit. Moral. cap.22. q.1. Sylvester, Angelus, Illustr. Tapia tom.1. lib.1. quæst.5. artic. 2. num. 5. Tab. verb. *Iudæus*. Suarez disp.18. sect.6. à num.7. Sanchez Sum. lib.2. cap.31. à num. 4. Bonacin. disp. 3. q. 2. punct.5. Coninch disp.18.dub.11. à num.116. Sed circa singulos aliqua breviter discutienda sunt.

Quid sciendum de prohibitione cohabitationis.

29 Ad primum casum de prohibitione cohabitationis cum Iudæis, & Sarracenis, dicendum est per hanc non prohiberi, quod fidelis habeat servum Iudæum, aut Sarracenum, sed potius permittitur, cap. *Iudæi de Iudæis*. Et ratio esse potest: tum, quia Dominus propriè non dicitur cohabitare cum servo, sed è converso: tum, quia propria cohabitatio æqualitatem societatis, & familiaritatem significat, quæ numquam esse potest inter Dominum, & servum: vnde communis praxis vbique recepta probat hoc licere, cum intra eandem domum habeant fideles servos, tam Iudæos, quàm Sarracenos, alios que Gentiles. Ex quibus inferunt Palaus, & Coninch licitum esse Christiano cum alijs servis Iudæis in eadem domo serviendo commorari, si absit perversionis periculum: quia in dicto capite solum cohabitatio famulatus prohibetur. Dicta docent Sanchez cap. 31. num. 6. Suarez cap. 18. num.7.Bonacin.tom.2.disp.3.quæst.2.punct.6. num.2. (& non punct. 5. vt invenies apud Palaum, & Leandrum) Coninch disp.18.dub.11. num. 168. Palaus tract. 4. disp. 2. punct. 9. num. 8. Leander tract. 2. disp. 4. quæst. 25. dub.2.

Notanda circa prohibitionem non cõvivandi cum Iudæis.

30 Ad secundum de non convivando dicimus, in illo prohiberi fideles accedere ad convivia Iudæorum, vel eos invitare: tum ob familiaritatem vitandam: tum, & præcipuè, quia cum Iudæi discernat cibos, & aliquos vt immundos respuant, exponerentur Christiani periculo talem Iudaicum ritum approbandi, vt insinuatur cap. *Omnis*, 28. quæst. 1. ex quo inferunt Azor lib. 8. cap.22. quæst.2. Sanchez numer. 13. non solum prohiberi ad eorum epulas accedere, sed etiam ad nuptias, & tunc cum illis ludos, aut choreas agere. ¶ Sed dicta duplicem admittunt exceptionem. Prima: quod hæc convivia permittuntur prædicatoribus ad infidelium conversionem missis, vt constat ex cap. *Quam sit*, *de Iudæis*. Secunda: quod hæc intelliguntur de convivio formali, hoc est, quando ad invicem invitantur. Quapropter si Catholicus casu in eadem caupona cum Iudæo reperiatur, potest in eadem mensa cum eo manducare: imò & licet hospitari in diversorio Iudæi, & ad eius tabernam accedere, ibi que cibum, aut potum sumere: quia hoc nec est invitare, nec invitari, quod prohibetur dicto decreto. Ita Suarez loc.cit.num.7. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 31. à num. 13. Palaus num.13.Bonac.disp.3. quæst.2.punct.6. casu 6.

Notanda circa essum azymorum.

31 Circa tertium de prohibitione esus azimorum, advertendum est, nihil aliud ibi ab Ecclesia prohiberi, quam quod antea iure divino prohibitum est circa idolothyta, & alios cibos ad falsam sectam profitendam institutos, de quibus diximus in hoc tract.cap.2. à n.127. punct. 11. §. 2. Quare manducare Iudæorum azima ritu Iudaico; vel cum aliorum scandalo, vt si illud cum Iudæis manducaret, aut ab eis reciperet, est peccatum mortale. At si non adsit scandalum, & maximè interveniente necessitate,

sitate, poterit licitè prædicto cibo vti, sicut de idolothytis dicitur in cap. *Sicut satius*, 32. quæst. 4. & de pane azimo communis, & frequens vsus, qui apud aliquas Christianorum Provincias invaluit, satis confirmat. Videantur Suarez num.7. Sanchez n.7. Lugo disp. 18. sect. 4. num. 118. Coninch disp. 18. dub. 11. num.168.Palaus num.9.Leander disp.4. tract. 2. quæst. 26. Bonacin. loc. cit. casu 2.

Quomodo intelligendū de ingressū in idem balneum.

32 Ad quartum *de ingressu in balneum*, nota, hoc tantum interdici ab Ecclesia, vt vitetur inter Catholicum,& Iudæum familiaritas; quæ adesset, si vt socij, & ex condicto in eodem valneo se lavarent: quare si casu, vel ex necessitate, vt sanitatis causa, aut ex recreatione Catholicus, & Iudæus in idem balneum ingrediantur, illicitum non est: quia per hoc præcisè non contrahitur familiaritas, quæ in hoc decreto maximè prohibetur ob periculum perversionis inde evuliens. Sic communiter Doctores supra citati: licet aliqui auctoritatem cap. *Nullus*, 28. quæst. 1. hoc prohibentis in dubium vertant. Videantur Palaus, & Lugo num.121.

De Medicis, & medicinis Iudæorum, quid sit prohibitum.

33 Circa quintum, & sextum casum in quibus prohibetur Iudæorum medicinis vti, & eorum Medicos accersere: adverte hoc non intelligi in casu necessitatis, vt si deficerent medicinæ, & Medici Catholici, vel hi non sufficiant ad morbum medendum, tunc enim licitum est Sarracenum, aut Iudæum Medicum advocare, & eorum medicinis vti. Ita Sanchez num.8. Lugo num.119. Bonacin. Palaus, & alij citati: quia lex Pontificia cum tanto periculo, & in adeò gravi necessitate non obligat: ergo in casu necessitatis licitum est illis vti. ¶ Circa medicinas nota, tantum prohiberi in dicto decreto, quod permittat fidelis, medicinas à Iudæo, vel Sarraceno sibi applicari; non vero quod ab eis emat, aut gratis recipiat iam præparatas, si alius Catholicus propria manu exhibeat ægroto. Et ratio est: quia hæc medicinarum applicatio quædam curatio est, & hæc vnicè prohibetur in dicto capite *Nullus*, ob familiaritatem vitandam, quæ adesse solet inter medentem, & ægrotum; at emere, aut recipere gratis à Iudæis medicinas, nullibi est prohibitum, quid quid in contrarium, quo ad hanc secundam partem, dicant Azor tom. 1. lib. 8. cap. 22. quæst. 5. & Trullench cap.3. dub. 20. num.5. Quia, vt rectè ait Sanchez, nulla potest reddi efficax ratio, cur potius medicinas, quam alia emptione, aut donatione recipere à Iudæis ius interdixerit: ergo licet medicinas quomodocumque ab eis accipere, dummodo à Catholico postea ægroto applicentur. Ex quibus oritur, quod extra casum necessitatis, non poterit fidelis permittere, vt Chirurgus Iudæus sibi venam scindat, aut curcubitulas applicet, alia ve proprij muneris exerceat, poterit tamen vti barbi tonsore Iudæo: quia hoc non est medicinas applicare. Sic Sanchez n. 9. Palaus num.11. Suarez num. 8. Lugo n. 120. Leander quæst. 28. At minimè approbamus, quod ait Sanchez, scilicèt prædictam prohibitionem extendi ad MedicosCatholicos in ordine ad Iudæos curandos: quia vt bene dicunt Palaus, & Lugo lex pœnalis non est extendenda ad personas expresè in ea non contentas, vt vt sunt Medici Catholici.

Non possunt mulieres Catholicæ lactare infantes Iudæorū in eorū domibus.

34 Circa septimum casum, in quo prohibetur Catholicis mulieribus Hebræorum filios nutrire. Nota, quod si semel, aut iterum mulier adeat eorum domos ad infantes lactandos non peccat mortaliter, quia per hoc non contrariatur fini legis intendentis prohibere familiaritatem cum Iudæis in famulatu, vt statim dicemus. In quo omnes convenire debent. At non levis difficultas est inter Doctores, an prohibeatur in hoc decreto non solum lactare infantes Iudæorum in eorum domibus, verum etiam extra illas? Affirmant Azor lib.8. cup.22. quæst.9. Angelus verbo *Iudæus*, num. 4. Sylvest. quæst. 2. dict. 3. Sanchez dict. cap.31. n.19. licet in fin.exceptionem admittat. Suar. num. 8. Trull. n. 7. & moventur: quia huius prohibitionis finis est vitare familiaritatem cum Iudæis; sed hæc vitari nequit, si mulieres Catholicæ lactent, etiam extra eorum domus, Iudæorum infantes, quia parentes amore prolis sæpè eas invisent: ergo id eis non licet. Vnde esto decretum Alexandri III. *in cap. ad hæc de Iudæis* prohibeat expresè prædictam nutritionem in domibus Iudæorum, dicunt, non possuisse dictam particulam ad restringendam prohibitionem, sed exempli gratia, & quia hoc frequentius contingit.

Probatur à ratione vera sententia.

35 Sed nihilominus dicendum est, prædictum decretum tantum prohibuisse lactare Iudæorum filios in eorum domibus. Ratio efficacissima huius resolutionis est: quia lex pœnalis extendenda non est ad casum in ea minimè expressam, vt diximus tract. 11. cap. 4. punct.3. à num. 39. & exemplis illustravimus; sed prædictum decretum non continet casum nutritionis infantium in proprijs Christianorum domibus, cum expresè tantum loquatur de nutritione in Iudæorum domibus, vt patet ex eius verbis, quæ ita se habent in cap. cit. *Quod etiam obstreticibus, & nutricibus eorum* (scilicèt Christianorum) *prohibere curetis, ne infantes Iudæorum in eorundem domibus nutrire præsumant*: ergo non est extendendum ad casum nutritionis in proprijs Christianorum domibus. Deinde, quia ratio, quam ibi adducit ad talem prohibitionem S. Pontifex his verbis: *Quoniam ipsi de facili ob continuam conversationem, & assiduam familiaritatem ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inclinarent*, non verificatur, quando extra eorum domus lactantur; cum tunc impossibilis sit continua conversatio, & assidua familiaritas, vt experientia liquet: ergo hoc à Summo Pontifice non damnatur. Ita Zabaralla in cap. *Ad hæc*, apud Azor, Abbas in dict. cap. num. 2. Bonacin. casu 7. loc. cit. Lugo disp.19. sect.3. num.167. Palaus tract.4. disp. 2. punct.9. num.14. Coninch.disp.18.dub.11. num.170. Petrus Hurtado disp.76. sect.2. sub sect.4. §.38.& alij, & ex dictis patet ad sententiam contrariam.

Quomodo sit intelligēda prohibitio famulatus, & servitutis.

36 Circa octavum, & nonum casum de famulatus, & servitutis prohibitione adverte: quod intelligenda est hæc prohibitio famulatus tam intra, quàm extra domum Iudæi, sivè frequens, & diurnus sit, sivè interpolatus: & ratio

tio est, quia causa ob quam Alexander III. illum prohibet in cap. *Ad hæc de Iudæis* est: *Ne Iudæi superiores Christianis sint, & filij liberæ serviant filijs ancillæ*; Sed hæc ratio militat inquocumque famulatu vero, & proprio, esto diurnus non sit, aut intra domum, vel extra illam: ergo omnis famulatus, sivè intra, sivè extra domum prohibetur. Ita Sanchez num.20. Azor cap. 22. cit. quæst. 7. Lugo num. 166. Filliuc. tract. 22. cap. 5. quæst. 2. num. 130. Bonac. casu 1. loquens absolutè de omni famulatu circa personam. Petrus Hurtad. disp. 76. sect.2. §. 43. Leander quæst. 31. dub. 1. & 2. & alij apud ipsos contra Palaum num. 15. Coninch dub.12. num. 171. & alios apud ipsos. ¶ Sed hic ex Lugo nota primo contra Palaum, quod habitare extra domum non est contra rationem famulatus, vt hic auctor supponit; cum videamus plures ob angustiam domus, aut alias causas extra habitare, & tamen verè famulari: ergo, &c. Nota secundò, colonos, & operarios non esse propriè famulos, nec verè subijci Iudæorum voluntati; sed esse sicut alios opifes, qui locant operas suas: vnde non invenitur in eis illa subiectio,quam textus citatus vitare cupit in Christianis respectu Iudæorum. Quare potest Christianus mercede conductus agros Iudæorum colere, & in eorum domibus ædificium fabricare; currus, oves, & iumenta ad onera transportanda eis locare, sivè ad hæc sit præsens Iudæus, sivè non; quia quod sit præsens non facit, quod prædicti opifices, aut operarij verè illis famulentur. Imò colligit Sylvester ex cap. *Multorum de Iudæis*, esse Iudæis permissum, habere Christianum, vt colonum adscriptitium, vel originarium, non autem servum. Ex quibus omnibus satis liquet ad nonum casum servitutis: si enim famulatus respectu Iudæi prohibetur Christiano, ne illi serviat, quanto magis prohibebitur demissio servitutis, & mancipatus. Quare rationes pro octavo casu, potius militant pro nono. Videantur dicta num. 13.

Nisi in extrema necessitate sint, non possunt instituí Iudæi hęredes, aut legatarij.

37 Ad vltimum, & decimum de non instituendo Iudæos hæredes, vel legatarios: dicimus, quod hæc prohibitio est vera in ordine ad eorum Collegia, aut vniversitatem, vt est communis sententia ex leg.5. *de Iudæis*. Et quo ad alios Paganos in particulari id etiam minimè licere, constat ex cap. *Si quis Episcopus de hæreticis*: licet hæc prohibitio sit tantum pro Episcopis, & Clericis, ne consanguineos hæreticos, aut non Catholicos hæredes, aut legatarios instituant. Nihilominus omnes iam docent, quod licet infideli in extrema necessitate existenti, possit in particulari aliquid legari, aut eum hæredem instituere, extra illam tamen vtrumque est illicitum. Sic Sanchez num. 22. Lugo num. 122. Palaus num. 16. Coninch num.172. Suarez num.9. qui optimè advertit, quod esto in primo textu solum prohibeatur legare aliquid Iudæorum vniversitati, aut communicati; tamen potest inde fieri extensio ad singulares personas, etiam consanguineos testatoris; quia hæc extensio est in favorem religionis, & fidei, quæ semper licita est. Ex quibus oritur, quod sub hac prohibitione non comprehenditur Cathecumenus, quia cum hic non sit hæreticus, nec infidelis, sed Catholicus, potest optimè instituí hæres, aut legatarius. Videantur Hurtado vbi supra §. 44. Lugo numer. 122.

Quædam ex dictis infe-runtur.

38 Ex hucusque dictis deducitur primo liberum esse Catholicis in alijs mercibus emendis, & vendendis cum Iudæis, & infidelibus commerciari. Et ratio est: *Quia exceptio firmat regulam in contrarium*: ergo cum illi tantum casus excipiantur, in alijs licebit communicare cum illis. Et colligitur etiam ex cap. *Post miserabilem de vsuris*. Vbi compelluntur reddere Christianis vsuras ab eis acceptas, sin minus arceantur ab eorum consortio: ergo supponit textus licitum esse cum illis commertiare. Ita Sanchez num. 23. Azor quæst. 4. Palaus num.16. Bonacina casu 9. Filliuc. tract. 22. cap.5. quæst. 3. & alij, qui omnes admonent curandum esse vitare in his nimiam illorum familiaritatem ob perversionis periculum. ¶ Secundò oritur in his casibus solum posse Pontificem dispensare, cum sit lex ab ipso lata, & nullibi reperiatur concessa dispensandi facultas Episcopo. Ita Sanchez num. 27. Attamen Suarez num. 9. in fine, & Palaus num. 19. inferunt, quod quando necessitas vrgeret, & esset periculum in mora, posset in aliquo casu particulari Episcopus dispensare iuxta doctrinam generalem dispensandi in casibus similibus in Pontificis legibus ex benigna legislatoris interpretatione. Hic agunt aliqui an sit licitum, advocare in adiutorium in bello iusto infideles? Sed de hoc in cap.8. punct.3. à n.20. agemus. Videantur interim Sanchez num. 24. Hurtado disp. 76. sect.4. De delatione armorum ad infideles vide dicta tract. 10. cap. 4. à num. 85.

PUNCT. V.

De hæresi, & apostasia à fide; & quæ ad illas requirantur?

§. I.

Traditur ethymologia, & definitio hæresis, & apostasiæ; & tres primæ illius particulæ explicantur.

Ethymologia nominis hæresis.

39 HÆresis, si ad nominis ethymologiam attendamus, est vox græca, quæ idem sonat, ac electio, vt ait D. Hieronymus ad cap.5. ad Galatas,& refertur in Decret. in cap. *Hæres*, 24. quæst.3. & à D.Thom. 2.2. quæst.11. artic.1. in 1. argument. & in corpor. sumitur que ab electione, quia hæreticus eligit disciplinam, quam putat esse meliorem; vnde convenit cum secta: quia hæc vt ait D. Isidor. lib.8. ethymolog. relatus ab Angel. Doct. loc. cit. ad 3. *dicitur à sectando, & ideo hæresis, & secta idem sunt*. Quæ nomina, licet aliquando vsurpentur in bonam partem, vt patet in Act. Apostol.cap.24.vbi ait D.Paul. *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam di-*

dicunt hæresim, sic deservio Patri,& Deo meo, &c. Et cap. 26. *Quoniam secundum certissimam sectam nostræ Religionis vixi Phariſæus.* Et Cicero in Verrem ait: *Horum hominum sectam, atque institutionem prosequimur.* Tamen iam communis SS. Patrum, & Doctorum invaluit vsus vsurpardi eas in malam partem: tum, quia cum hæresis ab eligendo dicatur, Fidei Catholicæ adaptari nequit, quia hanc amplecti debemus non ex electione libera, & humana, sed ex impulsu divino, evidentia que credibilitatis illius: tum etiam, quia secta, vt notat Calepinus, potius à secando, quam à sequendo derivatur; & hæretici sunt, qui vestem Christi, quæ est Ecclesia dilacerant, & secant; vt de Ario apparens Iesus S. Petro Episc. Alexand. dixit: Quare in hoc sensu accipienda deinceps sunt. Qui plurima circa ethymologiam, & essentiam hæresis voluerit, legat Farinac. lib. 5. de Hæresi, quæst. 178. à n. 3. ad 42.

Quid sit hæresis.

40 Definitio hæresis ex D. Thom. q. 11. cit. art. 1. & 2. desumpta, & iuxta ea, quæ iam tradidimus tract. 10. cap. 4. punct. 4. num. 49. sic se habet. *Hæresis est error voluntarius, & pertinax contra aliquam doctrinam, & veritatem Fidei Christianæ in eo qui fidem recepit.* Explicatur breviter definitio. Dicitur *error*, quia recipitur in intellectu; *voluntarius*, quia sine voluntate non est peccatum; *pertinax*, quia, qui paratus est ab Ecclesia corrigi, non est hæreticus. *Contra aliquam doctrinam, & veritatem Fidei Christianæ*: quia si sit contra omnes est apostasia, quæ in hoc distinguitur ab hæresi, quod hæc tantum est contraria alicui veritati Fidei Catholicæ, illa vero omni; & sic Apostata omnia dogmata Fidei Christi negat, & dereliquit, convertendo se ad Iudaismum, aut Paganismum: *In eo qui fidem recipit*: quia si prius non susceperit fidem, constituit Paganismum, aut Iudaismum, quorum primus nullo modo recepit Christi Fidem, & secundus tantum in figura. Quam definitionem fere eisdem terminis accipiunt, & defendunt Suarez disp. 19. sect. 1. num. 5. Araujo 2. 2. quæst. 11. art. 2. dub. 1. Bañez ibi nota 1. & 2. Ledesma 2. part. Sum. tract. 1. cap. 6. concl. 1. Fagundez in Decal. lib. 1. cap. 10. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 7. num. 1. Coninch disp. 18. dub. 7. num. 78. Trullench in Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 2. à num. 2. Bonac. disp. 2. de Censur. quæst. 5. num. 1. Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 2. num. 1. Prado tom. 1. cap. 8. quæst. 1. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 6. art. 1. & alij. Sed pro pleniori prædictæ definitionis intelligentia aliqua quæri oportet. At quia loc. cit. à n. 50. abunde discussimus, & resolvimus, omnem ignorantiam etiam affectatam excusari ab hæresi, & num. 55. dubitantem, & opinantem positivè circa res fidei esse formaliter hæreticum, & vltra ibi citat. tenent Prado tom. 2. cap. 8. quæst. 1. & 2. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 6. art. 2. & 3. Lugo disp. 20. sect. 6. à num. 174. ideo ab his quæstionibus super sedendo.

Qui exterius fidem negat absque errori interiori nō est hæreticus, nec pœnas contra illos latas incurrit.

41 Rogabis primò, circa particulam *error*: An sit hæreticus, qui vel metu compulsus, aut malitia tractus, aliquod opus exterius contra fidem efficiat, vt si Idolis thurificaret, Corpus Christi conculcaret, &c. si interius nihil erret? Respondetur negativè iuxta dicta tract. 10. cap. 4. num. 48. & cap. 1. punct. 11. num. 137. Nam fides consistit in voluntario intellectus assensu divinæ revelationi: ergo hæresis illi contraria debet consistere in voluntario dissensu eidem divinæ revelationi: Ita Auctores infrà citandi. Ex quo oritur, in foro interno pœnas hæreticis impositas minimè incurrere: Et ratio est: quia tales pœnæ sunt assignatæ pro eo, qui est verè, & propriè hæreticus; sed hic talis non est: ergo non incurrit prædictas pœnas. Vnde quia sola vera hæresis est reservata ob censuram illi annexam, cum hæc non sit vera hæresis, non incurret excommunicationem, qui prædicta peccata commisserit, sed poterit à quolibet Confessario absolvi. Sic Suarez de Fide, disp. 14. sect. vlt. n. 3. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. Ledesma 2. part. tract. 1. cap. 6. concl. 11. Simancas de Catholicis Institutionibus, tit. 31. num. 3. Sayr. in Clavi Reg. lib. 4. cap. 4. num. 11. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 9. quæst. 9. & 11. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 7. num. 8. Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 2. num. 17. Iacobus à Graffis tom. 1. Aurear. Decis. lib. 2. cap. 8. num. 2. Reginald. tom. 2. lib. 17. cap. 4. quæst. 1. num. 42. Trullench cap. 2. dub. 2. num. 3.

Diruitur sententia opposita Caietani.

42 Sed dices cum Caiet. 2. 2. quæst. 12. art. 1. & quæst. 94. art. 2. defendente in casu posito incurri pœnas pro hæreticis impositas. De facto, qui talia agunt puniuntur ab Ecclesia, absolvuntur, & illi reconciliantur, vt declaravit Ioannes XXII. in Decret. 26. quæst. 6. ergo signum est incurrisse censuras, & alias pœnas. ¶ Confirmatur. Qui furatur, aut occidit etiam sine animo furandi, aut occidendi, vel metu compulsus, pœnas contra homicidas, & latrones latas incurrit: ergo similiter dicendum est in nostro casu. ¶ Sed ad hanc replicam facilis est solutio. Respondetur enim Ecclesiam solum punire actum externum, in quantum ab interno procedit; si autem ab illo non procedat, illum non punit; & ita qui crucifixum conculcaret, aut negaret exterius fidem sine aliquo intellectus errore, nec esset hæreticus, nec incurret excommunicationem contra hæreticos latam. Sed per hoc non tollitur, quod in foro externo absolvatur, & Ecclesiæ reconcilietur: quia vt dicunt Simancas de Cathol. Instit. tit. 13. num. 15. Repert. inquisit. verb. probatio. Farinacius de Hæresi, quæst. 179. num. 55. Roxas Tract. de Hæret. 1. part. num. 304. & alij, in foro externo non creditur alleganti, se talia crimina fecisse absque intentione: tum, quia adversus illum stat præsumptio, cum quemlibet serio operari præsumatur: tum, quia si hæc excusatio valeret, omnes hæretici impuniti evaderent. Quapropter in foro externo excommunicatus iudicatur, & in hoc sensu credo, loquutum esse Caietanum. ¶ Ad confirmationem concesso antecedenti, negatur consequentia, & disparitas stat in eo, quod homicidium (& idem dicendum de furto) consumatur solo actu externo, hæresis vero ad consumationem requirit actum externum, vt procedentem ab interno: vnde homicida solo actu externo incurrit irregula-

ritatem; hæreticus vero absque errore interno excommunicationem non incurrit. Videantur Sanchez, Trullench,& alij. ¶ At vero hic nota, si quis sine errore intellectus negaret fidem, gratia favendi hæreticis, licet non incurreret excommunicationem pro hæreticis, incurreret tamen excommunicationem latam contra fautores hæreticorum. Ita Sanchez num.9. Trullench num. 3. Navarr. in Sum. cap.11.n.27.

Qui involuntarie patitur tentationes contra fidem, hæreticus non est.

43 Rogabis secundò, circa secundam particulam, *voluntarius*, an sit hæreticus, qui blasphemias, & gravissimas tentationes contra Deum, & Sanctos involuntarie patitur. Respondetur negativè, cum deficiat consensus, imò hoc est evidens signum, non esse hæreticum, cum isti nec patiantur inviti similes tentationes, nec iudicent esse hæreticos, vt bene notant Ledesma 2. part. cap. 6. concl. 3. & Sanchez num. 14. Quare qui in conflictu harum tentationum valde angitur, vel iudicat esse hæreticum, certus potest esse tale crimen minime commisisse. Et ratio primæ partis est; quia tunc deficit plena voluntas: & secundæ: quia qui iudicat se esse hæreticum, iudicat esse falsum, quod Dæmon sibi proponit; sed ita iudicare, est vere iudicare, cum re ipsa falsum sit: ergo quandiu adest hoc iudicium, hæreticus esse nequit. Quæ doctrina notanda est pro his, qui has tentationes frequenter patiuntur, qui communiter solent esse animæ Deo charæ: nam flagitiosos rarissime eæ tentationes affligunt. Quare aptior modus eas vincendi, est prorsus eas contemnere, & alia agere, ac si minime pungerent,vt optime docet D.Bonavent. opusc. de profect. Religios.lib.2.cap.3.tom.7. pag.615. omnino videndus.

Qui divinæ revelationi privatæ sufficiéter propositæ non credit, hæreticus non esse aliqui sentiunt.

44 Rogabis tertiò, circa tertiam particulam, scilicet: *Contra aliquam fidei doctrinam*: An qui divinæ revelationi veræ,& privatæ non credit, sit hæreticus? Negant Lorca 2.2.q.11. disp.39. num.2. & 4. Corduba lib.1.quæst.17. §. 1. dub. 2. & alij apud Sanchez, cap.7. num. 32. Sed non eam defendunt (vt falso ait Lugo disp. 20. sect. 2. num. 34. fine) omnes, qui sentiunt revelationem privatam non credi eodem habitu fidei infusæ, quo revelationes communes. Cum N. Salm. hoc sentiant disp. 1. de Fide, dub. 4. §. 1. & 2. & §.5. à n.135. & alij ibi citati; & nihilominus disp.9. dub.4. §. 2. num.46. docent sic dissentientem revelationi particulari esse formaliter hæreticum. Revera adhærent sententiæ Lorcæ Hurtado disp. 80. sect. 3. §. 12. & disp. 82. sect. 5. §. 38. & ipse Lugo loc. cit. num. 43. qui hac ratione pro hac sententia vnice movetur. Nam sic dissentiens revelationi privatæ non incurrit censuras, & pœnas contra hæreticos latas: ergo nomen hæretici ei non convenit, prout ab Ecclesia sumitur: quia Ecclesia hoc nomen solum attribuit his, qui ab Ecclesiæ sensu discedunt; non vero his, qui revelationi privatæ dissentit. Secundò probari potest. Quoniam, qui privatæ revelationi dissentit, non opponitur veritatibus ab Ecclesia propositis, vt credendis, cum supponamus esse revelationes privatas ab Ecclesia non propositas, vt de fide ab omnibus credendas: ergo non est contumax, nec hæreticus.

Oppositum est verius.

45 Sed dicendum est, qui revelationi privatæ sufficienter propositæ dissentit, esse hæreticum, esto pœnas pro hæreticis taxatas non incurrat, nec Ecclesia possit ex hoc præcisè illum punire. Prima pars assertionis sic ostenditur hac vnica, sed efficaci ratione. Qui fidem negat primæ veritati, evidenter cognoscendo sibi aliquid loqui, est formaliter hæreticus; sed qui revelationi divinæ evidenter cognitæ, sibi que sufficienter propositæ non credit, dissentit primæ divinæ veritati, evidenter cognoscendo aliquid sibi loqui: ergo est formaliter hæreticus. Sola maior indiget explicatione. Qui primæ veritati sibi aliquid revelanti dissentit, vnice ei non credit, quia contemnit illam, aut iudicat Deum sibi revelatum esse mendacem, fide que indignum; sed hoc est esse formaliter hæreticum, contumacem que contra Ecclesiam, quæ summam Dei veritatem nobis credendam proponit: ergo qui fidem negat veritati primæ revelanti, vel alicui revelationi privatæ sufficienter propositæ, hæreticus est. Secunda pars etiam suadetur: quia hic error est internus; sed de internis non iudicat, nec punit Ecclesia: ergo hic homo, sic discredens, hæreticus esset; non tamen esset ab Ecclesia punibilis. Ita Sanchez cap. 7. num. 32. Vega lib. 9. de Iustificatione, cap. 3. Catharin.Apolog. de Certitude Grat. cap. vlt. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 9. quæst. 4. Suarez disp.19. sect.5. num. 11. & 12. N. Salm. loc. cit. Coninch disp.18. dub.7.num.118. Fagundez à num.36. Palaus punct. 2. num.14. & 15. & alij. ¶ Ad primum argumentum Lugonis patet ex dictis à num. 50. cum Cathecumenus, & invalidæ baptizatus sint formaliter hæretici,& nihilominus pœnis hæreticorum non subiacent. ¶ Ad secundum patet ex dictis,quomodo dissentiens revelationi privatæ opponatur, saltem ex parte termini à quo, primæ veritati revelanti, cum avertatur ab ea, quam Ecclesia nobis vt credendam proponit, & sine illius assensu impossibile est, esse fidem alicuius mysterij.

Negans propositionem theologicá, non est hæreticus.

46 Rogabis quartò: An negans propositionem theologicam immediate deductam ex propositione de fide, vt hæc: *Christus est risibilis*, quæ deducitur ex hac, *Christus est homo*, sit hæreticus? Affirmant Cano lib. 12. de Locis, cap. 9. column. 15. vers. *Enim vero*. Valentia 2.2.disp.1.quæst.11.punct.1.diffic.3. Bonac. disp. 2. de Censur. quæst. 5. num. 5. Quia licet hic immediate propositionem de fide non neget, cogitur tamen eam negare ob illationem immediatam, & evidentem: ergo hæreticus est. Sed melius negant alij. Quia hæresis versatur circa materiam immediate à Deo revelatam; sed materia huius propositionis, scilicet, quod *Christus sit risibilis*, non est immediate à Deo revelata, alias non esset conclusio theologica: ergo qui eam negaret, non esset hæreticus. Deinde omnis assensus hæreticus debet esse indubitabiliter falsus; sed assensus negans Christum esse risibilem non est indubitabiliter falsus, cum non sit indubitabiliter verum, vel omnem hominem esse risibilem, vel Deum à Christo non separasse huiusmodi proprietatem: ergo negans talem conclusionem theologicam non est coram Deo, &

in

in foro interno hæreticus. Ita Suarez disp. 19. sect.6. num. 3. Aragon 2.2. quæst. 11. artic. 2. Sanchez cap.7. cit. num.33. ¶ An vero in foro externo, vt hæreticus sit puniendus? Affirmant Sanchez lib. 2. cap. 8. num. 12. Palaus punct.2. num.19. N.Salmant. disp.9. num.48. Cordoba lib.1. quæst.17. §.7. dub.3. notab.3. Negat vero Suarez sect.6. cit. num. 4.

§. II.

Reliquæ particulæ definitionis exponuntur: & quid sit Apostasia à fide declaratur.

Declaratur in quo sita sit pertinacia hæreticorum.

47 ROgabis quintò circa quartam particulam, *Pertinax*, in quo consistat pertinacia, quæ ad hæresim requiritur? Respondetur ex D.Thom.1.part.quæst.32.artic.4. consistere in eo, quod quis sciens, teneat aliquid contra id, quod ab Ecclesia est definitum: vnde pertinacia non requirit temporis moram, vt adesse dicatur, sed potest in instanti consumari, vt si plenè advertens teneat quis aliquid Ecclesiæ determinationi contrarium: tunc enim verè est pertinax, & obstinatus in suo errore, etsi postea facti illum pœniteat. Ita Caietanus 2.2. quæst. 11. art.2. Azor tom.1. lib.8. cap.9. quæst.1. Sanchez cap. 7. num. 7. & alij apud ipsum. Trullench cap.2. dub. 2. num. 8. Ledesma 2. part. Sum. tract.1. cap.6. concl.3. Lugo disp.20. sect.5. num.157. Leand.tom.4. tract.3. disp.1. quæst.4. & 5.

Quædam illationes notatu dignæ.

48 Ex quibus oritur primò, esse hæreticum, & pertinacem, qui sentit aliquid contra determinationem Ecclesiæ, paratus tamen corrigi ab ea, si argumentis convincatur: quia hic non credit motus actoritate Ecclesiæ, sed argumentorum efficacia; nec verè est paratus corrigi, cum resistat illius definitioni. Sic Navarr. cap.11. num. 22. Sanchez num. 6. & 28. ¶ Oritur secundò, esse hæreticum, qui taliter credit fidei mysteria, quod ea non crederet, si testimonia evidentia, & demonstrativa argumenta nostræ fidei ad illis assentiendum non convincerent. Et ratio est. Quia hic homo non credit motus à ratione formali credendi, nec de mysterijs fidei piam affectionem habet: ergo amittit fidem, & est hæreticus. Ita Canus lib. 12. de locis à cap.8. ad 12. Turrecrem. part.2. Sum. lib. 5. Ledesma 2. part. tract. 1. cap. 6. concluf. 2. Et idem dicendum est de eo, qui ita assentitur fidei catholicæ, vt si inveniret aliam fidem meliorem, eam amplecteretur: quia hic positivè dubitat de veritate nostræ fidei, neque eam, vt omnino certam credit. ¶ Oritur tertiò, esse hæreticum, qui ita pertinaciter propriæ opinioni adhæret, vt non sit paratus eam deponere, esto Ecclesia contrarium definiret: quia hic resistit auctoritati Ecclesiæ. Ita Caiet. Navarr. Vazquez & alij apud Sanchez num.29. Trullench num.11. & 13. advertens ex Vazq. & Lugo disp. 20. sect. 5. num. 168. non sufficere dispositionem habitualem, sed necessariam esse elicientiam alicuius actus: quia non habituali dispositione, sed actuali demeremur. ¶ Oritur quartò, esse verè hæreticum, qui non assentitur veritati, quam ex errore iudicat ab Ecclesia definitam: cum hic credat Ecclesiam infalibilem non esse in definitione rerum ad fidem expectantium. Ita Ledesma concluf. 3. illat. 1. Sayr. tom.1. lib. 3. cap. 4. num. 14. Sanchez num. 30. Trullench num. 12. & alij apud ipsos.

Sunt, qui dicant, non esse hæreticú, qui dissentit fidei propositæ ab Episcopo.

49 Rogabis sextò: An sit pertinax, & hæreticus, qui non assentitur rebus fidei, quas vt de fide credendas sibi proponit Episcopus, vel fidei Inquisitor, existimans se in hoc Ecclesiæ non contravenire? Prima sententia est negativa, etsi concedat esse temerarium, peccare que mortaliter, sic non assentientem. Et ratio illius est: quia ad solum Pontificem, & Ecclesiam attinet res fidei definire, & quicumque alius errare in hoc potest; sed in prædicto casu dissentiens, non contradicit regulæ certæ fidei, quæ est Ecclesia: ergo pertinax, & hæreticus non erit. Ita Canus de locis lib.12. cap.9. Valentia 2.2. disput.1. quæst.11.punct.1.diffic.4. Sayr. tom.1. lib.3. cap.4. num.17. Vazq. 1.2. quæst. 76. disp. 226. cap. 3. num. 7. Sanchez cap.7. num. 25. Trullench cap. 2. dub. 2. numer. 14.

Affirmativa sententia elligitur.

50 Secunda sententia, & vera est affirmativa, & probatur primò: quia vt supra dictum est, tenetur homo assentiri mysterijs fidei, quando sufficienter illi proponuntur, & si tunc non assentitur, absdubio hæreticus, & pertinax erit; sed quando illa proponit Episcopus, aut Inquisitor, aut alius Doctor per illos deputatus sufficienter proponuntur fidei mysteria: ergo tenetur illis assentiri, &, si secus fecerit, erit pertinax, & hæreticus. Secundò, quandò fides declaratur per Episcopum, aut Inquisitorem, Ecclesia illam declarat, tamquam per ministros proprios ad id deputatos: ergo, qui non credit fidei sic propositæ, re ipsa Ecclesiæ contradicit, etsi dicat se esse paratum Ecclesiæ obedire. Tertiò. Raro Ecclesia fidelibus per se ipsam proponit mysteria fidei; sed per Pastores Episcopos, & Doctores: ergo quando per hos ministros proponit fidem, tenentur fideles credere, alias nunquam essent obligati ad credendum. Quartò. Qui mysterijs fidei ab Episcopis, & Inquisitoribus propositis dissentit, in foro externo, vt hæreticus punitur, vt etiam adversarij fatentur: ergo & in foro interno. Patet consequentia. Quia forum internum conformatur externo, nisi hoc fundetur in aliqua falsa præsumptione; sed in præsenti non nititur falsa præsumptione, sed veritate, qua prudenter existimatur, sic dissentientem, auctoritatem Ecclesiæ contemnere: ergo etiam in foro interno, vt hæreticus censendus est. Denique vt revelationem divinam credamus non requiritur, quod nobis evidenter constet, sed sufficit si sub talibus circunstantijs nobis proponatur, vt sit evidenter credibilis, & prudenter non possimus de ea dubitari: ergo vt definitioni Ecclesiæ assentiri debeamus, sufficit, quod nobis proponatur, vt accidit in casu posito, tanquam evidenter credibilis, & de qua prudenter formidare non possimus.

Contrariæ sententiæ respondetur.

51 Per quod patet ad rationem sententiæ contrariæ: quia Ecclesia taliter est prima regula veritatis, vt hæc nobis manifestetur medijs eius

eius miniſtris: vnde quando hos non credimus, nec Eccleſiam credimus, ſed potius deſpicimus. Noſtram reſolutionem defendunt Suarez diſp.19. ſect. 3. n. 21. Bartolus leg. Tutor, §. Tutores, num.1. ff. *de ſuſpect. tut.* Rebuff.praxi benef. in Bulla Cœnæ excom.1. art. 1. verb. *Hæreticos*, verſ. *Quærit aliquis.* Hugolinus de Cenſur. Pontific. reſerv. 2. part. cap. 1. §. 1. num.1. Cardinal. in Clement. 1. de Sum. Trinit. Penna in direct. 1. part. coment. 16. ad quæſt. 12. Farinac. de Hæreſi, quæſt. 169. à num.10. Palaus tom.1. tract.4.diſp.3.punct.2. num.6. Lugo diſput.20. de Fide, ſect.5. à numer.160. & alij, qui notant facilius hominem doctum, in caſu poſito diſſentientem, iudicandum eſſe hæreticum pertinacem, quam hominem ruſticum, cum hic credendi obligationem non ita calleat: & licet Lugo illud admittat, quando agitur de iudicando reum accuſatum, quod propoſitiones aliquas protulerit, & docuerit, facilius enim præſumitur doctum animo hæretico protuliſſe, quam ruſticum; non vero quando agitur de pertinacia in non aſſentiendo propoſitioni factæ ab Epiſcopo: quia ruſtico minora motiva obligant ad credendum, quam docto, cum hic poſsit aliquam rationem veroſimilem habere, ad non ita breviter credendum veritati propoſitæ: quare ait; pertinaciam Theologi non ita facilè, ſicut ruſtici iudicandam eſſe ſufficientem ad hæreſim committendam. Videatur citatus Cardinalis n.162.

Ad hæreſim in foro interiori non eſt neceſſarius baptiſmus.

52 Rogabis ſeptimò, circa vltimam particulam definitionis, ſcilicèt. *In eo qui fidem recepit.* An vt aliquis ſit formaliter hæreticus, requiratur, quod fidem receperit per verum baptiſmum? Affirmant Sanchez cap. 7. n. 34. Aragon 2. 2. quæſt. 11. artic. 2. Caietan. ibi, Hugolinus de Cenſur. Pontific. reſervat. 2. part. cap. 1. §. 1. num. 2. Sayr. tom. 1. Theſauri lib. 3. cap. 4. num. 11. Tolet. lib. 4. Summ. cap. 3. num. 5. Et ratio illorum eſt: quia qui ſolemniter fidem in baptiſmo profeſſus non eſt, nequit recedere à fide Chriſti, quam non ſuſcepit in illo: ergo non eſt hæreticus, ſed infidelis. ¶ Negant vero alij, quibus libenter ſubſcribimus. Tum, quia Cathecumenus, v.g. vere credit in Chriſtum, etſi non ſit baptizatus: ergo in manifeſtatione Evangelij habet fidem Chriſti; ſed qui habet fidem Chriſti in manifeſtatione Evangelij, ſi poſtea contra illam habeat errorem pertinacem, non eſt infidelis, nec Iudæus, vt ex ſe liquet: ergo eſt vere, & formaliter in foro interiori, & ſaltem coram Deo hæreticus. Deinde hæreſis malitia conſiſtit in eo, quod homo diſſentiat alicui veritati divinæ revelatæ; ſed eſto baptiſmum non ſuſceperit, æque poteſt illi diſſentire, ac ſi illum ſuſceperit: ergo ad hæreſim receptio baptiſmi non requiritur. Denique, vt ſupra initio capitis ex D. Thoma vidimus, tres tantum ſunt ſpecies infidelitatis; ſed qui recedit pertinaciter à fide Chriſti in manifeſtatione veritatis recepta, non eſt infidelis; cum hic eam nullo modo receperit, nec eſt Iudæus, cum hic tantum ſuſceperit in figura Chriſti venturi; non tamen iam exiſtentis: ergo eſt hæreticus, & eius error hæreſis. ¶ Per quæ patet ad argumentum ſententiæ contrariæ: quia ſic diſſentiens, licet exterius fidem Chriſti non ſit profeſſus, benè autem interius, & in corde, & ſic re ipſa, & quo ad forum interius eſt hæreticus. Ita Caſtro lib. 1. de iuſta hæret. punit. cap.8. Bañez 2. 2. quæſt.10. art.5. ad 3. & quæſt. 11. artic. 2. Suarez diſp. 19. ſect. 5. num.3. Azor tom.1. lib.8. cap.9. quæſt.3. Farinac. de Hæreſi, quæſt.179. num.131. & 135. Palaus tom.1. tract.4. diſp. 3. punct. 2. n. 20. Tapia tom.2. lib. 1. quæſt. 6. art. 4. Fagundez lib.1. in 1.præcept. Decalog. cap.10. n. 27.

Quædam illationes ex dictis deducuntur.

53 Ex quibus ſequitur primò, Cathecumenum non dum baptizatum, ſi recedat à fide eſſe formaliter, & quo ad forum interius hæreticum; cum recedat à fide Chriſti, quam ſuſcepit. Sic Auctores ſupra citati. ¶ Sequitur ſecundò. Qui bona fide recipit baptiſmum, ſed ob aliquem defectum invalidum, ſi poſtea incidat in errorem contra fidem, eſſe etiam formaliter, ob eandem rationem, hæreticum; cum iam Chriſti fidem ſuſceperit. Ita Suarez n. 7. Ex D. Auguſtin. lib. de Hæreſibus, & lib. de vnico baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 3. vbi docet aliquos hæreticos, quando ad Eccleſiam convertuntur, baptizandos denuo eſſe, quod verum non eſſet, niſi, quia dantur hæretici verè, & propriè tales ob invalidum baptiſmum. Idem docent Simancas de Cathol. Inſtit. tit. 31. num.5. Azor loc. cit. Caſtro loc. dicto num.5. Gabriel in 4. diſtinct.13.quæſt.2.art.1. not.3. ¶ Sequitur tertiò. Qui animo ficto, & ſine intentione vera recipiendi fidem, & baptiſmum, baptizatur, ſi poſtea recedat à fide, non eſt hæreticus formaliter. Et ratio eſt: quia iſte nunquam fidem ſuſcepit: ergo non erit hæreticus, ſed infidelis. Sic Tapia loc. cit. numer. 5.

Cathecumenus recedēs à fide puniri nequit.

54 Rogabis octavò: An Cathecumenus non baptizatus, & alij relati num. antecedenti invalidè, aut fictè recipientes baptiſmum, poſſint, vt hæretici puniri ab Eccleſia, ſi à fide recedant? Huic quæſito aliquibus concluſionibus reſpondebimus. Dicendum ergo eſt primò, Eccleſiam non poſſe Cathecumenum non baptizatum à fide Chriſti recedentem punire pœnis pro hæreticis ſtatutis. Et ratio deſumitur ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 2. his verbis: *Cum Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de his, qui foris ſunt, iudicare?* Sed Cathecumenus non baptizatus non eſt in Eccleſiam ingreſſus, quamtumvis deſiderium baptiſmi oſtenderit, & fidem Chriſti interius ſit profeſſus: ergo eſto in foro Dei, & intrinſecè ſit hæreticus, recedendo à fide, tamen illum Eccleſia hæreticorum pœnis punire non poteſt. Ita Suarez num. 6. Sanchez num. 34. Farinac. de Hæreſi, quæſt. 178. numer. 131. & 135. Palaus num. 20. & alij citati, contra Caſtro ſupra relatum contrarium docentem; ex eo, quod hic homo ſit verè Chriſti membrum, & ex conſequenti Eccleſiæ, & ideo ab ea punibilis. Sed hæc ratio ſolum probat eſſe de corpore Eccleſiæ inviſibili, non vero viſibili, quod erat neceſſarium, vt poſſet ab ea exterius iudicari, & puniri.

55 Dicendum eſt ſecundò, Eccleſiam non poſſe punire, vt hæreticum eum, qui bona fide bap-

Invalidè baptizatus non subiacet hæreticorũ pœnis.

baptizatus est, invalide tamen ob defectum materiæ, aut formæ, & si postea incidat in errorem contra fidem. Et ratio est, quam supra expendimus. Quia hic per ianuam baptismi nullo modo ingressus est in Ecclesiam: ergo eum iudicare, & punire non potest. Sic Sanchez dict. cap. 7. num. 34. Suarez num. 8. Palaus num. 20. Hurtado disp.82. §.17. Lugo disp. 20. sect. 4. num.140. Fagundez num.28. Contrarium tamen docent Farinac. loc. citat. num. 135. referens Simancam, Castrum, & Azor (sed hic Auctor solum docet esse hæreticum, nihil determinans, an sit vel non punibilis ab Ecclesia) tenent etiam Sayrus, & Henriq. apud Dianam part.4. tract. 8. resolut. 78. Et moventur, tum ex eo, quod iste baptizatus est baptismo flaminis: tum, quia in hac materia magis operatur opinio, quam veritas: ergo cum in omnium opinione, vt Christianus habeatur, si recedit à fide, pœnis hæreticorum subiacebit. ¶ Sed hæc parum vrgent. Nam prima ratio instatur in Cathecumeno,qui apud contrarios, etsi acceperit baptismum flaminis, & postea discredat, vt hæreticus puniendus non est: ergo inefficax est prædicta ratio etiam in nostro casu. Secunda vero supponit falsum, scilicet,adesse opinionem baptismi; cum è contra supponatur Ecclesiam certam scientiam habere de baptismi præteriti nullitate. Videantur Suarez loc. cit. num. 9. & Lugo num.140. qui notat num. 143. quod si dubius sit baptismus, puniri ab Inquisitoribus nequit: quia *in dubijs reo favendum est.*

Potest Ecclesia punire eum, qui absque intẽtione fictè baptizatus est.

56 Dicendum est tertiò, quod si quis sine intentione, & quo ad apparientiam tantum recipit baptismum, si postea in errorem labatur, potest vt hæreticus ab Ecclesia puniri. Quod sic breviter ostenditur. In foro Ecclesiæ iste præsumitur verè baptizatus, cum illius fictio Ecclesiæ innotescere non possit; sed quando in foro externo præsumitur aliquis baptizatus, & alias nullitas baptismi probari nequit, manet subditus Ecclesiæ: ergo ab ea iuste ob hæresis delictum potest puniri. Sic Suarez loc.cit.n.9. Sayrus in Thesauro Cas. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 11. Tapia tom. 2. lib.1. quæst.6.num.5. Sanchez cap.7. dict.num.35. Lugo num. 145. & alij.

Quid sit apostasia à fide.

57 Vltimò rogabis, quid sit apostasia à fide, & an differat specie ab hæresi? Quo ad primam partem quæstionis levis est iam difficultas supposita explicatione definitionis hæresis,ex qua sic definiri potest. *Apostasia est error voluntarius, & pertinax contra omnem veritatem, & doctrinam fidei Christianæ in eo, qui fidem suscepit.* Vel, vt ait Bañez ex D. Thom. 2. 2. quæst. 12. art. 1. *Apostasia est retrocessio hominis baptizati à tota fide.* Quæ definitio ex dictis liquet, & simul patet, quod apostata in hoc deficit ab hæretico, quod hic habet errorem contrarium huic, aut illi veritati Catholicæ, ille vero omnibus. Videatur D. Thom. loc. cit. & Caiet. ibi, Trullench lib. 1. cap. 2. dub. 2. num. 22. Farinac. de Hæresi, lib. 5. quæst. 183. §.2. num.13.

Non distinguitur specie ab hæresi.

58 Quo ad secundam quæstionis partem est duplex sententia. Prima asserit hæresim, & apostasiam specie diferre. Sic Sylvester, verbo *Hæresis*,quæst.2. Canus de Locis,lib.12.cap.9. col.3. Turrecremata lib.4.Sum.part.2.cap.13. ¶ Secunda sententia docet non differre specie, sed tantum secundum magis, aut minus. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 12. art. 1. ad 3. his verbis: *Vnde apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quamdam circunstantiam aggravantem.* Quem sequuntur omnes eius discipuli, vt Bañez, Caiet. Aragon, & alij communiter apud Sanch.cap.7. num.16. & 17. & Farinac. lib. 5. de Hæres, quæst.183. num. 15. & ostenditur primò. Hæresis vt sumitur ex D.Thom. quæst.10. art. 5. est contradictio fidei susceptæ in veritatis manifestatione; sed apostata contradicit fidei in manifestatione veritatis,cum deserat totam Fidem Christi, quam prius susceperat: ergo apostasia à fide, & hæresis non differunt specie, sed vt vidimus ex D. Thom. tantum secundum circunstantiam aggravantem. Confirmatur, & explicatur. Hæresis, & apostasia habent idem obiectum: ergo non distinguntur specie. Probatur antecedens. Obiectum hæresis est contradictio fidei susceptæ in veritate; sed apostasia etiam opponitur fidei susceptæ in veritate: ergo habent idem obiectum; & sic specie non distinguntur. ¶ Sed credimus vtramque sententiam non differre, si distinguatur in apostasia id quod se habet de formali, & quod est in illa de materiali. Apostasia enim, & habet recedere pœnitus à fide, quod est de formali, & in hoc non distinguitur specie ab hæresi; cum vtraque à fide recedat, & solum inter illas esse potest differentia secundum magis, & minus: & insuper habet converti ad aliquam falsam sectam, vt Paganismum, aut Iudaismum,quod est in illa de materiali; & ita differt specie ab hæresi, sicut sectæ relatæ. Et ita vtraque sententia veritatem continet.

Alia dubia circa Apostasiam resolvuntur.

An Apostasia, quando præcisè importat circunstantiam notabiliter aggravantem sit necessario in confessione aperienda, est difficilis quæstio. Negant plurimi; è contra vero affirmantSanchez num.17.Ledesma 2.part.tract.1. cap. 7. concl. 3. Trullench num. 22. & alij. Sed huius difficultatis resolutio venanda est ex dictis tract. 6. tom. 1. cap. 8. punct.2. à n.10. ¶ Circa alia vero, quæ deinceps de hæresi dicenda sunt, tam circa divisionem illius,quàm pœnas pro illa latas, nec non absolutionem ab eis, idem iudicium ferendum de apostasia, & quidquid dictum fuerit de illa, huic applicanda proportionabiliter sunt: quia vt docent Sanchez cap. 7. num. 18. & Farinaceus citatus, plurimos alios referentes; omnia iura de hæreticis loquentia, procedunt etiam de Apostatis, & omnes pœnæ pro illis in iure latæ, etiam abistis incurruntur. Si vero aliquid speciale sit, curabimus adnotare.

PUNCT. VI.

Quotuplex sit hæresis, & quæ illius pœnæ?

Dividitur hæresis.

59 SUppoſita ex dictis puncto antecedenti hæreſis eſſentia, gradum facimus ad eius multiplicitatem inveſtigandam. Dividitur ergo primò hæreſis in *formalem*, & *materialem*, formalis eſt vt ſupra definivimus, quando datur error pertinax contra aliquem fidei articulum, vt ſi quis ſciens Chriſtum eſſe ſimul verum Deum, & hominem, id pertinaciter negaret. Materialis eſt, quando aliquid contra fidem, qui credit, ignorans tamen eſſe de fide, vel, quando aliquid externe, præcisè ſine diſſenſu interno, profert contra fidem. Aliqui etiam dividunt hæreſim formalem contra obiectivam; & primam dicunt eſſe actus, quo diſcredit hæreticus, & ſecunda obiectum, quod falſo creditur. ¶ Dividitur autem ſecundò hæreſis formalis in *mentalem, ſeu pure internam, & in externam, ſimul & internam*: hæreſis mentalis eſt, quæ nullo ſigno, ex ipſa hæreſi interiori orto, exterius manifeſtatur; externa vero, & ſimul interna eſt, quando error interior intellectus aliquo ſigno, ex ipſa hæreſi interiori orto, & per ſe illius manifeſtativo, oſtenditur; & hæc hæreſis externa dividitur rurſus in eam, quæ eſt omnino manifeſta per ſe, & in eam, quæ eſt manifeſta per ſe, ſed occulta per accidens. Illa eſt, quæ manifeſtatur non ſolum exterius verbo, aut ſigno, verum etiam coram pluribus id videntibus, aut audientibus. Iſta vero eſt, quæ licet exterius verbo, aut ſcripto pateſiat, tamen hoc fit nullo vidente, aut audiente. ¶ Aliter dividitur hæreſis externa in affirmativam, & negativam: affirmativa eſt, quando error exiſtens in mente, verbo, aut factis oſtenditur: negativa vero, quando quis legitimè convictus de hæreſi, pertinaciter illam negat, profitens exterius fidem catholicam, de qua, & de modo procedendi contra hæreticum negativum videantur Farinac. de Hæreſi, lib. 5. quæſt. 178. §. 1. à num. 20. Palaus tract. 4. diſput. 3. num. 5. & alij apud ipſos.

Prima pœna ſpiritualis cõtra hæreticos eſt excommunicatio.

60 Pœnæ contra hæreticos latæ ſunt in duplici differentia: nam aliæ ſunt ſpirituales, & temporales aliæ; ſed quia ſpirituales priores ſunt, magis que propriæ noſtri inſtituti, ideo prius hic breviter de illis agendum eſt. Prima ergo pœna ſpiritualis eſt excommunicatio, vt patet ex cap. *Achatius*, 24. *quæſt.* 1. *& cap. Vt abolendam*, & cap. *Excommunicamus*, 1. *&* 2. *de hæreticis*, & cap. *Quicumque*, *de hæreticis in* 6. & cap. *Noverit*, *de ſentent. excommunic.* Et licet antiquitus talis excommunicatio non eſſet lata, ſed ferenda, vt patet ex cap. *Si quis Epiſcopus*, 1. quæſt. 7. & Concilijs antiquis, iuxta quæ videtur loqui D. Thom. 2. 2. q. 11. art. 3. tamen in citatis iuribus talis excommunicatio eſt lata, licet non reſervata; reſervatur tamen à S. Pontifice in Conſtit. Bullæ Cœnæ, clauſul. 1. & extenditur ad Schiſmaticos, & obedientiam Sedi Apoſtolicæ negantes, eorum fautores, receptatores, defenſores, illorum libros legentes, imprimentes, retinentes, vendentes, ementes, defendentes. Quam quidem excommunicationem non eſſe de iure Divino, ſed Eccleſiaſtico late probant Suarez diſp. 21. ſect. 1. num. 4. Lugo diſput. 23. ſect. 1. num. 2. Palaus tract. 4. diſput. 4. punct. 1. & alij apud ipſos.

Secunda eſt irregularitas.

61 Secunda pœna ſpiritualis contra hæreticos lata eſt irregularitas, vt conſtat ex cap. *Nos*, 51. diſtinct. §. *Idem*, Daniel. 2. quæſt. 7. & ex cap. *Saluberrimum*, & cap. *Conuenientibus*, 1. quæſt. 7. & cap. *Nos conſuetudinem*, diſtinct. 12. vbi Clerici ab hæreſi redeuntes permittuntur in ordine ſuſcepto miniſtrare, non tamen alium denuo ſuſcipere. Et Clemens 7. vt refert Peña in fine directorij Inquiſit. concedit Inquiſitoribus facultatem diſpenſandi in hac irregularitate, quod vtique non faceret, ſi in illam incurſos hæreticos non ſupponeret. Videantur Sanchez, plures lib. 2. Sum. cap. 25. num. 2. referens, inſuper Farinac. de Hæreſi, quæſt. 192. à num. 67. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 10. At iuxta dicta à nobis tr. 10. cap. 8. punct. 8. num. 79. hæc irregularitas ſolum incurritur ob infamiam facti. Vnde iſta ceſſante, vel quia hæreſis fuit occulta, aut per emendationem ablata, talis pœna non incurritur. Videatur inſuper Sanchez num. 4.

Tertia privatio poteſtatis ſpiritualis.

62 Tertia pœna ſpiritualis eſt privatio poteſtatis ſpiritualis, non ordinis, niſi ad ſummum quo ad vſum licitum illius, ſed iuriſdictionis. Prima pars conſtat ex cap. *Arrianos* 1. quæſt. 1. cap. *Conventibus*, & cap. *Si quis voluerint*, 1. quæſt. 7. & cap. *Ordinationes*, 9. Videantur Suarez diſp. 21. ſect. 5. num. 6. & 9. Tapia tom. 2. lib. 1. quæſt. 9. art. 2. & alij apud relatos Doctores. ¶ Secunda vero pars, ſcilicèt privatio iuriſdictionis oritur non ex cap. *Hæreſis*, ſed ex vi excommunicationis maioris; vnde, quia poſt Concilium Conſtantienſe excommunicati non incurrunt hanc pœnam, quando requiſiti à fidelibus eam exercent; niſi ſint nominatim denuntiati, aut notorij Clerici percuſores, vt diximus tract. 10. cap. 3. punct. 8. num. 84. & 85. & punct. 2. num. 10. & 11. idem dicendum eſt de hæreticis, etiam publicis, & notorijs, non tamen denuntiatis, vt docent Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 9. num. 10. Suarez diſp. 21. ſect. 5. num. 15. Tapia loc. cit. art. 3. num. 3. Navarr. lib. 5. Conſil. tit. de Hæret. in 1. edit. conſil. 15. num. 2. & in 2. conſil. 10. Souſa in Aphoriſm. Inquiſit. lib. 3. cap. 7. Trullench lib. 1. Decal. cap. 3. dub. 12. qui aſſerit colligi hanc pœnam ex cap. *Audivimus*, cap. *Cœleſtinus*, cap. *Aperte*, & cap. *Miramur*, 24. quæſt. 1.

Quarta eſt privatio beneficiorũ, & inhabilitas ad alia obtinenda.

63 Quarta pœna ſpiritualis eſt privatio beneficiorum, & officiorum ritè acquiſitorum, & inhabilitas ad alia obtinenda. Ita in cap. *Quo iure*, diſtinct. 8. cap. *Vt commiſſi*, *de hæretic. in* 6. cap. *Ad abolendum*, §. 1. *de hæretic.* cap. *Statutum*, & 1. *eodem tit. de hæretic. in* 6. Et huic ſimilis eſt pœna ſpiritualis, quam tradunt Azor lib. 8. cap. 13. quæſt. 8. verſ. *Octava pœna*, & Trullench loc. cit. dub. 13. ſcilicèt: privatio dignitatum, beneficiorum, & perſonarum in Eccleſiaſticis, qui ad preces hæreticorum,

rum, vel credentium, receptatorum, vel fautorum eorum, talia beneficia Ecclesiastica sunt adepti, vt patet ex cap. *Quicumque*, §. *Ad hæc*, *de hæretic. in 6.* Sed hæc intelliguntur modo ea scienter receperint, vt interpretatur Glossa.

Quinta, privatio sepultura.

¶ Quinta hæreticorum pœna spiritualis, est privatio sepulturæ, vt expressè constat ex cap. *Quicumque*, *de hæreticis in 6.* & cap. *Excommunicamus*, & 1. §. *Credentes*, *de hæreticis*, & cap. *Sicut de hæreticis*, *in fine.* Sed ad hoc non requiritur, quod sint specialiter denunciati sed sat est, si publicè sint hæretici, & notoriè in hæresi decedant, cum hoc prohibitum sit ob specialem huius criminis enormitatem: si autem in hæresi publica decedentes aliquis sepeliat, excommunicatur, vt liquet ex cap. *Quicumque*, *de hæret. in 6.* Videantur Gloss. ibi, Trullench dub. 13. Filliuc. tract. 22. cap. 7. quæst. 6. n. 229. Palao tract. 4. disp. 4. punct. 4. Farinac. loc. cit. quæst. 192. à num. 38.

Prima temporalis pœna est confiscatio bonorum.

64 Pœnæ vero temporales sunt etiam in multiplici differentia. Nam prima est, confiscatio omnium bonorum hæretici, vt patet ex leg. *Manichæos*, Cod. *de hæreticis*, & in pluribus alijs textibus, quos eruditè congerit Farinac. quæst. 190. num. 1. & in cap. *Excommunicamus*, leg. 1. §. *Damnati*, dicitur: *Ita quod bona huiusmodi damnatorum, si laici fuerint confiscentur, si vero clerici applicentur Ecclesijs, à quibus stipendia receperunt.* Et hæc hæreticorum bona ipso iure dicuntur confiscata à die hæresis commissæ, vt ait textus in cap. *Cum secundum*, *de hæreticis in 6.* Quæ autem bona cadant sub confiscatione? Late disputant Farinac. loc. cit. Sanchez à cap. 14. lib. 2. Decalog. ad cap. 23. Palaus tract. 4. disp. 5. per totam, & alij plurimi apud ipsos: quia vero brevitati consulimus, & alias hæc materia magis pertinet ad forum externum, quam internum, in quo Confessarios instruere nostri muneris est, ideo in ea spaciari non licet, remittendo lectores ad Auctores citatos, qui longè, late que per eam divagantur. Sed interim admonemus, quod cum istæ leges sint pœnales non obligant ante Iudicis sententiam: alias essent nimis duræ, & rigidæ, vt diximus tract. 11. cap. 2. punct. 3. à num. 59. loquentes tam de hac pœna contra hæreticos lata, quàm de alijs eiusdem generis. Videantur insuper Azor tomo 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 2. Villalob. 1. part. tract. 2. difficult. 26. n. 2. Tapia lib. 1. quæst. 10. artic. 1. & 2. Sanchez cap. 22. à numer. 1. & alij, quos latè refert, & sequitur Palaus loc. cit. punct. 18. num. 2.

Secunda est infamia.

65 Secunda pœna temporalis est infamia, ob quam fiunt inhabiles ad omnes honores, dignitates, & officia, vt constat ex cap. *Infames*, 6. quæst. 1. cap. *Statutum*, 2. *de hæretic. in 6.* cap. *Excommunicamus*, 1. §. *Credentes*, *de hæreticis*, & pluribus alijs textibus tam iuris civilis, quàm canonici. Quam infamiam etiam incurrunt eorum filij, vt constat ex cap. *Statutum*, 2. *de hæretic. in 6.* An vero incurrant hanc pœnam, qui ante delictum, & hæresim Patris nati sunt, an vero tantum illi, qui post delictum sunt geniti, est difficultas diffusissimè agitata à Sanchez lib. 2. cap. 27. nos vero dicimus, eam incurre tantum eos, qui post hæresim Parentum sunt geniti; non verò, qui antea. Huius secundæ partis decisio traditur in iure Hispano, leg. fin. tit. 31. part. 7. his verbis: *El hijo que es nacido, no debe recibir pena por el hierro del Padre.* Ratio vero primæ est: quia solum, qui postea est conceptus, est qui verè est filius formaliter hæretici, alij tantum materialiter sunt hæretici filij: ergo leges decernentes talem pœnam comprehendere filios hæreticorum, sunt intelligendæ (cum sint pœnales) de his, qui sunt formaliter filij hæreticorum, seu concepti à Parentibus, vt hæreticis; non vero de alijs antea genitis. Videatur Thomas Sanchez cap. 27. à num. 14. apud quem nullam aliam quæstionem nec diffusius, nec eruditius vidi exagitatam.

Ad infamiã reducitur pœna gestatinis sacci benedicti.

66 Ad hanc infamiæ pœnam, reducitur portatio habitus vulgò *S. Benito.* Mos enim apud omnes invaluit, quod hæretico pœnitenti, & ad fidem redeunti, in signum infamiæ, nec non conversionis, & detestationis erroris præteriti; imponitur pœnitentiæ portandi publicè habitellum quendam crucibus ante, & retro rubei, & crocei coloris signatum, qui hispane dicitur: *San Benito*, de quo videantur Simanc. Cathol. Instit. tit. 47. rubric. de pœnitent. & convers. num. 9. Roxas singul. 1. n. 23. & tract. de hæret. part. 2. num. 309. Pegna ad Eymer. 3. part. coment. 42. num. 175. Farinac. de Hæresi, quæst. 193. §. 4. num. 91. & 92. qui dicunt etymologiam huius nominis sumi ab eo, quod in primitiva Ecclesia, qui publicè pœnitentiam agebant, induebantur sacco ab Episcopo, vel Sacerdote benedicto, & eo induti coram foribus Ecclesiæ perseverabant, quousque ab ea absoluti ad Ecclesiæ gremium admittebantur: & inde ortum duxisse, quod Catholicæ fidei venerandum Tribunal imperet, vt publicè, simili sacco induti, incedant Iudæi, vel hæretici conversi, tam in signum publicæ detestationis erroris præteriti, quàm ad eorum infamiam; quia cum publicè detestati fuerint fidem Catholicam, & Christi crucem; iustum est, vt illius signum etiam publicè gestent.

Pœna carceris perpetui.

67 Tertia est pœna perpetua carceris, vt expressè habetur in cap. *Excommunicamus*, 2. *de hæretic.* his verbis: *Si qui autem de prædictis postquam deprehensi fuerint, redire voluerint ad agendum pœnitentiam, in perpetuo carcere damnentur.* Sed ad hanc pœnitentiam damnandi non sunt, si quis abiuravit de levi, vel qui antequam dicta testium ei publicata sint, errores suos plene fatetur: quia hic non est de errore suo plene convictus. Quare tantum damnandi sunt, qui post publicationem testium, errorem suum fatentur, & pœnitentiæ signa dederint. Videantur Farinac. quæst. 193. §. 5. numer. 103. Pegna Direct. Inquisit. part. 3. quæst. 93. coment. 142. Lælius Zecchius in Sum. part. 1. tit. de Fide, rub. de hæres. cap. 11. num. 17. Roxas de Hæret. part. 2. numer. 197. & alij apud Farinac. & Palaum disput. 6. punct. 1.

Pœna mortis.

68 Quarta est pœna mortis, vt habetur in leg. *Arriani*, Cod. *de hæretic.* leg. *culpa*, Cod. de *maleficijs*, leg. *quicumque*, Cod. de *hæretic.* & cap. *Ad abolendum*, *de hæret.* Et, quod hæc potestas habeat Ecclesia à Christo, est de fide,

vt docent D.Thom. 2. 2. quæſt.11. art. 3. Ledeſma 2.part. Sum. tract.1. cap. 6. concluſ. 8. Bellarmin. lib.3. de Laicis, cap.21. & 22. Covarrub. lib. 2. var. cap. 10. à num. 10. Caſtro lib. 1. de Iuſtra hæretic. punit. cap. 9. & lib. 2. cap.12. & alij, quos refert, & ſequitur Suarez de Fide, diſp. 22. à num. 2. contra Donatiſtas, Vbicleph, Lutherum, & alios hæreticos negantes Eccleſiæ hanc poteſtatem. Sed veritas catholica efficaciter ſic breviter oſtenditur. Hoc delictum ex ſe adeò eſt grave, vt iuſte mereatur pœnam mortis, cum ſit crimen læſæ maieſtatis divinæ: ergo poteſtas eam infligendi debet eſſe in aliquo ſupremo capite. Tum ſic; ſed indecens non eſt, quod ſit talis poteſtas in Eccleſiæ ſupremo capite: ergo de facto in eo eſt talis poteſtas. Cætera conſtant, & minor ſubſumpta probatur. Nam Deus de facto Deut.18. & 13. iuſsit in veteri lege occidi Prophetas falſos. Et Protoparens N. Elias, vt primus Inquiſitor Generalis: *Prophetas Baal apprehendit, & duxit ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi*, 3. Reg.18. v.40. Similiter D.Petrus act. 15. iam Summus Pontifex à Chriſto creatus ob vſurpationem bonorum Eccleſiæ Ananiam, & Saphiram ſolo verbo interfecit: ergo indecens non eſt, talem poteſtatem eſſe in ſupremo capite Eccleſiæ: at ſi indecens non eſt, negari non debet Eccleſiæ Principi talis poteſtas, cum ſatis pateat ex teſtibus Sac. Scripturæ allatis: ergo de facto fuit à Chriſto Domino ſuæ Eccleſiæ collata. Quare refert Caſtro lib.2. de Iuſt. hæret. punit. cap. 12. quod hæretici in Flandria, & inferiori Germania ex ſententia miniſtrorum fidei gladio necantur: in Gheldria ligatis manibus in flumen proijciuntur. At ex tempore Gregorij Magni apud Hiſpanos, Gallos, & Italos mos invaluit, eos vivos cremandi. Videantur Divus Thom. 2. 2. quæſt. 11. articul. 3. Tapia tom. 2. lib. 1. quæſt. 7. artic. 1. num. 4. Suarez diſput. 23. ſect.1. & 2. Azor tom.1. lib. 8. cap. 13. verſ. *Vltima pœna*. Farinac. quæſt. 189. à num. 1. Simancas Inſtit. tit. 7. & 48. Covarr. lib. 2. variar. cap. 10. num. 10. Pegna in Director. 2. part. com. 65. Trullech lib. 1. Decalog. cap.3. dub.16. num.3. Reginald.lib.17.cap.4. quæſt. 5. & alij.

Pro executione pœnæ mortis tradendus eſt hæreticus Iudici ſæculari.

69 Sed licet hæc ita ſint, tamen Eccleſia hanc poteſtatem numquam exercet per ſe ipſam, ſed vt ait D. Thom. loc. cit. *Relinquit eum iudicio ſæculari à mundò exterminandum per mortem*. Nec ideo incurrunt irregularitatem Inquiſitores tradendo eos Iudici ſæculari puniendos, vt docent Navarr. in Manual. cap.27.num.208. Souſa in Aphoriſm. Inquiſit. lib.3. cap.6. num.4. Suarez num. 12. quia nec condemnant eos ad mortem, nec eam exequuntur, imò, vt dicitur in cap. *Novimus*, debent petere à iudicibus laicis, vt benignè, quantum iuſtitia permiſſerit, cum reis ſe gerant. ¶ Sed advertunt hic Souſa loc. cit. & Pegna 3.part. direct. com.85. poſſe Inquiſitores compellere Iudices ſæculares, vt iuris pœnas exequantur. Attamen antequam Iudici ſæculari hæreticos impenitentes, aut relapſos morte puniendos tradant, degradandi ſunt, vt patet ex textu in cap. *Ad abolendam*, §. *Præterea*, his verbis: *Totius ordinis prærogativa nudetur*, & docet plurimis Doctoribus citatis Farinac. quæſt.189. §.2. à num.12. de qua degradatione, & ritu eius, vide prædic. Auctorem, & Suarez tom.5. in 3.part. diſp.30.& non pauca, quæ circa hoc diximus tract.10.cap.5. punct.6. Sed nota quod relapſis pœnitentibus concedi debent Eccleſiaſtica Sacramenta, vt cavetur in cap. *Super eo*, *de hæretic. in 6*. Ita etiam docent Suarez diſp.23. ſect. 2. num. 12. Simanc. in Enchirid. tit.63. num.7. Trullench dub.17. num.2. Palaus diſp.5. punct.18. num.17. licet de Euchariſtia contrarium ſentiant Covarrub. lib. 2. var. cap. 1. num. 11. Cantera rub. de hæretic. num. 13. ducti conſuetudine in contrarium invalente, quæ abolenda vtique eſt.

Plurima hic circa has pœnas tam ſpirituales, quàm temporales contra hæreticos latas diſcuti poterant, ſed quia plerumque ſunt à noſtro inſtituto aliena, ad Auctores Canoniſtas, & Iuriſtas, alios que morales iam citatos lectorem remmittimus: & tantum de prima pœna ſpirituali, ſcilicèt excommunicatione hic agemus.

PUNCT. VII.

Qui incurrant excommunicationem contra hæreticos latam?

Prima, & ſecunda ſuppoſitio.

70 SUpponimus ex dictis tract.10.cap.1. punct.11.num.137. Hæreticum pure internum, id eſt, qui nec verbo, aut ſigno errorem præconceptum manifeſtat, non incurrere excommunicationem contra hæreticos latam. Et ratio eſt generalis pro omni actu interiori: quia de occultis per ſe non iudicat Eccleſia, vt patet ex cap. *Sicut tuis*, §. *vltim.* cap. *Tua*, *de ſimonia*: ergo nec imponit pro ſimilibus delictis excommunicationem maiorem, & conſequenter nec pro hæreſi puræ occulta, & interna. Vnde, quia ſi aliqua circa hoc datur difficultas, manet ex ibi dictis deciſa, hic iterum eadem non repetimus. Videatur Suarez diſp.21. de Fide, ſect.2. num.4. ¶ Supponimus ſecundò hæreticum internum ſimul & externum, qui verbo, aut ſigno per ſe manifeſtat interiorem hæreſim incurrere prædictam excommunicationem, quod patet: nam excommunicatio prædicta eſt lata contra eos, qui vere, & complete crimen hæreſis exterius committunt; ſed tales ſunt, qui hæreſim interiorem verbo, aut ſigno ſufficienti exterius manifeſtant: ergo prædictam excommunicationem incurrunt. Ita communiter Doctores.

Tertia, & quarta ſuppoſitio.

71 Tertiò ſupponendum eſt, hæreticum pure externum talem, pœnam in foro conſcientiæ non incurrere. Et ratio eſt: Nam hic non eſt verè, & propriè hæreticus, cum non habeat errorem in intellectu; ſed prædicta pœna lata contra hæreticos eſt cõtra eos, qui verè, & propriè ſunt hæretici: ergo hæreticus præcisè externus, ſaltem in foro conſcientiæ, illam non incurrit. Petrus Ledeſma 2. part. tract.1.cap.6. concl. 11. ¶ Quartò ſupponendum eſt, requi-

quiri ad hoc, vt quis prædictis pœnis subiaceat, quod crimen hæresis non solum sit externe sufficienter manifestatum; sed etiam, quod in se externe sit culpa mortalis: etenim si solum est venialis, ob parvitatem materiæ incapax est pœnæ adeò gravis, qualis est maior excommunicatio. Quæ omnia communia sunt, & ideo à referendis Auctoribus abstinemus. Videantur nihilominus Sanchez lib. 2. Decal. cap. 8. num. 17. & alij à nobis citati tract. 10. cap. 1. punct. 11. num. 143. & Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 7. art. 5. num. 4. Quibus, vt certis, stabilitis, rogabis:

Hæreticus internus, & externus, etsi occultus, incurrit excommunicationem.

72 An hæreticus internus simul, & externus, occultus tamen per accidens (vt qui in cubiculo, nemo præsente, animo hæretico Christum conculcaret, aut Sacramenta profanaret) incurrat excommunicationem? Cui difficultati respondetur affirmativè. Et ratio est: quia Ecclesia potest iudicare de hæresi, quæ verè externa est; sed talis hæresis verè externa est, licet illi per accidens non pateat: ergo potest de illa iudicare, excommunicatione que punire. Deinde licet ad vsum iurisdictionis punitivæ sit necessaria actualis cognitio causæ, seu delicti, quando talis iurisdictio exercetur à Iudice per sententiam particularem; non tamen quando exercetur per sententiam generalem; sed tunc satis est, quod hæc sint nota ipsi peccanti; cum talis pœna feratur sub conditione, quod hoc vel illud faciat, ac proinde sufficit illud fecisse, vt incurratur pœna; & maximè si est spiritualis, & medicinalis, sicut in præsenti contingit, vt diximus tract. 11. cap. 2. punct. 3. §. 2. num. 57. sed in præsenti casu exercetur iurisdictio per sententiam generalem, & alias pœna est spiritualis, & medicinalis: ergo licet prædicta hæresis externa, occulta tamen per accidens, ab Ecclesia non cognoscatur, cadit sub eius iurisdictione, potest que ab ea puniri. Ita in repertor. Inquisit. verbo *Pœna*, Panormitan. in Procem. Decret. num. 6. & cap. vlt. de hæret. Covarr. in Reg. Peccatum, 2. part. in princip. num. 7. Angel. Silvestr. Fabiena, Armil. Caiet. apud Sanchez lib. 2. Decal. cap. 8. num. 6. Ledesma 2. part. cap. 6. concl. 10. Suarez de Fide, disp. 21. sect. 2. num. 6. Azor lib. 8. cap. 10. quæst. 4. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 1. num. 5. qui omnes simul cum Palao tract. 4. disp. 3. punct. 3. num. 1. Barbosa 2. part. de Potest. Episcop. allegat. 49. num. 9. Farinac. loc. cit. quæst. 192. §. 1. num. 6. & alij prædictam doctrinam extendunt ad alias pœnas contra hæreticos latas.

Qualia debet esse verba ad manifestandã exterius hæresim.

73 Quæ autem verba, aut signa sint sufficientia ad hæresim internam manifestandam, taliter quod hæc proferens, aut eliciens sit hæreticus, tam internus, quàm externus? Iam tetigimus tract. 10. cap. 1. punct. 11. à n. 142. & insuper hic, vt in propria sede decidendum est. Dicimus ergo; vt verba, aut signa plene hæresim internam manifestent, duo requiri: primum, quod signum sit completum, & integrum ad hæresim internam exprimendam, sive hoc habeat ex se, sive ex consuetudine, sive ex circunstantijs antecedentibus, concomitantibus, aut consequentibus, aut etiam ex qualitate personæ. Et ratio est: quia hæresis interna non potest fieri externa, nisi per significationem sensibilem; sed talis significatio nequit sensibilis fieri nisi per signa complete, & integre eam omnibus manifestantia taliter, quod facile ab eis percipi possit: ergo ad hæresim externam requiritur, quod signum sit integrum, & completum ad eam exterius exprimendam. ¶ Secundum, quod requiritur, est, quod signum exterius sit ex se grave peccatum in materia hæresis, vt supra diximus: quia hæc excommunicatio maior non incurritur nisi ob culpam gravem externam hæresis, sicut & quælibet alia excommunicatio: ergo requiritur ad illam, quod signum exterius in propria materia sit grave peccatum. Ita Suarez disp. 21. sect. 2. Vazq. 1. 2. disp. 160. cap. 5. Sanchez in Decal. cap. 8. num. 7. Simanc. tit. 42. num. 7. Palaus tract. 4. disp. 3. punct. 3. num. 2. Ex quibus dimanant quædam difficultates seorsim decidendæ.

Quid dicendum de verbis: *Ita est. Sic credo*, &c.

74 Quæres primò: An siquis, credens non adesse sacramenta gratiam conferentia, dicat, volendo hoc ipsum exprimere: *Ita est*, aut *sic credo*, &c. sit hæreticus externus? Respondetur negative. Et ratio est: quia prædicta verba non plene hæresim internam significant, nec ex eis colligi potest de quo loquantur: ergo hæreticum externum plene non constituunt. At si aliquis mentaliter credens, Christum non esse Deum verum, interrogatur, an hoc ita sit? Et dicat ita credere, absdubio hæreticus externus est: quia iam talia verba ex adiunctis circunstantijs determinantur ad significandam hæresim interiorem. Ita Suarez num. 10. Palaus num. 3. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 7. art. 5. num. 3.

Manifestans hæresim internam verbis æquivocis est hæreticus externus.

75 Sed gravior est difficultas: An qui verbis æquivocis hæresim interiorem manifestaret, esset hæreticus externus, excommunicationem que contra hæreticos latam incurreret? Negant Roxas tract. de Hæret. 1. part. num. 200. Farinac. quæst. 187. num. 11. Palaus num. 3. quia verba ambigua, & æquivoca habent tunc sensum, tam Catholicum, quàm hæreticum: sed quando verba habent sensum Catholicum, & hæreticum, in sensu Catholico accipienda sunt, vt docent communiter Doctores: ergo ita erunt accipienda, & sic hæresim externam non significabunt. ¶ At dicendum iudico verbis ambiguis, & æquivocis hæresim internam manifestantem esse verè, & propriè hæreticum externum. Et ratio est: quia illa verba plene significant internam hæresim, licet per accidens ob aliam significationem occultetur: ergo per se, & ex vi illius significationis propriè talia verba manifestant perfectè, & plenè hæresim mentalem, & internam: ergo, cum omnis hæreticus externus, licet occultus, per accidens pœnis spiritualibus Ecclesiæ subiaceat, absdubio excommunicationem incurret. Ita Sanchez lib. 2. cap. 8. num. 26. Suarez num. 10. Tapia num. 3. Bonacin. de Censur. disp. 2. q. 5. punct. 2. num. 6. & alij. Ratio vero sententiæ contrariæ tantum locum habet in foro exteriori, & quo ad pœnas temporales: nam in foro conscientiæ, & pœnitentiali pro hæresi in dubio præsumendum est, vt pluribus relatis, docet ipse Farinac. loc. cit. num. 12. imò

& hic Doctor prædictam interprætatione n non admittit, quando verba æquivoca fuerunt prolata cum dolo, aut in proferente est aliqua suspicio, aut præsumptio, quod sit de genere Iudæorum, Maurorum, & Hæreticorum, tunc enim pluribus citatis, ait verba æquivoca in sano, & catholico sensu non esse accipienda, sed potius in hæretico vsurpanda: ergo ex omni capite verbis æquivocis mentalem hæresim manifestans, vt hæreticus externus habendus est, & ita excommunicationem incurrit.

Qui hæresim confitetur, aut transcribit, vel legit, illam non manifestat.

76 Quæres secundò: An si quis hæresim internam, sacramentaliter confiteatur, vel de ea consulat virum doctum ad eam deponendam, vel oportunum remedium quærendum, sit hæreticus externus? Respondetur negativè. Quia vtraque actio exterior manifestativa hæresis est bona: ergo non constituit hæreticum exteriorem, nec subijcitur excommunicationi. Sic Suarez num. 10. Tapia num. 4. Sanchez num. 19. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 10. quæst. 5. Palaus num. 3. Petrus Ledesma tract. 1. 2. part. cap. 6. conclus. 10. dub. 4. & alij communiter. Ex quibus oritur, quod qui legit, transcribit, aut, disputando pronuntiat hæresim, quam antea habuit, sine animo manifestandæ hæresis, non est hæreticus exterior; tum, quia manifestatio illa non ostendit animum hæreticum, nec verba illa declarant præsentem internam hæresim; sicut nec, qui refert se fornicasse, dicitur actualiter fornicari: ergo talis nequit esse hæreticus. Nec etiam hæreticus externus est, qui hæresim scribit characteribus sibi tantum cognitis: quia tunc adhuc hæresis remanet in mente. Ita Sanchez num. 23. Bonacin. num. 7. Filliuc. tract. 22. cap. 6. num. 187. Palaus num. 3. qui cum Sanchez advertit non esse hæreticum, qui verbis manifestaret, se aliquando fuisse hæreticum, & nunc sibi complacere assensum hæreticum præteritum: quia hæc manifestatio non est hæresis professio, sed narratio hæresis habitæ. Nec similiter hæreticus exterior est, quia iudicans hæreticè adulterium, aut fornicationem, prorsus esse licitum, animo hæreticali illud committeret: quia hæc actio ex se hæresim internam non manifestat. Ita Palaus num. 3. Tapia num. 3. Sanchez num. 15.

Per opera externa gignentia suspicionem hæresis, manifestatur hæresis interna

77 Quæres tertiò. Si quis, ex errore contra veram Incarnationem verbi Dei, verberaret Christi imaginem; aut habens errorem Anabaptistarum, rebaptizaret aliquem, animo suam hæresim manifestandi, esset hæreticus manifestus. Respondetur affirmativè: quia prædicta opera satis hæresim mentalem manifestant, & alias ex se hæresis suspitionem gignunt. ¶ Vnde oritur, quod si quis hæreticè credens, sibi nunc esse licitam polygamiam, seu multiplicitatem vxorum, duplici vxori matrimonio copuletur, sufficienter hæresim mentalem manifestat. Similiter, si quis nunquam sacrificio Missæ assisteret, vel genuflecteret, dum hostia elevaretur ex animo hæretico, exterior hæreticus esset: quia talia signa ex se hæresis suspicionem gignunt, & illius sufficienter manifestativa sunt: ergo, &c. Ita Sanchez n. 16. Tapia num. 3. Palaus num. 4. qui cum Pegna, & Farinac. extendunt doctrinam traditam ad eum, qui ex mentali hæresi contra Ecclesiæ testatem diebus prohibitis carnes comederet.

Non est hæreticus externus, qui in somnis hæresim internam manifestat.

78 Quæres quartò: An sit hæreticus externus, qui profert in somnis hæresim mentalem prius conceptam, si antea expertus est, & prævidit illam manifestaturum, & diligentiam sufficientem non adhibuit ad eam non proferendam? Affirmativam partem, vt certam, aliquando se tenuisse refert Petrus Ledesma tomo 2. tract. 1. cap. 6. concl. 10. difficult. 5. & eam suadere videntur hæc argumenta, primò: quia qui percutit in somnis Clericum, si illud prævidit, & non impedivit; incurrit excommunicationem: ergo similiter manet excommunicatus, qui profert in somnis hæresim mentalem; si illam prævidit, & non impedivit. Secundò. Hæc prolatio exterior hæresis provenit ab interiori assensu, cum sit voluntaria in causa: ergo manifestat hæresim in mentem conceptam, & ita eam proferens manet hæreticus exterior, & excommunicatus. ¶ Negativam vero, & veram, defendunt idem Ledesma loc. cit. Sanchez num. 24. Suarez num. 12. Pegna 3. part. direct. comment. 17. Bonac. de Excommunicat. disp. 2. quæst. 5. punct. 2. num. 7. Palaus num. 3. Filliuc. tract. 22. cap. 7. num. 196. & alij. Et ratio est, quia prolatio illa exterior non nascitur ab hæresi interiori, sed à prava consuetudine; sed vt opus externum constituat hæreticum exteriorem, est necesse, quod procedat ab hæresi interiori, vt dictum est: ergo illum non constituit. Rursus excommunicatio, lata contra hæreticos, est imposita contra hæresim formalem, non vero materialem; sed prolatio illa in somnis facta non est hæresis formalis, sed materialis: ergo ob eam non incurritur excommunicatio.

Argumentis respondetur

79 Ex quibus iam patet ad secundum argumentum. Ad primum respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam; & disparitas stat in eo, quod percusio illa est opus per se sufficiens ad hoc, vt sub excommunicatione prohibeatur, quando in se, aut in causa est voluntaria; prolatio vero hæresis non est sub excommunicatione prohibita; nisi quando est coniuncta cum hæresi interiori, & ab ea procedit. Et ratio est: quia hæresis essentialiter consistit in errore intellectus, & ita omnis hæresis debet ab illo actualiter procedere: vnde quia prolatio hæresis in somnis, licet sit voluntaria in causa, tamen cum hoc compatitur, quod ab hæresi interiori non procedat, sed præcisè à consuetudine absque erroris mentalis influxu; ideo non subijcitur excommunicationi contra hæreticos latæ; cum hæresis formaliter non sit: percusio vero Clerici semper est formaliter talis; & ideo, vt sit peccaminosa, & subiaceat excommunicationi, sufficit quod sit vel in se, vel in causa voluntaria, qualiter in casu posito accidit; & ideo sic percutiens Clericum manet excommunicatus; secus vero qui in somnis hæresim præconceptam manifestat. ¶ Hic agendum erat de excommunicatione, quam incurrunt credentes, fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, nec non eorum libros legentes, aut retinentes; sed quia de his iam sufficienter egimus tract. 10. cap. 4. punct. 5. ideo calamum ab his retrahimus.

PUN-

PUNCT. VIII.

Qui possint ab hæresi absolvere?

80 HIc late disputandum erat de his, qui ab excommunicatione ob hæresim contracta, possunt absolvere; sed hoc iam sufficienter manet decissum ex dictis tract. 10. cap. 4. punct. 4. à num. 57. & cap. 2. punct. 5. à num. 52. & tract. 18. cap. 4. punct. 2. §. 11. ibi enim diximus Confessarios regulares non posse absolvere sæculares à censura lata contra hæreticos etiam per accidens occultos, vt patet ex quarta propositione ab Alexand. VII. damnata, quæ sic se habet: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Nec etiam possunt absolvere etiam PrælatiRegulares proprios subditos ab hæresi, sed huius criminis absolutio, sicut & punitio tantum attinet ad Sanctum Inquisitionis Tribunal, vt docuimus tract. 10. cap. 2. punct. 6. num. 76.

81 An autem Episcopi possint, post Bullam Cœnæ Domini, absolvere ab hæresi occulta ex vi facultatis illis concessæ à Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de Reformatione, his verbis: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare. Et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputatum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tantum, & non eorum Vicarijs sit permissum.* Est controversia longe late que discussa à Doctoribus vt vidimus tract. 10. cap. 2. punct. 5. à num. 55. & præter ibi citatos diffuse de ea agit Barbosa de Officio, & Potestate Episcopi, allegat. 40. à num. 21. vbi refert 46. Auctores affirmantes talem potestatem ademptam fuisse Episcopis per Bullam in Cœna Domini; nec non plurimas declarationes, tam Gregorij XIII. & VIII. quàm Sacræ Congregationis Cardinalium. Et ex Stephano Daluin. refert, de facto stare authenticum diploma, vbi conceditur à septem Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis, licentia absolvendi ab hæresi Episcopo Vindunensi in confinibus Galliæ, & Lotharingiæ existenti; & denique ait, inviolabiliter observari, quod Episcopi à S. Pontifice petant facultatem prædictos hæreticos absolvendi. Idem docent Lugo de Fide, disp. 23. sect. 3. à num. 46. Prado tom. 1. cap. 8. quæst. 3. §. 2. & alij plurimi apud ipsos.

Non esse facultatem ab solvendi ab hæresi concessam Episcopis, revocatam per Bullam Cœnæ plurimi asserunt.

82 E contra vero alij Doctores docent talem facultatem minime revocatam esse per Bullam in Cœna Domini, ex quibus plurimos dedimus loc. citat. num. 58. & tract. 18. n. 128. & idem sentiunt alij plurimi, quos referunt Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 11. n. 27. Diana 1. part. tract. 5. resol. 2. & part. 4. tract. 4. resolut. 239. Trullench lib. 1. cap. 3. num. 12. Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 3. num. 22. & Leand. de Censur. tract. 2. disp. 17. quæst. 41. 45. & 46. & novissimè non paucos refert, & sequitur Torrecilla in Examin. & Potest. Episcop. tract. 1. quæst. 1. sect. 1. dific. 2. num. 4. Qui omnes satis erudite hanc partem comprobant, tum auctoritate, tum ratione, taliter, quod vtraque opinio valde plausibilis sit, & vt probabilis ab omnibus admittatur.

An supra dicta sententia negativa nunc sit damnata in propositione 3. Alex. VII.

83 Sed licet hucusque vtraque sententia suam probabilitatem habuerit; nihilominus dubitant nunc Doctores, an sententia asserens, potestatem concessam à Tridentino absolvendi ab hæresi occulta non esse revocatam per Bullam in Cœna Domini, sit damnata in propositione 3. prohibita ab Alex. VII. cuius verba sic se habent: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Iulij in Consistorio S. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.* Circa quam plerique ex modernis, qui vulgari lingua super illam commentaria in lucem edunt, docent per hanc propositionem damnari non solum, quod sit prædicta Episcoporum facultas per Bullam in Cœna Domini revocata; verum etiam, quod contraria sententia in Consistorio Emin. Cardinalium fuerit, vt probabilis, visa, & tolerata; & ideo asserunt, vtramque iam tuto defendi non posse, & idem dicunt de alijs delictis in Bulla Cœnæ reservatis, esto occulta sint. Ita Lastra tom. 1. in Explicatione 3. propos. Carden. in Crisi Theol. tract. 1. disp. 9. cap. 20. art. 5. n. 345. Filguera in Censura Pontific. propos. 3. Arana advert. vlt. propos. Alex. VII. pag. 502. Lumbier tom. 1. num. 547. & tom. 2. num. 720. Teatr. Moral, super 3. propos. dictam num. 2. Lucerna Moral. ibi, & alij; moventur que ex eo, quod Sum. Pontifex in his propositionibus principaliter damnat praxim earum, & non præcisè eas in scholis, vt licitas, defendere; sed praxis prædictæ propositionis non est, quod sit visa, & tolerata à S. Congregatione Cardinalium, sed quod de facto ex vi illius sententiæ absolvatur ab hæresi occulta, & alijs criminibus à S. Pontifice in Bulla Cœnæ reservatis: ergo hoc est, quod præcipue damnat S. Pontifex. Deinde quid prodesset Ecclesiæ damnare, quod talis propositio fuerit visa, & tolerata à S. Congregatione, si ipsa impunita maneret, quo ad licitum illius vsum: nihil certe: ergo non solum damnat S. Pontifex, quod illa sententia fuerit visa, & tolereta, verum etiam, quod possit ad praxim licite reduci.

Non esse damnatam iterum credimus.

84 At his non obstantibus diximus tr. 18. cap. 4. punct. 2. §. 11. num. 130. in prædicta propositione solum prohiberi, quod talis sententia fuerit visa, & tolerata à S. Congregatione. Pro qua citavimus huius Salmantinæ Academiæ tres primariæ Cathedræ Moderatores, & nunc allegare etiam pro illa possumus alios viros doctissimos, quos ita sentiri refert N. Lum-

Lumbier in Appendice Sum. Aranæ num. 547. pag. 497. similiter eam defendunt Moya in Select. tom. 1. tract. 3. disp. 8. quæst. 5. §. 2. n. 5. Torrecilla loc. cit. num. 22. Corella in Explicatione dictæ propositionis. N. Valent. ibi. Et probatur primò: quia si mens S. Pontificis esset damnare sententiam, asserentem Bullam Cœnæ tantum prohibere hæresis absolutionem, & aliorum criminum, quando sunt publica; eam separatim ab alia reponeret, & expressè damnaret, sicut in alijs propositionibus fecit: ergo cum hoc non fecerit, signum evidens est, tantum prohibere voluisse secundam partem, scilicèt, quod talis sententia visa, & tolerata fuerit à S. Congregat. Consistorio; quæ sententia expræssè defenditur à Basæo, verbo *Hæresis*, num. 18. §. *Vnde dicendum*; & alijs. Secundò, quia hoc decretum est prohibitivum, & odiosum: ergo strictè interpretandum est, nec ad casum non expressum ampliandum, iuxta illud axioma: *Odia sunt restringenda.* Tum sic sed sufficienter eius verba interpretantur, dicendo prohibuisse vltimam partem propositionis prædictæ, cum ibi sit principalis copula huius propositionis hypotethicæ: ergo, &c.

Vlterius probatur.

85 Tertiò si mens Pontificis esset vtramque partem huius propositionis hypotethicæ damnare, non solum esset iam prohibitum Episcopum non posse absolvere ab hæresi occulta, sed etiam, nec ab alijs criminibus Bullæ Cœnæ occultis, & consequenter, nec Regulares posse de illis absolvere; sed videtur nimis durum, alienumque à pietate Ecclesiæ facultatem Episcopis, & Regularibus concessam pro omnibus criminibus occultis derogare: ergo intelligenda non est prædicta prohibitio. Probatur sequela. Quia eodem modo loquitur propositio quo ad hæresim occultam, & quo ad alia crimina, vt patet ex textu dictæ propositionis: ergo vel nullum crimen occultum prohibet absolvere, vel omnia.

Confirmatur.

86 Deinde: quia si Episcopus nullum crimen occultum Bullæ Cœnæ potest ex vi huius prohibitionis absolvere, potiori titulo nec poterunt Prælati Regulares erga suos subditos, cum Bullæ Cœnæ æqualiter de omnibus loquatur, vt patet ex sequentibus verbis: *Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita absolvi potest etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis sæcularium, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Episcopali, vel alia dignitate maiori præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasterijs, Conventibus, & domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs; nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos, & dictam Sedem, ac cuiusvis Concilij decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.* Ergo si dicta propositio quo ad vtramque partem damnatur, nec Episcopi, nec Regulares possent absolvere à casibus occultis Bullæ Cœnæ tam hæresis, quàm aliorum: sed si hoc ita est, sequeretur, quod quotidiè homines deberent Romam adire ad impetrandam absolutionem à S. Pontifice: ergo cum hoc sit satis grave inconveniens, tenendum est, quousque aliud Pontifex declaret, mentem illius tantum fuisse prohibere, quod illa propositio, seu sententia visa, & tolerata fuisset à S. Congregatione. Vnde ex vi dictæ propositionis adhuc non tollitur probabilitas sententiæ asserentis posse etiam post Bullam Cœnæ absolvere Episcopos ab hæresi, alijs que criminibus occultis ex facultate illis à Tridentino concessa: Et similiter Regulares posse, excepta hæresi, ab alijs criminibus Bullæ Cœnæ occultis ex vi suorum privilegiorum in foro conscientiæ absolvere, vt diximus pluribus citatis, tract. 18. cap. 4. punct. 2. §. 11. à num. 128. & ex dictis sufficienter patet ad rationes sententiæ contrariæ.

In facultate generali absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, cõ prehẽdi hæresim, sunt qui dicant.

87 Sed Rogabis primò: An si in aliqua Bulla, aut Iubilæo datur alicui facultas ad absolvendos omnes casus Bullæ Cœnæ, sine eo quod ibi exprimatur hæresis, possit absovere ex vi dictæ concessionis hæreticos externos. Affirmativam partem tenuerunt Cordoba in Sum. quæst. 8. Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 2. artic. 3. Farinac. de Hæresi, quæst. 192. n. 63. Reginald. in Praxi lib. 8. num. 53. & ita practicari à PP. Societatis Iesu testatur Zerola tom. de Iubilæo lib. 2. cap. 18. quæst. 3. tenent etiam Filliucius tom. 1. lib. 1. tract. 8. cap. 10. n. 165. Fagundez de Præceptis Eccles. tract. 2. lib. 8. cap. 8. num. 37. & in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 16. num. 3. & alij apud ipsum, & Garciam de benefic. part. 11. cap. 10. num. 109. & moventur; tum, quia omnes casus Bullæ Cœnæ sunt æqualiter reservati: ergo, quando conceditur generaliter ad omnes casus, nullus excipitur: qui enim totum dicit, nihil excludit. Præterea si S. Pontifex hæresim vellet excludere, illam expressè à Iubilæis exciperet: ergo si non excipit, signum est, voluisse sub generali concessione eam comprehendere.

Verius est oppositum.

88 At omnino tenendum est, in prædicto casu nullum confessarium posse virtute illius generalis concessionis ab hæresi absolvere. Quod demonstratur primò: quia iuxta iuris regulam *in generali*, *de regul. iur. in 6.* sub generali concessione non intelligitur comprehensus casus specialis, quam creditur non concessurum Superiorem, si in specie proponeretur; sed talis est absolutio ab hæresi, cum sit sibi specialiter reservata: ergo non intelligitur comprehensa sub generali concessione. Secundò, quia vt supra vidimus post concessionem factam à Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformatione Episcopis circa absolutionem à casibus occultis, vt ad hæresim extenderetur, immediatè expressit: ergo quia hæresis absolutio non intelligitur in generali concessione. Confirmatur. Nam in Bulla Cruciata, postquam conceditur generalis facultas absolvendi toties quoties ab omnibus casibus Episcopis reservatis, etiam si publici sint; & semel in vita, & semel in morte à casibus Pontifici reservatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, vt diximus tract. 10. cap. 2. punct. 7. à num. 82. statim in

Bul-

Bulla Hiſpana ait: *Excepto el crimen de la heregia.* Ergo ſignum eſt, quod illius abſolutio in generali conceſsione non intelligitur comprehenſa. Ita Suarez de Fide, diſp. 21. ſect. 4. num. 21. Garcia de Beneficijs, part. 11. cap. 10. num. 109. Navarr. Covarr. Simanc. & alij apud Sanch. lib. 2. Decal. cap. 12. num. 10. Barboſa de Offic. Epiſc. tom. 2. allegat. 40. num. 31. Tapia tom. 2. lib. 1. de Fide, quæſt. 8. art. 9. Palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 4. num. 2. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 6. num. 2. qui omnes teſtantur hunc eſſe ſtylum Curiæ Romanæ, & Diana 1. part. tract. 5. de Abſolutione ab Hæreſi, reſolut. 1. iudicat probabiliorem; & alij dicunt definitam eſſe à Gregor. XIII. in motu proprio, qui incipit, *officij noſtri partes*, anno 1576. die 22. Septemb. expedito.

Magis roboratur ex decreto S. Inquiſitionis.

89 Sed, licet hæc vera non eſſet, ſufficeret, ad improbandam ſententiam contrariam, id, quod Tribunal S. Inquiſitionis Hiſpanæ, iuſsit addere decreto, quod legitur quotannis feria 6. poſt octavam Aſſumptionis, in quo Bullæ ad S. Inquiſitionem expectantes extant. Ibi enim in fine ſic dicitur: *Nueſtro muy Santo Padre Alexandro VII. en la Congregacion de el Santo Oficio de 23. de Março del año de 1656. para remover, y quitar las dudas, que por algunos Prelados, y Confeſſores ſe excitaron, ſobre entender, que en el Jubileo, que mandò publicar en el ingreſſo de ſu Pontificado, en que diò facultad à los Confeſſores de abſolver de los caſos de la Bula* in Cœna Domini, *y que por eſſo podian abſolver de la heregia: declarò, que aſsi en lo preſente, como en lo por venir, no pueda Confeſſor abſolver de los caſos de la heregia; ſino es, que expreſſamente lo declare, aſsi por ſer el crimen de la heregia mas grave, y digno de eſpecial cenſura, que los demàs caſos de la dicha Bula. Y para que todos lo tengan entendido, ſe mandò por el Tribunal del Santo Oficio añadir la dicha declaracion de ſu Santidad al Edicto en que eſtàn comprehendidas las Bulas, que tocan à las materias del Santo Oficio, en la Feria 6. poſt Octavam Aſſumptionis B. Mariæ Virgin. de cada vn año.* Ex quibus manet ablata omnis probabilitas ſententiæ contrariæ.

Quilibet Inquiſitor poteſt pro foro conſcientiæ abſolvere ab hæreſi.

90 Rogabis ſecundò: An Inquiſitores poſsint pro foro conſcientiæ ab hæreſi abſolvere? Hanc difficultatem affirmative reſolvimus tract. 10. cap. 4. num. 61. (quid quid in contrarium ſentiant Suarez, Sanchez, & Barboſa locis ibi citatis) tum, quia ita conceſsit Clemens VII. in Bulla, quæ incipit *cum ſicut* edita anno 1530. vt conſtat ex ſequentibus verbis apud Pegnam in Direct. Inquiſit. in fine, fol. mihi 108. *Decernimus inſuper, vt veſtros Vicarios, ſive Commiſſarios inſtituere valeatis viros veſtra ſententia providos, aptos, & idoneos, dummodo ætatis trigeſimum annum attigerint. Vobis etiam, ac Vicarijs præfatis extraiudicialiter Lutheranos occultos, & non per Ordinarium, ſive alios Iudices, ac alios quoſcumque hæreticos, fautores, credentes, defenſores, & receptatores, necnon à S. Sede Apoſtatas, eoſque qui contra inhibitionem Sedis Apoſtolicæ tenuerunt, vel legerunt libros Martini Lutheri, vel aliorum, aut eidem, ſive eiſdem quomodolibet adhæſerunt (ſi ad cor reverſi pœnitentes id humiliter petierint) poſtquam hæreſi qua polluti, & infecti erant, abiuraverint, medio iuramento promiſerint, de cætero ab huiuſmodi hæreſi pennitus abſtinere, abſolvendi illis que pro præmiſsis pœnitentiam iniungendi ſalutarem, eoſque ad gremium S. Matris Eccleſiæ reſtituendi, & reducendi... auctoritate Apoſtolica tenore præſentium litterarum licentiam, & facultatem concedimus.* Ergo vera eſt noſtra concluſio. Tum etiam, quia ſic congruit ſuavi regimini Eccleſiæ. Tum denique, quia hæc eſt communis praxis Inquiſitorum, vt teſtatur Illuſtriſsim. Tapia, qui tom. 2. lib. 1. quæſt. 8. art. 5. num. 3. ait ſe bis obtinuiſſe licentiam à duobus Dominis Inquiſitoribus abſolvendi pro foro conſcientiæ ab hæreſi occulta. Vnde ſaltem Inquiſitores Hiſpanos hanc habere facultatem, credimus, eſſe indubitatum. Videantur, vltra Auctores citatos tr. 10. cap. 4. num. 62. Villalobos tom. 2. in Sum. tract. 1. diffic. 12. num. 6. Diana 1. part. tr. 5. reſolut. 3. & ex parte Prado tom. 1. cap. 8. q. 6. num. 14. vbi refert duos Inquiſitores generales ſatis doctos prædictam licentiam conceſsiſſe. Ex quibus loc. cit. intulimus poſſe quemlibet Inquiſitorem etiam non Sacerdotem privative hanc abſolutionem impendere, vel cuilibet Sacerdoti delegare; & ita poteſt, & tenetur quilibet qui in hæreſim occultam inciderit, vel per ſe, aut per Confeſſarium adire ad Inquiſitorem, & ab eo abſolutionem obtinere.

Sed quid agendum, quando Inquiſitores talem abſolutionem concedere nolunt.

91 Sed, ſi Inquiſitores iudicent, conformando ſe opinioni contrariæ, quæ ſatis probabilis eſt, ſe non poſſe talem abſolutionem, & licentiam pro foro conſcientiæ præſtare, & velint tantum abſolvere coram Notario, & abiuratione præmiſſa; quod tamen totis viribus pœnitens recuſat, nolens tantum dedecus pati, vt ſi eſſet ſancti monialis, vel nobilis perſona, aut doctus Religioſus; quid ergo in hoc caſu agendum eſt? Circa hanc difficultatem video Trullench, & Pradum pedetentim progredi, volentes potius aliorum, quam propriam explanare mentem, quibus adhærentes, doctorum ſententias tantum referemus. Treytas in Additionibus de Solicitation. quæſt. 21. à num. 18. ait, quod in prædicto caſu, medio confeſſario, petat abſolutionem à Nuntio Apoſtolico, & ſi dare eam nequit, tunc mittat Romam per bancharium ad Penitentiariam maiorem, vt eam idoneo Confeſſario committat. Et interim obſervet pœnitens, quod tradunt Navarr. in Manuali, cap. 27. num. 239. Henriq. lib. 6. de Pœnit. cap. 15. §. 7. ſcilicet, quod poſsit communicare, & intereſſe choro, & alijs, à quibus, ſi abſtineret fama eius valde periclitaretur. Et rationem tradunt: quia lex naturalis, & divina de defendenda fama præſtat omni legi humanæ, & excommunicationi ab ea latæ. Hæc citati Auctores.

Referuntur Doctorum placita.

92 Simili modo loquuntur Reginald. in Praxi, tom. 1. lib. 8. cap. 7. num. 87. Diana 1. part. tract. 5. reſol. 4. Trullench in Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 4. num. 13. Sancius in Select. diſp. 32. num. 11. Palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 4. punct. 4. §. 6. num. 2. qui omnes aſſerunt ratione ſcandali, & infamiæ, & quando adeſt

adest necessitas vrgens celebrandi, aut confitendi, posse celebrare, & confiteri dimidiatè, hoc est manifestando non reservata, vt vult Palaus, quibus directè absolutis à Confessario, reliqua indirectè absoluta manent. ¶ Sed credimus, quod si hæreticus occultus potest validè absolvi à non reservatis à Confessario inferiori, teneatur tunc pœnitens illi aperire omnia peccata, tàm non reservata, quàm reservata, vt docet D. Thom. in 4. disp. 17. quæst. 3. artic. 4. quæst. 2. ad 4. Petrus Ledesma tom. 1. de Pœnitent. cap. 20. dub. 1. post 2. concluf. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 31. sect. 2. Bonacin. de Pœnitent. disp. 5. qnæst. 7. punct. 5. §. 3. n. 9. Prado tom. 1. cap. 8. quæst. 9. §. 5. num. 22. & nos etiam docuimus tract. 4. cap. 7. punct. 3. num. 36. & tract. 6. cap. 13. punct. 6. num. 76. & alij apud ipsos. Et ratio est, quia præcipuè ex reservatis cognoscit Confessarius, an accedat, vel non pœnitens ritæ dispositus : ergo cum proprij illius muneris sit hoc agnoscere, tenetur etiam pœnitens omnia peccata etiam reservata illi manifestare. Addunt non pauci apud Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 13. n. 36. quos sequitur Fagundez de Præcept. Ecclesiast. tract. 1. lib. 3. cap. 12. num. 12. (licet contrarium videatur tenere in Decal. lib. 1. cap. 16. num. 17. & 18.) quod hæreticus, qui pro viribus absolutionem ab Episcopo, aut Inquisitore iuxta relatas sententias petijt, & impetrare non potuit ; & alias, ob paupertatem, aut aliud impedimentum, nequit Romam adire, aut mittere ; possit ex corde contritus, & confessus, etsi absit infamia, celebrare, & Eucharistiam sumere. Vel saltem dicunt posse Episcopos pro similibus casibus absolutionem impertiri, vt videtur haberi in cap. *De his, de sentent. excommun. in 6.* & cap. *Ea noscitur*, & de Prælatis in ordine ad Religiosos probabiliter docet Prado tom. 1. cap. 8. quæst. 9. §. 3. num. 11. Sed iuste dicta extensio non admittitur à Sanchez, Trullench cit. imò nec à Diana tract. de absolut. ab hæresi resolut. 4. quia citati textus loquuntur de absolutione excommun. ob Clerici percusionem, sub qua non est ratio probans quod hæresis comprehendatur, cum sit strictissimæ reservationis.

Quilibet Sacerdos potest absolvere hæreticũ in articulo mortis.

93 Rogabis tertiò : An hæreticus possit absolvi in articulo mortis à quolibet Sacerdote ? Respondetur affirmativè, etiam si Sacerdos sit degradatus, aut hæreticus, vt docet Tridentin. sess. 14. cap. 7. *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat in eadem Ecclesia Dei custoditum semper est, vt nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeò omnes Sacerdotes, quoscumque pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolveri possint.* Ergo & ab hæresi, etiam publica. Sic communiter Doctores. Videantur Suarez tom 4. in 3. part. disp. 30. sect. 3. à num. 2. & de Fide disp. 21. sect. 4. num. 22. & latissimè Petrus Hurtado disp. 84. sect. 8. & nos diximus tom. 1. tract. 6. capit. 11. punct. 2. numer. 20. vbi numer. 24. docuimus articulum, & periculum mortis pro eodem accipi. Similiter n. 30. resolvimus difficultatem, quam hic solet discuti, scilicèt, an si in articulo mortis adsit, aut adesse possit Sacerdos habens requisita ad absolvendum à reservatis, & ab hæresi; possit adhuc pœnitens Sacerdoti simplici confiteri. Cui difficultati satisfecimus negativè, & præter rationes ibi ponderatas, vlterius potest probari nostra resolutio ex verbis Concilij Tridentini loc. cit. vbi ait : *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat in eadem Ecclesia Dei*, &c. Sed dum adest legitimus Confessarius, non datur occasio periculi, & damnationis pœnitentis, cum adsit, cui confiteri possit, quin teneatur ad actum contritionis eliciendum: ergo reiecto legitimo confessario, nequit Sacerdoti simplici hæresim confiteri. Videantur Sanchez lib. 2. cap. 13. num. 7. plurimos referens, & quæ diximus toto illo puncto 2. nam absolutioni ab hæresi proportionabiliter applicanda sunt. Solum tamen licet hic addere ex Sanchez num. 4. Palao tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 3. §. 5. num. 3. posse ab hæresi absolvi à quolibet Sacerdote fœminam partui proximam, quæ solet in eis periclitari ; nec non, qui aggressurus est bellum, aut periculosam navigationem omnino necessariam : quia tunc adest verè proximum mortis periculum.

PUNCT. IX.

An omnes fideles debeant hæreticos sibi notos Iudicibus fidei denuntiare ? vel sint aliqui qui à denuntiatione excusentur?

§. I.

Deciditur prima pars dubij.

Quædam nq tantur.

94 GRaviſsima sunt, quæ titulus offert discutienda: quare pro maiore claritate aliqua sunt supponenda. Et primo supponendum est, quod duplex datur denuntiatio, alia Evangelica, & alia iudicialis : Illa dicitur, quæ fit Superiori, vt Patri Spirituali, & ordinatur ad emendam fratris, de qua erit nobis sermo, cum agamus de correptione fraterna : hæc vero est, quæ fit Superiori vt Iudici, & ordinatur ad delicti punitionem, de qua in præsenti loquendum nobis est. ¶ Secundò est supponendum, duplicem esse differentiam inter accusationem, & denuntiationem. Prima, quod accusator debet probare delictum, cum sit pars in iudicio petens ; secus vero denuntiator cum solum patefaciat iudici crimen. Constat hoc ex cap. *Super his, de accusat.* & probat Farinquæst. 185. §. 5. num. 71. ex Pegna in Direct. Inquisit. comment. 15. vers. *His peractis*, pag. mihi 416. col. 2. & Angelo tract. de *Malefic.* versicul. *Nec ad denuntiationem*, num. 20. & ita in practica servari testantur citati Auctores. Secunda est, quod accusator petit vindictam delinquentis, & ad eam Iudicem compellit; at per denuntiationem nihil à Iudice petitur; sed eius conscientiæ, & officio relinquitur, vt procedat, quomodo sibi expediens visum

sum fuerit. ¶ Tertiò supponendum est, sub pœna excommunicationis maioris teneri fideles ad hæreticos denunciandos, vt late probat Farinac. de Hæresi, quæst. 197. §. 2. num. 35. ex cap. 2. de Hæret. cap. Quapropter, 2. quæst. 7. & constat ex edicto generali S. Inquisitionis id ipsum sub prædicta pœna præcipiente. Quando vero, & qui teneantur, ad denunciandum ex dicendis constabit. His suppositis

Hæreticum publicũ tenetur fidelis denuntiare.

95 Dicendum est, quod, si hæreticus est publicus, tenentur omnes fideles illum statim denunciare. Hæc conclusio est communis apud Doctores. Constat ex *cap. Quapropter, 2. quæst. 7. & cap. 2. de Hæret.* Et insuper probatur ratione desumpta ex D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. quia, quando peccata sunt publica, applicandum est remedium non solum ei, qui peccavit, sed etiam alijs, ne scandelicentur, iuxta illud Apostoli ad Timotheum 5. *Peccantes coram omnibus, argue, vt cæteri timorem habeant.* Sed hæresis in prædicto casu est peccatum publicum: ergo est applicandum remedium non solum ei, qui peccavit, sed etiam alijs, ne scandelicentur. Tum sic: Sed ad hoc remedium adhibendum requiritur denunciatio: ergo debet denunciari hæreticus publicus. Ita omnes Doctores.

Hæreticum occultũ; etsi delictũ non possis probare non teneri denunciare, aliqui dicunt.

96 Sed rogabis primò: An si hæreticus est occultus, & ob hoc probare delictum non potes, tenearis illum denunciare? Partem negativam tuentur Ioann. And. in cap. Novit. de Iudæis. Decanus in Tract. Crimin. lib. 5. cap. 30. num. 4. Villadiego Tract. de Hæret. cap. 10. Fagund. de Præcept. Eccles. lib. 4. cap. 3. num. 31. loquendo de solicitanti in confessione, & alij. Et moventur: quia nemo tenetur ad id, quod est invtile, & alias est nocivum proximo; sed talis denunciatio esset invtilis, cum ex vi illius Iudex nec possit corrigere, nec punire reum, & alias esset nociva, cum per eam denunciatus infamaretur: ergo hæreticum occultum denunciare non teneris.

Oppositum est omnino certum.

97 Sed omninò est tenenda pars affirmativa. Quæ probatur primò ex D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. his verbis: *Quædam enim peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel spirituale: puta si aliquis occulte tractet, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si hæreticus privatim homines à fide avertat. Et quia, qui sic occulte peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denunciationem, vt huiusmodi nocumentum impediatur.* Secundò, quia talis denunciatio est valde conveniens bono Ecclesiæ, cum per eam impediatur, ne hæresis crescat, alios que inficiat: nam tunc procedere potest Iudex ad inquirendum de tali crimine, vt probat Farinac. de Hæres. q. 185. num. 64. & debet deinceps maiori diligentia vitam, & actiones talis personæ observare; sed bonum commune Ecclesiæ est particulari præferendum: ergo licet ex ea aliqua iactura famæ illi adveniat, ob bonum commune non est denunciatio omittenda. Tum etiam: quia talis denunciatio ipsi delinquenti est proficua, cum per eam à peccato commisso emmendatur, at ab alijs in posterum committendis retrahatur: ergo, ob damnum proximo illatum, non est omittenda: & per hoc patet ad argumentum. Ita communiter Doctores. Videantur Azor tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 9. Suarez disp. 20. sect. 4. num. 7. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 32. num. 47. Bonac. disp. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 9. Palaus tract. 4. disp. 3. punct. 4. num. 2. Trullench tom. 1. in Decal. lib. 1. cap. 2. dub. 5. num. 4. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 7. art. 2. num. 2. & alij apud ipsos. Et hæc nostra resolutio videtur esse definita ab Alexand. VII. in sequenti, prop. 5. damnata: *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.* Ergo, si tibi constat aliqua hæresis, etsi occulta, non excusaris à denunciatione, ex eo præcisè, quod probare non possis. An autem excuseris ob alias causas? Videbimus infra.



Ante denunciationé esse præmittendam correctionem fraternam, est aliquorũ sententia.

98 Sed hic insurgit gravissima difficultas: An ante huiusmodi denunciationem sit necessarium præmittere privatam correctionem, occultam que admonitionem? Pars affirmativa probatur primò ex D. Thom. qui post verba supra relata statim addit. *Si tamen esset firma spes, quod hæreticus esset statim emendandus, præmittenda esset privata correctio*: Ergo quando datur talis spes, præmittenda est privata correctio; & consequenter, si cum illa delinquens emendetur, cessabit obligatio denunciationis. ¶ Secundò. Nam Christus, Matth. 18. dicit: *Si peccaverit in te* (id est coram te solum, vt plures explicant apud Cornelium, & N. Sylveiram tom. 4. lib. 6. cap. 11. n. 127.) *frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Ergo non licet, omissa correctione, ad denunciationem procedere. ¶ Tertiò. Etenim in *Clement. nolentes de hæret.* de crimine hæresis loquendo sic ait S. Pontifex: *Si secrete noverint eos talia commisisse ipsos graviter arguere, & corrigere studeant in secreto.* Ergo præmittenda est secreta correctio in casu hæresis occultæ. ¶ Quartò cessante fine denunciationis, cessat obligatio illius; sed quando datur firma spes emendæ hæretici, cessat finis denunciationis, qui est emenda peccatoris: ergo cessat etiam obligatio denunciationis, & solum obligat præceptum correctionis fraternæ. Ita tenent (ait Illustr. Tapia loc. citando) communiter discipuli D. Thom. dict. art. 7. Sotus lib. 5. de Iust. quæst. 5. art. 1. Canus lib. 12. de Locis, cap. 9. num. 7. Sylvester verb. *Correctio*, quæst. 5. Lopez Instruct. quæst. 4. cap. 54. Ledesma in Sum. tom. 2. tract. 4. conclus. 24. diffic. 2. Castro de Hæret. Punition. lib. 2. cap. 25. Tolet. lib. 5. cap. 57. n. 2. Ang. verb. *Denunciatio*, quæst. 2. Rosel. verb. *Inquisitio*, num. 1. Homobon. tract. 2. de Casib. reserv. part. 2. cap. 1. sic apud Illustr. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 7. art. 2. num. 65. an rectè eos referens infra videbimus. Quibus addere possumus Abul. Matth. 18. quæst. 97. ad 8. Navarr. in Sum. cap. 18. num. 56. qui in casu hæresis correctionem admittunt, licet raro; & Martin. del Rio lib. 1. Disquis. Mag. sect. 4.

Omissa correctione, hæreticus occultus est denunciandus.

99 Nihilominus, pars negativa est his temporibus omninò tenenda, & ita omissa omni correctione denunciandus est quilibet hæreticus, etiam occultus, etsi sit firma spes, quod si corrigeretur, esset emendandus. Et ratio prima,

ma, & principalis, est præceptum Tribunalis S. Inquisitionis per edicta generalia impositum, quod cum auctoritate Pontificia feratur, vim obligandi habet; sed tale edictum præcipit denuntiare omnem hæreticum omissa fraterna correctione: ergo aliter fieri non licet. ¶ Secundò. Peccatum hæresis serpit, vt cancer, vergit que in damnum commune Ecclesiæ; sed respectu peccati, quod vergit in damnum commune, non datur præceptum correctionis fraternæ: ergo, &c. ¶ Tertiò. Hæreticus occultus, quamvis emendatus sit, est denuntiandus, vt infra dicemus: ergo ratione emendæ invtilis est correctio fraterna ad impediendam denunciationem. ¶ Quartò: finis adæquatus denunciationis iudicialis non est sola fratris emenda, sed correctio publica, & aliorum fidelium securitas; sed hæc non consequuntur per secretam correctionem: ergo semper est facienda denunciatio. Minor probatur. Nam, quis credet hæreticum emendandum esse ex mea privata correctione, qui ex proprio iudicio à communi Ecclesiæ sensu semovit? Quis non credet potius, ob timorem pœnæ emendam fingere, vt communiter accidit, quam ex toto corde errorem abiurare? ergo, &c. ¶ Deinde licet ipse per fraternam correctionem lucretur, tamen alij, quos in secreto fortasse pervertit, permanebunt in eodem errore: ergo ex correctione fraterna securitas Ecclesiæ non consequitur. Vnde iure optimo reservat Ecclesia suis Iudicibus, & non iudicio hominis privati cognitionem, & correctionem hæresis occultæ; qui, cum sint homines doctrina, virtutibus, prudentia, zelo que Religionis insignes, melius, quam alij privati homines providebunt tam Ecclesiæ indemnitati, quàm pœnitentis famæ, & æternæ saluti. Ita defendunt communiter Doctores, vt Bannez 2. 2. quæst. 11. artic. 4. versic. *Sed circa solutionem.* Farinac. de Hæresi, quæst. 197. num. 39. Suarez de Fide, disput. 20. sect. 4. numer. 11. Roxas tract. de Hæretic. 2. part. assert. 3. & in singularib. fidei, singul. 3. num. 11. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 9. Pegna Direct. Inquisit. 2. part. com. 18. pagina 122. Sanchez libr. 2. capit. 32. numer. 47. in fine Bonacin. disput. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 20. Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 4. num. 5. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 2. dub. 5. num. 6. Bordonius tom. 1. cap. 11. num. 3. Fagundez tom. 1. in Decalog. lib. 1. cap. 26. n. 15. Barbosa 3. part. de Offic. & Potestate Episcop. allegat. 96. n. 69. (male relatus ab Hurtado pro contraria part. 1. resolut. tract. 4. cap. 6. num. 82.) Petr. Ledesma 2. part. Sum. tract. 4. cap. 4. concluſ. 24. vers. *A esta duda*, &c. his verbis: *La razon es, porque si el herege por su proprio juizio se apartò del comun consentimiento de la Iglesia, no es posible, que con mi correccion particular se emendarà. Esta es demonstracion moral. Y aunque fuera ansi, que el se pudiera emendar con la particular correccion; pero no queda segura la republica de otros, que le ensefiaron, ò de los que èl enseñò. Por lo qual justamente mandan los Inquisidores, que vayan luego à denunciar del tal delito, como lo mandan so pena de excomunion latæ sententiæ en los Edictos generales.* Hæc transcripsimus, vt videat lector an, pro contraria, vt ait Tapia, vel potius pro nostra, stet sententia.

100 Ex quibus iam patet ad argumenta. Ad primum dicimus sententiam D. Thom. procedere ex vi præcepti charitatis, & secluso præcepto Ecclesiæ, quod tunc temporis non aderat: quia vero nunc adest decretum S. Inquisitionis contrarium præcipiens, illi omnino parendum est. Sic etiam interpretatur D. Thomam Suarez num. 11. & Pegna in Director. Inquisit. comm. 18. cit. ¶ Ad secundum desumptum ex verbis Christi Domini respondetur, quod verba illa: *Si peccaverit in te fratres tuus*, diversimodè à Doctoribus explicantur. Quidam dicunt, quod ly *in te*, loquitur de peccatis contra proximum immediatè patratis, non de his, quæ contra Deum, qualis est hæresis, immediatè committuntur: alij explicant in ordine ad fidelis correctionem; non vero infidelis, & ideo ait, *frater tuus*; id est, non natura, sed fide. Videantur Cornelius, Sylveir. Suarez, & Fagundez citati. Sed D. Thomas tam super Matth. quàm in 2. 2. quæst. 33. cit. respondet, peccatum hæresis non esse peccatum *in te* commissum, sed contra alios, scilicèt contra totam Ecclesiam, & Deum, & sic non est peccatum privatum, sed publicum ex vi obiecti: vnde præceptum correctionis fraternæ de illo non loquitur, & sic, ea omissa, statim hæreticus occultus denuntiandus est. ¶ Ad tertium dicimus prædictam Clementinam non loqui de peccato hæresis, sed de blasphemia. Et alijs, à quibus nequit sumi argumentum ad hæresim, quæ est specialis reservationis ob gravitatem illius, vt sæpius diximus. ¶ Ad quartum patet ex rationibus probativis conclusionis.

Argumenti primæ sententiæ respondetur.

101 Hæc omnia confirmantur, ex Sum. Pontif. Alex. VII. Diplomate, vbi improbabilitatis nota inurit opiniones excusantes ex motivo correctionis fraternæ denuntiare hæreticos, vel committentes alia crimina ad Inquisitionis Tribunal expectantia: quod quidem Pontificium Diploma, satis expressè damnans contrariam sententiam, vt nostra determinationis veritas clarius appareat, de verbo ad verbum transcribimus. Ex Bullario magno tomo 5. Bulla 98. huius Pontificis, pag. mihi 323. quod sic se habet.

Confirmantur hucusque dicta ex Bulla Alexandr. VII.

Feria 5. die 8. Iulij 1660.

IN CONGREGATIONE GENERALI S. R. & vniversalis Inquisitionis habita in Palacio Apostolico apud S. Mariam Maiorem coram SS. D. N. Alexandro, divina providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in vniversa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sede Apostolica specialiter deputatis.

102 *Licet aliàs per constitutionem felicis recordationis Pauli V. emanatam sub die prima Septembris 1606. quæ incipit Romanus Pontifex, fuerit districtè prohibitum Su-*

Superioribus Regularium, ne quo vis titulo, vel prætextu præventionis, aut consuetudinis, & præscriptionis, etiam immemorabilis, aut alio in causis ad Sanctum Officium spectantibus se quoquo modo intromittere, aut immiscere, denuntiationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas cognoscere, aut terminare, audeant; imò ex eiusdem constitutionis dispositione eisdem fuerit graviter iniunctum, vt suos subditos, ac religiosos, quos hæresis labe infectos, vel de hæresi suspectos noverint, absque alia consultatione cum proprijs suæ Religionis Superioribus, vel alia quavis persona facienda, sine mora Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs vicinioribus denuntient.

§. I. *Nihilominus animadvertens Sanctissimus D. N. Alex. VII. ab aliquibus Regularibus in dubium revocari prædictam denuntiandi obligationem, adeò vt nedum suos subditos non denuntient, verum etiam fideles ad ipsos pro consilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denuntiare, quæ audierunt, aut viderunt ad ipsum S. Officium spectantia ad id faciendum, vt deberent, non obligent, imò aliquando eosdem perperam instruant non teneri, nec sub obligatione Constitutionum Apostolicarum comprehendi, & hanc opinionem erroneis aliquot DD. sententijs confirmare tentantes, eosdem in maximum Fidei discrimen ab onere denuntiandi retrahere conentur.*

§. II. *Volens proinde sanctitas sua huiusmodi ex sui pastoralis officij debito coercere, post maturam facti discussionem, auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, innovat constitutionem prædictam à felic. recordat. Paulo V. emanatam, & quatenus opus sit eam declarans, hoc præsenti decreto districtè præcipit, & mandat omnibus, & singulis Regularium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpositis, aliisque eiusmodi quocumque nomine nuncupatis Superioribus cuiuscumque Ordinis, & Instituti sivè Mendicantium, sivè non Mendicantium, nec non Congregationis, & Societatis Clericorum Regularium quorumcumque, etiam Societatis Iesu, aliorumque quomodocumque exemptorum, vel non exemptorum, etiam si essent specialiter, & nominatim exprimendi, vt omnino dictæ Constitutioni in omnibus pareant, & omnes, & quoscumque Religiosos, tam sibi ipsi subditos, quàm non subditos cuiuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, hæreticos, vel de hæresi quomodocumque etiam leviter suspectos, deferant, & iudicialiter denuntient Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs, & nullatenus in causis ad Sanctum Officium spectantibus audiant se intromitttere, neque suos subditos ad S. Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quovis modo, sivè directè, sivè indirectè avertere, retrahere, dissuadere; imò prædictos suos subditos monere debeant, vt ipsi quoque eidem decreto pareant, & alios Christi fideles, etiam confratres suos ad parendum pariter hortentur, & suadeant, reiectis penitus huiusmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas sua cum voto dictorum Eminentissimorum DD. Cardinalium tamquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, & à mente Sanctitatis suæ prorsus alienas reprobavit, & reprobat.*

§. III. *Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo, quod ipsis implendum incumbit cum Religiosis eiusdem, alteriusve Ordinis, alisve quibuscumque personis de fide suspectis, cæterisque petentibus consilium in materijs ad Sanct. Officium spectantibus, ita vt nedum ipsimet denuntiationes differant, vel ab illis prorsus abstineant, verum etiam multoties ab eisdem alios à se consilium petentes retrahant malis artibus, vel mendacijs Doctorum opinionibus, vel sub fraternæ correctionis factæ, vel faciendæ, alio ve prætextu.*

§. IV. *Propterea idem Sanctissimus declaravit præfatos subditos absque vlla participatione, etiam si nulla sit petita venia à Superioribus, etiam si nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omnino teneri, & obligatos esse accedere ad denuntiandum Ordinarijs, vel Inquisitoribus locorum quoscumque etiam confratres, ac superiores etiam primarios suos eiusdem Ordinis, ac Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos: ac propterea eosdem debere omnes, & quoscumque etiam alias à se consilium, vt supra, petentes, monere, & obligare ad denuntiandum, nec posse illos à denuntiando sub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare, & præfatos omnes tam superiores, quàm subditos contrafacientes Sanctitas sua voluit, & declaravit subiacère omnibus censuris in dicta constitutione Pauli V. expressis, nec non privationis quarumcumque dignitatum, seu Prælaturarum, seu Officiorum suorum ordinum, ac vocis activè, & passivæ, perpetueque inhabilitatis ad easdem ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis, aliisque Sanctitatis suæ, ac successorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas sua sibi ipsi, & successoribus suis Romanis Pontificibus tantum expressè reservavit.*

§. V. *Et ne præmissorum prætendi possit ignorantia, idem Sanctissimus mandavit sub eisdem pœnis, ipso pariter facto incurrendis, vt supra reservatis, vt Superiores omnes præfati in quocumque loco, Conventu, vel Collegio sui Ordinis Decretum hoc semel saltem singulis annis Kalendis Martij in publica mensa, vel alias in Capitulo ad hoc specialiter convocato, legi curent, vnà cum alijs Decretis, & constitutionibus Apostolicis ad Sanctum Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentibus, quotannis legi solitis, iuxta Decretum felic. recordat. Vrbani VIII. Et insuper ijdem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conserventur, ita vt ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque huiusmodi lectione, & commotione publico documento ab eisdem Superioribus Conventus, vel domus subscripto, vnaque ab alijs duobus religiosis eius domus, vel*

Conventus ſtatim cerciorem facere Congregationem Sanctiſsimæ Inquiſitionis in Vrbe, vel locorum Inquiſitores, vbi ſunt. Statuitque præterea decretum hoc, ſeu illius exemplum ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixum omnes vbique exiſtentes arctare, & afficere, ac ſi vnicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.

IOANNES LUPUS SANCTÆ ROMAnæ, & Vniverſalis Inquiſitionis Notarius.

Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo, Inditione decima tertia, die vero 24. menſis Auguſti, Pontificatus autem Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri, Divina providentia Papæ VII. anno eius Pontificatus ſexto, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Baſilicæ S. Petri de Vrbe, necnon ad Valvas Palacij S. Inquiſitionis, ac in acie Campi Floræ, vt moris eſt per me Hieronymum Maſcellam eius Sanctiſsimi D.N. Papæ, & Sanctiſsimæ Inquiſitionis Curſoris.

§. II.

Reſolvitur ſecunda pars, & deciditur, qui excuſentur à denunciatione.

Excipiuntur non nulli caſus.

SEd licet ita ſint, qua §. antecedenti ſtabilivimus, ab hac tamen generali regula aliqui caſus excipiendi ſunt.

Non eſt revelandum, quod ſub ſygillo confeſſionis ſcitur.

103 Primò igitur non tenetur denuntiare hæreticum, qui tale crimen agnovit in confeſſione ſacramentali. Quia alias magna iniuria fieret Sacramento, redderetur que hominibus valde formidable.: vnde contraria ſententia Alberic. & Rainer. vt erronea explodenda eſt. Videantur à nobis dicta tract. 6. cap. 14. maximè punct. 1. & Farinac. quæſt. 197. §. 2. num. 46. Simancas de Catholicis Inſtit. tit. 29. num. 18. Suarez num. 16. Fagund. num. 17. Barboſa de Officio Epiſcop. part. 3. alleg. 96. num. 63. Palaus tract. 4. diſp. 2. punct. 4. n. 8. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 2. dub. 6. num. 1. & 3. Qui quidem aſſerunt prædictam limitationem non eſſe extendendam ad aliud ſecretum etiam iuramento firmatum; vnde, qui ſub iuramento hæreſis crimen non propalaturum promitteret, tali non teneretur iuramento alias hoc, & in damnum Eccleſiæ redundaret, & vinculum eſſet iniquitatis. Noſtram reſolutionem quo ad vtramque partem docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 70. art. 1. ad 2.

Nemo ſeipſum denuntiare tenetur.

104 Deinde ſecundò non tenetur hæreticus ſeipſum denuntiare. Quod probatur primò ex illa regula iuris *Non dico, vt te prodas*: quæ habetur in cap. *Quid aliquando, de pœnitentia*, diſtinct. 1. ¶ Secundò, quia nullus cogitur agere contra ſeipſum, eſſet enim tale præceptum iniquum, & obſervatu impoſsibile: ergo nullus in hæreſim lapſus tenetur ſeipſum denuntiare. Sic Caietanus 2.2. q. 70. art. 1. Suarez num. 18. Simancas tit. 41. n. 13. Trullench num. 4. Diana Tract. de Denunciatione, reſol. 8. ¶ Imò nec ſocios criminis hæreſæos tenetur aliquis denuntiare: cum moraliter impoſsibile ſit, ſocios manifeſtare, qui ſimul ſeipſum manifeſtet. Quæ omnia intelligi debent, quando non interrogatur hæreticus iuridicè, aut cum bono communi cognoſcat expedire, ſic enim & criminis ſocios, & ſeipſum denuntiare debet. Ita DD. citati: & amplius ex dicendis cap. ſeq. punct. 4. num. 68. conſtabit.

Sunt, qui negant teneri patrem, maritum, & fratrem denũtiare vxorem filium, & fratres, quando hæretici ſunt.

105 Sed inquires: An parentes filium, frater fratrem, aut ſororem, maritus vxorem, aut è contra, dum hæreticos eſſe noſcunt, eos Inquiſitoribus denuntiare debeant? Prima ſententia eſt negativa, maximè de filio reſpectu patris: quia monſtruoſum, & horribile eſt excedens beſtiarum immanitatem, quod filius patrem occidat; ſed ſi illum denuntiaret de hæreſæos crimine, illum occideret, cum hæc pœna ſit tali competens crimini: ergo non tenetur denuntiare. ¶ Deinde filius totum ſuum eſſe habet à patre, ergo obligari nequit, ad vitam adimendam ei, à quo eſſe, & ſubſtantiam accepit. ¶ Rurſus: nemo tenetur ſe infamare, ſed ſi patrem hæreticum denuntiaret abſque dubio ſeipſum infamia afficeret. Et paternis bonis ſe expoliaret: ergo, &c. Denique: quo ad maritum reſpectu vxoris ſic oſtenditur: nam, vt dictum eſt, nemo ſeipſum denuntiare debet, tunc ſic: ſed ſi maritus deberet denuntiare vxorem, ſeipſum teneretur denuntiare, cum ſint vna caro, & vna perſona: ergo, &c. Ita Simancas de Catholicis Inſtitutionibus, tit. 29. num. 35. & 47. Abulenſ. in Deuteron. cap. 13. quæſt. 3. & in lib. 3. Regum, cap. 15. quæſt. 16. Et de marito reſpectu vxoris Pegna in Director. 2. part. quæſt. 53. com. 78. Farinacius quæſt. 197. num. 49. Bonacina diſp. 2. de cenſuris, quæſt. 6. punct. 1. num. 14. Barboſa de Officio Epiſcop. 3. part. allegat. 96. num. 59. Filliuc. tract. 14. cap. 1. quæſt. 7. & alij.

Verius eſt oppoſitum.

106 Secunda, & vera ſententia eſt affirmativa: quæ probatur primò ex cap. 13. Deuteron. verſ. 6. vbi ſic dicitur: *Si tibi perſuadere voluerit frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſive vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam; dicens, eamus, & ſerviamus Dijs alienis, &c. non miſerearis, vt occultes eum.* Ergo tenentur parens, frater, & maritus, atque amicus, filium, fratrem, vxorem, & amicum denuntiare, & è contra, cum correlativorum eadem ſit ratio. Quod quidem ſpecialiter probatur quo ad filium reſpectu patris, in quo poteſt eſſe difficultas: Primò: quia, vt eruditè probat Cicero eloquentiæ Princeps lib. 3. Officiorum, tenetur pater manifeſtare filium, & è contra, ſi eſt proditor Principis, aut Patriæ: ergo multo magis denuntiare tenebitur eum filium, & è contra, qui eſt Dei Proditor, & Religionis Catholicæ, & veræ deſtructor, qualis eſt hæreticus; cum oporteat obedire Deo magis, quam hominibus. Rurſus: prædictus textus præcipit maritum denuntiare ſuam vxorem: & tamen ex hoc omnes DD. inferunt, vxorem de-

be-

bere denuntiare ſuum maritum, quia ſunt correlativa: ergo idem, & ob eamdem rationem dicendum eſt de patre reſpectu filij, aut è contra. Vltimò: Nam Ariſt. 1. Ethic. cap. de Idea Platonica ait: quod propter veritatem oportet etiam familiaria deſtruere, quia amico,& veritate præxiſtentibus, ſanctius eſt præhonorare veritatem; ſed nulla eſt maior veritas, quam veritas Divini cultus: ergo, ſi huic per hæreſim pater, aut frater, vel maritus opponuntur: tenebuntur filius, frater, & maritus, eſto omnem familiaritatem diſſolvant, eos Inquiſitoribus fidei denuntiare. Nobiſcum ſentiunt Caiet. ſuper cap. 13. Deuteron. Farinac. quæſt. 197. num. 40. Caſtro de iuſta Hæretic. Punitione, lib. 2. cap. vltimo, Roxas ſingul. 3. num. 29. Azor tom. 2. lib. 2. cap. 2. Peña part. 2. com. 15. Navarr. in Sum. cap. 15. Tolet. lib. 5. Sum. cap. 1. num. 10. Suarez diſput. 20. ſect. 4. num. 21. Sanch. tom. 2. Conſiliorum, lib. 6. cap. 2. dub. 19. num. 3. & 6. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 2. num. 15. Palaus tract. 4. diſp. 2. punct. 4. num. 14. Bonac. tom. 2. in fine, de Obligat. Denuntiand. diſp. 6. punct. 1. §. 3. num. 6. & punct. 2. num. 3. pag. mihi, 1110. Dian. 4. part. tract. 3. reſ. 61. & 1. part. tract. 4. reſol. 4. & 5. & coordinatus tom. 7. tract. 9. reſ. 8. 9. 10. 11. Quod & nos etiam, licet per tranſenam, tom. 2. tract. 10. cap. 4. punct. 1. num. 13. docuimus. Tenetque N. Ant. à Spirit. Sanct. conſ. 100. n. 32.

107 Ad contraria argumenta reſpondemus: & ad primum, & ſecundum manet ex rationibus probativis noſtræ aſſertionis ſufficienter dictum: Etenim ius naturale, & divinum docent ob bonum commune, particulare eſſe deſpiciendum, & *Qui non odit patrem, & matrem:::: adhuc autem, & animam ſuam*, quando fidei opponuntur *non eſt Chriſti diſcipulus*, nec fidelis: ergo non eſt contra ius naturale, ſed potius ei valde conſonum patrem, filium fratrem, aut vxorem denunciare, cum tale crimen ſit contra bonum commune, ſerpatque vt cancer per Eccleſiæ corpus. ¶ Ad tertium negatur minor: nam, vt dicunt DD. citati, maximè Pegna, & Suarez, ex decreto Imperatoris Federici ab Innoc. IV. approbato, filij hæreticum patrem denuntiantes nullam pœnam infamiæ, aut confiſcationis legitimæ incurrunt. Quod etiam conſtat ex leg. *Quis quis*, §. vltimo, cap. *Ad legem Iuliam Maieſtatis*, vbi ſimilis remiſsio fit in crimine læſæ maieſtatis. Et eſt hoc rationi valde congruum, ne ob talis pœnæ timorem filij à denuntiando patres deterreantur. ¶ Ad vltimum patet ex dictis: nam licet fictione iuris ſint eadem perſona maritus, & vxor, facta conſideratione ad alias res; tamen quo ad præſens realiter in conſideratione morali diſtinguntur, nec ignominia mariti cedit in detrimentum vxoris, vt diximus de filio reſpectu patris.

Satisfit adverſarioris argumẽtis.

108 Quæres ſecundò: An excuſentur à denunciatione vxor, frater, & filij, ſi timeant ex ea grave damnum ſpirituale, aut temporale ſibi eventurum? Affirmant Navarr. in Manuali, cap. 25. num. 5. Læſius lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 6. Sayrus in Clavi Regia, lib. 12. cap. 14. Farinac. quæſt. 197. num. 53. Bonac. tract. 6. punct. 1. §. 3. num. 1. Filliuc. tract. 14. cap. 2. quæſt. 5. & 6. Barboſa de Officio Epiſcop. part. 3. alleg. 96. num. 70. Et ratio eſt: quia præcepta Divina, & Eccleſiaſtica non obligant cum tanto rigore: ergo ad eos denuntiandos non tenentur, ſi ex ea denunciatione grave timeant damnum. ¶ Alij vero dicunt, quod ſi penſatis omnibus, damnum, quod evenire poteſt ex omiſſa denunciatione maius eſt, quam damnum, quod times, & alia via impediri non poteſt, denuntiare etiam cum vitæ periculo, vel alio gravi damno, teneris. Ita Roxas ſingul. 3. num. 30. verſ. *Septimo ampliatur*. Pegna 2. part. Direct. quæſt. 53. com. 78. Farinac. §. 2. num. 53. Barboſa loc. citat. plures referens.

Secundum aliquos non debent filij, fratres, & vxor denuntiare cum timore gravis damni patres, fratres, & maritum.

Alia opinio circa præſens dubiũ ſcribitur.

109 Noſtra tamen ſententia affirmat filios, vxorem, & fratrem, aut è contra teneri denuntiare patres, maritum, & fratres etiam vitæ periculo, aut alio gravi damno interveniente. Et ratio patet ex dictis: nam hæreſis eſt peccatum ex ſe tendens in damnum commune, & vt cancer ſerpit: ſed quilibet tenetur vitare damnum commune etiam cum periculo vitæ, & obedire præceptis, aut legibus præcipientibus id, quod bono communi expedit, vt damnum commune evitetur, vt late tradidimus tract. 11. cap. 2. part. 7. à num. 125. ergo etiam cum vitæ periculo, aut alio gravi damno pater, frater, vxor, filius ab eorum filijs, fratribus, marito, vel patre, & è contra, denuntiandi ſunt. Ita Bonac. tom. 2. in fine, de Oblig. Denuntiandi, diſp. 6. punct. 2. n. 6. & Freitas in Additione ad Tract. de Confeſſore Solitante, quæſt. 10. num. 15. dicit: In praxi eſſe hanc ſententiam admittendam; quam etiam tenent Dian. 1. part. tract. 4. reſol. 7. Bordon. tom. 1. cap. 31. num. 11. & alij.

Sententia noſtra, & affirmativa.

110 Quæres tertiò: An teneantur fideles denuntiare hæreticum occultum, ſi iam eſt emendatus? Negant aliqui, & moventur: quia finis denunciationis eſt emendatio proximi; & punitio, quæ ad eam ſequitur, tendit in ſatisfactionem iniuriæ Reip. factæ: ſed vbi crimen eſt occultum, non datur Reip. iniuria, & ideo ceſſare debet punitio; & ſolum remanet proximi emendatio: ergo, ſi delinquens eſt emendatus, non obligat denuntiatio. Sic Sotus de Iuſt. & Iure, lib. 3. quæſt. 5. art. 5. Naldus in Summ. verb. *Accuſare*, num. 1. Freitas n. 34. Portellius in Dubia Regul. verb. *Solicitare fœminas*, n. 18. Palaus tract. 4. diſp. 3. punct. 4. num. 7. & alij apud Dian. 1. part. tract. 4. reſol. 3.

Sententia deffendens non eſſe denuntiandũ hæreticum emendatũ.

111 Sed dicendum eſt, denuntiandum eſſe hæreticum occultum etiam emendatum. Et ratio eſt, quia præceptum denuntiationis non ſolum eſt impoſitum ob correctionem delinquentis, ſed præcipuè ob correctionem publicam, & vt evitetur periculum perverſionis aliorum: ſed præcepta, quæ feruntur ob ſimiles fines, ſemper, & in omni eventu obligant, vt pluribus exemplis illuſtravimus tract. 11. cap. 2. punct. 4. & maximè exemplo præcepti denuntiandi ſolicitantes in confeſsione n. 86. ergo præceptum denunciationis in omni caſu obligat: eſt ergo denuntiandus hæreticus etiam emendatus. ¶ Secundò: Ea eſt præcipua diſtin-

Sententia affirmativa, & noſtra proponitur, & efficaciter probatur.

ſtinctio inter præcepta, quæ fundantur *in præſumptione facti*, quæ ab alijs dicitur *præſumptio diffinitionis, ſeu præſumptio rigoroſa*, & inter præcepta, quæ fundantur *in præſumptione iuris, aut periculi, ſeu præſumptione minus rigoroſa*; quod illa præcepta, quando fallit præſumptio, non tenent, vt ratione, & exemplis probavimus tract. citato, punct. 4. n. 78. & 79. hæc vero, etiam dum in particulari fallit præſumptio, tenent & obligant; vt videre eſt in lege Trident. annullantis matrimonia clandeſtina, ob fallacias in huiuſcemodi matrimonijs intervenientes, quæ licet in aliquo caſu in particulari non adſint, dicta tamen matrimonia nulla ſunt: & ſimiliter in lege eiuſdem Concilij irritantis profeſsionem religioſam ante decimum ſextum annum attentatam ob inſufficientem deliberationem, quam præſumit lex, quæ quidem deliberatio eſto in aliquo caſu ſit omnimodo perfecta, & ſufficiens ad religionis ſtatum amplectendum, talis tamen profeſſio nulla eſt. Tum ſic: ſed præceptum denuntiationis fundatur *in præſumptione periculi, aut minus rigoroſa*, vt ſæpè diximus: ergo in omni caſu tenet: ergo etiam dum emendatus eſt hæreticus, denuntiandus eſt. ¶ Confirmatur: etenim, vt loco citato cap. 4. punct. 1. diximus, ſi non ceſſet finis legis adæquatus, non ceſſat lex: imò etſi in aliquo caſu particulari ceſſet eius finis, tantum dicitur ceſſare *inadæquate*, finis enim adæquatus legis ſemper perſeverat: ergo, cum in præſenti adſit finis adæquatus legis denuntiationis, nempè periculum perverſionis aliorum; lex, aut præceptum denuntiandi ſemper, & in omni caſu tenebit: eſt ergo denuntiandus hæreticus etiam emendatus.

Secũdò probatur à poſteriore noſtra ſententia.

112 Secundò probatur noſtra concluſio: Quoniam ille hæreticus, & ſi ad ſenſum videatur emendatus, coram Deo forſam in ſuo errore permanebit: ergo ad hoc periculum evitandum, denuntiandus eſt. ¶ Confirmatur primò. Quælibet certitudo, quam habere poſſumus de hæretici emendatione, non eſt talis, aut tanta, vt ſuperet certitudinem, quam habemus de exiſtentia præcepti denuntiandi: ergo ſemper ſtabit poſſeſsio pro ipſo præcepto, ac per conſequens ſemper, & maximè in caſu quæſtionis, obligabit. ¶ Confirmatur ſecundò: nam nullus ſcire poteſt, an talis hæreticus ab alio infectus fuerit, vel ipſe alios ſuis erroribus imbuerit: ergo denuntiandus eſt, vt hoc innoteſcat Inquiſitoribus, & illi damno occurrant. ¶ Vltimò oſtenditur: quia hæc denuntiatio eſt valde conveniens, imò & multò neceſſaria, vt hæretici alijs fidelibus non communicent, nec eorum erroribus illos inficiant: avertentur enim hæretici ab inficiendis fidelibus, cum animadvertant in omni caſu, etiam ſi emendati ſint, denuntiandos eſſe: ergo, &c. Et his fundamentis ſufficienter evelluntur, & diſſoluta manent contraria argumenta. Noſtram aſſertionem inter alios tenent Azor prima parte lib. 8. cap. 19. quæſt. 9. Suarez diſp. 20. ſect. 4. num. 13. Simancas tit. 19. num. 12. Bonacin. in tractatu de Obligatione denuntiandi, diſp. 6. punct. 3. num. 9. & punct. 2. num. 3. Roxas ſing. 3. num. 33. Paramus de Origine Inquiſitionis, lib. 3. quæſt. 8. num. 9. Diana 1. part. tract. 4. reſolution. 3. Bordonius tom. 1. cap. 31. num. 4.

Enumerantur, qui ex iure in caſu hæreſis eximuntur ab Inquiſitorũ iuriſdictione

113 Quæres quartò: An ſint denuntiandi, qui ex iure eximuntur à iuriſdictione Inquiſitorum? Supponit titulus, eſſe aliquos exemptos à iuriſdictione Inquiſitorum: vnde oportet breviter eos declarare. In primis Cardinales, Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Patriarchas eſſe exemptos à iuriſditione Inquiſitorum, & ſolum poſſe iudicari de hæreſi à Summo Pontifice, conſtat ex cap. *Inquiſitores, de hæreticor. in 6.* & inſuper tradunt Simancas cap. 15. Repertorium Inquiſit. verb. *Epiſcopi*, Suarez ſectione quarta citata, num. 20. Fagundez lib. 1. cap. 26. num. 30. & Pegna part. 3. Directorij comment. 78. ¶ Deinde etiam eſſe exemptos Nuntios, alioſque Sedis Apoſtolicæ Officiales, qui pro cauſis ad illam ſpecialiter pertinentibus, deputati ſunt, habetur in Extravag. *Cum Matthæus, de hæreticis inter communes.* Ex quo ſequitur Inquiſitores gaudere hoc privilegio, cum ſint Summi Pontificis Officiales: eſto in Hiſpania, cum ſint ad nutum amobiles, poſſint in caſu hæreſis ab officio ſuſpendi; & tunc poteſt alius Inquiſitor contra eos procedere, vt ait Palaus num. 19. Quapropter, cum *exceptio firmet regulam in contrarium*, omnes alij, etiam Supremi Principes, præter enumeratos, ſubduntur in caſu hæreſis, aut ad hæreſim attinente Inquiſitorum iuriſdictioni: vnde Religioſi, & Religioſæ, Imperatores, Reges, Imperatrices, Reginæ, alij que Principes abſoluti ſub dicta iuriſdictione Dominorum Inquiſitorum manent. Verum, ſi forte contingat aliquem ex his Principibus in hæreſim incidere, docent Doctores citati, cum illis caute, & prudenter agendum eſſe, conſulendum que prius Summum Pontificem ob ſcandala, & ſeditiones inde communiter emanantia. Videantur ſupra citati Doctores.

Pro parte negativa proponitur argumentum.

114 Quibus ſic ſuppoſitis; videtur, non eſſe fideles obligatos ſimiles perſonas denuntiare. Et ratio eſt. Nam finis denuntiationis eſt inquiſitio, & punitio delinquentis: ergo ſi Inquiſitores nequeunt procedere contra Cardinales, Epiſcopos, Archiepiſcopos, & alios ex iure exemptos, & numero antecedenti enumeratos, fruſtranea eſt denuntiatio: patet conſequentia: nanque fruſtra denuntiatur, & accuſatur Sacerdos, aut Regularis coram ſæculari iudices, & hoc non alia ratione, niſi quia de horum criminibus cognoſcere, aut iudicium ferre non poteſt talis iudex ſæcularis: ergo, ſi Domini Inquiſitores nequeunt procedere in cauſa hæreſis contra perſonas ſupra enumeratas, nec de huiuſmodi crimine iudicium ferre, fruſtranea eſt horum denuntiatio; ac perconſequens non tenetur fidelis dictas perſonas denuntiare.

Denuntiãdi ſunt etiam, qui ab Inquiſitorũ iuriſdictione ſũt ex iure exempti.

115 Nihilominus tamen tenendum eſt, tales exemptos denuntiandos eſſe. Quia Inquiſitores, vt non obſcurè colligitur ex cap. *Inquiſitores, de hæreticis in 6.* habent iuriſdictionem ad excipiendam depoſitionem teſtium contra quoſcumque hæreticos: ergo, qui noverit hoc delictum à quocumque etiam exempto commiſſum, tenebitur ſaltim vt teſtis illud Inquiſitoribus manifeſtare. Deinde: quia hac via

via facilè impeditur damnum ex crimine hæresios Ecclesiæ imminens, cum ad Inquisitores attineat (& facilè illis sit) talem denuntiationem ad Sedem Apostolicam mittere, cui iudicium perfectum reservatur in casu quæstionis; alij vero particulares ægre talem denuntiationem valent exequi: ergo hæretici etiam exempti semper denuntiandi sunt, & maximè quando timetur fuga delinquentis, & grave Ecclesiæ damnum. Vt docent Peña, & Simancas locis allegatis, Palaus tract. 4. disp. 3. num. 20. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 2. punct. 6. n. 22. Suarez disp. 20. sect. 4. num. 22. Et ex dictis patet ad argumenta sententiæ contrariæ.

Ponuntur pœnæ contra omittentes denuntiationem.

116 Vltimo quæres, quas pœnas incurrit omittens denuntiare hæreticos? Respondetur ex iure communi in *Extravaganti Excommunicamus*, imponitur excommunicatio ferenda. Sed ex Edicto S. Inquisitionis ipso facto incurritur excommunicatio reservata, à qua nullus potest absolvere ommittentem denuntiare, quousque denuntiet. ¶ Deinde: non denuntians efficitur de hæresi suspectus, vt docet Castro de *Iusta hæreticorum punitione*, lib. 2. cap. 25. quod verum est, si absque causa veritatem occultaverit, aut in iuditio negaverit, non vero, si aliqua causa excusante, occultaverit. ¶ Insuper addit Pegna 2. part. Directorij, quæst. 53. comment. 78. quod non denuntians vt fautor hæreticorum habendus est; ac proinde pœnas contra fautores latas incurrit. Sed hoc nimis durum alijs DD. videtur, & solum concedunt verificari, quando, qui omittunt denuntiare, sunt ministri Sancti Officij ad id specialiter deputati, vt Familiares, & alij. Videantur Prorsper Farinacius quæst. 197. num. 47. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 10. num. 15. Trullench num. 25. Palaus num. 21. in tract. 4. disp. 3. Bonacin. de Obligatione denuntiandi, tom. 1. disp. 6. punct. 2. à num. 12. & alij.

Ad denuntiandum requiritur moralis certitudo criminis cõmissi.

117 Pro huius puncti coronide, advertendum est primò, fideles non teneri denuntiare eum, quem aut ex levibus indicijs suspicianatur esse hæreticum, aut à parum fide dignis hoc audivit: quia Sancta Inquisitio in suis Edictis prudentissima est, & absque sufficienti fundamento non vult, vt quis periculo infamiæ exponatur: quare nullus denuntiare tenetur quempiam, nisi viderit, vel audierit à fide dignis delictum contra fidem, aut ex confessione delinquentis illud cognoverit. Ita Navarrus lib. 5. Consiliorum, tit. de hæret. consil. 3. Sayrus in Clavi Regia, lib. 12. cap. 14. num. 33. Corduba in Summa quæst. 64. casu 6. ¶ Secundò advertendum est, præceptum denuntiationis solum tenere in hæretico proprio, & pertinaci; non vero in eo, qui per ignorantiam, metum, incuriam, aut lapsum linguæ hæresim protulerit: quia isti tantum materialiter sunt hæretici; quos, si secreto corrigamus, certa spes est, statim emendandos esse, suumque errorem abiuraturos. Ex quibus inferunt Farinacius de Hæresi, quæst. 197. num. 39. Bonac. disputat. 2. de Censuris, quæst. 6. punct. 1. n. 20. non esse denuntiandum hominem simplicem, & pium, proferentem aliquam propositionem hæreticalem: nec similiter concionatorem sacularem, vel ragularem, qui ex incuria, aut inconsideratione aliquam erroneam, aut hæreticalem propositionem protulerit; quia nequit prudenter præsumi ex animo ea dixisse. Quæ, si omnes (vt debent) observarent; credimus, plures denuntiationes omittendas fore, & proximorum famam non semel (vt par est) observandam.

PUNCT. X.

Quid, & quotuplex sit blasphemia; & quæ pœnæ contra eam latæ?

Postquam D. Thom. differuerat 2. 2. q. 11. & 12. de vitijs oppositis fidei, immediatè, quæst. 13. incipit agere de blasphemia, & rationem reddit ipse Angel. Doctor art. 1. ex eo, quod blasphemia opponitur confessioni fidei: cuius morem gerentes, de ea etiam in præsenti agere decrevimus.

§. I.

Traditur definitio, & divisio blasphemiæ.

Definitur blasphemia.

118 BLasphemia ex D. Thom. loc. cit. potest diffiniri dicendo, *quod est falsa loquutio in Deum per modum convitij*. Dicitur *locutio*, quia in ea propriè consistit, & per hoc distinguitur, tam ab assensu, quia non semper assentimur his, quæ tam intus in corde, quam etiam in voce dicimus; quam ab infidelitate, quæ expostulat mentis assensum. Additur *falsa*: quia vel tribuit Deo, quod non convenit, vel negat quod convenit; aut denique, quia ei tribuit falsa ex intentione blasphemantis: multoties enim contingit, quod aliqua locutio, secundum se vera, blasphemia sit: quia loquens intendit Deo tribuere aliquam imperfectionem. Vt, si quis nominaret pudenda Christi, aut B. Virginis intendens per hoc illarum sanctitati derogare. Deinde dicitur *in Deum*: quia derogat honori divino, detrahendo aliquid de excellentia bonitatis illius; & ideo solum respectu Dei est propriè blasphemia: & rationem tradit D. Augustinus lib. 2. de Moribus Manichæor. cap. 11. his verbis: *Quamvis blasphemia inter homines dici possit, quorum dignitati derogatur; tamen, quia de aliorum bonitate dubitari potest, divina vero bonitas indubitabilis est, blasphemia tantum erga Deum communiter vsurpatur.*

Dividitur hoc vitium.

119 Dividitur blasphemia à D. Thom. articul. 1. citato, in blasphemiam cordis, & oris. Prima dicitur, dum quis mente tantum concipit Deum esse, quod non est, aut non esse quod est. Secunda vero est, quando derogatio interior bonitatis divinæ exterius verbis manifestatur. ¶ Secundò dividitur in blasphemiam hæreticalem, & in eam, quæ talis non est, & dicitur simplex. Hæreticalis est, quæ articulis fidei directè opponitur, vt si quis diceret: Deus est iniustus, non est omnipotens; abnego Deum:

Deum, aut Crucem Christi. Quæ si dicatur cum pertinaci assensu intellectus committitur hæresis, vt supra diximus, & sic vt hæreticus puniendus est. Vnde oritur, quod si quis blasphemet contra Sanctos, vt si dicat *Renego Divi Petri*, non committit hanc blasphemiam sed eam, quæ dicitur simplex. Et ratio est: quia non negatur aliquid ad fidem pertinens, sed tantum dicitur in Sanctos aliquod verbum contumelioſum: ergo non committitur blasphemia hæreticalis, sed simplex. Quare docet Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 32. num. 36. ab Inquisitoribus accepisse, se de blasphemia in Sanctos non cognoscere. ¶ *Blasphemia non hæreticalis, seu simplex*, est illa, quæ non opponitur directè articulis fidei, vel non continet errorem contra veritatem illorum. Et huiusmodi sunt, quæ per modum optandi, imperandi, aut imprècandi proferuntur. Vt si diceret quis: *Maledictus sit Deus, Tædeat Deum, &c.* quia in his nihil falsum dicitur de Deo, sed tantum pravus affectus blasphemantis ostenditur, volentis harum ignominiarum Deum quasi reddere capacem; & ad hoc blasphemiæ genus reducitur, quando aliquis nominat Christi pudenda, aut exprobat Deo, tribuendo irreverenter ea, quæ habet. Dicta tenent Eymericus in Direct. Inquisit. 2. part. quæst. 41. & ibi Pegna com. 66. Sanch. vbi supra, Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 5. num. 8. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 14. art. 1. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 8. punct. 1. à num. 2. Trullench lib. 1. Decal. cap. 12. dub. 1. num. 2. & Ledesma tom. 2. Sum. tract. 1. cap. 9. concluſ. 2.

Vlterius dividitur blasphemia.

120 Tertiò. Blasphemia dividitur in blasphemiam in Deum, & in Sanctos. Illa est, quæ immediatè fertur contra Dèum. Ista vero, quæ immediatè fertur contra Sanctos, & mediate in Deum, vt est in Sanctis. Vnde ait D. Thom. loc. citat. ad 2. quod sicut laus Sanctorum redundat in Deum, sic, & blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti fit in Deum. Quibus breviter stabilitis.

Quibus verbis committitur blasphemia.

121 Rogabis primò. Quibus verbis committatur blasphemia? Respondetur, blasphemiam committere primò, qui iurat per falsos Deos, v. g. Iovem, aut Mercurium: quia, sic iurans fatetur illos esse summe veraces. Sed hoc verum est, si serio fiat; non vero quando causa ioci, irrisionis, aut ex inadvertentia iuratur. Secundò: qui iurat per sanguinem, aut corpus Dei ex odio, & ira contra illum; secus vero, si hæc absint, quia post Incarnationem verificantur de Christo. Tertiò: qui iurat per creaturas, sistendo in illis; cum eis tribuatur honor Deo debitus. Quartò: qui ait, *etsi Deus nolit, hoc agendum est*: quia hæc verba important diminutionem divinæ potentiæ. Quintò: qui diceret: *Deus est iniustus, crudelis, maleprovidus*; cum tribuat Deo imperfectionem. Sextò: qui proferret maledicta in creaturas, vt creaturæ Dei sunt, aut in res sacras: quia per hoc tribuitur aliquid Deo per contumeliam; cum in eis singulariter eius potentia reluceat. ¶ Sed notant hic Doctores, blasphemiam minimè committi, si de Sanctis dicantur ea, quæ ipsis acciderunt, antequam in numero Sanctorum essent relati, dummodo non referantur ad eorum sanctitatem minuendam. Vt si diceretur, Apostolos infimam piscatorum artem exercuisse. Septimò: qui iurat *per Dei vitam*: quia sensus illius est: amittat Deus vitam, si ita non est; quod certe est iuramentum execratorium, & non assertorium, sicut, quando iuratur: *vivit Deus*, & consequenter est blasphemia. Et ob eandem rationem est etiam blasphemia, iurare per Sanctorum vitam: quia ex modo iuramenti execratorij, falso tribuitur Sanctis posse amittere vitam. Dicta, & alia plurima huius generis docent Trullench lib. 1. in Decal. cap. 11. dub. 1. Azor tom. 1. Instit. Moral. lib. 11. cap. 3. Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 5. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 8. punct. 2. & alij.

Quanta sit gravitas blasphemiæ.

122 Rogabis secundò. Quanta sit gravitas peccati blasphemiæ? Respondetur ex genere suo esse peccatum mortale. Et rationem tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 13. art. 2. quia ex genere suo repugnat charitati: nam derogat divinæ bonitati, vt supra diximus; sed peccatum, quod repugnat charitati, est ex genere suo mortale: ergo talis est blasphemia. Ex quo communiter inferunt Doctores, nunquam posse fieri veniale ex materiæ parvitate: quia in derogando divinæ bonitati, parvitas materiæ esse non potest, cum sit gravissima iniuria, à Deo quamlibet perfectionem auferre: ergo peccatum blasphemiæ nequit esse veniale ex parvitate materiæ. Cum hoc tamen compatitur, quod sit multoties veniale ex inadvertentia, aut iræ impetu, sicut accidit in alijs peccatis. Sic docent Auctores infra citandi. ¶ An vero sit maximum peccatum? Respondetur, quod si sumatur in esse consumato, & prout includit infidelitatem, & Dei detestationem, esse peccatum gravissimum, vt docet D. Thom. loc. cit. art. 3. Si autem secundum se solam consideretur blasphemia, & prout prædictis malitijs non stipatur, non est ita gravis, sicut odium Dei, hæresis, & desperatio, cum hæc opponantur virtutibus theologicis; & blasphemia immediatè, & propriè tantum opponatur virtuti religionis. Vt tradit idem D. Thom. 2. 2. quæst. 13. art. 2. ad 2. & ibi Bañez, & Caiet. art. 3. & communiter tenent Doctores apud Sayr. lib. 6. cap. 13. num. 1. & 8. Bonac. loc. cit. punct. 3. à num. 1. Sanchez cap. 32. cit. num. 3. & 7. Trullench lib. 1. cap. 11. dub. 2. Ledesma tom. 2. Sum. tract. 1. cap. 9. concl. 3. 7. & 8.

Quomodo blasphemiæ distinguantur specie.

123 Rogabis tertiò: An omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei? Huic difficultati respondetur, dicendo, blasphemias hæreticales, & ex odio Dei procedentes esse diversas specie ab alijs blasphemis non hæreticalibus. Ratio primæ partis est: quia blasphemia hæreticalis, vel habet adiunctam hæresim internam, vel saltem externam, quæ opponitur confessioni fidei; sed ex quo habeat hæresim internam, aut opponatur confessioni fidei continet peccatum specie distinctum, scilicet hæresis, aut peccati contra præceptum confessionis fidei: ergo differunt specie ab alijs. Sic Sanchez num. 38. & plures alij, quos sequuti sumus tract. 6. cap. 8. part. 4. num. 94. Ratio secundæ

dæ partis est: quia ibi vltra blasphemiam, intervenit odium Dei; sed hoc est peccatum specie distinctum à blasphemia, cum opponatur charitati: ergo talis blasphemia ex odio Dei procedens distinguitur specie ab alijs. Sic communiter Doctores.

Blasphemia in Deum nō differt specie ab ea, quæ est in Sanctos.

124 Denique rogabis: An blasphemia contra Deum differat specie à blasphemia contra Sanctos? Aliqui, quos suppresso nomine citat Azor respondent affirmativè. Quia honor, & cultus Dei specie differt ab eo, qui Sanctis debetur: ergo etiam blasphemia in Deum est specie distincta ab ea, quæ est in Sanctos. ¶ Sed verius est blasphemiam in Deum in ratione talis, non differre specie à blasphemia in Santos. Et ratio est, quia blasphemia est peccatum virtuti religioni contrarium, sed vna est specie religio, qua Deo cultum tribuimus, & qua Sanctis propter Deum: ergo vna est specie blasphemia, qua Deo in se, & Sanctis maledicitur. Confirmatur. Iuramentum falsum, quo iuratur per Deum non differt specie ab eo, quo per Sanctos iuratur: ergo nec blasphemia. Patet consequentia. Quia sicut primo iuramento fit iniuria Deo in se, adducendo eum in testem mendacij, & in secundo, pro vt est in Sanctis, ita in blasphemia contra Deum fit iniuria Deo in se ipso, & in blasphemia contra Sanctos fit iniuria non ipsi Deo immediatè, sed mediatè pro vt in ipsis Sanctis: ergo si in iuramentis non est diversitas specifica, nec etiam debet esse in blasphemijs. Ita Azor lib. 9. cap. 28. quæst. 10. Caietan. 2. 2. quæst. 13. articul. 1. & in Sum. verb. *Blasphemia.* Bannez 2.2. quæst. 13. artic. 1. Sanchez cap. 32. cit. num. 38. Bonacin. tom. 2. disp. 3. quæst. 8. punct. 4. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 12. dub. 2. num. 5. Diana 1. part. tract. 7. resolut. 50. Filliuc. tract. 25. cap. 1. num. 26. Et ex dictis constat ad motivum contrarium, & ex dicendis etiam patebit.

125 Sed licet hæc ita sint; tamen in confessione explicandum est, an blasphemia fuerit in Deum, aut in B. Virginem, vel Sanctos. Quia vt optimè dicunt Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. in fine. Sanchez n. 39. Bonacin. punct. 4. cit. num. 2. & nos docuimus tract. 6. cap. 8. punct. 4. num. 97. prædictæ blasphemiæ vltra speciem propriam, important aliam speciem distinctam malitiæ contra latriam, duliam, aut hyperduliam, quæ sunt cultus Deo, B. Virgini, & Sanctis debiti, & inter se specie distincti. Quapropter necessum est diversitatem harum blasphemiarum explicare in confessione. Et per hoc patet ad argumentum sententiæ contrariæ. Cæterum, si blasphemia sit præcisè contra Sanctos, non est necesse exprimere Sanctum, an sit, v. g. in D. Petrum, aut D. Paulum, &c. quia diversitas Sanctorum non multiplicat speciem blasphemiæ, cum præcisè sit materialis. Ita tenet communis Doctorum sententia, maximè Sanchez num. 39. Bonacin. num. 2. Trullench dub. 2. cit. num. 5. & alij. Quot autem peccata committat, qui vnico actu, aut pluribus successivè in plures Sanctos blasphemias evomit, diximus tract. antecedenti cap. 12. punct. 5. num. 41.

§. II.

De pœnis contra blasphemantes latis; & qui de hoc crimine cognoscere possint?

Pœnæ à iure canonico impositæ cōtra blasphemantes.

126 CUm hoc peccatum adeò grave & atrox sit, mirum est, quot, & diversæ pœnæ contra illud, tam à iure canonico, quàm civili sint latæ. Nam in primis ius canonicum in cap. *Statuimus*, *de maledictis*, decernit, quod blasphemantes in pœnam delicti septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ palam, dum aguntur missarum solemnia, existant, & vltimo die Dominico, pallium, & calceamentum non habeant ligati corrigia circa collum, septem que diebus præcedentibus sextis ferijs in pane, & aqua ieiunent, Ecclesiam nullatenus ingressuri. Et si hoc facere renuerint, ingressu Ecclesiæ, & Ecclesiastica sepultura priventur. Sic Gregor. Papa IX. in prædict. cap. *Similiter*, Concil. Lateranens. sess. 9. cap. *Ad abolendam.* Clericos blasphemantes pro prima vice privat fructibus beneficiorum vnius anni; pro secunda ipsis beneficijs, & pro tertia inhabiles reddit ad vlterius recipienda. Laicos vero nobiles pro prima vice multat pœna viginti ducatorum, pro secunda quinquaginta, pro tertia nobilitate. Si vero sint plebei, aut ignobiles, si vltra duas vices publicè blasphemiæ convicti fuerint, mitra infami per integrum diem ante fores Ecclesiæ principalis coronati stare cogantur; si vero pluries in hoc peccatum lapsi fuerint, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnentur.

Pœnæ à iure civili Sanctæ.

127 Æque gravissimæ sunt pœnæ constitutæ à iure civili. Nam Alphonsus Hispaniæ Rex, vt habetur 7. part. tit. 28. sancivit, quod blasphemus, maximè pleveius, pro prima vice verberetur; pro secunda notetur signo crucis in labijs ferro candenti; & pro tertia, ei lingua abscindatur. S. Ludovicus Duodecimus Rex Galliæ, vt testatur Covarrub. in cap. *Quamvis pactum*, part. 1. §. 1. num. 11. de pact. in 6. statuit, quod blasphemus pro secunda blasphemia puniatur pœna abcisionis superioris labij; pro tertia inferioris, & pro quarta linguæ. Neapoli, vt ait Grammatico decis. 50. blasphemantis lingua clavo publice perforatur. Et ex iure communi Pius Imperator in authentica legem statuit, præcipiens, vt blasphemi vltimo supplicio (quod ex leg. vltim. ff. de Pœnis est pœna capitis) puniantur. Quæ quidem valde consonant pœnis à Deo contra blasphemantes latis. Nam Levitic. 24. dicitur: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sivè ille civis, sivè peregrinus fuerit.* Sed vt notant Azor tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 6. Tapia tomo 2. lib. 1. quæst. 14. art. 4. n. 3. Tolet. lib. 4. cap. 13. Filliuc. tract. 25. cap. 1. num. 32. & Trullench dub. 3. num. 1. istæ pœnæ iam in dissuetudinem abierunt. Sed quidquid sit de hoc, ait Barbosa *de Officio*, & *Potestate Episcop.* 3. part. allegat. 51. num. 90. pœnam, quæ nunc ab Inquisitoribus imponi solet contra blasphemos,

mos, eam esse, quod, si sit nobilis, pœna pecuniaria multatur, & in monasterio detruditur; si autem fuerit plebeius flagellis ceditur, & in publico spectaculo ponitur lingua ferro, vel ligno comprehensa, & cogitur abiurare de levi.

Ad quos expectet cognoscere de blasphemis.

128 Sed rogabis primò. Ad quos Iudices pertineat iudicare de blasphemijs? Respondetur breviter, quod, si blasphemiæ sint hæreticales, debent Inquisitores tantum de eis cognoscere, vt probant Covarr. in cap. *Quamvis pactum*, part. 1. §. 7. num. 12. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 5. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 32. num. 37. Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 8. punct. 1. num. 5. Sayr. in Clavi Regia, lib. 6. cap. 13. num. 20. & alij apud ipsum, & Barbos. dict. alleg. 51. num. 89. Si vero blasphemia hæreticalis non sit, possunt tàm Episcopi de eis iudicare, vt constat ex textu in cap. 2. de *Maledict.* quam Iudices sæculares, vt probat textus in dict. cap. 2. vers. *Per temporalem præterea potestatem.* Quare est eorum punitio mixti fori, & sic dabitur locus preventioni. Dicta docent Auctores citati; nec non Villalob. in Sum. part. 2. tract. 1. diffic. 15. num. 6. Trullench dict. cap. 12. dub. 3. num. 1. Socin. lib. 4. consil. 119. Filliuc. tract. 25. cap. 1. n. 35. Barbos. loc. cit. num. 93. Bordon. tom. 1. cap. 26. quæst. 10.

Blasphemantes denuntiàdi sta tim sunt.

129 Rogabis secundò: An audiens aliquem blasphemare, teneatur illum Iudicibus denunciare? Respondetur affirmativè. Et ratio est: quia tam Iulius III. in sua constitutione, quæ incipit: *In multis*, quam Concil. Later. decernunt quod: *Quicumque blasphemantem audierint, eum verbis acriter abiurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse, contingit, eum que deferre, vel notificare apud Iudicem Ecclesiasticum, vel sæcularem intra triduum debeant, quod si plures dictum blasphemantem simul audierint, singuli eum accusare teneantur, nisi forte omnes convenerint, vt vnus pro cunctis tali officio fungatur.* Ergo debet illum denuntiare. Deinde edictum S. Inquisitionis, quot annis publicatum, præcipit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quod blasphemi (hæreticales vtique) intra sex dies à notitia habita Inquisitoribus denuntientur: ergo illi parendum est. Ex quibus infert Sanch. num. 37. quod alij blasphemi non hæreticales sunt denuntiandi Iudici Ecclesiastico, aut sæculari, cum pro eis sint Iudices competentes. Sed hic contra Azor lib. 9. cap. 28. quæst. 8. notant Sanchez num. 47. Villalob. num. 9. & 10. Bonac. punct. 1. cit. num. 6. Trullench dub. 3. num. 3. & alij corrigendos esse blasphemos secretos, si emenda speretur, & si resipuerint, non esse denuntiandos. Et assignat Sanchez differentiam inter blasphemos, & hæreticos, ex eo quod hæretici est difficilima emenda, & sic absque correctione denuntiandi; at blasphemi è contra facilis est, vt experientia liquet; & ideo præmittenda est correctio. Sed credimus, quod licet hæc doctrina teneat in blasphemijs non hæreticalibus; non vero in hæreticalibus, maximè post decretum Alexandri VII. supr. num. 3. relati. Videantur ibi dicta.

Blasphemia ex iure communi non est reservata.

130 Rogabis tertiò. Qualiter se gerere debeant Confessarij cum blasphemis? Plura continet quæsitum propositum, & ideo diversis conclusionibus sunt decidenda. Dicimus primò, blasphemiam simplicem, seu, quæ hæresim non continet, non habere ex iure communi censuram, vel reservationem aliquam sibi annexam, & sic à quolibet Confessario posse absolvi, & licet in cap. *Statuimus* videatur reservari; at hæc reservatio non est pro foro interiori, & conscientiæ, sed pro foro contentioso: ergo quilibet Confessarius, ab Ordinario approbatus, potest pro foro conscientiæ de simplici blasphemia absolvere, nisi aliter Episcopus statuerit, & sibi reservaverit. Imò, & hoc videtur supponere Concil. Later. sub Leone X. sess. 9. dum decernit Confessarios ab hoc crimine non debere absolvere, nisi gravi imposita pœnitentia: ergo cum de omnibus loquatur Confessarijs, tenendum est ab omnibus posse absolvi, & consequenter ex iure communi non esse reservatam. Sic docent Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. de Irreligiositate, cap. 7. num. 2. Tapia tom. 2. lib. 1. quæst. 14. art. 4. num. 2. Sanchez num. 44. Reginald. lib. 18. tract. 2. cap. 14. quæst. 4. num. 202. Trullench lib. 1. Decal. cap. 12. dub. 3. num. 2. solet tamen hoc crimen ab Episcopos reservari, vt de Archiepiscopo Valentino refert Trullench, & de alijs Episcopis Regni Portugaliæ refert N. Ant. in Direct. Confess. tract. 5. disp. 14. sect. 11. §. 12. à num. 117. sed addit Barbos. allegat. 51. num. 103. in fine, hanc reservationem solum esse pro foro exteriori, non vero interiori, & ideo pro hoc foro posse quemlibet Confessarium eam absolvere, quod tamen non tollit, quin postea in foro exteriori possit blasphemus puniri: quia cum sint diversa tribunalia, vnum alterius iurisdictionem non adimit. Vt docent Azor lib. 9. cap. 28. quæst. 13. Covarr. lib. 2. Variar. Resol. cap. 10. num. 3. Sed hæc doctrina falsa est: quia quando blasphemia simplex, & externa ab Episcopis reservatur, pro vtroque foro manet reservata, vt ex Basiæo docet N. Anton. loc. cit. num. 124.

Regulares possunt absolvere pro foro conscientiæ à blasphemia hæreticali.

131 Sed quid quid sit de hoc, nota tamen hic ex dictis tom. 4. tract. 18. cap. 4. punct. 2. §. 10. num. 122. & tom. 2. tract. 10. cap. 2. num. 91. Omnes regulares posse absolvere sæculares pro foro conscientiæ à Blasphemia etiam hæreticali, Sortilegio, Maleficio, Magia, Adoratione Dæmonum, alijs que delictis S. Tribunali Inquisitionis sub censuris reservatis, quando hæc non procedunt ex errore contra fidem, sed ex avaritia, ira, alia ve passione, vt constat ex Bullis Sixti IV. Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. Vnde ex consequenti possunt Regulares absolvere à blasphemia, quando est iure Ordinario reservata Episcopis. Nam qui potest id, quod maius, & difficilius est, etiam potest id, quod est minus, & facilius: ergo si possunt Regulares absolvere à reservatis Pontifici, & S. Tribunali Inquisitionis, etiam poterunt à reservatis iure Ordinario Episcopis. Diximus *iure ordinario*, quia à reservatis ab homine, seu de his, quos sibi Episcopi specificè reservant, nullus Regularis potest ex vi suorum privilegiorum absolvere, vt patet ex

duo

duodecima propositione ab Alexandro VII. damnata: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta eorum ad id facultate.* Possunt tamen ex vi Bullæ Cruciatæ omnes confessarij, tam Regulares, quàm Sæculares ab illis quoscunque pœnitentes toties quoties absolvere, vt patet ex verbis ipsius Bullæ, & diximus tract. 10. cap. 2. punct. 7. num. 82. & consequenter ab omnibus blasphemijs, etiam hæreticalibus, vt pluribus citatis docent Diana 1. part. tract. 5. resolut. 7. Murcia tom. 2. disq. lib. 4. disp. 1. resol. 14.

Quæ pœnitentia blasphemis pro foro cóscientiæ sit imponenda.

132 Dicendum est secundò. Ex vi Concilij Lateranensis loco supra citato, nullus confessarius debet blasphemum absolvere, nisi gravissima pœnitentia illi imposita, vt patet ex verbis sequentibus Concilij: *In foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque gravissima pœnitentia severi Confessoris arbitrio iniuncta possit absolvi.* Et ratio illius absdubio est, gravis, detestabilis, & atrox iniuria, quæ per hoc crimen Deo infertur. Concilio adhærent Navarr. in Summ. cap. 12. num. 83. Petrus Ledesma 2. part. Summ. tract. 1. cap. 9. in fine. Lopez 1. part. Instr. cap. 15. Sed hoc decretum quo ad pœnam in eo constitutam non esse vsu receptum, nec nunc obligare, tenent Armilla verb. *Blasphemia*, num. 5. Suarez loc. cit. num. 2. Azor tom. 1. Inst. lib. 9. cap. 28. quæst. 9. Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 44. ac proinde docent satis esse, si Confessor immanitatem huius criminis, quot que pœnis iuris Divini, Ecclesiastici, & Civilis subiectum est, exagerit, & postea salutarem, & congruam pœnitentiam attentis circunstantijs pro illo imponat.

Blasphemus consuetudinarius non est absolvendus.

133 Hic solet quæri: An blasphemus consuetudinarius sit absolvendus? Sed hæc quæstio decisa à nobis est tract. 17. cap. 2. punct. 9. §. 3. à num. 167. agentes de periurio consuetudinario, & ex ibidem late dictis, respondemus nunc; quod si in alijs confessionibus non fuit admonitus, vel admonitus adhibuit aliquam curam ad emendam, & aliquantulum correptus est, si alias præsumatur accedere cum vero dolore, non est ei neganda, aut differenda absolutio. At vero si sæpius admonitus in eodem statu, & multitudini blasphemarum permanet, regulariter neganda est absolutio, nisi circunstantiæ doloris, lachrymarum, & similium aliud prudenter persuadeant. Ratio primæ partis est: quia moraliter impossibile est inveteratam consuetudinem subito evellere: ergo credendum est, qui aliquantulum emendatus est, cum vero dolore accedere. Ratio secundæ est: quia, qui ter admonitus, non resipiscit, prudenter iudicandum est, non verè, & ex corde pœnitere, nec efficaciter emendam proponere: ergo absolvendus non est: & maximè cum gravitas huius criminis longe superet gravitatem periurij: ergo si in hoc neganda est absolutio, multò magis respectu blasphemiæ. Videantur ibi dicta. Et præter ibi citatos contra Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 32. num. 45. tenet Azor tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 18. Idem insuper docent plurimi explicantes sequentem propositionem 60. damnatam ab Innocent. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, licet emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dum modo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* Omnes enim intelligunt prædictam propositionem cum limitationibus supra dictis; & de pietate Ecclesiæ in prædicto sensu accipiendam esse, nullus nobis relinquitur ambigendi locus. Sic expressè sentiunt Lastra, Lumbier, Torrecilla. N. Lumbier. Lucerna moralis, Corella, N. Valentinus, & alij prædictam propositionem explicantes. Videantur etiam Lugo de Pœntent. disp. 14. sect. 19. num. 151. Moya in Select. tom. 1. tract. 3. disp. 7. num. 8. Et quæ diximus de occasione peccandi tract. 6. cap. 5. à num. 57. Nam consuetudini blasphemandi proportionabiliter applicari queunt.

CAPUT IV.

De delictis suspectis de hæresi.

VAlde hæreticis affines sunt, qui committunt crimina, de quibus est hæresis suspicio: vnde rectus ordo, plenaque huius materia intelligentia exigunt, vt postquam de hæresi egimus sermonem de suspectis de hæresi instituamus. Quare primum explicabimus, quid sit hæresis suspicio; deinde breviter, quæ sint delicta hæresis suspicionem generantia, numerabimus: & denique de solicitatione ad turpia à confessoribus facta, quod inter hæc crimina præcipuum est peccatum agemus. Caput hoc continet quinque Puncta.

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit suspicio de hæresi; & ex quibus delictis oriatur?* num. 1.

Punct. II. *Examinantur aliqua delicta, quæ generant hæresis suspicionem,* num. 6.

Punct. III. *De Confessarijs solicitantibus pœnitentes ad turpia, & inhonesta.*

§. I. *Quænam de hac materia extent Bullæ, & Constitutiones Pontificum, Inquisitionisque decreta?* num. 16.

§. II. *Quid sit solicitare, & allicere ad actus inhonestos; & qualis futurus sit Sacerdos, aut confessarius solicitans?* num. 22.

§. III. *Quæ actiones, seu verba turpia sub hoc decreto prohibeantur?* n. 32.
§. IV. *Qui casus comprehendantur sub illis verbis decreti Gregorij XV.* In actu sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediate; sive occasione, vel prætextu confessionis, etiam ipsa non sequuta? num. 53.
§. V. *Quid prohibeatur per verba illa:* Extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire? num. 57.
Punct. IV. *Qui teneantur ad denuntiationem Confessarij solicitantis; & quas ob causas aliqui ab ea eximantur?* num. 62.
§. I. *Resolvitur, qui teneantur denuntiare.* num. 63.
§. II. *Qui, & quando pœnitentes excusentur à denunciando solicitantes?* num. 83.
§. III. *An à denunciando solicitantes correctio fraterna excuset?* num. 96.
Punct. V. *Aliquæ desideratæ quæstiunculæ circa solicitationis crimen deciduntur.* num. 105.

PUNCT. I.

Quid, & quotuplex sit suspicio de hæresi; & ex quibus delictis oriatur?

Quid sit suspicio de hæresi.

1 SUspicio est *opinio mali ex levibus indicijs proveniens*: Quæ si sunt probabilia, faciunt suspicionem probabilem, per quam pervenitur ad præsumptionem, sed si aliter sint, dicitur iudicium temerarium. Vnde differt aliquo modo suspicio à præsumptione, & iudicio: quia præsumptio est coniectura ex gravibus, & vero similioribus signis; indicium vero est causa vtriusque. Quæ licet ita sint, tamen in præsenti pro eodem accipiendæ sunt suspicio, & præsumptio, vt docent Farinac. de Hæresi, quæst. 187. num. 23. Prado tom. 1. cap. 9. quæst. 1. num. 3. Quibus vt certis stabilitis, ad divisionem suspicionis, seu præsumptionis progredimur.

Triplex est suspicio: levis, vehemens, & violenta.

2 Ex iure ergo triplex est suspicio, seu præsumptio de hæresi. Prima dicitur *levis*, secunda *vehemens*, tertia *vehementissima*, seu *violenta*. *Levis* est, quæ oritur ex levibus coniecturis: Et ita modica etiam, & levi defensione tollitur. Et ponit exempla Eymericus in 2. part. Direct. quæst. 55. & ibi Pegna comm. 80. pag. mihi, 379. vt si aliqui reperiantur occulta conventicula celebrantes, vel vita, ac moribus à communi conversatione fidelium deviantes, vt patet extra. de hæret. lib. 1. cap. *Excommunicamus*, 1. in fine, Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 100. num. 1. exemplificat hoc in frequenter perierante; Martinus vero del Rio, Disq. Mag. lib. 5. sect. 12. in lamijs, & maleficijs. ¶ Nota hic, quod qui de hæresi est leviter suspectus, potest examinari, vt patet ex cap. *Accusatus*, 8. de Hæresi, in 6. & probant Roxas Tract. de Hæret. part. 2. num. 20. & alij apud Farinac. q. 185. num. 54. licet contrarium doceant Simancas in Enchirid. violat. Relig. tit. 41. rub. de suspect. num. 7. & Navarr. consil. 2. num. 8. vers. 7. lib. 5. tit. de Hæret. asserens in hac parte non esse audiendos iuris peritos, qui docent ex levibus indicijs plenè probatis posse quemlibet iuste vocari ab Inquisitoribus, & interrogari de hæresi, de qua est suspicio. Et quidem nobis valde durum, & acerbum videtur, posse ab Inquisitoribus ex levibus tantum indicijs hominem Catholicum de fide interrogari. Quare credimus cum Farinac. num. 57. Simanc. tit. 50. num. 29. Navarr. num. 8. Bordon. tom. 1. cap. 10. num. 34. primam sententiam tantum posse, procedere respectu hominis abiecti, & vilis; secus vero honesti, bonæ famæ, aut nobilis, ac proinde has personas non esse ex levibus indicijs ab Inquisitoribus vocandas, & de fide examinandas. Ex quibus oritur, quod ob levem suspicionem reus torqueri non possit: qui ad hoc requiritur, quod indicia sint adeò vrgentia, vt sola delinquentis confessio de esse videatur, vt docent Simanc. Pegna, Delrio apud Farinac. loc. cit. num. 141. Quare sufficit, si cogatur de levi abiurare: quia hoc sat est, ad sufficienter prædictam suspicionem tollendam. Sic pluribus relatis Farin. quæst. 187. à num. 31. & Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 5. num. 10. existimantes posse vlterius condemnari reum ad aliquam pœnitentiam, aut pœnam pecuniariam ad reparandam, aut construendam aliquam Ecclesiam.

Quid sit suspicio vehemens, de hæresi.

3 *Suspicio vehemens est*, quæ oritur ex fortibus, & magnis argumentis, ex quibus plerumque concluditur, quod talia dicens, aut faciens sit hæreticus. Exempla ponit Eymericus 2. part. Direct. quæst. 55. num. 5. vt si aliqui comperiantur, qui eos, quos sciunt hæreticos fore, occultent: favorem impendant: visitent, munera offerant, recipiant, defensent, & similia exercentes. Patet que hoc ex cap. *Accusatus*, §. *Ille vero*. At quæst. 56. alios decem casus idem Eymeric. assignat ex iure communi deductos, ex quibus septem videri possunt apud Palaum tract. 4. disp. 7. punct. 1. num. 2. & præter hos alios recensent Pegna 2. part. Direct. quæst. 56. comm. 81. pag. 383. litt.

litt. C. & fatetur esse prope infinitos, & inter eos adducit: *Qui non revelat hæreticos. Qui retinet libros prohibitos, qui binas nuptias contrahit, & qui in Sacramento confessionis, vel ad venerem, vel ad quæcunque flagitia, seu peccata provocat confitentem.* ¶ Nota hic, quod hæc vehemens suspicio non est sufficiens ad reum de hæresi condemnandum, vt liquet ex cap. *Accusatus, de hæretic. in 6.* Et ratio est: quia per vehementem suspicionem crimen sufficienter non probatur: ergo non sufficit ad reum condemnandum. Sed nihilominus sat est ad cogendum illum abiurare, & imponendam ei pœnam extraordinariam, vt docent Vmber. Locat. in Iudicial. Inquisit. verb. *Suspicio.* Eymer. quæst. 55. cit. Pegna ibi. Farinac. de Hæres. quæst. 187. à num. 38.

Quid sit suspicio violenta?

4 Denique suspicio *violenta* de hæresi est, quæ oritur ex indicijs, verbis, aut factis, quæ cogunt Iudicem ad credendum sic facientem, aut dicentem esse hæreticum. Colligitur ex cap. cit. *Accusatus.* Et exempla apponit Eymeric. quæst. dicta 55. num. 7. vt si aliqui reperiantur, qui hæreticos adoraverint, vel eis suo more reverentiam exhibuerint: consolationem, vel communionem ab eis receperint, vel similia, quæ ad ritum eorum pertinent perpetraverint. Quibus alia addunt Doctores, vt qui transit ad sectam antiquam; qui publicè asserit propositiones hæreticas: qui idola adorat: qui asserit Christum non esse risibilem. His, & alijs exemplis declarant violentam suspicionem Ricciull. lib. 5. cap. 11. Sousa lib. 1. cap. 10. Simanc. tit. 50. num. 26. Bordonius tom. 1. cap. 10. num. 37. Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 7. punct. 1. num. 3. ¶ Sed nota primò, quod contra hanc præsumptionem regulariter non admittitur probatio directa, sed tantum indirecta; hoc est, probando testes esse falsos, aut indicia non esse vera. Sic Pegna ad dictam quæstionem 55. Eymeric. comm. 80. Farinac. quæst. 187. num. 50. ¶ Nota secundò, quod licet aliqui Doctores asserant hanc suspicionem sufficere ad reum condemnandum, tamen, vt rectè probat Farinac. num. 46. loquuntur de præsumptione violentissima: vnde hodie damnare reum ob violentam suspicionem ait Romæ in vsu non esse; coguntur tamen abiurare, vel vt formales hæretici, vel vt de vehementi. Ita laudatus Auctor, & insuper Delrio in Disq. Magn. lib. 5. sect. 12. Paramus de Origin. Inquisit. lib. 3. quæst. 4. rubric. de expeditione processus in causis fidei, num. 21. Prado tom. 1. cap. 9. quæst. 1. num. 10.

Regula generalis ad cognoscéda delicta de hæresi suspecta.

5 Ex dictis constat, tum quotuplex sit suspicio de hæresi; tum etiam aliqua delicta, quæ ex iure talem suspicionem generant. Sed quia, si sigillatim omnia referre velimus, esset nimis prolixa exaratio, imò impossibilis supputatio; ad Auctores citatos, maximè ad Hurtad. tom. 1. tract. 5. per totum remittimus lectorem; & hic tantum de vno, vel altero magis obio, sermonem instituemus. Sed prius generalem doctrinam tradere necesse est, ex qua cognitio plurium, aut omnium huius generis delictorum venari potest. Dicimus ergo primò, illos generare suspicionem in fide, qui in exercitio ponunt ritus hæreticorum, Iudæorum, Sarracenorum, aut aliarum sectarum, per quos à Catholicis distinguntur. Secundò. Qui committunt delicta opposita exteriori confessioni fidei. Tertiò, qui irreverenter tractant Dei Sacramenta. Quartò, qui quomodolibet favent hæreticis, & eorum libris; & è contra impediunt Inquisitores contra eos procedere. Hi omnes, & similes absdubio in fide suspecti sunt. Videantur Prado cap. 9. quæst. 2. Hurtado tract. 5. cit. & alij. His sic in generali prælibatis ad aliqua in particulari descendere oportet: pro quo sit.

PUNCT. II.

Examinantur aliqua delicta, quæ generant hæresis suspicionem.

LAtam provinciam offerebat quæstionis titulus, si exactè esset examinandus, sed brevitati consulentes solum aliquos casus magis obios discutiemus. Primùm est: An coniugati, qui nuptias contrahunt, vivente altero coniuge, sint in fide suspecti?

Coniugati, binas nuptias contrahentes, sunt suspecti de hæresi.

6 Cui difficultati respondetur affirmative. Tum, quia ita declaravit Paulus IV. vt videre est in Sousa in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 35. num. 18. & docent communiter Doctores, vt Barbosa part. 2. de Offic. Episcop. alleg. 40. num. 44. referens plurimos. Tum etiam: quia omnis abutens Sacramentis, est in fide suspectus; sed qui vivente prima vxore aliam ducit, abutitur Sacramento matrimonij: ergo suspectus est in fide. Quapropter licet antiquitus cognitio huius criminis ad vtrumque Iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem pertineret, nunc vero ad solos Inquisitores expectat, ex declaratione S. Pontif. vt ait Sousa loc. cit. & constat ex Summario edicti generalis num. 11. his verbis: *O si alguna persona se ha casado segunda, ò mas vezes, viviendo su primera muger, ò marido.* In hoc conveniunt Doctores, & sola inter illos est controversia: An debeat cogi abiurare de levi, an de vehementi? Debere de vehementi abiurare, & hunc esse stilum Romanæ Inquisitionis testantur Pegna 2. part. Direct. comm. 81. & Farinac. quæst. 178. num. 68. At in Hispania tantum de levi abiurare docent Sous. loc. cit. num. 20. Suarez de Fide, disp. 24. sect. 2. num. 4. Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 16. §. 8. num. 2. Sed nota hic cum Farinac. Palao, & alijs, supra dicta æqualiter procedere de viro ducente secundam vxorem, ac de vxore ducente alterum virum.

Extenditur doctrina ad Religiosos, & Clericos in sacris, qui matrimoniũ contrahunt.

7 Secundàs casus est: An omnes Clerici in Sacris Ordinati, & Religiosi solemniter professi; nec non Scholares Societatis, qui post biennium vota simplicia emittunt, sint suspecti de hæresi, si, sivè publicè, sivè secreto matrimonium contrahant? Respondetur affirmativè. Et ratio est eadem, ac præcedens. Ita Rodriguez Inq. Regul. tom. 3. quæst. 1. artic. 1. Eymeric. in Direct. Inquis. part. 2. quæst. 49. & ibi Pegna comm. 74. Azor tom. 1. lib. 13. cap. 13. quæst. vlt. Diana part. 4. tract. 7. resol.

resolut. 5. Palaus tom. 1. tract. 4. disput. 8. punct. 16. §. 8. num. 4. Barbosa de Offic. Episcop. 2.part. allegat.40.num.43. plurimos referens. Ex quibus non pauci asserunt, quod si delinquens est de Provincia infesta luterana hæresi, est suspectus de vehementi, & sic de eo abiurare debet, secus vero si non sit talis Provinciæ: Tunc enim satis est, si de levi abiuret. Sed adverte, hic quod horum criminum cognitio pertinet ad S. Tribunal Inqnisit. vt patet ex summario edicti generalis, in quo iubet illa manifestari his verbis num. 8. *O que alguno, siendo Clerigo de Orden Sacro, ò Frayle professo, se aya casado.*

Ecclesiastici non Sacerdotes Missam celebrantes, aut pœnitentiam ministrantes, sunt de hæresi suspecti.

8 Tertiùs casus est: An qui Sacerdos non est si Missam celebret aut alium Sacramentum ministret, sit de hæresi suspectus? Respondetur affirmativè, ac proinde Inquisitorum iurisdictioni subiacet. Et ratio est: quia iste male de Sacramentis sentit, & facto approbat, quod hæretici docent, scilicèt ministros omnium Sacramentorum, etiam Eucharistiæ, aut pœnitentiæ esse laicos, vt impie senserunt Vviclephus, & Martinus Luterus apud N. Vvaldensem tom.2. cap.135. Rosensem artic.13. ergo est suspectus de hæresi. Et hoc patet ex constitutionibus Pauli IV. Gregorij XIII. Sexti V. & Clementis VIII. quæ habentur in decreto generali S. Inquisit. quod singulis annis feria sexta post Octavam B.M. Virginis legitur. Sic etiam docent Rodriguez tom. 2. quæst. Reg. quæst.27. art.2. Sous. de Solicit. tract.1. c. 9. Barbosa allegat.50. cit.num.45.Diana part.4. tract.7. resol.11.& 12. Palaus tract.4. disp. 8. punct. 16. §. 9. & alij plurimi apud ipsos. Et Trasmiera in tract. de Poligamia lib. 2. q. 2. num. 55. extendit, & bene, prædictam doctrinam ad celebrantes vna die plures Missas absque legitima causa, & licentia; vel vnam tantum si sint non ieiuni. ¶ Circa pœnam, qua hæc delicta sunt plectenda, variant Auctores: nam ex constitutione Pauli IV. edita anno 1557. 20. Maij, & Clementis VIII. die 5. Decembris anno 1601. pœna mortis puniuntur, ac brachio sæculari traduntur. At Palaus ait, has constitutiones, quo ad relaxationem curiæ sæculari, receptas, non esse ab Inquisitoribus Hispaniæ, ac proinde pœna arbitraria puniendas esse; quæ regulariter est abiurare de levi, triremibus addici, & ab ordinibus perpetuo privari. Sed hæc pœna minui solet, quando ab aliquo simplici iuvene, aut ioci causa talia perpetrantur. ¶ Nota vero hic Diana loc. cit. novissimè stare decretum Vrbani VIII. in quo Pœnitentiæ Sacramentum ministrantes, aut Missam celebrantes, etiam si vigesimum quintum annum non attigerint, tradi iubentur sæculari Curiæ.

Confessarius sigillum cõfessionis violans non est de hæresi suspectus.

9 Quartùs casus est: An Confessarij, sigillum confessionis violantes, sint in fide suspecti? Antonius de Leon de Officio Confessarij tom.1. recollect.22. num.12. casu 3. nec non Quintana Dueñas tom.2. singul. tract.3. sing. 28. respondent affirmativè, & consequenter esse Inquisitoribus denunciandos. Et probant ex eo, quod videntur male affici erga Sacramentum Pœnitentiæ, cum abutantur notitia intra illud habita, reddant que hoc salubre animarum medicamentum fidelibus valde durum, & nimis odiosum: ergo sunt in fide suspecti. ¶ Sed omnino tenenda est contraria sententia, quam docent Lugo de Pœnit. disp. 23. sect.5. §.5. num.148. Bonac. disp.5. de Pœnitent. quæst.6. sect.5. punct. 1. num. 6. Molfesius in Summ. tom.1.tract.7. cap.23. num.68. Carena de Offic. Inquisit. part. 2. tit. 17. §. 23. num.91. Diana part.4.tract.8.resol.95. Et ratio est: tum, quia non extat decretum aliquod Pontificium, hoc crimen Inquisitoribus reservans; & sic nulla adest de illo mentio in edictis S. Inquisitionis. Tum etiam, quia non adest ratio, quare ex fractione sigilli oriatur hæresis suspicio; cum potius, experientia teste, proveniat ex ira, in consideratione, vel loquacitate: ergo non est fundamentum ad præsumendum, frangentes sigillum confessionis, esse de hæresi suspectos, & consequenter Inquisitoribus denunciandos. Excipe tamen, nisi alias haberent errorem circa obligationem huius sacratissimi sigilli, defendentes, vel non adesse, vel adeò strictè ad eam non teneri: quia tunc, vt hæretici sunt habendi, & denunciandi. At hoc secluso, tale crimen, nec inducit suspicionem in fide, nec illius cognitio pertinet ad Inquisitores, sed tantum ad immediatos Confessorum Prælatos. ¶ Pœnas autem à iure impositas contra sigillum confessionis violantes, diximus tract. 6. cap. 14. punct.1. num.10. Et Auctores de hoc agentes latissimè refert Barbosa tom. 3. collect. Decret. lib. 5. tit.38. cap.12. num.15. pag. mihi 286. De pœna illa, quam Illescas 1.part. Hist. Pontific. lib. 1. cap. vltim. refert de Iacobo primo Aragoniæ Rege, qui iussit Episcopo cuidam Gerundensi linguam à tergo extrahi, quia confessionem ipsius Regis detegit, late agit Maluenda in Annalibus Prædicatorum ad annum 1246. & fabellam fuisse, plane convincit.

Peccatum sodomiæ, & punitur ab Inquisitoribus, ob hæresis suspicionem.

10 Quintùs casus est: An sodomita sit de hæresi suspectus, debeatque Inquisitoribus denuntiari? Respondetur affirmativè: quia sodomita, vt docet D.Chrisost. hom.4. in epist. ad Rom. 1. & D. Thom. ibi lect. 7. & 8. male sentire præsumitur de animæ immortalitate, divina providentia, pœnis inferni, & divina Omnipotentia: ergo est in fide suspectus. Quare ex concessione Gregor. XIII. ad instantiam Sebastiani Regis Portugaliæ, existente Inquisitore Generali Henrico eius patruo, & in Regno successore, habent Inquisitores Lusitani cognitionem, & punitionem huius criminis nefandi, vt referunt Barbosa allegat. 50. cit. num. 47. & allegat. 44. num. 30. Moura de Incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 1. num. 16. Sousa in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 59. num.10. & ex Palao tract.4. disp.8. punct.12. num. 11. & Henriq. lib. 13. cap. 24. num. 2. referunt Barbosa loc.cit.& Diana part.4. tract. 7. resolut.20. in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Barcinonæ ex privilegio Clementis VII. & Hispaniarum Regis, Inquisitores etiam cognoscere de committentibus nefandum crimen. ¶ Sed adverte hic, quod sodomita, si minor sit viginti quinque annis, flagellis cæditur, & triremibus addicitur; si vero maior sit viginti quin-

quinque annis iuxta legem regni editam anno 1598. Curiæ sæculari relaxatur in actu publico, vt ait Palaus; sed Freytas in Novis Addit. ad tract. de Solicit. quæst. 24. num. 136. negat posse Inquisitores relaxare sodomitas Curiæ sæculari, nisi sint incorrigibiles.

Idem dicendum est de bestialitate.

11 Sed nota primò, quod licet Moura asserat prædicta Pontificum diplomata tantum loqui de Sodomita, non vero de bestializante. Tamen omnes alij citati Doctores absque vllo scrupulo loquuntur de vtroque delicto; quod plane convincit Pontifices eodem modo etiam procedere, tam quo ad cognitionem, quàm quo ad punitionem illorum. Advertit tamen Sesè, citatus à Diana, quod si quis non consumavit peccatum bestialitatis, sed tantum membrum posuit intra anum, foras semen effundendo, solum debet puniri pœna ordinaria sodomiæ: quia tunc bestialitas non est consumata: & sic minor debet esse pœna. Nunquam tamen, inquit Palaus, in Tribunali Inquisitionis crematur animal bestialitatis, ne forte ob hoc à denuntiando fideles retardentur. ¶ Nota secundò, quod nefandum vitium sodomiæ committentes, si sint Clerici sæculares, aut Regulares ex const. 20. Pij V. privantur omni beneficio Clericali, omni officio, dignitate, beneficio que Ecclesiastico, vt refert Barbosa allegat. 44. n. 21. Requiritur tamen ad incurrendas pœnas in dicta Bulla impositas, quod sodomia sit consumata, hoc est, quod semen intra vas effundatur, vt docent Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 31. sect. 4. num. 21. Bonac. de Matrim. q. 4. punct. 11. num. 2. Homobonus part. 2. cap. 4. sect. 2. Chapiavil. tract. de Casib. reservat. cap. 25. quæst. 2. & alij contra N. Lezanam in Sum. quæst. Rugul. cap. 5. num. 11. Et idem dicendum est de incurrenda reservatione, quam plerique Episcopi illis duobus delictis imponunt. ¶ Nota tertiò, quod vt prædictæ pœnæ obligationem inducant, non sufficit sodomiam bis, aut ter commisisse, sed requiritur iteratio illius: quia Pontifex ait loc. cit. *Tam dirum nefas exercentes.* Quæ vsum continuatum significant. Ita Navarr. in Manual. cap. 27. num. 249. Bonac. loc. cit. n. 2. Barbos. allegat. 44. num. 25. plurimos referens.

Sunt, qui sentiant; solicitantes ad turpia non esse suspectos de hæresi.

12 Sextùs casus est: An Sacerdos solicitans ad turpia in confessione, sit de hæresi suspectus? Aliqui, quos supresso nomine citat Thom. Hurt. tom. 1. Resol. Moral. tract. 5. cap. 2. resol. 3. sentiunt solicitantes in confessione ad turpia, non esse de fide suspectos. Et moventur primò: quia tunc datur suspicio de hæresi, quando adesse præsumitur error in intellectu circa res fidei; sed prædicti solicitantes non præsumitur errare per intellectum, sed potius per pravum, & libidinosum affectum voluntatis, volendo non directè violationem Sacramenti, sed tantum vt medium ad explendam libidinem: ergo non datur tunc suspicio de hæresi. ¶ Secundò. Solitatio ad alia peccata in Sacramento Pœnitentiæ, & ad venerea in cæteris Sacramentis non facit suspicionem de hæresi: ergo nec solicitatio ad turpia in Sacramento Pœnitentiæ. Patet consequentia. Quia non minus per solicitationem ad alia peccata fit iniuria Sacramentis, ac per solicitationem ad venerea: ergo si ob primam solicitationem non datur suspicio de hæresi, nec etiam ob secundam. ¶ Tertiò solicitantes non incurrunt suspicionem de hæresi vehementem, aut violentam: ergo nec levem. Antecedens patet; cum nec fere semper, nec regulariter hæretici sint Confessarij solicitantes ad turpia, quod exigit suspicio vehemens, aut violenta. Consequentia vero probatur. Nam finis solicitationis est libido, ad quam homines naturaliter sunt proclives; sed ex vitijs, & peccatis, ad quæ homo naturaliter inclinatur, nequit argui probabiliter, quod sit hæreticus: ergo solicitans ad turpia non incurrit suspicionem de hæresi, etiam levem.

Solicitantes ad turpia sunt in fide suspecti.

13 Sed nihilominus tenenda est omnino contraria sententia. Tum, quia est expressa in Bulla Pij IV. edita anno 1561. die 16. Aprilis, his verbis: *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant...* Et infra iubet Inquisitori Generali Archiepiscopo Hispalensi, *quod tam super præmissis, quam super Fide Catholica, & quid de ea sentiant diligenter inquiras.* Eadem verba habentur in alia Bulla Pauli V. edita anno 1608. die 6. Septembris ad Inquisitorem Generalem Regni Portugaliæ: ergo ex mente SS. Pontificum ad turpia solicitans non solum est de fide suspectus, sed etiam de ea est ab Inquisitoribus examinandus. Tum etiam: quia licet alia peccata inferant iniuriam, opponantur que cuilibet Sacramento; at solicitatio ad turpia, & carnalia specialem oppositionem habet cum Sacramento Pœnitentiæ: ergo licet solicitans intra Sacramenta ad alia peccata non sit suspectus in fide, bene autem, qui in confessione solicitat ad turpia. Probatur antecedens. Nam solicitans in confessione ad turpia ex vna parte destruit dispositionem requisitam in pœnitente, scilicèt, dolorem de peccatis, vel saltem eam conatur destruere; ex alia adversatur spirituali vinculo contracto inter Confessarium, & pœnitentem, quod in alijs Sacramentis non contrahitur, vt colligitur ex dict. tom. 1. huius cursus tract. 6. cap. 8. à num. 58. ergo, sicut solicitatio ad carnalem commistionem cum Patre naturali habet specialem repugnantiam contra virtutem pietatis, quam non habent solicitationes ad alia peccata; sic similiter solicitatio filij, aut filiæ spiritualis in Sacramento Pœnitentiæ ad venerea, seu turpia, specialem oppositionem habet prædicto Sacramento, quam solicitatio ad alia peccata, vel ad venerea in alijs Sacramentis non habet. Vnde oritur, quod licet ex decretis Pontificum non constaret, solicitantes ad venerea esse in fide suspectos; & ita nunc tuto contrarium iam non possit vt probabile defendi, vt optime docet Hurtado loc. cit. num. 24. nihilominus adhuc ex prædicta ratione esset vera nostra assertio, cum non parum vrgens, & efficax sit. Videantur Farinac. in Praxi Crimin. quæst. 137. num. 28. Paramo de Orig. Inquis. quæst. 10. num. 90. Sous. de Solicit. tract. 1. cap. 5. Leander tr. 5.

de

de Pœnitent. disp. 13. quæst. 62. & alij apud ipsum.

Argumentis respõdetur.

14 Ad primum argumentum respondetur, quod nobis non potest constare, an solicitans habeat errorem in fide, nec ne, nisi ex signis externis: cum ergo videamus exterius abuti Sacramento Pœnitentiæ ad tantum scelus committendum, cogimur ad prudenter iudicandum, procedere ex errore intellectus, & non præcisè ex libidine, & ita ad minus esse in fide suspectum. ¶ Ad secundum argumentum potest primo responderi ex Hurtado cap. cit. resolut. 3. num. 27. & Pegna 2. part. Direct. Inquisit. quæst. 56. comm. 81. pag. 383. solicitantem in confessione ad alia peccata, esse de hæresi suspectum; cum iste abutatur Sacramentis, & abusus Sacramentorum sit sufficiens motivum ad inducendam suspicionem iuridicam in fide. Quod extendit Hurtado ad solicitantem ad quæcumque peccata in cæteris Sacramentis. Vnde iuxta hanc sententiam, negato antecedenti, vis argumenti corruit. ¶ Sed quia contraria sententia est communior, & defenditur à Paramo de Orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 10. num. 121. Acunha de solicitation. quæst. 8. n. 6. Salced. in Pract. crimin. cap. 82. verbo *Deponatur*, Sous. Opusc. de solic. tract. 1. cap. 13. num. 4. Bonacin. tract. var. disp. 6. punct. 3. num. 7. Diana 4. part. tract. 5. resol. 17. & alijs apud ipsum. Respondetur secundo ad argum. concesso antecedenti, negando consequentiam: quia, vt antecedenti num. diximus, solicitatio ad turpia habet specialem deformitatem, & oppositionem cum Sacramento Pœnitentiæ, ratione vinculi contracti, quod cætera peccata non habent. Vnde credimus hac ratione fuisse motos Pontifices ad declarandum tale crimen inducere suspicionem de hæresi. ¶ Ad tertium Pegna loc. cit. respondet solicitantem esse vehementer suspectum de hæresi; è contra Paramus esse tantum leviter suspectum ait, quod comprobat praxis Inquis. Hispaniæ, quæ eos cogit abiurare de levi. Ratio vero, quare solicitans sit suspectus saltem de levi, patet ex dictis, quia licet homines sint valde ad libidinem propensi, tamen gravitas iniuriæ, quæ per solicitationem fit Sacramento, cogit nos prudenter iudicare in fide esse saltem leviter suspectum.

15 Plures alij casus sunt, qui de hæresi sunt suspecti, vt Magi, Astrologi, Iudiciarij, Lamiæ, Ensalmatores, & alij; sed quia plerique opponuntur virtuti Religionis, ideo quando de vitijs illi oppositis agamus, simul de eis sermonem instituemus, & nunc tantum de solicitantibus ad turpia in confessione loquemur.

PUNCT. III.

De Confessarijs solicitantibus pœnitentes ad turpia, & inhonesta.

SUppositio ergo solicitantem in confessione ad turpia esse in fide suspectum, ac proinde Inquisitoribus denuntiandum, videndum nunc est, quando, & quibus in casibus ad id fideles teneantur, vel excusentur. Sed quia hæc materia, vtpote æque difusa, ac difficilis, cogit Doctores longè calamum ducere; ideo nos, qui nec brevitati, nec prolixitati studemus, curabimus solum magis necessaria pro meritis diversis §. decidere.

§. I.

Quænam de hac materia extent Bullæ, & Constitutiones Pontificum, Inquisitionis que decreta?

CUm immane flagitium, & enormissimum crimen sit, pœnitentes in confessonario ad venerea solicitare; mirum est, quot, quam que gravissima decreta sint contra illud à Summ. Pontificibus, Sacro que Inquisitionis Tribunali edita. Quæ ad vnguem transcribere, nimis esset prolixum; omnia è contra prætermittere, valde compendiosum. Quare vtrumque extremum declinando, per aliqua cursim transgrediemur; per alia vero, vt par est, longius provehetur calamus.

Bullæ aliquorum Pontificum.

16 In primis extat contra Confessarios solicitantes in confessione Bulla Pij IV. *Ad Archiepiscopum Hispalensem Hispaniæ hæretici pravitatis Inquisitorem Generalem*, quæ incipit: *Cum sicut nuper*, publicata anno 1561. die 16. Aprilis, in qua concedit facultatem prædicto Inquisitori Generali cognoscendi, & puniendi in Regnis Hispaniæ quoscumque Sacerdotes in ipso actu confessionis solicitantes, aut provocare tentantes mulieres pœnitentes ad actus inhonestos. ¶ Secundò adest decretum Clementis VIII. quo prædictam Bullam approbat, & declarat omnes Christi fideles tenere sic delinquentes denunciare Tribunali S. Inquisitionis. Quod decretum incipit: *In nomine Domini Amen*, &c. Fuit que publicatum anno 1592. die 3. Decembris. ¶ Tertiò extat Bulla Pauli V. ad Inquisitorem Generalem in Regnis Portugaliæ, quæ incipit: *Dilecte Filij*, &c. In quo prædicto Inquisitori pro sibi subiectis Regnis concedit facultatem procedendi contra Sacerdotes in confessione solicitantes, aut provocare tentantes mulieres ad actus inhonestos. *Tam super præmissis, quam super fide Catholica, & quid de ea sentiat, diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas.* Qui has Bullas legere voluerit, videat Leandrum tract. 5. de Pœnitent. disp. 13. quæst. 1.

Bulla Gregorij XV. contra solicitantes.

17 Denique adest Bulla Gregorij XV. quam, quia omnes alias confirmat, & ampliat, libuit transcribere, cuius tenor sic se habet in tom. 3. Bullar. Querubini, pag. 318. col. 2.

GRE-

GREGORIUS PAPA XV.
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. *VNiversi Dominici gregis curam, quanquam immeriti, cælesti dispensatione gerentes, sedulo invigilare tenemur, vt ab omnibus pravis contagijs conservetur immunis, multo que maiori studio providere, vt omnis pestis ab ijs avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit, in quo saliatur, & ad nihilum prosit vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

Motiva. §. I. *Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quibusdam in locis provisum fuit, vt impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicet, vt aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, solicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti medico infernalis beneficus ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur. Idcirco nos ea, quæ his pernicioſissimis diaboli insidijs arcendis certis locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.*

Refert ad litteras cōst. Pij IV. §. II. *Alias siquidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt litteræ tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. vener. fratri Archiepisc. Hispalensi in Regnis Hispaniarum hæreticæ pravitatis Inquisitori Generali. Cum sicut nuper non sine animi nostri molestia accepimus, diversi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Civitatibus, & Diœcesibus curam animarum habentes, sive eam pro alijs exercentes, aut alias audiendis confessionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Salvatori nostro IESU CHRISTO iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & provocando, seu allicere, & provocare tentando, & procurando; ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in divinæ Maiestatis offensam, & animarum perniciem, Christi fidelium scandalum non modicum.*

Sunt suspecti de hæresi, qui sollicitant in cōfessione. §. III. *Nos in animum inducere nequeuntes, quod quæ de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos, contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Diœcesum de præmissis quomodolibet diffamatos, tam sæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ subiectorum Ordinum Regulares, cuiuscumque dignitatis, statutus, gradus, ordinis, conditionis, & preheminentiæ existat, tam super præmissis, quàm super Fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitates, prout iuris fuerit, punias, eos etiam, si & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, sæcularis iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non ostantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæteris que contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Aprilis 1561. Pontif. nostri anno 2.*

Confirmat prædictas litteras Pij IV. & extēdit ad omnes mundi partes. §. IV. *Igitur, vt litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inviolabiliter observentur, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, præinsertas litteras huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica authoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illis que omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, illas que non solum in prædictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter, & inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus.*

Declarat, quinam dicendi sint solicitatores. §. V. *Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tam sæculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cuiuscumque dignitatis, & preheminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sivè inter se, sivè cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentali confessionis, sivè ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem*

dem confeſsiones audire, ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquiſitionis ſeveriſsime, vt infra, puniantur.

Contra tales iubet procedi, prout in cauſis fidei, & determinat pœnas.

§. VI. *Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum vniverſi orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus, & territorijs por has noſtras litteras, etiam privative, quo ad omnes alios, ſpecialiter, ac perpetuo Iudices delegamus vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei iuxta ſacrorum Canonum formam, nec non officij Inquiſitionis huiuſmodi conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiuſmodi nefarijs exceſsibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circunſtantijs, ſuſpendentes ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & paſsivæ, ſi Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum, abſque vlla ſpe gratiæ, alias que pœnas decernant, eos quoque, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradant.*

Dat facultatem ad probationē huius delicti admittendi teſtes ſingulares.

§. VII. *Dantes etiam facultatem venerab. fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis ſit probationi, teſtibus etiam ſingularibus concurrentibus, præſumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, & Curiæ ſæculari, vt præfertur, reum tradendum eſſe pronunciandi.*

Derogat cōtrarijs.

§. VIII. *Non obſtantibus omnibus, quæ dictus prædeceſſor in ſuis litteris prædictis voluit non obſtare, cæteris que contrarijs quibuſcumque.*

Confeſſores tenētur monere pœnitentes ſolicitatos de obligatione denuntiandi.

§. IX. *Mandantes omnibus Confeſſarijs, vt ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab alijs, vt ſupra, ſolicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſolicitantes, ſeu vt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinarijs prædictis; quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confeſſarios ſolicitantes, ſeu tractantes vt ſupra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

Tranſumptis fidem adhiberi, & publicari mandat.

§. X. *Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſsis manu alicuius Notarij publici ſuſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; quodque eadem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.*

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1622. Pontificatus noſtri anno 2.

In quibus prædicta Bulla differat ab alijs decretis Pontificijs.

18 Ex quibus conſtat hoc decretum ab alijs in pluribus differre: Nam primò differt in eo, quod alia ſolum loquuntur de ſolicitatione mulieris, hoc vero de ſolicitatione cuiuſcumque perſonæ, vt patet ex illis verbis: *Qui perſonas quæcumque illa ſint ad inhoneſta, &c.* Secundò, in alijs Sacerdos, qui in confeſsione ſolicitaret, erat denuntiandus; in hoc vero non ſolum, qui ſolicitat, aut tentaverit ſolicitare confeſsione, ſed etiam *ſive antea, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu confeſsionis, etiam ipſa confeſsione non ſecuta; ſive extra occaſionem confeſsionis in confeſſonario, aut in loco quocumque, vbi Sacramentales audiantur, ſeu ad confeſsionem audiendam electo ſimulantes ibidem confeſsiones audire.* Tertiò. In alijs, nulla obligatio, niſi ea, quæ ex iure naturæ ineſt, imponebatur pœnitenti confeſſorem denuntiandi; at in hoc, poſtquam ſupponitur hæc obligatio, præcipitur Confeſſarijs, vt pœnitentes de tali obligatione moneant. ¶ Denique in alijs ſolum committebatur cognitio huius criminis Inquiſitori Generali Hiſpaniæ, & Portugaliæ; in decreto vero Gregorij XV. committitur Inquiſitoribus totius orbis Chriſtiani, nec non locorum Ordinarijs. Quare in præſenti iuxta hanc Bullam difficultates præſentis materiæ ſunt decidendæ.

Prædicta Bulla eſt recepta in Hiſpania.

19 Hic inquiri ſolet à Doctoribus: An prædicta Bulla in Hiſpania ſit recepta? Palaus tom. 1. tr. 4. diſp. 9. punct. 1. n. 9. ait ſibi, quod admiſſa non ſit, maximè probari: quia in ea fiunt Inquiſitores æquales Epiſcopis in cognitione, & punitione huius criminis: ergo, cum hoc deroget iuriſdictioni antea à Pio IV. & Clemente VIII. ſibi conceſſæ, non videtur ab eis eſſe receptam. Alias rationes minoris momenti affert, quæ omnes ſolvuntur ſequenti decreto S. Inquiſitionis edito à D. D. Antonio de Sotomayor Inquiſitori Generali, anno 1633. die 29. Aprilis, qui ſub pœna excommunicationis maioris in publico capitulo ab omnibus illud legi iuſsit ſingulis annis feria 6. poſt octavam Aſſumptionis B. V. Mariæ. Ibi enim §. 2. ſic habetur.

Edictum S. Inquiſitionis.

20 Pij IV. conſtit. 31. incipit: *Cum ſicut nuper, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu Sacramentali Confeſsionis ad inhoneſtos actus provocare, & allicere tentant, & ſolicitant.* Et Gregorij XV. conſtit. 34. incipit: *Vniverſi Dominici gregis, ampliativæ circa huius criminis probationes, & extenſivæ contra Confeſſarios, qui perſonas (quæcumque illæ ſint) ad inhoneſta, ſivè inter ſe, ſivè cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſsionis, ſivè ante, ſivè poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu confeſsionis, vel extra occaſionem confeſsionis in Confeſsionario, aut alio loco ad audiendam confeſsionem electo, ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint. Et contra Confeſſarios non monentes eos, quos ſciunt ab alijs Confeſſarijs ſolicitatos eſſe, vt Inqquiſitoribus, vel Ordinarijs ſo-*

solicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri. Hucusque quo ad hanc materiam prædictum decretum, in quo plane constat à S. Inquisitione Hispaniæ esse receptum.

Respondetur rationi oppositæ.

21 Ad rationem dubitandi respondet Leander de Pœnitent. tract. 5. disp. 13. q. 3. se audivisse à D. Isidoro de S. Vincentio Supremæ Inquisitionis Fiscali de tali Bullæ clausula fuisse à S. Inquisitione Hispaniæ supplicatum, & ipsummet Greg. XV. declarasse suam mentem non fuisse, quod Ordinarij in Hispania de tali crimine cognoscerent. Sed licet hæc non verificarentur, adhuc credimus talem declarationem non fuisse necessariam: quia cum prædicta Bulla fuerit expedita pro vniverso orbe Christiano, & in toto illo non sint Inquisitores hæreticæ pravitatis, bene vero Episcopi; ideo oportuit in ea ponere, solicitantes denunciandos esse Inquisitoribus, vel Episcopis: hoc est, primum Inquisitoribus, vbi viget hoc S. Tribunal fidei; secundo Episcopis, vbi non est receptum: cum ergo in Hispania existat hoc venerandum S. Inquisitionis Tribunal, ipsi privativè competit huius criminis cognitio, tam ex constitutione Pij IV. quàm ex hac Gregorij XV. vbique ab omnibus recepta. Et ita solis Inquisitoribus solicitantes sunt denunciandi. Videantur Hyeron. Trimarchius de Confessore abutente, disp. 1. sect. 5. num. 12. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 18. num. 13. Leander loc. cit. Diana 2. part. tract. 17. resol. 30. & 1. part. tract. 4. resol. 25. Thomàs Hurtado tom. 1. tract. 4. cap. 2. num. 13. N. Anton. in Direct. Confessor. tract. 5. disp. 18. §. 1. fine, & alij communiter, qui observant, quod in nullo ex prædictis Pontificum decretis, nisi solum in edicto S. Inquisitionis, imponitur excommunicatio maior contra omitentes denunciationem.

§. II.

Quid sit solicitare, & allicere ad actus inhonestos; & qualis futurus sit Sacerdos, aut Confessarius solicitans?

Quid significet ad turpia solicitare?

22 CUm ergo decretum Gregorij XV. contra Sacerdotes, seu Confessarios solicitantes editum, plura contineat, quæ non levem ingerant difficultatem, simul que decidi, est prorsus impossibile; ideo, vt melius eius intelligentia percipiatur, divisive de eo iuxta verborum ordinem agendum est. Sed quia notitia solicitationis est quasi præambulum ad alia, quæ in prædicto decreto prohibentur; ideo antequam ad alias difficultates accedamus, quid sit *solicitare*, aut *provocare* ad actus illicitos, & inhonestos, prælibare oportet.

23 Varias acceptiones harum vocum, tam apud Grammaticos, quàm Iurisperitos referunt Sousa Opusc. de Solicit. tract. 1. cap. 1. Freitas *de Solicitante Confessario*, quæst. 1. & Prado tom. 1. cap. 10. quæst. 2. à num. 1. sed prout ad præsens attinet, idem est *solicitare*, aut *provocare ad actus illicitos, & inhonestos*, ac aliquo signo exteriori, vt verbis, precibus, tactibus, & nutibus amatorijs allicere, movere, & tentare ad actus inhonestos, & venereos, sivè inter se, sivè cum alijs peragendos. Ita Turrecremata in cap. *Siquis tam fœminam, quàm masculum, de Pœnit.* disp. 1. Sous. loc. cit. num. 3. Prado vbi supra num. 2. Bordon tom. 1. cap. 23. à num. 12. Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 12. & alij apud Leandrum à SS. Sacramento de Pœnit. tract. 5. disput. 13. quæst. 4. Quo supposito

Sacerdos vere ad venerea solicitans semper est denuntiandus.

24 Inquires primò: An Sacerdos, seu Confessarius, qui pœnitentem prædicto modo ad turpia solicitat, aut provocare conatur, sit Inquisitoribus denuntiandus? Respondetur affirmativè. Et ratio potissima est decretum, tum S. Pontificum, tum S. Inquisitionis omnibus fidelibus cuiuscumque gradus, & conditionis sint, sub gravissimis pœnis ita facere præcipiens: ergo cum hoc decretum, seu lex sit iustissima, à legitimo que Superiori lata, & nullum ab ea eximens, ab omnibus observari debet. Deinde hæc lex, vt diximus tom. 3. tract. 11. cap. 2. punct. 4. num. 86. non fundatur in præsumptione facti, sed periculi; at lex, quæ in præsumptione periculi fundatur semper obligat, vt ibidem diximus num. 83. & 84. ergo quando verificatur, quod aliquis Confessarius, sivè ante, sivè post immediatè, seu prætextu confessionis, etiam ipsa non secuta, vel in confessionario, solicitare, & provocare pœnitentem ad actus inhonestos, seu venereos tentaverit, debet intra sex dies Inquisitoribus, aut alijs S. Inquisitionis ministris denuntiari. Ita omnes Doctores in sequentibus conclusionibus citandi, sed licet hæc ita sint, aliquas, quæ ex his oriuntur difficultates, oportet dicidere.

Sacerdos, qui absque iurisdictione confessiones audiens, solicitat, est denuntiandus.

25 Inquires secundò: An sit denuntiandus Sacerdos, qui absque iurisdictione ad absolvendum, confessiones audire præsumit, & in illis pœnitentem ad turpia solicitat? Prima sententia est negativa. Cuius ratio est: quia ex vi huius decreti, solum est denuntiandus Confessarius solicitans, quia iniuriam infert Sacramento; sed, qui caret iurisdictione ad absolvendum, iniuriam non infert Sacramento, cum verum sacramentum non conficiat: ergo non est denuntiandus. Sic Sousa cap. 11. num. 9. Fagundez lib. 6. in Decalog. cap. 12. num. 21. ¶ Sed nihilominus verior est sententia affirmativa: quia talis Sacerdos solicitans vere censetur confessarius, cum potestatem ordinis habeat, & alias à mortalibus in articulo mortis possit absolvere: ergo est denunciandus. Præterea ex vi constitutionis Gregorij XV. simulans audire confessionem est denunciandus; sed hic vere simulat se audire confessionem: ergo, &c. Deinde, vt verificetur fieri iniuriam Sacramento Pœnitentiæ, sufficit inchoatio illius, & non requiritur perfectio; alias non inferret illi iniuriam, nec esset denuntiandus Confessarius, qui mulierem non absolvens, eam tunc postea solicitaret, quod falsum est; sed esto Sacerdos solicitans ob defectum potestatis non possit perficere Sacramentum, at pœ-

nitens accedens ad confitendum illud inchoat: ergo iniuriam infert Sacramento, & ita est denuntiandus. Per quod liquet ad obiecta. Hanc sententiam defendunt Ioannes Sanchez in Select. disp. 11. num. 38. Acuña quæst. 14. de solic. num. 5. & ibi Freitas num. 13. Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 9. num. 1. Trullench cap. 3. dub. 18. num. 77. Diana part. 4. res. 8. & alij. At si manifestet pœnitens peccatum causa tantum consultationis, & Sacerdos eam non solicitet in Confessionario, credimus non esse denuntiandum; tum, quia hæc consultatio non est confessio sacramentalis; tum, quia alias solicitatio non est in Confessionario, aut loco ad audiendas confessiones deputato: ergo non est ratio, quare pœnis huius decreti subiaceat. Acuña loc. cit. num. 6. Henriq. lib. 6. cap. 21. num. 4. Suarez de Pœnit. disp. 33. sect. 2. num. 4. Diximus *ex vi huius decreti*, quia ex alijs constitutionibus non est dubium posse ab Inquisitoribus puniri.

Sacerdos interpres confessionis tũc solicitãs pœnitentẽ non comprehenditur sub hoc decreto.

26 Sed quid, si talis Sacerdos sit interpres pœnitentis, & in eodem actu confessionis solicitet? Affirmat esse denuntiandum Freitas in Addit. ad quæst. 13. Acuña. Tum, quia iste, sicut Confessarius, sumit Sacramentum vt medium ad peccatum: tum, quia, vt diximus tom. 1. tract. 6. cap. 14. punct. 4. num. 59. tenetur interpres confessionis ad servandum confessionis sigillum, & sic participat aliquid de actu clavis, vt docet D. Thom. in Addit. ad 3. part. quæst. 11. art. 3. ergo aliquomodo sub nomine Confessarij comprehenditur. ¶ Sed negant, & melius Diana loc. cit. resol 9. Palaus num. 6. Trullench num. 82. Leander quæst. 40. & alij communiter. Et probatur primò. Quia interpres, vt talis, non est Confessarius, sed potius ex parte pœnitentis se tenet; sed pœnitens, esto solicitet, non subiacet pœnis contra solicitantes impositis: ergo hic non est denuntiandus. Ad primum respondetur, quod in pœnis non datur extensio, quando similis casus sub aliqua significatione sub verbis legis non comprehenditur, vt pluribus probat Sanchez de Matrimon. lib. 10. disput. 4. Sed interpres solicitans non assimilatur Sacerdoti, cum ad hunc ex officio pertineat reverentiam Sacramenti Pœnitentiæ conservare; secus vero ad illum: ergo non currit paritas Confessarij solicitantis respectu interpretis. Ad secundum dicimus, quod licet interpres teneatur ad servandum sigillum, non tamen, vt est sigillum confessionis, vt ibi docet D. Thom. sed alio modo magis lato, scilicet in quantum pertinet ad rationem Sacramenti, & non præcise ad fidelitatis virtutem; sed ex hoc non sequitur, quod habeat confessionis clavem, aut quod in hoc decreto sub nomine Sacerdotis intelligatur.

Aliqui dicunt laicum solicitantem esse denuntiandum.

27 Inquires secundò: An si Clericus non Sacerdos, aut laicus quilibet, ementitus Confessarius, pœnitentem in confessione, aut immediate antea, vel post, solicitet, sit ex vi huius decreti Inquisitoribus denuntiandus? Dixi *ex vi huius decreti*: quia ex vi decreti generalis Inquisit. quotanis publicati, patet esse denuntiandum, vt patet ex tertia eius clausula his verbis: *Gregorij XIII. constitutio 21. incipit officij nostri partes: De iurisdictione Inquisitorum hæreticæ pravitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratus non promoti Missas celebrant, aut sacramentaliter confessiones audiunt.* Quare præsens difficultas solum procedit ex vi constitutionis Gregorij XV. contra solicitantes latæ. ¶ Iuxta quam videtur, quod Clericus non Sacerdos, aut laicus solicitans sit denuntiandus: tum, quia, vt constat *ex leg. 7. & 8. Cod. leg. Corn. de siccarijs, leg. Siquis non dicam, Cod. de Episc. & Cleric. leg. Quis quis*, & alijs relatis à Decian. Crim. lib. 7. cap. 35. num. 1. conatus, etiam effectu non obtento, in criminibus atrocibus punitur; sed ea, quæ in hac lege prohibentur, vt atrocia, laicus, vel Clericus non Sacerdos efficere conatur, quando solicitat pœnitentem: ergo contra illam deliquit, & iuxta illam debet puniri. Tum, quia laicus potest in necessitate absolvere, vt docet D. Thom. cum Magistro in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 3. ergo venit intelligendus, vt Sacerdos, si solicitet in confessione.

Verius est oppositum.

28 Sed dicendum est, sub prædicto decreto talem Clericum, aut laicum non comprehendi, ac proinde ex vi illius non esse denuntiandos. Quod ostenditur evidenter ex verbis S. Pontificis, in quibus præcipit, quod denuntientur *omnes, & singuli Sacerdotes, tam sæculares, quàm Regulares cuiuscumque dignitatis, & prehæminentiæ... in Confessionario, aut in loco quocumque ad confessionem audiendam electo solicitare, aut provocare tentaverint.* Sed hic non loquitur de Clerico non Sacerdote, aut laico solicitante: ergo sub illo non comprehenditur laicus, aut Clericus, qui Sacerdos non est. Nostram resolutionem tenent Bonac. disp. 6. punct. 3. num. 8. Sanchez disp. 11. num. 36. Palaus punct. 9. num. 5. Diana 1. part. tract. 4. resol. 15. Trullench cap. 3. dub. 18. num. 81. N. Anton. in Direct. Confess. tract. 5. disp. 18. sect. 4. num. 1447. ¶ Ad primum respondetur ex doctrina Navarr. *in cap. Siquis non dicam, 2. de pœnitentia, dist. 1.* quod quando lex vult punire conatum, id exprimit: cum ergo hic non exprimat, extendi ad illum pœna non licet. ¶ Ad secundum respondetur ex dictis tract. 6. cap. 11. punct. 1. num. 1. & 3. solum Sacerdotem esse Ministrum huius Sacramenti. Quare, quando Doctores docent in articulo mortis, si desit Confessarius, alteri laico posse confiteri, solum intelliguntur in ordine ad contritionem excitandam; non vero, quia sentiant posse ab illo absolvi sacramentaliter, imo si absolutionis formam impendat, mortaliter peccabit.

Pœnitens solicitans non est denuntiandus.

29 Inquires tertiò: An si pœnitens solicitet Confessarium, debeat denuntiari, & subiaceat pœnis huius decreti? Affirmativam sententiam docent Paramus lib. 3. quæst. 10. §. *At ne omnino*. Bellochius de casib. part. 2. q. 9. num. 51. & moventur: quia correlativorum eadem est disciplina; sed Confessarius, & pœnitens sunt correlativa: ergo si Confessarius solicitans est denuntiandus, etiam denuntiandus erit pœnitens solicitans. ¶ Sed

¶ Sed negativa sententia est verior, & tenenda. Et ratio est: quia vt probavimus tract. 11. cap. 4. punct. 3. num. 39. leges pœnales ad similes casus non sunt extendendæ, etsi eadem, vel similis currat ratio; sed lex contra solicitantes est pœnalis, & solum est lata contra Sacerdotes, & Confessarios: ergo extendenda non est ad pœnitentes; esto in vtraque eadem esse videatur ratio. Per quod patet ad rationem dubitandi. Deinde, quia non leve inconveniens est, si Sacerdos pœnitentem denuntiaret: ex hoc enim sumerent occasionem ad existimandum, non servari à Confessarijs sigillum confessionis in ordine ad alia peccata forte in illa confessione detecta: ergo ob hoc vitandum, credendum est, à consilio Pontifices non voluisse sub prædictis constitutionibus pœnitentes solicitantes comprehendere. Ita Sous. tract. 1. cap. 7. Acuña q. 6. num. 3. Trullench n. 59. Bonac. disp. 6. punct. 3. num. 20. Leand. de Pœnit. tract. 5. quæst. 41. Diana 1. part. tract. 4. resol. 23. Ioann. Sanch. in Select. disp. 11. num. 24. Bordonius cap. 23. num. 71. licet referat Prado cap. 10. quæst. 4. §. 3. num. 10. ex Cæsar Carena num. 49. ex S. Congregationis mandato fuisse aliquas fœminas solicitantes à S. Officio Inquisit. punitas, ne inde ansam sumant Confessarios solicitandi.

Episcopi solicitantes S. Pontifici, vbi commode fieri potest, sunt denuntiandi.

30 Inquires quartò: An Episcopi sint denuntiandi, si pœnitentes solicitent? Hæc quæstio fere eadem est, ac illa, quam sup. cap. 3. punct. 9. num. 113. decidimus, & ideo eodem modo nunc est resolvenda. Dicimus ergo, quod licet Episcoporum delicta sint vnice à S. Pontifice cognoscenda, vel ab eo, cui ex delegatione illius sint commissa (qui semper erit Metropolitanus, aut alter Episcopus, vt docet Tridentinum sess. 24. cap. 5.) & ita non sint subditi Inquisitoribus, quantum ad cognitionem huius criminis; tamen si hæc denunciatio commode fieri non potest S. Pontifici, debet fieri Inquisitoribus fidei. Et ratio est: quia Inquisitores, licet contra eos non possint formare processum, incarcerare, &c. debent tamen, vt dicitur in Extravaganti: *Cum Matthæus, de hæreticis.* De tali delicto Summum Pontificem certiorem facere; ac proinde possunt circa hoc crimen excipere testimonia: ergo illis sunt denuntiandi Episcopi solicitantes. Ita Hurtado tract. 4. cap. 7. resol. 18. N. Anton. tract. 5. de Pœnit. disp. 18. num. 1453. ¶ Nec obstant verba generalia constitutionis Gregorij XV. sub quibus comprehendi *omnes personas cuiuscumque dignitatis, vel prehemineniæ, aut quovis privilegio muniti existant.* Quia vt optime ait Barbosa in dict. cap. concil. num. 5. sub his clausulis generalibus Episcopi non comprehenduntur: ergo minime adhuc respectu huius criminis, sunt Inquisitoribus subditi Episcopi.

Quid dicendum de Episcopis titularibus, Abbatibus, Inquisitoribus, & Generalibus

31 Sed rogabis, qui nomine Episcopi intelligantur? Respondetur, quod nomine Episcopi, primò intelliguntur, vt docent prædicti Auctores, & alij, omnes Episcopi consecrati, etiam titulares, & qui electi, sunt iam à S. Pontifice confirmati. Similiter Nuncij, & Legati extraordinarij, & Abbates iurisdictionem, quasi Episcopalem, habentes, vt notant Barbosa lib. 1. Iuris Ecclesiast. cap. 17. num. 19. & Tambur. de Iure Abbat. tom. 1. disp. 1. quæst. 3. & 4. ¶ Secundò intelligitur Inquisitor Generalis Hispaniæ, secus vero alij Inquisitores, quia vt docent Palaus citatus cap. 3. num. 120. (esto hic disp. 9. punct. 9. num. 3. nihil expresse determinet) & Hurt. hic n. 150. sunt ad nutum Inquisitoris supremi amobiles, ac proinde remoti ab officijs possunt ab eo puniri. ¶ De alijs vero Prælatis, etiam Generalibus Ordinum, communis est sententia, nomine Episcopi non intelligi, sed sub Bulla contra solicitantes edita, vere comprehendi. Nihilominus tamen notant hic, & iustissime, Diana part. 4. tract. 8. resol. 23. referens Zanardum, Perinus, & Thom. Hurt. tract. 4. cap. 8. num. 28. citans Rodrig. & Pegnam, nec non N. Antonius num. 1455. Dominos Inquisitores non posse in his, alijs que similibus delictis procedere, non solum contra Generales, verum nec contra Provinciales, & alias personas regulares, & sæculares omni exceptione maiores, nisi prius consulant, vel S. Congregationem, vel Inquisitorem Generalem, aut supremum fidei Consilium, vt sic eorum famæ cautius consulatur.

§. III.

Quæ actiones, seu verba turpia, & venerea sub hoc decreto prohibeantur?

Solicitans ad actiones ex se venereas est denuntiandus.

32 PLura continet titulus, ac proinde sub diversis quæstionibus, sunt explicanda. Vnde inquires primò: An Confessarius solicitans ad actus venialiter inhonestos, vt tangere manum fœminæ, mamillam, aut digitos illius intorquere, aut vellicare, sit denuntiandus? Negant Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 3. num. 3. N. Anton. loc. cit. n. 1445. Sous. in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 33. num. 4. Portel in Addit. ad dub. Regul. verb. *Solicitare fœminas*, num. 4. quando pœnitens scit Confessarium non habere animum vltra progrediendi; secus vero si ex circunstantijs contrarium inferatur. ¶ Affirmant vero alij, & verius. Quia esto actus illi essent leves in materia luxuriæ, & in illa daretur parvitas materiæ (de quo nunc præscindimus) tamen in ordine ad solicitationem materiæ parvitas non datur, ac proinde graves sunt: ergo ob illos esset denuntiandus solicitans. Consequentia liquet, & antecedens constat. Quoniam prædictæ actiones, esto alioquin essent leves, graviter offendunt reverentiam Sacramento Pœnitentiæ debitam, & sic sunt sacrilegia gravia: sicut licet intra genus temperantiæ sit leve modicum cibum sumere, tamen mortale est post illum ad Eucharistiam accedere. Similiter parum aquæ vino in Missa miscenda, parva materia est, & tamen grave crimen est in ordine ad Sacramentum, eam scienter omittere: ergo esto prædictæ actiones essent ex se leves, graves tamen sunt in ordine ad Sacramentum, & ideo solicitare ad eas, est pec-

peccatum comprehensum sub prædicto decreto. Ita Diana 4.part. tract.5. resol.5. asserens opinionem contrariam non posse consuli in praxi. Fagund. de Præcept. Eccles. part. 2. lib. 4. cap. 3. num. 52. Trullench cap. 3. dub. 18. num. 42. Ioann. Sanch. disp. 11. num. 22. Prado cap. 10. quæst. 2. num. 6. & 12. Leander de Pœnit. tract.5. quæst.12.disp. 13. num. 6. Thomàs Hurt. tract. 4. cap. 8. à num. 405. qui num. 398. refert argumenta aliqua pro contraria sententia, quæ omnia procedunt ex eo, quod parvitas materiæ non est capax gravis præcepti. Sed hæc decisa manent ex ratione probativa nostræ conclusionis.

An solicitet, qui laudat pœnitentem de pulchritudine, contrariæ inter se sententiæ referuntur.

33 Inquires secundò: An solicitet, qui laudat pœnitentem à pulchritudine, & ornatu? Affirmant Bonac.disp.6.de denunt.punct. 3. num.5. Barbosa de Offic.Parrochi, cap.19. num. 49. Trullench dub. 18. citat. num. 43. Diana part. 4. tract.5. resol.18. & alij. Tum, quia his verbis mulieres facile ad libidinem provocantur: ergo vere eam solicitat. Tum etiam, quoniam Gregor. XV. dicit vere sub hoc decreto comprehendi, *qui inhonestos sermones, aut tactus cum eis habuerint.* Sed tales sermones inhonesti sunt, maximè ob illius loci sanctitatem, vbi solum sancta sancte agenda sunt, & abiecta omni sermonum levitate, tantum verbis parcis, & gravibus, monitis que severis vtendum est: ergo sub prædicto præcepto, seu decreto comprehenduntur. Negant vero Thom. Hurtado loc. cit. resol. 23. Fagund. de Præcept. Eccles. lib. 4. cap. 3. num.51. & alij. Tum, quia hoc peccatum ex se mortale non est, alias nunquam liceret hæc laudatio. Tum etiam, quia nec est actus inhonestus, laudare fœminam à pulchritudine, nec quid ex se ad aliquid inhonestum ordinatum; cum pulcritudo, neque inhonesta sit, nec ex se ad inhonesta movens, sed tantum ex corrupto hominum affectu: ergo non est ob hoc Confessarius denuntiandus.

Concordantur prædictæ sententiæ.

34 Sed credimus, prædictos Auctores in idem coincidere. Etenim omnes docent, quod laudare præcisè pulchritudinem fœminæ sine pravo fine, non est solicitare; secus vero, si cum illo fiat, aut rationabiliter præsumatur. Vnde qui diceret fœminæ pœnitenti, ait Bonacina, *iniuriam facere suæ pulchritudini, turpem sui copiam alijs faciendo*, hic vere non est solicitans: esto in his caute, & parce procedendum, satius sit. Si vero laudet eam, & dicat, *te in meam acciperem vxorem, si voto non essem adstrictus*; hic vere est solicitans, quia hæc verba callide alliciunt, & incitant ad venerea. Ita Diana part.9. tract.9.resolut.32. An vero solicitet, qui donum insolitum dedit in Confessonario pœnitenti, aut dissuadeat à confessione? De hoc eodem modo loquntur Doctores, ac de eo, qui pulchritudinem illius laudat: nam vniformiter docent ex intentione Confessarij colligendum esse: cum istæ actiones ex se indifferentes sint. Ita Hurtado loc. cit. resol. 22. & 24. à num. 219. N. Anton. num. 1446. Diana part. 9. tract.9. resol 34. N. Valentin.tract.2.cap.8.num.334. Prado cap.10. quæst.2. §. 3.

Quædam notandæ illationes.

35 Ex quibus sequitur primò, denuntiandum esse Confessarium, qui dedit pœnitentiam fœminæ, vt postea ab ipso nuda domi verberaretur. Tum, quia hæc actio inhonesta est; tum etiam, quia in confessione iudicatur facta, cum pœnitentia sit confessioni per se anexa. Sousa tract.1. cap. 18. num. 14. Trullench dub. 18. cit. num. 46. Diana part. 4. tract.5. resol.47. Leander tract. 5. de Pœnit. disp. 13. quæst. 17. ¶ Sequitur secundò, etiam esse denuntiandum Confessarium, qui suam concubinam obiurgat, Hispane *Pide zelos.* Et ratio est. Nam talis actio maximè provocativa ad venerem est, signum que evidens lascivi amoris: cum idem sit hoc, ac dicere, pœnitet me, quod causam discontinuandi nostri amoris turpis offeras, & ita deinceps cum nullo alio, nisi mecum debes misceri: ergo prohibitur per verba Bullæ, quibus interdicitur tractatus, & sermones illicitos habere. Ita Sanct. dis. 11. num. 32. Leand. quæst. 16. & alij. ¶ Tertiò. Denuntiandus est Confessarius, qui suadet fœminæ, vt ostendat sibi vas naturale, quod ex confessione cognoverat, habere morbo infectum; quia cum hoc non sit animo medicinam applicandi, nec proprij muneris sit; est vere tentare, & solicitare ad venerem. Sousa Opusc. cit. tract. 1. cap. 18. num. 14.

Alij casus circa denuntiationé deciduntur.

36 Quartò est etiam denuntiandus, qui in confessione manifestat pœnitenti, se tunc voluntarie polluisse; cum hoc sit satis commovens ad turpia. Leand. quæst. 14. Bonac. disp. 6. *de obligatione denuntiandi*, punct. 3. num. 3. ¶ Quintò. Est etiam denuntiandus, qui in confessione instigat fœminam, vt alium ad copulam admittat: quia tunc expresse verificantur sequentia verba constitutionis Greg. XV. scilicet: *Qui personas, quæcumque illæ sint ad inhonesta, sivè inter se, sivè cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis:::: solicitat.* Ita Diana 1. part. tract. 4. resol. 19. Sanctius in Select.num.43. referens Acuñam, & Freitas. Trullench n. 47. Fagund. in Decal. lib. 6. cap. 12. num. 14. ¶ Sextò denuntiandus est, qui pœnitentem inducit, vt filiam prostituat, aut aliam inducat ad fornicandum; quia in prædicta Bulla præcipitur denuntiari, qui cum pœnitentibus *illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint*: sed hoc accidit in casu præsenti: ergo, &c. Acuña quæst. 17. num. 9. & apud ipsum Freitas num. 14. Bonac. num. 18. Sanctius num.44.

Qui ad somnum aliqua arte fœminam inducit, & turpiter cognoscit, est denuntiandus.

37 Septimò est denuntiandus: qui proximè ad confessionem fœminam aliqua arte in somnum inducit, & illo sopitam cognovit: nam ille vere opere solicitat, vel saltim cum ea habuit inhonestos tractatus proximè ad confessionem, qui prohibiti sunt ex verbis supra relatis Greg. XV. Vnde non recte sentiunt Sanct. num.32. & Trullench num. 54. docendo, quod, si non arte aliqua, seu maleficio; sed casu, paroxysmo, aut morbo aliquo fuit somno sopita; & tunc, aut in Confessonario, vel proximè ad confessionem carnaliter cognoscitur à Confessario, non est iste Inquisitoribus denuntiandus: Et moventur tum ex eo quod

præ-

prædicta constitutio lata est contra *solicitantes*, non contra fornicantes : tum etiam; nam solicitatio supponit capacitatem provocationis, aut tentationis ; sed talis pœnitens non magis est capax tentationis , ac si esset ligneus , marmoreus , aut mortuus : ergo tunc non est denuntiandus. ¶ Sed hæc omnino falsa sunt:primò ob rationes supra allatas, quæ eodem modo procedunt de somno sopito ex arte, aut industria, ac ex paraxysmo,vel morbo. Secundò. Quia talis Confessarius iniuriam infert sacramento , amplectendo ex illo occasionem fornicandi : ergo in vtroque casu est denuntiandus. Imò idem est dicendum, & si tantum haberet tunc tactus inhonestos ; cum etiam isti in constitutione citata maneant prohibiti. ¶ Ex his patet ad argumenta : maximè cum in præsenti casu tentaverit Confessarius provocare fœminam , & de facto actionem possuit, vi cuius , si à paraxysmo , vel morbo excitaretur, mulier in vrgentissimam tentationem consentiendi se haberet: vere ergo Confessarius solicitavit ; & ideo luere debet pœnas constitutionis relatæ. Nostram sententiam tenent Bonac. disp.de Solicit. punct.3. num.3. Leand. q.23. Diana part.10. tract.14.& Miscel.4. resol.45. Escobar à Corro de Confes. solicitan. part. 4. quæst.4.§.2.num.29. & N.Antonius in Direct. Confes. tract.5 de Pœnit. disp.18. n.1450.

Tribuens chartam pœnitenti postea legendam , in ad copulam solicitat , non est , secundum aliquos DD denuntiandus.

38 Inquires tertiò : An sit denuntiandus Confessarius , qui in confessione tribuit chartam pœnitenti postea legendam , in qua ad venerea solicitat ? Negativam partem probabilem iudicant Palaus tom.1. tract. 4. disp.9. punct. 4. num. 3. & Thom. Hurtado tom. 1. tract.4.resolutionum moralium,cap.5.resol.6. Tum : quia traditio chartæ non est solicitatio, sed causa solicitationis postea exequendæ. Tum etiam , quia finis denuntiationis est , ne Confessarij , vbi medicinam debent apponere, venenum propinent : sed hoc in casu posito accidere nequit : ergo , &c. ¶ Sed affirmativa vero sententia est nunc prorsus tenenda. Primò , & principaliter ; quia sic definivit Alex. VII. sequentem ,& nobis contrariam damnans , quæ ex damnatis ab hoc Pont. est in ordine sexta S. *Confessarius , qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam , in qua ad venerem incitat, non censetur solicitare in confessione , ac proinde non est denuntiandus.* Quare omnis probabilitas , si aliqua fuit sententia contraria , subvertitur. Tum quia contrariæ fundamenta sententiæ debilia sunt:cum traditio charta sit vera solicitatio *in confessione immediatè facta*,quanvis domi perficienda. Tum , quia hac chartæ traditione sit gravis iniuria Sacramento, sicut fieret , siquis ibi venenum tribueret pœnitenti post confessionem eum morte afficiens; cum, vbi salutis monita spiritibus ægris danda sunt , instrumenta mortis conferantur. Quare huius sententiæ patroni inveniuntur Sanct. in select. disp.11.num.32. Diana 4.part.tract.5. resol. 2. Et coord. tomo 5. tract. 9. resol. 47. Fagundez de Præcept. Ecclesiæ part. 2. lib. 4. cap.3. num.62.Trullench lib.1.cap.3.dub.18. num. 46. N. Antonius num. 1450. Lastra N. Valentinus , Corella , & alij super dictam positionem. Videantur etiam Corella in Conferentijs tom.2. tract. 7. conferentia 10. à numer. 551. & in pract. tract. 6. cap. 10. Prado cap. 10. quæst.2. §. 4.

Qui solicitatus ad copulam à pœnitente , eum divertit ad tactus , & amplexus, non est in aliquorum sententia denuntiandus.

39 Inquires quartò : An confessarius , qui solicitatus à pœnitente ad copulam, renuit; divertit tamen eum ad tactus , & amplexus eis se oblectando, sit denuntiandus? Negant Thomas Hurtado tom.1.tract.4.cap.5. à num.56. Palaus punct.5. disp.9.citat.num.4. Trullench num.51. N. Antonius num. 1457. Et moventur : Primò , quia tunc confessor non solicitat , sed solicitationi consentit : ergo non est denuntiandus ; cum in decreto præcipiatur solum solicitantes denuntiare , quod non debet extendi ad solicitatos. Secundò. Confessor suadens dumtaxat tactus , & renuens vlterius prosequi , non suadet pœnitenti , ad copulam solicitanti , aliquid quod ad quod non prius ipse induxit , cum sub copula contineantur tactus , vt quid ad illam necessario prævium: ergo, si rectè perpendatur , suadet fœminæ, ne vellit copulam consumare , & contenta sit tactibus : vere ergo non solicitat. Tertiò. Qui inducit ad minus malum , non dicitur ad malum absolutè provocare , sed ex suppositione, quod maius malum non possit vitare : & ita licitum est,vt diximus tract.13.cap.1.punct.5. num. 109. & 112. illud consulere : sed, qui inducit ad tactus,quando est solicitatus ad copulam , ad minus malum inducit ; ergo non provocat absolutè ad malum, vel absolutè ad malum provocare non dicitur. ¶ Notat vero Palaus , & N.Antonius , quod, si Confessor solicitatus ad sodomiam , ipse ad naturalem congressum divertit , aut è contra , debet denuntiari. Cuius differentiæ ratio est, quia iam tunc Confessor solicitat ad aliquid , ad quod solicitatus non fuerat ; cum naturalis copula non contineatur in sodomia, aut è contra : ergo est vere solicitans , ac proinde in tali casu denuntiandus.

Verius est oppositum.

40 Alij vero sententiam substinent contrariam ; esse nempe denuntiandum Confessarium , qui solicitatus ad copulam , ad tactus pœnitentem divertit. Et quidem verius : primò , quia ex constitutione prædictæ Bullæ denuntiandus est Confessarius, qui cum pœnitente *illicitos , & inhonestos sermones, sivè tractatus habuerit.* Sed solicitatus ad copulam , si provocat ad tactus ; illicitos tractatus , & inhonestos sermones cum pœnitente habet: ergo est denuntiandus. Secundò , quia licet licitum sit consulere minus malum ei , qui paratus est maius malum exequi , quando alia via vitari nequit : at si vtrumque poteras vitare , quia in tua erat potestate ; vel , etsi non possis vitare, saltim ad minus damnum adiuvisti , peccas, & ad restitutionem (si est in materia iustitiæ) teneris , vt diximus loco in argumento citato. Sed in casu posito poteras , & debebas avertere pœnitentem non solum à copula , sed à tactibus, & osculis , &c. ergo cum ad hoc provocas , & adiuvas , peccas , & vere solicitans es. Tertiò iuxta authores sententiæ contrariæ, Confessarius solicitatus ad sodomiam , si provocet ad copulam in vase naturali , peccat , & est vere ad turpia solicitans ; & ideo denuntian-

tiandus: ergo similiter, qui provocatus ad copulam, invitat ad tactus, & oscula, est vere solicitans, ac proinde denuntiandus. Vnde sicut in primo casu decreti pœnas luere debet, ita in secundò. ¶ Ex quibus patet ad argumenta contraria, maximè ad secundum, & tertium. Ad primum etiam patebit ex dicendis num. sequenti. Hanc sententiam docent Sanct. in select. disp. 11. num. 28. Leand. q. 21. Diana 4. part. tract. 5. resol. 13. & coordinatus tom. 7. tract. 9. resolut. 61.

Qui consentit pœnitenti solicitanti, iuxta aliquos non est denuntiandus.

41 Inquires quintò: An si confessarius solicitatus à pœnitente, consentiat solicitationi, sit denuntiandus? Negativam defendunt sententiam, tum Doctores citati numero trigesimo nono: tum Acuña tractatu de solicitatione, quæstione vndecima, numero septimo; & ibi Freitas numero vigesimo quarto. Bonacina de Obligatione denuntiandi disputatione sexta, puncto tertio, numero decimo septimo. Sanctius in selectis disputatione vndecima, numero vigesimo quinto. Homo bonus de Examine Ecclesiæ tomo 2. tractatu vndecimo, capite duodecimo, quæstione vigesima sexta. Perin. de Privilegis Minorum, tomo secundo constitutione quarta Gregorij XV. §. secundo, numero 2. Trullech numero quinquagesimo tertio. Sousa, Portelius in Additione ad dubia regularia, verbo *Solicitare fœminas*. Bordonius capite vigesimo tertio, quæstione decimo sexta, numero 74. Prado capite decimo, quæstione quarta, §. quarto. Et moventur, ex eo, quod in Bullis supra de hac materia citatis, tantum loquuntur Pontifices de Confessarijs solicitantibus: sed in casu præsentis dubij Confessor non est solicitans, sed solicitatus: ergo non comprehenditur sub prædictis decretis, ac proinde non est denunciandus. ¶ Præterea: pœnæ in dictis constitutionibus assignatæ tantum sunt latæ contra provocantes ad venerea, non vero contra committentes carnalia: sed talis Confessor non provocat ad venerea, sed tantum carnalia comittit: ergo luere nequit pœnas in Bullis assignatas.

Affirmativa sententia omnino post Bullam Gregor. XV. tenenda est.

42 Affirmativa vero sententia nobis arridet: quia licet contraria esset probabilis ante constitutionem Gregorij XV. tamen post illam vera non est: Cum prædictus Pontifex non solum in ea iubeat, esse denuntiandos, eos, qui solicitare, allicere, vel provocare ad illicita tentaverint; vt in suis decretis alij præcipiunt Pontifices: sed etiam addit, *esse denuntiandos, qui cum pœnitentibus illicitos, & inhonestos sermones, sivè tractatus habuerint*. At in præsenti casu, licet Confessarius non solicitet pœnitentes ad turpia, tamen ex eo, quod solicitationi consentiat, illicitos, & inhonestos sermones, sivè tractatus cum eis habet: ergo est denuntiandus. ¶ Ex quibus patet ad adversariorum argumenta, quæ solum tenere possunt respectu constitutionis Gregorij XV. non vero, si attendamus ad aliorum Pontificum decreta. Nostram resolutionem amplectuntur Paramus de Origine Inquisitionis, quæstione decima in fine. Diana prima parte, tractatu quinto, resolutione vndecima; & quarta parte tractatu quinto, resolutione quadragesima secunda: Et Coordinatus tomo quinto, tract. 9. resolutione quinquagesima sexta, & quinquagesima octava. Fagundez de Præceptis Ecclesiæ libro quarto, capite tertio, numero quinquagesimo sexto. Leander quæstione vigesima. Sousa de Solicitatione, tractatu primo, capite sexto, numero octavo. Trimarchius disputatione nona, sectione tertia. Escobar à Corro prima parte, quæstione tertia, numero quadragesimo quarto. Vnde ipse pœnitens tenetur denuntiare Confessarium sic consentientem: Imò etiam vrget præceptum, quando ad invicem pœnitens, & Confessarius se ipsos solicitant, de quo latius infra agendum nobis erit.

Qui dum ministrat, aut assistit alijs sacramentis, solicitat ad turpia, non est denuntiandus.

43 Inquires sextò: An sub pœnis huius decreti comprehendatur Confessarius, qui dum ministrat, vel assistit alijs sacramentis; vt, si assistat Matrimonio, vel administret Eucharistiam, aut Extremam-Vnctionem, &c. ad turpia solicitat? Respondetur negativè (dummodo inter dicta sacramenta administranda, non simulet, aut fingat Pœnitentiæ Sacramentum conferre.) Et ratio est: quia cum lex sit pœnalis, extendenda non est ad alios casus, quos ipsa non exprimit: cum ergo solum lata sit denuntiationis lex contra solicitantes ad turpia in confessione, seu Pœnitentiæ Sacramento, ad alia sacramenta non est extendenda. Ita defendunt Acuña quæstione decima septima, numero sexto. Freitas numero decimo. Sanctius numero quadragesimo secundo. Bonacina puncto tertio, numero septimo. Leander quæstione decima. Palaus puncto sexto, numero tertio. Diana quarta parte, tractatu quinto, resolutione decima sexta. Monet tamen Palaus, quod licet Inquisitoribus non sit in casu assignato denuntiandus, bene vero suis Prælatis, vt illum corrigant, quia non levem infert iniuriam sacramentis. Advertere etiam licet cum citatis DD. quod, sicut solicitare ad venerea in alijs sacramentis non subiacet assignatis pœnis; ita similiter non subiacet solicitare ad alia peccata in Sacramento Pœnitentiæ.

§. IV.

Qui casus comprehendantur sub his verbis decreti Gregor. XV. In actu sacramentalis confessionis, sivè ante, vel post immediatè, sivè occasione, vel prætextu confessionis etiam ipsa non sequta?

Quid significetur *In actu sacramentalis confessionis*.

44 POstquam explicuimus, quid nomine Confessarij solicitantis intelligatur, & quæ actiones turpes sub prædicto decreto comprehendantur, restat nunc agere, quando dicantur fieri in actu sacramentalis confessionis, vel ante, aut post illam immediatè, sivè illius prætextu? Triplicem continent partem verba proposita; & sic eodem ordine erunt actus ad eas pertinentes decidendi. Dicendum est primò: tunc fieri solicitationem ad turpia *in actu sacramentalis confessionis*, dum confessarius ad ea provocat, quando pœni-

nitens fua peccata incipit illi confiteri, ad hoc que accedit ad Confeſſorem paratum excipere fidelium confeſsiones; ſi enim tunc invitet ad turpia, abſdubio incurret pœnas decreti contra ſolicitantes expediti. Ita communiter DD. & ideo ab illis referendis abſtinemus.

Breviter aliqui caſus decidũntur, & ponitur prima illatio.

45 Ex quibus oritur primò: eſſe denuntiandum Confeſſarium, qui non abſolvens pœnitentem ex eo, quod deprehendat ad Sacramentum Pœnitentiæ indiſpoſitum accedere, eum tamen ad turpia ſolicitat. Et ratio eſt: tum, quia licet tunc ſacramentum non perficiatur, tamen accuſatio eſt in foro pœnitentiæ ſufficiens ad inducendam obligationem ſigilli. Tum etiam, quia Gregor. XV. ait eſſe denuntiandum ſolicitantem *occaſione confeſsionis, etiam ipſa confeſsione non ſequuta.* Ergo, cum hic ſolicitet in confeſsione, eſtò non ſequatur abſolutio, ſubiacet pœnis prædicti decreti. Ita Acuña tract. de ſolicitat. quæſt. 14. num. 10. & ibi Freitas, Sanctius diſp. 11. in ſelectis n. 41. Diana 4. part. tract. 5. reſol. 30. Et coordinatus tom. 5. tract. 9. reſol. 45. Hurtado tom. 1. tract. 4. cap. 8. reſol. 40. num. 442.

Secunda, & tertia illatio

46 Infertur ſecundò: ſimiliter denuntiandum eſſe Confeſſarium, qui ex eo, quod imprudenter pœnitens ſe accuſet habuiſſe animum peccandi cum illo, eum tunc ſolicitat; cum hoc ſit vere ſolicitare in actu ſacramentalis confeſsionis. Bon. punct. 3. citato, num. 17. Diana 4. part. tract. 5. reſol. 20. ¶ Infertur tertiò denuntiandum eſſe, quando pœnitens ſub ſigno crucis incipit confiteri, & à confeſſario interrumpitur, eum ad venerea ſolicitando. Nam tunc cenſetur facta ſolicitatio in actu confeſsionis. Trullench lib. 1. cap. 3. dubio 18. num. 67. Sanctius num. 49. Fagundez lib. 6. in Decalog. cap. 12. num. 16. & alij.

Quarta, & quinta illatio.

47 Infertur quartò: denunciandum eſſe, qui ſolicitat per verba conditionata; vt ſi dicat; *ſi locus permitteret, & ſacramento iniuria non inferretur, tibi animum meum explicarem.* Quia licet in hoc caſu videatur aliquomodo ſolicitationem ſuſpendi:at prædicta verba ſunt ſatis provocativa ad venerea, eiſque vult experire animum pœnitentis, & occaſionem proximam apponere, vt intentum declaret. Ita Eſcob. 2. part. quæſt. 1. num. 56. Hurtado reſolut. 41. num. 447.

Quæ ſolicitatio ſit *ante, vel poſt immediatè.*

48 Dicendum eſt ſecundò; quod licet ex decretis Pij V. & Clem. VIII. ſolum ſolicitans in actu ſacramentalis confeſsionis, eſſet denuntiandus: tamen ex conſtitutione Gregor. XV. denuntiandus eſt, qui pœnitentem ſolicitat *ſivè ante, ſivè poſt immediatè*, vt conſtat ex verbis illius, & ex decreto Inquiſitionis ſupra citato. Videatur Diana 1. part. tract. 4. reſol. 14. Et coordinatus tom. 7. tract. 9. reſol. 40. plurimos authores pro hac concluſione referens. Sed dubium eſt: quæ ſolicitatio erit *ante, vel poſt confeſsionem immediatè*? Reſpondetur, illam ſolicitationem dici factam immediatè ante, vel poſt confeſsionem, quando inter ſolicitationem, & confeſsionem nihil mediat, taliter quod nec Confeſſarius, nec pœnitens ad alia ſe divertant. Sic Paramus lib. 3. q. 10. num. 47. Freitas quæſt. 5. num. 20. Sanctius num. 49. Palaus tract. 4. diſp. 9. punct. 7. n. 2. Vnde ſi ad alios extraneos actus ſe divertant, non dicitur tunc immediatè ante, vel poſt ſolicitare, nec eſt denuntiandus.

Qui diſsimulat confeſsionem, vt ſolicitet, eſt denuntiandus.

49 Ex quibus ſequitur primò denuntiandum eſſe Confeſſarium, qui diſuadens confeſsionem pœnitentem accedentem ad confeſsionem provocat ad venerem: imò etiam ſi pœnitens dicat, ſe velle in craſtinum confiteri, & tunc occaſione huius dicti ad venerea tentet. Ratio primæ partis eſt; quia talis ſolicitatio aliquomodo eſt confeſsioni proxima, cum tantum ex iniqua, & prava voluntate Confeſſoris non ſit ſequuta confeſsio. Ratio vero ſecundæ eſt; tum ſimulatio confeſsionis; tum quia fit in Confeſſonario; ergo denuntiandus eſt. Ita Trullench num. 64. Diana part. 4. reſol. 6. 46. & 39. & coordina. tom. 5. tract. 9. reſolut. 42. 43. & 44. Leand. quæſt. 27. Fagundez lib. 6. in Decal. cap. 12. num. 16. Souſa de Solicitat. tract. 1. cap. 18. num. 6. Palao tract. 4. part. 7. num. 3. Eſto iſti duo authores negent ſecundam partem illationis: ſed immerito; quia licet denuntiatio tunc fieri non debeat, ex eo, quod talis ſolicitatio non eſt immediata, bene vero, quia eſt, & in Confeſſonario, & ſimulando confeſsionem. Quæ doctrina extenditur à citatis DD. quando filiam confeſsionis, ſibi ex antecedentibus notam, ante ſignum crucis Confeſſor præoccupat, eam ſolicitando; quia in hoc caſu militant rationes ſupra poſitæ, vt intuenti conſtabit.

Qui immediatè ad confeſsioné puerũ ducit ad cubiculum, & ſolicitat, eſt denuntiandus.

50 Sequitur ſecundò; denuntiandum eſſe Confeſſarium, qui immediatè poſt confeſsionem ducit puerum ad cubiculum, vt chirographum confeſsionis tradat, & ibi eum ad venerea provocat. Et ratio eſt, quia hic caſus ratione dependentiæ includit confeſsionem, ſicut diximus de eo, qui fœminæ imponit pœnitentiam, vt ab ipſo domi nuda verberetur, & ad domum perveniens manu propria, aut ſcutica ab eo vapulet: vel ſi Confeſſarius ſuadet pœnitentem, vt ipſi verenda domi oſtendat, quæ ex confeſsione ſcit eſſe morbo affecta: ergo, ſicut in his caſibus, ratione dependentiæ, dicitur fieri ſolicitatio in confeſsione, aut immediatè ad illam; ſic ſimiliter dicendum eſt in caſu præſenti. Ita Souſa in Aphoriſm. Inquiſit. lib. 1. cap. 34. num. 39. Dian. part. 4. tract. 5. reſol. 11. & coordinatus tom. 5. tract. 9. reſol. 81. & Leand. quæſt. 35. tract. 5. de Pœnitent. diſp. 13.

Sed quid de ſequenti pœnitentem, & in itinere, aut domi ſolicitat?

51 Sed difficultas in hac parte non levis eſt: An ſit denuntiandus, qui audita pœnitentis confeſsione, & ex ea agnoſcens incidiſſe in aliqua peccata ſenſualia, inſequens illum, in itinere, aut domi ſolicitat? Affirmativam ſententiam docent Perinus in Privileg. Minorum tom. 2. conſtit. 4. Gregor. XV. ſchol. 2. num. 2. N. Lezan. quæſt. regular. cap. 19. n. 34. & apud ipſos Graffis. Et moventur: quia in hoc caſu talis ſolicitatio fit occaſione confeſsionis, ergo comprehenditur ſub prædicto decreto. ¶ Sed verius dicendum eſt, non eſſe denuntiandum: quia talis ſolicitatio non eſt immediatè poſt confeſsionem; nam, vt diximus num. 48. tunc immediatè ad confeſsionem fit ſolicitatio, quando inter ſolicitationem, & confeſsionem nihil aliud mediat: ſeu quando Confeſſarius, & pœnitens ad alios actus non ſe di-

diverterint; sed hic datur diversio ad alios actus: ergo non fit immediatè ad confessionem talis solicitatio. Ita Trullench num. 63. Sousa loco citato, lib.1. cap. 34. num. 33. & de solicitatione, cap.18. num.9. Leand.q.28. Sanctius num.49. Diana 1.part. tract. 4. resolut.14. Qui ex Acuña de solicitatione quæst.5. num.15. docet idem dicendum esse, quando post confessionem missis litteris amatorijs lenocinijs,& instrumentis,solicitat pœnitentem; modo litteræ non dentur immediatè proximè ad confessionem, vt bene advertit Trullench num. 63. ¶ Nec obest ratio pro contraria sententia allata; quia licet tunc vtatur notitia habita in confessione, non tamen prætextu, & occasione illius, quod damnatur in prædicto decreto.

Quid sit *solicitare occasione, vel prætextu confessionis?*

52 Dicendum est tertiò: quod si Confessarius solicitet pœnitentem *Prætextu, aut occasione confessionis etiam ipsa non sequuta*, debet inquisitoribus denuntiari, vt patet ex verbis constitutionis Gregor. XV. citatæ. ¶ Sed hic quæres, quid sit *solicitare occasione, & prætextu confessionis?* Respondetur breviter, quod tunc aliquis solicitat *occasione confessionis*, quando rogatus Confessarius, vt audiat confessionem, ipse divertit pœnitentem, & in aliud tempus confessionem differt; & hac occasione data, & Confessione postposita, ad venerem provocat: *Prætextu vero illius*, dicitur solicitare, quando sub velamine eius, quod vel non est, aut nec principaliter intenditur, ipse confessarius invitat ad venerem. *Prætexere* enim est vnum agere, & aliud omnino diversum exterius ostendere: vt constat ex leg. *Sub prætextu in cap. de transaction.* Gonçalez in Reg. 8. Cancell. Glossa 57. num. 2. Videatur Bordonius tom. 1. cap. 23. num. 38. Sed pro maiori intelligentia horum verborum constitutionis Gregor. XV.

Iuxta aliquos non est denuntiandus, qui consentit solicitationi mulieris se ægrotam fingentis.

53 Rogabis primò: An sit denuntiandus Confessarius, quando consentit solicitationi factæ à muliere, quæ illius amore capta, fingens se esse ægrotam, eum ad se confitendum vocat, & solicitat, minans vociferaturam, affirmando, si non consentit, sibi iniuriam velle inferre? Affirmant aliqui: quia hic consentit solicitationi, vel in confessione, vel proximè ad illam, vel saltim prætextu confessionis: ergo est denuntiandus. Deinde; quia metus infamiæ non tollit, quod voluntariè consentiat solicitationi, vt docet D.Thom. 1.2. q. 6. art.6. & habetur in lege *Si mulier*, §. *Si metus coactus*, *ff. de ea quod metus causa*. Ergo voluntariè iniuriam facit Sacramento,eo abutendo. ¶ Vltimò: nullus metus obligans ad committendum mortale, est cadens in virum constantem; & ideò D. Thom. in 4. distinct. 29. quæst. vnica, artic. 2. docet peccatum veniale non esse malum, quod eligi potest à viro constanti, quæcumque causa metus occurrat: ergo ex ratione metus non potest consensus in solicitationem, tam quo ad culpam, vt supponitur, quàm quo ad pœnam, honestari.

Sub distinctione respondetur quæstioni.

54 Sed huic quæstioni distinctione respondendum est: nam, vel Confessarius consentit, confessione iam incepta, aut non? Si primum, denuntiandus est; quia, vt diximus num. 41. iam tunc confessarius habet cum pœnitente inhonestos sermones, & sic iniuram infert sacramento: ergo pœnam constitutionis Gregor. XV. incurrit. Videantur ibi dicta, & Authores citati. ¶ Si secundum; non est denuntiandus; quoniam in tali casu nulla fit iniuria Penitentiæ Sacramento, cum non sit inceptum, nec adsit prætextus confessionis ex parte Confessoris, qui specialiter intenditur à Pontifice prohiberi, & esto metus incursus non sit cadens in virum constantem respectu consensus in peccatum venereum, bene vero, iuxta aliquos DD. (de quo infra num. 76. latius dicemus) ad effugiendas pœnas contra solicitantes latas; cum amissio famæ res gravissima sit, maximè, quando est circa materiam, de qua agimus. Per quod patet ad obiecta. Sic docet Trullench dub. 18. citat. num. 53. Diana 4.part. tract. 5. resol. 15. Sanctius disp. 11. num. 30. Perinnus tom. 2. citato constitut. 4. Gregor. XV. §. 3. num. 9. Leander tract. 5. disp. 13. quæst. 23. N. Valentinus tract. 2. cap. 8. num. 335. Sousa tract. 1. de Solicitat. cap. 17 num. 9. Escobar 1.part. quæst. 2. §. 48. Thomàs Hurtado tom. 1. resolution. moral. tract. 4. resol. 37. num. 416. & alij.

Quænam notanda.

55 Nota vero, quod si ambo conveniant, ad venerea domi agenda, & vt liberius hæc faciant, fœmina vocat Confessarium sub titulo confessionis, vt sic citius, & libentius Prælatus ei licentiam exeundi concedat; credimus tunc non esse denuntiandum; quia ibi non adest prætextus confessionis, sed potius conventio solicitationis mutuæ extra confessionem ad turpia patranda. Ita contra Sanchez num.68. Diana part.4. tract.5. resolut. 37. & coordinatus loco citato, resol. 41. Sed dicta vera sunt, dummodo hæc non fiant sub confessionis figura ad domesticos illudendos; quia tunc simulatio confessionis sufficit ad incurrendas prædictæ constitutionis pœnas vt ex Freitas quæst. 15. num. 44. notat bene ipse Diana. Videantur etiam Sousa in additione ad opus solicitationis, num. 13. pag. mihi 1265. & Leand. quæst. 23. & 24. tract. 5. citati.

Qui sub prætextu confessionis solicitat, est denuntiandus.

56 Rogabis secundò: An qui sub prætextu confessionis solicitat pœnitentem, sit denuntiandus casu, quo non sequatur confessio? Videtur hoc negare Portelius in addition. ad dubia regularia, verbo *Solicitare fœminas*. Quia hic non infert iniuriam sacramento. ¶ Sed affirmativè respondendum est, cum expressè hic casus contineatur sub verbis decreti Gregor.XV.dicentis esse denuntiandum, qui solicitat *sub prætextu confessionis, etiam ipsa non sequuta*. Trullench num.64. Fagundez lib.6. in Decalog. cap. 12. num.16. Diana 4.part. tract.5. resolut. 30. & etiam in 1.part. tract.4.res.13.

***

§. V.

§. V.

Quid prohibeatur per verba illa: *Extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo simulantes ibidem confessiones audire?*

57 DIcendum est, his verbis prohiberi, solicitare ad turpia in Confessionario, aut in loco quocumque ad confessiones electo, si ibi simuletur, confessionem sacramentalem audiri: vnde qui hoc modo ad venerea quamcumque personam provocat, denuntiandus est. Sed pro maiori intelligentia.

Qui solicitat in Confessionario, si mulando cõfessioné audire, debet denuntiari.

Rogabis primò: An si pœnitens, sine vllo ordine ad confessionem, loquatur in Confessionario de varijs rebus, & interim solicitetur à Confessario, debeat illum denuntiare? Respondetur affirmativè; & ratio est, quia tunc Confessor solicitat in *Confessionario*, etiam si sit *extra occasionem confessionis*, vt ait Summus Pontifex, eam tamen simulando: ergo est denuntiandus. Ita Diana 1. part. tract. 4. res. 18. & coordinatus loc. cit. res. 38. Leand. quæst. 32. Trullench num. 73. Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 8. num. 4. qui advertit bene, & ex eo Trullench, quod si Confessarius tractet de rebus inhonestis in Confessionario cum pœnitente, non tamen simulando confessionem audire, vt si sit extra occasionem confessionis, alloquendo illum sedentem, aut stantem, in hoc casu non est denuntiandus; quia S. Pontifex in dicto decreto petit ad hoc, vt Confessarius denuntietur, non solum quod pœnitentem in Confessionario solicitet, sed insuper addit, debere hoc fieri simulando confessionem: cum ergo confessionem non simulet, sequitur quod non subiaceat pœnis huius decreti, seu dictæ constitutionis, ac proinde non est denuntiandus. Idem docet Leand. quæst. 31. Freitas quæst. 15. num. 49. Fagund. lib. 6. in Decal. cap. 12. num. 19. N. Lezana Sum. Quæst. regular. cap. 19. num. 34.

Præoccupatur quædam replica.

58 Nec obstat decretum quoddam Pauli V. expeditum feria quinta, die decima Iulij anno millesimo sexcentesimo decimo quarto, in quo dicitur, quod *facta relatione, quod multi Confessarij tractent cum mulieribus in Confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis: Sanctissimus decrevit, vt contra huiusmodi Confessarios procedatur in Sancto Officio.* Quia tale decretum, vt ait Sanctius num. 66. vel est idem ac Greg. XV. vel illud reducit ad terminos simulationis: quare, si non simulent Confessarij auscultare confessiones, hoc est, genua flectendo pœnitente, & Confessario (vt communiter evenit) sedente, non subiacent dicti decreti pœnis, & si de inhonestis eorum sermo sit.

Qui consentit ob metũ fœminæ in Confessionario solicitantis est denuntiandus.

59 Rogabis secundò: An si fœmina Confessarium solicitet ad turpia in confessionario, & ille consentiat, quia metum incutit, quod, si non consentiat, eum accusatura sit Inquisitoribus, sit denuntiandus? Negat Thom. Hurt. tract. 4. cap. 8. res. 37. num. 417. Et movetur, quia iste timore gravi perterritus consentit solicitationi: ergo non est denuntiandus; cum lex Ecclesiastica, quale est decretum de denuntiandis solicitantibus, non debeat obligare cum timore gravi. ¶ At contrarium est tenendum cum Escob. 1. part. quæst. 2. n. 42. & 3. part. quæst. 5. §. 6. à num. 2. & ratio est: quia talis metus incusus non cadit in virum constantem, cum potius sint mulierculares minæ, quæ sicut fumus evanescunt: ergo illis prudenter timendum non est. Deinde, quia Domini Inquisitores, ex quo denuntiet hæc, aut illa muliercula Confessarium, non statim ei credunt (vt ait Perin. tom. 2. const. 4. Greg. XV. num. 4. pag. mihi, 349.) sed mature rem, vt par est, examinant; & nisi sufficientem, & plenam delicti probationem habeant, eum non apprehendunt: ergo his, & similibus mulierbribus minis prudenter timendum non est.

Quando vterque ex conventione simulando confessionem, de inhonestis tractant in cõfessione, pœnas decreti non incurre re, aliqui dicunt.

60 Rogabis tertiò: An si Confessarius, & pœnitens conveniant in simulatione confessionis, vt ibi libentius inhonestos sermones habeant, subiaceant pœnis dicti decreti? Negativè respondet Palaus punct. 8. n. 2. Et ratio est: tum, quia obligatio denuntiandi tunc non competit Confessario, vt constat ex dictis, nec pœnitenti, alias deberet se ipsum denuntiare. Tum etiam, quoniam hæc solicitatio est mutua, ergo vterque in illam consentit, & ideo nulli incumbit obligatio denuntiandi. Advertit tamen ex Sanctio num. 5. nunc graviter peccare vtrumque adversus religionem debitam Sacramento, quod quidem exigit, vt pœnitens supplex ad pedes Confessarij, detecto capite, & flexis genibus, accedat pro venia peccatorum consequenda: qui ergo ibi hanc ceremoniam venereæ locutioni exhibet, & arrogat, Sacramentum graviter lædit, cum illius prætextu adeò immane scelus committat, & ita contra Religionem peccat.

Verius est oppositum.

61 Sed affirmativè quæstioni propositæ est respondendum: quia esto ambo conveniant in simulando confessionem, hoc non tollit, quod Confessarius vere sit solicitans, loquens inhonestos sermones in Confessionario, simulando confessionem; sed hoc est, quod prohibetur verbis decreti Gregorij XV. ergo denuntiandis est talis Confessor. ¶ Nec obstat, quod tunc denuntiaret pœnitens se ipsum: nam bene potest denuntiare Confessarium, se non manifestando, sed dicendo tantum actus, ac verba venerea, quibus illum Confessor provocavit, vt docent Bonac. disp. 6. cit. punct. 3. num. 10. Perin. tom. 2. const. 4. Greg. XV. §. 3. num. 12. & alij. Et si ratio contraria probaret, numquam Confessarius consentiens solicitationi, esset denuntiandus, quod aperte falsum est, vt constat ex dictis n. 51. ergo, &c. Sic docent Sanct. q. 35. n. 5. Dian. 4. part. tr. 5. res. 10. & coordinatus tom. 5. tr. 9 res. 39. Sous. in Aphorism. Inquisit. lib. 9. cap. 34. n. 42. & alij: sed de hoc latius in puncto sequenti.

PUNCT. IV.

Qui teneantur ad denuntiationem Confessarij solicitantis; & quas ob causas aliqui ab ea eximantur?

62 DUplicem partem continet propositum dubium; & ideo duplici etiam §. decidendum: in quorum primò resolvemus, qui ad denuntiandum sint obligati; in secundò vero, qui ab hac obligatione excusentur.

§. I.

Resolvitur, qui teneantur denuntiare?

Decreta circa obligationem denuntiãdi solicitantes.

63 POstquam puncto antecedenti vidimus, quando Confessarius sit vere solicitans, ac proinde Inquisitoribus denuntiandus: hic oportet explicare, qui teneantur ad illum denuntiandum. Pro quo dicendum est, ex constit. Greg. XV. omnes pœnitentes solicitatos à Confessarijs, teneri eos denuntiare, & insuper Confessarios debere illos de hac obligatione monere; & si secus fecerint, ab Inquisitoribus puniri possunt. Sed audiamus Summum Pontif. *Mandantes* (ait) *omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab alijs, vt supra, solicitatos, moneant de obligatione denuntiandi solicitantes, seu vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs prædictis, quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, vt supra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.* Vnde ex vi huius constitutionis, & si non adesset decretum Inquisitionis, tenerentur pœnitentes solicitantes Confessarios denuntiare Inquisitoribus, non vero Ordinarijs vt diximus supra n. 21. ¶ Id etiam constat, tum ex decreto Inquisitionis Hispaniæ publicato anno 1633. die vigesima nona Octobris, quod singulis annis ex mandato ipsius S. Inquisitionis legitur in diectis, seu capitulis regularium feria sexta infraoctavam Assumpt. B. V. Mariæ.

Inquisitionis Hispaniæ decretum.

64 Quod quidem etiam constat ex alio S. Inquisitionis decreto lingua vulgari edicto, in quo sequentia habes verba: *Mandamos à qualquiera persona, que supiere, ò huviere oìdo dezir, que algun Confessor, ò Confessores, Clerigos, ò Religiosos, de qualquier estado, y condicion, que sean, en el acto de la Confession, ò proximamente à ella, ayan solicitado à sus hijas de confession, ò provocandolas, ò induciendolas con hechos, ò palabras para actos torpes, y deshonestos, sin comunicarlo con persona alguna, venga, y parezca ante el Tribunal de los Inquisidores, ò ante su Comissario, à dezirlo, y manifestarlo dentro de seis dias. Y assimismo mandamos, y prohibimos so la dicha pena, à todos, y qualesquiera Confessores, Clerigos, ò Religiosos, que no absuelban à persona alguna, que cerca de lo susodicho estè culpada, ò no huviere dicho, ò manifestado en el Santo Oficio lo que de ello supiere, ò huviere oìdo dezir, antes le remitan ante Nos, &c.* Ex quibus constat obligatio pœnitentis ad denuntiandum; & Confessarij ad eos de hac obligatione monendum. Sed pro maiori intelligentia.

Fœmina cõsentiens nõ debet iuxta aliquos denuntiare.

65 Rogabis primò: An fœmina, v. g. teneatur denuntiare Confessarium solicitantem, quando etiam ipsa consentit? Negant non contemnendi DD. & moventur: quia nemo tenetur, se ipsum denuntiare: sed si denuntiat Confessarium, se ipsam tunc casus denuntiat, cum fateretur Confessor requisitus ab Inquisitoribus, se crimen, ipsa muliere non repugnante, sed consentiente, commisisse: ergo illum non tenetur denuntiare. Deinde: pœnitens tenetur, tacere peccatum, aut circunstantiam illius, si ex ea Confessarius veniat in complicis cognitionem, qui apud illum bonam famam, aut existimationem amittet, vt docent graves DD. quos citavimus tract. 6. cap. 8. punct. 5. num. 127. sed maior est obligatio integritatis confessionis, quam præcepti denuntiandi: ergo, si in primò casu debet tacere pœnitens complicem peccati, etiam in secundò. Ita Suar. tract. de Fide, disp. 20. sect. 4. n. 18. referens Pegnam, & Simancas. Idem tenent Melaga in 1. part. lib. 1. cap. 5. n. 30. Portel in Addit. ad dub. reg. verb. *Denuntiatio*, num. 10.

Verius est oppositum: imò & si ipsa solicitet.

66 Sed probabilius affirmant alij. Primò, quia lex iusta, obligat, quando adimpleri potest sine iactura propriæ famæ; sed præceptum denuntiandi est lex iuxta, potestque adimpleri sine amissione propriæ famæ; cum possit mulier Confessarij culpam manifestare, occultando propriam: ergo ad id obligat tale decretum. ¶ Secundò: ante consensum fœmina tenetur denuntiare Confessarium solicitantem: ergo & post illum, alias commodum ex delicto reportaret. ¶ Tertiò: bonum commune præponderat particulari; sed, nisi hoc immane crimen denuntietur, periclitatur bonum commune Religionis, & fidei, cum hoc vitium contra illum sit: ergo; & si adsit aliquod famæ detrimentum, quod erit leve, à denuntiando non excusatur. ¶ Quartò. Confessarius solicitans non debet ab Inquisitoribus de socio criminis interrogari; nec, etsi ipse illum manifestet, in actis scribi; cum eius cognitio ad Inquisitionis Tribunal non attineat; nec in hoc credendus est, quia forte id facit ad iudicium evadendum, vel pœnam minuendam: ergo est omni capite fœminæ denuntiantis infamia minuitur, & præcavetur, & consequenter denuntiare tenetur.

Argumentis fit satis.

67 Per quod patet ad primum argumentum. Ad secundum negatur assumptum maioris, vt probavimus loco citato, num. 128. quare paritas nihil convincit. Nostram resolutionem docent Acuña quæst. 10. num. 5. & ibi Freitas num. 3. Bonac. disp. 6. cit. punct. 3. num. 10. Perin. tom. 2. super constitut. 4. Greg. XV. num. 12. pag. mihi, 359. Trullench lib. 1. Decalog. cap. 3. dub. 18. num. 35. Diana 4. part. tract. 5. resol. 31. Triman de Confes-

so-

sore abutente disp.4. sect.6. num. 59. afferens decretum Vrbani Octavi, pro hac sententia editum. Et esse S. Inquisitionis praxim docet Prado cap. 10. quæst. 3. num. 3. cum Carena part. 2. tract. 2. §. 20. numer. 112. Imò & debere pœnitentem ob eamdem rationem denuntiare confessarium, etsi ad invicem se solicitent, docent Sousa in Aphorismis lib. 1. cap.34 num.11. Freitas de Solicitation. q.11. num.35. Diana 4.part. resol.14. & coordinatus tom.5. tract.9. resolut.62. Leander q. 22. contra Palaum, & alios.

Explicatur, qui solicitationem sciétes, debeant denuntiare?

68 Rogabis Secundò: An quilibet alius, etsi solicitatus non sit, teneatur denuntiare Confessarium solicitantem, si id certo sciat? Respondetur affirmativè: idque constat ex S. Inquisitionis decreto novissimè edito, vbi inter alia ad nostrum intentum habentur hæc verba num.9. manifesteis, &c. *O si sabeis, que algun Confessor, ò Confessores, en el acto de la confession, ò proximamente a ella, ò en los confessonarios, ò lugares diputados, aunque no se siga la confession, ayan solicitado à sus hijas de confession, provocandolas, ò induciendolas con hechos, ò palabras torpes, y deshonestas.* Et huiusmodi decretum, alijs rebus ad S.Inquisitionis Tribunal pertinentibus relatis conducit sequentibus verbis: *Por ende por el tenor de la presente amonestamos, exortamos, y requirimos en virtud de Santa Obediencia, mandamos so pena de excommunion maior latæ sententiæ (trina canonica monitione præmissa) à todos, y qualesquiera de vos, que supieredes, ò huvieredes hecho, visto, ò oido dezir, que alguna persona aya hecho, dicho, tenido, y afirmado algunas cosas de las arriba dichas, ù otra qualquiera, que sea, ò parezca ser contra Nuestra Santa Feè catholica, y lo que tiene, predica, y enseña N. S. Madre Iglesia Romana, assi de vivos presentes, ò ausentes, como de difuntos; vengais, y parezcais ante nos personalmente; ò ante nuestros Comissarios, Calificadores, ò Ministros del S. Oficio, (y donde no los huviere, ante los Curas de vuestras Parroquias, para que nos lo hagan saber, y demos la providencia conveniente) à dezirlo, y manifestarlo dentro de seis dias primeros siguientes, despues que esta nuestra Carta fuere publicada, ò como de ella supieredes en qualquier manera; con apercibimiento, que passado dicho termino, y no cumpliendo lo susodicho; demàs que avreis incurrido en las dichas penas, y censuras, procederemos contra los que rebeldes, è inobedientes fueredes, como contra personas, que malicioſamente callan, y encubren las dichas cosas, y sienten mal de nuestra Santa Feè Catholica, y censuras de la Iglesia.* Simile decretum referunt Trullench dub. 18. num. 13. & Palaus tract.4. disp.9. part.1. num.10. Ex quibus sequitur omnes etiam ante pubertatis annos, si sint doli capaces, huius criminis notitiam habentes, teneri intra sex dies illud Inquisitoribus denuntiare. Ita Suarez de Censuris disp. 20. sect.1. num.14. Acuña quæst.21. Hurtad. resolut.19. num.4. Diana 10.part. tract.5.resol. 41. Trullench num.14.

Decretum Inquisitionis

69 Sed nota primò, quod si aliquis id sciat, aut audierit à fœminis levibus, & fide indignis, non tenetur illud denuntiare, cum evidenti periculo se exponat proximum infamandi. Sic Navarr. in Manuali cap.25. n. 46. Corduv. in Summ. quæst.64. casu 6. Sayrus in Clavi Regia lib. 12. cap. 14. num. 33. Lesius lib.2. cap 30. dub.6.num.7.Fagundez de Præceptis Ecclesiæ lib. 4. cap. 3. num. 31. & alij, quos tomo 2. tract.10. cap.4. punct.1. n.15. citavimus: ¶ Nota secundò, quod sex dies assignati pro termino obligationis, numerantur non à die publicationis, sed à die immediatè sequenti ab eademque hora. Henriquez lib. 3. cap. 18. num. 6. Trullench loco citato. Diana 4.part. tract. 5. resol. 41. Sed hæc extendenda sunt ad fœminam solicitatam, ignaram tamen edicti Inquisitionis, quæ postquam illius haberet notitiam, non tenetur ad denuntiandum, nisi post sex dies. Ita Suar. Trullench, Enriquez, Filliuc. Saà, & alij citati à Leand. quæst.55. Adverte tamen, quod, si post sex dies, debet iter agere ad locum, vbi denuntiare non potest, tenetur antea id facere, si adsit oportunitas; cum iam à primo die instet præceptum denuntiandi. Sic Sanchez num.60. Leand. quæst.60. Diana part. 4. tract.5. resolut.29. alios plures referens. ¶ Nota tertiò, quod, qui intra sex dies à notitia prædicti decreti denuntiare omittit, mortaliter delinquit, & in excommunicationem incidit, à qua absolvendus non est, quousque denuntiet; quia terminus sex dierum non assignatur ad finiendam obligationem, sed ne vlterius protendatur; quare, si non denuntiet, cum possit, ac teneatur, indispositus accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ. Navarr. lib. 5. consil. tit. de hæresi, constit.3.num.2. Acuña quæst.21.n.6. Sousa de Solicit. tract.2. cap.20. num.5. & 6. Sanctius disp.11. num.59.

Qui delictũ solicitationis scit à fœminis levibus, & alijs subiectis fide indignis, nõ tenetur denuntiare.

70 Sed hic licet advertere, quod ab hac excommunicatione nemo, etiam Regularis, potest virtute Privilegiorum, Bullæ, aut Iubilæi fœminam solicitatam absolvere, nisi prius denuntiet, aut parata sit denuntiare. Et ratio est, quia hæc censura est lata ab homine, sed ab hac nullus Regularis potest aliquem absolvere, nisi satisfacta parte, aut paratus sit satisfacere: ergo nisi solicitatus denuntiet, aut paratus sit denuntiare, quod est satisfacere parti, non potest à censura absolvi. Ita Thomàs Hurtado tract.4.cap.6. resol.9.Prado cap.10. quæst.5. num. 6. Emman. Rodriguez tom. 2. quæst. 26. artic. 1. dixi: *Aut paratus sit satisfacere*: quia potest adesse causa iusta differendi denuntiationem, vt si longè distet Tribunal Inquisitionis, aut aliquis eius minister, vel sit necessitas Eucharistiam recipiendi, vel ob vitandum scandalum, aut iubilæum lucrandum; tunc enim si est persona fidedigna, & timoratæ conscientiæ, firmiterque denuntiaturam, occasione data, proponat, potest à peccatis, & censura incursa virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius privilegij absolvi. Ita Sanch. lib. 2. Sum. cap. 13. à num. 17. Sanctius in Selectis disp. 11. num.62. & 63. Suar. de Censur. disput 7.sect.5. à num.38. Trimanchius de Confessore abutente disp.14. sect.7. Leand. q. 49. videantur etiam à nobis dicta tom.2.tract.10. cap.2. punct.7. num.91. & tom. 4. tract. 18.

Quando possit pœnitens ab excommunicatione ob omissam denuntiationé absolvi.

cap.4. punct. 2. num. 122. vbi vltra prædicta addidimus confessarium solicitantem posse à quovis regulari virtute nostrorum privilegiorum absolvi.

Quædam notanda.

71 Sed animadvertendum in præsenti est, traditam doctrinam extendere etiam DD. citatos ad casum, in quo obligatio denuntiandi est omnino extincta, vt si vel iam denuntiavit, aut denuntiandus mortuus est; tunc enim dicunt posse virtute Bullæ, aut Privilegiorum à censura absolvi. Quod etiam tenent respectu privilegij Crutiatæ, Trullench in prædictam Bullam dub.9.num.9.& 10.Acuña q.21. num.9. & 31. Sanct. num.64. Sed hæc doctrina non est vera, quando denuntiandus iam mortuus est; cum Edictum supra num.6. citatum, expresse iubeat etiam mortuos denuntiare. ¶ Notandum est etiam, non teneri fœminam, quando solicitantem denuntiat, dicere Inquisitoribus, se fuisse negligentem in denuntiando; quia hoc necessarium non est, ad denuntiationis finem; nec similiter cogere eam possunt Inquisitores ad sacramentalem confessionem; cum hoc sit extra eorum iurisdictionem. Sic cit. DD.

Secundum aliquos non est denuntiandus, qui hoc delictũ solicitationis commisit apud infidelium terras.

72 Rogabis tertiò: An siquis fuit solicitatus apud infidelium terras, debeat denuntiare Confessarium, dum ad fidelium regna pervenerit? Negare videntur omnes, qui docent, leges pontificias non obligare, vbi publicatæ, & sufficienter promulgatæ non sunt, quos dedimus tract.11. cap. 1. punct. 6. num. 84. sed in regnis infidelium talis lex promulgata non fuit: ergo ibi non obligat decretum, de quo loquimur. ¶ Sed tenendum est, pœnitentem debere, illum intra 6. dies ab edicto assignatos denuntiare. Tum, quia, vt loco citato diximus, probabilius est, prædictas leges statim obligare, ac in Curia Romana publicantur: tum etiam, quia talis confessor est suspectus in fide, vt supra manet probatum; sed suspectum in fide, sicut & Hæreticum, quilibet tenetur Inquisitoribus denuntiare, quando commodè potest: ergo in terris infidelium solicitantem debet solicitatus denuntiare, quando ad fidelium regna pervenit. Dian. 3. part. tract.5. resolut.95. Hurtado tract.4.cap.8.resolut.50. & alij.

Quid dicendum de eo, qui semel ob solicitationem est punitus.

73 Rogabis quartò: An Confessarium convinctum, & iam punitum, teneatur pœnitens, qui non denuntiavit, ob solicitationem præteritam denuntiare? Supponimus, quod, si postquam punitus est à S. Inquisitione, iterum solicitat, est denuntiandus; cum hoc sit novum, & attrocius crimen, signum que evidens, quod male de Sacramentis sentiat. Ita communiter DD. Quare dubium tantum est de solicitatione ante primam denuntiationem; in quo etiam casu, si de tali solicitatione non fuit plene convictus, etiam debet illum denuntiare: tum, quia non censetur sufficienter punitus ab Inquisitoribus, cum multiplicatæ solicitationes debeant, gravioribus pœnis puniri: & Promotor Fiscalis ius habet procedendi contra prædictum Confessorem, quod non cessat per illam sententiam, sed potius repetitur adveniente nova probatione, cum sit in rebus fidei: vt docent Pegna 3.part.Direct. comm. 92. Farinac. de Hæretic. quæst. 185. §. 13. num.197. ¶ Vnde difficultas est: An si pro vna solicitatione fuit sufficienter ab Inquisitoribus punitus, sit denuntiandus pro alia, quam ante talem punitionem cum altera fœmina, aut cum eadem comisit? Negat Acuña quæst. 21. num. 34. Seraphin. ad q. 3. Ioan. Sanct. in Select. disp.11. num.52. quorum fundamentum est, quia Confessarius emendatus non est denuntiandus; sed in casu posito censetur emendatus, cum iam abiuraverit de levi: ergo denuntiandus non est: quod probabile reputat, nec impugnat Sousa tract. 2. cap.20. num.12. & expresse tenet Thomàs Hurtado resol.48. n.600. & Leander q.47.

Denuntiandus est ille, qui semel, aut diversis vicibus ob solicitationem est punitus.

74 Sed hoc non obstante, dicendum est, pœnitentem teneri illum denuntiare: Tum, quia nulla est ratio, quare ob denuntiationem Mariæ, quæ solicitata fuit, excusetur Antonia, etiam solicitata, à denuntiando; cum sint diversæ solicitationes, & pro qualibet sit præceptum impositum: Tum etiam, quia, quod Confessor emendatus non sit denuntiandus, nobis infra improbabitur; ergo multo magis, quando tantum præsumitur emendatus. Denique, quia punitus in causa hæresis, adveniente nova probatione, iterum puniendus est, vt præter Farinacium, & Pegnam num.antecedenti citatos, tenet Roxas 2. part. de hæretici, assert. 49. num. 384. sed in casu posito adest in causa suspitionis hæresis nova probatio; ergo denuntiandus, & puniendus est. At solum sententiam contrariam iudicamus veram, quando in prima denuntiatione Mariæ fuit convictus, & etiam punitus ob solicitationem Antoniæ factam; quia res iudicata regulariter in iudicium revocari non solet. Nobiscum sentiunt Bonacin. tom. 1. disp. 6. de obligatione denunt. punct.3.num.15. Trullench dub.18. cit. num. 31. & Diana 4. part. tract. 5. resol.49. (& coordinatus tom.5. tr.9. resol. 31. concludit dicendo, se nunc Bonacinam sequi; quidquid alibi dixerit) Bordon. tom.1. cap.23. num.102. & alij.

Iuxta aliquos solicitans emendatus, non est denuntiandus.

75 Rogabis quintò: An teneatur pœnitens denuntiare Confessarium solicitantem, si scit esse emendatum? Negant plurimi DD. primò ex eo, quod finis denuntiationis est emendatio proximi: ergo, si solicitans emendatus est, non erit denuntiandus. ¶ Secundò: ius positivum humanum nequit prævalere contra ius naturale, & evangelicum; sed omnis denuntiatio de crimine occulto ex iure naturali, & evangelico principaliter instituta est ad fratris emendam; vt docet D. Thom. 2. 2. art. 2. & 7.in corpore, & ad 5.ergo ius positivum nequit eam instituere, vt respiciat principaliter punitionem, invertendo ordinem naturalem illius: tunc sic: sed cessante fine adæquato, & principali cuiuscumque legis, cessat eius obligatio: ergo cum finis denuntiationis cesset post fratris emendam, etiam denuntiandi obligatio cessare debet. ¶ Tertiò: Crimen occultum, vel debet denuntiari ob vitandum damnum imminens bono communi, vel particulari; sed solicitante emendato, nec bonum commune, nec particulare patietur aliquod damnum; vt ex se constat: ergo non de-

debet tunc fieri denuntiatio. Ita Sotus de Iustit.& Iure,quæst.5. art.1.Petr.Ledesm.2.part. Summæ, tr.4. cap.4. concl.24. Sanct.disp.11. num. 51. N. Lezan. in Sum. Quæst.regul. cap. 16. num.34. Lugo de Iustitia, disp.38. sect.2. num.19. Fagund.de Præcept. Ecclesiæ, lib.4. cap.3. num.90. Perin. tom.2. constit.4.Greg. XV. §.6. num.31. Trimanch.disp.12. sect.3. n.18. Lupus in Edict.Inquisit. lib.2.distinct.3. artic.2. difficult. 2. & lib.5. distinct. 4. art. 1. difficult.1. Sousa tract.2. de solicitatione,cap. 6. num. 16. Leand. quæst. 7. Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 10. num. 1. Thomàs Hurtado tom.1. tract.4. cap.8.ref.43.num.465. Prado tom.1. cap.10. quæst.5. §.3. num. 20. Et alij plurimi, ita vt Hurtado referat viginti novem Auctores. Ex quibus tamen plures exigunt, quod nullum sit periculum reincidentiæ, vt Palaus, Leander, Hurtado, Trimanchius, & Ignatius Lupus.

Signa emendæ.

76 Quando vero solicitans credendus est emendatus? Hic labor, hoc opus. Sousa ait, tunc Confessarium emendatum censeri, si eadem solicitata mulier, ter, aut quater ad ipsum accedens in eo signa libidinis non reperit. Ioannes Sanctius, & alij idem asserunt, si per longum tempus, vt trium annorum Confessor non solicitavit. Felinus in cap. *Testimonium, de testibus*, & Barbosa de Officio Episcop. allegat.24. num. 22. addunt si Confessus est sacramentaliter. Homobonus de Examine Ecclesiæ, tract. 7. cap. 7. quæst. 33. si per trienium bene vixerit. Genuensis in Praxi, cap. 18. num. 6. si lucratus est iubilæum. Thom.Hurt. si ex Clerico sæculari ad Religionem aduolavit, vel ex Religione laxa ad arctiorem. Si modus vivendi, conversandi, & celebrandi mutetur. Si sit homo insignis auctoritatis, & semel, aut iterum solicitasset. Sylvester verb. *Denuntiatio*, num. 5. si post solicitationem statim det signa doloris. Vel homo sit senex,maturæ que ætatis,de quo prudenter censetur ex vrgentissima passione solicitasse. Denique Freitas in Addit. ad tract. de solicitatione, quæst.18. num.19.& alij asserunt, id arbitrio prudentis remittendum esse, à quo ex qualitate personæ, signis, & circunstantijs occurrentibus, hoc grave negotium cum prudentia, & maturitate agendum est.

Denuntiandus est solicitans, etsi sit emendatus.

77 Contrariam tamen sententiam tuentur plures, & grauissimi DD. affirmantes, esse denuntiandum solicitantem, etsi emendatus credatur. Et moventur. Primò: quia hæc denuntiatio non est instituta præcisè ad proximi emendationem; sed principaliter intendunt in eius institutione Pontifex, & S. Inquisitionis Tribunal punitionem ad abolendum damnum, quod ex tali crimine imminet Ecclesiæ, resarcendum que pravum exemplum, & scandalum alijs datum; sed hoc non consequitur per emendam solicitantis, sed per eius punitionem: ergo denuntiandus est, vt puniatur, & metu pœnæ cæteri ab huiusmodi crimine in futurum retrahantur. ¶ Secundò: quia constitutiones S. Pontificis, & edicta Inquisitionis absolutè absque aliqua distinctione determinant solicitantem esse denuntiandum imò edictum Inquisitionis addit, omni correctione fraterna omissa: ergo signum est, velle sub illis verbis solicitantem emendatum comprehendi. ¶ Tertiò: quoniam si sententia contraria esset vera, numquam puniretur hoc immane scelus, cum fere semper esset aliquod ex signis nnmero antecedenti relatis, ad prudenter iudicandum solicitantem iam esse emendatum: & hæc sciens Confessarius, facillimè, post tam enorme crimen patratum, fingeret emendationem, vt ex se constat; ergo semper illuderetur Inquisitionis edictum, & numquam daretur casus, in quo constitutiones Apostolicæ verificarentur,& solicitans pœnas debitas lueret. ¶ Quartò: etenim in his, sicut & in hæreticis, est difficilis emendatio: ergo iustum est, quod cognitio illius non committatur iudicio cuiuscumque personæ particularis, sed Dominorum Inquisitorum, qui prudentissimè, omnibusque libratis damnis, simul curant consulere bono communi Ecclesiæ, & Religionis; nec non famæ, æternæque salutis proximorum providere. ¶ Denique edictum Inquisitionis præcipit, quod *intra sex dies sub pœna excommunicationis latæ sententiæ solicitans denuntietur non præmissa correctione fraterna*; sed intra hos dies non potest prudenter concipi moralis,& firma spes emendæ, vt liquet: ergo cum hoc edictum sit iustum, & in conscientia obligans, signum evidens est, teneri ex illo fideles solicitantem denuntiare, non curando, an sit, vel non moralis spes emendæ. ¶ Quare certo credimus, hanc sententiam, tam ex allegatis rationibus, quàm ex vi prædicti Inquisitionis edicti, nunc tenendam esse; sicut supra cap.3. punct.9.§.2. num. 180. tenuimus loquendo de hæreticis: & tom.2. tract.10. cap.4. num.16.& 17.idem diximus de delictis habentibus effectum pendentem; vel quando Iudex intendit ad aliorum terrorem, & ædificationem, reos punire.

Doctores, qui nostræ favent sententiæ.

78 Quam etiam defendit nobilissimum DD. phalanx, cuius numerum adimplent, & exornant Sanctarell. tract. de Hæresi, cap. 9. num. 11. Paramus de Origine Inquisitionis, lib.3. quæst.8. num.90. Bonac. tom.1. disp.6. de obligatione denunt. part.3.n.9.& punct.2. num. 3. Azor tom.1. lib.8. cap. 19. quæst 9. Suar. de Fide, disp.40. sect.4. num. 13. Salonius 2.2. quæst. 68. art. 1. regul. 3. Roxas singul.3. num.33. Ioann. Escobar Corro part. 2. quæst. 3. §. 2. qui omnes ad solicitantem emendatum denuntiandum cohortat dicendo: *Sic ab omnibus fieri consulo, & pro Christi visceribus exposco: scio vere, & certè, quantum hoc expediat.* Dian. part. 1. tract. 4. resol. 3. & 33. & coordinatus tom.5. tract. 9. resol. 6. & 7. Trullench lib.1. in Decal. cap.3.dub.48. num.30. Farinac. de Hæresi, quæst.197. n.52. Seraphinus Freitas de solicit at.quæst.18.n.39. Carena 2. part. tit.9. §.6. Bordonius tom. 1. cap. 23. num. 98. N. Anton. in Directorio Confessorum, tract.5. disp. 18. §. 6. n. 1463. & maximè num. 1466. Moura Opusc. de Incantatione, & Ensalm. sect.2.cap.16.num.13. & alij.

Argumenta solvuntur.

79 Ad argumentum primum sententiæ contrariæ constat ex ratione prima probativa no-

noſtræ concluſionis. ¶ Ad ſecundum dicendum eſt, quod denuntiatio criminis occulti, quod cedit tantum in damnum particulare huius, aut alterius perſonæ, per ſe primò ordinatur ad delinquentis emendam; at, quando cedit in damnum commune, qualis eſt hæreſis, ſolicitatio in confeſsione, aliaque huius generis delicta, per ſe primo intendit punitionem delinquentis, vt damnum Eccleſiæ illatum reparetur, fideleſque, pœne metu, à tam enormi crimine retrahantur: quare, cum prius conſulendum ſit bono cõmuni, quàm famæ particularis; ſolicitans intra terminum ab Inquiſitionis edicto aſsignatum denuntiandus eſt: quia in hoc bono communi religionis, & Eccleſiæ conſulitur, ad quod ex iure naturali, & diuino, priuſquam ad particulare debemus attendere. Et hoc eſt, quod docet D. Thom. locis citatis, vt diximus ſupra cap. 3. punct. 9. §. 1. num. 98. ¶ Ad tertium patet ex dictis: quia cum moraliter ſit impoſsibile, agnoſcere, quando ſolicitans eſt emendatus; ſemper imminet ex tali crimine damnum commune Eccleſiæ, totique Religioni: vafer enim confeſſarius, qui ſemel ſolicitat, rarò, & ægre emendatur; & quando corripitur fraterne, emendatum ſe ſimulat, vt denuntiationem fugiat. Quare iuſtiſsime ſibi reſervant D. Inquiſitores cognoſcere, an, vel non ſit ſolicitans vere emendatus.

Qui diffamatus non eſt de ſolicitatione, ſunt, qui ſentiant, non eſſe denuntiadum.

80 Rogabis ſextò: An pœnitens teneatur denuntiare ſolicitantem, ſi de tali crimine non eſt diffamatus, ſeu, quod idem eſt, ſi ſit occultum? Sententiam negantem ſequentia probare videntur argumenta. Primum: quia Pontifices ſupra relati, excepto Gregorio XV. præcipiunt, quod Inquiſitores procedant contra ſolicitantes *quomodolibet diffamatos*: ergo vbi non adeſt infamia, nec denuntiari, nec puniri poſſunt. ¶ Secundum. Nam Gregorius XV. ait conſtitutione citata loquendo de Confeſſarijs ſolicitantibus: *In tantam prorruperunt iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in ſacramentali confeſsione abutantur*; ſed abuſus ſignificat actuum frequentiam, vt ait D. Thomas in 1. diſt. 1. quæſt. 1. articul. 2. ergo, quando hæc non datur, ex qua infamia generetur, denuntiandi non ſunt. ¶ Confirmatur: quia, vt ſupra diximus *Verbum exercentes*, poſitum in Bulla Pij V. contra ſodomitas, ſignificat multiplicationem actus: ergo & *abuſus*. ¶ Tertium: Nullus tenetur parère decreto, etiam Pontificio, ſub cenſura præcipienti, revelare aliquod delictum occultum, excepta hæreſi, quod probare non poteſt; quia iure naturali debemus, conſervare famam proximi: ſed ſolicitatio non eſt hæreſis: ergo, quando de ea Confeſſor non eſt diffamatus, ſed tantum eſt nota pœnitenti, non eſt licitum illum denuntiare. Hanc ſententiam defendunt Fagundez de Præcept. Eccleſiæ lib. 4. cap. 3. num. 31. Melaga lib. 1. cap. 5. num. 14. Barboſa in collectaneis in cap. *Qualiter, & quando, de accuſatione, & inquiſitione*, num. 5. Torre blanca de Magia lib. 3. cap. 16. num. 26. & alij plurimi apud Barboſam, & Trullench num. 19.

Contrarium eſt probabilius.

81 Nihilominus tenendum eſt, ſolicitantem, etſi diffamatus non ſit, eſſe denuntiandum. Et prima ratio ſumitur ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 70. articul. 1. ad 2. vbi ait: *Quod ſi delicta ſunt talia, quæ pertineant ad corruptionem ſpiritualem, vel corporalem multitudinis, vel in grave damnum alicuius perſonæ, tenetur ea quis propalare, teſtificando, aut denuntiando*: ſed ſolicitatio vergit in damnum commune Eccleſiæ, & animarum; cum propinet fidelibus venenum, vbi ſalus conferenda erat: ergo quilibet eam denuntiare tenetur. ¶ Secunda ratio eſt: quia ſi contraria ſententia eſſet vera, numquam ſolicitans eſſet denuntiandus; ſed hoc eſſet illudere tot decretis ſanctiſsimis edictis à Sanct. Pontificibus contra ſolicitantes: ergo, &c. Probatur ſequela: nam ſolicitatio ſemper contingit in occulto; & cum mulieres ob innatum pudorem taceant, nunquam de illa erit infamia, quæ ſicut fama, debet eſſe reſpectu multorum: ergo ſi ad denuntiandum requiritur diffamatio, nunquam manifeſtanda Inquiſitoribus erit talis ſolicitatio, & ita illuderetur Pontificum decretis. ¶ Tertia. Qui ſemel tantum hæreſim profert, aut binas nuptias, vivente prima vxore, contrahit, eſt de fide ſuſpectus: ergo etiam qui ſemel ſolicitationem committit: & conſequenter pœnis contra ſolicitantes latis ſubijcitur. ¶ Quarta. Quia denuntians in rebus ad fidem pertinentibus non tenetur delictum probare, vt docent Eymericus 3. part. Director. Rubrica de ſecundo modo procedendi, num. 68. Pegna ibi, & Farinac. de Hæret. quæſt. 185. num. 71. & nos ſupra diximus: ergo ex hoc non excuſatur à denuntiando, qui ſolicitationem cognovit, etſi ſolicitans diffamatus non ſit. Ita Banez 2. 2. quæſt. 66. artic. 2. Filliuc. tract. 14. cap. 2. num. 32. Bonacin. loc. cit. punct. 1. num. 5. Souſa de Solicitatione, tract. 1. cap. 16. à numer. 5. Trullench dub. 18. num. 20. Palaus punct. 10. num. 3. Prado cap. 10. quæſt. 5. §. 2. num. 8. Bordonius tom. 1. cap. 23. num. 100. Leander de Pœnitentia, tract. 5. diſp. 13. q. 5. referens Barboſam de Poteſtate Epiſc. part. 3. allegat. 96. num. 51. & alios plurimos.

Argumentis reſpondetur

82 Ex quibus patet ad argumenta: & ad primum dicimus, quod ly *quomodolibet diffamatos* non ſignificat debere præcedere veram infamiam, ſed aliquam, quæcumque illa ſit, vt dicunt Moura, & Palaus; ad quod ſufficit eſſe diffamatum apud fœminam ſolicitatam, quia hoc ipſo non habet integram famam, ſed aliquomodo diminutam, & dilaceratam. ¶ Vel ſecundo reſpondetur, quod prædicta verba, vt explicant Perinus, Bordonius, & alij, non referuntur ad eos, qui denuntiare tenentur, ſed ad Inquiſitionem Iudicis. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, *abuſum*, ſicut & *vſum* non ſolum ſignificare actuum frequentiam, verum etiam, & proprius vnius tantum exercitium, vt ipſe D. Thom. loco citato docet ex ſententia D. Auguſtini & 1. 2. quæſt. 12. per totam: ergo potius debemus prædicta verba in hoc ſenſu, quam in alio accipere, *exercere* vero tantum multiplicitatem actuum ſignificat, & ita non adeſt paritas, & ruit confirmatio. ¶ Ad tertium dicendum, prædictam doctrinam verificari in decretis ſub cenſura præcipientibus manifeſtare res ablatas, & his ſimilia; vt late pro-

probavimus tract. 10. cap. 4. punct. 1. à num. 2. & tract. 13. cap. 4. punct. 5. §. 4. non vero in alijs delictis, quæ contra bonum commune Ecclesiæ, aut Religionis, vel Sacramentorum vergunt, vt ibidem diximus. Cum ergo solicitatio tendat contra bonum Sacramenti Pœnitentiæ, manifestanda est, etiam si sit secreta, nullaque de ea præcedat infamia. Quod explicare licet ex his, quæ docuimus tom. 2. tract. 9. cap. 8. punct. 8. num. 98. Ibi enim diximus impedimenta occulta Matrimonij esse manifestanda, esto probari non possint: imò etsi sub secreto naturali sciantur; nam tunc imminet damnum commune Reipublicæ, & sacramentis; sed idem accidit in casu solicitationis, vt probatum est: ergo, &c. Videantur dicta locis supra citatis.

§. II.

Qui, & quando pœnitentes excusentur à denuntiando solicitantes?

POstquam explicuimus, qui teneantur ad denuntiandum Confessarios solicitantes; restat videre, qui ab hoc excusentur? Pro quo rogabis primò:

83 An vxor, soror, & filius excusentur à denuntiando maritum, fratrem, & patrem; si crimen solicitationis, aut alia ad S. Tribunal attinentia committant? De crimine hæresis diximus cap. antecedenti, punct. 9. num. 104. conformiter ad ea quæ antea tract. 10. cap. 4. punct. 1. num. 13. tradidimus. Nunc vero de alijs delictis suspitionem hæresis gignentibus agimus; maximè de solicitatione. Diana 1. part. tract. 4. resol. 6. & coordinatus tom. 5. tract. 9. resol. 11. affirmativè respondet de quocumque crimine suspitionem hæresis gignente; quam vnicè ex praxi comprobat. Nos vero conformiter ad ea, quæ tradidimus tract. 10. punct. 1. num. 13. credimus affirmativam partem nunc debere amplecti: quia iuxta ibi dicta, tenemur denuntiare delicta, quæ cedunt in damnum commune omni privato damno posthabito; sed solicitatio, & aliud quodcumque crimen de hæresi suspectum cedit in damnum commune; ergo talia crimina, & si à prædictis cognatis commissa, tenemur Fidei Inquisitoribus denuntiare.

Non excusatur frater, aut pater, vel maritus à denuntiando filium, fratrem, vel vxorē, &c. solicitantes.

84 Rogabis secundò: An solicitatus excusetur à denuntiando, si cum solicitante confiteatur de peccato cum ipso commisso? Affirmativè respondent plures Magistri Complutenses, quos refert Thom. Hurt. & alij DD. apud Dianam 1. part. tract. de denuntiatione, resol. 8. & Prado quæst. 5. §. 1. idem etiam docent Trimarch. de Confessore abutente, disp. 3. num. 44. Freitas in Addit. ad Acunam quæst. 27. num. 27. Et ratio horum DD. erat, quia Confessarius non tenetur se infamare, & perdere; aut facere, quod alius ipsum denuntiet: ergo nec ex decreto Greg. XV. tenetur ad monendum pœnitentem de obligatione denuntiandi: & ita poterit absolvere illum absque tali onere; sed tunc talis absolutio valida est; ergo pœnitens manet absolutus à peccatis, & liber ab onere denuntiandi. ¶ Sed hanc sententiam iam sequi non licet ex decreto Alexand. VII. sequentem propositionem, in ordine septimam, damnantis: *Modus evadendi obligationem denuntiandæ solicitationis, est si solicitatus confiteatur cum solicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.* Quare iam, nec Sacerdos solicitans potest absolvere pœnitentem, quin illi imponat onus denuntiandi; nec pœnitens solicitatus sub hoc prætextu confiteri cum solicitante: Quare tunc Sacerdos sub aliqua honesta causa excuset audire confessionem pœnitentis à se solicitati, mittatque eum ad alium Confessorem qui illum absolveat, & moneat de obligatione denuntiandi. Videantur Lastra, Theatr. Moral. N. Valentinus, & alij super hanc propositionem. Et insuper à nobis supra dicta num. 66.

Aliqui affirmabant liberari solicitatum ab onere denuntiandi, si confiteretur cum solicitante.

Contraria sententia omnino est tenenda.

85 Rogabis tertiò: An excusetur à denuntiando, qui solicitationem scit sub secreto naturali? Et quidem quod sit excusatus, qui sub sygillo confessionis eam cognovit, nulli dubium est, cum obligatio servandi illud sit ex iure naturali, & divino, in honoremque Sacramenti cedens: quare tota difficultas est de secreto naturali. Negant Fagund. de Præcept. Eccl. tom. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. & Fragos. de Rep. Christiana, tom. 2. part. 2. lib. 5. disp. 14. §. 1. num. 11. Et moventur, quia observatio talis secreti est de iure naturali, denuntiatio vero de iure positivo; sed fortius est vinculum iuris naturalis, quam positivi: ergo prævalere debet minus forti. ¶ Sed nihilominus contrarium tenendum est; quia, vt diximus tract. 9. cap. 8. num. 99. & tract. 13. cap. 4. punct. 6. num. 82. quilibet excusatur à servando secreto naturali, & si iuramento firmatum sit, quando illius observatio vergeret in damnum commune; sed hoc eveniret in præsenti vt probatum est: ergo ad illud servandum non tenetur. ¶ Per quod constat ad rationem oppositam; cum ius naturale exigat, quod secretum, & iuramentum non sint in damnum commune; alias essent vinculum iniquitatis. Ita docent præter ibi citatos, Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 10. num. 5. Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 90. Diana 1. part. tract. 4. resol. 24. & 4. part. tract. 5. resol. 32. & part. 9. tract. 8. resol. 46. & coordinatus loc. citat. resol. 46. & 48. Leand. de Pœnit. tr. 5. disp. 13. quæst. 45. Qui omnes optime hoc limitant, nisi talis solicitatio sit manifestata petendi consilij causa; quia tunc debet illud secretum servare; nam oppositum est humano convictui, & rationi valde dissonum; fidelesque deterrerentur à petendis consilijs, quod quidem est contra bonum commune, maiora que afferens damna.

Qui sub secreto naturali novit solicitationē, non tenetur secundū aliquos denuntiare.

Sententia contraria, & probabilior.

86 Rogabis quartò: An pœnitens excusetur à denuntiando solicitantem, si inde timeat grave damnum in vita, fama, & rebus temporalibus? Pro hac gravissima difficultate supponendum est in præsenti loqui, quando pœnitens rationabiliter, & probabiliter timeat hoc damnum sibi imminere; nam si tantum leviter illud timeatur, aut somnietur, evidens est non excusari à denuntiando. Quid autem requiratur, vt hoc damnum rationabiliter,

Suppositio notanda.

liter, & prudenter timeatur, vel quod idem est, vt detur metus cadens in virum constantem, late diximus tract. 9. cap. 9. punct. 1. à num. 39. quæ videnda sunt, ne invtiliter paginas impleamus. Ex quibus constat, timorem mortis, infamiæ, gravis exilij, carceris, amissionis status gravis, strupi, & amissionis maioris, aut notabilis partis bonorum esse cadentem in virum constantem; quia prædicta apud omnes grave damnum censentur, vt ex pluribus legibus, & rationibus ibi probavimus. Legantur vltra ibi citatos, Sanch. de Matrimon. lib.4. disp.1. num.11. Tiraquellus de Nobilitate, cap.33. num. 369. Velasco de Privilegio paupertatis, quæst. 51. num. 22. Quo supposito.

Grave damnum imminens, sunt, qui dicant excusare à denuntiãdo.

87 Prima sententia asserit pœnitentem solicitatum, aut solicitationem scientem, non teneri denuntiare, si rationabiliter timeat aliquod ex damnis asignatis. Et ratio potissima est: nam homo habet ius naturale ad hæc omnia defendendum; sed contra hoc ius naturale prævalere non potest ius humanum, quale sunt Bullæ Pontificiæ Inquisitionisque decreta: ergo cum periculo gravis damni in vita, fama, rebus temporalibus, &c. non tenetur homo solicitantem denuntiare. Ita plures DD. extendentes traditam doctrinam, quando prædicta damna timeantur imminere marito, filijs, fratribus; & aliqui adeò generosè procedunt, vt addant etiam amicis, & benefactoribus. Sic Sanchez de Matrimonio, lib.4. disp.4. num.9. Sanctius in Selectis, disp. 11. num. 55. Acuña quæst. 19. Trullench lib.1. cap.3. dub.18. numer.86. N.Lezana in Summ.cap.19. num.34. Pegna in Director. part.2. quæst.53. com.78. Lugo de Iust. disp. 38. sect. 2. num. 56. Fagundez de Præceptis Eccles. tract.2.lib.4.cap. 3. num. 31. Homobonus de Casibus reservatis, part.2. cap.1. Perin. tom.2. constitut. 4. Gregor.XV. §.9. num.28. & alij, quos referunt, & sequuntur Leand. quæst. 44. Diana 1.part. tract. 4. resolut. 7. & 4. part. tract. 5. reso.19. & coordinatus, tom.5. tract.9. resolut.12. & 13. Videantur etiam, quos allegavimus, tract.11. cap.2. à num.184. asserentes leges humanas cum periculo gravis damni non obligare.

Secunda sententia absolutè asserens obligationẽ denuntiandi in casu præsentis quæstionis.

88 Secunda sententia defendit in prædicto casu teneri ad denuntiandum. Et probatur primò, quia incommoda, quæ adveniunt Pœnitentiæ Sacramento ob omissionem denuntiationis prævalent incommodis privatis, cum illa sint contra bonum commune religionis, hæc vero contra personas particulares: ergo nenuntiandi sunt solicitantes etiam periculo gravis damni. Patet consequentia; quia quando maiora sunt damna imminentia Religioni, & communitati, quam particularibus, & privatis personis, servanda sunt præcepta tendentia in bonum commune: sed præceptum solicitationis denuntiandæ iubet solicitantes denuntiare, ob vitandum damnum illatum Sacramento, & Religioni: ergo denuntiandi sunt. ¶ Secundò Hæreticus etiam cum periculo gravis damni iuxta omnes DD. est denuntiandus: ergo & solicitantes. Patet consequentia; Ideo primum est verum, quia hæresis affert contagium oppositum bono Religionis; & quod eradicetur tantum malum, vertitur in bonum illius; sed idem contingit in casu solicitationis: ergo eodem modo debet denuntiari. Ita Bonacina disp. 6. de onere denuntiandi, punct.1. §.3. num. 6. & punct. 3. num. 11. Ioan. Escobar del Corro, part. 2. quæst.3. num.33. Freitas quæst. 10. num. 13. & quotquot tract.11. relato num.123. citavimus, docentque, omnem legem iustam etiam cum periculo vitæ obligare. Quibus addimus N. Anton.in Director. Confessorum, de Pœnitent. tract. 5. disp. 18. num. 1460. & 1463. vbi contrariam opinionem, & alias similes post decretum Alexand.VII.iudicat non vndequaque probabiles.

Propria mẽ apetitur.

89 Sed nos via media incedimus, & dicimus, quod regulariter loquendo, excusatur solicitatus, aut solicitationem sciens, cum gravis damni periculo à denuntiando solicitantem: at in aliquo casu gravi, etiam cum vitæ periculo ad id tenebitur. Duplicem partem continet resolutio, & ideo seorsim est probanda. Et quidem, quo ad primam sic ostenditur. Nam, licet vltroneè concedamus, legem humanam posse obligare etiam cum mortis periculo, quando id ad bonum commune conservandum pertinet, seu expedit, vt diximus tract.11. cap.2.punct.7. à num.125. at, communiter, & regulariter ad id non est necessarium, quod aliquis se exponat tanto periculo, qualis est mortis, mutilationis, exilij, infamiæ, &c. vt ibidem docuimus; sed ad conservandum, media denuntiatione, bonum commune Religiõnis, & Sacramenti Pœnitentiæ, aliquomodo per solicitationem inquinatum, & pollutum, non est semper necessarium, se exponere prædicto periculo: ergo non tenebitur tunc cum tanto periculo ad denuntiandum solicitantem. Probatur minor: nam si solicitans sit vir nobilis, clareque cognoscatur, quod amore potius libidinis, quam despectus sacramenti raptus, hæc semel patraverit, evidens est, quod ad repellendam iniuriam sacramento illatam, non requiritur, quod denuntians se exponat vitæ periculo; cum pluribus alijs vijs possit reparari: nec alias timeri prudenter possit, quod ex omissione denuntiationis gravissimum damnum imminet Ecclesiæ: ergo si solicitatus, aut solicitationem sciens timeat rationabiliter ex tali denuntiatione sibi imminere vitæ, exilij, infamiæ, aut alterius similis damni periculum, excusabitur à denuntiando.

Vlterius sua detur.

90 Deinde: tunc leges humanæ obligant etiam cum vitæ periculo, quando imperant actiones, quæ intrinsicè conectuntur cum tali periculo, vt cum dux præcipit tibi portam civitatis obsessæ defendere, vbi ardet bellum; vel quando Episcopus præcipit Parrocho infirmis peste infectis sacramenta ministrare; aut illis Princeps sæcularis iubet inservire: at si lex imperet actionem, cui per accidens supervenit periculum gravis damni, tunc non obligat ad illam: ac proinde leges ieiunij, auditionis Sacri, & aliæ, quia imperant actiones ex se non connexas cum periculo gravis damni, si postea illis adveniat per accidens, nõ tenemur

ad

ad ieiunandam, vel sacrum audiendum cum tanti damni periculo: sed sic est, quod leges Pontificiæ, & edicta Inquisitionis præcipiunt denuntiationem solicitantis, cum qua non est ex se connexum periculum gravis damni, sed illi per accidens advenit: ergo signum est, quod nec prædictæ leges cum tanto periculo obligant ad denuntiandum, nec legislatores in suis decretis id intenderint ex quibus constat, quod regulariter non tenentur fideles denuntiare cum gravis damni periculo: Et tantum hoc suadent argumenta primæ sententiæ.

Cum vitæ periculo aliquando teneantur fideles solicitantem denuntiare.

91 Quod autem aliquando teneantur, etiam cum vitæ periculo, denuntiare patet. Nam potest evenire, quod bonum fidei catholicæ ex omissione denuntiationis periclitetur; vt si solicitans esset magnæ auctoritatis, & seducendo pœnitentes frequenter hoc crimen committeret; & quo iuste timeretur, tum despectus huius sacramenti, tum, quod timore solicitationis, ardens desiderium illud recipiendi in pœnitentibus tepesceret. In hoc ergo casu credimus, teneri fideles ad solicitantem etiam cum vitæ periculo denuntiandum: quia bonum commune, & Religionis omni damno privato præponderat. Et hoc tantum probant rationes pro secunda sententia expensæ. Quare credimus authores vtriusque opinionis nihil aliud intendere; cum primi dicant, quod regulariter excusantur fideles à denuntiando cum gravis damni periculo: & secundi asserant, quod præcepta humana aliquando obligent cum gravi incommodo, dum ita postulat bonum Religionis, aut ita Legislator intendit, vt ait Bonacin. loco citato.

Præocupatur quædam replica.

92 Nec hinc inferas, quod possint fideles cum gravi incommodo excusari à denuntiando hæreticum. Nam magna est differentia inter illum, & solicitantem. Etenim hæresis ex natura sua serpit vt cancer, estque contagium directè bono communi, & Religioni Christianæ oppositum: at solicitatio tantum mediatè illi contrariatur: quare illius denuntiatio numquam etiam cum gravis damni periculo omittenda est, cum bonum privatum sit bono communi posponendum: istius vero aliquando cum tanto incommodo est præmittenda. ¶ Sed hic valde notandum est, quod periculum gravis damni, maximè infamiæ, fere numquam ex denuntiatione oritur; sed tantum somniatur maximè à fœminis, quæ communiter trepidant timore, vbi non adest timor: vnde eis præcipuè, si sint nobiles, suadendum est, ipsis inhonestum non esse, coram Inquisitore, aut eius ministris comparère, ad solicitantem denuntiandum; sed potius suæ ingenitæ nobilitatis, ortodoxæque fidei testimonium evidens, & manifestum esse.

Si solicitatio est certa ex parte facti, & dubia ex parte cõfessoris, denuntiari debet.

93 Rogabis quintò: An excusetur pœnitens à denuntiando, quando solicitatio est dubia? Ad quod respondetur, solicitationem dubiam posse dupliciter evenire: Primò. Si Confessarij dictum, aut factum certa sit solicitatio, & dubitetur, an Confessor illud fecerit, aut dixerit. Secundò. Si certo constet Confessarium illud fecisse, aut audisse; dubitatur tamen, an hoc sit solicitatio in decreto Pontificis comprehensa? Et quidem si primo modo sit certa solicitatio, certum est non excusari pœnitentem à denuntiando: nam in tali casu, cum sit dubitatio de persona, & certitudo de delicto, possunt Inquisitores procedere ad cognoscendum, an prædicta persona illud commisserit, vel non; quia per dubium illud manet aliquomodo diffamata; vt constat ex cap. *Excommunicamus in* 1. *de hæreticis*, §. *adijcimus*. Et cap. *Accusatus* 1. *de hæreticis in* 6. Ergo tunc non excusatur pœnitens à denuntiando. Ita docent Sousa tract. 2. cap. 4. num. 8. & ex illo Hurtado resol. 62. §. 1.

Si solicitatio est certa ex parte confessoris, & dubia ex parte facti, pœnitens excusatur à denuntiando.

94 At vero si solicitatio sit dubia secundo modo, excusatur pœnitens à denuntiando. Et ratio est, quia in dubio facti, Confessarius est in possessione suæ famæ: ergo denuntiandus non est, quia per denuntiationem aliquomodo ab ea deturbatur. Secundò. Bullæ Pontificiæ tantum procedunt contra solicitantes; sed solicitatio dubia ex parte facti non est solicitatio: nam, vt probant Sanch. lib. 1. Sum. cap. 10. num. 74. & Suarez tomo 5. in 3. part. disp. 40. sect. 6. num. 5. delictum dubium non est delictum: ergo contra dubiam solicitationem prædictæ Bullæ non procedunt: Et sic etiam videmus, quod edictum Inquisitionis non præcipit, dubia delicta denuntiare: ergo &c. Tertiò. Vnusquisque præsumitur bonus, quando non probatur malus; sed per dubia delicta nullus probatur malus: ergo iudicandus est bonus, & ita per denuntiationem non debemus facere, quod habeatur, vt malus. Vltimò: quia quando dubitatur: an hæc, vel illa res comprehendatur sub lege, non obligat lex, vt docuimus tract. 11. cap. 2. punct. 6. num. 110. sed hic dubitatur, an solicitatio dubia comprehendatur sub lege denuntiationis; ergo sub illa non comprehenditur. Ita Sousa num. 9. Hurtado §. 2. Salas 1. 2. tract. 8. sect. 25. num. 259. N. Valentinus tract. 2. cap. 8. punct. 4. num. 231. Quidquid in contrarium velint Diana 4. part. tract. 5. resol. 25. Trull. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 44. Nostram etiam opinionem defendit Prado tom. 1. cap. 10. quæst. 3. num. 6. sed eam tuetur respectu Confessari; bonæ opinionis, & famæ; at vero, si iste sit non clari nominis, & exestimationis, de eoque extent alia indicia, aut suspitiones, ait debere tunc Inquisitoribus denuntiare: quia adiunctis his circunstantijs iam mutatur aliquomodo dubium facti; ac proinde possunt Iudices fidei de eo inquirere, & contra eum procedere.

Quid, si circa solicitationem dentur opiniones probabiles?

95 Sed hic discutiunt Doctores, quid dicendum quando dantur duæ opiniones probabiles, & contrariæ, an tale dictum, aut factum sub prædictis constitutionibus sit comprehensum? Ad quod respondetur, quod si sententiæ Probabilistarum adhæreamus, iuxta quam cuilibet licitum est, sequi sententiam practicè probabilem, quam maluerit, & maximè si libertati favet, tunc denuntiare non tenetur, ne lædatur libertas. Si vero sententiam Probabilioristarum sequamur, tunc probabilior sententia est amplectenda. Si vero denique in hoc casu sententiæ sint æque probabiles, & nulla probabilior appareat, tunc iuxta horum Auctorum opinionem oritur verum dubium; & sic

sic iuxta dicta num. præcedenti præsens quæstio est decidenda.

§. III.

An à denuntiando solicitantes correctio fraterna excuset?

96 SEorsim hanc difficultatem exagitandam eligimus, quia cum inter alias gravissima sit, nequit paucis decidi lineis. Et licet hæc quæstio fere eadem sit, ac ea, quam cap. antec. punct. 9. §. 1. num. 98. de hæresi resolvimus; tamen ista difficilior est; cum (vt apud omnes est certum) non ita immediatè contra bonum fidei solicitatio, ac hæresis tendat: qua propter plures, qui ibi nobiscum sentiunt, hic contrarium acriter tenent. Quare ante denuntiationem solicitationis esse præmittendam correctionem fraternam, si sit moralis spes emendæ, & ita pœnitenter excusari à denuntiando, defendunt triginta, & sex Auctores, quos refert Thom. Hurt. tom. 1. Resolut. Mor. cap. 6. §. 1. num. 84. & viginti duo apud Leand. tract. 5. disp. 13. quæst 6. inter quos sunt Sotus de Iust. & Iure, lib. 5. quæst. 5. art. 1. Sylvest. verb. *Correctio*, Canus lib. 12. cap. 9. Lopez Instruct. part. 4. cap. 54. Ledesma in Sum. tom. 2. tract. 4. cap. 4. concl. 24. difficult. 2. Ioan. à Cruce in Sum. 1. part. præcept. 5. quæst. 2. dub. 5. concl. 2. Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 10. num. 2. N. Lezana in Sum. cap. 10. num. 34. Lugo de Iustitia, tom. 2. disp. 38. sect. 7. Perinus, Fagundez, & alij. Quos refert, & sequitur Hurtado loc. cit. cap. 6. §. 1. & cap. 8. res. 44. & res. 55.

Iuxta aliquos Auctores, præmittenda est fraterna correctio ante denuntiationē solicitantis.

Primū fundamentum huius sententiæ.

97 Et ratio principalis est præceptum divinum, & naturale de correctione fraterna: ergo, vbi moralis spes illius datur, adhibenda est, prætermisso quocumque præcepto humano denuntiationis. ¶ Sed rogabis: quando dabitur certa moraliter spes, quod solicitans emendabitur? D. Thom. 4. dist. 19. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 2. respondet huic quæstioni illis verbis: *Tum emendatio peccantis expectari probabiliter possit, aut non; facilè adverti potest si consideretur, vtrum aliquis ex electione, vel passione peccavit, sive ex malitia, vel infirmitate, quod idem est: quod quidem perpendi potest ex conditione peccantis, aut ex iteratione actus: quia, si aliquis frequenter, & quasi improhibite sine fræno in aliquod peccatum lapsus est, signum est, quod ex malitia, vel electione peccat: si autem semel occasione peccati oblata in peccatum ruit, & postea tristitiam, & verecundiam de peccato ostendit, signum est, quod sit peccatum ex passione, vel infirmitate, & quod de facile emendetur.* Hæc D. Thom. Cui consonant Rodrig. quæst. 131. Portelius tom. 1. dub. verbo *Solicitare fœminas*, num. 20. docentes tunc dari moralem spem emendæ, si Sacerdos labe natalium non sit infectus, nec inhonestis moribus assuefactus. Et Hurtado his vere verbis loquitur in num. 515. nempè, si Confessarius sit alias vitæ compositus, & religionis strictæ, in qua observantia regularis viget; si sit homo provectus, sapiens, publicæ auctoritatis, & existimationis, vel aliæ similes circunstantiæ considerentur: tunc datur certa moraliter spes de eius emenda. Quod si è contra Confessarius sit perditæ vitæ, dissolutis deditus moribus, voluptatibus venereis, ludis, & commessationibus immersus, tunc denuntiandus est non præmissa correctione fraterna, quia difficilimum est de eo spem emendationis concipere.

Probatur hæc opinio à ratione.

98 Deinde roboratur primò dicta sententia non infirmis rationibus. Primò: nam hoc præceptum S. Pontificum, & S. Inquisitionis principaliter intendit emendationem, & secundario punitionem: sed quando talis est lex, aut præceptum, debemus ex præcepto naturali præmittere correctionem fraternam, si adest spes emendæ; ergo quando hæc adest, tenemur ante denuntiationem charitativè eum corrigere. ¶ Secundò: Hoc delictum, vtpote occultum, tantum nocet solicitanti, & solicitato; sed hoc nocumentum per denuntiationem impediri non potest, cum iàm factum sit; si vero consideretur vt futurum, potest impediri per correctionem: ergo, cum teneamur occurrere nocumento resultanti ex delictis, servata fama proximi; in casu præsenti charitativa correctio præmittenda est denuntiationi. ¶ Tertiò: Confessarius solicitans pœnitentem ad alia peccata, abutitur Sacramento, & illi iniuriam facit; & tamen non est denuntiandus ante præmissam correctionem: ergo idem dicendum est de solicitatione. ¶ Vltimò: hæc opinio permittitur impune defendi, & post tot decreta, & edicta clare, & publicè edocetur: ergo signum est, quod non est contra bonum commune.

Opposita sententia tenenda est.

99 Alij vero DD. è contra docent, ante denuntiationem solicitantis non esse præmitti correctionem fraternam, & si detur spes emendæ. Ita Paramus lib. 3. de Orig. Inquisition. quæst. 10. num. 4. Freitas quæst. 18. num. 31. Sanct. disp. 11. num. 56. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 9. Simanc. in Cathol. Instit. tit. 19 num. 11. Turr. tom. 1. in 2. 2. disp. 58. dub. 3. Enriq. lib. 2. cap. 24. num. 10. in Gloss. litter. C. Sanch. de hæresi, cap. 9. num. 5. Dian. 1. part. tract. 4. resol. 2. & part. 4. tract. 5. res. 24. & coordinatus tom. 5. tract. 9. resol. 68. num. 5. & resol. 5. à num. 20. Leand. de Pœnitentia, tract. 5. disp. 13. quæst. 6. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 18. num. 22. Cæsar Carena 2. part. tit. 6. §. 22. num. 126. & tit. 9. §. 4. num. 18. Bonac. de obligatione denuntiandi, disp. 6. punct. 3. num. 9. Villalob. in Sum. part. 2. tract. 4. diffic. 11. num. 3. D. Ioan. de Corro part. 2. quæst. 4. §. 1. num. 56. A quo non dissentiunt Barb. de Potest. Episc. part. 2. alleg. 96. num. 69. Sous. de solicit. tract. 2. cap. 6. n. 8. Lorca 2. 2. quæst. 3. dist. 47. num. 23. Carpius in Cursu Theol. tom. 2. tract. 17. disp. 6. sect. 4. num. 96. Hurt. Complut. tract. de Iudic. forens. disp. 2. diffic. 7. & alij plures.

Probari potest ex D. Thom. nostra sententia.

100 Quæ sententia, nunc ab omnibus ex decreto S. Inquisitionis, & Ecclesiæ amplectenda, potest probari primò ex D. Thom. quodlibet. 11. art. 12. vbi agens de correctione sic ait: *Credo, quod si esset aliquod peccatum carnale, quod vergeret in detrimentum multitudinis,*

dinis, ſtatim eſt revelandum. Sed non eſt aliud peccatum carnale, quod vergat in detrimentum multitudinis, niſi ſolicitatio ad venerea in confeſsione: ergo ſtatim hoc delictum eſt Inquiſitioni revelandum. Deinde D. Thom. in 4. diſtinct. 19. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. inquirens: *An oporteat, quod fraterna correctio præcedat denuntiationem Eccleſiæ faciendam*: inter peccata, quæ ſunt aliorum infectiva, exemplum ponit: *Sicut eſt hæreſis, vel fornicatio, vel aliquid huiuſmodi.* Et poſtea: *Si autem eſt infectivum aliorum debes denuntiare Prælato, vt gregi ſuo caveat ſicut dicit Hieronymus: Quæ miſericordia eſt parcere vni, & multos in diſcrimen adducere? Polluitur populus ex vno peccatore, ſicut ex vna ove morbida vniverſus grex. Semper enim bonum multorum debet præferri bono vnius.* Ergo ſentit D. Thom. dari aliquam fornicationem, quæ cedat in damnum commune: ſed hæc alia eſſe non poteſt, (vel eam aſsignent adverſarij) quam illa, quæ fit in confeſſionario, vel prætextu confeſsionis: ergo crimen ſolicitationis, omiſſa fraterna correctione, eſt denuntiandum Inquiſitoribus; cum, iuxta Angelicum Magiſtrum loco ex Quodlibeto 11. iam citato, *peccatum carnale, quod vergeret in detrimentum multitudinis ſtatim eſt revelandum.*

Probatur cõcluſio noſtra à ratione.

101 Secundo oſtenditur à ratione, & ſimul præoccupatur quædam obiectio, quæ ab authoritate Angelici Doct. locis præallegatis fieri poteſt. Etenim: etſi charitativa correctio præmitti debeat ante denuntiationem Evangelicam, ſeu de qua apud Matthæum, capit. 18. Chriſti ſermo eſt; quod quidem, & non aliud docet Doctor Angelicus: non tamen ante denuntiationem iudicialem, quam in ſuis edictis Domini Inquiſitores iubent: in eo enim ſtat iudicialis denuntiationis, & evangelicæ diſcrimen, quod finis adæquatus evangelicæ, eſt proximi emendatio; iudicialis autem, eſt publica correctio, & ſecuritas aliorum fidelium; & tantum ſecundario intenditur emenda delinquentis: & ideo, eſto correctiò charitativa premitti debeat ante denuntiationem, de qua Chriſtus Dominus loco citato loquitur, non tamen ante denuntiationem iudicialem, ſeu ante denuntiationem, de qua Domini Inquiſitores in ſuis decretis loquuntur. ¶ Tertiò. Nullus, vt conſtat ex verbis Bullæ Alex. VII. cap. 3. num. 102. relatis, prætextu correctionis fraternæ excuſatur à denuntiando crimina ad Sanctum Inquiſitionis Tribunal expectantia: & ſimiliter decretum Inquiſitionis Hiſpaniæ num. 64. & 68. tranſcriptum iubet ſolicitantem denuntiandum eſſe à pœnitente, aut ab eo, qui illud delictum quomodocumque noverit, intra ſex dies; quin alicui prius hoc delictum communicet (niſi ſit tam intra, quàm extra confeſsionem, & conſilij petendi cauſa; quod ita ſemper debere fieri ante denuntiationem tanti criminis docet communis ſententia apud Sanctium diſp. 11. in Selectis num. 57.) ergo cum hoc decretum iuſtiſsimum, & ſanctiſsimum ſit, illi ad vnguem parendum eſt. Quare dicimus, ex vi horum decretorum teneri nunc pœnitentes denuntiare ſolicitantes intra ſex dies omiſſa omni correctione fraterna, & ſi ſit certa ſpes emendæ: quia videtur Eccleſiam voluiſſe declarare præceptum naturale correctionis fraternæ in his, & ſimilibus caſibus non teneri, vel potius non dari.

Aliquorum, qui via media opinantur, ſententia reijcitur.

102 Nec nos latet eſſe nonnullos DD. nec infimæ notæ, qui quaſi via media incedere ſolicitant, aſſerendo eſſe improbabile, quod ob ſpem emendæ ommittenda ſit, communiter loquendo, denuntiatio ſolicitantis, & ſi prius præmittatur correctio: attamen in aliquo caſu, ſcilicèt ſi ſit firmiſsima ſpes emendæ; quod ipſi etiam dicunt rariſsimè contingere; poteſt præmiſſa correctione, omitti denuntiatio. Sed audiamus Trullench, qui his ſententijs relatis, ita num. 23. in fine concludit: *Hic caſus eſt rariſsimus; ideo hæc poſterior ſententia* (noſtra ſcilicèt) *eſt amplectenda. Proindeque Domini Inquiſitores rationabiliter præſumentes, nullam dari ſpem emendæ per correctionem ſecretam, æquiſsime præcipiunt huiuſmodi denuntiationem faciendam eſſe ante omnem correctionem: Leges enim de rebus, quæ regulariter contingunt, poſſunt, & debent ferri.* Idem docent Souſa in Aphoriſm. Inquiſitionis lib. 1. cap. 34. num. 56. & 57. & tract. 2. de Solicitation. cap. 6. num. 9. Prado cap. 10. quæſt. 5. §. 4. num. 32. Et Palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 9. punct. 10. num. 2. ſic ait: *Rarò tamen exiſtimo, hanc emendationem hac correctione ſecreta ſperari poſſe, ac proinde rarò ceſſare obligationem.* Similiter loquitur Cano de Locis lib. 12. cap. 9. circa finem, & Ledeſma tomo 2. tract. 4. cap. 4. concluſ. 24. difficult. 2. pag. 274. dicit: *Eſſe difficilimum intellectu, quod ſolicitantes per correctionem ſecretam emendentur*; & rationem præbet illis verbis: *Porque los tales, que han llegado à tan grave ſacrilegio, injurioſo al miſmo Sacramento, ſe preſume, ſer tan perdidos de coſtumbres, que no ſe emendaran con el primero, y ſegundo grado de correccion. Porque ſi la muger ſolicitada los corrige, reiranſe de ella por ſer tan perdidos, y ſi lo dize à otra perſona grave, para que los corrija, diràn que es mentira: luego no tiene otro remedio, ſino acudir à denunciar. Por lo qual los Inquiſidores en los Edictos generales, preſumiendo no aver enmienda por la correccion fraterna, ò hecha delante de teſtigos, mandan ſo pena de excomunion latæ ſententiæ, que vaya à denunciar immediatamente.* Hæc Ledeſma vnde, vt optimè notat Prado, omnes authores in idem fere conveniunt: nam qui primam ſententiam ſequuntur, cum hac moderatione loquuntur; & qui ſecundæ adhærent in hoc tandem relabuntur.

Impugnatur Thomas Hurtado.

103 Nec fugit nos, quod docet Thom. Hurtado tract. 4. cap. 8. à num. 273. ſcilicèt; quod quoties locum habere poteſt correctio fraterna à Chriſto Domino inſtituta, non eſt poteſtas creata etiam ſummi Paſtoris Ovilis Eccleſiæ, quæ poſsit obligare edicto, aut monitorio quovis anathemate obfirmato, vt teneamur delictum occultum propalare non præmiſſa correctione fraterna (niſi adſit propri) iuris renuntiatio, de quo alibi) & rationem reddit; quia poteſtas humana longè inferior eſt poteſtate divina: ergo implicat, quod illa caſ-

set, quod hæc statuit, alias mutarentur iura: ergo Sum. Pontifex suo monitorio, aut diplomate non potest cogere, quod, si locum possit habere fraterna correctio, & fratris lucratio, illa prætermissa delictum illi manifestetur. ¶ Sed difficilè est mentem huius Auctoris intelligere, vt non semel notavit Prado. Nam immediatè num. 278. ait S. Pontificem, & Inquisitores, vt pote illius delegatos, posse edere decreta, quibus præcipiant fidelibus, quod statim, nulla correctione fraterna præmissa, hæreticos iudicialiter denuntient: non quia correctionem fraternam prohibeant, sed quia declarant in hæreticis infructuosam esse, oleumque, & operam perdere: ac proinde tunc vtendo Epijcheia in bonum fidei, & eius defensionem definit S.Pontifex legem correctionis fraternæ respectu hæreticorum non obligare propter magnum inconveniens, quod ex eius observantia sequitur. Pro qua conclusione plures refert.

104 Si ergo hic Auctor concedit, posse definire S.Pontificem, in casu hæresis non obligare præceptum correctionis fraternæ: ac proinde teneri fideles sub anathematis pœna statim illud delictum Fidei iudicibus denuntiare; quare non poterit, idem declarare in casu solicitationis, cum hoc in bonum fidei valde cœdat? At qui de facto ita declaravit Clemens VII. in Bulla expedita die octavo Iulij anno millesimo sexcentesimo sexagesimo, quam supra cap. 3. num. 102. de verbo ad verbum transcripsimus; vbi generaliter de omnibus criminibus, etiam leviter de hæresi suspectis, mandat esse denuntianda omissa omni correctione fraterna; nec huius prætextu posse fideles à denuntiando se retrahere: ergo potest Sum.Pontifex præcipere denuntiationem solicitationis, & de facto præcipit, omissa correctione fraterna. Videatur D.Franciscus Berde tom.1. tit.9. de denuntiatione, fol. 38. & 79. ¶ Et idem confirmat Edictum Inquisitionis quot annis publicatum: ergo illi parendum est, omni seposita excusatione, vel prætextu. Patet consequentia: quia lex iusta lata à superiore cum potestate ad illam ferendam obligat in conscientia, vt est apud omnes inconcussum; sed hæc lex est iusta, vt ex se patet, & alias à superiore cum legitima potestate lata: ergo obligat in conscientia. Quare licitè non poterunt deinceps fideles prætextu correctionis fraternæ excusari à denuntiando hæreticos, solicitantes, & alios de hæresi suspectos; cum stet decretum Sum. Pontificis ita hoc præcipiens, quod, cum sit circa mores pro tota Ecclesia; errare non potest. Ideo concludere libuit verbis N. Antonij à Spirit. Sanct. loc.cit. n.1466. *Vnde, dum aliter de eius mente* (Pontificis scilicet) *oraculo ipsius non constiterit, verbis decreti ad vnguem existimo esse parendum; ne forte, cum alios lucrare velimus, ipsi reprobi efficiamur.* Ex hucusque dictis dissoluta manent omnia adversariorum fundamenta, vt consideranti constabit.

PUNCT. V.

Aliquæ desideratæ quæstiunculæ circa solicitationis crimen deciduntur.

PRo plena huius materiæ decisione hic aliqua dubiola breviter decidenda sunt.

Ponuntur quorundam DD. beneplacitū circa sufficientem numerum testiū ad huius criminis probationem.

105 Inquires primò: Quot testes sufficiant ad huius criminis probationem? Cantera in quæstion. criminal. cap.de vera probatione, num. 47. docet vnam fœminam sufficere. Sed hoc communiter à DD. improbatur: quia testimonium vnius fœminæ est insufficiens, non solum ad reum puniendum, verum etiam ad incarcerandum: vt probant Diana part. 4. tract. 6. resol. 21. Trimarchius disp. vltima, sect.2. num.8. D.Ioan.del Corro, part.3. q.4. §.4. num.15. quia mulieris vnius, & si probatæ vitæ, testimonium non sufficit ad semiplenam probationem, vt probant Barbos. in cap. Mulierum, & cap. Fortis, de verborum significatione, & Farinac. q.59. de testibus, cas.10. num. 1. sed ad incarcerandum requiritur semiplena probatio: ergo vnius dictum mulieris non sufficit ad denuntiandum. Quod confirmatur ex quadam declaratione sacræ Congregationis anno 1627. die 17. Iulij edita, quam refert Bordonius tom.1. cap.23.num.104. Poterunt tamen Domini Inquisitores procedere ex testimonio vnius mulieris bonæ famæ, ad inquirendum de vita, & moribus solicitantis processum compilando; vt probant Sousa tr. 2. cap.11. & 12. à num. 4. Freitas quæst. 4. à num.16. ¶ Paramus de Origin. Inquisition. lib. 3. quæst. 10. num. 118. ait duas fœminas requiri. ¶ Ortiz in Sum. cap. 24. num. 11. tres fœminas desiderari. ¶ Acuña quæst. 23. n.11. quatuor exigit. ¶ Sed Trullench dub. 18. num 98. Leand. loc.cit.quæst.52.& Sanct. disp.11.à num.46. prudentiæ Dominorum Inquisitorum hoc remittunt. Et iustè quidem: cum in tam gravi negotio pedetentim progredi, sit necesse: & sciamus (pro dolor!) à Confessarijs virtutibus conspicuis, fœminas eorum amore captas non semel consensum important exposcere, & eos ad venerea curasse attrahere; quarum voluptati, & turpitudini non acquiescentibus Confessarijs, minitasse eos Inquisitoribus denuntiaturas; imò & hoc ita feciisse. Sed quid non tentaverit fœminæ præceps furor! Vnde considerandæ alte sunt circunstantiæ fœminæ denuntiantis, & accusati confessarij, vt eis fides adhibeatur. Nam vt ait Glossa in cap. *Fortis, de verborum significatione*, verb. *Varium.*

Quid levius fumo? Flamen. Quid flamine? Ventus.

Quid vento? Mulier. Quid muliere? Nihil.

Vnde saltim meretrices, aliæque huius furfuris mulieres, à denuntiando repellendæ omnino sunt, vt constat ex cap. *Presbyter.2.q.5.*

Describuntur pœnæ solicitantibus impositæ.

106 Inquires secundò: Quibus pœnis hoc crimen ab Inquisitoribus puniatur? Respondetur, quod, cum pœnæ debeant culpis proportionatæ esse, & hoc crimen sit grave, & ex parte obiecti, & ex parte solicitantis, & ex parte solicitationis, & ex parte finis, & ex parte periculi, & ex parte scandali, & ex parte damni, & ex parte temporis, & ex parte loci, & ex parte personæ, & ex parte modi, & ex parte consequentiæ, & ex parte circunstantiæ, & ex parte effectus, & ex parte causæ, & ex parte materiæ, & ex parte formæ, & ex parte subiecti

portionari, quo culpa est maior, eo gravior debet esse, & pœna. Culpa ergo, vt diximus tract. 13. cap. 1. punct. 2. est quadruplex scilicèt *levis*, *lata*, *latior*, *& latissima*: vnde solicitatio potest esse *levis*, *lata*, *latior*, *& latissima*, *seu levis*, *gravis*, *gravior*, *& gravissima*; quibus similes pœnæ Correspondent pœna *levis* est verbi gratia ieiunium, recitatio aliquarum præcum, disciplinæ privatæ, & similia, quæ post acrem reprehensionem imponuntur à Dominis Inquisitoribus his, qui voluntariè ex animo pœnitenti comparent, & de prima, & vnica solicitatione se accusant. Pœna *gravis* est privatio audiendi confessiones, & abiuratio de *levi*, privatio beneficiorum, vocis activæ, & passivæ, quæ correspondet *gravi solicitationi*, qualis est solicitare ad venerea in confessionario, aut loco ad confessiones electo, dum ipsas audit confessiones, quamvis actus non fuerit consumatus; & de hac culpa est plene convictus. Pœne *gravior* est damnatio ad tirremes, aut carceris perpetuæ, quæ correspondet solicitationi pluries repetitæ, & cum scandalo, etiam postquam ab Inquisitoribus semel fuit punitus. Pœna *gravissima* est degradatio, vt tradatur brachio sæculari morte puniendus; sed hæc pœna non imponitur, nisi pro solicitationibus gravissimis, vt si pœnitentem solicitaret, & renuentem occideret, aut si matrem, vel filiam per vim carnaliter in ipso confessionis actu cognovisset, aut si puerum nefando coitu per vim etiam oppressisset. Ita Escobar del Corro parte 3. quæst. 4. §. 3. à num. 7. Sousa tract. 2. de Solicitatione cap. 18. num. 15. alij addunt, si privatus audiendi confessiones ob solicitationem, adhuc illas ob eundem finem audit; cum iste iam sit incorregibilis, vltimo proinde supplicio puniendus est. Sic Acuña quæst. 24. num. 30. Freitas ibi num. 84.

Regularem solicitantem non manere ipso iure inhabilem ad Ecclesiasticas dignitates aliquorũ opinio tenet

107 Inquires tertiò: An Confessarius regularis ex abiuratione ob solicitationem maneat eo ipso inhabilis ad dignitates ecclesiasticas? Supponit titulus talem solicitantem debere *abiurare*, quia cum sit de fide suspectus, necesse est, quod hanc aboleat suspicionem per abiurationem, seu per perfectam confessionem fidei, & eiusdem in futurum observandæ firmam sub iuramento confessionem, cuiuscumque erroris contrarij detestationem. Sic Paramus lib. 3. quæst. 10. num. 166. Cantera cap. 1. de hæret. num. 65. & alij. Quo supposito Acuña quæst. 24. num. 22. Freitas ibi numer. 70. (licet non Sousa, vt ait Diana) Garcia de Beneficijs tom. 2. part. 11. cap. 10. num. 87. & alij apud Dianam part. 4. tract. 5. resol. 48. & coordinatum tom. 5. tract. 9. resolut. 93. docent non manere Confessarium solicitantem inhabilem ad dignitates ecclesiasticas, cum nullus textus, aut glossas hanc pœnam imponens inveniatur.

Sententia contraria est sequenda.

108 Sed contrarium omnino tenendum est quo ad regulares saltem, cum hodie stet decretum Vrbani VIII. editum anno 1626. in quo iubet, vt regulares per sanctum Inquisitionis Officium puniti, eo ipso inhabiles maneant ad gradus, & officia Religionis, nisi per Summum Pontificem, aut Dominos Inquisitores rehabilitentur. Ita Barbosa de Iure Ecclesiastico lib. 1. cap. 19. num. 128. Tamburinus de Iure Abbat. tom. 1. disp. 6. quæst. 21. num. 17. Leand. de Pœnit. tract. 5. disp. 13. quæst. 65. Trullench dub. 18. citat. num. 103. Diana loc. citato. ¶ At Thomàs Hurtado tract. 4. cap. 8. num. 814. docet ex eodem Diana, quod si Religiosus vadat ad aliam regionem longinquam, in qua nec scitur aliquid de tali infamia, nec est periculum diffamationis, potest Provincialis cum ipso dispensare, & rehabilitare ad Religionis officia.

Describitur quomodo sit denuntiatio facienda.

109 Inquires quartò. Quomodo facienda est denuntiatio? Respondetur faciendam esse ab ipsis pœnitentibus, quando comodè possunt; si vero denuntiantes sint mulieres nobiles, quæ absque infamia ad ipsos Inquisitores, aut eorum ministros adire nequeunt; aut si sint moniales, quibus extra domum exire non licet, id faciant, vel in scriptis, aut medio Confessario prudenti, & docto, vt Domini Inquisitores de remedio provideant.

Ponitur modus ferendi sententiam contra solicitantes.

110 Inquires vltimo, qualis sit modus ferendi sententiam contra solicitantes? Sic ex Palao punct. 11. num. 2. Trullench n. 101. breviter describitur. Concluſa causa, vocantur consultores tantum, & ex eorum consilio Inquisitor in Tribunali secreto, numquam vero in publico (vt malè ait Cantera in qq. de hæret. num. 95. ne fideles à receptione sacramenti abstineant, & hæretici Confessarios irrideant) profertur sententia, & legitur præsentibus duobus, aut quatuor Confessarijs regularibus, aut sæcularibus. Postea graviter reprehensus solicitans *abiurat de levi*, & ab audiendis confessionibus, & à prædicando perpetuo privatur, si casus gravis, vt si plures solicitavit, aut solicitationis effectum est consequutus: si vero casus ita gravis non est, privatur per aliquot annos ab audiendis confessionibus virorum, & in perpetuum mulierum, & vno, aut duobus annis in monesterio recluditur. Si vero est regularis, privatur voce activa, & passiva; & aliquoties quoram communitate iterum sententia legitur, & si solicitatio fuit gravis, post sententiam prolatam, ab omnibus flagellatur. Sed si solicitans ante duorum testium depositionem se detulit, non detruditur in carcerem, sed lite contestata, & causa concluſa *abiurat de levi*, & tantum ab audiendis confessionibus privatur.

Delinquens affectus sententia cõtra solicitantes potest manifestari iuxta opinionẽ aliquorum DD

111 Sed circa dicta num. antecedenti quæres: An Ecclesiastici, qui interſunt sententiæ contra solicitantes latæ, possint licitè alijs delinquentem manifestare? Affirmativè respondet Diana part. 4. tract. 5. resol. 44. & coordinatus loco citato, resol. 94. Leand. tract. 5. de Pœnitentia, quæst. 61. nisi casu, quo Inquisitores graviter, & expressè illum propalare prohibuerint. Et ratio illorum est, nam tale crimen inter alios Ecclesiasticos; v. g. manifestare nullum gignit scandalum, quin imò est valde illis proficuum, ex eo quod terreantur à solicitatione ob timorem pœnæ, quam audiũt: ergo sine peccato, saltim mortali, possunt alijs doctis Ecclesiasticis delinquentes manifestare.

112 Dicendum est tamen, peccare mortaliter

Mortaliter peccat, qui manifestat delinquentē sententia cō tra solicitantes affectū.

taliter eum, qui delinquentes à Tribunali punitos, alijs manifestat, & si id graviter Inquisitores non vetent. Quod facilè suadetur: etenim hoc ipso, quod tale crimen occultè puniatur, & sententia illa non in publico theatro, sed intra Inquisitionis cancellos proferatur, signum est, quod Inquisitores talem delinquentem infamare nollunt extra illius limites congressus: sed quando crimen ita punitur, nequit sine peccato mortali, & restituendi obligatione, alijs manifestari; vt docuimus tom.3. tract.13. cap.4. punct.5. num. 58. ergo mortaliter peccat, qui solicitantem ab Inquisitoribus punitum, alijs, etiam Ecclesiasticis, manifestat. Nobiscum sentiunt Sousa tract. 2. cap. 16. num. 8. & alij loco citato relati. Et hæc sufficiant pro hac nodosa, & difficili materia.

CAP. V.

De Spe.

IUxta Apostoli doctrinam 1. ad Corinth.13. illis verbis: *Nunc autem manent tria hæc: Fides, Spes, Charitas.* Post Fidem immediatum locum obtinet Spes. A qua breviter nos expediemus, quia leves, quæ ad mores immediate expectant, sunt de ea decidendæ difficultates; reliquæ vero illius purè scholasticæ sunt, & ideò à Magistro in tertio lib. distinct. 62. à D.Thom. 2. 2. quæst. 17. art. 1. eiusque discipulis, & maximè à NN. Salmantic. scholasticis tom. 7. tract. 18. late disputantur: quare his omissis, solum ad mores immediate expectantia differemus. Vnde hoc caput per tria dividimus puncta, in quorum primò agimus de Spei essentia, obiecto, subiecto, & de existentia, & qualitate illius præcepti: in secundò tractabimus de dono timoris, vi cuius homo frænatur, ne ob nimiam spem in præsumptionem incidat; & eius voluntas ita disponitur, ne, dum præcipuum Spei effectum obtinere conatur, in aliquod vitium huic virtuti oppositum labatur. Ac tandem in tertiò erit nobis sermo de vitijs oppositis Spei, scilicet præsumptione, & desperatione.

Punct. I. *Quid sit Spes, quod eius obiectum, & subiectum? Et an detur præceptum illius; quale sit, & quando obliget?* num. 1.

Punct. II. *De dono timoris.* num. 9.

§. I. *Quid, & quotuplex sit timor?* num. 10.

§. II. *An timor castus, & filialis sit honestus, & laudabilis?* num. 17.

§. III. *Vindicantur Salmanticenses scholastici ab impostura RR. Magistri Ponce.* num. 30.

§. IV. *Referuntur sententiæ contrariæ conclusionibus §. secundò stabilitis.* num. 41.

§. V. *Quis timor sit donum Spiritus Sancti? Et an de aliquo timore detur præceptum?* num. 45.

Punct. III. *De vitijs oppositis Spei, scilicet Desperatione, & Præsumptione.* num. 50.

PUNCT. I.

Quid sit Spes, quod eius obiectum, & subiectum; & an detur præceptum illius; quale sit, & quando obliget?

OMnia hæc, quia explicatu facilia sunt, sub vnius puncti titulo amplectimur, in quorum explicatione parum proinde immorabimur.

Diffinitio spei eiusque distinctio à Fide, & Charitate.

1 Omissis Spei varijs acceptionibus, hic illam solum accipimus pro habitu supernaturali, quo æternam Beatitudinem, seu gloriam speramus, vt ait Apost. ad Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Et ad Titum cap. 1. v. 2. *Secundum spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus.* Vnde diffiniri potest, dicendo: *Spes est habitus supernaturalis, quo creatura rationalis sperat Beatitudinem supernaturalem sibi virtute divini auxilij, vt arduum futurum, consequendam.* Ex quo constat, tum, quod obiectum primarium huius virtutis sit Deus vt nobis per Beatitudinem consequendus: taliter quod Deus si sit obiectum consequendum, Beatitudo vero sit consecutio illius: cætera autem bona, quæ speramus sunt obiecta secundaria. Tum etiam quod hæc sit virtus Theologalis, cum respiciat immediatè Deum. Videantur circa prædicta D.Thomas loc. citat. 2. 2. q. 17. art. 5. & ibi N.Salmant. schol. tract. 18. disp. 1. dub. 1. ¶ Distinguitur hæc virtus à Fide, & Charitate, cum respiciat obiectum formaliter diversum: fides enim respicit Deum vt testificantem *verum*; Charitas vt *in se bonum*; Spes vero vt *nobis bonum*; quæ, vt liquet, sunt inter se satis diversa, sufficientiaque ad virtutes Theologales inter se distinguendas. Et licet Spes sequatur Fidem, & præcedat Charitatem, quia nihil speratur, nisi quod futurum credi-

ditur : & prius diligimus Deum vt nobis bonum, quam, vt in se est bonum, amemus ; tamen est vtraque imperfectior, quia Charitas attingit Deum, vt in ipso sistat, non vt ex eo nobis aliquid proveniat : Spes vero attingit Deum secundum quod ex ipso provenit nobis adeptio boni, vt ait D. Thom. art. 8. & infra quæst. 23. art. 6. & ideò concludit Angelicus Doctor : *Charitas est excellentior Spe.* ¶ An fides sit spe perfectior, non est ita certa conclusio : sed nihilominus affirmativa defenditur à N. Salmant. loc. cit. disp. 2. dub. 2. num. 17. quia fides habet obiectum abstractius, & vniversalius, quam spes, cum illa respiciat verum, ista vero bonum vt proprium, quod minus vniversale, & abstractum est. Videantur N. Salmant. loc. cit. & alij DD. num. sequenti referendi.

Spes in sola volûtate recipitur.

2 De subiectis, in quibus hæc virtus spei existit, disputant D. Thom. quæst. 18. & N. Salmant. disp. 3. dub. 1. iuxta quos dicendum est primò spem non recipi nec in intellectu, nec in appetitu sensitivo, sed vnicè in voluntate. Prima pars liquet, quia habitus, qui respicit bonum, nequit esse in intellectu, sed in voluntate ; sed spei habitus respicit bonum, cum eius actus sint, bonum divinum cupere, & expectare vt absens : ergo non recipitur in intellectu, sed in voluntate. Ex quo iam patet ad secundum quoniam appetitus sensitivus solum habet pro obiecto bonum sensitivum, sed bonum, quod est obiectum principale huius virtutis, non est bonum sensibile, sed bonum divinum, vt ait D. Thom. quæst. citata, art. 1. in corpore : ergo Spes non est in appetitu sensitivo, sed in voluntate.

Spes non est in Beatis, nec in damnatis, & hæreticis : bene autè in peccatoribus fidelibus, & Purgatorij animabus.

3 Dicendum est secundò, hanc virtutem non posse esse in Beatis : nam, vt ait Apost. ad Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat ?* Sed Beati vident Deum : ergo in Beatis nequit esse spes. ¶ Dicendum est tertiò, in damnatis non posse inveniri spem : & ratio est, quia damnati sunt certi de perpetuitate suæ damnationis : sed cum hac certitudine nequeunt apprehendere vt sibi possibilem Beatitudinem, qualiter requiritur ad sperandum : ergo in eis reperiri non potest spes. Ita Div. Thom. q. 18. art. 1. 2. & 3. ¶ Ex quibus sequitur, nec etiam esse in hæreticis : quoniam in hæreticis non est fides supernaturalis ; sed fides supernaturalis, vt ait Apostolus ad Hebræos 11. *Est sperandarum substantia rerum* : ergo nequit esse in eis spes. ¶ Dicendum est quartò, in peccatoribus fidelibus, si desperationis actum non eliciant ; & in animabus Purgatorij reperiri spem : ratio vtriusque partis est : quia spes theologica non destruitur directè nisi per desperationem, vel indirectè per infidelitatem : sed nullum ex his datur in animabus Purgatorij, aut in peccatoribus fidelibus non desperantibus, vt ex se liquet : ergo in eis manet spes theologica. Ita Div. Thom. art. 3. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 4. dub. 1. Palaus tom. 1. tract. 5. disp. vnica, punct. 3. num. 5. 6. & 7. Coninch. de Spe, disp. 19. dub. 11. & 12. Suarez disp. 1. sect. 8. n. 4. N. Salm. tr. 18. disp. 3. dub. 1. §. vnico, Tapia tom. 2. Catenæ, lib. 2. q. 1. art. 1. & alij communiter. Quibus sic stabilitis.

Datur speciale præceptum Spei.

4 Rogabis primò : An sit præceptum speciale Spei ? Respondetur affirmativè cum communi Theologorum sententia : imò & credimus cum illis hanc conclusionem esse de fide. Ratio vtriusque partis est : Tum, quia Psalm. 4. dicitur : *Sperate in Domino* : & Psalm. 33. *Beatus vir, qui sperat in eo.* Et 1. ad Thimoth. 6. *Præcipe:::::: non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vero.* Et alibi sæpè. Tum etiam : quia actus necessarius ad iustificationem cadit sub præcepto divino : sed actus Spei, vt diffinit Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. & insuper Canon. 26. est necessarius ad iustificationem : ergo cadit sub præcepto divino. Denique homo elevatus ad finem supernaturalem, debet ad illum tendere ; sed tendit ex inclinatione Spei prædictum finem assequi contendentis : ergo debet actum huius virtutis elicere. Quare sperare Spe theologica est de fide, & cadit sub præcepto affirmativo divino. Cæterum, quia huiusmodi divinum præceptum, vt pote affirmativum, non pro semper, sed determinato tempore obligat, est non leve disidium inter Doctores, quando teneamur ad sperandum ; nam de præcepto negativo non desperandi de divina misericordia, concors Doctorum sententia est semper, & pro semper obligare, cum desperare, sit ab intrinseco malum.

Tenetur quis in sua vita elicere actum Spei.

5 Pro quo, vt omnino certum supponendum est, quod homo tenetur ex vi huius præcepti in aliquo vitæ suæ tempore elicere actum Spei. Et ratio est, nam omnia præcepta affirmativa dantur ad eliciendos virtutum actus ; sed præceptum sperandi est affirmativum : ergo obligat ad eliciendos aliquando huius virtutis actus. Cætera constant præter minorem, quæ sic ostenditur. Etenim omne præceptum, si vere est tale, ad illius executionem obligat, alias esset mere consilium ; sed hoc est verè præceptum ; ergo aliquando obligat ad illius executionem, scilicet ad exercendos Spei actus. Nostram resolutionem confirmat decretum Alexand. VII. in quo prohibuit hanc primam propositionem : *Homo vllo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ergo ex decisione Pontificis tenetur homo aliquo suæ vitæ tempore aliquem Spei actum elicere ; alias contra hoc divinum Spei præceptum peccabit. Videantur Lastra super dictam propositionem, Theatrum morale, & alij.

Assignatur tempus, quo hoc præceptum obligat

6 In quo ergo tempore vitæ hoc præceptum per se obliget ? Non est vna Doctorum sententia. Dicimus ergo, hoc præceptum obligare primò, & per se, quando homo pervenit ad vsum rationis. Quod breviter suadetur : nam tunc tenetur homo, non solum in Deum se convertere ; sed etiam statuere, illum finem vltimum supernaturalem consequi ; sed hoc fieri nequit sine actu Spei ; ergo tenetur per se ex vi dicti præcepti illum tunc elicere. Deinde : sicut tunc debet inchoari motus conversionis in Deum, ita & prætensionis consequutionis illius, cum in hoc nostra beatitudo consistat ; sed ob illam rationem obligat per se præceptum Charitatis, vt ait D. Thom. 2. 2. quæst.

quæst. 22. art. 1. & infra cap. sequenti patebit: ergo etiam ob eandem obligat per se præceptum Spei. Ita Petrus Ledesma tom. 2. tract. 2. cap. 3. concl. 3. Prado tom. 1. cap. 11. quæst. 2. num. 9. Bañez 2. 2. quæst. 22. art. 1. Aragon, & N. Salmant. tom. 4. tract. 13. disp. 20. dub. 1. loquendo de Charitatis præcepto. Contra Sanch. lib. 2. in Decalogum, cap. 33. num. 2. Palaum tom. 1. tract. 5. punct. 4. à num. 3. Villalob. 2. part. tract. 2. diffic. 1. n. 3. Trullench lib. 1. cap. 4. contendentes tum non obligare per se, sed per accidens ratione conversionis in Deum. Sed ad hoc patet ex dictis pro nostra assertione.

Obligat *per se* præceptũ Spei, quando adest desperationis periculum.

7 Dicendum est secundò: præceptum Spei obligare *per se*, quando aliquis graviter contra Spem tentatur, & est in periculo desperandi, nisi actu contrario animum firmet. Quod sic suadetur: nam quilibet ex præcepto Spei tenetur ad adhibenda media necessaria ad non desperandum; sed quando quis graviter contra Spem tentatur, medium necessarium ad non desperandum, est positivè in Deo sperare: ergo tunc per se ex præcepto Spei sperare tenetur. Ita Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 33. num. 2. Ledesma tom. 2. tract. 2. cap. 4. concl. 5. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 13. punct. 2. num. 2. Palaus tract. 5. disp. vnica, punct. 4. num. 3. Trullench cap. 3. dub. 2. num. 4. N. Antonius de Præceptis, tom. 3. tract. 2. disp. 1. sect. vnica, num. 5. Ex quibus Ledesma, & etiam Tapia tom. 2. lib. 2. quæst. 1. art. 2. n. 3. extendunt, & quidem rectè, hanc obligationem ad mortis articulum, à quibus non dissentiunt N. Salmant. tract. 17. disp. 6. dub. 2. num. 106. dum tradunt fidei præceptum per se in articulo mortis obligare; cum Spei obligatio eandem vim habeat. ¶ Dicendum est tertiò, teneri fideles ex vi huius præcepti ad eliciendum actum Spei saltem singulis annis. Ita Ledesma concl. 6. cap 4. citato: & colligitur ex his, quæ circa fidem diximus cap. 2. punct. 3. num. 30. quin necessarium sit vlterius aliquid addere.

Assignantur occasiones, & tempora, in quibus obligat *per accidens* præceptũ Spei.

8 Sed rogabis secundò: Quando obligat *per accidens* præceptum Sperandi? Respondetur, obligare primò *per accidens*, seu ratione alterius, quando homo cogitur de anteacta vita pœnitere; cum impossibile sit dolere de peccatis ad illorum veniam obtinendam absque huius veniæ Spe. Sic Ledesma concl. 4. cap. 4. citat. ¶ Secundò, quando actus Spei est necessarius ad vincendas tentationes in alijs materijs. ¶ Tertiò, quando obligant præcepta dilectionis Dei, & Orationis, quia hæc impleri non possunt absque Spei actu. Ita Sanch. loc. cit. num. 2. Trullench n. 5. Azor lib. 9. cap. 2. quæst. 7. Granad. tract. 4. de Spe, disp. 1. num. 2. ¶ Sed nota hic primò cum Palao num. 4. Dian. 5. part. tract. 14. res. 106. huic præcepto homines satisfacere, cum dolent de peccatis, & proponunt deinceps mortaliter non peccare: quia regulariter isti actus oriuntur ex amore imperfecto cum spe vitæ æternæ, & veniæ. Nota secundò. Magnam adesse differentiam inter obligare hoc præceptum per se, & per accidens: nam quando *per se* obligat, illius omissio est distinctum peccatum necessario in confessione explicandum: at vero, quando obligat per *accidens*, non est distinctum peccatum ab eo, propter quod exigitur: & ita, qui, quando tenetur pœnitere, omittit Spei actum, solum peccat contra virtutem Pœnitentiæ, non vero Spei, sine qua Pœnitentia esse nequit. Dicta nobiscum tenent Sanch. cap. 33. num. 2. Ledesma concl. 4. dub. 1. Prado cap. 11. quæst. 2. n. 2. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 13. punct. 1. num. 3. & Trullench cap. 14. dub. 2. num. 6.

PUNCT. II.

De dono timoris.

Assignatur timoris divisio, simulque quid in hoc puncto nobis agendum est.

9 POstquam D. Thomas de Spei essentia, & subiectis, in quibus ipsa residet, longe, lateque egit; disputat in quæst. 19. de dono timoris, cuius vestigijs ex more inhærentes, de eo etiam erit nobis sermo. Pro cuius intelligentia, & ampliori claritate eorum, quæ à nobis in hoc puncto dicenda sunt, oportet prius advertere, quod timor potes tripliciter accipi: primò, prout est passio appetitus, quæ *refugit naturaliter malum*. De quo agit D. Thom. 1. 2. quæst. 41. & 42. Secundò, prout est vitium fortitudini oppositum, quod dicitur timiditas, *fugit que malum, quod iuxta rectam rationem timere non licet*. De quo Angelicus Doctor in hac 2. 2. quæst. 125. Tertiò denique prout est donum quodam Spiritus Sancti, quo mens hominis frænatur, ne ob nimiam spem, in præsumptionem labatur. Et de hoc agit N. Magister, & Doctor Angelicus in præsenti quæst. 19. licet incidenter nonnulla de alijs timoribus tractet; cuius morem gerentes etiam & nos aliqua circa eos attingemus. Vnde hoc punctum vipartimur, in cuius prima parte de essentia, & divisione timoris agemus: in secunda autem de honestate illius: & hac occasione vindicabimus N. Salmanticenses Scholasticos ab impostura Magistri Ponce. Et denique de dono timoris, & qualiter timor filialis, & servilis sub præcepto divino cadant, nonnulla dicemus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit timor?

Adducitur, & explicatur timoris diffinitio.

10 PRo clariori intelligentia eorum, quæ toto hoc puncto dicenda sunt, aliqua apud omnes certa prælibare oportet: vnde ante omnia præmittenda est diffinitio timoris, quæ ex Phylosopho 2. Rhet. cap. 5. & ex D. Thom. 1. 2. quæst. 42. art. 3. sic se habet: *Timor est fuga mali ardui futuri, quod non potest facile vitari*. Explicatur diffinitio. Dicitur *fuga mali ardui*, quia, vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 11. in corpore: *Parva enim mala timorem non inducunt*. Additur *futuri*: id est proximè imminentis à potente illud infligere, quia si inferatur à non potente nequit iuste timeri. Denique additur à D. Thom.

Thom. *Quod non potest facile vitari*, nam si facile vitare possumus, nulla causa adest, vt à viro constanti timeatur. ¶ Aliam diffinitionem adduximus tom. 2. tract. 9. cap. 9. dub. 1. num. 1. scilicet. Quod timor. *Est passio, qua refugimus malum futurum, cui resistere non possumus.* Quæ vt constat in nihilo differt ab ista quam hic expiicuimus. ¶ Qui circa timoris essentiam, & eius conditiones plura voluerit, legat N. Salmantic. Scholasticos super 1. 2. D. Thom. quæst. 6. in Annotationibus ad artic. 6. & insuper à nobis dicta loco citato ex tom. 2. fere per totum cap. 9.

Quotuplex sit timoris obiectum.

11 Ex diffinitione autem hic adducta infertur primò, quod, sicut spes duplex habet obiectum, scilicet bonum arduum, quod consequi speratur, & auxilium illius, per quem credit posse, quod sperat, adipisci: ita timor duplex habet obiectum, & ipsum malum, quod homo refugit, & etiam causa à qua tale malum provenire potest. Vnde concludit D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 1. quod licet Deus in quantum est ipsa bonitas timeri non possit, tamen in quantum ab ipso potest nobis imminere malum pœnæ, est obiectum timoris, debet que ab omnibus timeri. Ratio huius illationis patet; tum ex sacra Pagina: Nam Ieremiæ 10. dicitur: *Quis non timebit te ò Rex gentium?* Et Eccles. 1. *Radix sapientiæ est timere Deum.* Et Matthæi 1. *Si ego Dominus, vbi est timor meus?* Sed quod timetur, est obiectum timoris: ergo obiectum timoris est, non solum malum, quod refugit, sed etiam causa, à qua tale malum infligi potest. Tum, quia in hoc differt timor à tristitia, quod hæc respicit malum, vt præsens, & in se ipso; ille autem respicit malum vt futurum, sed futurum habet vt tale esse à causa: ergo timor non solum respicit vt obiectum malum, quod refugit, sed etiam causam, à qua tale malum imminet. Tum sic: sed Deus est causa, à qua nobis potest provenire malum pœnæ, ergo non solum pœna, verum etiam ipse Deus est obiectum timoris. Videantur D. Thom. citatus. Bannez ibi. Ferre tom. 3. quæst. 12. N. Salmant. Scholastici tract. 17. disp. 4. num. 8.

Peccatum nequit esse obiectum timoris.

12 Infertur secundò, quod peccatum, vt tale, nequit propriè esse obiectum timoris. Et ratio ex D. Thom. 1. 2. quæst. 42. art. 3. desumpta, ea est. Nam obiectum timoris debet esse malum arduum futurum, quod de facile vitare non possumus; sed peccatum actuale de facile vitare possumus; cum omnino nostræ subiaceat voluntati: ergo peccatum propriè nequit esse obiectum timoris. ¶ Deinde: malum, quod timetur, debet, esse terribile, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 144. art. 2. sed terribile solum est, quod ex causa extrinseca provenit, non vero ex voluntate nostra, vt docet Angelicus Doctor quæst. 42. citata art. 4. ergo peccatum, cum à voluntate nostra procedat, nequit verè, vt tale timeri. ¶ Præterea: *Timor* (vt dicitur in eadem 1. 2. quæst. 42. art. 3. ad 3.) *est de malo, quod non subiacet nostræ potestati; & ideo semper malum, quod timetur, est à causa extrinseca.* Sed peccatum nostræ subiacet potestati, & non est à causa extrinseca: ergo, &c. Vltimò. Vt malum timeatur vt futurum, est necessarium, timere causam potentem illud infligere, à qua debet esse futurum: sed causa, à qua peccatum habet esse futurum est voluntas: ergo deberet seipsam timere. Ergo, cum hoc sit absurdum, absurdum etiam erit, quod propriè timeamus peccatum. Ita Ferre quæst. 12. citata num. 26. Serra 2. 2. quæst. 19. art. 2. & Salmant. loco relat. dub. 2. contra Coninch. disp. 20. dub. 3. & Suarez disp. 1. sect. 4. num. 4. quorum argumenta videri possunt apud nostræ illationis Patronos; licet replicam, quæ in hac materia difficilior est, infrà num. 14. subijciemus.

Assignatur timoris divisio, & huius rationes.

13 Præmittenda est secundò divisio timoris, quam ex Magistro in 3. distinct. 34. docet D. Thom. in præsenti art. 2. nimirum *in filialem, initialem, servilem, & mundanum.* Cuius divisionis ratio ex D. Thom. hæc est. Nam primò, vel propter mala, quæ timemus, v. g. bonorum amissionem, à Deo avertimur, eius mandata confringendo: & hic dicitur timor *mundanus.* Plus enim tunc amamus mundana, quam Deum. Quod proprium eorum est, qui tantum temporalibus inhiant. Vel secundò convertimur ad Deum propter timorem culpæ; & hic dicitur *filialis.* Nam filiorum est timere offensam Patris, & ob hoc vnicum motivum ea, quæ eius voluntati offendunt, minimè patrare audent. Vel tertiò Deo inhæremus ob timorem pœnæ: & sic est timor *servilis.* Servi enim operantur non ex amore Domini, sed ex comminatione pœnæ, & supplicij. Vel denique ad Deum convertimur propter vtrumque culpam, scilicet & pœnam; & iste dicitur timor *initialis*, quia communiter initio conversionis adest, viam sternit ad *filialem*, & est medium inter filialem, & servilem, sicut imperfectum est medium inter perfectum, & non ens, vt dicitur 2. Methaph. vel sicut Charitas imperfecta se habet ad perfectam, vt loquitur D. Thom. in præsenti art. 3. Quæ divisio sic explicata admittitur ab omnibus Scholasticis, & Moralistis. Videantur Bannez loco citato D. Thomæ. Ferre de Spe, quæst. 12. §. 2. N. Salmant. tract. 17. disp. 4. num. 3. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 2. quæst. 3. 4. & 5. Trullench lib. 1. cap. 4. dub. 2. à n. 16. & Palaus tom. 1. tract. 5. disp. vnica, punct. 4. num. 6. ¶ Quod vero hæc divisio, licet D. Thom. præcipuè ex Mag. eam desumpserit, pateat etiam ex sacra Pagina; constat, tum ex illo Matthæi 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* In quo exprimitur essentia timoris *mundani.* Tum etiam ex illo ad Roman. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Et Psalm. 18. *Timor sanctus permanet in sæculum sæculi.* Vbi timor filialis, seu sanctus satis indigitatur. Et loquendo de timore *servili* expresse traditur illis verbis Divi Matthæi cap. 10. *Timete eum, qui potest animam, & corpus mittere in gehenam.* Et denique timor *initialis* non obscure significatur Ecclesiast. 2. *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Vnde constat hanc timoris divisio-

sionem non solum esse iuxta communem Doctorum sententiam, sed etiam ad sacræ Paginæ mentem.

Replica. 14 Sed immediatè vrgenter contra eam replicabis. Si vera sunt hucusque dicta, timor castus, & filialis in hoc distinguitur à servili, quod hic respicit, vt obiectum pœnam, ille vero respicit culpam: sed ex dictis num. 12. nullus timor, qui sit verè talis potest respicere culpam vt obiectum: ergo, cum filialis timor sit verè, & propriè timor, falsum erit, quod respiciat culpam vt obiectum; vel si dicatur, quod non respicit culpam, sed pœnam, non distinguitur à servili, quod est contra D. Thomam, & hucusque stabilita.

Solutio Replicæ. 15 Pro huius replicæ solutione nota primò, quod, vt docent Salmant. Scholast. tr. 13. disp. 16. dub. 5. num. 130. sicut gratia habet duplicem conceptum virtualiter indistinctum, scilicet & perficere animam trahendo Deum ad ipsam, & illam convertere ad Deum, vt sit tota ipsius Dei; ita similiter peccatum, cum sit gratiæ privatio debet inducere in anima has duas privationes, nimirum & conversionis Dei ad hominem, & hominis ad Deum: seu alijs terminis: inducere & separationem Dei ab homine, & hominis à Deo. Primò modo habet rationem pœnæ; secundò rationem culpæ. ¶ Nota secundò, quod hæc privatio conversionis Dei ad hominem potest adhuc accipi, vel vt privat hominem gratia, & alijs donis; vel vt tantum est dissolutio amititiæ inter Deum, & hominem. Si primò modo accipiatur habet conceptum pœnæ, cum privet ob culpam hominem bonis spiritualibus, ad quæ ius habet. Si secundò modo sumatur, non habet rationem pœnæ, quia posset Deus auferre gratiam pro libito, & si nulla præcessisset culpa: & ita ait D. Thomas in 3. distinct. 34. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad 2. Nec dissentit 2.2. quæst. 19. art. 5. ad 2. *Timor castus non timet separationem in quantum est pœna, sed in quantum est elongatio ab amato.* Cæterum negare non possumus, quod tunc esset quodam malum oppositum inclinationi Charitatis. Ex quibus constat ad replicam. Dicimus ergo, quod timor castus non timet culpam vt talem; nec vt pœnam, sicut timet servilis; sed præcisè vt est separatio ab amato, quæ licet realiter sit culpa, & pœna specificativè, non tamen reduplicative est culpa, aut pœna, sed solum quodam malum oppositum Charitatis inclinationi, & prout sic obiectum capax ad distinguendum timorem servilem à casto. Videantur Salmanticens.

Solutio Magistri Ferre. 16 Aliter respondet Ferre num. 31. concedendo timorem castum respicere separationem à Deo non vt culpam, sed vt pœnam; negat tamen non distingui à timore servili, quia licet vterque respiciat pœnam, aliter tamen, & aliter; nam servilis eam respicit vt oppositam amori proprio concupiscentiæ, timor vero castus respicit separationem à Deo, vt est pœna amori Charitatis oppositam, quæ diversitas sat est ad refundendam inter prædictos timores distinctionem specificam. Vtraque solutio sufficienter satisfacit replicæ licet prima sit Angelici Magistri menti conformior.

§. II.

An timor castus, & filialis sit honestus, & laudabilis?

Quare non procedat quæstio de timore mundano. 17 NOn quærimus de timore mundano: quia, quod hic semper sit turpis, & inhonestus, est apud omnes certum. Et ratio ex D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 3. desumpta hæc est: Etenim timor mundanus procedit ex amore mundano, qui propriè talis dicitur: *Quo aliquis Mundo innititur tamquam fini* (vt ait Angelicus Doctor) *& sic amor mundanus semper est malus.* Sed timor, qui procedit ex amore malo, pravus est; ergo timor mundanus erit etiam pravus, & inhonestus. Deinde: iste timor prohibetur in Evangelio à Christo Domino illis verbis Matthæi 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Ergo est malus. ¶ Nec quærimus de timore *initiali*: quia hic timor iuxta D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 8. non distinguitur secundum substantiam à *filiali*, sed se habet ad illum vt via, & sicut imperfectum ad perfectum intra eandem speciem; vnde D. Thom. dixit: *Timor initialis hoc modo se habet ad filialem sicut Charitas imperfecta ad perfectam.* Quare, quod de timori filiali dictum fuerit proportionabiliter applicandum erit timori initiali. Quam ob rem tota erit difficultas circa timorem *castum*, & *servilem.* Pro cuius decisione,

Timor castus est bonus, & dignus laude. 18 Dicendum est primò: Timorem *filialem*, seu *castum* esse bonum, honestum, & laudabilem. Hæc conclusio est adeò certa, vt D. Thom. de ea specialem difficultatem non excitaverit, licet id egerit de timore mundano, & servili. Et ratio illius est: nam timor *filialis*, & *castus* provenit à Charitate, vt ex dictis constat, sed quod à Charitate provenit, sanctum, honestum, & laudabile est: ergo laudabilis, honestus, & bonus erit timor *castus.* Deinde: Timor *castus*, seu Dei, est donum Spiritus Sancti, vt loquendo de donis Spiritus Sancti, quæ requiescent super Verbum incarnatum, illis verbis docet Ioannes cap. 11. *Et replevit eum Spiritus timoris Domini.* Sed dona Spiritus Sancti sancta, honesta, & laudabilia sunt; ergo id ipsum habet timor *filialis.* Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 9. quem sequuntur omnes Theologi.

Quibus modis possit quis ductus timore pœnæ, vitare culpam. 19 Maior tamen difficultas est circa timorem *servilem*: An sit nec ne laudabilis, & bonus? Sed vt hæc facilius superetur; sciendum est, quod (cum timor *servilis* propriè habeat ex horrore culpæ, vitare *pœnam æternam*, vt ait D. Thom. in 3. distinct. 34. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. vel vt loquitur in art. 1. quæstiunc. 2. *Quæ erit post hanc vitam.* Ad distinctionem timoris mundani, qui temporales pœnas refugit, & ob has vitandas committit peccatum, vt ibidem ait Angelicus Doctor) tripliciter contingere potest, vt aliquis vitet culpam ex horrore pœnæ: primò, quando, licet principaliter fugiat culpam ex horrore ipsius, tamen occasionaliter movetur ex horrore pœnæ ad magis eam detestandam;

qui

qui quidem timor, etiam ex parte pœnæ, licitus est, vt ex se constat. At credimus, quod hic timor *servilis* non est, sed propriè *initialis*, cuius munus est timere culpam principaliter, & secundario pœnam, vt loco citato ex 2. 2. quæst. 19. art. 3. ad 2. his verbis, dicitur: *Timor initialis non timet pœnam sicut proprium obiectum, sed in quantum aliquid de timore servili adiunctum, qui secundum substantiam manet quidem cum Charitate, servilitate remota. Sed actus eius manet quidem cum Charitate imperfecta in eo, qui non solum movetur ad agendum ex amore iustitiæ, sed etiam ex timore pœnæ.* Ergo, cum prædictus timor principaliter timeat culpam, & secundario pœnam, *initialis* erit. Videatur idem Ang. Doct. in 3. distinct. iam citata quæstiunc. 2. ad 2. ¶ Secundò: potest quis vitare culpam ex horrore pœnæ, taliter, quod habeat affectum conditionalem quod, si non adesset pœna, non vitaret culpam. Sed hic timor non est *servilis*, sed *mundanus*; cum positivè præferat pœnam culpæ, & consequenter est malus, & peccaminosus. Et hunc timorem aliqui Doctores tenent, habere servilitatem obiectivam; sed impropriè loquuntur, cum hic timor non sit, vt diximus, *servilis*, sed *mundanus*, cui nulla servilitas propriè competit.

Quando detur timor servilis.

20 Tertiò potest accidere, quando quis vitat culpam ex horrore pœnæ, habendo pœnam vt finem immediatum, non tamen excludendo alium vlteriorem finem, nec illum positivè includendo, sed ab vtroque præscindendo; nec comparando positivè pœnam cum culpa, sed purè præcisivè se habendo: & hic timor est propriè *servilis*; vt docet D. Thom. quæst. 19. art. 4. ad 3. his verbis: *Timor servilis secundum substantiam non importat nisi timorem pœnæ, sivè timeatur vt principale malum, sivè non timeatur vt principale malum.* Hoc est, sivè referatur, sivè non ad vlteriorem finem. Et in hoc timore duplicem servilitatem considerare possumus; aliam subiectivam, vt si existat in peccato mortali, qui elicit talem timoris actum; & aliam obiectivam desumptam ex pœna, quam respicit vt obiectum, & ex eius horrore vitat culpam: inter quas est non levis differentia, nam prima non pertinet ad speciem actus, cum sine illo peccati statu actus timoris servilis elici possit: secunda vero est de essentia, & specie illius, cum per ordinem ad pœnam specificetur, distinguatur que in specie timor servilis à casto, vt probat D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 4. & 5.

Timor servilis est honestus, & dignus laude.

21 Quo supposito: dicendum est primò timorem *servilem* secundum suam essentiam consideratum, seu secundum servilitatem obiectivam, quam à pœna vt ab obiecto accipit, esse bonum, & honestum: ac proinde actus, quo quis ex horrore inferni vitat culpam, est bonus, & laudabilis. Hæc assertio est de fide. Et omissis pluribus sacræ Paginæ testimonijs videndis apud N. Salmant. tract. 17. disp. 4. à num. 23. suadetur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi sic ait: *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum Spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem in habitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.* Sed impossibile est, quod attritio esset actus bonus, si timor gehennæ, vel pœnarum, ex quarum consideratione concipitur, esset pravus: ergo talis timor est actus bonus. Sed clarius idem Concilium nostram diffinit conclusionem sess. 6. cap. 8. his verbis: *Siquis dixerit gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Ergo de fide est, quod timor servilis secundum quod respicit pœnas vt obiectum, ab eoque servilitatem obiectivam sumit, bonus, & honestus est.

Probatur conclusio ex decreto Alex. VIII.

22 Nec minus clarè novissimè Alex. VIII. in decreto dato anno 1690. die 20. Decemb. in quo 31. propositiones tamquam temerarias, hæresim sapientes, schismaticas, & hæreticas respectivè damnavit, hanc sententiam diffinivit: nam propositio XIV. prohibita à prædicto Summo Pontifice sic se habet: *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Et XV. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se non est bonus motus, ac supernaturalis*: ergo è contra verum est, quod actus timoris gehennæ est supernaturalis, & consequenter bonus, & quod attritio de offensis ex tali timore concepta honesta, & sancta est; & denique, quod sit bonus motus, & supernaturalis, vt hic Sum. Pontifex definit. ¶ Confirmatur: Etenim detestari peccatum, & virtutem amplecti ob æternam gloriam adipiscendam, actus licitus, & honestus est: ergo similiter, vitare peccatum ob timorem gehennæ, actus honestus erit: consequentia liquet à paritate, cum vtriusque actus motivum sit quid creatum supernaturale. Antecedens diffinitur ab Alexand. VIII. in propositione 10. ab ipso damnata, quæ sic se habeat: *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere vt cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.* Ergo detestari malum, seu peccatum, & virtutem amplecti ob gloriam adipiscendam, honestum est: ergo etiam bonum erit, vitare peccatum ob timorem gehennæ.





Ostenditur à ratione.

23 Deinde probatur à ratione: Quia, quod est conformiter ad rectam rationem, honestum est; sed timere inferni pœnas est conforme ad rectam rationem, cum sit malum omnium maius, dignumque vt omnia mala amplectamur ob illud vitandum: ergo timere pœnas inferni actus laudabilis est: ergo vitare culpam ex horrore inferni pœnarum actus honestus, & laudabilis est. Probatur hæc vltima consequentia, quoniam ex vna parte vitare culpam, actus bonus est; deinde etiam est bonum timere inferni pœnas: ergo complexum hoc *vitare culpam ex timore pœnarum inferni*, actus laudabilis est.

Insuper probatur.

24 Confirmatur. Qui timet, & fugit peccatum ob eius turpitudinem, bene operatur; ergo

ergo idem dicendum est de eo, qui fugit, & timet peccatum ob pœnas inferni, quas demeretur. Antecedens constat; tum ex verbis Concilij Tridentini supra num. 19. citatis, vbi ait: *Attritionem, quæ ex turpitudinis peccati consideratione oritur, esse licitam, & ad gratiam iustificantem viam, & dispositionem.* Tum etiam ex propositione 9. ab Alexand. VIII. damnata, quæ sic se habet: *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine vllo ad Deum offensum respectu.* Ergo, qui fugit, & timet peccatum ob mera eius turpitudinem, bene, & licite operatur. Ex quo patet primæ consequentiæ veritas; nam ideo licite timetur, & odio habetur peccatum ob eius turpitudinem, quia digna odio, & fuga est talis turpido; sed etiam pœna inferni, quam demeretur peccatum, est digna odio, fuga, & timore: ergo licite operatur, qui fugit peccatum præcisè ob inferni pœnas, quas demeretur, esto eas ad vlteriorem finem non ordinet.

Secunda probatio à ratione.

25 Vlterius à ratione ostenditur, & roboratur nostra assertio. Nam ideo iuxta adversarios fuga peccati ob timorem precisè pœnæ, in quo consistit essentia timoris servilis, esset actus malus ex finæ talis fugæ; quia, qui sic operaretur, vel haberet affectum peccandi, nisi immineret pœna, vel magis detestaretur pœnam, quam culpam, quod vitiosum est; sed nullum ex his sequitur: ergo talis fuga licita est. Probatur minor quo ad primam partem; nam ex eo, quod quis vitet culpam ob pœnam, tantum sequitur, quod hic, & nunc ponat hoc motivum sufficiens ad vitandam culpam, & præscindat ab alijs; ex quo argui non potest, quod, si non adesset pœna, peccatum committeret, hoc enim dicere, prorsus divinare est, nam posset tunc aliud motivum honestum ponere ob culpam vitandam. Sicut ex eo, quod quis per vnum medium probet conclusionem, non arguitur, quod, si tale medium abesset, per alia æquè ad intentum sufficientia non probaret: ergo ex eo, quod ob pœnæ timorem quis vitet culpam, non arguitur, quod deficiente pœna, culpam committeret, nam posset tunc ob alia honesta motiva illam fugere.

Qui fugit peccatũ ob timoré pœnæ, non ideo magis detestatur pœnã, quam culpam.

26 Secunda pars illius maioris etiam facilè suadetur. Nam, qui vitat culpam præcisè ob timorem pœnæ inferni, ex hoc non præfert positivè pœnam culpæ, (quod est proprium timoris mundani, seu servilis secundum quandam servilitatem obiectivam, quam aliqui astruunt, & immerito à mundano distinguunt, vt supra vidimus) sed purè præcisivè se habet; nec comparat illas inter se, sed potius ab hoc præscindit, & tantum ponit motivum ex se honestum, & sufficiens ad culpam fugiendam, quod licitum est: ergo falsum est, quod, qui vitat culpam ob pœnam, magis pœnam, quam culpam detestetur, cum ad hoc requiratur positiva comparatio vtriusque, quidquid in contrarium sentiat Lugo de Pœnitentia disp. 5. sect. 9. num. 138. concedendo in prædicto casu magis timeri pœnam, quam culpam: ex quo tamen credit non inferri, quod homo sit affectus ad culpam cessante pœna; sed licet fortasse hoc ex illa concessione non sequatur, tamen nequit vitare, quod tunc magis rem creatam diligeret, quam Deum, quod vitiosum est: vnde tutius est nostram solutionem tenère.

Servilitas subiectiva non deturpat actum timoris.

27 Dicendum est secundò: servilitatem ex parte subiecti, hoc est status peccati habitualis non reddere actum timoris pœnæ turpem, & illicitum. Hæc assertio, præter quam constat ex auctoritatibus à num. 19. relatis, quæ vniversaliter loquuntur de omni timore servili, sivè coniungatur cum charitate, sivè cum statu peccati: insuper suaderi potest ex propositionibus 7. & 11. ab Alex.VIII. damnatis, quarum prima hæc est: *Necesse est infidelem in omni opere peccare.* Et secunda: *Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Sed his omissis vnice probanda est ex doctrina N. Salmanticensium Scholasticorum tr. 17. disp. 4. dub. 3. §. 3. à num. 28. vt infra clarius videat sincerus Lector, quam male per doctus quidam Neotericus eos satis acriter impugnet. Quo prænotato, sic assertionem præiactam probant.

Probatur nostra conclusio rationibus probativis ex N. Salmant. desumptis.

28 *Conditio servilitatis, de qua in præsenti, nihil aliud est, quam status servitutis, seu peccati habitualis, in quo eliciens actum timoris existit; sed per hoc, quod actus timoris eliciatur ab homine existenti in peccato mortali, non contrahit malitiam, nec bonitatem moralem exuit: ergo conditio servilitatis non reddit actum timoris turpem. Consequentia patet, & minor ostenditur: Nam status habitualis peccati non reddit actus in eo statu elicitos generaliter turpes; alias omnia opera peccatoris essent peccata.* Quod damnat Concil. Trident. sess. 6. Can. 7. his verbis: *Siquis dixerit opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, &c. Anathema sit.* Et iterum Pius V. & Gregorius XIII. condemnantes propos. 35. Michaelis Baij, quæ erat huiusmodi: *Omne, quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est. Ergo status habitualis peccati, non præstat, quod timor servilis ex se honestus, vt §. antecedenti vidimus, fiat turpis, & peccaminosus. Maior denique constat ex supra dictis num. 22, vbi excluimus aliam servilitatem obiectivam, quam aliqui adstruunt, & dicunt consistere in eo, quod timens fugiat culpam cum affectu illam prosequendi, nisi immineret pœna, huiusmodi enim affectus penitus destruit essentiam timoris, de quo in præsenti, & quem §. præcedenti statuimus. Sistendo igitur in timore, de quo agimus, conditio servilitatis, nihil aliud est, quam status servitutis, vel peccati.*

Confirmatio.

29 *Confirmatur: quia ita se habet servilitas ad timorem servilem, sicut informitas ad fidem informem, vt expresse docet D. Thomas in præsenti, art. 4. sed informitas fidei non est aliud, quam carentia informationis per gratiam, & charitatem, quæ carentia non deturpat actum fidei, sed illum relinquit moraliter bonum: ergo servilitas timoris eius essentiæ superaddita nil aliud est, quam carentia gratiæ, seu conditio status peccati, quæ tamen non fa-*

faciunt, vt actus timoris sit moraliter malus. ¶ *Ad hæc: testimonia §. præcedenti relata commendant timorem disponentem ad gratiam, sed huiusmodi timor habet conditionem servilitatis, coexistit enim cum peccato habituali, & gratiam præcedit: ergo huiusmodi timor per hanc conditionem non deturpat suam bonitatem mor alem. Videantur, quæ diximus tract. 14. disp. 2. dub. 2. vbi late ostendimus hominem in statu peccati posse elicere opera moraliter bona; nam, quæ ibidem expendimus, huius assertionis veritatem liquido evincunt.* Hæc sunt, quibus Salmanticenses nostram resolutionem demonstrant: Et hæc legens RR. Magister Ponce, miramur, quam turpiter offenderit, & non bene perspexerit, vt pleno ore affirmarit in his, PP. nostros Salmanticenses, & negare servilitatem obiectivam actus servilis, seu alijs terminis, eam, quam ab obiecto prædictus actus sumit, & per quam constitnitur bonus, & laudabilis; & simul dicat vnicum, & totale fundamentum ad servilitatem obiectivam negandam à prædictis Patribus, esse argumentum quodam D. Thomæ oppositum, & ab ipso Angelico Doctore solutum; sed quam falsa hæc sint sequens §. modeste, vt par est, demostrabit.

§. III.

Vindicantur Salmanticenses Scholastici ab impostura Reverendissimi Magistri Ponce.

Motivum dicendorum.

SI honorare parentes, divino instruimur eloquio Exod. 20. *Vt simus super terram longævi?* Si dicitur Eccles. 3. *quod gloria hominis ex honore patris, & dedecus filij pater sine honore?* Si, vt prophanæ inclamant historiæ, discipulorum erga præceptores fides cogit, etiam ethnicos, pro eorum defensione in arenam litterariam descendere, illorum que dogmata ab impugnatoribus acriter vindicare; imò, & si opus sit, pro eis vitam exponere? Merito impietatis, aut turpis ignorantiæ huius Salmantini Collegij filij arguerentur, si quando nostrorum Salmanticensium doctrinam (quorum discipulatu, & filiatione gloriamur) vt parum Divi Thomæ adhærentem, vel, vt potius dicamus, positivè contradicentem, publice suggillatam conspicimus; silentio libaremus vindictam, & pro eius defensione apologeticum non arriperemus vmbonem. Turpe enim, & indecorum nobis abs dubio esset, si, quia prædicti Patres iam inter Cœlites Choreas agunt, pro se que impugnatoribus rationem reddere non valent, nostra inertia, eorum toto Orbe celebrata sapientia, & D. Thomæ indivulsus discipulatus, apud omnes iuste laudatus, aliquantulum alicuius, vt creditur, cursim eos legentis sycophantijs obnubilaretur, vel saltem apud parum pium lectorem vocaretur in dubium. Quapropter, sicut à maioribus vsitatum discimus, actum que veneramur; in præsenti breviter iniustæ impugnationi à RR. Magistro Ponce contra Salmanticenses efformatæ respondebimus; simulque demostrabimus, nil esse in prædictis Patribus, quod D. Thom. non redoleat, & ex eius visceribus non sit enucleatum; & ne videamur fingere hostem, quem feriamus, prius hic impugnationem proprijs verbis, quibus à prædicto RR. Magistro efformatur, referemus.

Impostura Patris M. Ponce adversus Salmanticenses refertur.

30 RR. ergo Magister Ponce, cuius ingenij acumen non semel demirati sumus, dum in hac alma Salmantina Vniversitate Moderatoris, & Cathedratici communi plausu munus obeundo, audivimus; inter alia proprij ingenij monumenta typis mandata, novissime quandam controversiam theologico-dogmaticam in cap. 4. Tridentini de Contritione, sess. 14. Romæ excusit, Summoque Ecclesiæ Pastori dicavit. Hanc ergo, dum non sine animi voluptate evolvimus, & iucunde perlegimus; ecce subito occurrit nobis sextum argumentum dubij tertij, cuius epigraphe est: *Occasione sexti argumenti ostenditur in timore divino servili dari servilitatem formalem, & obiectivam omnino diversam a servilitate subiectiva.* In quo hic sapientissimus Magister totus est in impugnando NN. Salmant. doctrinam tom. 7. tract. 18. disp. 4. dub. 3. num. 28. 29. 30. & 40. traditam. Nam posito hoc argumento num. 176. dub. 3. citatæ Controversiæ. Timor servilis vt distinctus à casto, & à mixto ex casto, & servili importat servilitatem non solum ex parte subiecti, sed etiam ex parte obiecti; sed ratio servilitatis est contraria Charitati, ac proinde mala: ergo timor servilis vt distinctus à casto, & à mixto ex casto, & servili, est malus, & Charitati contrarius. Quo syllogismo sic efformato, ait: *Maior huius syllogismi, quam immerito negat, & acriter impugnat N. Salmanticenses tom. 7. tract. 18. de Spe, disp. 4. dub. 3. num. 28. 29. 30. & 40. ostenditur, &c.* Sic prælaudatus Doctor, & deinceps per plures paginas, coacervatas ex D. Thoma probationes adducit, & vrget, & cum finxerit in hoc hostem, quem feriat, non semel de Salmanticensibus triumphum, & victoriam decantare gloriatur.

Transcribitur secunda impositionis pars.

31 Deinde num. 184. sine vllo formidine docet, fundamentum, quo Salmanticenses moventur ad suam stabiliendam doctrinam, non esse aliud, quam argumentum primum art. 5. quæst. 19. citatæ, sibi à D. Thoma obiectum, & enodatum: sic num. 184. prædictus Magister, vt ex his verbis constat: *Nunc sic; sed hoc est* (scilicet præfatum argumentum) *vnicum, & totale fundamentum quo noster Salmanticensis movetur, &c.* Tum & illis, quibus suam rationem concludit, & absolvit: *Igitur sententia oppositа, & à nostro Salmanticensi propugnata vnice fundatur in argumento contrario ipsi D. Thom. quod idem D. Thomas, vt sibi contrarium contra se proponit, & solvit.* In quo maiorem præcedenti credimus Salmanticensibus inferre iniuriam; cum in hoc ostendere velit prædictos Patres, vt rigidissimos, & indivulsos D. Thomæ discipulos ab vniverso litterarum Orbe iuste proclamatos, adeò in D. Thomæ lectione cæcutire, aut lippire, vt vel iudicent, D. Thomæ propriam in argumentis sibi obiectis callendam esse mentem: (quod vel de tyrunculo in Aquinatis lectione

sus-

ſuſpicari nequit.) vel ſaltem quod doctrinam ſuam falſo D. Thomæ teſtimonio munire contendant: quod vt æquè turpe, & novum, nullus eſt, qui in prædictis Patribus non miretur. Sed ab vtraque impoſtura eos evidenter vindicare curabimus.

Oſtenditur clarè Salmãticenſes non oppugnaſſe ſervilitatem obiectivam, ſed illam defendiſſe.

32 Quod autem NN. Salmanticenſes minimè negent ſervilitatem obiectivam, ſeu à pœna vt ab obiecto proprio deſumptam, tam in locis allegatis à RR. Magiſtro Ponce, quàm nec alibi; conſtat, primò ex ſincera eorum lectione; nam, vt vidimus in illorum verbis num.27. relatis, ſolum negant *ſervilitatem obiectivam, quam aliqui adſtruunt, & dicunt conſiſtere in eo, quod timens fugiat culpam cum affectu illam proſequendi, niſi immineret pœna.* Et idem docent num.22. & 40. à R. Ponce citato, vt intuenti conſtabit. Sed hæc ſervilitas obiectiva eſt ſervilitas mundana, & non eſt, quã docet M.Ponce, & à qua tamquam ab obiecto deſumit timor ſervilis ſuam honeſtatem, vt ipſe fatetur: ergo malè impugnantur à prædicto Magiſtro tamquam negantes ſervilitatem obiectivam, à qua timor ſuam bonitatem deſumit.

Rurſus demoſtratur impoſtura R.P. Ponce.

33 Secundò: Salmanticenſes expreſsis verbis concedunt ſervilitatem obiectivam à M. Ponce ſtabilitam: ergo iniuſtè talem doctrinam eis imponit: Conſequentia liquet, & antecedens oſtenditur; nam ſervilitas obiectiva à RR.Magiſtro intenta: *Eſt*, vt ipſe num. 190. ait, *ipſa attingentia pœnæ tamquam obiecti proprij in actibus: in habitibus vero eſt reſpicientia horum actuum, & pœnæ tamquam obiecti proprij ſervilitatis.* Sed hanc eandem ſervilitatem concedunt vt veritati conformiorem NN. Salmant. ergo, &c. Probatur minor expreſsis eorumdem verbis. Nam num. 22. in principio ſic docent: *In qua perſiſtendo adhuc animadvertere oportet huiuſmodi timorem poſſe bifariam conſiderari. Vno modo ſecundum eſſentiam, quam habet per reſpectum ad obiectum ſui terminativum, videlicet pœnam, quam refugit, & pro cuius evaſione imperat obſervare legem, & vitare culpam. Alio modum ſecundum conditionem ſervilitatis, ex qua habet denominari ſervilis.* Deinde: explicando duplicem ſervilitatem, ſcilicet ſubiectivam, & obiectivam, quam aliqui adſtruunt, eo modo, quo num. antecedenti impugnavimus, poſtea addunt: *Vnde vel dicendum eſt, timorem, de quo loquimur non habere ſervilitatem obiectivam; vel, quod verius eſt, huiuſmodi ſervilitatem obiectivam ſitam eſſe in eo, quod immediatè, & principaliter terminetur ad pœnam, proprium enim ſervorum eſt pœnam timere, & inde moveri ad operandum.* En vbi expreſſe fatentur; verius eſſe in timore ſervili dari ſervilitatem obiectivam, quæ conſiſtit in tendentia ipſius actus timoris ad pœnam, quam, vt proprium, & immediatum obiectum reſpicit. Ergo falſum prorſus eſt, ſervilitatem obiectivam à NN.Salmanticenſibus negari, & acriter impugnari, vt præfatus Magiſter eis imponit.

Vlterius cõvincitur intentum.

34 Tertiò. Qui concedit timorem ſervilem eſſentialiter diſtingui à timore filiali, nequit non concedere ſervilitatem formalem, & obiectivam in actu timoris, vt ſatis eruditè probat prædictus Magiſter dicto dub.3. à num. 377. vſque ad 202. ſed NN. Salmanticenſes dub.4. ſequenti, docent cum D.Thoma in præſenti art.5. & in 3. diſtinct. 34. quæſt.2. art.3. quæſtiunc. 3. Timorem ſervilem eſſentialiter diſtingui à timore filiali: ergo concedunt prædicti Patres in timore ſervili ſervilitatem formalem, & obiectivam. Sola minor indiget probatione, quam dicti Patres ſic efformant dub. 4. cit. num.67. *Diſtinctio eſſentialis inter actus, & inter habitus actibus correſpondentes, ſumitur ab eorum obiectis primarijs; ſed timor filialis, & ſervilis habent diverſa obiecta primaria: ſiquidem obiectum primarium timoris filialis eſt ſubiectio paſsiva, & reverentialis ad Deum, connotando poſsibilitatem mali ſeparationis, aut culpæ, vt explicuimus num. 50. Obiectum autem timoris ſervilis eſt pœna, quam quis ſubire refugit, vt conſtat ex dictis dubio præcedenti: ergo timor filialis, & caſtus diſtinguitur eſſentialiter quo ad actus, & habitus.* Hucuſque NN.Salmant. ex quibus conſtat, quam iniuſtè aſſerat prædictus Magiſter, eos ſervilitatem obiectivam negare, & impugnare.

35 Quartò: bonitas eſſentialis timoris ſervilis eſt omnino indiſtincta à ſervilitate formali, & obiectiva; ſed Salmanticenſes docent à num. 28. actum timoris conſervare bonitatem propriam eſſentialem adhuc in conſortio ſervilitatis ſubiectivæ: ergo eodem modo concedunt ſervilitatem obiectivam. Conſequentia legitimè infertur; maior conſtat, cum bonitas, & eſſentia cuiuſcumque actus ab ordine ad obiectum ſumatur; minor eſt concluſio Salmanticenſium, vt patet ex eorum verbis num.28. & 29. relatis. ¶ Quintò: Ijdem Patres dub. 4. diſputationis citatæ num. 70. ex D. Thoma in præſenti, art.10. affirmant, quod creſcente Charitate diminuitur timor ſervilis, & augetur filialis: ergo quia timor ſervilis importat diverſitatem ſpecificam ab obiecto deſumptam, per quam ſpecificè à timore filiali diſtinguatur; ſed hæc diverſitas ſpecifica, ab obiecto deſumpta, eſt ſervilitas obiectiva, quam intendit Laudatus Magiſter Ponce: ergo falſum eſt dicere, NN. Salmanticenſes prædictam ſervilitatem obiectivam negare; cum potius expreſsis rationibus, & doctrinis eam & ſupponant, & comprobent.

Proſequitur aſſumptum, & oſtenditur falſitas ſecundæ partis.

36 Nec maiorem veritatem præſefert, quod eis imponit num. 184. aſſerendo abſque hæſitatione, & ſcrupulo. Vnicum, & totale fundamentum, quo Salmanticenſis movetur ad negandam prædictam ſervilitatem obiectivam eſſe argumentum primum art. 5. dictæ quæſtionis 19. quod contra ſe Divus Thomas proponit, & ſolvit. Quæ impoſtura, vt liquido patefiat, ſat eſt, legere prædictos Patres loco citato per R. Magiſtrum; quorum verba ſupra num.28. & 29. tranſcripſimus; ibi enim Salmanticenſes non negant ſervilitatem obiectivam, ſed potius eam affirmant, cum bonitatem actus timoris ſervilis pro viribus propugnent, etiam ſi coniungatur cum ſervilitate ſubiectiva; ad quod efficatius ſuadendum hoc ratiotinium efformant: *Ita ſe habet ſervilitas* (ſubiectiva ſcilicet) *ad timorem ſervilem,*

lem, ſicut informitas ad fidem, vt expreſſe docet D.Thomas in præſenti articulo 4. Sed informitas fidei non eſt aliud, quam carentia informationis per gratiam, & charitatem, quæ carentia non datur per actum fidei, ſed illum relinquit moraliter bonum: ergo ſervilitas timoris eius eſſentia ſuperaddita nil aliud eſt, quam carentia gratiæ, ſicut conditio ſtatus peccati, quæ tamen non faciunt, vt actus timoris ſit moraliter malus. Hucuſque Salmanticenſes: & in hoc ratiocinio offendit Magiſter Ponce, & trepidavit timore, vbi non erat timor, vt ex dicendis conſtabit.

37 Primò: quia N. Salmanticenſes, vt ipſi fatentur, prædictam doctrinam non ſumpſerunt ex argumento primo articuli 5. ſed ex corpore articuli quarti; ibi enim quærens Divus Thomas, an timor ſervilis ſit bonus? Reſpondet. *Dicendum quod timor ſervilis ex parte ſervilitatis habet, quod ſit malus, ſervitus enim libertati opponitur. Vnde cum liber ſit, qui cauſa ſui eſt, vt dicitur in primò Metaphyſic. ſervus eſt, qui non cauſa ſui operatur, ſed quaſi ab extrinſeco motus. Quicumque autem ex amore aliquid facit, quaſi ex ſe ipſo operatur, quia ex propria inclinatione movetur ad operandum. Et ideo contra rationem ſervilitatis eſt, quod aliquis ex amore operetur. Sic ergo timor ſervilis, in quantum ſervilis eſt, charitati contrariatur. Si ergo ſervilitas eſſet de ratione timoris ſervilis, oporteret, quod timor ſervilis eſſet malus, ſicut adulterium ſimpliciter eſt malum, quia id, ex quo contrariatur charitati, pertinet ad adulterij ſpeciem. Sed prædicta ſervilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei informis. Species enim moralis actus, vel habitus ex obiecto accipitur. Obiectum autem timoris ſervilis eſt pœna:::::* Vnde concludit articuli corpus. *Et ideo timor ſervilis ſecundum ſubſtantiam bonus eſt, ſed ſervilitas eius eſt mala.* Hucuſque Angelicus Doctor. Ex quibus conſtat, tum, quod iuxta Divi Thomæ ſententiam ſervilitas ex parte ſubiecti, ſeu ſtatus peccati mala eſt: è contra vero, quod ſi ſumatur ex parte obiecti, ſcilicet pœnæ, eſt honeſta, & bona: tum, quod ſervilitas ſubiectiva non pertinet ad ſpeciem timoris, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei. Ergo, cum ex hac paritate probent Salmanticenſes timorem ſervilem conſervare ſuam bonitatem, eſto coniungatur cum ſervilitate ſubiectiva mala, quia hæc ad eius ſpeciem non pertinet, falſum eſt, tum, quod ſervilitatem obiectivam impugnent; tum etiam, quod ab argumento contrario Divi Thomæ fundamentum aſſertionis deſumant; cum, vt conſtat ex relatis verbis, ex propria Angelici Doctoris mente talis paritas deſumpta ſit.

Replica.

38 Sed dices, Divus Thomas articulo 5. ſequenti vtitur exemplo informitatis fidei, vt patet ex ſequenti argumento, quod eſt primum dicti articuli, in quo intendit probare timorem ſervilem non diſtingui à filiali. *Ita enim* (verba ſunt D. Thomæ) *videtur ſe habere timor filialis ad ſervilem, ſicut fides formata ad informem, quorum vnum eſt cum peccato mortali, aliud vero non; ſed eadem ſecundum ſubſtantiam eſt fides formata, & informis: ergo & idem eſt ſecundum ſubſtantiam timor ſervilis, & filialis. Sed hoc eſt* (infert immediate Mageſter Ponze) *vnicum, & totale fundamentum, quo noſtri Salmanticenſes moventur, &c.* Et paucis interiectis concludit: *Igitur ſententia oppoſita, & à noſtris Salmanticenſibus propugnata vnice fundatur in argumento contrario ipſi Divi Thomæ, quod idem Divus Thomas vt ſibi contrarium contra ſe proponit, & diſſolvit*: ergo vera eſt impugnatio RR. Ponze.

39 Hanc illationem tanti Magiſtri dum vidimus, continuo in admirationem rapti ſumus; & vix credere poſſumus à prædicto Magiſtro fuiſſe exaratam, ſed forte ab aliquo malevolo eius operi aſſutam. Nam vel prædictus Magiſter vidit Salmanticenſes, vel non? Hoc ſecundum nec ſuſpicari licet, cum referat eorum verba. Si eos legit: ergo neceſſario vidit etiam ipſos Salmanticenſes fateri tale exemplum fidei formatæ, & informis à Divo Thoma articulo quarto accepiſſe. Qua ergo, ſi hæc legit, veritate aſſerere, & prælo mandare potuit ex argumento Divo Thomæ contrario illud ſumpſiſſe? Qua ratione incautos lectores decipere, anſamque eis præbere, vt Salmanticenſium doctrinam tamquam Divi Thomæ contrariam parvi pendant? Qua denique veritate affirmare, vnicum, & totale fundamentum Salmanticenſium doctrinæ eſſe primum argumentum articuli quinti à Divo Thoma ſibi obiectum, & non potius integrum corpus articuli quarti, vbi ex profeſſo ſanctus Doctor eam difficultatem diſſerit? Sed hoc lectori pio remittimus, vt vtriuſque partis rationes perpendat, æquaque lance trutinet, & cui expunctione, & cenſura opus ſit, attentè videat.

Vlterius demonſtratur impoſtura Mag. Ponze.

40 Et interim impoſtura talis Magiſtri denuo demoſtratur. Nam, ſi Salmanticenſes aſſumerent ſuæ doctrinæ fundamentum ex prædicto argumento, docerent vnitatem ſpecificam timoris ſervilis, & filialis, ſicut prædictum argumentum concludere intendit; ſed hoc non docent Salmanticenſes, quin potius numero 67. adſtruunt cum Divo Thoma diverſitatem ſpecificam inter prædictos timores: ergo fundamentum propriæ doctrinæ traditæ dicto numero 28. & etiam 29. non eſt, vt falſo imponit Magiſter Ponce; argumentum primum articuli quinti Divi Thomæ, ſed potius ſubſtantia corporis articuli quarti eiuſdem Angelici Doctoris. Cum ergo in prædicto articulo quarto probet Divus Thomas exemplo fidei informis ſervilitatem ſubiectivam eſſe quid accidentaliter adveniens ſubſtantiæ timoris ſervilis, & conſequenter nec deturpare eius bonitatem ex obiecto acceptam, ſicut nec deturpat abſentia charitatis bonitatem fidei informis; & hac eadem ratione probent Salmanticenſes honeſtatem prædicti timoris adhuc in conſortio ſervilitatis ſubiectivæ, vt patet ex ipſorum verbis, quæ toto §. antecedenti à num. 28. tranſcripſimus: manet demonſtratum prædictum Magiſtrum Ponze curſim, & per tranſennam eos legiſſe: & finxiſſe hoſtem, quem feriret, ſed infauſte vtique, cum

pro

pro Patribus ſuis continuo naſcantur filij, qui eos defendant. Et ab impugnantibus efficaciter, eſto modeſte, vindicent. ¶ Nonnulla argumenta contra traditam doctrinam prælaudatus Magiſter machinatur: ſed ex hucuſque dictis ſufficienter manent enervata: quare ab vlteriore eorum impugnatione meditato abſtinemus.

§. IV.

Referuntur ſententiæ contrariæ concluſionibus §. ſecundo relatis.

Argumenta contra primam concluſionem.

41 COntra primam concluſionem ſentiunt Lutherus, & alij hæretici, quos referunt Ferre tract. 13. quæſt. 12. §. 7. num. 46. & NN. Salmanticenſes tract. 17. diſp. 4. dub. 3. §. 4. Quorum argumenta conſiſtunt in eo, quod omnia opera peccatoris ſint mala: quod vitans peccata timore pœnæ, plus hanc odit, quam deteſtetur illa. Sed quia hæc manent ſufficienter ſoluta ex dictis à num. 19. & 24. ideo ab eorum enodatione abſtinemus.

Qui ſentiant contra ſecũdam concluſionem.

42 Contra ſecundam concluſionem videtur ſentire Magiſter Ferre, §. 8. à num. 51. Sed, ſi verum fateamur, hic Doctor ambigue loquitur. Nam ex vna parte loquitur de timore ſervili pœnæ, orto ex amore actuali ſui tamquam vltimi finis; qui amor eſt mundanus, & non ſervilis; & ſic nil mirum quod ſit malus. Deinde ex alia num. 56. has duas propoſitiones vniverſales docet: Prima, quod timor ſervilis ex pura conditione ſubiecti, ſemper eſt bonus; timor vero ſervilis operative ſemper eſt malus, & ideo nequit reperiri in habente Charitatem, ſed præcisè in peccatore. Sed quidquid ſit de hoc, contra eam ſic arguitur.

Argumentum contra concluſionẽ ſtabilitam num. 27.

43 Timor pœnæ elicitus ab eo, qui eſt in peccato mortali, eſt fuga mali vt oppoſiti bono proprio, ad quod eſt converſus homo, & quod ſuper omnia diligit; ſed fugere pœnam vt oppoſitam bono proprio, quod ſuper omnia diligit, eſt peccatum, cum procedat hic actus ex amore ſui vt vltimi finis, qui peccatum eſt: ergo talis actus timoris elicitus ab homine peccatore malus eſt.

Diſſolvitur.

44 Ad hoc argumentum reſpondetur, quod, ſi vim haberet, probaret vtique, omnia opera peccatoris eſſe prava, nullumque opus moraliter bonum poſſe ab eo elici. Quod damnavit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. Canon. 7. & probant NN. Salmanticenſes tom. 5. tr. 14. diſp. 2. dub. 2. à num. 18. Et noviſsimè etiam damnatur ab Alexandro VIII. in ſequenti propoſitione Michaelis Baij, quæ inter damnatas à dicto Pontifice eſt in ordine octava. *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.* Id ipſum damnavit Pius V. & Gregor. XIII. vt diximus n. 28. NN. Salmanticenſium tr. 17. diſp. 4. dub. 3. §. 3. à num. 18. verba referentes. Ratio illationis eſt: nam homo exiſtens in peccato mortali ſemper eſt converſus ad bonum proprium tamquam ad vltimum finem; & omnia ex amore ſui operatur, vt eruditè probant dicti Patres tract. 8. diſp. 4. dub. 2. à num. 48. ergo, ſi ex hac ratione timor pœnæ eſt peccatum, idem dicendum erit de quocumque opere bono ex obiecto. Quare dicendum eſt, quod dupliciter poteſt aliquis ex amore ſui procedere: primò ex amore habituali ſui vt vltimi finis; ſecundò ex amore actuali: hoc ſecundò modo ſemper eſt peccatum, at primò modo peccatum non eſt, vt patet in actibus Fidei, & Spei elicitis à peccatoribus, qui boni ſunt. Cum ergo timor pœnæ procedat ex amore boni proprij amati habitualiter, & non actualiter vt vltimi finis, hinc eſt, quod non ſit malus, ſed potius ex obiecto proprio honeſtus.

§. V.

Quis timor ſit donum Spiritus Sancti; & an de aliquo timore detur præceptum?

Quid veniat intelligi nomine timoris pro vt eſt donum Spiritus Sancti.

45 QUæ hucuſque diximus, ordinantur ad deciſionem eorum, quæ titulus offert, & ideo vltimo ea decidere oportunum nobis viſum fuit. Sed ante omnia nota, quod hic doni nomine minimè intelligimus quanlibet perfectionem à Deo infuſam, ſed *Habitum quendam ſupernaturalem, quo homo diſponitur, vt ſit prõpte mobilis à Spiritu ſancto.* Sic enim diffinitur donum Spiritus Sancti, vt docent Salmanticenſes tomo tertio in Arbore virtutum, §. II. numero octavo, ex Divo Thoma prima ſecundæ, quæſtione ſexageſima octava, articulo primo, & ſecundo: & in præſenti articulo nono. Vnde hæc eſt differentia inter hos habitus, ſeu dona, & virtutes, quod iſtæ inclinant ad actus rectos, rectitudine menſurata per communes regulas ratione vel ſecundum ſe, vel vt lumine ſupernaturali illuſtratæ. At dona regulantur per inſtinctum Spiritus Sancti non coarctatum ad communes regulas prudentiæ naturalis, vel infuſſæ, ſed potius ſupra illas ad exercendos actus aliquos animam moventem: & vt ad hoc ſint diſpoſitæ animæ potentiæ, dantur Spiritus Sancti dona, & habitus à virtutibus diſtincta.

Timor ſervilis eſto ab Spiritu Sancto ſit, non eſt Spiritus Sancti donum.

46 Dicendum eſt primò, timorem ſervilem non eſſe donum Spiritus Sancti. Et ratio ex Divo Thoma 2. 2. quæſt. 19. artic. 9. deſumpta eſt: quia timor ſervilis, vt ait Divus Auguſtinus libro de Natura, & Gratia, cap. 57. poteſt habere voluntatem annexam peccandi; ſed dona Spiritus Sancti non poſſunt eſſe cum voluntate peccandi, cum, vt probat Divus Thomas 1. 2. quæſt. 68. art. 1. & 2. non poſſint eſſe ſine Charitate: ergo nequit eſſe Spiritus Sancti donum. ¶ Sed eſto non ſit Spiritus Sancti donum, eſt tamen ab Spiritu Sancto. Quod docet Gloſſa ſuper illud ad Romanos octavo: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis, &c.* dicens: *Vnus ſpiritus eſt, qui facit duos timores, ſcilicet, ſervilem, & caſtum.* Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Divus Thomas, quando in præſenti artic. 4. & 6. in argumento *ſed contra*, ait: *quod timor ſervilis eſt donum Spiritus Sancti.* Solum enim ibi vult dicere, quod ſit perfectio ab Spiritu Sancto infuſſa, non vero propriè donum illius, vt immediatè art. 9. probat, & latius in 3. diſtinct. 34. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 1.

Dicen-

Timor filialis, & etiam innitialis sunt Spiritus Sancti dona: non autem mundanus.

47 Dicendum est 2. solum timorem filialem, & castum esse donum Spiritus Sancti. Sic Div. Thom. 2.2. quæst. 19. artic. 9. quem sequuntur eius discipuli vt Bannez, Salmanticenses. Ferre à Sanct. Thoma, & alij. Et rationem tradit Doctor Angelicus; quia dona Spiritus Sancti, vt supra vidimus, sunt quædam habituales perfectiones potentiarum animæ, quibus redduntur bene mobiles à Spiritu Sancto; sed hoc præstat timor filialis: ergo, &c. Minorem sic probat Angelicus Magister. Ad hoc quod aliquid sit bene mobile ab aliquo movente, requiritur, quod ei sit subiectum, & non repugnans; sed hoc facit timor filialis, & castus, cum per ipsum Deum revertamur, & refugiamus ab eo separari: ergo timor filialis, seu castus est donum Spiritus Sancti. ¶ Diximus solum *timorem filialem*, per quod excluditur, timor servilis, vt diximus numero antecedenti, non autem timor innitialis, cum hic non distinguatur secundum essentiam à filiali, sed solum secundum statum, sicut charitas perfecta, & imperfecta, vt probat Divus Thomas art. 8. Vnde quod diximus de timore filiali, intelligi debet proportione servata, de timore innitiali. ¶ De timore mundano non quærimus, cum luce meridiana clarius, sit donum Spiritus Sancti non esse, vtpote, quia imperfectior timore servili, imò absolute, & secundum suam speciem malus, vt suppossuimus num. 17. ¶ Qui plura voluerit circa hunc timoris donum: consulat Salmantic. & Ferré locis citatis, quæ, quia solum scholastica sunt, omittere oportunum duximus. Et solum cum D. Thoma art. 11. notandum est: timoris donum permanere in Beatis, vt patet ex Psalm. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* Et de Christo Domino. Isaiæ 11. dicitur: *Et replevit eum spiritus timoris Domini.* Licet communior sententia teneat, quod solum ibi permaneat, in quantum est subiectio reverentialis ad Deum, vt absolute potentem infligere malum, non vero in quantum est fuga mali separationis à Deo, qui est actus secundarius prædicti doni. Videantur Godoy disp. 25. num. 9. Ferre §. 19. Salmanticens. dub. 4. §. 3.

Datur diuinũ præceptum de timore filiali, & servili.

48 Dicendum est 3. dari præceptum divinum de timore filiali, & servili. Sic Div. Thom. 2.2. quæst. 22. art. 2. Probaturque ex sacra Scriptura. Nam de timore filiali Deuteronom. 10. dicitur: *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum.* De servili. Matthæi 10. Lucæ 12. *Eum timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam.* Sed Deus illud à nobis requirit, quod nobis præcipit observandum: ergo sub præcepto cadit, quod aliquis timeat Deum. ¶ An vero hoc præceptum sit speciale, ita vt si hos timores homo aliquando omittat, peccet mortaliter contra illud, & non contra præcepta charitatis, & aliarum virtutum, quæ hos timores exigunt, vt ab eis transgrediendis retrahamur; non est eadem Doctorum sententia. Nam Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 33. num. 3. quem sequuntur Trullench lib. 1. Decalog. cap. 4. dub. 2. num. 18. Palaus tomo 1. tract. 5. disp. vnica, punct. 4. num. 6. docet non esse speciale preceptum horum timorum, sed idemmet, ac aliarum virtutum tales timores exigentium. Et ratio illorum est, quia omissio, aut defectus illorum timorum: est conditio generalis in omnibus peccatis existens: ideo enim peccata committuntur, quia deficiunt prædicti timores, vi quorum ab illis retrahi posset homo: ergo non constituit defectus ille timoris, specialem culpam; sicut nec illam includit defectus considerationis Divinorum, quæ consideratio si adesset, à peccato homines averteret.

Datur speciali præceptum de timore filiali, & servili.

49 Sed tenendum est cum D. Thom. 2. 2. quæst. 22. art. 2. quem sequuntur Bañez ibi in solutione ad 1. & 2. NN. Salmantic. in commentario huius art. pag. mihi 448. dari speciale præceptum de timore filiali, & servili. Et ratio est, quia D. Thom. ait: *De timore filiali datur præceptum in lege, sicut de dilectione.* Sed præceptum dilectionis est speciale, & distinctum à præceptis aliarum virtutum: ergo etiam erit speciale præceptum timoris Dei filialis. Deinde: ideo tale præceptum non daretur, quia ex amore sequitur timor filialis, sed etiam ex charitate oriuntur aliæ virtutes, & adhuc de illis dantur specialia præcepta, vt arguit D. Thom. loco citato ad 2. ergo, etiam si ex amore oriatur timor filialis, dabitur de eo speciale præceptum. Deinde: eodem modo docet Ang. Doct. in corpore, art. 2. quod fuit datum præceptum de Spe, ac de timore respiciente pœnam, hoc est *servili*: sed de Spe datur speciale præceptum: ergo & de timore servili. Ultimo. Sæpè adest necessitas evitandi peccatum, quod effugere non valet nisi vel timore pœnarum inferni, aut offensæ Dei: ergo tunc per se obligat præceptum timoris, cum necessarium sit ad salutem id, quod præcipit. ¶ Quando vero obliget hoc præceptum venari debet ex dictis de obligatione præcepti Spei. Credimus tamen raro homines contra hoc præceptum delinquere; quia nullus est adeo depravatus, & Dei oblitus, qui pluries peccare non omittat, doleatque de peccatis, vel ob Dei amorem, vel ob eius offensam, vel ob pœnas inferni vitandas. ¶ Ex dictis in nostris probationibus patet ad argumentum contrarium.

PUNCT. III.

De vitijs oppositis Spei, scilicet Desperatione, & Præsumptione.

Quid sit Desperatio.

50 POstquam essentiam Spei, alias quę illius affectiones cum D. Thom. explicuimus, restat cum eodem agere de vitijs huic virtuti oppositis, quæ sunt Desperatio, & Præsumptio. Desperationis ergo essentia, cum directè opponatur Spei, ex contrarietate, quam cum illa habet, desumenda est; & ideo ita diffiniri potest: *Desperatio est voluntas efficax, qua peccator abiecit salutem æternam ex divina misericordia consequendam.* Cuius diffi-

nitionis veritas patet ex eo, quod, cum Spes consistat in tendentia ad beatitudinem, licet arduam, consequendam tamen ex Dei auxilio; Desperatio debet consistere in contrario motu respuendi salutem æternam, vt consequibilem ex divina gratia ob impossibilitatem sibi tunc repræsentatam; vel quia iudicat Deum esse impotentem, vel quia, & si iudicet Deum posse absolutè peccatorem salvare, tamen ex multitudine peccatorum credit moraliter esse sibi impossibilem, eorum veniam ab eo impetrare; & ita determinat non apponere media ad eam consequendam. Sed hæc omnia explicantur in diffinitione allata: ergo optima est.

Gravitas peccati desperationis.

51 Ex quibus constat Desperationem non solum esse peccatum mortale, verum etiam gravissimum. Ratio primæ partis est, quia desperans male sentit de divina Misericordia, & Omnipotentia: ergo peccat mortaliter: vnde oritur, quod in eo non detur parvitas materiæ, nec possit à mortali excusari, nisi ex defectu plenæ deliberationis. Ratio vero secundæ est: quia excedit omnia peccata contra virtutes morales commissa, cum opponatur Spei, quæ est virtus theologica: ergo non solum est peccatum, sed etiam inter alia gravissimum: est tamen minus grave, quam odium Dei, & infidelitas: nam vt ait D. Thomas 2. 2. quæst. 20. art. 3. *Infidelitas, & odium Dei sunt contra Deum, secundum quod in se est: Desperatio autem secundum quod eius bonum participatur à nobis. Vnde maius peccatum est, secundum se loquendo, non credere Dei veritatem, vel odire Deum, quam non sperare consequi gloriam ab ipso.* Cum quo tamen compatitur, vt ait ibi Angelicus Doctor, quod ex parte peccatoris sit periculosior desperatio; quia sublata Spe beatitudinis, homines effrænati in vitia currunt. Videantur Trullench lib. 1. Decalogi, cap. 4. dub. 3. num. 3. Sanch. lib. 2. Decalogi, cap. 33. num. 5. Tapia tom. 2. lib. 2. quæst. 2. art. 1. Palaus tract. 5. disp. vnica, punct. 5. num. 5. NN. Salmantic. tract. 18. disp. 5. dub. 1. & alij Scholasticis apud ipsos.

Traditur, quando invenitur desperatio coniuncta cum hæresi, quãdo vero nõ.

52 Quæres hic. An desperatio possit esse sine hæresi? Respondetur, desperationem aliquando coniungi cum hæresi, aliquando non. Coniungitur, quando habet desperans iudicium, illi que assentitur, quod Deus nequit illum salvare, aut parcere, etiam si se disponat ad gratiam consequendam, quod credere hæreticum est: vnde tunc committit duplex peccatum desperationis, & hæresis; & est puniendus vt hæreticus. Non coniungitur, quando desperans non habens tale iudicium, existimat desperare, esse sibi tunc iucundum, & vtile ad alios fines intentos, v. gr. ad liberius peccandum, &c. Patet que hoc exemplo furantis, qui non ideo furatur, quia iudicet sibi furtum, licere, hoc enim esset hæreticum, sed quia apprehendit tunc illud sibi conveniens, v. gr. ad luxuriandum, vel ludendum, quod hæreticum non est, vt ex se patet. Sic Div. Thomas art. 2. cit. quæst. 20. Sanctius num. 6. Trullenc num. 2. Tapia art. 2. num. 2. & Palaus à num. 2.

53 A quo autem vitio oriatur desperatio, disputat hic D. Thom. art. 4. & cum eo Scholastici, cum quibus dicimus, oriri ex luxuria, & accedia, licet magis specialiter ex hac. Et ratio est: quia cum hæc vitia valde deprimant animum ad res arduas consequendas, qualis est beatitudo, viam parant ad desperationem: quod notare debent luxurioſi, vt videant in quas angustias ob hoc turpe vitium deveniunt. Videantur Ledesma tom. 2. tract. 2. concluſ. 5. NN. Salmantic. tract. 18. disp. 5. dub. 1. §. 3. Trullench num. 4. dub. 3. citati. ¶ Hic etiam solet inquiri vulgaris illa difficultas: An cui Deus suam damnationem revelaret, posset sperare per Spem theologicam beatitudinem supernaturalem? Sed quia hæc quæstio pure theologica est, ad Scholasticos maximè NN. Salmant. tract. 18. disp. 5. dub. 2. lectorem remittimus, vbi cum Div. Thoma, alijs que eius discipulis, negative illam resolvunt.

Assignantur vitia à quibus ortum habet desperatio.

54 Magis vero moralitatem concernit alia difficultas, quæ præcedentis occasione movetur à Doctoribus; an scilicet homo, cui fuerit facta prædicta revelatio posset desperare, quin aliquod peccatum in hoc committeret? Negant Suarez disput. 2. sect. 2. num. 8. & Gonet disp. 9. art. 1. Quia desperatio est intrinsice mala; ergo nunquam erit licita. ¶ Sed affirmative respondet Coninch disp. 20. dub. 13. concluſ. 2. num. 109. & Bonacin. tom. 2. disp. 3. quæst. 3. part. 2. num. 4. si procedat ex iudicio, quo credit homo illam ex sua infirmitate, non vero ex defectu misericordiæ Dei non consequuturum: vel, vt dicunt NN. Salmanticenſ. num. 32. quia certo videt beatitudinem sibi non esse futuram. Nam hoc non est male sentire de divina misericordia, sed potius conformare se cum divina dispositione ita decernente, quod quidem honestum est. Et sic videntur concordari Doctores pro vtraque sententia citati, taliter, quod illi loquantur, quando desperans credit ex defectu misericordiæ divinæ beatitudinem non posse consequi; & isti, quando cognoscunt certo, beatitudinem sibi ex Dei decreto non esse futuram.

Quãdo possit licite desperare ille, cui facta fuerit revelatio suæ damnationis explicatur.

55 Secundum vitium, quod Spei per excessum opponitur, est præsumptio, quæ potest sic diffiniri ex D. Thom. quæst. 21. art. 1. & 2. *Præsumptio est inordinata confidentia in divina misericordia.* Ut si v. gr. aliquis à Deo speraret consequi gloriam sine meritis: quia licet Deus de potentia absoluta hoc possit facere, tamen, quia decrevit sine illis hominem non salvare, iam salus æterna sine auxilijs est non futura, seu ex suppositione, impossibilis, & consequenter perversa, & inordinata confidentia, illam à Deo sperare; & in hac dicimus consistere peccatum præsumptionis. Hæc ergo præsumptio ex genere suo est mortale peccatum, tum: quia est peccatum contra Spiritum Sanctum, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 14. art. 2. tum: quia est gravis dissonantia ad rationem sine meritis sperare æternam beatitudinem: & licet sit gravius, quam peccatum contra virtutes morales, est tamen minus grave, quam desperatio: quia desperatio tollit

Quid sit præsumptio, & quæ eius gravitas?

mi-

misericordiam Dei, præsumptio vero pœnitionem; vel, vt ait D.Thomas 2.2. quæst. 21. art.2. *Et ideo præsumptio est peccatum, minus quam desperatio: quoniam magis proprium est Deo misereri, & parcere, quam punire, propter eius infinitam bonitatem.* Potest tamen præsumptio excusari à mortali ex defectu plenæ deliberationis (sicut quodlibet aliud peccatum) non tamen ex parvitate materiæ; vt bene docent Bannez hic. Valencia 2.2.disp.2.quæst.3. num.2. Sanch.lib.2. cap.33. num. 7. N.Antonius tom.3.Directorij Confess. tract.2. disp.1. sect. vnica, num. 7. Ad hoc peccatum præsumptionis expectat, qui sub spe veniæ obtinendæ peccat, perseverat que in peccato, differendo pœnitentiam vsque in finem vitæ: cum hoc, vt ait D. Thomas quæst. 21. art.2. ad 3. non diminuat, sed potius augeat malitiam peccati præsumptionis. Ang. Doctorem sequuntur Medina lib.1.Summæ, cap.14. § 2.Bannez in dicto articulo, & Azor tom.1. lib.9. cap.2. quæst. 7.

Peccatum præsumptionis aliquando componitur cum Fide, aliquãdo vero nõ.

56 Sed rogabis hic: An hæc præsumptio sit composibilis cum Fide theologica? Respondetur posse, & non posse cum illa componi, sicut num. 52. diximus de desperatione. Nam tunc non est composibilis cum Fide, quando est error Pelagianorum asserentium sine gratia, & meritis posse gloriam ex solis viribus naturæ consequi. E contra vero composibilis est cum Fide, quando sine prædicto errore præsumit consequendam gloriam, & remissionem peccatorum ex Dei misericordia, & si de illis non pœniteat: tunc enim sic præsumens potius est stultus, quam infidelis, iuxta illud Prov.14. v.16. *Stultus transilit, & confidit*; hoc est, transgreditur præcepta Dei, & adhuc confidit imprudenter salvari. Ita Sanch. n. 7. Valenc. 2. 2. disp. 2. q.3. punct.2. Trullench cap.4. dub.3. num.8. & NN.Salmantic. tract.18. disp.6. dub.vnico, num.7.

Ex quibus quædam no tantur.

57 Nota tamen primò cum Suarez de Spe, disp.2. sect. n. 2. & Villalobos 2. part. tract.2.difficult.3. hoc peccatum præsumptionis raro esse sine hæresi: quare hoc diligenter advertere debẽt confessarij, vt videant, an possint, nec ne præsumptuosos absolvere. ¶ Nota secundò cum D.Thom.2.2.q.21.art.2.ad 3. quod: *Peccare sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi à peccato, & pœnitendi de peccato, hoc non est præsumptionis; sed hoc peccatum diminuit: quia per hoc videtur habere voluntatem nimis firmatam ad peccandum.* Vnde qui sperat gloriam, nolens à peccato recedere, habens tamen propositum ante mortem à peccatis resipiendi, non propriè peccatum præsumptionis committit, quia hic non destruit motivum Spei. Cum ergo communiter fideles non præsumant inordinate, habendo dictamen erroneum de gloria danda sine meritis, nec alias secum proponant perseverare semper in peccato, sed potius concipiunt se aliquando à prava vita ad honestam traducturos, fere nunquam committunt peccatum præsumptionis propriè sumpta, & ita periculum raro est, committendi simul peccatum hæresis, & præsumptionis. ¶ Nota tertiò: quod quando præsumptio involvit hæresim, corrumpit Spem, cum destruat Fidem, in qua spes fundatur: at vero si hæresim non involvat, non destruit spem: quia licet sit contra præceptum Spei sperandi inordinate in Deo, non tamen tollit obiectum Spei, cum non desperet, sed potius inordinate speret, nec ita directè Spei opponatur præsumptio, ac desperatio; ergo, licet hæc semper corrumpat Spei habitum, non tamen præsumptio. Videantur Tapia lib. 2. quæst. 3. art.2. num.4. Turrianus 2.2. quæst.21. art.2. & alij.

CAP. VI.

De Charitate.

VLtimò accedimus ad Charitatem; non quia sit alijs virtutibus theologicis inferior, cum potius sit omnium regina, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Maior horum est Charitas.* Sed quia, vt ait Tridentinum sess. 6. cap. 7. *Est generatione posterior.* De hac virtute latissimè disputant D.Thomas 2.2.à q.23. vsque ad quæst.44. & illius morem gerentes omnes eius interpretes, maximè NN. Salmantic. tom. 8. tract. 19. & alij Scholastici. Sed quia, quæ prædicti Doctores de ea disputant, maiori ex parte scholastica sunt, his omissis ad moralia calamum convertimus. Primòque agemus de eius essentia, obiecto, & obligatione: secundò de eius effectibus exterioribus eleemosyna scilicet, & fraterna correctione: tertiò de vitijs illi oppositis; nempè de rixa, bello, duello, & scandalo. Vnde hoc primum caput, in quo de essentia, obiecto, & obligatione Charitatis agimus, per tria dividimus puncta, in quorum primò nobis agendum est de essentia huius virtutis, de eius obiecto, & de obligatione diligendi Deum; in secundò autem, & tertiò de illius præcepto.

Punct. I. *De essentia Charitatis, eiusque obiecto; nec non obligatione præcepti diligendi Deum.* num. 1.

Punct. II. *An detur præceptum dilectionis proximi, & maximè inimici?* num. 16.

Punct. III. *An teneamur ex Charitate succurrere, etiam cum vitæ, & bonorum periculo, proximo existenti in ex-*

trema necessitate spirituali, vel temporali? num.24.

§. I. *Aliquibus suppositis resolvitur difficultas quo ad necessitatem spiritualem.* num. 24.

§. II. *Deciditur quæstio quo ad necessitatem corporalem.* num.35.

PUNCT. I.

De essentia Charitatis, eiusque obiecto; nec non obligatione præcepti diligendi Deum.

Quid sit Charitas?

1 CHaritas, pro vt est virtus, diffinitur sic: *Est habitus supernaturalis à Deo infusus, quo diligimus Deum super omnia amore supernaturali benevolentiæ, & proximum propter ipsum.* Et brevius explicatur eius essentia à Magistro in 3. distinct. 27. in hunc modum: *Charitas est virtus, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, & in Deo.* Sed vtraque in idem coincidunt, vt constabit ex explicatione primæ diffinitionis. Dicitur Charitas *habitus supernaturalis infusus*, quia à Deo infunditur iuxta illud Apostoli ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ponitur: *Quo diligimus Deum super omnia*: ad denotandum principale obiectum illius esse Deum vt bonum in se, & propter se diligendum, illumque alijs bonis præferendum. Additur: *Amore supernaturali benevolentiæ*, ad innuendum primarium actum Charitatis, qui est amor amicitiæ; qui in hoc distinguitur ab amore concupiscentiæ, quod hic amor est, quo aliquid amamus propter nostram commoditatem, & vtilitatem; ille vero quo amamus aliquid mere ob eius bonitatem. Denique additur: *Et proximum propter ipsum*: ad denotandum secundarium obiectum Charitatis. Ex quibus constat quid sit hæc virtus, quod eius obiectum, & quis principalis illius actus, & similiter quis secundarius. Dicta tenent communiter Doctores: & ideo ab eis referendis abstinemus. Qui plura voluerit de augmento, remissione, perfectione, &c. Charitatis, consulat NN. Salmantic. tom. 8. iam citato, qui methodo scholastico de his late disputant. Et quia vbi desinit speculatio scholastica, communiter incipit dissertatio moralis, ideo quæstiones morales de Charitate, aliorum Doctorum vestigia prementes ab vltima in hoc puncto proposita, quæ est de huius virtutis obligatione, & præcepto, inchoamus, doctrinam nostram ex limpidissimo Ang. Præceptoris fonte 2. 2. q. 44. exaurientes. Vnde

Datur Charitatis speciale præceptum, &

2 Rogabis primò, quando obligat præceptum Charitatis? Ituius supponit dari hoc præceptum; & merito, cum nihil sit certius, magis que patens in sacra Scriptura. Nam Deut.6. v.5.dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Et Matthæi 22. *Hoc est primum, & maximum mandatum.* Et Ioannis 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et ratio desumpta ex D. Thoma 2. 2. quæst. 44. art. 1. est: quia quod est necessarium ad vitam æternam consequendam, cadit sub divino præcepto; sed amor Dei est omnino necessarius ad dictum finem, vt patet ex textu D. Ioan. allegato: ergo datur de amore Dei, seu Charitate speciale præceptum divinum. Quidquid in contrarium dicant Maldonatus Matthæi 22. vers.39. Sanctius in Selectis, disp.1. num. 21. docentes tantum esse de dilectione generale præceptum. Sed satis eruditè eorum singulare sententiam impugnant Lorca 2. 2. sect. 3. de Charit. disp. 57. & num. 2. eam vocat impiam, & insolentem; & errorem maximum. Palaus tom.1. tract.6. disp.1. punct.2. à n. 3. & Prado tom.1.cap.12. quæst.1.§.3. Sed quia hoc negotium valde facilè est, tempus in ea improbanda terere, invtile iudicamus. Quod vero hoc præceptum non pertineat ad Decalogum, nisi vt illius præambolum, in quo alia continentur, diximus ex D. Thoma cap.1. huius tract. punct.1. num.9. & 10. & idem repetit Angelicus Doctor ad 3. vt sic funditus eradicetur vulgaris illa existimatio tribuens huic præcepto primum locum inter Decalogi præcepta.

assignatur tempus quo obligat.

Divisio huius præcepti in affirmativum, & negativum.

3 Dividitur hoc præceptum in affirmativum, & negativum; illud est, quo præcipitur, vt actus Charitatis aliquando eliciamus; istud vero, quo prohibemur, ne Deum odio habeamus. Et quidem quod hoc præceptum obliget semper, & pro semper, patet, cum sit præceptum negativum, de cuius conceptu est semper obligare; quare nunquam est licitum Deum odio prosequi, vt pote intrinsicè malum. Vnde tota difficultas vertitur circa præceptum affirmativum, quando ad eius adimpletionem obliget?

Obligat per se in aliquo tempore.

4 Et quidem ex vi huius præcepti teneri per se homines elicere in aliquo tempore suæ vitæ actum Charitatis, est adeò certum, vt contrarium sit damnatum in prima propositione ab Alexand. VII. prohibita, quæ sic se habet: *Homo vllo vnquam suæ vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quare ex vi huius decreti peccat mortaliter contra hoc præceptum, qui aliquando in vita aliquem actum charitatis non elicit; vt improbabiliter defendebat Tamburinus lib.2. Decalogi, cap.3. §.2. num.2.

Falsum est obligare tãtum semel in vita, aut in mortis articulo.

5 Quod vero hoc charitatis præceptum obliget ad plures actus in vita eliciendos, etiam constat ex sequenti propositione damnata ab Innocentio XI. quæ est in ordine V. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita elicerit, condemnare non audemus.* Vnde falsa est sententia eorum, quos suppresso nomine referunt Sotus lib. 1. de Natura, & Gratia, cap.22. vers. *Dicamus.* Sanchez lib.2. Decalogi, cap.35. num.8. Diana part.5.tr.14. resol. 105. qui docent, hoc præceptum in toto vitæ curriculo obligare semel tantum, & non plu-

pluries: & simul damnare debemus ex vi huius propositionis, asserentes prædictam sententiam nunc posse licitè sequi. Quare tenendum est præceptum charitatis obligare ad plures actus eliciendos in toto vitæ curriculo. ¶ Sententiæ præcedenti dissimilis non est alia, quam prædicti Doctores referunt, asserentes, hoc præceptum obligare tantum in mortis articulo: & ratio improbabilitatis vtriusque est; nam superflua est lex, quæ semel tantum in vita obligat: ergo dicere debemus, quod pluries obligat lex charitatis, quæ hominibus valde est necessaria ad finem vltimum consequendum. Deinde hoc præceptum impositum est ad referendas nostras actiones in Deum, vt in vltimum finem, rectamque vitæ nostræ institutionem, & amicitiam cum Deo conservandam; sed ad hoc necessarium est, quod non solum in fine, verum etiam in principio vitæ obliget: ergo per se obligat non solum in morte, vt male sentiunt Vazquez de Pœnitentia, quæst.86. art.2. dub.6. num. 11. & Sanctius in Selectis, disp. 1. num. 21. Sed etiam in principio vitæ, vt bene docent Sanchez lib. 2. Decalogi, cap. 35. num. 8. Palaus tract.6. disp.1. punct.4.num.4. Quare sententiam huic contrariam appellant improbabilem, rediculam, & absurdissimam Magister Sotus lib. 1. de Natura, & Gratia, cap. 22. §. *Dicamus*. Bannez 2.2. quæst.44.art.1. dub. 1. ad 3. & Azor tom.1.lib.9.cap.4.quæst.1.

Erroneum est non obligare singulis quinquennis, vel tantum, quando tenemur iustificari.

6 Deinde improbabile etiam nunc iam est, hoc præceptum nec singulis quinquennis posse obligare ad eliciendum actum charitatis: quia licet hæc opinio non sit adeò relaxata, sicut præcedentes, tamen iustissimè ob procrastinationem dicti præcepti obligationis, meruit censuram Innocentij XI. qui sequentem propositionem 6. prohibuit: *Probabile est, nec singulis quidem rigorosè quinquennis posse obligare præceptum Charitatis erga Deum.* Vnde tenemur ex vi prædicti decreti ad eliciendum actum Charitatis saltim singulis quinquennis. ¶ Vltimò: sequi non licet sententiam Tamburini asserentis, hoc præceptum tantum obligare, quando ad iustificationem tenemur, & alia via eam consequi non possumus: tum, quia alias hoc præceptum solum peccatores ligaret, non vero iustos, quod erroneum est: tum etiam, quia si tunc tantum obligaret, hæc obligatio esset tantum per accidens ratione præcepti pœnitentiæ, & nunquam daretur casus, in quo per se obligaret, quod falsissimum est, vt constat ex propositione damnata, quam num.4. tradidimus: ergo non solum tunc, sed alio etiam tempore obligat: tum denique, nam hæc opinio etiam est prohibita in 7. propositione ab Innocentio XI. damnata, cuius tenor ita se habet: *Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possumus*: ergo sententia Tamburini omnino falsa est. ¶ Supposito ergo vt certo hoc præceptum per se obligare ad eliciendum actum Charitatis ad minus singulis quinquennis, videndum nunc est, an in alio vitæ tempore etiam per se obliget: sed quia circa hoc sunt tot sententiæ, quot homines; &, vt bene notat Coninch. disp.24. de Charitate, dub.3. in nulla alia morali quæstione tot, tamque variæ sunt Doctorum placita; ideo ab eis referendis, & impugnandis abstinemus, remittentes Lectores ad Sanch. cap.35. num.9. Palaum tr.6. disp.1. punct.4. Prado cap. 12. q. 3. & alios, qui diffuso stilo eas referunt, & nos breviter quæ probabiliora sunt, decidemus.

Præceptum Charitatis obligat per se in instanti vsus rationis.

7 Dicendum est primò, hoc præceptum dilectionis Dei obligare per se, cum homo ad vsum rationis pervenit: ita D. Thom. 1. 2. quæst. 89. art. 6. & cum eo omnes Thomistæ, quos lato calamo referunt NN.Salmanticenses Scholastici tom. 4. tract. 13. disp. 20. dub. 1. num. 2. Prado cap.12. quæst.3. §.2. num.13. & insuper ex extraneis Diana 5. part.tract.14. resol. 105. Granado de Charitate, tract. 14. num. 2. Filliuc. tom. 2. tract.22. cap.9.q. 4. num. 288. Trullench lib. 1. in Decalogum, cap. 5. dub. 3. num. 3. Navarrus in Manuali, cap. 11. num. 7. Rodriguez tom. 1. Summæ, cap.11. Toletus lib.4. Summæ, cap.9. num.9. & alij. Probaturque conclusio primò: Hoc præceptum dilectionis Dei super omnia aliquando obligat, vt manet ex dictis probatum, & est per se notum: ergo obligat in instanti vsus rationis: patet consequentia: quia hoc est primum legis præceptum: ergo debet obligare in primò hominis tempore, quo actus rationis exercet, quod est primum rationis instans. Denique: quia in primo rationis instanti debet homo deliberare de fine vltimo assequendo, ad illum dirigere se, suosque actus, ne forte exponat se periculo viam salutis aberrandi; sed hoc præceptum Charitatis ad hoc præcisè traditum est hominibus, vt se, suosque actus in vltimum finem referant: ergo tunc est, quando obligare debet. Aliæ rationes theologicæ videantur apud Salmant. Theologicos loco citato.

Qualis sit, & quando incipiat rationis instans.

8 Sed nota primò, quod instans primum rationis, in quo dicimus, hoc præceptum Charitatis per se obligare, non est instans metaphysicum, seu indivisibile, sed morale, & divisibile, complectens totam illam durationem, qua homo, vel altero proponente, vel secum conferente rationes, quas habet amandi Deum, potius quam bonum sensibile, indiget ad discernendum inter vtrumque; & quando cognoscit lumine naturali, sibi conveniens esse Deo per amorem adhærere, tunc lex naturalis de Deo diligendo illi sufficienter intimatur; vnde si omittat dilectionis actum, peccat: quia iam tunc prædicta deliberatio completur, & terminatur instãs morale vsus rationis. ¶ Nota secundò hoc instans morale vsus rationis non est in omnibus æquale, sed in aliquibus esse brevius, & in aliquibus longius; nam, cum protrahendum sit, quo vsque puer plene deliberet, & non omnes æquali polleant ingenij, & discursus acumine, nec æqualiter passionibus, alijsque causis rationem obnubilantibus præpediantur, hinc fit, quod non omnes ex cognitione prædicti boni æqualiter plene deliberent, sed quibusdam tardius, & quibusdam cicius vsus rationis occurrat: vnde oritur, quo illo irradientur alij ante sextum, alij ante septimum annum.

Con-

Proponitur sententia nobis contraria, asserens, præceptum dilectionis non obligare per se in dicto instati

9 Contrariam nihilominus sententiam docent communiter Iesuitæ, vt Azor tom. 1. lib. 4. cap. 10. quæst. 6. & lib. 9. cap. 4. quæst. 1. Vazq. 2. 2. quæst. 149. cap. 2. Suarez tom. 4. de Pœnitentia, disp. 11. sect. 2. Sanch. tom. 1. in Decalog. lib. 2. cap. 35. n. 7. Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 4. num. 2. & N. Antonius in Director. Confes. tom. 3. tract. 2. sect. 1. num. 12. Atque Coninch disp. 24. dub. 1. num. 48. Villalobos 2. part. tract. 13. difficult. 2. num. 5. Et alij docentes: in instanti vsus rationis non dari præceptum, vt quis tunc ad Deum se convertat, ac proinde nec præceptum diligendi Deum obligare per se in illo instanti. Et moventur primò: quia derogat suavitati legis divinæ, quod præceptum adeo arduum obliget in tam tenera ætate: ergo non datur tale præceptum. ¶ Secundò. Nequit obligare præceptum, sine eo, quod præcedat perfecta illius cognitio; sed pueri ante vsum rationis non habent perfectam illius cognitionem, nec sciunt, quando sit Deus diligendus super omnia: ergo in dictu casu non ligantur tali præcepto, alias id fieret non præcedente perfecta illius cognitione, & notitia. ¶ Tertiò. Nullus est, qui cognoscat, quando primum vsus rationis instans advenit: nequit ergo pro illo determinato instanti huiuscemodi præcepto ligari.

Adversariorum argumentis fit satis.

10 Sed hæc pravi momenti sunt. Unde ad primum respondemus, quod non solum non derogat, sed potius consonum est divinæ pietati, quod tunc obliget tale præceptum; quia licet ex parte obiecti sit difficile, sicut est etiam elicientia cuiuscumque actus Charitatis, at, ex parte subiecti est tunc facilius; cum, vt supponimus, Deus non deneget vires necessarias, & sufficientes ad quodlibet illius præceptum adimplendum, & alias pueri tunc nullis vitijs, aut peccatis personalibus ad contrarium malum inclinentur: ergo, sicut postea, licet cum maiori difficultati, debemus fateri obligare tale præceptum, quin hoc divinæ pietati deroget, nec etiam derogabit, quod obliget in instanti vsus rationis. ¶ Ad secundum dicimus, quod in ipso instanti vsus rationis habent pueri sufficientem notitiam huius præcepti, cum cognoscant, teneri, ad se Deo, vltimo fini, per amorem coniungendos; & ideo ligantur præcepto dilectionis, licet ante tale instans, ob eius notitiæ carentiam, illi non subijciantur. ¶ Ad 3. respondetur, negando antecedens; nam omnes practice cognoscunt, naturali ratione convinci ad convertendum se in aliquem vltimum finem; ac proinde primum instans rationis practice cognoscunt, licet speculative, & in actu signato illud ignorent.

Ad quem amorem obliget hoc præceptum.

11 Qualis autem sit amor, ad quem hoc præceptum obliget? non est vniformis Doctorum sententia: aliqui enim docent, non obligare per se ad *explicitum* Dei amorem, & vt finis supernaturalis; sed ad *implicitum*, & vt est finis, & actor naturalis. Alij vero, & probabilius, dicunt, per se hoc præceptum obligare ad amorem Dei explicitum, tàm vt finis, & authoris supernaturalis, quàm naturalis. Utraque pars constat ex verbis huius præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, &c.* Matth. 22. quæ satis indicant amorem Dei formalem, & explicitum. Deinde: nam verbum *Diliges* iuxta omnium fidelium acceptionem, non amorem Dei, vt authoris naturalis, sed supernaturalis significat: ergo ad vtrumque obligat.

Saltim in vnoquoque anno, & in mortis articulo actũ Charitatis elicere debemus.

12 Dicendum est 2. hoc præceptum obligare per se ad eliciendum actum Charitatis saltim semel in anno. Et ratio est: quia, vt supra cap. 2. punct. 3. à num. 31. diximus, præceptum fidei obligat semel in anno, & idem communiter dicitur de præceptis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: ergo potiori titulo obligat præceptum Charitatis. ¶ Confirmatur: Charitas est amicitia hominis ad Deum; sed amicitia moras non patitur: ergo nec Charitatis actus vltra annum sunt protrahendi. Ita Ledesma 2. tom. Summæ, tract. 3. cap. 5. concluſ. 6. difficult. 1. Tapia tom. 2. tract. 3. quæst. 2. art. 2. num. 3. Lastra super sextam propositionem ab Innocencio XI. damnatam, & Trullench lib. 1. Decalogi, cap. 5. dub. 3. num. 5. Quam doctrinam extendunt probabilius ad mortis articulum, cum tunc instet consumatio Charitatis, & cum Deo coniunctio. Videantur, quæ circa fidem supr. cap. 2. punct. 3. num. 30. diximus, quæ eodem modo conveniunt Charitati.

Gravis tentatio odij Dei nõ obligat *per se* ad actum Charitatis, sed *per accidens*.

13 Dicendum est 3. hoc præceptum non obligare *per se*, sed *per accidens*, quando graves insurgunt tentationes odij Dei, & est periculum illis consentiendi, nisi eliciatur Charitatis actus. Hæc conclusio est contra Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 35. num. 9. Tapiam vbi supr. num. 2. N. Antonium tom. 3. Direct. Confes. tract. 2. disp. 2. sect. 1. num. 12. qui in hoc casu tantum agnoscit obligationem per se huius præcepti. Bonacinam disputation. 3. quæst. 4. de Charitate, punct. 2. num. 2. Defenditur tamen nostra resolutio à NN. Salmantic. Scholasticis, tom. 4. tract. 13. disp. 20. dub. 1. n. 4. Palao tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 4. num. 9. Coninch disp. 24. dub. 3. num. 45. Suarez de Charitate, disp. 5. sect. 3. num. 3. Et ratio est: quia obligatio, quæ præcisè est ratione tentationis advenientis, non est obligatio *per se*, sed *per accidens*, sicut accidit, quod insurgat talis tentatio; sed in præsenti casu obligatio actus Charitatis est ratione tentationis odij Dei: ergo non est *per se*, sed *per accidens*. ¶ Ulterius: obligatio *per se* debet omnes æqualiter comprehendere, sicut præceptum ex se commune est; sed periculum tentationis odij Dei non omnes æqualiter comprehendit, cum sint plurimi, qui in toto vitæ curriculo minime ea tentatione arietentur: ergo in hoc casu non obligat *per se*, sed *per accidens* Charitatis præceptum. ¶ Deque: quoniam tentationes odij Dei, quæcumque sint, possunt superari, vel consideratione gloriæ vincenti promissæ, vel pœnæ inferni succumbenti infligendæ, vt experientia comprobatur: ergo de Charitatis præcepto, in casu quæstionis, non datur obligatio *per se*, sed *per accidens*. ¶ Et quod dictum hic est de præcepto Charitatis, dicendum est de præcepto

cepto Fidei: quare dicta supra cap. 2. num. 30. ex his novam vim accipiunt.

Impugnantur aliquæ sententiæ minoris momenti circa obligationé charitatis.

14 Ex quibus impugnati manent aliqui modi dicendi, circa obligationem huius præcepti, parum probabiles. Primus est Scoti in 3. distinct. 27. asserentis: hoc præceptum obligare singulis diebus festis; cum tunc teneamur Deo exhibere cultum internum, qui fit per dilectionem. Sed hæc opinio communiter reijcitur à Doctoribus; vt bene asserunt Ledesma 2. part. Summæ, tract. 3. cap. 5. concl. 6. Sanch. lib. 2. cap. 35. num. 8. quia præceptum divinum sanctificandi Deum, & Ecclesiasticum audiendi sacrum, optime adimpleri possunt absque dilectione Dei, & interno Dei cultu: ergo ob hanc rationem non tenemur diebus festivis ad actum dilectionis eliciendum: antecedens patet, cum talia præcepta, & alia, iuxta dicta tract. 11. cap. 2. punct. 8. num. 147. per actum peccaminosum adimpleantur. ¶ Secundus modus est Soti lib. 1. de Natura, & Gratia, cap. 22. & de Iustitia, & Iure, quæst. 1. Valentia disp. 3. quæst. 19. punct. 1. qui docent, adultos suscipientes baptismum, hoc præcepto eliciendi actum Charitatis ligari; quia tunc adscribuntur militiæ Dei, ac proinde debent se, suaque omnia in Deum referre. Sed hæc opinio etiam falsa est; quia, vt est communis sententia, ad recipiendum baptismum sufficit attritio supernaturalis, quin vlterius exigatur contritio: ergo adultus baptizandus, vt adscribatur militiæ Dei, satis est si attritus accedat, quod fit sine Dei dilectione super omnia. Ita Sanch. num 9. citatus. Petrus Ledesma tract. 3. cap. 5. concl. 6. & Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 4. num. 7. ¶ Tertius modus est Valentiæ 2. 2. disp. 3. quæst. 19. punct. 1. defendentis, quando aliquis est martyrio proximus, teneri elicere actum contritionis ob tanti difficultatem operis. ¶ Sed licet conveniens sit, necessarium tamen non iudicamus, cum homo oratione, & alijs actibus cæterarum virtutum sufficienter ad illud sufferendum disponatur. Ita Suarez de Charit. disp. 5. sect. 3. num. 2. Coninch. disp. 24. dub. 3. num. 45. Palaus num. 9. Sanch. num. 9. & alij. ¶ Explicata iam obligatione *per se* huius præcepti, videndum nunc est, quando obliget *per accidens*, quod quidem facili negotio expendemus. Vnde

Quando hoc præceptum obligat *per accidens?*

15 Dicendum est vltimò, hoc præceptum obligare primo per accidens, quando quis existens in peccato mortali est administraturus, vel recepturus sacramenta, & non est copia confessoris; debet enim tunc conari ad eliciendum actum contritionis, ac per consequens dilectionis Dei super omnia. ¶ Secundò: quando imminet periculum transgrediendi alia præcepta, nisi homo muniatur præsidio actus Charitatis. Videantur Auctores relati, & insuper Truilench lib. 1. cap. 5. num. 7. dub. 3. In quibus casibus docet Auctor immediatè citatus, non committi peccatum contra Charitatem necessario in confessione explicandum: & rectè quidem cum non detur huius præcepti transgressio immediata, seu *per se*, sed *per accidens*, aut ratione alterius præcepti. ¶ Ex hucusque dictis deducitur, dupliciter posse fidelem contra hoc præceptum peccare, aut per omissionem, omittendo actum Charitatis, vel modum illius, vt si diligeret Deum amore naturali, quando supernaturali erat diligendus, aut positivè: vel per commissionem Deum odio habendo, quod est peccatum immediatius Dei Charitati oppositum.

PUNCT. II.

An detur præceptum dilectionis proximi, & maximè inimici?

Datur speciale præceptum diligendi proximum, tam per actus externos, quã internos.

16 CUm Charitas sit virtus non solum tendens in Deum tamquam in obiectum primarium; sed in proximum, vt obiectum secundarium, restat videre, an, sicût datur præceptum diligendi Deum, detur etiam præceptum speciale diligendi proximum? Ad quod respondetur affirmativè, & constat ex illo Matthæi 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Et Ioannis 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Sed nota primò: quod nomine *proximi*, vt ait Divus Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana, à cap. 23. veniunt intelligendi omnes, qui beatitudinis supernaturalis capaces sunt: vnde sub illa particula comprehenduntur tam fidelis, quàm infidelis, tam amicus, quam inimicus, tam iustus, & sanctus, quàm peccator, & impius; cum omnes, dum viatores sunt, sint beatitudinis æternæ capaces. ¶ Nota secundò cum D. Thoma 2. 2. quæst. 44. art. 7. quod ly *sicut te ipsum non est intelligendum, quantum ad hoc, quod aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi.* ¶ Nota tertiò: hoc præceptum Charitatis obligare ad diligendum proximum non solum per actus externos, sed etiam per internos, & formales: quæ assertio, licet sit contra aliquos Doctores, quos refert Leand. tom. 6. disp. 6. tract. 4. quæst. 6. & contra Hurtadum disp. 4. de Charitate, diffic. 2. tamen est expressa Summi Pontificis Innocentio XI. damnantis sequentes propositiones decimam, & vndecimam, quarum prima sic se habet: *Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali.* Secunda: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Ex quibus reprobata manet sententia Palai tract. 6. disp. 1. punct. 5. num. 4. N. Antonij in Direct. Confess. tract. 2. disp. 2. sect. 2. num. 15. asserentium non teneri homines diligere proximum per actum expresse in ipsum tendentem, sed satis est amare Deum, qui amor est virtualiter amor proximi: hæc ergo sententia manere videtur reprobata; nam ex vi huius præcepti tenemur ad actum amoris internum, & formalem, vt patet ex propositione decima damnata; sed amor proximi virtualis, qualis est amor Dei, vt adversarij etiam fatentur, non est formalis, vt ex terminis liquet: ergo per illum non satisfacimus præcepto dilectionis proximi. Videan-

deantur Laſtra, Theatrum morale, & alij ſuper dictam propoſitionem.

Explicantur tempus, & occaſiones, in quibus præceptũ dilectionis proximi obligat per ſe.

17 Sed rogabis primò: Quando obliget hoc dilectionis proximi præceptum? Reſpondetur ex dictis num. 12. obligare primo ad eliciendum actum Charitatis erga proximum ſaltem ſemel in anno. Videantur ibi dicta, & præter citatos tenet Tapia quæſt. 2. artic. 3. num. 3.

Secundò: quando proximus conſtitutus in extrema neceſsitate ſpirituali, vel temporali, noſtro auxilio, vel conſilio indiget: vnde in tali neceſsitate tenemur ex Charitate ad ſacramenta, verbi gratia, miniſtranda, alendum inopem, monendum incautum, ne cadat in laqueum, puteum, vel quid ſimile, vbi eius vita periclitatur: ad abigenda pecora, feras, aliaque animalia proximi ſegetes devaſtantia; ad extinguendum ignem, domum proximi abſumentem, & alia huiuſmodi. In quibus caſibus obligat per ſe præceptum dilectionis proximi, cuius proinde tranſgreſsio ſpeciale peccatum in confeſsione explicandum, conſtituit. Sed hæc intelligenda ſunt, quando id facere commode poteſt, ſine eo, quod æquale damnum, aut maius immineat ſuccurrenti. Dicta tenent Ledeſma tom. 2. tract. 3. cap. 5. concluſ. 8. Navarrus cap. 14. num. 9. Azor tom. 2. lib. 12. cap. 5. quæſt. 3. Villalobos 2. part. tract. 3. diffic. 5. Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 4. num. 13. & alij.

Inimicos tenemur diligere.

18 Rogabis ſecundò: An teneamur ex vi huius præcepti inimicos diligere? Huic quæſt. reſpondetur affirmativè ex Divo Thoma 2. 2. quæſt. 25. art. 8. Bannez ibi. Nam Matthæi 5. dicitur: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos.* Et Proverb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.* Ergo præcepto naturali, & divino tenemur inimicos diligere. ¶ Probatur aſſertio noſtra à ratione: etenim inimicus proximus noſter eſt, beatitudiniſque capax: ergo *vt proximus* diligendus eſt: dicimus *vt proximus*, quia diligere inimicum, reduplicativè vt talem, ait D. Thomas: *Eſt perverſum, & Charitati repugnans, quia hoc eſt diligere malum alterius.* Vnde in omni caſu, in quo vrget præceptum dilectionis proximi, etiam tenemur ad diligendum inimicum. ¶ Ex quibus oritur primò: Quod inimico petenti veniam, debes ſigna dilectionis oſtendere, & odium contra illum, appetitumque privatæ vindictæ deponere; non tamen teneris ex hoc præcepto vindictam plubicam condonare: quia pœna legis eſt iuſta, cædenſque in bonum Reipublicæ, ac perconſequens, licitum eſt eam non remittere. Eſto fateatur Bannez 2. 2. quæſt. 25. art. 9. dub. concluſ. 4. eſſe ſatis difficilè pœnam mutilationis, aut capitis nolle condonare, & libore vindictæ non vri. ¶ Secundò: Oritur, quod non licet inimicis malum ſub ratione mali deſiderare: quia hoc eſt intrinſicè malum: licet tamen ſub ratione boni, & ita imprecamur Tyrano, Turcæ, Hæreticis mortem, & alia damna, vt ſcilicet per illa divina iuſtitia oſtendatur, vt gloria Dei magnificetur, quomodo Prophetæ (vt diximus tract. 12. cap. 2. punct. 2. §. 1. num. 21.) ſæpe præcabantur mala peccatoribus; vt Noe Filio ſuo. Geneſ. 9. Protoparens noſter Elias, Iſraelitico populo. Regum 4. Eiuſque diſcipulus Eliſæus, pueris. 4. Regum, cap. 2. Similiter talia damna imprecamus, & improbis evenire optamus ob bonum commune, vt alij, eorum punitione corrigantur, & ipſi improbi à malo deſiſtant, convertantur, & à perſequendo bonos ceſſent. Qua propter dixit Paulus ad Galatas 5. *Vtinam & abſcindantur, qui vos conturbant:* hoc etiam motivo, & non ex odio, Deus talia infligit mala peccatoribus: ergo etiam erit licitum hominibus ea illis ſub tali ratione deſiderare. Videantur dicta in loco citato tractatus 12.

Declaratur quando, & quæ ſigna dilectionis teneamur inimicis exhibere.

19 Rogabis tertiò: An teneamur ſigna dilectionis inimico exhibere? Huic difficultati ſub diſtinctione eſt reſpondendum: nam vel ſigna dilectionis ſunt omnibus communia, aut huic, vel illi particularia. Si primum; tenemur ea inimico exhibere: *Si enim non exhiberentur inimicis*, ait D. Thomas 2. 2. quæſt. 25. art. 9. *hoc pertineret ad livorem vindictæ contra illud, quod dicitur Levitic. 19. Non quæres vltionem, & non eris memor iniuriæ civium tuorum.* Ergo ſigna communia dilectionis tenemur inimicis exhibere. Quare, cum oramus pro populo, non licet inimicos excipere. Nec ſimiliter excludi licitè poſſunt à beneficio, auxilio, aut opere in gratiam alicuius communitatis facto. Sic D. Thom. loco citato. Tapia tom. 2. lib. 3. quæſt. 2. art. 8. num. 2. Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 5. num. 5. Palaus tract. 6. diſp. 1. punct. 5. num. 4. N. Antonius tom. 3. tract. 2. diſp. 2. ſect. 3. num. 24. ¶ Si vero ſigna dilectionis ſint huic, aut illi particularia, non tenemur ea inimico oſtendere, niſi, vt ait D. Thomas loco citato: *Secundum præparationem animi, vt ſcilicet ſubeniatur eis in articulo neceſsitatis*: cuius ratio reddi poteſt: quia talia ſigna ſunt de conſilio, & perfectione, non autem de præcepto, etiam reſpectu amici: ergo idem dicendum eſt reſpectu inimici. Vnde ſequitur: te non teneri amare inimicum ſpeciali amore, hoſpitio recipere, familiaritatem cum eo habere, ægrotum viſere, & mæſtum conſolari; cum hæc ſint ſigna ſpecialia benevolentiæ. ¶ Excipe tamen primò: ſi hæc negentur parentibus, filijs, ſervis, fratribus, & è contra; quia prædicta reſpectu talium perſonarum ſunt ſigna non ſingularia, aut ſpecialia, ſed communia. Secundò: Si ſequatur ſcandalum ex tali omiſsione, aut ſperetur probabiliter ex tali ſigno, ſalus ſpiritualis, ſeu corporalis inimici, tunc enim teneris ad ea ſigna exhibenda; cum alias crederetur, te odio habere inimicum. Sic præter ſupra citatos tenent Caietanus 2. 2. quæſt. 25. art. 9. Azor tom. 2. lib. 12. cap. 3. quæſt. 6. Villalobos 2. part. tract. 3. diffic. 6. num. 6. & 7. N. Antonius num. 24. Palaus num. 12. & Bonac. tom. 2. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 3. num. 3.

Debemus regulariter reſalutare inimicum.

20 Sed gravior difficultas eſt: An teneamur ſalutare inimicum obvium factum? Diximus *ſalutare*: nam reſalutare, dum tibi inimicus ſalutat, aſſerimus te obligatum eſſe; quia reſalutatio eſt ſignum commune dilectionis,

ac

ac proinde non ſolum ex vrbanitate, verum etiam ex Charitate debitum ; quod quidem ſine gravi ſcandalo omitti non poteſt. Sic communiter Doctores ſupra citati. Excipiunt tamen, & non ſine formidine, caſum, in quo ante inimicitiam non ſoleres ob inimici ignobilitatem illum ſalutare ; quia tunc omiſsio reſalutationis non eſſet contemptus, aut odij ſignum. Ita Coninch. diſp.24.dub.6.num.91. Bonac. diſp.3. quæſt.4. de Charitate,punct.3. num.4. Palaus loco citato, num. 6. Trullench num.9. & apud ipſos Bañez, Valentia, Lorca, & Navarrus. Vnde tota difficultas eſt circa ſalutationem.

Non tenemur ex charitatis præcepto ſalutare inimicũ obvium factum.

21 Ad quam reſpondetur; regulariter non teneri ex Charitatis præcepto ad ſalutandum inimicum. Et ratio eſt : quia ſalutatio eſt ſignum particulare, & ſpeciale benevolentiæ, & dilectionis, non enim omnes tibi occurrentes ſalutare debes ; ſed ex vi præcepti dilectionis, huius ſpecialia ſigna exhibere alijs non tenemur : ergo nec ſalutare obvium inimicum. Sic Suarez diſp. 5. ſect. 5. num. 8. Coninch. loco citato. Bonac. punct.3.num.3.allegato. Villalobos 2.part. tract.3. difficult. 6. num. 4. Navarrus cap.14. num.25. Bannez 2.2.quæſt.25. art.9. dub.1. N. Antonius in loco citat. num. 24. & alij. Diximus *regulariter* : nam ſi ex omiſsione ſalutationis ſequatur ſcandalum, vt ſi inimicus eſſet Prælatus, vel adeſſes cum alijs quibus, inimico excepto, ſalutationem impertiris ; tunc enim peccas mortaliter contra Charitatem ; quia eſt ſufficiens fundamentum ad ſuſpicandum ob inimicitiam, vel odium te excepiſſe inimicum. Ita Doctores citati contra Lorcam ſentientem omiſsionem ſalutationis, & alloqutionis, quando eſt debita, ſolum eſſe peccatum veniale.

Negatio ſalutationis inter perſonas ſanguine cõiunctas, &c. ſcandalum generat, & ideo læthale peccatũ.

22 Notat tamen hic Ioannes Valerus *in different. vtriuſque fori*, verb. *Remiſsio*, diffic. 2. num. 4. quod negatio ſalutationis, vel loqutionis non eſt ſcandalum inter perſonas, etiam inimicitia affectas, de quibus non eſt præſumendum odium apud ſe fovere ; vt inter patrem, & filium, alios que ſanguine coniunctos, & inter Prælatum, & ſubditum, vel alias perſonas religioſas cultui divino ſpecialiter dicatas. ¶ Sed hæc doctrina non eſt ſubſtinenda, cum odij peſtis etiam inter conſanguineos, & intra clauſtra religioſa non parum graſſetur, & eo periculoſior, quo magis apta ad ſuos peximos effectos deſeminandos, & augendos : vnde damnare debemus peccati læthalis negationem ſalutationis in caſu quæſtionis. ¶ Notant deinde Navarrus, Caiet. Bonac. & Reginaldus, vbi ſupra, poſſe abſolutionem impendi pœnitenti offenſo ſalutationem, & alluqutionem inimico neganti, dummodo abſit odium, & ſcandalum : cæterum, quia iudicamus hæc communiter adeſſe, abſolutionem differri oportet, quo vſque cum inimico reconcilietur. Verum tamen eſt, quod qui eſt iniuriam paſſus, ſufficienter obiat ſcandalo, manifeſtando, ſe paratum eſſe ad mutuum colloquium, ſi iniurians vellit cum eo alloqui, & confabulari. Sed quia iniurians principalis cauſa eſt huiuſcemodi peccati, congruum, & neceſſarium eſt, quod cogatur primum ſalutare offenſum, & illum alloqui: cæterum quia apud homines difficilè cognitu eſt, quis iniuriare cæperit, aut quis dederit iniuriæ cauſam, cum nullus ſit, qui ſe innoxium, & innocentem non reputet, ait Bonac. conſulendum, imò credimus,cogendum eſſe vtrumque ad ſe mutuo ſalutandum ; cum non ſine dolore videamus apertas inimicitias inter aliquas familias, & perſonas cum non levi Reipublicæ ſcandalo diu foveri, cui malo naſcenti occurri facilè poteſt, ſi confeſſarius ad mutuum colloquium, & ſalutationem cogeret.

Nota circa Religioſorum rixas.

23 Notandum denique eſt cum Tamburino lib.1. Decalogi, cap.1. §.3. num. 28. N. Antonio tom.2. citato, diſp.2. ſect.4.num.32. quod, ſi aliquis Religioſus graviter ab alio iniuriatus, ei multos per annos ſalutationem, & colloquium negaret, abs dubio læthaliter peccaret : at vero, ſi iniuria illata ſit levis, & alias Religioſus eſſet Prælatus, aut gravis, & timoratus, & ſi per aliquos paucos dies, ſcilicet tres, vel quatuor, ſalutationem ſubtraheret, tunc non peccaret graviter, quia crederetur id facere non ex odio, ſed, vel ex levi aliqua paſsione, aut inadvertentia, vel ad ſignificandam acceptam iniuriam, ac proinde non eſſet in alijs ſcandalum. Sic DD. citati. Sed, quia hæc materia ſatis lubrica eſt, non ſunt in ea habenæ laxandæ, ſed prudenti confeſſarij iudicio procraſtinatio ſalutationis taxanda, & ſecanda ſtatim eſt.

PUNCT. III.

An teneamur ex Charitate ſuccurrere etiam cum vitæ, & bonorum periculo, proximo exiſtenti in extrema, aut gravi neceſsitate ſpirituali, vel temporali?

GRavem diſcutiendam difficultatem nobis titulus offert : vnde, vt cum claritate procedamus, opere pretium duximus, plura diſtinguere : ſicut enim lux obiectorum diſtinctionem demonſtrat, ita obiectorum diſtinctio claritatem, & lucem rebus examinandis ſubminiſtrat. Qua propter per diverſas reſolutiones difficultatem declarabimus. Vnde.

§. I.

Aliquibus ſuppoſitis reſolvitur difficultas quo ad neceſsitatem ſpiritualem.

Pro totius Mundi ſalute non licet peccare etiã venialiter.

24 ANte reſolutionem eorum, quæ titulus offert, ſupponendum eſt primo : non eſſe licitum ſuccurrere proximo in bonis ſpiritualibus cum æquali detrimento ; ac proinde illicitum eſſe committere aliquod pec-

catum, etiam veniale, pro totius Mundi salute, & conversione. Et ratio ex D. Thom. 2. 2. quæst.26. art.4. desumpta hæc est. Etenim dilectio hominis ad se ipsum est, sicut exemplar dilectionis, quæ habetur ad alterum, iuxta illud Levit.19. *Diliges amicum tuum sicut te ipsum*: sed exemplar potius est quam exemplatum: ergo homo magis debet se ipsum, quam proximum diligere: *Quid enim prodest homini, si universum Mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Deinde: iuxta Apostolum ad Rom.3. *Non faciamus mala, vt veniant bona*: sed quodlibet peccatum est ab intrinseco malum: ergo ob bonum spirituale etiam totius Mundi, nequit eligi peccatum, nec ad hoc ex Charitate obligari. Vltimò ostenditur ratione à priori. Nam Deus diligitur per Charitatem secundum quod est principium boni, & homo diligit se ipsum in quantum particeps illius est, proximum vero pro vt est consocius in tali bono, quod sumitur per quandam vnionem in ordine ad Deum; sed vnitas potior est, quam vnio: ergo quod homo participet bonum divinum, est potior ratio diligendi, quam quod alius sibi in hac participatione associetur: ergo nequit homo facere, quod cum detrimento participationis boni divini erga se ipsum, participetur tale bonum à suo proximo; & ideo debet magis se ipsum diligere quam proximum. Div.Thom. sequuntur Bannez ibi. Ledesma tom.2.tract.3. cap.3. conclus.6.7.& 9. Palaus tract.6.disp.1. punct.7. num.2. Trullench lib. 1. in Decalog. cap.5. dub. 6. num.2. N. Antonius tom. 3. in Decalog. tract.2. disp.2. sect.8.n.46. & alij.

Obiectio, & eius solutio.

25 Nec obest, quod Moyses voluerit Deuter. 32. pro fratribus deleri de libro vitæ: & Paulus esse pro illis anathema. Nam, vt explicat D. August. in Exod. quæst.147. hoc dixerunt per exagerationem, filialemque confidentiam, scientes, privandos non esse divina participatione, & gloria. Vel, vt ait Angelicus Doctor 2.2. quæst.27. art.8.ad 1. loquendo de Divo Paulo, intelliguntur de carentia beatitudinis pro aliquo tempore. Vnde Apostolus ad Philipp. 1. ait: *Coarctor autem è duobus desiderium habens: dissolvi, & esse cum Christo multo magis melius: manere autem in carne necessarium propter vos.* Qua Charitate etiam flagrabat Divus Martinus, dum instante morte intonuit: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Qua propter laudibus extollenda est consuetudo, quæ apud nos invaluit, offerendi die secunda Novembris omnia opera nostra satisfactoria pro animabus Purgatorij, vt citius ab illo ergastulo liberentur, optando potius pro aliquo tempore Summo Beatitudinis bono carere, quam videre illas supra modum fœlices animas diu tali igne torqueri: quod quidem esse licitum, & apud Deum valde acceptabile, & meritorium, ostendunt non solum dicta, verum etiam id ipsum demostratur ex eo, quod temporanea illa privatio Beatitudinis sufficientissimè compensatur meriti, & gloriæ incremento, quod ille Charitatis actus apud Deum promeretur. Quare dixit Seraphica Virgo, & M. N. Teresia cap. 37. suæ vitæ in principio: *Si me dixessen, qual quiero mas estàr con todos los trabajos del mundo hasta el fin dèl, y despues subir vn poquito mas en gloria, ò sin ninguno irme à vn poco de gloria mas baxa, que de muy buena gana tomaria todos los trabajos por tan tico de gozar mas de entender la grandeza de Dios; pues veo, quien mas le entiende, mas le ama, y alaba.* Ex quibus clarè constat quam sufficientissimè compensetur carentia temporanea beatitudinis novo illo gradu gloriæ, quem meretur ferventissimus illę, erga beatas animas, Charitatis actus.

Potest quis se privare bonis spiritualibus nó necessarijs ad vitá æternam ob salutem spiritualem proximi.

26 Secundò supponendum est: posse quemlibet ob salutem spiritualem, imò & corporalem proximi, se privare bonis spiritualibus non necessarijs ad beatitudinis consequtionem, qualia sunt augmentum gratiæ, status religiosus, &c. cuius ratio est: nam nemo ad talia bona consequenda tenetur: ergo licitum est, saluti spirituali, aut corporali proximi ea postponere. Quare tenetur filius Religionem non ingredi ob alendos parentes; & aliquando melius facit, non ingrediendo ob temporalem vtilitatem proximorum, vt de Episcopis diximus tom.4. tract.15. cap.3. punct. à num.56. Et de filijs late docuimus cap.3. citat. punct.3.§.2. & num.53. extendimus eandem doctrinam ad avos, proavos valde necessitate oppressos; nec non num.54. ad sorores, alios que fratres, si sint parvuli, eiusque opera ad congruam, & decentem sustentationem indigeant. Videantur à nobis ibi dicta.

Licet se periculo probabili peccandi ob salutem spiritualem proximi.

27 Tertiò supponendum est cum N. Antonio à Spiritu Sancto tom.3. Directorij Confess. tract. 2. disp.2. punct.9. §.3.num.8. & 9. & apud ipsum Suarez, Navarro, Pontio, & vtroque Sanchez: licitum esse ob gravem, honestamque causam, qualis est salus spiritualis proximi, se exponere probabili periculo peccandi; vel si iam sit expositus, periculum non deserere. Et ratio est: quia probabile periculum peccandi non est formaliter peccatum, quando salus, v. g. proximi periclitatur, sed illius occasio; at occasio peccati potest aliqua ratione honestari: ergo honestum est ob salutem spiritualem proximi illi se exponere. Deinde: ideò illud periculum esset peccatum, quatenus esset moraliter voluntarium; sed quando adest gravis, & honesta causa, aut necessitas, non est moraliter voluntarium, cum tunc non ametur periculum; sed potius illud invite amplectetur: vt ex D. Basilio docet Thomas Sanchez lib.1. in Decalog. cap.8. num.3. ergo ob honestam causam, qualis est salus spiritualis proximi, potest homo tali periculo se exponere.

Vlterius roboratur nostrum assertum.

28 Deinde: si salus spiritualis proximi necessario periclitatur, tua vero solum contingenter, vt si infans apud infideles necessario sine baptismo moriturus sit, nisi accedas, cæterum, si accedis, times probabiliter subversionem; tunc, non solum potest, sed etiam teneris accedere, illo que periculo te exponere, quia infans privari non debet iure, quod habet ad baptismum ob infidelium malitiam, vel fragilitatem baptizantis. Ita Bannez 2.2.quæst. 26. art.5. Azor tom.2. lib.12. cap.4. antefinem

nem. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 4. Ochaga de Baptismo, quæst. 7. num. 3. Ioan. Sanch. disp. 10. à num. 9. citans Ledesmam tom. 2. tract. 4. cap. 4. concluſ. 15. propè finem; sed hic Doctor tantum loquitur, quando periculo vitæ exponeretur baptizans. Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 9. §. 3. num. 9. Vnde, si aliqui Doctores videantur contrarium asserere, est, quia loquuntur non de periculo vt cumque probabili peccati; sed de periculo proximo morali, quod, quia communiter peccatum inducit, licitè ob salutem spiritualem proximi eligi nequit iuxta illud Ecclesiast. *Qui amat periculum, peribit in illo.* ¶ Suppositis ergo non teneri ex Charitate cum detrimento spirituali succurrere existenti in extrema necessitate spirituali, nunc videndum est, quid sit dicendum, quando tale detrimentum spirituale non adest. Pro quo

Ex Charitatis præcepto tenemur cũ periculo vitæ subenire proximo existenti in extrema necessitate.

29 Rogabis primò: An teneamur etiam cum periculo vitæ subenire proximo extremam necessitatem spiritualem patienti? Huic difficultati cum communi sententia affirmativè respondetur. Et ratio est: quia datur præceptum exponendi vitam pro salute proximi, vt patet ex illo 1. Ioan. 3. *Sicut Christus animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere*: Ergo obligat in aliquo casu; sed non in aliquo melius, quam in casu extremæ necessitatis, vt ex allegato textu infert D. August. lib. de Mendacio, cap. 6. his verbis: *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Ergo præceptum Charitatis obligat ad exponendam vitam pro salute spirituali proximi. ¶ Secundò probatur alio efficaci fundamento ex D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 5. desumpto: Etenim Charitas illud magis debet diligere, quod habet maiorem rationem boni; sed consequtio beatitudinis respectu proximi est maius bonum, quam propria salus corporalis; cum, quo ad participationem beatitudinis maior sit consociatio animæ proximi ad nostram animam, quam corporis nostri: ergo *proximum*, concludit Divus Thom. *quantum ad salutem animæ magis debemus diligere, quam proprium corpus.* Angelicum Doctorem sequuntur Caietanus, Bannez, Aragon, NN. Salmanticens. tract. 19. disp. 3. num. 28. & alij Expositores. Nec non Azor tom. 2. lib. 12. cap. 4. punct. 4. num. 2. Coninch. disp. 25. dub. 7. num. 86. Ledesma tom. 2. tract. 4. cap. 4. concluſ. 15. circa finem. Palaus tract. 6. disp. 1. punct. 9. num. 3. Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 2. art. 5. Trullench lib. 1. Decalog. cap. 5. dub. 6. num. 10. N. Antonius tom. 3. Directorij Confessorum, tract. 2. disp. 2. sect. 8. num. 49. & Bonac. disp. 3. quæst. 4. punct. 4. num. 2. & alij.

Quædam limitationes doctrinæ antecedentis.

30 Sed prædicta doctrina limitanda est primò, quando vita, vel bona succurrentis necessaria sunt bono communi, & Ecclesiæ, vel Reipublicæ, tunc enim non debet ea exponere pro salute spirituali proximi, sed conservare pro bono communi. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 5. Divus Athanasius de Sanct. fuga, vt supra diximus cap. 2. punct. 6. num. 72. ¶ Secundò: quando, qui subenire poterat proximo, esset in peccato mortali, difficillima que esset ei contritio: quia tunc sunt ambo in eodem discrimine spirituali, in quo præponenda est propria salus spiritualis. Sic D. Thom. in 3. distinct. 29. art. 8. quæstiunc. 2. ad 2. ¶ Tertiò: Quando alter, sive sit mentis compos, aut impos, te invadit occidendum, tunc potes illum occidere, & si eum decedere timeas in peccato læthali: quia necessitas illa non est extrema, sed voluntaria, cum ab ea se liberare possit desistendo; nec credere debes, te esse sufficienter ita dispositum, vt sine damnationis periculo subitaneam mortem pro eo subire possis. Ita Caiet. 2. 2. quæst. 64. art. 7. Palaus num. 7. Tapia n. 7. Trullench n. 10.

Quædam collatia ex nostra, & vera sententia.

31 Quæ, licet vera sint; nihilominus ex nostra conclusione infertur primò: teneri fideles, etiam cum vitæ periculo, ad defendendam proximi dormientis vitam, si sciunt in peccato mortali existere, & moraliter credunt postea ab eo per contritionem, aut pœnitentiam liberandum. Coninch. loco citat. num. 87. Palaus num. 4. ¶ Secundò: quando infans Christianorum filius, & non baptizatus rapitur ad mortem, & non adest alius, qui baptizet, teneris etiam cum vitæ periculo, baptizare; quia prædicta necessitas est extrema, à qua infans se eruere nequit. Diximus, *Christianorum filius*; nam si est infidelium, & apud eos existat, est inter Doctores controversia, an invitis parentibus baptizari possit; de quo Navarrus cap. 14. Summæ, num. 9. & nos late diximus tom. 1. tract. 2. cap. 6. punct. 2. vbi per diversas conclusiones, & distinctiones quid in tali materia tenendum est, docuimus. ¶ Tertiò: Obstetrix, quæ invalide plures infantes baptizavit; tenetur cum periculo vitæ damnum reparare, ac proinde, si necessarium sit, debet se iudici manifestare, vt de remedio provideat: quia tot infantium spiritualis salus propriæ vitæ corporali præferenda est. Trullench num. 10. ¶ Quartò: Si quis morti proximus, & qui vitam anteactam in prava consuetudine peccandi duxit, confessarium petat, teneris etiam cum periculo vitæ illum confiteri, & absolvere, si absit Parrochus, nec est aliquis, qui succurrere possit: quia hic est in extrema necessitate; cum illi, maximè si sit ignarus, & rusticus, difficillimum sit, actum contritionis elicere. Ita Bannez quæst. 28. art. 5. Suarez disp. 9. sect. 2. num. 3. & Coninch. disp. 13. dub. 7. num. 90.

Dum præcisè adest gravis, & non extrema necessitas succurrẽdi proximo nõ teneris id facere, &c.

32 Sed quid dicendum, quando necessitas spiritualis non est extrema, sed gravis? Ad hoc sub distinctione est respondendum: nam, vel est persona particularis, qui succurrere debet; aut alius, qui ex officio ad id tenetur: Si primum; dicimus cum periculo vitæ, famæ, aut facultatum non teneri ei succurrere. Et ratio est: quia, quando non est extrema necessitas, potest proximus aliter salutem æternam consequi: ergo consonum rationi est, quod homo non expendat vitam, & facultates proprias, ob talem proximi necessitatem. Vnde ius naturale exigit, & dictat, te non teneri cum periculo vitæ, facultatum, &c. peccatores à peccatis extrahere, aut retrahere, vel subenire, verbi gratia, filiæ, quem pater prosti-

tuere parat: quia tunc, hi tantum laborant gravi neceſsitate, à qua poſſunt ſe per ſe ipſos, aut per pœnitentiam liberare: nec etiam debes ad Indos convertendos navigare, cum ſint alij, qui ſubenire poſsint, & alias eſt incertum, illos ad fidem eſſe per te convertendos. ¶ At vero, ſi neceſsitate gravi ſpirituali Communitas aliqua laboret, debes, etiam cum vitæ, famæ, facultatumque periculo, ei ſuccurrere, ſi aliter illi ſubeniri non poteſt: tum, quia damnum grave commune præferendum eſt: tum, quia moraliter impoſsibile eſt, Communitatem gravi neceſsitate ſpirituali laborare, & plures particulares non pati extremam; imò & cultum divinum non periclitari. Quare concionatur tenetur reprehendere, & corrigere publica peccata, quando alios inficiunt. Similiter, ſi in hoſtili incurſione non eſſet, qui commodè ſacramenta miniſtrare poſsit, & alias, ex tali omiſsione plebs eſſet in periculo fidem amittendi, teneris cum periculo vitæ, ea fidelibus conferre: quia his caſibus imminet periculum grave commune, cui cum quolibet periculo particulari ſubeniendum eſt. Dicta docent D. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art. 5. ad 3. Suarez diſp. 9. ſect. 1. num. 4. NN. Salmant. loc. cit. Bonac. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 4. n. 2. & 5. Coninch. diſp. 25. dub. 7. à num. 99. Diana 2. part. tract. 5. reſ. 51. Palaus num. 9. & 10. Villalobos 2. part. tract. 3. diffic. 7. num. 7. Trullench dub. 6. citat. num. 11. & alij.

Qui ex officio tenetur bono ſpirituali proximi providere, debet hoc facere cũ vitæ periculo.

33 Si vero ſecundum, hoc eſt, ſi ſit aliquis, cui ex officio incumbit bono ſpirituali proximi providere, tenetur cum vitæ periculo gravi ſpirituali periculo laboranti ſuccurrere, ſi moraliter ſperat remedium profuturum. Et ratio eſt: quia hic ratione officij, & ſtipendij, quod à ſubditis accipiunt, ſtrictius, quam alij obligantur; ſed alij obligantur in extrema neceſsitate: ergo iſti in gravi. Vnde ait Chriſtus Ioannis 10. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Quæ obligatio, cum ſit ſpecialis Paſtorum, debet vrgere in gravi neceſsitate ovium, & non præcisè in extrema, quæ omnes comprehendit, & ligat. Ex quo fit: teneri paſtores tempore peſtis, ſi alios idoneos non ſubſtituant, ovibus proprijs ſacramenta miniſtrare cum periculo dicto. Ita Doctor Angelicus 2. 2. quæſt. 185. art. 5. & opuſc. 18. cap. 16. Suarez diſp. 9. ſect. 2. n. 4. Villalobos 2. part. tract. 3. diffic. 7. num. 7. Palaus num. 12. Trullench num. 13. Coninch. diſp. 25. dub. 7. num. 101. Tapia tom. 2. lib. 3. quæſt. 2. art. 5. num. 5. Bonac. num. 5. Qui addit: Paſtores teneri inquirere oves gravi neceſsitate laborantes, ad eis ſubeniendum. Videantur à nobis dicta in hoc tractatu cap. 2. punct. 6. num. 75.

Quædam notantur.

34 Nota primò: quod, qui poteſt cum levi damno corporali proximo ſuccurrere, grave detrimentum ſpirituale patienti, iuxta omnium ſententiam, ad id tenetur. Et ratio eſt: quia gravis neceſsitas ſpiritualis eſt ordinis ſuperioris ad leve detrimentum corporale: ergo huic præferenda eſt. Videantur Suarez citat. diſp. 9. ſect. 2. num. 3. Coninch. diſp. 25. dub. 7. num. 99. ¶ Nota ſecundò: ſacramenta, quæ Parrochus tenetur cum periculo vitæ miniſtrare, eſſe ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, vt Baptiſmus, Pœnitentia; non autem alia, quæ neceſſaria non ſunt, vt Extrema-Unctio, Confirmatio, Euchariſtia in re ſuſcepta. Vt docent Tabiena, verbo *Epiſcopus*, num. 5. Gallego de obligatione Parroch. part. 3. Lopez 1. part. Inſtruct. cap. 67. & alij. Quos retulimus tom. 1. tract. 4. cap. 9. punct. 3. n. 30. ¶ Nota tertiò: Parrochum, inſtante illa neceſsitate, non poſſe officium renuntiare, alias nullus paſtor eſſet obligatus olvibus aſsiſtere, cum poſsit facilè, quilibet hoc remedio ad fugiendum, vti; vt bene docet Palaus loco citat. num. 13.

§. II.

Decliditur quæſtio circa neceſsitatem corporalem.

TRaditis, quæ neceſſaria ſunt ad intelligentiam obligationis ſubeniendi proximo in extrema, aut gravi neceſsitate ſpirituali exiſtenti, reſtat agere de obligatione circa temporalem. Pro qua

Pro reſolutione non nulla ſupponuntur.

35 Rogabis primò: An teneamur ſubenire cum periculo vitæ, aut bonorum temporalium proximo exiſtenti in extrema neceſsitate corporali? Ante dubij deciſsionem ſupponenda ſunt, quæ apud DD. communiter admittuntur. Primò ergo ſupponendum eſt, ex præcepto Charitatis teneri ſuccurrere proximo in extremo, aut gravi periculo exiſtenti, ſi id fieri poteſt cum levi incommodo ſuccurrentis. Et ratio eſt: quia ordo Charitatis, & rationis lumen exigit, & poſtulat ita fieri; lumen enim rationis cuilibet aſpicienti, proximi ſubſtantiam, aut eius vitam extremum, aut grave detrimentum pati, dictat, & cogit illius conſcientiam, ad ſubeniendum, dum leve præcisè patietur incommodum in tali defenſione; vnde ex vi præcepti Charitatis debet ita facere. ¶ Secundò ſupponendum eſt: quod in æquali tui, & Reip. aut Principis neceſsitate teneris vitam, bonaque fortunæ pro eorum conſervatione expendere: quia quælibet pars politica eſt propter corpus civile, ſicut pars naturalis corporis eſt propter totum: ergo ſicut iſta exponi debet ob bonum totius, (vt diximus in tract. de Reſtitutione) ita & illa ob bonum commune. Diximus: *in æquali*, nam ſi hæc ſit inæqualis, & non extrema reſpectu Reipub. aut Principis non eſt ita certum debere vitam pro ea prodigere. Quibus prælibatis.

Reſolvitur quæſtio.

36 Dicendum eſt: nullum teneri ex præcepto Charitatis ſuccurrere cum periculo vitæ proximo exiſtenti in æquali periculo. Et ratio eſt: quia ordo Charitatis exigit, quod quis magis ſe diligat, quam alium, cum amor ſui ſit exemplar amoris proximi iuxta illud: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Ergo in æquali periculo prius debes propriæ ſaluti providere, quam alienæ. Deinde: magis diligimus animam propriam, quam alienam: ergo & vitam. Patet conſequentia: nam ideò primum eſt verum, quia anima propria eſt

nobis

nobis magis coniuncta ; sed eadem ratio militat in vita : ergo , &c. Hanc sententiam tenent D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 6. & 44. art. 8. ad 2. Divus Augustinus lib. 1. de Civitate Dei , cap. 20. & communiter Scholastici, & Moralistæ: maximè Ledesma 2.part.tract.3. cap. 3. concl. 5. & 16. Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 2. art. 6. num. 3. Palaus tract.6. disp. 1. punct.8. num. 2. N. Antonius à Spiritu Sancto in Directorio Confessorum , tom. 3. tract. 2. disp. 2. sect.9.num.55. Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 6. num. 4. & alij apud ipsos. Vnde oritur , quod nec tenearis in casu posito succurrere proximo , si id facere non potes sine gravi periculo vitæ propriæ : nam præceptum de conservanda alterius vita obligare nequit cum gravi incommodo proprio , alias esset nimis durum , quare cum ille , qui exponitur periculo vitæ , grave patiatur incommodum , ad id ex Charitatis præcepto obligari nequit tali interveniente periculo. Videantur Toletus lib. 4. cap. 10. num. 4. Saa verbo *Charitas*. Navarrus cap.24. num.9. Lopez 1.part. n.67. & alij.

Aliqui asserunt esse,licitum vitá, &c. Expendere pro vita alterius. Alij id negant.

37 Sed gravis difficultas est: An sit licitum exponere vitam , aut bona propria pro servandis vita, & bonis proximi ? Circa quam duplex militat sententia. Prima negativa: quæ probatur sic. Etenim ordo Charitatis petit, vt num. antecedenti vidimus , quod homo plus diligat se ipsum , quam proximum : ergo vita propria præferenda est vita proximi. Deinde : tabulam arreptam in naufragio nequit quis alteri offerre ; nec in extrema necessitate communi vnicum panem alteri elargiri se ipso spreto : ergo illicitum est pro alterius vita servanda propriam expendere. Ita Paludanus in 4. distinct. 15. quæst. 3. art. 2. concl. 3. Gabriel ibidem, distinct. 16. quæst. 4. art. 2. conclus. 1. Toletus lib. vltimo Summæ, cap. 32. & Belarminus lib. 3. de Bonis Operibus, cap. 8. ¶ Secunda sententia est affirmativa : & ostenditur primò : Quia quilibet potest vitam exponere ob finem honestum ; sed conservare proximo vitam est honestus finis, & proprius virtutis fortitudinis , & Charitatis : ergo , &c. Secundò : Licitum est peste laboranti inservire: ergo & pro vita proximi vitam periculo exponere. Tertiò : Pro conservatione status, acquisitionis que famæ, aut fortunæ bonorum, licitè potest quis vitam periculo exponere: ergo & pro conservatione vitæ proximi. Quartò : Laudabile est, si famulus pro Domino , eius que rebus ex obligatione certo se periculo vitæ exponat : ergo laudabilius erit , si id faciat ex libertate. Sic Læsius lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 29. Coninch. disp. 25. dub. 6. num. 81. & alij apud ipsum.

Mens propria aperitur.

38 Sed inter has sententias mediam eligimus viam , & dicimus : illicitum esse vitam certo periculo exponere sine aliquo vero motivo virtutis , vt iam notavimus tract. 13. cap. 2. num. 40. ex Divo Ambrosio lib. *6. de Amicitia*, cap. 10. & in hoc sensu intelligendi sunt Læsius , & alij ex Auctores secundæ sententiæ , in ipso que loquuntur. At licitum est , & laudabile , quando adest tale motivum : vnde pro patre , pro benefactore , pro amico , & similibus licet vitam exponere periculo , eam que expendere. Prima pars probatur ex motivis primæ sententiæ , quæ hanc partem abunde convincunt. Vnde , sicut peccaret , qui se exponeret à feris discerpendum , aut ab igne comburendum , vel à flumine submergendum; quia in simili morte nullum virtutis motivum esse potet ; ita similiter peccaret, qui propriam vitam expenderet præcisè pro conservatione alienæ, si non interveniat alius honestus finis. ¶ Secunda pars etiam constat ex secunda sententia , quando expenditur vita ob motiva honesta, qualia sunt amicitiæ , pietatis , gratitudinis, &c. Et insuper probatur ex illo Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet , vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Ergo non est contra Charitatis præceptum vitam pro amicis ponere , cumque eadem ratio militet pro aliarum virtutum motivis , propter ista licitum erit vitam expendere. Ita Suarez disp. 9. de Charitate, sect. 3. num. 7. Valent. disp. 3. quæst. 4. concl. 3. Bannez 2. 2. quæst. 26. art. 4. dub. 2. Lorca sect. 3. disp. 28. memb. 3. num. 55. Tapia quæst. 2. citata art. 6. num. 4. Palaus vbi supra punct. 8. num. 5. & 6. qui ex Suarez advertit num. 7. non esse læthale , sed veniale expendere vitam præcisè pro incolumi proximo servando : quia licet Charitas potius sibi, quam proximo providere præcipiat, tamen hunc ordinem non sub gravi obligatione , sed sub levi iubet servare. Qui resolutionem plurium casuum videre voluerit, consulat , à nobis dicta tom. 3. tract. 11. cap. 2. punct. 7. & tract. 13. cap. 2. punct. 2. §. 2. & 3. vbi num. 31. & 34. fit satis exemplis in secundo argumento primæ sententiæ adductis; ibi primum de tabula danda in naufragio esse licitum, ostendimus : quia in tali casu non concurrit directè ad mortem , sed non se defendit , cum possit. Secundum vero esse peccaminosum , demonstravimus propter rationem ibi datam ; scilicet : quia respuere , & abijcere media communia , & necessaria ad conservationem vitæ , est directè se occidere.

Qui ordo servandus est in diligẽdo proximos.

39 Vltimò rogabis : Qui sint præferendi in dilectione ? Supponit quæstio vnum proximum magis , quam alium diligendum esse. Cuius evidens ratio desumitur ex Ang. Præcep. 2. 2. quæst. 26. art. 6. *Nam cum principium dilectionis* (ait Divus Thomas) *sit Deus , vel ipse diligens , necesse est , quod secundum propinquitatem marorem ad alterum istorum principiorum , maior sit dilectionis affectus* ; sed Deo , & homini diligenti alij alijs sunt propinquiores : ergo necesse est , quod alius alio in dilectione præferatur. ¶ Secundò supponendum est : quod , vt ordo servandus in diligendo proximum (de quo statim) obliget sub mortali , requiritur necessitas extrema , si autem hæc non adsit, erit tantum veniale. Ita Bannez 2. 2. quæst. 26. art. 8. Ledesma 2. part. tract. 3. cap. 3. concl. 24. ¶ Quibus suppositis breviter respondetur quæstioni , dicendo; parentes omnibus alijs præferendos esse in dilectione , æquali existente necessitate : quare, si omnibus benefacere non potes , alij omittendi sunt , & solum parentibus subeniendum. Et ratio est : quia maior amoris excessus ex

maio-

maiori coniunctione colligendus est; sed parentes sunt nobis magis conjuncti: sunt ergo præ alijs diligendi. Minor sic suadetur: nam coniunctio parentum est naturalis, prior, immobilior, pertinens que ad substantiam: aliæ vero coniunctiones, etsi sint spirituales, sunt variabiles, & accidentales: ergo est maior coniunctio, & consequenter debet esse maior dilectio. Deinde parentibus maiora quam alijs (excepto Deo) debemus, cum debeamus, quod sumus: ergo omnibus alijs etiam benefactoribus insignibus præferendi sunt. Ita D. Thom. 2.2. quæst.26. art.9. & 11. & quæst.31.art.3. ad 4.& ibi eius discipuli, maximè NN. Salmant. tract. 19. disp. 3. à num. 36. Suarez disp. 9. sect. 4. Coninch. disp.25. num.149. Tapia lib. 3. quæst.2. art.7. num.3. Palaus tract.6. disp. 1. punct. 10. num.7. & alij.

Quædam inferuntur.

40 Ex quibus sequitur primò: patrem præferendum esse matri in amore ex parte obiecti; cum sit nobilius principium. Vxorem filijs; filios cæteris cognatis: cum excedant in ratione principij. At vero in ratione amoris intensivi, prius diligenda est vxor; secundò, filij; tertiò, pater; quartò, & vltimò mater: quia hic amor attenditur secundum coniunctionem, & vxor est coniunctior alijs, cum sit vna caro; filij sunt aliquid patris; pater excedit matrem in ratione principij activi, & ideò censetur magis filio coniunctus, quam mater, quæ est principium passivum. Videatur Div. Thom. quæst.26. citata, art.9.10.& 11. ¶ Sequitur secundò: coniunctos in primo gradu præferendos esse in æquali necessitate amicis, & benefactoribus egregijs, tam corporalibus, quàm spiritualibus, quales sunt Magistri, & qui cum ingenti sui periculo te, verbi gratia, à morte liberavere. Ratio huius illationis est strictissima inter eos coniunctio naturalis, quam vincere nequit nec beneficium conservationis vitæ, cum maius sit illam dare, quam conservare; nec beneficium doctrinæ à Magistris acceptæ, cum hæc coniunctio sit accidentalis, & variabilis. Sed adverti debet, nos in hac secunda illatione duntaxat loqui de coniunctis in primo consanguinitatis gradu, non de coniunctis in secundo: nam respectu horum talis potest esse amicitia, aut beneficium, quando, verbi gratia, à morte te liberavit, vt coniunctioni naturali præferri debeat. Etenim *tanta potest esse obligatio ad amicum benefactorem*, (ait Bañez 2. 2. quæst. 26. art.8. dub.1. concl.3.) *vt etiam vincat obligationem benefaciendi fratribus carnalibus.* ¶ Tertiò infertur: consanguineos, & si minus sanctos, præferendos esse alijs proximis extraneis, & si sanctiores sint; cum illorum sit intimior coniunctio. Sic Divus Thomas quæst. 26. art. 7. Suarez disp.9. sect.4. num.19. Palaus disp. 1. punct. 10. num. 9. ¶ Vltimò deducitur: consanguineos magis coniunctos, dum sunt in æquali necessitate, minus coniunctis præferendos esse; & hos, affinibus; Sanctos, peccatoribus; fideles, infidelibus; benefactores, non benefactoribus; amicis, inimicis; concives, extraneis: cum illi sint magis coniuncti. Ita Suarez citatus Ledesma 2. part. tract. 3. cap. 3. à concl. 23. vsque in finem. Palaus punct. 10. citato. Trullench lib.1. cap.5. dub. 6. à num. 15. & Coninch. disp.25.dub.9. Qui plura circa hunc ordinem voluerit, consulat D.Thom. quæst.26. sæpius citata.

CAP. VII.

De eleemosyna, & correctione fraterna.

POstquam Divus Thomas à quæst.23. ad 27. egit de essentia Charitatis, subiecto, obiecto, ordine, & dilectione actu principali illius: postea à quæst.28. incipit, differere de effectibus, tam internis, quàm externis prædictum actum consequentibus: & quia de internis, qui sunt gaudium, pax, & misericordia in proximum, nihil morale specialiter notandum venit, ideò remittentes lectorem ad eumdem Doctorem Angelicum, qui à quæst. 28. ad 30. de eis agit: de externis nunc disputandum nobis est. Et prætermisso actu beneficentiæ, qui consistit, vt ait Angelicus Doctor quæst. 31. in hoc, *quod est facere bonum alicui*: vt pote inclusus in alijs actibus exterioribus Charitatis, scilicet eleemosyna, & correctione fraterna (cum prima consistat in eo, quod est facere bonum corporaliter alicui: secunda vero in eo, quod est facere illud spiritualiter) tantum de eleemosyna, & correctione in præsenti erit nobis sermo: & circa earum assentiam, divisionem, & obligationem per tria puncta difficultates magis obias decidemus.

Punct.I. *QVid, & quotuplex sit eleemosyna, & quando obliget illius præceptum?*

§. I. *Ostenditur essentia, & multiplicitas eleemosynæ.* num. 1.

§. II. *Quando obliget præceptum elargiendi eleemosynam?* num.3.

Punct. II. *Qui possint, & teneantur ad faciendam eleemosynam; & quibus pauperibus est eroganda?*

§. I. *De his, qui licitè possunt elargiri eleemosynam.* num.18.

§. II. *Quibus elargienda est eleemosyna?* num. 30.

Punct. III. *De quæstoribus eleemosyna-*

rum:

rum: & an tales sint Religiosi mendicantes? num. 34.

Punct. IV. *De correctione fraterna.*

§. I. *Quotuplex sit correctio; & quale sit illius præceptum; & ad quæ peccata extendatur?* num. 42.

§. II. *Qui teneantur corrigere, & quæ personæ sint corrigendæ?* num. 54.

§. III. *Quando obliget præceptum correctionis, & ab eo fideles excusentur?* num. 63.

§. IV. *De ordine correctionis fraternæ à Christo Domino assignato.* n. 68.

§. V. *An sit licitum religiosis cedere iuri correctionis fraternæ; & an sint, qui de facto illi cesserunt? Et vtrumhorum occulta crimina teneantur alij ad Prælatum immediatè deferre?* n. 85.

§. VI. *In quibus peccatis servandus est ordo correctionis fraternæ?* n. 92.

PUNCT. I.

Quid, & quotuplex sit eleemosyna; & quando obliget illius præceptum?

HÆc tria sub vno amplectimur puncto: quia, quæ circa illa examinanda veniunt, facili resolvuntur negotio. Vnde Doct. Angelici ordinem, sicut & doctrinam, per omnia sequentes, prius agemus de essentia eleemosynæ; & de inde de eius multiplicitate, ac tandem de existentia, & de obligatione præcepti illius.

§. I.

Ostenditur essentia, & multiplicitas Eleemosynæ.

Ponitur diffinitio eleemosynæ.

1 QUod Latinè dicitur *miseratio*, Græcè vocatur *eleemosyna*: vnde constat, quod sicut miseratio derivatur à misericordia, ita & eleemosyna; & hæc à D. Thoma 2. 2. quæst. 32. art. 1. diffinitur his verbis: *Est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.* Dicitur primò *opus*, vt significetur esse actum exteriorem. Secundò, *quo datur aliquid indigenti*: ad significandum materiam, circa quam versatur, scilicet passivam sublevationem indigentiæ. Tertiò, ex *compassione*: ad denotandum, esse actum virtutis misericordiæ. Denique: *propter Deum*, vt significetur imperium Charitatis, cui subijcitur misericordia. Vnde liquet eleemosynam esse actum Charitatis imperative, seu imperatum à Charitate, elicitum media virtute misericordiæ. Cæterum, si sublevare intendas alienam miseriam ex affectu satisfaciendi Deo pro peccatis, erit actus imperatus à Pœnitentia; si vero ordinatus in cultum divinum, erit imperatus à Religione, & sic de alijs. Per quæ constat, in quo eleemosynæ essentia sita sit. Videatur Ledesma tract. 4. cap. 3. part. 2. Tapia lib. 3. quæst. 4. art. 1. Prado cap. 13. quæst. 3. num. 1. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 8. dub. 1. num. 1. Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 2. punct. 1. A quibus solet aliter eleemosyna diffiniri, dicendo: *Est alienæ miseriæ sublevatio.* Sed hæc cum nostra fere convenit.

Eleemosyna alia est corporalis, & alia spiritualis.

2 Quia ergo duplex est proximi miseria, alia corporalis, & alia spiritualis; ita est etiam duplex eleemosyna, corporalis scilicet, & spiritualis, quarum vtraque plures habet actus, qui communiter in vulgari Catechismo quatuordecim opera misericordiæ dicuntur, quos ita enumerat D. Thomas loco citato art. 2. his versibus:

Visito, poto, cibo, redimo; tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solare, remitte, fert, ora.

In quorum primò enumerantur septem eleemosynæ corporales, nimirum: pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, captivum redimere, & sepelire mortuum. In secundò vero ponuntur aliæ septem spirituales, scilicet: docere ignorantem, consulere dubitanti, tristem consolare, peccatorem corrigere, remittere offensam, portare onerosos, & graves, & pro omnibus orare. Et licet alia misericordiæ opera, tam spiritualia, quam corporalia dentur; tamen quia ad præfata reducuntur, tenenda est communis, & D. Thomæ enumeratio. Cum quo tamen notabis primò: quod licet eleemosynæ spirituales corporalibus sint præstantiores; cum nobilius respiciant obiectum, vt probat Ang. Doctor art. 3. tamen, aliquando eleemosyna corporalis spirituali præferenda est, verbi gratia, quando quis famæ moritur, potius pascendus est, quam docendus. Secundò nota: quod, licet tot sint eleemosynæ corporales, & spirituales, seu actus misericordiæ; non de omnibus in particulari est nobis in præsentiarum agendum, sed D. Thomæ præmentes vestigia, solum agemus de eleemosyna, & fraterna correctione.

§. II.

Quando obliget præceptum elargiendi eleemosynam?

De fide est dari præceptum de eleemosyna.

3 SUpponit quæstio proposita dari præceptum de eleemosyna elargienda: & merito, cum passim constet ex sacra Pagina. Nam cap. 15. Deuter. dicitur: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi.* Et Divus Paulus 1. ad Timoth. cap. 6. ait: *Divitibus huius sæculi præcipe:::::: facilè tribuere.* Denique Christus Domi-

minus Matthæi 25. inquit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi potum, &c.* Ex quibus clarissimè constat, dari præceptum de eleemosyna, cuius transgressio est ex genere suo peccatum mortale pœnis æternis expiandum ab his, qui cum illo decedunt. His consonant SS. Patres, quos refert Valentia 2. 2. quæst. 9. punct. 4. Et est expressum in D. Thoma 2.2. quæst. 32. art. 5. qui hac evidenti ratione illud comprobat. *Ad dilectionem pertinet, vt non solum proximo velimus bonum, sed etiam illud operemur, iuxta illud 1. Ioan. cap. 3. Non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate. Sed ad hoc quod velimus, & operemur bonum proximi, requiritur, quod eius necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynam*: ergo elargitio eleemosynæ est in præcepto.

Triplex est necessitas corporalis.

4 Deinde supponendum est: triplicem esse posse necessitatem in temporalibus: aliam extremam, aliam gravem, & aliam communem. Extrema est, quando proximus est in probabili, aut moraliter certo periculo vitæ: vel, vt ait D. Thom. in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 4. ad 4. quando *apparent signa probabilia extremæ necessitatis futuræ, nisi ei subeniatur: non enim expectanda est vltima necessitas, quia tunc forte non posset iuvari natura iam fame, vel siti consumpta.* Ad hanc reducunt communiter DD. periculum carceris perpetui, mutilationis, & infirmitatis incurabilis. ¶ Gravis necessitas est, quæ hominem constituit non in certo, sed in gravi periculo subeundi damnum notabile in corpore, honore, vita, statu, vel re familiari. ¶ Communis est, quam communiter pauperes patiuntur, cui occurri per se ipsos valent cum aliquali, & morali solicitudine. Videantur Vazquez Opuscul. de Eleemosyna, cap. 3. dub. 3. sub num. 9. Suarez disp. 7. sect. 1. n. 4. Coninch. disp. 25. dub. 8. à num. 112. N. Antonius tract. 2. citat. disp. 2. sect. 10. num. 61. & alij communiter. ¶ Vltimò est supponendum: bona temporalia alia esse necessaria ad propriam, & suorum substentationem, & statum decenter conservandum: alia, quæ horum conservationi non sunt necessaria, & ideò superflua dicuntur; quod adeò verum est, vt alia probatione, quam experientia quotidiana non indigeat.

In extrema necessitate tenetur quis dare eleemosynam etiã ex necessarijs.

5 His suppositis, dicendum est primò: præceptum elargiendi eleemosynam obligare in extrema, aut quasi extrema necessitate indigentis; qua propter tenetur quis, tunc dare eleemosynam non solum ex superfluis, sed etiam ex necessarijs statui. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 5. ad 3. Bannez ibi, art. 6. dub. 2. Tapia quæst. 5. citat. art. 2. Sanch. in Consil. part. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 5. num. 24. Villalobos 1. part. tract. 22. diffic. 2. num. 7. & Palaus tract. 6. disp. 2. punct. 2. num. 5. Et ratio est: quia datur præceptum eleemosynæ: ergo aliquando obligat; sed nullo alio tempore aptius quam in extrema necessitate: ergo tunc obligat. Deinde: in ordine Charitatis prior est vita proximi, quam status decens personæ: ergo esto aliquo modo decrescat, teneris succurrere extreme indigenti. Rursus: in extrema necessitate ius naturæ omnia facit communia: ergo tenemur tunc, de necessarijs ad statum, eleemosynam elargiri. Nec agnoscimus in præsenti probabilitatem sententiæ asserentis: cessare obligationem in casu posito dandi eleemosynam, si ex illius elargitione ab statu necessario cadere debes: vt visum est Palao num. 6. & Coninch. quin potius credimus cum Bannez, & Illustrissimo Tapia art. 3. n. 1. eam esse inhumanam: tum: quia vana est aprehensio, credere, quod, ex quo elargiaris eleemosynam extreme indigenti, de statu cassurus sis, imò è contra est evidens, quod apud Deum, & homines eum amplificaturus sis. Tum etiam: quia ex Charitate tenemur subvenire proximo extreme indigenti, & si sit cum aliquo detrimento proprio in bonis fortunæ; sed diminutio status solum provenire potest ex aliquo detrimento bonorum fortunæ: ergo tenetur quis ad subveniendum proximo etiam cum detrimento status. Tum denique: quia, vt satis prudenter ait Lorca disp. 39. membro 3. num. 40. & ex ipso Diana part. 5. tract. 8. resol. 7. & coordinatus tom. 4. tract. 7. ref. 6. statum multum minuere nequit, quod est necessarium ad sublevandam extremam necessitatem istius, vel illius particularis. Nam, si indigentia esset multorum, quæ sublevari nequit sine iactura status, vt si valida fames totam Provinciam, aut Civitatem ad angustias redigeret, tunc vnus particularis non tenetur in solidum omnium indigentijs subvenire, sed ad omnes attinet. Vel, si forte tot hominum necessitas occurreret, iam hæc non privata, sed publica esset, & pro necessitate publica etiam necessaria ad statum elargienda sunt, vt communis tenet opinio.

Quædam illationes.

6 Cum quo tamen compatitur, quod non tenearis eleemosynam elargiri de necessarijs ad vitæ propriæ, vel tuorum substentationem, & conservationem. Quia non debemus conservare vitam corporalem proximi cum detrimento, & iactura vitæ propriæ. Ex quo fit, quod in extrema illius necessitate, non tenearis adducere medicinas exquisitas, aut medicos distantes vocare, aut opulentas divitias in his inquirendis consumere: quia hæc sunt remedia, & media extraordinaria pro salute proximi conservanda, quæ adhibere pro propria vita non tenemur. Nec similiter tenemur quærere, ad elargiendam eleemosynam, in hospitalibus, aut alijs in locis extreme indigentes; quia hæc est extraordinaria diligentia; sed sufficit occurrentibus eam dare. Cum Ioannis 1. dicatur: *Qui viderit fratrem necessitatem habere, & clauderit viscera sua ab eo, &c.* vbi verbum *videre* sufficienter significat solum fideles debere subenire pauperibus forte nobis ovijs. Limita tamen: nisi tibi ex officio eos quærere incumbat. Videantur Bonac. disp. 3. quæst. 4. de Charit. punct. 6. num. 3. & 10. Palaus punct. 2. citat. num. 3. Suar. disp. 7. sect. 1. N. Antonius disp. 2. sect. 10. num. 63. & alij. ¶ Hic solent inquirere DD. an in extrema necessitate teneamur succurrere proximo non solum ex Charitate, verum ex iustitia? Sed quia

quia negativam partem tenuimus tom. 3. tr. 13. cap. 5. punct. 3. num. 34. ideò ab ea quæstione supersedendo, lectorem ad ibi dicta remittimus; & præter ibi citatos tenent stabilitam resolutionem Bonac. disp. 3. quæst. 4. de Charitate, punct. 6. num. 29. Navarrus cap. 24. num. 7. Reginaldus 1. part. lib. 4. cap. 20. sect. 4. num. 264. Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 2. punct. 3. num. 2. Villalobos tom. 1. tract. 22. diffic. 2. num. 9. Azor tom. 2. lib. 12. cap. 9. quæst. 3. Trullench lib. 1. Decalog. cap. 5. dub. 8. num. 8. Diana part. 5. tract. 8. resol. 2. & coordinatus tom. 4. tract. 6. resolut. 2. & alij apud ipsum. Sed non paucos refert pro contraria, quam sequitur Prado cap. 13. q. 3. à num. 11. contendens esse D. Thomæ: sed ab hoc pro nunc abstinendo, solum hic quæstionem exagitabimus, quam loco citato promisimus, scilicet.

In extrema necessitate sunt, qui dicunt satisfieri præcepto eleemosynæ mutuando.

7 An satisfacias obligationi eleemosynæ in extrema necessitate, si rem, qua pauper indiget, illi mutues, aut dilata solutione vendas, vel dones sub conditione, quod eam reddat, si ad pinguiorem fortunam deveniat? Pro qua difficultate supponendum est: quod, si in illa extrema necessitate proximus non indiget re, aut vsu illius, tunc non teneris eam illi donare: quare, si tantum indigeat equo ad fugiendum, sufficit, si illo vtatur in tali necessitate extrema, qua transacta, equum reddere domino debet. Quo vt certo stabilito: prima sententia asserit: satisfieri præcepto dandi eleemosynam, si res, qua pauper indiget, mutuetur, aut dilata solutione vendatur. Quæ sic primò ostenditur: nam ex præcepto eleemosynæ solum tenemur subenire extreme indigenti; sed eodem modo illi subenimus, si res, qua indiget mutuetur, aut donetur: ergo mutuando satisfit præcepto eleemosynæ. Secundò: Necessitas extrema non facit omnia communia quo ad dominium, sed quo ad vsum: ergo tunc solum tenemur dare eleemosynam mutuando. Tertiò: facta mutuatione, vel venditione cessat extrema necessitas proximi: ergo & præceptum eleemosynæ. Ita Toletus lib. 5. cap. 24. Covarrubias regula *peccatum*, 2. part. §. 1. num. 4. & Navarrus in Manuali, cap. 17. num. 61.

Alij è contra negant, sed gratiosè eleemosyna est danda.

8 Secunda sententia asserit, non satisfieri præcepto eleemosynæ, mutuando, aut vendendo dilata solutione, etiam sub conditione, si ad pinguiorem fortunam devenerit. Et ratio prima est: quia sic extreme indigenti iure naturæ debetur sustentatio, & alimentum: ergo contra Charitatem imponitur ei obligatio restitutionis, aut solutionis. ¶ Secunda: nam Scriptura, & Patres nomine eleemosynæ, donationem absolutam intelligunt; & ideò sæpissimè dicunt in illa extrema necessitate thesauros divitum esse propria bona pauperum: ergo absque vllo onere sunt eis elargienda. ¶ Tertia: nam in his, quæ vnico actu consumuntur non distinguitur vsus à dominio, quando vsus est irrevocabilis, vt in præsenti casu extremæ necessitatis. (De quo videantur à nobis dicta tom. 3. tract. 12. cap. 2. punct. 3. num. 23. & 24.) ergo, si tunc concedis vsum rei consumptubilis vnico actu, concedis illius dominium; & sic pro ea nihil oneris imponere potes. ¶ Vltimò: quia asserere præceptum eleemosynæ non obligare ad absolutam, & liberalem donationem, sed ad conditionatam, parum pium est, & practicè improbabile, vt Azor, & Suarez statim referendi dicunt: ergo tenendum est obligationem dari ex præcepto eleemosynæ, ad omnino liberaliter subveniendum proximo extremam necessitatem patienti. Sic Suarez disp. 7. sect. 5. num. 2. Azor tom. 2. lib. 12. cap. 9. quæst. 1. Bannez 2. 2. quæst. 32. art. 6. dub. 3. Sotus lib. 4. de Iustitia, quæst. 7. art. 1. ad 4. Bonacina disp. 3. quæst. 4. punct. 6. num. 15. Reginaldus lib. 4. cap. 20. num. 260. Villalobos tom. 1. tract. 22. diffic. 3. Sanchez in Consilijs 1. part. cap. 5. dub. 5. num. 56. Palaus tract. 6. disp. 2. punct. 4. num. 5. Diana 5. part. tract. 8. resol. 5. & coordinatus tom. 4. tract. 6. resol. 4. & alij.

Sub distinctione satisfit difficultati.

9 Sed huic quæstioni sub distinctione est nobis respondendum. Pro quo prius notandum est: duplicem esse extremam necessitatem, aliam absolutam, & respectivam aliam; absoluta est, quando egens taliter indiget aliqua re, vt non habeat tunc in illo loco, nec alibi bona sufficientia postea pro ea reddenda, nec spem moraliter certam, se ea aliquando habiturum. Respectiva vero est, quando, licet tunc extreme indigeat, tamen habet alibi bona sufficientia, vel spem, quod absque difficultate postea sit ea habiturus, vel ex hæreditate pingui, aut ex proprio labore, & industria. ¶ Ex quibus ad quæsitum respondetur: quod, si proximus est in extrema necessitate absoluta, non satisfacit præcepto, qui dat eleemosynam mutuo, aut sub alio onere: quia tunc est vere extrema necessitas, in qua vrget eleemosynæ præceptum omnino gratis dandæ, cum iure naturæ ei debeatur sustentatio. Et in hoc sensu est vera secunda sententia num. antecedenti relata, illius que probationes efficatiam habent.

Prosequitur responsio.

10 At vero, si est in necessitate respectiva, dicendum est, satisfieri præcepto eleemosynæ mutuando, aut solutione dilata vendendo. Quod probant rationes primæ sententiæ. Et insuper ostenditur exemplo Tobiæ, qui non gratis, sed mutuo dedit Gabello egenti decem talenta argenti. *Tobiæ* 1. Et Iacob, qui fratri esurienti cibũ vendidit. *Gen.* 25. Et denique Ioseph, qui, dum fames premeret Ægyptum, pro frumento tradito terras eorum accepit. *Genes.* 41. Ergo, si egens aliunde bona habet, ad impletur eleemosynæ præceptum, mutuando, &c. Quod etiam à ratione confirmari potest: nam hic absolutè non est pauper: ergo non tenemur absolutè eleemosynam donare. Et hanc esse mentem D. Thomæ satis probant sequentia verba, quæ habentur quodlib. 5. art. 17. *Vnusquisque* (ait Doct. Angelicus) *tenetur ad liberandum proximum à morte secundum suam conditionem, & modum: & hoc quidem convenienter implevit ille, qui pecuniam mutuavit; non autem tenebitur condonare in casu, quo ille poterat per mutuum liberari.* Quare, si prima sententia hoc tantum intendit, vera est; si vero loquatur etiam in omni extrema necessitate, est falsa. ¶ Et ad primum illius ar-

argumentum respondetur, teneri subveniri necessitati proximi iuxta regulas Charitatis, quæ exigit, quod, si necessitas extrema est absoluta, omnino gratis occurri ei debetur, secus vero, si respectiva est. ¶ Ad secundum negatur antecedens, vt patet ex secunda ratione secundæ sententiæ: & insuper, quia sub hac conditione introducta est divisio rerum. ¶ Ad tertium concedimus facta mutuatione, tolli necessitatem extremam; sed, quando hæc est absoluta, iniustè fit, mutuando.

Referuntur DD. nostræ resolutionis.

11 Nostram resolutionem communiter docent Auctores secundæ sententiæ: maximè Sotus, Bannez, Palaus, Bonac. citati: & insuper tenent Medina quæst. 3. de eleemosyna. Corduba quæst. 26. Lorca sect. 3. quæst. 39. membro 4. num. 54. N. Antonius tom. 3. Directorij Confessor. tract. 2. disp. 2. sect. 10. num. 67. Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 8. n. 7. Tapia tom. 2. tract. 3. quæst. 5. art. 6. Ex quibus aliqui Doctores doctrinam huius resolutionis absolutè extendunt ad graves, & communes necessitates; sed probabilius est, quod in quacumque gravi, vel communi necessitate, quando eleemosynæ præceptum obligat, & consequenter quando teneris eleemosynam dare, obligaris ad illius gratuitam donationem, cum bona temporalia concedantur à Deo ad subveniendum hominum indigentijs, quibus positis, gratiosè elargienda sunt. Ita Trullench N. Antonius num. 69. Palaus n. 6. referens Suarez, Valentiam, & Coninch. Insuper eam tenet Ledesma tom. 2. tract. 4. cap. 3. concl. 12. diffic. 1.

Ex præcepto tenemur in gravi necessitate facere eleemosynas ex superfluis.

12 Dicendum est secundò: Teneri omnes ex superfluis ad statum eleemosynam facere non solum in extrema, verum & in gravi necessitate. Hæc assertio est D. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 5. ad 3. vbi non solum præsentem, sed & præcedentem conclusionem n. 5. stabilitam his edocet verbis: *Dicendum, quod est aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, qui eleemosynam dare omittat: ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, & vrgens necessitas; nec apparet in promptu, qui ei subveniat: ex parte vero dantis, cum habet superflua, quæ secundum statum præsentem non sunt ei necessaria, pro vt probabiliter æstimari potest.* Et explicans quando, & quæ dicantur superflua, subiungit Ang. Doct. *Nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in infinitum, hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet. Matthæi 6. Sed debent dijudicari superfluum, & necessarium secundum ea, quæ probabiliter, vt in pluribus occurrunt.* Ita docet 2. 2. quæst. 118. art. 4. ad 2. & in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 4. concludit; *Et ideò dicitur communiter quod dare eleemosynam de superfluo, cadit sub præcepto, & similiter dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate.* Ex quibus satis constat esse sententiam D. Thomæ, teneri dare eleemosynam ex superfluis, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, cum inter vtramque necessitatem tantus Doctor obligationem eleemosynæ non distinguat. Angelicum Præceptorem sequuntur communiter Theologi: maximè Bannez 2. 2. quæst. 32. art. 6. dub. 2. concl. 2. Sanchez in Consilijs, tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 5. n. 34. Azor tom. 2. lib. 12. cap. 7. quæst. 4. & alij plurimi, quos referunt, & sequuntur Palaus tr. 6. disp. 2. punct. 2. num. 13. Dian. part. 5. tract. 8. resol. 4. & coordinatus tom. 4. tract. 7. res. 11. & Prado cap. 13. quæst. 5. §. 2. contra nonnullos contrarium sentientes.

Ostenditur à ratione.

13 Quæ assertio probatur primò ex parabola illius servi, qui, Matth. 18. damnatus est ex eo, quod in gravi sui conservi necessitate non est illius misertus: ergo in tali necessitate obligat eleemosynæ præceptum. Vnde dixit Divus Lucas cap. 11. *Quod superest, date eleemosynam.* Secundò à ratione: Nam ex Charitate tenemur tueri vitam, honorem, & bona proximi, quando commodè possumus; sed hæc omnia, aut saltim aliqua periclitantur, quando proximus gravem patitur necessitatem, vt constat ex necessitatis essentia supra num. 4. explicata: ergo debemus ex superfluis ei succurrere, cum tunc commodè possimus. Tertiò: Ordo Charitatis postulat, vt superfluitates nostras posponamus decentiæ status proximi: ergo tenemur ex superfluis subvenire in gravi necessitate, cum in hac non leve detrimentum patiatur illius decentia.

Ponitur sententia contraria cum eius fundamentis.

14 Sed dices cum contraria sententia, quam tenent Panormitanus cap. Super eo. *De iure iurando.* Rosella, verb. *Eleemosyna.* Gabriel in 4. distinct. 16. quæst. 4. art. 2. concl. 4. & alij apud Sanch. Nullus tenetur succurrere proximo magis quam sibi, vt constat; sed sibi solum debet quærere ea, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria: ergo, cum ille, qui tantum gravem patitur necessitatem, habeat ad vitam necessaria, nullus tenetur ei dare eleemosynam de superfluis. Secundò: Charitas nequit aliquem obligare ad procurandum, vt proximus bene sit, sed tantum vt sit absolutè; sed qui non patitur extremam necessitatem, habet necessaria, vt absolutè sit, & vivat: ergo in gravi tantum necessitate nemo tenetur proximo subvenire. Tertiò: Si quis teneretur gravi necessitati proximi subvenire, sequeretur, quod, cum similis necessitas frequens sit, nullus licitè possit thesaurizare ad filios in statu constituendos, Collegia, aut Ecclesias fundandum; sed hoc videtur communi fidelium praxi contrarium: ergo, &c. Vltimò: Quia difficilè inveniuntur bona superflua statui, cum talia non reputentur ea, quæ ad altiorem statum acquirendum conducere possunt, vt docent Vazquez de Eleemosyna, cap. 1. dub. 3. num. 27. & 37. Sanchez loco citat. num. 19. Ergo raro, aut nunquam erit obligatio subveniendi proximo in gravi necessitate.

Evelluntur fundamenta contrariæ sententiæ.

15 Respondetur ad primum ex his argumentis, quod, si gravis necessitas sit circa necessaria ad vitæ sustentationem, omnes tenentur, tam sibi, quàm alijs subvenire; secus vero si necessitas sit circa honorem, bona fortunæ, &c. Et ratio differentiæ est: quia, cum in gravi necessitate circa sustentationem salus corporis periclitetur, & homo non sit dominus illius, bene autem honoris, & bonorum fortunæ, non tenetur in gravi necessitate his sub-

ſubvenire, ſecus autem illi. At vero, quia reſpectu bonorum corporis, honoris, bonorum que fortunæ proximi, non habet dominium, debet ei ſuccurrere in gravi neceſsitate. ¶ Ad ſecundum dicimus, Charitatem obligare ad depellendum omne damnum proximi, quando commodè poſſumus, vnde, cum in gravi neceſsitate damnum patiatur, debemus ei ex ſuperfluis ſubvenire, cum ex eis commodè poſſumus. ¶ Ad tertium negatur ſequela, cum non ſint adeò communes graves neceſsitates; quando vero tales adſunt, docet Bonac. diſp. 3. quæſt. 4. de Charitate, punct. 6. num. 9. cum alijs, non poſſe licitè Collegia, aut Eccleſias ex ſuperfluis fundari; ſed ſubveniendum eſt illis neceſsitatibus. Si vero ſint neceſſaria ad filios in ſtatu conſtituendos, iam non erunt ſuperflua.

Declarantur, quæ ſint bona ſuperflua.

16 Quartum argumentum petit, vt explicemus: An ſint, & quando dentur bona ſuperflua? Ad quod, omiſsis varijs dicendi modis, reſpondendum eſt, ea dici bona ſuperflua, quæ neceſſaria non ſunt, tam ad præſentem neceſsitatem, quàm ad eam, quæ probabiliter timetur: vnde ait Bannez, & Sanchez non eſſe ſuperflua, quæ reſervantur ad dotes filiarum, neceſsitates morborum, famis, & bellorum: at eſſe ſuperflua ea, quæ quis reſervat ad altiorem ſtatum futurum, quem procurare poteſt: vnde, ſi reſpectu ſtatus præſentis bona neceſſaria non ſunt ad illius decentem conſervationem, teneris ex illis vt ex bonis ſuperfluis eleemoſynam facere. Sic Palaus num. 14. referens Bannez, Lorcam, & Torres. Ex quibus conſtat falſum eſſe, quod dicit Vazquez Opuſculo de Eleemoſyna, cap. 1. dub. 3. num. 26. & cap. 4. dub. vltimo, num. 14. his verbis: *Vix in ſæcularibus etiam Regibus invenies ſuperfluum ſtatui.* Idem tradit ex Coninch. diſp. 27. dub. 8. concl. 2. num. 130. Palaus tract. 6. diſp. 2. punct. 2. num. 2. in fine. Et ratio falſitatis huius ſententiæ eſt quotidiana experientia; paſsim enim videmus homines adeò divites, vt habeant plurima bona non neceſſaria ad communiter occurrentes neceſsitates ſublevandas, & decentem ſuſtentationem, & conſervationem ſtatus præſentis: quare apud illos paſsim ſunt bona ſuperflua, ex quibus eleemoſynam elargire tenentur. Et ideò iuſtiſsimè condemnavit Innocentius XI. ſequentem propoſitionem, quæ eſt duodecima: *Vix in ſæcularibus invenies etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.* Quæ quidem prohibitio non eſſet efficax, ſi dicenda eſſent bona neceſſaria, & non ſuperflua, quæ conducunt ad altiorem ſtatum acquirendum, cum ad hunc nullæ divitiæ ſufficientes ſint; nam vno ſtatu altiori acquiſito adhuc reſtat alius altior acquirendus. Vnde dixit Divus Auguſt. in Pſalm. 147. *Multa ſuperflua habemus, ſi non niſi neceſſaria teneamus: nam ſi inania quæramus, nihil ſufficit fratres: quærite, quod ſufficit operi Dei, non quod ſufficit cupiditati veſtræ: cupiditas veſtra non eſt opus Dei.* Ergo eſſe bona ſuperflua, aut neceſſaria attendendum eſt ad præſentem, & non futurum ſtatum, & in ordine ad illum regulanda ſunt. ¶ Sed hic adnotare debes, quod licet concederemus, bona ſæcularium poſſe reſervari ad altiorem dignitatem conſequendam, nunquam tamen Eccleſiaſtici beneficij titulo comparata: quia hæc ab Eccleſia minimè conceduntur ad dignitates ambiendas, ſed ad Eccleſiaſticorum ſuſtentationem, & quod inde ſuper eſt, ad pauperum neceſsitates ſublevandas.

Subveniendũ eſt ex ſuperfluis pauperibus in communibus eorum neceſsitatibus.

17 Tertiò, & vltimò dicendum eſt, in communibus pauperum neceſsitatibus teneri divites ex ſuperfluis eleemoſynas facere. Quod primò oſtenditur. Nam, vt ait Divus Ioan. 1. cap. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius Mundi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo.* Ergo ex Charitate tenetur communibus pauperum neceſsitatibus ſubvenire. Imò nullum excipi ab onere ſubveniendi in communibus neceſsitatibus ſatis indicat Divus Ambroſius in Lucam; & refertur in cap. In ſingul. diſtinct. 86. his verbis: *Miſericordia communis eſt vſus, & ideò commune præceptum eſt omnibus, non miles excipitur, non agricola, non vrbanus, &c.* ¶ Secundò probatur ratione: Nam diviſio rerum, communi gentium conſenſu facta, nequit eſſe in præiudicium pauperum; ſed, ſi habentes ſuperflua non tenerentur ea in pauperes expendere, eſſet in eorum præiudicium, cum licitè ea retinerent, & pauperes inopia perirent: ergo, &c. ¶ Tertiò: Quia nimis laxum eſt, propter ſolam maiorem commoditatem cum tanto pauperum detrimento hac obligatione divites exui. Ergo debent in tali neceſsitate eleemoſynam facere de ſuperfluis. ¶ Quartò: Quia, ſi talis obligatio non eſſet, hoc vergeret in Reipublicæ detrimentum; cum totum onus alendi pauperes in eam transferatur: ergo dicendum eſt, dari præceptum diſtribuendi ſuperflua in pauperes. Ita D. Thom. quæſt. 32. citata art. 7. Et ibi Caiet. & Bannez, Ledeſma 2. part. tract. 4. cap. 3. concl. 13. Tapia lib. 3. quæſt. 5. art. 4. num. 5. dicens, noſtras rationes ſibi videri morales demoſtrationes. Palaus punct. 2. citat. num. 15. Bonac. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 6. num. 8. Prado cap. 13. quæſt. 6. num. 3. Sanch. in Conſilijs, tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 5. num. 37. & alij plurimi apud ipſum, & Prado.

Notatio, qua ſuppoſita evelluntur fundamenta contraria.

18 Sed hic notare oportet cum Lorca diſp. 39. memb. 2. num. 30. non eſſe neceſſarium, omne ſuperfluum in pauperes expendere; ſed licitum eſſe, in alios pios vſus aliquid reſervare. Et ratio eſt: quia hoc præceptum non obligat ſingulos in ſolidum, ſed communiter omnes divites, ex quibus, ſi ſinguli aliquid elargiantur, his communibus neceſsitatibus ſufficienter ſubvenitur. Per quod ſatisfit præcipuis argumentis ſententiæ contrariæ, quam defendunt Vazquez, Covarrubias, Medina, & alij, quos refert, & ſequitur Diana part. 2. tract. 15. reſ. 32. & coordinatus tom. 4. tract. 7. reſ. 12. Qui omnes ita ſentire videntur eo, quod ex noſtra ſententia ſequitur primò, quod nullus poſsit ſuperflua in pios vſus expendere, aut cui voluerit, donare. Et denique, quod alias omnes, aut ſaltim plures di-

divites, eorum que Confessarij in tartara detruendi essent; cum retineant, vel retinere consulant superflua in alios pios vsus expendenda. Quæ omnes illationes falsæ sunt, & advertentia asignata evanescunt, vt consideranti constabit, quin opus sit alia addere.

PUNCT. II.

Qui possint, & teneantur ad faciendam eleemosynam; & quibus pauperibus est eroganda?

DUplicem partem continet quæstio proposita; ideò, vt confusio evitetur divisive resolvenda est. In primò enim paragrapho de obligatione, quam Sæculares, & Ecclesiastici habent elargiendi eleemosynam, agemus. In secundò autem quibus danda est, disputabimus.

§. I.

De his, qui licitè possunt elargiri eleemosynam.

Qui dominium, & administrationem bonorum habēt, possunt eleemosynas facere.

19 NUlli dubium est, in duplici esse differentia, qui eleemosynam dare queunt; nam alij sunt sæculares, & regulares alij: & ideò primo de illis dicemus postea acturi de istis: ab omnibus tamen breviter nos expediemus, quia ex alibi dictis resolutio iam constat. Igitur dicendum est primò, omnes, & solos illos sæculares, qui bonorum suorum dominium, & plenam administrationem habent, posse eleemosynam facere. Et ratio est: quia eleemosyna est, vt ex dictis constat, liberalis donatio; sed nemo donare potest, quod eius dominio, non subest: ergo nec facere eleemosynam de bonis, quorum dominium, & administrationem non habet. Nostra tamen conclusio intelligitur extra extremam necessitatem; nam, si hæc adest, quilibet ex quibuscumque bonis potest proximo subvenire, vt est apud omnes certum.

Ex quibus potest vxor dare eleemosynas, decidit.

20 Ex quibus sequitur primò: quod, quia vxor habet dominium, & administrationem bonorum paraphernalium, potest ex illis eleemosynas facere, vt diximus tom. 3. tract. 13. cap. 5. punct. 4. §. 3. Imò & de alijs bonis secundum consuetudinem mulierum suæ conditionis ex tacita mariti licentia. Idem dicendum est de alijs bonis, quæ præter dotem sibi asservavit ad suos vsus, quorum in Regnibus Castellæ administrationem habet: & de alijs, quæ à marito conceduntur pro sumptibus extraordinarijs, & voluntarijs; vel de his, quæ propria arte, aut industria lucratur, si sufficientem dotem secum detulit. Sic D. Thom. 2. 2. quæst. 38. art. 18. N. Antonius disp. 2. sect. 16. num. 106. Navarrus Opusculo de Eleemosyna, cap. 4. num. 4. Bonac. disp. 2. de restitutione, quæst. 10. punct. 2. à num. 5. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 5. dub. 9. num. 9. Palaus tract. 6. disp. 2. punct. 13. num. 10. Diana part. 5. tract. 8. resol. 34. & coordinatus tom. 4. tract. 7. resol. 34. & alij. Cum quibus addere oportet alios casus, in quibus de bonis, quorum administratio, imò & dominium est apud maritum potest vxor eleemosynas facere. Primò: ad avertendum malum sibi, & marito imminens (vt fecit Abigail cum Rege Dabid) impetrandam que à Deo sui, suorum que conversionem. Secundò ad alendos parentes, & filios ex priori matrimonio habitos. Sic Diana, & Palaus ex Læsio, Navarro, & Bonac. qui cum eisdem extendit hanc doctrinam ad fratres: quia ad proprium statum pertinet, ne fratres suos permittat egere. Sed optime advertit, quod mortuo viro debet mulier, quæ sic dedit consanguineis, cum ad partitionem venerit cum viri hæredibus, in sua parte computare.

De quibus bonis filius familias eleemosynas dare queit, explicatur.

21 Sequitur secundò: Quod filius familias potest facere eleemosynas de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus; de quibus diximus tom. 3. tract. 12. cap. 2. punct. 10. habere non solum dominium, sed & absolutam administrationem. At vero de bonis adventitijs, & profectitijs ob rationem oppositam, nisi præsumatur consensus Patris, nequit eleemosynas dare. Palaus punct. 13. num. 8. Trullench dub. 9. num. 7. Diana part. 5. tract. 8. res. 25. & coordinatus tom. 4. tract. 7. res. 38. At vero Tutores, & Curatores possunt moderatas eleemosynas facere iuxta conditionem pupilli, & minoris. Azor 2. part. lib. 12. cap. 10. quæst. 5. Bonac. disp. 3. quæst. 4. punct. 6. num. 26. Villalobos 1. part. tract. 22. diffic. 4. num. 7. & Palaus num. 7.

Traditur doctrina circa eleemosinas mancipiorum, & famulorum.

22 Sequitur tertiò: Quod cum servus mancipium non habeat dominium bonorum, vt constat ex Instut. *Per quas personas.* §. *Item nobis.* Et leg. *Placet. ff. de adquirenda hæreditate*: nequit facere eleemosynam, nisi quando domini præsumitur ratihabitio, vel eam elargiatur, detrahendo de portione ad victum asignata. Et quod dictum est de servis, dicendum etiam est de famulis, cum isti etiam careant dominio bonorum domini. Sic N. Antonius tom. 3. Direct. Confes. tract. 2. disp. 2. sect. 16. à num. 101. Palaus punct. 13. à num. 2. Trullench num. 8. Filliuc. tom. 2. tract. 18. cap. 4. quæst. 6. num. 95. ¶ Ex quibus vltimò sequitur, quod his exceptis, reliqui omnes sæculares, qui dominium, & administrationem bonorum habent, eleemosynas facere tenentur in casibus puncto antecedenti relatis, in quibus diximus eleemosynæ præceptum vrgere. Sic citati DD. loquendo de obligatione eleemosynas elargiendi, qua sæculares premuntur, quin opus sit eos sigillatim referre. Vnde videri oportet, qualiter Ecclesiastici ad id teneantur.

Triplex differentia bonorum, quæ possideri possunt ab Ecclesiasticis.

23 Cæterum pro resolutione obligationis Ecclesiasticorum ad elargiendam eleemosynam; supponendum est primò ex dictis tr. 12. cap. 2. punct. 11. num. 137. bona Ecclesiasticorum esse in triplici differentia: alia *patrimonialia*, quæ successione, donatione, labore, vel propria industria comparantur. Alia

qua-

quasi patrimonialia, quæ obveniunt intuitu alicuius ministerij Ecclesiastici, vt prædicationis, Missæ, Sacramentorum administrationis, &c. etiam si hæc ex obligatione fiant. Alia denique sunt *mere Ecclesiastica*, quæ ex beneficio percipiuntur, qualia sunt annui redditus, & fructus ex decimis, aut ex capellanijs accepti. ¶ Supponendum est secundò: Ex bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus eodem modo esse obligatos Ecclesiasticos, ac Sæculares, vt expresse ait D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. Cum hæc bona non sint Ecclesiastica, sed purè temporalia data à fidelibus in stipendium operis impensi: ac pro inde ex eis possunt consanguineos ditare, & ad superiorem statum promovere, sicut cæteri sæculares. Quare tota difficultas est de alijs bonis purè Ecclesiasticis. Pro qua:

Omnes Ecclesiastici etiam supremus Pastor Ecclesiæ debent de superfluis dare eleemosynas.

24 Dicendum est secundò: Omnes Ecclesiasticos etiam Summum Pontificem, & Episcopos teneri omnia bona Ecclesiastica superflua, hoc est, quæ superfluunt suæ congruæ sustentationi, pauperibus elargiri. Ita Palaus plures referens. Diana part. 5. tract. 8. resol. 28. part. 10. resol. 35. tract. vndecimi: & coordinatus tom. 4. tract. 7. resol. 19. 20. & 22. Tapia tom. 2. tract. 13. quæst. 5. art. 8. N. Antonius tom. 2. disp. 2. sect. 12. Prado cap. 13. quæst. 7. Trullench lib. 1. Decalog. cap. 5. dub. 9. num. 2. Lugo tom. 1. de Iustitia, quæst. 4. sect. 2. Thomas Sanch. lib. 2. Consiliorum, cap. 2. dub. 27. Et nos sufficienter tom. 3. tract. 12. cap. 2. num. 141. docuimus, vbi diximus hanc obligationem non solum esse ex vi Concilij Tridentini sess. 25. cap. 1. de *Reformatione*, ac proinde ex vi præcepti Ecclesiastici provenire, sed etiam ex vi præcepti naturalis, in quo Pontifex dispensare non potest: vnde, qui ex bonis modo dictis eleemosynas omittit, ea in alios vsus, sivè profanos, sivè ad ditandos consanguineos insumendo, mortaliter peccat contra ius positivum, & naturale. Alia vero, quæ circa hanc obligationem disputari possunt, abunde loco citat. diximus, ac proinde ibi lectorem remittimus.

Qualiter Prælati religiosorũ debeant eleemosynã elargiri, explicatur.

25 Sed hic rogabis: An Prælati religiosi teneantur eleemosynas facere de bonis Religionis? Respondetur affirmativè cum D. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 8. Nam, & si non sit Dominus bonorum Monasterij, est tamen administrator eorum cum facultate ea prudenter dispensandi: ergo, si superflua habet communitas, apud quam est dominium, debet eius Prælatus ea in pauperes distribuere.

Subditi religiosi non possunt eleemosynas dare.

26 Cæterum loquendo de alijs religiosis hæc profert Doct. Angelicus art. citat. ad 1. *Dicendum, quod monachus, si habeat dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynas facere de rebus Monasterij, secundum, quod sibi est commissum; si vero non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis, vel expresse habita, vel probabiliter præsumpta, nisi forte in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum est ei furari, vt eleemosynam daret.* Hucusque D. Thomas, quem sequuntur Sanchez in Sum. tom. 2. lib. 7. cap. 19. à num. 96. vsque ad 104. Læsius lib. 2. cap. 18. dub. 11. num. 85. Filliucius tom. 2. tract. 28. lib. 12. cap. 10. quæst. 3. Diana part. 5. tract. 8. res. 32. & coordinatus tom. 4. tract. 7. res. 33. Cum quibus addere possumus, quod, quando subditus peregrinatur, aut studiorum, vel alterius negotij causa extra monasterium commoratur; tunc de his, quæ vsu consumuntur, vel de alijs bonis in parva tamen quantitate: quia in tali casu est quasi administrator bonorum sibi à Prælatis concessorum, & præsumitur illorum tacita licentia. Vide à nobis dicta tr. 13. cap. 6. punct. 3. num. 31. ¶ Maior tamen difficultas est de religioso beneficiario: An hic sine Prælati licentia possit eleemosynas dare? In quo casu dicendum est, Religiosum beneficiarium non habere dominium fructuum beneficij, sicut nec alij religiosi, vt diximus tract. 12. cap. 2. punct. 12. & tract. 13. punct. 2. cap. 6. illud habent de alijs rebus. Et ideò facere non potest eleemosynas absque licentia Prælati; quod quidem verificatur, sive beneficium sit ad nutum amobile, sive perpetuum: quia in nullo casu beneficij fructus potest religiosus habere dominium, ac pro inde nec de eis disponere. Ita Sanch. apud Palaum loco citat. punct. 8. num. 1.

Divites possunt à iudicibus cõpelli ad elargiendas eleemosynas.

27 Rogabis secundò: An iudices possint subditos compellere ad elargiendam eleemosynam, quoties ex præcepto tenentur illas facere? Respondetur affirmativè cum Caietano in Sum. verb. *Eleemosyna.* Sylvestro eodem verbo. Lorca sect. 3. disp. 39. membro 4. à num. 45. Et ratio est: quia iudices habent potestatem ad exequendum quidquid conducit ad bonum commune: sed elargiri eleemosynas pauperibus valde conducit ad bonum commune: ergo ad id possunt compellere subditos. Vnde apud omnes valde laudabile, & prudentissimum Reipublicæ regimen est constituere xenodochia publica, in quibus per cives, iuxta vnius cuiusque bona, pauperes alantur. Cuius rei efficax comprobatio est totius Orbis praxis, vbi similes Charitatis domus passim ædificatæ sunt, vbi inopes, concivium pietate, aluntur, & meduntur.

Eleemosyna elargienda est ex proprijs bonis tantum.

28 Rogabis tertiò: Ex quibus bonis elargienda est eleemosyna? Respondetur: ex proprijs, & non ex alijs faciendam esse. Et ratio est: quia dare eleemosynam est actus dominij: ergo ex proprijs est facienda. Excipe tamen, quando propria non habemus, & proximus est in extrema necessitate: tunc enim, cum omnia sint communia, possumus aliena accipere ad subveniendum extremæ necessitati proximi. Ita Palaus disp. 2. citata, punct. 12. num. 1. Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 10. n. 1. N. Antonius disp. 2. relata, sect. 15. à num. 93. & nos late diximus tom. 3. tract. 13. cap. 5. punct. 3. §. 1. Et insuper §. 2. demostravimus esse illicitum in gravi necessitate aliena ad necessitatim subveniendum accipere.

Quod novissimè confirmatur ex 36. propositione ab Innocentio XI. damnata, quæ ita se habebat: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* In qua propositione tantum hanc vltimam partem damnari, est concors DD. sententia. Videantur Lastra, & Caramuel, qui in theologia

gia fundamentali lepide, & eruditè in fundamento 59. §. 1. num. 1255. insurgit contra Dianam part. 11. tract. 1. & Miscelan. 1. res. 13. & coordinat. tom. 4. tract. 7. qui constanter defendit licitum esse in gravi necessitate aliena furari. Sed, si hoc verum esset, omnes, qui patibula ob furta onerant, innocentes suspenderentur; totus que orbis latrocinijs scateret; cum hi omnes gravem, sibi credunt, pati necessitatem. Quare ob hæc vitanda iustissimè prædictam sententiam Innocentius XI. à fidelium cordibus, & finibus censuræ fulmine, & improbabilitatis nota amandavit.

De bonis turpiter acquisitis, si propria fiat, potest fieri eleemosyna.

29 Rogabis quartò: An ex turpiter acquisitis sit eleemosyna facienda? Respondetur: quod, si bona acquirantur præmio, aut mercede alicuius actionis illicitæ, vt fornicationis, occisionis, & similium, per quas, vt diximus tract. 13. cap. 1. punct. 6. à num. 154. acquiritur dominium, tunc ex eis potest licitè dari eleemosynas. Si vero acquirantur furto, rapina, vsura, &c. & res in specie stet, non possunt ex ea eleemosynæ fieri extra necessitatem extremam: si autem res non existat, & alias ex largitione eleemosynæ impotens non fias ad restitutionem faciendam, potes eleemosynam impertiri: quia tunc iam ex proprijs, & absque alterius damno eam facies. Ita Divus Thomas quæst. 32. citata, art. 7. Trullench dub. 10. num. 2. Palaus punct. 12. num. 3. N. Antonius disp. 2. sect. 15. à num. 96. & alij apud ipsos. Qui omnes extendunt traditam doctrinam ad eum, cuius bona ob aliquod delictum sunt fisco addicta: quia ante sententiam iudicis non privatur dominio suorum bonorum; ac proinde potest ex eis eleemosynas facere.

Ad quem expectat Prædicatoris eleemosynã solvere, declaratur.

30 Rogabis quintò: A quibus solvenda est eleemosyna prædicatori? Hic casus, ait Diana part. 3. tract. 5. & Miscelan. 1. res. 71. frequens est, sed apud casuistas rarus. Illum tamen resolvit ex Paponio de Iur. Franc. lib. 1. à restit. 9. in glossa lit. *A*: dicendo, quod in vrbe, in qua est Archiepiscopus, vel Episcopus, ab ipso solvenda est; cum ad illum pertineat prædicare, aut prædicari curare; si autem sit in alio opido, ab his, qui decimas percipiunt; Parrochia vero tunc debet expensas victus solvere; & ita declarasse Sanctam Congregationem Cardinalium ex Ugolino testatur Riccius in Praxi, tom. 1. res. 468. num. 3. Sed credimus, consuetudini standum esse, iuxta quam, qui Concionatorem elegit, sumptus illius facit; hac tamen secluſa ad Episcopos, & Parrochos attinet, saltem pro concionibus tempore Adventus, & Quadragesimæ habendis.

§. II.

Quibus elargienda est eleemosyna?

ACcedimus iam ad secundam partem quæstionis in titulo puncti propositæ. Pro qua breviter:

Omnibus vere egentibus danda est eleemosyna.

31 Dicendum est primò: Eleemosynam dandam esse omnibus egentibus, sivè iustis, sivè iniustis; sivè amicis, sivè inimicis; sivè vivis, sivè defunctis; cum ad omnes se extendat misericordia. Excipe tamen: nisi egentes possint victum comparare proprio labore, & absque dedecore: nam tunc eleemosyna esset otij fomentum: vnde vagabundis non est eleemosyna facienda, nisi sint in extrema necessitate: quia tunc prudenter præsumendum est illis, tam corporaliter, quàm spiritualiter profuturam. ¶ Nota tamen primò: Quod nullus præsumere potest, pauperes sibi obvios esse vagabundos, & ex laboris tædio eleemosynam postulare, quin potius credendum est, eam ex necessitate petere: quia *Charitas non cogitat malum*: nisi forte evidentes coniecturæ contrarium suadeant, vt si videas iuvenes robustos emendicare. ¶ Nota secundò: Nos magis teneri, eleemosynam conferre vivis existentibus in extrema, aut gravi necessitate, quã defunctis: ratio est ob spirituale periculum, quod inest vivis, quod quidem Purgatorij animæ non habent. Dicta tenent Sylvert. verb. *Eleemosyna*. Villalobos 1. part. tract. 22. diffic. 7. num. 1. & 3. Vazq. Opusculo de Eleemosyna, cap. 3. dub. 2. num. 9. Coninch. disp. 27. dub. 6. num. 69. Trullench dub. 10. num. 5. Palaus punct. 14. num. 1. & 2. N. Antonius loco citato sect 17. à num. 107. & alij apud ipsos.

Proponitur opinio asserens pauperes fictos nõ acquirere dominiũ accepta eleemosynæ.

32 Sed rogabis: An, qui simulatus pauper accipit eleemosynam, teneatur ad restitutionem? Certum est hunc peccare mortaliter, si eleemosyna larga sit; cum veris pauperibus iniuriam inferat. Quare tota difficultas est: An acquirat dominium illius, vel eam restituere teneatur? Circa quam difficultatem prima sententia asserit, teneri ad restitutionem acceptæ eleemosynæ, qui se pauperem fingit. Ita Navarrus cap. 17. num. 107. Caietanus in Summa, verb. *Restitutio*. Vazquez cap. 3. citato, dub. vltimo, num. 12. Villalobos 1. part. tract. 22. diffic. 9. num. 2. Palaus tract. 6. disp. 2. punct. 14. num. 5. & Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 10. num. 9. Et moventur: quia finis eleemosynæ est alienæ miseriæ sublevatio: ergo talis finis cessat, dum hæc miseria non adest; & consequenter eleemosyna non erit tunc voluntaria, nec gratuita donatio; ratione cuius accipiens possit dominium illius acquirere. Secundò: Error commissus in elargitione eleemosynæ est substantialis, cum non adsit finis eleemosynæ; sed error substantialis facit nullam donationem: ergo nulla est eleemosynæ elargitio.

Verior est sententia cõtraria.

33 Secunda, & verior sententia defendit ad restitutionem non teneri. Primò: Quia Episcopus ordinans Petrum, qui se fingit sanctum, credens ita esse, valide illum ordinat, & si talis non sit: Similiter baptizans Ioannem iudicans esse Petrum, verum efficit baptismum: ergo valida est eleemosyna facta se fingenti pauperem. Patet consequentia: Nam ideò primum est verum, quia ibi error non est substantialis, sed accidentalis, qui actum non irritat; sed talis error est in nostro casu, cum tantum sit circa accidentalia personæ: ergo, &c. Secundò: Qui matrimonium contrahit cum ignobili, aut paupere, credens esse nobilem, & divitem, validè contrahit, vt di-

diximus tract. 9. cap. 10. dub. 2. à num. 14. ergo valida est eleemosyna data ficto pauperi. Tertiò: Quia eleemosyna non fit pauperi propter ipsum, sed propter Deum, taliter quod Deus est causa finalis illius, miseria vero pauperis est tantum causa illius impulsiva; sed, si causa finalis verificatur, esto falsa sit impulsiva, est vera donatio, dominium que transfertur, vt est communis sententia: ergo valida est talis donatio, dominium que rei donatæ in pauperem traducitur. Quintò: Eleemosynam elargiens tantum intendit subvenire miseriæ veræ, aut probabiliter apparenti; nec aliquis aliam intentionem regulariter habet, dum eleemosynam confert, vt experientia liquet; sed talis miseria semper adest: ergo, &c. Vltimò: Qui se fingit amicum Regis, verbi gratia; & ob id ab eo aliqua dona accepit; illorum verum dominium acquirit, nec restituere tenetur: ergo idem dicendum venit de eo, qui se fingens inopem, eleemosynam accepit. Ex quibus patet ad argumenta contraria. Nostram sententiam tenent Sotus lib. 9. de Iustitia, quæst. 7. art. 3. ad 4. Læsius lib. 2. de Iustitia, cap. 18. dub. vltimo, num. 132. Coninch. disp. 27. dub. 6. Ledesma 2. part. tract. 4. cap. 4. concluf. 43. vers. *Dico primo.* Medina in Summa, lib. 1. cap. 4. §. 35. Diana part. 5. tract. 8. resol. 21. & coordinatus tom. 4. tract. 7. res. 56. num. 2. loquens de eleemosynis quotidianis, & parvis.

Ementitus pauper magnas eleemosynas, vel danti, vel alijs pauperibus restituere debet.

33 Nota tamen hic cum Soto, Ledesma, Granado, Diana, & alijs, quod, siquis pauper fingeret se, verbi causa, Magnatem, aut Episcopum per vim ab hæreticis ex propria sede, aut domo expulsum; & ob id magnam acciperet eleemosynam, verbi gratia, centum aureorum, aut quid simile; teneretur tunc illam restituere. Et ratio est: quia non censetur voluntarie ob eius magnitudinem erogata. Et idem dicunt, si conferens expressam habeat intentionem vero pauperi elargiendi eleemosynam, tunc enim cuiuscumque eleemosynæ donatio nulla est. ¶ Cui vero in his duobus casibus sit restitutio facienda? Non est vna DD. sententia. Respondetur tamen cum Vazquez loco citato, num. 24. Palao num. 7. Villalobos num. 4. Trullench num. 10. posse fieri restitutionem, tam donanti, quàm pauperibus alijs veris: donanti quidem: quia illius res est; pauperibus: quia censetur perseverare dominum in eadem voluntate illis donandi. ¶ Hic solet inquiri, qualiter testamentarius distribuere debeat eleemosynas sibi in testamento commissas? Sed de hoc egimus tom. 3. tract. 14. cap. 5. punct. 12. n. 169. Et præter ibi citatos videantur Barbosa 3. part. de Potestate Episcop. alleg. 83. Bonac. disp. 3. quæst. 4. de Charitate, punct. 6. Suarez disp. 7. sect. 1. Palaus punct. 14. citat. num. 9. Diana part. 2. tract. 15. & Miscelan. 1. resol. 38. & tract. 16. Miscel. 2. res. 19. & coordinatus res. 61. & 62. qui late de hoc agit: & res. 60. asserit, quod si inter executores testamenti est contentio super electione pauperum, res devolvitur ad Episcopum. Et similiter ait: quod, si testator relinqueret executoribus mille, verbi gratia, distribuendum inter religiosos mendicantes, seu pauperes, debent præferri Moniales religiosis eiusdem Ordinis: quia Monasterium Monialium ob clausuram, & earum imbecillitatem à iure reputatur locus magis pius, & pauperior. Sed hæc licet ita sint in pari vtriusque conventus paupertate, tamen si è contra res se habeat, vt communiter accidit, ob magnos reditus, quibus aliqui ex Monialium conventibus funguntur, tunc non contra voluntatem testatoris, imò potius iuxta illam erit inter Religiosorum Conventus talis Ordinis distribuere.

PUNCT. III.

De quæstoribus eleemosynarum; & an tales sint Religiosi mendicantes?

Quæstores eleemosynarum à Conc. Tridét. prohibentur.

34 ELeemosynarum quæstores, ait Barbosa 3. part. de Potest. Episcop. alleg 109. num. 6. sunt, *qui emendicando eleemosynas, vtilitatem sibi quærunt.* Sed quia tales quæstores non semel falsas reliquias, & indulgentias publicabant cum magno Religionis Christianæ dedecore, ideò in legibus Castellæ leg. 1. tit. 9. lib. 1. & leg. 37. tit. 6. novæ Compilationis decernitur, ne petitoria cuiusvis sancti permittantur à Magistratibus, nisi prius regiæ literæ manifestentur, in quibus expresse declaretur persona, quæ est eleemosynam quæsitura, cum prohibitione per se, aut per alium concionandi, indulgentias que publicandi; si vero aliter fiat, omnes eleemosynæ emendicatæ redemptioni captivorum applicantur. Sic Barbosa loco citato. Cæterum, quia hæc prohibitio, & aliæ ab Ecclesia factæ in cap. *Cum ex eo, de pœnitent. & remiss.* Et Clement. 2. eodem titulo, hui damno sufficienter accurrere non valuerunt, ideò Concilium Trident. sess. 21. cap. 9. de Reformatione: *Statuit, vt post hac in quibuscumque christianæ religionis locis eorum nomen, atque vsus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum nullatenus admittantur; non obstantibus privilegijs, Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, pijs locis, & quibusvis cuiuscumque gradus, status, & dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

Qui quæstuarij non sunt absque Episcopi licentia eleemosynas petere.

35 Ex quibus verbis suboritur quæstio: An liceat fidelibus sibi, aut alio pio loco eleemosynas absque Pontificis, aut Episcopi licentia exposcere? Ad quam respondetur affirmativè: quia in prædicto decreto tantum prohibentur quæstores eleemosynarum, qui prædicando, aut publicando indulgentias, eas emendicant: vnde, si ita non fiat, nec pulsetur campanula, alia ve signa quæstorum afferantur ad terrendos homines, pecuniam que ab eis extorquendam, licita erit. Ita Rodriguez tom. 2. art. 6. num. 37. Barbos. alleg. citata à num. 5. & in remissionib. ad Concilium sess. 21. cap. 9. Qui quidem optime addunt, quod poterit Episcopus hoc munus quæritandi

di eleemosynas prohibere, dum sibi conveniens videatur, aut constet aliquod periculum in eo adesse: tum, quia hoc expresse illis conceditur à Tridentino sess. 5. de *Reformatione*, cap. 2. in fine, his verbis: *Quæstores verò eleemosynarij, qui etiam quæstuarij vulgo dicuntur cuiuscumque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare præsumant, & contra facientes ab Episcopis, & Ordinarijs locorum privilegijs quibuscumque non obstantibus, oportunis remedijs omnino arceantur.* Tum etiam: quia ad Episcopos expectat concedere facultatem ad eleemosynas quæritandas: ergo ad eos debet etiam pertinere postulantes examinare, aut prohibere. Videatur Barbosa num. 9.

Nequeunt Religiosi ab Ordinarijs impediri vt mendicent.

36 Secundò quæritur: An ex verbis Concilij sess. 21. cap. 9. supra allegatis, possint Religiosi impediri ab Ordinarijs, ne eleemosynas pro suis Conventibus emendicent? Respondetur negativè. Ita N. Lezana tom. 2. Quæst. Regularium, verb. *Quæstuarij*, pag. 580. Palaus tract. 6. disp. 2. punct. 15. num. 3. Ugolinus de Potestate Episcop. cap. 8. §. 4. num. 6. Perin. tom. 1. §. 8. pag. 218. & tom. 2. §. 17. pag. 291. & ibidem num. 17. Barbosa loc. citat. Rodrig. tom. 2. art. 6. & 7. Navarr. lib. 3. Consiliorum Reg. cap. 19. num. 4. Tum quia, vt Barbosa, & Quaranta in Sum. Bullar. verb. *Confessor*. pag. 235. dicunt; ita declaravit anno 1621. Sacra Congregatio, censens fratres Mendicantium Ordinum minime posse impediri ab Episcopis, quominus in Diœcesibus, vbi habent Conventus, quod eleemosynas quæritent: si vero extra eas postulare velint, ostendere Episcopo licentiam debere. ¶ Sed clarius loquitur Pius V. const. 7. §. 17. apud Perin. tom. 2. pag. 291. his verbis: *Quod vero de vsu quæstorum eleemosynarum auferendo loquitur Trident. sess. 21. cap. 8. id ad Mendicantium Ordines nullo modo referri posse, vel debere etiam decernimus; quin potius, cum eleemosynis huiusmodi vivere cogantur, eis id facere liberum omnino esse declaramus.* Secundò: Quia tales religiosi ab Ecclesia vt mendicantes approbantur: ergo mendicare prohiberi nequeunt. Tertiò: Quia non sibi, sed Communitati quærunt: ergo propriè quæstuarij non sunt. Vnde, vt bene advertit N. Lezana loco citat. ex Perin. tom. 3. cap. 2. num. 41. solum tenentur regulares, extra propriam Diœcesim, si velint mendicare, licentiam suorum Superiorum Ordinario ostendere. Nec declaratio S. Congreg. supra relata, & alia, quam N. Lezana testatur, se vidisse, edita anno 1642. die 28. Novemb. aliam eis concedit facultatem.

Mendicantes nequeũt impediri à quæstuatione ab alijs mendicantibus.

37 Tertiò quæres: An Mendicantes ab alijs Religiosis impediri possint, ne eodem die, eodem loco, aut Episcopatu eleemosynam mendicent? Apud nullum prædictam quæstionem excitatam vidimus. Et credimus fortasse ita evenire, quia in nullius mentem similis dubitatio venire potuit: tum, quia omnes mendicantes, vt tales, ab Ecclesia approbati sunt: ergo ad omnes pertinet vbique emendicare. Tum, quia si Episcopi hoc impedire non possunt, quanto minus regulares. Tum, quia omnes participant aliorum privilegia: ergo vel nulli, vel omnibus vbique emendicare licet. ¶ Confirmatur: Quia, vt ait Perinis tom. 1. const. 4. Sixti IV. §. 8. n. 40. pag. 224. S. Congregatio Cardinalium, ad instantiam Rectoris Bononiensis Diœcesis, declaravit: non posse Mendicantes regulares prohiberi, colligere frumentum, & vinum, &c. etiam ante quam Rector Parrochialis collegerit sibi debitas primitias. Quam declarationem affert de verbo ad verbum, tom. 2. constit. 7. Pij V. pag. 295. sed potius ius habet Parrochus ad petendas primitias, quam quilibet alius religiosus ad petendam eleemosynas: ergo mendicantes à nullo alio, etiam religioso, decorato quocumque privilegio impediri possunt à quæstuatione, quæ de licentia suorum superiorum fit.

Qui Carmelitas à quæstuatione eleemosynarum ex decreto Sixti IV vt hæreticus est denuntiandus Inquisitoribus.

38 Sed quidquid de alijs religiosis pro Carmelitis extat privilegium Sixti IV. in Bulla, quæ *Mare magnum* dicitur, & habetur pag. 34. in Bullario novissimo N. Ordinis excusso anno 1700. vbi pag. 86. num. 82. ipso facto excommunicantur, & subijciuntur Inquisitoribus prohibentes, ne fratres nostri eleemosynas emendicent; cuius verba sic se habent: *Quod, si per quoscumque processus lites, & controversias quommodolibet inter ipsos fratres prænominatos, & Ecclesiarum Rectores, & Ordinarios emergentes, Ordinarij ipsi, seu quicumque alij ad inhibitionem eleemosynarum per Christi fideles fratribus ipsis faciendarum, quocumque modo fuerint prolapsi, volumus, & præsentiarum patrocinio decernimus, quod omnes, & singuli tales inhibentes ipso facto excommunicationis incurrant sententiam, & contra tales ipsi Carmelitarum, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini Protectores, & Auditor Cameræ Apostolicæ, qui sunt, & pro tempore erunt, & Inquisitores hæreticæ pravitatis ad prædictorum fratrum requisitionem possint, & debeant quilibet eorumdem per se, sicut contra hæreticos procedere.* Quod privilegium etiam allegat Perin. tom. 1. Quæst. Regularium, const. 4. §. 8. num. 40. pag. 224. referens Rodrig. tom. 2. Quæst. Regularium, quæst. 57. art. 7.

Aliud decretum Sacræ Congregationis pro Carmelitis Discalceatis contra Franciscanos.

39 Deinde Sacra Congregatio Cardinalium sub Paulo V. decrevit, fratres Carmelitas Discalceatos non posse impediri in quæstuatione eleemosynarum, quamvis alij fratres Mendicantes, etiam Franciscani, eodem die emedicent. Cuius decreti, aut declarationis tenor ita se habet: *Sacra Congregatio S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit fratres Carmelitas Discalceatos non esse molestandos, nec impediri posse in quæstuatione eleemosynarum, non obstante, quod alij fratres Mendicantes eadem die eleemosynas quærere soleant, qua isti quærunt; & ita decrevit, ac ab omnibus regularibus Mendicantibus, & præsertim à fratribus S. Francisci de Observantia observari, & exequi mandat. Romæ 9. Ianuarij M.DCVIII. A. Mar. Card. Gallus. Locus ✠ signi. A. Hortensius Secretarius.*

Deinde Clemens X. late hæc omnia innovat,

Clementis X confirmatio prædicti privilegij pro Carm. Discalceati contra Franciscanos.

vat, & confirmat in sequenti Bulla expedita anno 1674. die 3. Martij, cuius tenor sic se habet.

CLEMENS PAPA X.
Ad futuram rei memoriam.

Narrativa concessionis Sixti IV pro Carmelitis ad eleemosynas petendas.

40 EXponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes à Conceptione, Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Excalceatorum nuncupatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte-Carmelo, quod dudum fœl. recordationis Sixt. Papa IV. prædecessor noster fratribus dicti Ordinis præsertim Excalceatis, qui votum paupertatis emittunt, licentiam mendicandi in quibusdam locis concessit ad hoc, vt suis necessitatibus subvenire possint. Ac voluit, & decrevit, quod si per quoscumque lites, & controversias quomodolibet, inter eosdem fratres, & Ecclesiarum Rectores, ac Ordinarios emergentes, Ordinarij ipsi, seu quicumque alij ad inhibitionem eleemosynarum per Christi fideles fratribus ipsis faciendarum, quocumque modo fuissent prolapsi, omnes, & singuli tales inhibentes, ipso facto excommunicationis incurrerent sententiam, & alias pro vt in ipsis Sixti prædecessoris litteris desuper emanatis uberius dicitur contineri.

Excommunicatio ipso facto incurrenda contra impedientes eleemosynas faciendas.

Et subinde ad ipsum dictis fratribus Excalceatis à Congregatione, tum existentium S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita concessum fuit per decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum S. Congregationis pro præmissis in favoré Carmelitarum Disc.

Sacra Congregatio S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & regularium præposita censuit fratres; Carmelitas Discalceatos non esse molestandos, neque impediri posse in quæstuatione eleemosynarum; non obstante, quod alij fratres Mendicantes eadem die eleemosynas quærere soleant, qua isti quærunt. Et ita decrevit, ac ab omnibus Regularibus Mendicantibus, & præsertim à fratribus S. Francisci de Observantia observari, ac exequi mandat. Romæ 9. Februarij 1608.

Fratres Carmelitæ non possunt impediri in eleemosynis quæstuadis etiam si alij Mendicantes Regulares eadē die quæstuare soleant.

Ita S. Congregatio ab omnibus Regul. Mendicantibus, & maximè à fratribus S. Francisci.

Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, præfatus Ioannes Procurator Generalis præmissa, quo firmius subsistant Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, ac iuxta litteras supradictas, quod præfatis Excalceatis fratibus cum sola licentia sui Superioris in quocumque loco, etiam extra Diœcesis, vbi eorum Conventus consistunt, mendicari liceat, Ordinario, nec non Ordinarijs, & fratribus Ordinum Mendicantium præsertim S. Francisci de Observantia, ne eos impedire audeant, prohiberi plurimum desideret.

Nos ipsum Ioannem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijs que Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ præfatæ Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, supra scriptum Decretum Congregationis præfati observari, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & præcipimus. Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decretum præinsertū Sacr. Congregationis observari Pōtifex præcipit.

Decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suos que plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos expectat, & pro tempore, quando cumque expectabit, in omnibus, & per omnia pleniſsimæ suffragari.

Clausulæ præservatiuæ.

Sic in præfatis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, iudicari, ac diffiniri debere, ac irritum, & innane, si secus supra his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit, attentari.

Clausula, si quæ in præmissis per quoscūque Iudices, &c. cum decreto irritanti.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæteris que contrarijs quibuscumque.

Derogatio obstantium, & contrariorum.

Volumus autem, vt earumdem præsentium litterarum trasumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberentur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annullo Piscatoris die 13. Martij 1674. Pontificatus nostri anno IV. I. G. Chisius.

Trasumptorum fides, & auctoritas.

41 Quæ quidem Bulla fuit exhibita in Supræmo Castellæ Senatu, in prima instantia die 30. Iuli; & in secunda habita die 2. Augusti anno 1674. fuit decretum, & confirmatum, quod prædicta Bulla Religioni tradderetur, vt ea vti possit in vniversis Hispaniæ dominijs, vt constat latius ex testimonio Gabrielis de Aresti eiusdem Senatus Secretarij. Deinde ante Tribunal D. Galeaci Marescoti in eiusdem Castellæ Regnis Sedis Apostolicæ Nunci, ac eiusdem Clementis X. à latere Legati fuit exhibita; & decrevit, ab omnibus observari deberi: & præcepit sub pœna Interdicti, & mille ducatorum, ne aliquis Archiepiscopus, vel Episcopus prædictos fratres emendicare impediat. ¶ Si vero ei non obedierint, aut requisiti eius executionem impedierint alij Ecclesiastici Iudices, & Provisores, Vicarij generales, Visitatores, Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi: & etiam Parrochi, & eorum Locum-Tenentes, pœnam

Decretum Supræmi Castellæ Senatus, & pœnæ à Nuncio Sedis Apostolicæ, vt dicta Bulla observetur.

excommunicationis, & quinquaginta ducatorum eis imponit, vt constat ex prædicto decreto exhibito die 13. Septembris, anno 1674. & habetur in eodem Bullario nostri Ordinis, folio 446.

Nullus nos impedire potest eleemosynarú quæstum.

Ex quibus omnibus constat Religiosos Carmelitas Discalceatos à nullo, quacumque fulgeat dignitate, aut privilegio muniatur, posse impediri, ne eleemosynas à fidelibus vbique terrarum, & quovis die emendicent.

PUNCT. IV.

De correctione fraterna.

SEcundus externus Charitatis effectus est correctio, seu correptio, quæ licet inter se distinguantur, vt notat ex D. August. 1. de Civitate Dei, cap. 9. Bannez 2. 2. quæst. 33. art. 1. in eo, quod correctio significat correctionem cum effectu emendationis; correptio vero est, quando emendare intendimus, vel, vt ait D. Thom. in 4. distinct. 19. quæst. 2. art. 1. ad 6. *Correptio est fratris ad fratrem, correctio vero est Prælati ad subditum.* Tamen, communis vsus iam obtinuit, quod vtra que vox accipiatur pro correctione, qua, vel monendo, hortando, aut reprehendendo, fratris emenda intenditur, esto cum effectu non sequatur. De qua plures, & in praxi difficillimæ quæstiones differendæ veniunt: quas diversis §§. dissolvemus.

§. I.

Quotuplex sit correctio; & quale illius præceptum: & ad quæ peccata extendatur?

Duplex est correctio, iudicialis, & fraterna.

42 COrrectio, de qua in præsenti, est duplex: alia iudicialis, & fraterna alia: ista est, ex D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 1. & 3. quæ adhibet remedium peccato, in quantum est quoddam malum ipsius peccantis: & hæc est propriè fraterna correctio, cum ordinetur principaliter ad emendationem delinquentis. Illa vero est, quæ adhibet remedium peccato delinquentis, secundum quod est in malum aliorum, & præcipuè in nocumentum communis boni. Vnde prima est actus Charitatis, secunda vero iustitiæ vindicativæ, vt ait ipse Doct. Angelicus loco citato: & ideò prima fieri potest à quolibet particulari, secunda autem debet fieri à superiori. In præsenti ergo, quia ad moralia proprius accedit, de correctione fraterna præcipuè erit nobis sermo.

Datur præceptum naturale de correctione fraterna.

43 Dari equidem præceptum naturale correctionis fraternæ, expresse constat, tum ex illo Ecclesiastici 19. *Corripe proximum tuum, ne iteret; corripe amicum, ne iterum addat facere.* Tum etiam ex illo Matthæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe illum inter te, & ipsum solum.* Vnde communiter illud admittunt omnes Theologi cum D. Thom. art. 2. Et ratio est evidens: quia ex præcepto naturali Charitatis, & Misericordiæ tenemur sublevare necessitatem proximi corporalem: ergo multo melius tenebimur sublevare, & tollere spiritualem peccati; sed hæc sublevatur, & tollitur per correctionem: ergo sicut datur præceptum naturale, & divinum de necessitate corporali proximi sublevanda (vt constat ex auctoritatibus punct. 1. §. 2. num. 3. allegatis) ita datur divinum, & naturale præceptum fraternæ correctionis. ¶ Quod quidem præceptum correctionis est adeò vniversale, vt nullus sit, qui eius obligatione excipiatur, vt docent communiter DD. Et ratio illius ex dictis constat: quia huiusmodi obligatio ortum habet ex naturali præcepto Charitatis, & Misericordiæ, de cuius ratione est omnes obligare: ergo idem asserere debemus de præcepto correctionis: Si enim damna temporalia proximi omnes sublevare tenentur; quare spiritualibus non subveniemus? Vnde conqueritur D. Bernard. lib. 4. de Consideratione, in fine: *Cadit asina, & est, qui sublevet: perit anima, & non est, qui reparet*: quasi diceret: omnes curant succurrere proximo in temporalibus, & nullus est, qui in spiritualibus, vbi fortior est obligatio, subveniat: ergo omnes, nullo excepto, præcepto correctionis fraternæ ligantur.

Ex genere obligat sub mortali.

44 Quod autem hæc obligatio sit mortalis ex genere suo, tenent communiter DD. Et ratio est: quia nullum aliud maius malum homini advenire potest, quam peccatum mortale: ergo, si, qui in magna necessitate corporali non subveniret, mortaliter peccat, multo magis, qui in spirituali non succurrit. Quæ omnia sic eleganter expressit D. Augustinus: *Nec vos* (ait Epist. 109. de Regula Monast. tom. 2.) *iudicetis esse malevolas, quando hoc iudicatis magis quippe innocentes non estis, si sorores vestras, quas iudicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim soror tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari, non ne crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius eam debes manifestare, ne deterius putrescat in corde?* Dicta docent Sotus de Secreto, membro 2. quæst. 1. concluf. 2. Bannez 2. 2. quæst. 33. art. 2. dub. 2. concl. 2. Prado cap. 14. quæst. 1. art. 13. Trullench lib. 1. Decalog. cap. 5. dub. 13. num. 2. ¶ Diximus *ex genere suo*: quia ex inadvertentia, vel tepiditate potest eius omissio aliquando esse venialis, vt ex se patet, innuitque D. Thomas art. 2. ad 3. docet que Prado n. 12. Diana, & alij. Sed hic notare licet, quod, cum hoc præceptum sit affirmativum, esto semper obliget, non tamen pro semper, sed data occasione, & opportunitate, vt sæpe diximus, loquendo de legibus, & præceptis affirmativis.

Materia præcepti correctionis sunt

45 Rogabis primò: Quæ peccata sint materia huius præcepti correctionis? Respondetur primò: Materiam huius præcepti esse pec-

peccata mortalia.

peccata mortalia. Cuius ratio deducitur ex illo Matthæi 18. *Lucratus eſt fratrem tuum.* Vbi prius per mortalia periſſe ſignificatur: ergo huius præcepti materia ſunt peccata mortalia. Aliqui tamen, vt Soto poſt 2. concluſionem quæſtionis ſecundæ. Sanchez in Conſilijs, part. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 2. num. 6. ſentiunt aliquando obligare ſub mortali peccata venialia corrigere; quando ſcilicet hominem conijciunt in proximum periculum ſpiritualis ruinæ: vt ſi quis domum ſuſpectam ingrediatur, vel cum mulierculis familiaritatem conſerat: quia tunc iam fere perditus eſt frater. Sed in hoc caſu non eſt peccatum mere veniale, ſed mortale, vnde nil mirum, ſi fraterna correctio graviter obliget. Ita Bannez 2. 2. quæſt. 33. art. 2. dub. 2. Ledeſma 2. part. tract. 4. cap. 4. concl. 4. Trullench lib. 1. Decalog. cap. 14. num. 4. & alij.

Sub veniali omnes tenétur corrigere peccata venialia habitualia ex fragilitate non orta.

46 Reſpondetur ſecundò: Omnes ſub veniali, teneri, ex vi præcepti correctionis, peccata habitualia venialia corrigere; non vero ea, quæ ex fragilitate oriuntur. Ratio primæ partis huius aſſerti eſt: quia per talia peccata patitur homo aliquam ſpiritualem miſeriam: ergo ſaltem ſub veniali debent omnes ab ea illum liberare. Ratio ſecundæ partis eſt: quia peccata venialia innumerabilia ſunt, cognitu que difficillima: impoſsibilis ergo erit materia præcepti correctionis; ac per conſequens, adhuc ſub veniali, nequit quis ex vi huius præcepti ad ea corrigenda obligatus manere. Hoc aſſertum quo ad vtramque partem tenent. Magiſter Sot. quæſt. 2. citata. Prado cap. 14. quæſt. 2. §. 2. num. 8. Ledeſma concl. 4. num. 2. & Palaus tract. 6. diſp. 3. punct. 3. num. 3.

Magiſtratus, & iudices ſæculares non tenentur ſub mortali *per ſe* frequentiam venialium avertere, &c.

47 Præcipua autem difficultas eſt: An Prælati, aut Superiores teneantur ſub mortali corrigere peccata venialia ſubditorum? Ad quod dicendum eſt primò: Magiſtratus ſub mortali non teneri, per ſe loquendo, corrigere peccata venialia. Et ratio eſt: quia ad hos non attinet à vitijs ſubditos cives retrahere, vt diximus tract. 11. cap. 2. à num. 24. ſed tranquillitatem Reip. conſervare: ergo non tenentur per ſe loquendo ſub mortali venialia corrigere. Diximus *per ſe*: quia, ſi per accidens ex aliquibus venialibus pax perturbaretur, vt ex frequenti ludo, vel aliquo immoderato luxu in veſtitu, ſub mortali ea corrigere tenerentur. ¶ De Prælatis ergo Regularibus, & alijs Eccleſiaſticis, quibus onus incumbit ſaluti ſpirituali ſubditorum, dicendum eſt ſecundò: quod, ſi diſciplina regularis plus quam par eſt negligatur, vel religioſa obſervantia per leves tranſgreſsiones labefactetur, tenentur ſub mortali tales defectus corrigere. Cuius ratio eſt: tum: quia tales Prælati, & Superiores ſpecialiter invigilare debent pro ſalute ſpirituali ſubditorum, & conſervatione diſciplinæ religioſæ: ergo, quando hæc labefactatur ex venialium permiſsione, ſub mortali ea corrigere, & abolere debent. Tum etiam: quia ad illos attinet ſuos ſubditos ad perfectionis metam ducere, ad quam omnes Religioſi petere, ex vi ſtatus, tenentur ſub mortali; ſed talis perfectio pugnat & contradicit his levibus tranſgreſsionibus: ergo Prælati videntes, & agnoſcentes ex frequentibus his tranſgreſsionibus ſpiritualem ruinam monaſticæ diſciplinæ, & obſervantiæ, vi cuius ad perfectionis metam religioſus devenit, illas tranſgreſsiones, ſeu venialia peccata abigere ſub mortali tenentur.

Auctores aſſerentes peccare mortaliter Prælatos non corrigentes frequentiã defectuum venialiũ, &c.

48 Hanc reſolutionem nobiſcum defendunt Bannez 2. 2. quæſt. 33. art. 2. dub. 2. Ledeſma concl. 4. citata. Sotus quæſt. 2. concl. 2. Suarez de Charitate, diſp. 8. ſect. 2. num. 6. Trullench dub. 14. num. 5. N. Antonius tom. 3. tract. 2. dub. 2. ſect. 18. num. 123. Palaus diſp. 3. punct. 3. num. 6. Prado cap. 14. quæſt. 2. §. 3. num. 10. contra Azor lib. 12. cap. 14. quæſt. 4. Reginald. lib. 4. cap. 25. num. 333. Dianam part. 7. tract. 3. reſol. 8. ¶ Notant tamen hic, & bene Palaus, Bonac. Prado, & alij, ex diſsimulatione aliquorum levium defectuum, quando occulti ſunt, non peccare graviter Prælatum: quia nec alijs paratur ruina, nec obſervantia nocumentum notabile patitur.

Eſto omnes aſſerãt peccatorẽ emẽdatum non eſſe corrigẽdum; ſunt tamen aliqui idẽ ſentientes de non emendato dum adeſt ſpes, &c.

49 Rogabis ſecundò: An peccatum præteritum non *emendatum* ſit materia correctionis? Diximus non *emendatum*, quia, ſi iam eſt omnino emendatum, non eſt materia correctionis, ac proinde, non licet delinquentem corripere. Et ratio eſt: quia finis correctionis fraternæ ad diſtinctionem iudicialis, eſt fratris emenda, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 33. art. 6. ergo, ſi iam eſt omnino emendatus, inutilis eſt correctio. Ita Soto loco citato, quæſt. 2. Prado cap. 14. quæſt. 2. §. 4. num. 13. & Tapia tom. 2. lib. 3. quæſt. 6. art. 4. num. 2. Vnde falſa eſt doctrina Suarez de Religione, tom. 4. tract. 10. lib. 10. num. 2. & 12. aſſerentis: *Crimen Religioſi iam omnino emendatum; Prælato eſſe denuntiandum*: quia nulla alia maior ratio militat pro Sæculari, ac Religioſo, ſed æqualiter loquitur Evangelium de vtriuſque correctione. ¶ Quo ſuppoſito: prima ſententia aſſerit: ſi abſit periculum reincidentiæ, non teneri fideles corripere peccatorem non emendatum: Quæ ſententia probatur primo ex Abulenſi. Nam incertum eſt, an talis peccator agat, nec ne pœnitentiam, ac proinde, eſt incerta eius emenda; ſed quando hæc eſt incerta non tenemur proximum corripere: ergo, &c. Tum: quia incertum eſt, an ille peccator egerit nec ne pœnitentiam, aut contritionis actum elicuerit; ac per conſequens incertum eſt: an in ſtatu peccati permaneat; ſed, dum tibi incertum eſt proximum in ſtatu peccati permanere, eum corrigere non debes: ergo abſolutè non debemus peccatorem non emendatum animadvertere, &c. ¶ Secundò: Peccator non tenetur ſtatim de peccato conteri, ſed ſolum, quando inſtat confeſsio: ergo, nec alius tenetur illum corrigere, cum magis quis teneatur ex Charitate ad depellendam propriam miſeriam, quam ex Miſericordia ad eam per correctionem amovendam. ¶ Tertiò: Quando peccator ex occaſione peccati commiſsi non eſt in periculo relabendi, non eſt in gravi neceſsitate: ergo ei per correctionem nullus ſubvenire tenetur. Ita Abulenſis in cap. 18. Matthæi, q. 83.

concl. 2. Saa verb. *Correctio*, num. 1. & 5. Villalobos tom. 2. Summæ, tract. 4. diffic. 2. n. 4. Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 25. num. 332. Palaus tract. 6. disp. 3. punct. 2. à n. 6. Diana part. 7. tract. 3. resol. 11. & Coninch. disp. 28. dub. 9. num. 117.

Peccator nõ emendatus est corrigẽdus à proximis.

50 Sed vt probabilior est tenenda sententia docens: fideles in prædicto casu peccatorem non emendatum corrigere teneri. Cuius fundamentum est: nam, qui in peccato mortali est, gravem patitur necessitatem spiritualem, cum nulla maior miseria homini advenire potest: ergo debes illi per correctionem subvenire. Confirmatur: nam Christus Dominus dixit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum, &c.* Ergo, si iam peccavit, & non est emendatus, debes illum corripere. Sic Bannez 2.2. quæst. 33. art. 2. dub. 2. ad 4. Ledesma 2. part. tract. 4. cap. 4. concl. 2. diffic. 1. Suarez de Charitate, disp. 8. sect. 3. num. 8. Bonac. disp. 3. quæst. 4. punct. 7. num. 4. Hurtado Mendoza disp. 26. sect. 7. §. 68. Caspensis tom. 2. tract. 17. disp. 6. sect. 1. num. 6. & Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 6. art. 4. n. 3.

Fit satis rationibus cõtrariæ sententiæ.

51 Ad argumenta respondemus, dicendo: ad primam probationem primi argumenti non esse incertum, imò nec regulariter præsumendum, peccatorem non acturum pœnitentiam, cum ex vi correctionis, suæ animæ periculum, & necessitatem spiritualem viderit; ac proinde semper monendus, & corrigendus est, vt per emendam suæ necessitati subveniat. ¶ Ad secundam probationem dicimus: quod, si non est certum peccatum adhuc existere, non est casus quæstionis. Quæ autem certitudo sit necessaria, ex dicendis constabit. ¶ Ad secundum negatur consequentia: quia per accidens potest esse maior obligatio aliena, quam propria, vt patet hoc exemplo: Quilibet tenetur proximo subvenire in necessitate gravi corporali: & tamen ipse graviter indigens, potest licitè in ea propter Christi imitationem manere: ergo magis sæpe obligat necessitas aliena, quam propria: ergo similiter potest præceptum correctionis alios obligare, quando delinquens non tenetur de peccato conteri. Et ratio disparitatis ea est: quia delinquens est dominus bonorum suorum spiritualium, quæ sunt in proprio libero arbitrio, secus vero quilibet alter extraneus, qui tantum debet esse custos fratris sui. ¶ Ad tertium respondetur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 8. moraliter impossibile esse, hominem esse in peccato læthali, & diu in eo manere absque nova culpa: quia, vt ait Divus Gregorius lib. 25. Moralium, cap. 13. *Peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Vnde semper tenemur ad illius correctionem, dum emendatum non esse, nobis constat.

Ad delinquẽtem corrigendũ est necessaria certa moraliter cognitio de eius peccatis.

52 Rogabis tertiò: Quæ cognitio, & notitia debet esse, de existentia delictorum in delinquente, vt hunc corripere debeamus? Respondetur: quod talis notitia debet esse moraliter certa, alias correctio potius noceret, quam proficeret. Vnde tantum cognoscens per rumorem, auditum, aut alia dubia signa, proximi delictum, à correctione abstinere debet, si est persona particularis. Ita sentiunt aliqui Doctores cum Sanch. tom. 2. Consiliorum, lib. 6. dub. 1. num. 3. & Diana part. 7. tr. 3. res. 6. & coordinat. tom. 4. tr. 4. res. 14. At vero, si tale peccatum esset in præiudicium Ecclesiæ, Reip. vitæ proximi, & alias adest spes, quod delinquens non ægre correctionem laturus sit, potes cum sola suspitione, aut dubio illum corrigere, crimen vt dubium obijciendo; vt tenent Filliuc. tom. 2. tract. 28. cap. 6. quæst. 3. & 4. & Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 14. num. 1. Et idem dicunt de Prælatis, qui, cum ex officio debeant super gregem suum vigilare, & subditorum peccata inquirere, possunt cum sola dubia notitia ea corrigere. Cæterum melius, & prudentius est tunc non particulari, sed in communi, si eorum rumor inter fratres spargitur, ea animadvertere, & corrigere.

Quid circa peccata, vel vincibiliter, vel invincibiliter ignorata?

53 Rogabis quartò: An peccata ex ignorantia facta, sint materia correctionis? Ad quod breviter respondetur: quod, si ignorantia est omnino invincibilis de peccatis contra ius naturæ, omnes tenentur delinquentem corrigere: quia esto delinquens tunc non peccet, tamen operatur, quod est intrinsice malum; & hoc permittere non corrigendo, peccatum est. ¶ Si autem ignorantia invincibilis sit contra ius positivum, soli Prælati, Parentes, Magistri, & Confessarij debent eos admonere: & ratio est: quia his incumbit ex officio specialis directio, illuminando subditos, quod ad alios privatos non attinet. Ita docuimus loquendo de Confessarijs, tom. 1. tr. 6. cap. 12. punct. 3. n. 34. Et vniversaliter docent Navarrus in Summa, cap. 24. Bannez 2.2. q. 33. art. 2. dub. 3. & Ledesma 2. part. tr. 4. cap. 4. concl. 9. contra Sylvest. Angelum verb. *Correctio*, & Lorcam contendentes etiam privatos teneri ex lege Charitatis eos tunc corrigere. Cætetum à nobis dicta intelligenda sunt iuxta regulas prudentiæ, ita vt correctio nullo modo fieri debeat, quando ex illa profectus proximi desperatur, & illi maius nocumentum adveniet: nam vt ex Divo August. dicitur in cap. *Si quis autem, de pœnitentia, distinct. 7. Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem*: ergo dum prudentia iudicat correctionem fieri hic, & nunc non deberi; ab illa cessare debemus. ¶ At vero, si ignorantia sit culpabilis, non solum Prælatos, Parentes, Magistros, & Confessores teneri delinquentem corrigere, sed & ad alios etiam expectare, pro comperto apud omnium sententiam habetur, cum talis ignorantia à peccato non excuset.

§. II.

Qui teneantur corrigere, & quæ personæ sint corrigendæ?

Secreto, & molestè, ac humiliter possunt subditi Prælatos corrigere.

54 Licèt supra numero 43. dixerimus, præceptum correctionis fraternæ omnes obligare, tamen, quia circa aliquas personas nonnulla adest difficultas, singillatim oportet de eis, id discutere. Quare rogabis primò: An subditus teneatur superiorem corri-

rigere ? Cui difficultati respondetur affirmativè, loquendo de correctione fraterna. Quod patet primò ex capite *sicut* 2.*quæst.*7.illis verbis:*Sicut laudabile, & discretum est reverentiam exhibere Maioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris est, si quæ in eis sunt, quæ indigent correctione, nulla dissimulatione postponere, cum & proximi sint, & arctius teneamur eos diligere.* Deinde probatur ratione desumpta ex D.Thoma 2.2.quæst.33.artic.4.his verbis proposita : Correctio fraterna, cum fit actus Charitatis obligare debet respectu eorum, quos per Charitatem amare debemus; sed prælatos tenemur præcepto Charitatis diligere : ergo & præcepto Misericordiæ corrigere. ¶ Sed hic nota primò cum D.Thoma, hanc correctionem, vt actus virtutis sit, debere fieri debitis cum circunstantijs, scilicet,cum mansuetudine, magna prudentia, & reverentia, & non cum protervia, & duritia. Quare dicit Apost.1.ad Timoth. 5.*Seniorem ne increpaveris, sed observa vt Patrem.* ¶ Nota secundò ex eodem Sancto Doctore ad secundum, hanc correctionem debere fieri secreto. Quod quidem constat ex decreto Innocentij III. ex cap. *Cum ex iniuncto de hæreticis.* Sed hoc verum est, nisi illorum peccata sint publica, & scandalosa ; tunc enim publicè argui indecorum non est, vt probat Divus Thomàs ad 2. exemplo Divi Pauli, qui Petro ob scandali publici circa fidem periculum in faciem restitit. Angelicum Præceptorem sequuntur Caietanus, & Bannez ibi. Valentia tom.3. disput.3.quæst.10.punct.4.Villalobos in Summa tomo 2. tract.4. difficult.7. num.4. Reginaldus tomo 1.lib.4.cap.25.num.330. Tapia tomo 2.tract.3.quæst.6.artic.10. Lorca 2.2. disput.43.num.4. Diana part.7. tract.3. resolut.15.& coordinatus tomo 7.tract.4.resolut. 26.& alij apud ipsum, & Palaus tract.6. disput.3.punct.7. num.10. Nota tertiò cum his Doctoribus, non quemlibet hanc correctionem sibi vsurpare debere : indignum enim est, si homines viles conditione, & moribus, Prælatos per se ipsos tentent corrigere ; sed suæ obligationi satisfaciunt, si id faciant per personas digniores,& Prælatis proximiores.

Peccator occultus potest licitè delinquentem corrigere.

55 Rogabis secundò: An peccator teneatur corrigere delinquentem ? Respondetur affirmativè ex D. Thom. artic.5. Et ratio est: quia correctio ad homines attinet in quantum in eis viget rectum iudicium rationis ; sed hoc manet in peccatore, vt constat : ergo ratione peccati non eximitur ab obligatione corrigendi. Quæ ratio efficax est in peccatore occulto : at vero si sit publicus, quodammodo ab ea impeditur : tum, quia indignus est, vt alium corrigat, qui peccatum, & fortasse gravius, commisit, iuxta illud Matthæi 7. *Hipocrite quid vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem in oculo tuo non vides* ? Tum etiam ob scandalum : quia videtur non ex Charitate, sed magis ad ostentationem corrigere. Tum denique ob superbiam corripientis : quia se ipsum præfert proximo suo, propria peccata parvi pendens. Cæterum,si peccator cum humilitate procedat, poterit ritè delinquentem corripere. At, quia difficilè hoc ab omnibus reputatur, communiter publici peccatores à correctione excusantur. Ita communiter Doctores. Videantur Valent.disput. 3. quæst. 10. p. 3. §. *Non enim.* Tapia artic.11. Palaus tract. 6. disput. 3. punct.7.à num.2.

Concionator, aut Iudex Ecclesiasticus in peccato corrigens, si ex hoc populũ non scandalicet nó peccatat mortaliter.

56 Ex quibus sequitur primò : Concionatorem, aut Ecclesiasticum Iudicem, delicta in peccato corrigentes, non peccare mortaliter : quia ista actio non est ita sacra, vt à peccatoribus fieri licitè non possit : est enim quædam spiritualis eleemosyna, quæ vt licitè fiat, non exigit in exhibente gratiam,sicut nec corporalis. Ita Suarez disput.8.sect.4.num.6. & tomo 3.in 3.part. disput.16. sect.3. Villalobos tomo 2.tract.4. difficult.8. num.3. Ledesma tract.4.cap.4.conclus.18.Palaus punct. 7.num.8. Diana punct.7. tract.3. resol.14. & 17.& Coordinatus tom.7. tract.4. resolut.28. & 29. Tapia quæst.6. artic.12. At si Concionator, vel Iudex suo peccato proximum scandalizet, debet vt illum corrigat, illud saltem exterius deponere, cum semper teneatur ad scandalum deponendum. Cæterum, si non scandalicet, non tenetur de eo pœnitere, vt licitè corrigat, nisi proximus sit in extrema necessitate correctionis. Ratio primæ partis est : quia pœnitentia non est medium ex se ad correctionem ordinatum, vel ad summum est medium extraordinarium ad talem correctionem : vnde, sicut nemo tenetur superfluam, aut extraordinariam facultatem quærere, vt extra casum necessitatis indigenti subveniat: quia illud est medium extraordinarium, non clausum proinde intra præceptum eleemosynæ, vel intra præceptum subveniendi ordinarijs indigentijs pauperum : ita similiter, nemo tenetur pœnitere de peccato, vt correctione sua subveniat necessitati spirituali proximi, estò cognoscat, si de suo peccato pœniteat, correctionem profuturam. Ratio secundæ partis est : quia in extrema necessitate spirituali proximi tenemur media extraordinaria ponere, etiamsi necessarium sit vitam corporalem perdere, vt subveniamus per correctionem proximo in tali necessitate spirituali posito, nè in æternum pereat. Sic Lopez Instruct.Conscient.quæst.1.cap.16.num.135.Ledesma 2.part.cap.4.conclus.18.in fine. Tapia tomo 2.lib.3.quæst.6.artic.12.num.3.& 4.

Concionatores tenentur corrigere delicta publica.

57 Sequitur secundò : Concionatores teneri ad corrigenda peccata publica exemplo Christi Domini, & S. Ioannis Baptistæ: quare, etsi aliqui delinquentes ita obdurati corde sint, vt non resipiscant, tamen forte alij convertentur, quod sufficit, vt suo muneri debeant Concionatores satisfacere. Qualiter vero defectus Superiorum, & Ecclesiasticorum debeant reprehendere, tradunt Caietanus, & Bannez 2.2. quæst.33. art. 4. docentes : quod tantum, dum in fide errant, alios que à fide avertunt, vel notabiliter moribus scandalizant, eos corrigere possunt. In alijs vero casibus caveant Prædicatores ponere os suum in Christos Domini, cum tali correctione potius Christi fideles scandalum patiantur, quam ædificentur, & sic plus talis correctio nocebit, quam proderit.

Numerantur Superiores, qui ad corrigendũ tenentur. Et declaratur, an ex iustitia, vel Charitate?

58 Rogabis tertiò: Qui superiores ad correctionem faciendam teneantur? Respondetur breviter: Prælatos teneri corrigere subditos; Parentes filios; Maritum, vxorem; Dominum, servos, & famulos; Magistrum, discipulos; Tutorem, pupillum; & Curatorem, minorem; Parrochum, suas oves; ac etiam Confessarium, pœnitentem. Et ratio est: quia, his specialis cura incumbit suorum subditorum proporcionabiliter saluti spirituali providere: ergo, &c. Ita ex D.Thom. 2.2.quæst.33. art. 3. ad 1. Diana part. 7. tract. 3. resol. 31. Palaus punct. 7. num. 8. Villalobos tom. 2. tract.4. diffic.6. n.5. & Tapia quæst. 6. art.13. ¶ An autem hæc obligatio sit vel ex Iustitia, vel Charitate, aut Misericordia, non est eadem doctorum sententia. Tapia art. 13. n. 3. affirmat, refens Sotum, Suarez, & Lorcam, tantum teneri ex Charitate subditos corrigere fraternaliter eorum Prælatos, licet ad correctionem iudicialem ex iustitia obligentur. ¶ Sed contrarium sentiunt Sanchez in Consilijs, part.2. lib.6. cap.2. dub. 9. n. 3. Caiet. 2.2. quæst.33. art.2. Diana part.5. tract.4. & Miscelan.2. resol.95. part.7. tract. 3. resol. 9. & coordinatus tom.7. tract.4. resol.22. & 23. Valentia part.3. disp.3. q.10. Palaus punct.7. citato n.8. & Trullench lib.1. cap. 5. dub.15. dub. 1. qui quidem omnes asserunt Superiores, de quibus loquimur teneri ad correctionem, etiam fraternalem ex vi sui officij, ac proinde ex iustitia. Quod haud obscurè colligitur ex à nobis dict.tract.6. cap.8. punct.4. à num.62. & tract.13. cap.1. part.2. paragrapho 3. n.29. Vnde eis adhærere opus est.

Magistratus, & Prælati tenentur vitã subditorum inquirere in ordine ad correctioné iudicialem.

59 Rogabis quartò: An Prælati, & Magistrati ex vi maioris obligationis, quam ad corrigendum habent, teneantur subditorum, mores, & vitam inquirere? Supponit quæstio strictiorem esse in Prælatis obligationem corrigendi subditorum defectus, quam aliorum, qui subditi non sunt; cum ex officio ad eos attineat, omnia, quæ ad directionem spiritualem suorum subditorum pertinent, exequi. Videatur Divus August.lib.1. *de Civitate Dei*, cap.9. & Divus Thomas 2.2. quæst. 33. art.3. ad 1. ¶ Vnde ad quæstionis resolutionem deveniendo, dicimus: quod, si de correctione iudiciali sermo sit, certum est in omnium sententia, teneri Prælatos, & Magistratos ad vitam, mores que subditorum inquirendum: quare si per se ipsos id exequi commodè non possunt, debent ad id designare speculatores prudentiæ, Charitatis, iustitiæ, & veritatis amatores, vero que zelo præditos. Et ratio est: quia Magistrati, & Prælati ex vi officij tenentur ad eam diligentiam exhibendam, quæ necessaria est ad rectam muneris administrationem; sed ad hoc opus est sploratoribus dictis, cum omnia à Prælatis non possint oculis lustrari: *Ergo* (ait Hurtado de Mendoza 2.2. volumen 2. disp.162. sect. 5. §.45.) *sicut Pastor canes alit, quorum latratu excitetur ad abigendum lupum, ita Præfectus suos habeat delatores, ne quid impune in leges committatur.* Hæc communia sunt.

Tenentur Prælati discrete vitam, & mores subditorum inquirere in ordine ad correctioné fraternam.

60 Quare difficultas est in ordine ad correctionem fraternam, quæ maximè attinet ad Prælatos, tam Ecclesiasticos, quàm Regulares. De quibus dicendum est: ex vi præcepti fraternæ correctionis teneri ad mores, vitam, & delicta subditorum prudenter, & cum discretione inquirendum. Et rationem traddit M.Bannez 2.2. quæst.33. art.3. dub. 2. concl. 3. Nam Patri, & Iudici licitum est, inquirere de vita filiorum, & subditorum per media specialia, quæ recta ratio prudentiæ dictat, de quibus postea dicemus: ergo, cum huiusmodi media fuerint convenientia ad correctionem fraternam, tenebitur Prælatus ea adhibere. ¶ Confirmatur ex eodem Doct. Præceptum correctionis fraternæ obligat vnumquemque facere hanc eleemosynam spiritualem secundum possibilitatem divitiarum spiritualium: ergo cum Prælatus in quantum Pater, & Prælatus sit dives, & potentior ad commodè exercendam correctionem fraternam, tenebitur in multis casibus, in quibus vti licet authoritate Patris, & Prælati, vt commodius, & efficacius fiat huiusmodi correctio; sed ex authoritate Patris, & Prælati potest inquirere de vita subditorum: ergo tenetur hoc facere ex præcepto correctionis. Sic ex D. Thoma 2.2. quæst.33. art.2.ad 4. Bannez, & Caietanus ibi. Sotus *de Secreto Tegendo*, membro 2. q.4. concl. 7. Ledesma tom.2. tract.4. cap.4. concl.11. Layman lib. 2. tr. 3. cap.7. num.2. Villalobos in Sum. tom.2.tr.4. diffic.6. num.3. Diana part.3. tract.2. res.42. & coordinatus tom. 7. tract. 4. res. 25. Tapia tom.2. lib. 3. quæst.6. art. 14. num. 2. & alij. Qui omnes è contra vnanimiter negant talem inquisitionem subditis esse licitam: quia ex ea pax Reip. & communitatum turbaretur, vt experientia patet, & constat ex illo Prov. 24. *Ne quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.*

De modo servando in inquisitione vtiæ subditorum.

61 Quomodo hæc inquisitio fieri debeat? Potissimum pendet à prudentiæ regulis: Sed, ne ieiunus habeat lector, accipiat sequentes regulas ex citatis DD. selectas. Prima est: Licet possit Prælatus adhibere zelatores vigiles in locis publicis, vt defectus subditorum explorent, & sibi enarrent; tamen cavere debet, ne tales sint, qui ad id sponteanee se offerant: hi enim Prælatorum aures fabellis, mendacijs, & cabillis implent: aliena extollentes crimina, & ne propria delicta audiant, obturant gosipio: qnare prædicti, vt pacis hostes, & in suflatores incendij, abigendi sunt. ¶ Secunda: Poterit, & tenetur, per se ipsum visitare loca, vbi subditi delinquere solent, vt hoc timore occasiones peccatorum fugiant. ¶ Tertia: Si cognoscit minus honeste se gerere, aut loqui subditum extra Conventum, tenetur ei socium prudentem, & observantem præbere, vt si quid aliquid viderit, corrigat fraternaliter, & si id non sufficiat Prælato denuntiet. ¶ Attamen, semper illicitum est Prælatis per media extraordinaria subditis insidiari, nec debent esse nimis suspicioſi, & subditorum exactores: quia, *qui nimis emungit, elicit sanguinem.* His ergo regulis observatis, licitum est Prælatis delicta subditorum prudenter inquirere, vt fraternaliter corrigant.

Quæ

Ad omnes personas etiam infideles extenditur correctio fraterna.

62 Quæ autem personæ sint corrigendæ haud obscurè ex dictis constat. Vnde coniungendi sunt omnes fratres, seu proximi, tam fideles, quàm infideles. Et ratio est: nam correctio fraterna ad fratres lucrandos ordinatur; sed omnes fideles sunt proximi, & fratres, & etiam hoc habent omnes infideles: nam, esto id per gratiam non sortiantur, bene tamen per naturam: ergo tenemur omnes, tam fideles, quam infideles lucrari. Sic communiter DD. quare opus non est aliquem in particulari referre.

§. III.

Quando obliget præceptum correctionis, & ab eo fideles excusentur?

Explicantur conditiones necessariæ ad hoc, vt obliget præceptum correctionis.

63 TRes sunt conditiones, quas communiter DD. assignant, vt liget præceptum correctionis fraternæ. Prima, vt proximus sit in gravi necessitate spirituali. Secunda, vt possis absque gravi tui incommodo ei succurrere. Tertia, vt fructus ex tali correctione speretur. ¶ Circa primam supponendum est: quod, vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 2. in corpore. Correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, & ideò hoc modo cadit sub præcepto secundum quod est necessaria ad istum finem; non autem, ita, quod quolibet loco, vel tempore frater delinquens corrigatur. Ex quibus constat: in tantum correctionem fraternam obligare, in quantum est necessaria ad proximi correctionem. Cæterum, quia variæ, & diversæ sunt necessitates spirituales proximi, diversimode obligatio illius à DD. assignatur. Nos vero ex dictis supra punct. 1. §. 2. num. 5. & 12. dicimus: præceptum correctionis fraternæ obligare non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. Et ratio est: quia ex ibi dictis constat, eleemosynam corporalem obligare in extrema, & gravi necessitate; sed potior est obligatio eleemosynæ spiritualis: ergo, si illa tunc obligat, potiori iure, & ista obligabit. Vnde, si proximus est non solum in periculo damnationis, verum etiam in occasione committendi aliquod peccatum læthale ex defectu correctionis, tenetur quilibet, si abest alius, qui in promptu subveniat, illum fraternaliter corrigere: quia tunc est non solum in gravi, verum, & in extrema necessitate. At, si alius sit, qui proximè paratus est ad æque bene corrigendum, ita vt moraliter certum sit eum correcturum, erit excusatus: quia tunc necessaria non est eius correctio. Similiter, vt ait D. Thomas, non est obligatio omni tempore proximum corrigendi, sed temporis opportunitas expectanda est: alias inefficax erit correctio, aut vt melius dicamus, valde pernitiosa.

Quid animadverti debet circa secundã conditionem.

64 Circa secundam conditionem inquirendum erat: an cum vitæ periculo, vel bonorum amissione tenerentur, tam Prælati, quàm alij, fratrem, vel subditum corrigere in gravi, aut in extrema necessitate existentem? Sed, quia de hoc supra cap. 6. punct. 3. à num. 29. egimus, ibi lectorem mittimus.

Explicantur quæ circa tertiam cõditionem, cognosci debent.

65 Circa tertiam omnes DD. supponunt: quod, si nulla datur spes emendæ, non obligat præceptum correctionis fraternæ. Quod patet ex Divo Augustino relato in cap. *Si quis, de pœnitentia*, distinct. 7. *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.* Et rationem tradit D. Thomas quæst. 33. citat. art. 2. & 6. vbi postquam ait, correctionem iudicialem obligare, etiam si non detur spes emendæ, ita loquitur: *Alia vero est correctio fraterna, cuius finis est emendatio delinquentis non habens coactionem, sed simplicem monitionem: & ideò, vbi probabiliter æstimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad peiora labatur, est ab huiusmodi correctione desistendum: quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari secundum quod exigit ratio finis.* Ergo, vbi nulla datur spes emendæ, cessat finis, & per consequens præceptum correctionis.

Cum spe probabili fructus tenemur corrigere.

66 Sed scire optanti, qualis debeat esse hæc spes emendæ? Respondetur ex Angelico Præceptore: debere esse saltem probabilem, & minimè requiri certam; alias fere nunquam daretur casus, in quo obligaret correctionis præceptum; cum talis certitudo dependeat ex alterius voluntate, cuius actuum scrutator tantum Deus est. Quare, cum hæc probabilis spes de omni Christiano concipere debemus, hinc est, quod DD. damnant eos, qui negligunt, vel metuunt fratrem corripere, causantes raram esse spem emendæ; cum tamen passim videamus plures emendatos ex fraternali correctione, de quibus nihil sperabamus. Et ad minus, vt ait Divus Augustinus lib. 1. de Ciuitate, cap. 9. *Semper incertum est, an voluntatem sit peccator in melius mutaturus*: ac proinde nisi certus sis, aut dubites, de quo num. sequenti, correctionem nocituram, ab ea abstinere non debes. Dicta docent Bannez 2. 2. quæst. 33. art. 2. dub. vltimo. Suarez disp. 8. sect. 3. num. 3. Prado cap. 14. quæst. 3. §. 2. Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 6. art. 7. Palaus tract. 6. disp. 3. punct. 5. à num. 1. Filliuc. tom. 2. tract 28. cap. 7. n. 115. Diana part. 7. tract. 3. resol. 43. & coordinatus tom. 7. tr. 4. resol. 49. N. Antonius tom. 3. tract. 2. disp. 2. sect. 18. num. 126. & alij. Qui omnes bene addunt non esse necessarium, quod fructus statim necessario speretur; sed sat est, si temporis decursu futurus credatur: ac proinde adhibita prima correctione cessandum ab ea non est, sed saltim eam triplicare curandum.

Quid est dicendũ, quãdo emenda fratris est dubia?

67 Inquires tamen: An obliget præceptum correctionis, quando dubitatur, an nocitura, vel profutura sit? Bannez 2. 2. quæst. 33. art. 2. dub. 4. concl. 3. Caietanus ibi. Suarez loco citato, Villalobos tom. 2. tract. 4. difficul. 3. num. 4 Palaus num. 4. Prado num. 10. Diana part. 7. tract. 3. resolut. 2. & alij negant extra casum necessitatis: quia ponitur homo in periculo scandalizandi proximum, & patiendi ab eo iniuriam: ergo tutius erit à correctione abstinere. E contra vero Adrianus in 4. quæstione *de correctione fraterna*, art. 3. Sotus *de Tegendo secreto*, membro 2. quæst. 3. cap. 4. Victor apud Bannez art. 6. affirmant: teneri ad cor-

corrigendum. Et ratio est : quia correctio fraterna respicit vt finem fratris emendam, vt sic gloriam consequatur : ergo, sine certo fundamento innutilitatis, ab ea abstinendum non est. ¶ Nos vero dicimus primò : quod, si solum dubitas, an sit profutura, credis tamen non nocituram, debes corrigere. Nam medicus corporalis debet applicare medicinam, quam certo credit non obfuturam, licet dubitet, an sit profutura : ergo animæ medicus tenetur applicare correctionem fraternam, quæ est medicina spiritualis, quando credit non obfuturam, esto dubitet obfuturam. Ita Bannez Ledesma tom. 2. tract. 4. cap. 4. concl. 11. *versu* : *Secunda conditio. Dico secundo.* Sotus loco supra citato. ¶ Dicimus secundò : quod, si dubitas, an sit profutura, vel nocitura : vera est prima sententia, quam etiam defendit Ledesma loco citato *versu* : *Dico tertio.* Quia in dubio fructus, & nocumenti, non possidet lex fraternæ correctionis, quæ directè vt finem respicit fructum emendæ : ergo tunc non obligat. ¶ Sed adverte hic primò : quod nomine *nocumenti*, vt bene notat Suarez, non intelligimus mærorem, aut tristitiam, vel iram, quam habiturum correctum timetur : hæc enim propriè nocumenta non sunt ; & ideò in dubio illorum, correctio non est omittenda. Sed nomine *nocumenti* accipimus novum peccatum, aut in præcedenti novam obstinationem, in quorum proinde dubio, à correctione abstinendum est. ¶ Nota etiam secundò : Iuxta probabilem DD. sententiam, quod, in extrema necessitate in dubio æquali fructus, vel nocumenti, obligat correctionis præceptum : & ratio est evidens : quia ægroto de salute corporali desperato, vt multi tenent, applicare licet dubiam medicinam : ergo idem licebit in extrema necessitate spirituali, ei, qui gravissima infirmitate peccati mortalis laborat. ¶ Nota tertiò cum Bonac. disp. 3. quæst. 4. punct. 7. num. 8. quod Concionator, aut publicus Doct. & si aliquorum ruinam timeat, tenetur vera prædicare, & docere : nam talis admonitio cedit in bonum commune, & ideò ab ea ob privatum damnum abstinere non debet.

§. IV.

De ordine correctionis fraternæ à Christo Domino designato.

Ordo servandus in correctione fraterna.

68 SUppositа obligatione fraternæ correctionis, restat nunc videre, quis ordo in ea exequenda servandus est ? Quem vtique aptius docere non possumus quam ex Christi Domini verbis Matthæi 18. scilicet: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe tecum, adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum : quod, si non audierit eos, dic Ecclesiæ ; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Ex quibus constat hunc ordinem in correctione fraterna servandum esse : primò : Quod secrete delinquens, secrete etiam corrigatur, aut moneatur. Secundò : Quod si monitio secreta non prodest, corrigatur coram testibus, etiam si delicti sint ignari. Tertiò : Si hæc omnia non prosunt, Prælato denuntietur. Et denique, si Prælatum non audierit, sit tibi tamquam ethnicus, & publicanus ; hoc est : cogatur per pœnas Ecclesiasticas. Et hic est ordo, quem in correctione Christus Dominus præcipit observari.

Convenientia dicti Ordinis declaratur.

Vtilitas, & convenientia prædicti Ordinis clarè demostratur ex eo, quod illum Dominus noster Iesus Christus à fidelibus observandum præscripsit : ac per consequens est conformis legi naturali, & Charitatis ordini, qui exigit proximi spirituali necessitati cum minori illius damno possibili subveniri : ergo ad finem in correctione intentum hic ordo valde vtilis, & necessarius est. Hæc communia sunt ; sed nihilominus circa eius clariorem intelligentiam aliquæ quæstiones à Theologis excitantur.

Ordinem correctionis esse tantum de consilio sentiunt aliqui.

69 Prima difficultas, quæ à Doctoribus circa prædictum ordinem exagitatur, est : An sit de præcepto Christi Domini, aut consilio? Prima sententia contendit esse tantum de consilio. Hanc tradidit primo quidam Bernardinus Arevalensis in quodam libello *de correctione fraterna* ; sed, quia post humus prodit, & alias, eius modestiæ, & sanctitati valde alienus, iure optimo suspicatur non esse huius authoris opus. Sic ante nos notarunt M. Bannez, & Prado. Deinde eam sequutus est P. Alfonsus Salmeron tom. 4. in Evangelia, part. 3. tract. 11. Cæterum notatiunculæ marginales prædicti tract. in quo talis doctrina continetur, ex decreto Inquisitionis, vt habetur in Expurgatorio novissimo anno 1707. tom. 1. littera *A.* pagina 34. col. 2. abrassæ sunt. Vltimò hanc sententiam extumulavit P. Puente Hurtado de Mendoza tom. 2. in 2.2. disp. 163. sect. 5. à §. 56. vsque ad §. 218. eam tribuens Divo Bonaventuræ, Maldonato, & alijs : an fideliter ? Videat alius. Probatur tamen primò : nam Christus Dominus loquitur de peccato contra nos commisso, vt constat ex illis verbis : *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* & ita illa explicant aliqui SS. PP. sed de simili peccato licet, prætermissa correctione, satisfactionem iniuriæ apud iudicem petere : ergo talis ordo non cadit sub præcepto, sed vnice sub consilio. ¶ Secundò : In lege Evangelica non sunt alia præcepta positiva, nisi circa Sacramenta ; sed alias à lege naturali talis ordo non est præceptus ; cum nec sit in lege Evangelica, nec ad Decalogum reduci possit : ergo talis ordo nec sub præcepto naturali, nec evangelico, sed sub consilio cadit. ¶ Tertiò : Præcepta legis Evangelicæ suavia esse debent ; sed fraterna correctio non parum est difficilis in praxi, & sic opposita iugo Christi legis suavi, & levi oneri eius præceptorum : ergo talis correctionis ordo non cadit sub aliqua lege, aut Christi Domini præcepto, sed sub consilio. ¶ Quartò : Prædictus ordo inutilis, & pernitiosus est Ecclesiæ, & Reip. cum ex eo occultarentur delicta, & sic impunita manerent, in

dies

dies que multiplicarentur; imò innutiles essent Superiorum visitationes : ergo nequit talis ordo sub præcepto cadere. Alia argumenta videantur in D. Thoma art. 2. & 7.

Ordo correctionis fraternæ cadit sub præcepto.

70 Secunda sententia, & omnino certa, ac proinde tenenda, docet: prædictum correctionis ordinem esse sub præcepto servandum, & sic à Christo Domino traditum fuisse. Quam quidem ex SS. Patribus, & ex decretis Pontificum probant Lorca, Illustrissimus Tapia, Diana, & alij: sed quia brevitati consulimus, eam duntaxat ratione demonstrabimus. Etenim omnes ex præcepto naturali correctionis tenemur, eripere proximum à miseria peccati cum minori incommodo possibili, & per medium illi magis suave; sed ordo correctionis, à Christo Domino præscriptus, hæc omnia consequitur : ergo cadit sub præcepto fraternæ correctionis. Minor probatur, & explicatur à D. Thoma exemplo medici : *Nam, sicut medicus corporalis* (ait Angelicus Doctor artic. 7.) *sanitatem ægroto confert, si potest, sine alicuius membri abscisione; si autem non potest, abscindit membrum non necessarium, vt vita totius conservetur : ita etiam ille, qui studet emendationi fratris, debet, si potest, sic emendare fratrem, quantum ad conscientiam, vt fama eius conservetur, quæ quidem est vtilis, primò::: &c.* Sed hæc omnia præscribit ordo à Christo Domino assignatus : ergo prædictus ordo servat omnia, ad quæ ex præcepto naturali circa correctionem fratris tenemur : ergo non sub consilio, sed sub præcepto obligat. Ita communiter Theologi, maximè eorum anteſignanus Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 33. art. 7. & 8. Quem sequuntur Scholastici vt Bannez ibi art. 8. dub. 2. concl. 4. & Suarez tom. 4. *de Religione*, lib. 10. cap. 7. à n. 10. Deinde Lorca 2. 2. disp. 46. memb. 1. & 2. Valentia disp. 3. quæst. 10. pa. 5. contrariam erroneæ nota invrentes. Et ex Moralistis omnes Summistæ, verbo *Correctio*, & alij vt Ledesma tom. 2. tr. 4. cap. 4. concl. 20. Villalobos tom. 2. tract. 4. diffic. 9. num. 3. Prado cap. 14. quæst. 4. §. 2. Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 7. art. 2. Palaus tract. 6. disp. 3. punct. 8. num. 4. Diana part. 5. tract. 15. & Miscelan. 1. res. 42. & coordinatus tom. 7. tract. 4. res. 38. & alij communiter.

Lex de ordine correctionis non obligat pro semper.

71 Cæterum, quia præceptum ordinis correctionis fraternæ est affirmativum, docent optime dicti Auctores non obligare *pro semper*; sed aliquando licebit incipere correctionis ordinem à primo gradu, aliquando à secundo, & aliquando his relictis à tertio, iuxta dictamen prudens rationis, & circumstantias occurrentes : vt si, v. g. peccatum est publicum, vel in damnum tertij, cui occurrere tempestive non potest per correctionem secretam, aut occultam monitionem, vel nulla est spes emendæ : tunc enim, & in alijs huius generis casibus, non obligat ordo correctionis, sed immediate licet denuntiare Prælato; quia pluris tunc æstimanda est vel salus innocentis, vel bonum commune, quam vnius nocentis fama. Ex quibus iam patet ad argumenta.

72 Ad primum fatemur, quod, licet illa verba : *Si peccaverit in te.* Plures intelligant de peccato contra singulos commisso : tamen, vt dicunt N. Sylveira tom. 4. in Evang. lib. 6. cap. 11. quæst. 1. num. 5. Palaus loco citato, & alij communiter, intelligitur de omni peccato, quod te sciente committitur, vel de omni peccato absolutè : quia, hoc ipso quod contra Deum sit, est etiam contra proximum, cum peccatum contra parentem sit etiam contra filium : ergo ob hanc rationem à correctionis præcepto talis ordo non excusatur. Perterquam quod, & si loquamur de peccato singulariter in te commisso, adhuc non sequitur, quod intendit argumentum : quia obligatio admonitionis secretæ non impedit compensationem iniuriæ propriæ : tum : quia forte ea secreta correctione inducetur peccator, vt illatæ iniuriæ sufficienter satisfaciat : Tum etiam : quia, etsi non satisfecerit, secreta correctio non impedit, vt corrigens publicam poscat satisfactionem, quando secreta admonitio effectum sortita non est. ¶ Ad secundum constat ex ratione probativa. Siquidem talis ordo sub præcepto naturali correctionis clauditur; qui quidem à lege naturali obscurè traditus, per Christum Dominum verbis num. 67. dictis explicatus fuit. ¶ Ad tertium respondetur : hoc præceptum non esse onerosum, sed potius facilius, quam præceptum corporalis eleemosynæ; cum in hac propria substantia erogetur, in correctione vero nihil nobis charum elargiatur, aut amittatur. Præter quam quod experientia teste, media Dei gratia per Christum nobis largissime communicata, præcepta omnia, & si difficilia, fiunt amanti dulciora. ¶ Quartum argumentum se ipsum destruit, cum probet nec cadere posse sub consilio; quia perniciem bono communi secum iuxta talem sententiam affert. Deinde prædictum argumentum blasphemum contra Christum est, quare non rationibus confutandum, sed igne torrendum.

Fit satisfactionibus adversariorũ.

Quando æqualiter prodest mea correctio, ac Prælati, servandus est ordo correctionis, nisi illi cesserit delinquens.

73 Secunda difficultas discutienda circa fraternæ correctionis ordinem est : An liceat, omissa correctione fraterna, delictum occultum denuntiare Prælato, maximè regulari, vt Patri, quando existimatur, quod melius Prælatus delinquentem sit correcturus. ¶ Ante dubij resolutionem supponendum est primò: quod, si probabiliter scio mea secreta correctione delinquentem æque bene esse emendandum, ac si fieret coram testibus, & Prælato, teneor ita illum corrigere : alias pecco contra charitatem, & iustitiam, & eius famam illi debeo restituere, vt pote, quia sine necessitate illum infamo. Similiter pecco contra iustitiam, ad Prælatum crimen deferendo, quando coram testibus correctus emendaretur; cum tenear bono proximi cum eius minori in commodo consulere. Ita Bannez 2. 2. quæst. 33. art. 8. conclusione vltima. Ledesma tom. 2. tract. 4. cap. 4. concl. 28. & Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 16. num. 1. optime inferens cum N. Antonio tom. 3. Direct. Confess. tract. 2. disp. 2. sect. 16. num. 129. Palao punct. 11. num. 7. & Girago part. 3. dub. 8. à num. 76. etiam peccare mortaliter Prælatum deferentem crimen subditi ad Pro-

vincialem, quando ipse se solo posset corrigere, & à reincidentia præcavere. ¶ Deinde supponendum est secundò: hic non loqui de his, qui iuri correctionis fraternæ cesserunt, vt sunt Patres Iesuitæ: quia de his verum est posse eorum gravia crimina occulta Prælato deferri, omissa privata correctione. ¶ Vnde tota difficultas est, quando creditur melius Prælatum correcturum, etiam si mea correctio similiter credatur futura vtilis delinquenti?

Prælati correctioni, esto efficatiori, anteponenda est mea, similiter vtilis delinquenti.

74 Circa quam prima sententia est affirmativa: & movetur primò: Quia medicus corporalis prudenter vtitur acerbiori medicina, quæ, etsi non sit necessaria, est tamen valde vtilis: ergo, etsi correctio Prælati non sit necessaria, si tamen est efficatior, poterit, vt fraternè corrigatur, ad illum deferri delictum occultum, omissa secreta correctione. ¶ Secundò: In capitulis Religionum, nulla secreta monitione præmissa, aliqui aliorum defectus, & culpas revelant: ergo etiam extra illud poterit similiter revelare Prælato vt Patri. ¶ Tertiò: Nam infamatio illa religiosi apud Prælatum prudentem, & pium, vel nulla est, vel levis reputatur: ergo obstare nequit, ne crimina occulta Prælato, vt patri, deferantur. ¶ Quartò: Quia sic servatur puritas, & observantia religiosa in sua primæva disciplina, quæ ex monitione, & correctione secreta non parum labefactatur; & alias melius corripitur subditus à Prælato, cum hic removere possit occasiones peccati, applicando congrua remedia: nec non difficilius potest subditus simulare emendationem: ergo ob hæc bona inde Religioni, & subdito emanantia poterit eius delictum occultum Prælato, vt patri denuntiare. Ita Suarez tom. 4. *de Religione*, lib. 10. cap. 9. num. 11. & *de Charitate*, disp. 8. sect. 6. num. 17. Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 10. num. 3. Coninch. disp. 28. *de Charitate*, dub. 11. n. 202. Sanch. in Summa, tom. 2. lib. 6. cap. 18. num. 46. & communiter omnes Scriptores Societatis, quibus adhærent Prado cap. 14. quæst. 5. §. 3. & Trullench lib. 1. *in Decalogum*, cap. 5. dub. 16. num. 2.

Sententia verior stabilitur.

75 Secunda, & verior sententia est negativa. Quæ ostenditur primò: Quia Christus Dominus hunc ordinem absolutè, nulla que exceptione adhibita, præcepit: ergo ita ab omnibus etiam religiosis observari debet. ¶ Secundò: Ex lege naturali correctionis fraternæ taliter debemus consulere bono spirituali proximi, vt hoc fiat cum minori illius possibili detrimento; sed, qui defert crimen occultum fratris ad Prælatum, vt illum corrigat, non consulit bono spirituali illius cum minori detrimento possibili: cum subditus pluris æstimet bonam famam apud Prælatum, quam apud multos alios; sicut agentes de revelatione delicti occulti viris cordatis, & prudentissimis, diximus tom. 3. tract. 13. cap. 4. punct. 5. num. 48. ergo contra legem naturalem Charitatis, & fraternæ correctionis est, omissa occulta correctione, grave fratris crimen ad Prælatum deferri. ¶ Tertiò: Ex huiusmodi delationibus, omissa privata correctione, generantur odia inter correctum, & deferentem, vt experientia constat: ergo illis in casu quæstionis vti non licet. ¶ Quartò: Et si Prælatus sibi crimen occultum manifestari præcipiat, debet iuxta D. Thomam tale præceptum observari, prius præmisso ordine correctionis fraternæ; si vero Superior aliud intendat, peccat: ergo multo magis quando tale præceptum non adest. Antecedens est Divi Thomæ 2.2. quæst. 33. art. 7. ad 5. his verbis: *Ad quintum dicendum, quod Prælato non est obediendum contra præceptum Domini secundum illud Actor. 5. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Et ideò, quando Prælatus præcipit, vt sibi dicatur, quod quis sciverit corrigendum, intelligendum est præceptum sane, salvo ordine correctionis fraternæ, sive præceptum fiat communiter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed, si Prælatus expresse præciperet contra hunc ordinem à Domino institutum: & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens, &c.* Sed præceptum Domini est, quod prius frater corripiatur inter te, & ipsum solum, quam quod deferatur Prælato: ergo aliter faciens mortaliter, supposita gravitate materiæ, delinquit.

Secunda probatio nostræ assertionis.

76 Vlterius probatur nostra resolutio: Etenim Prælatus vt Pater non est aptior, quam quilibet alius ad fraternam correctionem exercendam; quin potius vtilior solet esse alter particularis, si est religiosus prudens, & gravis, vt experientia constat: quia, vt ait Hieronym. Rodrig. res. 36. num. 7. *Aliquando hi, qui erant subditi, & conservando videbantur benigni, & mansueti, postea facti prælati volunt magis videri iudices riguros, quam patres viscera Charitatis zelosi*: ergo, cum hoc, experientia teste, non semel eveniat, falsum est, quod ad correctionem aptior sit Prælatus, quam alter particularis. ¶ Confirmatur: nulla ratio specialis potest esse in Religioso, quare respectu illius ordo correctionis à Christo Domino explicatus prætermittatur, & non respectu sæcularis; cum potius maioris æstimabilitatis sit illius; quam huius fama: ergo, si respectu sæcularium non licet talem ordinem prætermittere, vt adversarij nobiscum sentiunt, & colligitur ex dictis à num. 70. vsque ad 72. inclusivè: nec etiam licebit respectu Religiosorum.

Tertio probatur conclusio, & respondetur quibusdam locis D. Thomæ in contrarium adductis.

77 Vltimò probatur. Quia, licet Divus Thomas quodlib. 11. art. 13. dicat: *Si autem videtur, quod hoc melius fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus sit pius, & discretus, & spiritualis non habens rancorem, seu odium adversus illum subditum, tunc licitè potest hoc denuntiari sibi: & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam.* Tamen, vt multi volunt, Angelicus Doctor loquitur, quando præmissa est privata correctio absque aliquo fructu, & loco adhibitionis vnius, aut duorum testium docet tunc deferendum esse delictum ad Prælatum vt patrem. ¶ Vel, etsi credamus hanc tenuisse sententiam in illo loco, sicut docere videtur super cap. 11. Geneseos, vbi excusat à peccato

Sem,

Sem, & Japhet fratres Chanaam, quamvis huius derisionem in Noe eorum parentem, denuntiarent ad illum, non præmissa fraterna correctione; nihilominus tamen dicendum est: eam correxisse loco supra ex 2. 2. citato, vbi suæ vltimæ voluntatis sententiam nobis manifestavit. Ad quam solutionem corroborandam quam plurima exempla afferre poteramus. Videantur concordantiæ locorum Divi Thomæ à Petro Bergomensi elavoratæ, & tract. 20. cap. 6. punct. 10. §. 6.

Quarto ostenditur nostra sententia.

78 Insuper: Si his solutionibus adhuc adversarij non quiescant, insistentes in ea sententia fuisse Doctorem Angelicum, vt teneret, posse non observari ordinem correctionis à Christo Domino institutum: quærimus, quis erit Prælatus pius, discretus, & spiritualis, qui melius, quam quilibet alius religiosus gravis possit subditum fructuose corrigere. Imò etsi Prælatus sit Sanctissimus, sicut erat Noe (vt loquitur D. Thomas in Commentarijs Genes.) tamen, cum Doctor Angelicus vltra has circunstantias ex parte Prælati, petat, quod *subditus beneferat verba Prælati*; & alias difficilè inveniatur subditus illius verba patienter sufferens, vt ait Bannez 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 2. ad 5. ibi: *Regulariter multo gravius nobis est ad ferendum, quod Prælatus noster, quantumlibet prudens, & pius, cognoscat delicta nostra, quam quod alius frater, & amicus eorum notitiam habeat.*: inde est, quod casus, de quo loquitur Divus Thomas in art. 13. quodlibeti citati, est metaphysicus, & ex raro contingentibus. Quod non obstat, adhuc stando in sententia Divi Thomæ, quominus absolutè tentanda sint alia remedia ad fratris delinquentis correctionem, prius quam eius delictum ad Prælatum deferatur: quia, licet aliquis esset pius, & prudens, qui subditum charitative, & fraternaliter corrigeret; tamen plures sunt, qui omissa fraterna correctione ad vindicativam confugiunt, satis crude tractantes, torvo que vultu subditum deinceps intuentes: *Sed nec ex hoc* (ait Divus Thomas loco citato ex Genes. loquendo de Noe, quando male dixit Chanaam) *est facilè ab infirmis trahendum exemplum: quia quod zelo iustitiæ se facere putarunt, fecerunt sæpius ex livore vindictæ, & iræ.* Ergo, adhuc in authoritatibus Divi Thomæ in contrarium adductis, non invenitur quidquam favens adversæ opinioni. Est ergo absolutè observandus correctionis ordo à Christo Domino traditus.

Ostenditur ex praxi Religionum.

79 Tandem probatur nostra conclusio ex praxi Religionum, in quibus correctionis fraternæ ordo, præscriptus à Christo Domino, omnino servatur. Nam Sanctissimus Patriarca Divus Benedictinus in sua Regula, cap. 23. sic ait: *Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius sanctæ Regulæ, & præceptis Seniorum suorum contemptor repertus fuerit; hic secundum Domini præceptum admoneatur semel, & secundo à Senioribus suis.* Videatur Caramuel, qui tam in Commentario prædictæ Regulæ à num. 1677. quam in Theologia fundamentali à num. 1022. late probat Patres Benedictinos omnino ordinem fraternæ correctionis servare. Similiter Patres Dominicani illum etiam servant, vt constat ex Glossa Constitut. distinct. 1. cap. 17. §. 3. littera *K.* & cap. 18. §. 9. vbi in ipso textu habetur: *Prius eum inter se cum omni humilitate, & Charitate de sua correctione admoneant.* Et hanc esse praxim totius Ordinis Prædicatorum, testatur Magister Prado: & de vniverso Ordine Minorum idem etiam docent Portel. in Addition. ad dubia regularia, verbo *Correctio*, num. 5. Hieronymus Rodriguez resol. 36. num. 6.

Nostra Religio strictè præcipit servare ordinem correctionis fraternæ.

80 Denique, alijs omissis, nostra Religio expresse 1. part. Constitutionum, cap. 6. num. 2. præcipit custodiri omnino ordinem correctionis fraternæ his verbis: *Strictè præcipimus, vt Religiosi extra conventum exeuntes invicem associentur, nec alter ab altero separetur, ita vt vnus ab altero non possit videri. Quod, si quis eorum non ita modestè se gerat, vel quidpiam, quod minus deceat statum suæ professionis, in materia castitatis commisserit, si hoc fuerit totaliter occultum, & illius emendatio speratur, corrigat illum statim socius; sed, si iusto timore non fuerit ausus, vel non credat profuturum, aut aliud damnum Religioni, aut bono nomini illius, inde venturum merito timeat, vel post factam correctionem, in eamdem illum videat incidere culpam, Prælato, vt Patri denuntiet; vel, si qualitas culpæ hoc postulaverit, tamquam iudici; vt iuxta nostras Constitutiones, de salubri remedio provideatur.* Vbi clarè vides prius præcipi, quod fiat secreta admonitio, quam, quod Prælato, vt Patri, delinquentis crimen deferatur. Tum sic: sed, vt D. Thomas 2. 2. q. 33. art. 7. in 4. argum. supponit: *Non videtur esse probabile, quod ea, quæ sunt in communi consuetudine Religionum, sint contra præcepta Christi.* Ergo, cum in communi consuetudine, & praxi tot sacrarum Religionum, ordo fraternæ correctionis servetur; dicendum est non licere illum aliqualiter deturbare, & omissa privata correctione, delictum fratris ad Prælatum, etiam vt Patrem deferre.

Patroni nostræ, & veræ sententiæ.

81 Nostram resolutionem docent Sotus *de Secreto*, memb. 2. quæst. 4. concl. 3. dub. 3. Sylvester quæst. 4. Bannez 2. 2. quæst. 33 art. 8. dub. 2. Ledesma 2. part. tr. 4. cap. 4. concl. 24. Ioannes à Cruce *in Director. Conscient.* part. 1. præcepto 5. art. 2. dub. 5. concl. 1. N. Thomas à Iesu lib. *de Visitation.* tract. 1. cap. 9. num. 1. & 6. N. Antonius à Spiritu Sancto, *Directorij Regularium*, part. 3. tract. 4. disp. 3. sect. 3. à num. 56. & *Directorij Confessorum*, tom. 3. tract. 2. disp. 2. sect. 18. num. 128. Abulensis quæst. 84. Navarrus in *Summa* cap. 17. Lorca 2. 2. disp. 47. num. 9. Sayrus *in Clavi regia*, lib. 10. cap. 4. num. 10. Diana 3. part. tract. 2. resolut. 37. & parte 7. tract. 3. resolut. 44. & coordinatus tomo 7. tract. 4. resolut. 50. & 51. & alij plures apud ipsum. Ex quibus aliqui solent admittere immediatam delationem ad Prælatum in aliquo casu raro, & extraordinario, vestitoque circumstantijs à D. Thom. supra num. 77. assignatis: at credimus illum metaphysicum potius esse, quam moralem: & ideo ab-

absolute resolutioni adhæsimus, nostræ sacræ Religionis constitutionibus obtemperando.

Respondetur ad primum, & secundum argumentum.

82 Ad argumenta fere iam constat ex dictis : nihilominus eis sigillatim respondendum est. Ad primum dicimus : negandam esse consequentiam : quia medicina ,& si acerbior,solum tendit ad salutem conferendam ægroto, quin ei damnum in salute inferat : at correctio Prælati , & si liberet subditum ab infirmitate spirituali , infert illi notabile damnum in fama cui semper consulendum est , cum sit ex his , quæ pluris æstimat homo. Præter quam quod , vt diximus in rationibus probativis nostræ resolutionis , raro , aut nunquam vtilior est correctio Prælati quam alterius Religiosi particularis gravis , & prudentis. ¶ Ad secundum sic respondet Angelicus Doct. 2. 2. quæst. 33. art. 7. ad 4. *Dicendum : quod huiusmodi proclamationes , quæ in capitulis Religiosorum fiunt , sunt de aliquibus levibus , quæ famæ non derogant : vnde sunt quasi quædam commemorationes potius oblitarum culparum, quam accusationes, vel denuntiationes. Si essent tamen talia, de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret , qui per hunc modum peccatum fratris publicaret.* Quam doctrinam valde optarem , vt sculptam in cordibus suis omnes haberent : studeant que, tam Prælati , quàm subditi; vt isti sciant , quæ in capitulis revelare debeant , & illi quæ ibi corrigere possint ; & correctionem ducere in revelantes , si modum , & ordinem correctionis fraternæ à Christo Domino institutum,non observaverint. Vnde Constitutiones nostræ, Angelici Doctoris doctrinam eructantes , loquendo de culpis ad capitulum conventuale attinentibus , hæc habent 3. part. cap. 5. n. 2. *Declaramus tamen ad hoc capitulum leves culpas tantum expectare : si enim aliæ graviores inveniantur ; Prælatus , maturiori consilio, secundum suam facultatem , de ipsis debet iudicare in capitulo , vel extra illum , secundum earum qualitatem.* Intellige, si sint publicæ , aut post correctionem fratris , fructus non speratur.

Alijs argumentis fit satis.

83 Ad tertium constat ex probationibus nostræ conclusionis : cum quilibet subditus ægrius ferat, quod Prælatus sui delicti sit conscius, quam quod alijs fiat manifestum. ¶ Ad quartum negatur servari puritatem, & observantiam religiosam ex delatione criminis ad Prælatum , omissa correctione fraterna ; quin potius credimus destrui , & funditus everti ; & ratio demostrativa est : quia Christus ab omnibus , tam sæcularibus , quàm religiosis hunc ordinem correctionis præcipit observari: ergo erroneum est in fide , oblatrare contra illum, vt observantiæ religiosæ eversivum. Deinde: decor , & religiosæ observantiæ puritas consistit præcipuè in bona Religiosorum fama ; sed hæc valde minuitur ex delatione criminis occulti ad Prælatum , vt probatum manet : ergo & observantia religiosa labefactatur. Præterea : multi sunt Religiosi peccatores occulti, qui bona opinione , quam habent , sermonibus , doctrinis , alijs que pijs operibus fideles ædificant , regularem que disciplinam observant ; sed ab his abs dubio cessarent , si se viderent apud Prælatos diffamatos : ergo falsum est ex delatione criminis occulti ad Prælatum, disciplinam religiosam in sua primæva observantia conservari.

Quædam notanda.

84 Sed hic notandum est : quod tam in sententia propria , docente , servandum esse ordinem correctionis fraternæ à Christo Domino institutum , taliter quod Prælato non est crimen deferendum , nisi prius adhibitis privata correctione , & testibus ; quam in sententia contraria, docente , licitum esse immediate ad illum deferre crimen occultum : Prælatus non potest ex tali denuntiatione iudicialiter procedere , nec punire pœnis à iure statutis. Et ratio est : quia subditus nulla tunc laborat infamia apud alios , & crimen adhuc manet occultum, & sic non potest publica pœnitentia à Prælato puniri ; poterit tamen eum moderata , & secreta pœnitentia plectere, minis terrere ; vel si expedient videatur , ad illius confusionem coram vno , vel duobus testibus reprehendere , maximè , si sibi constet de delicto per depositionem , vel declarationem vnius testis , in quo suspicio aliqua falsitatis non inveniatur. Similiter poterit ab officio, vel Conventu removere , quando ex suo nutu dependet, si alias delinquentis fama non periclitatur. ¶ Item licitum erit ei socium designare fidelem , qui eius actiones exploret , & referat. Et etiam si delictum vergit in damnum commune poterit iubere delatori , vt omissa denuntiatione paterna , ad iudicialem procedat. Et ratio omnium est: quia hæc omnia ad spiritualem salutem subditi tendunt, & conducunt ; & alias potestatem Prælati non excedunt , cum possint subditorum vitam inquirere. ¶ Adverte tamen , quod , si Prælatus subditum in alium Conventum mittat , & securior sit à recidivo , non ei licet , conscium facere alium Prælatum criminis subditi novi; nisi forte ibi sit probabile periculum relabendi: quia hæc revelatio propriè esset illius subditi infamatio non necessaria , ac proinde peccaminosa. Omnia hoc numero dicta late docent Caspensis tom. 2. tract. 27. disp. 6. sect. 3. num. 35. Girardus 3. part. dub. 6. à num. 66. Palaus tract. 6. disp. 3. punct. 11. N. Antonius *in Directorio Regularium* , part. 3. tract. 4. disp. 3. sect. 3. à num. 58. Diana part. 7. tr. 3. resol. 46. & coordinatus tom. 7. tract. 4. res. 53. N. Petrus ab Angelis *in Ordine iudiciali*, part. 1. cap. 7. num. 2. & alij.

§. V.

An sit licitum Religiosis , cedere iuri correctionis fraternæ ; & an sint , qui de facto illi cesserunt ? Et vtrum horum occulta crimina teneantur alij , ad Prælatum immediate deferre?

Aliqui negant , religiosos posse renũtiare iuri fraternæ correctionis

85 PHiliarcus *de Officio Sacerdotis*, tom. 1. part. 2. lib. 4. cap. 14. negat, iuri fraternæ correctionis posse Religiosos renuntiare ; & adeò mordicus hoc defendit , vt damnet tamquam impium simile Religionis de-

decretum, aut constitutionem. Nec dulcius loquitur Lorca 2.2. quæst.33. disp.47. sect.3. num. 12. cum talem legem, vniversaliter latam vt iniustam sugillet. Texeda in *Theologia Morali*, tom.1. lib.1. tract.2. controv.4. eam appellat *falsam*, *& improbabilem*, *repugnantem quæ Christi Domini præcepto*. Hieronymus Rodriguez *in Compendio Quæst. Regularium*, resol. 36. num. 13. refert Salmanticensem Academiam negativam sententiam vt probabiliorem tunc declarasse. Magister Bannez 2. 2. quæst.33. art.8. dub.2. ad 7. confirmationem, & Petrus Ledesma 2.part.Summæ, tract. 4. cap. 4. concl. 24. diffic. 6. licet doceant, licitam esse prædictam iuris renuntiationem ex eo, quod, hoc faciat vniversa Religio Societatis, tamen dicunt, sibi videri nimis durum, & parum expediens. Negativam partem etiam tenet Iulius Clemens Scotus eiusdem Societatis alumnus Opusculo *de iure tuendi famam*, Pon.9. pag.118.vt refert Prado.

Probatur ratione.

86 Et moventur primò: Quia, licet Religiosus, sicut & quilibet alius, sit dominus suæ famæ, vt diximus tr.12. cap. 2. punct. 5. num. 44. tamen nequit licitè eam prodigere; sed, qui permittit, cedendo iuri suo, quod delictum occultum, omissa correctione, immediatè ad Prælatum deferatur, famam suam apud illum prodigit: ergo peccat, cedendo iuri correctionis fraternæ. ¶ Secundò: Præceptum Christi, de præmittenda correctione fraterna denuntiationi peccati occulti, est generale, Religiosos que non excludens: ergo etiam respectu horum tenet. ¶ Tertiò: Ordo correctionis fraternæ, à Christo Domino institutus, tendit, non solum ad præcavendam fratris emendam, verum etiam, vt melius obtineatur illius emenda, vt docet Divus August. lib. *de Verbis Domini*, explicans illa verba: *Corripe illum inter te, & ipsum solum*: dicens: *Studens correctioni, parcens pudori: Forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum; & quem vis facere meliorem, facis peiorem.* Et D.Hieron.citatus à D. Thoma art. 7. quæst. 33. allegatæ ait: *Corripiendus est seorsim frater, ne, si semel pudorem, & verecundiam amiserit, permaneat in peccato.* Sed, esto proximus cedat iuri suo, quo ad custodiam famæ, semper remanet finis principalis fraternæ correctionis, scilicet spes emendæ: ergo adhuc obligat præceptum talis correctionis. Patet consequentia: quia manente fine principali alicuius præcepti, semper remanet tale præceptum: ergo si in casu præsenti remanet finis principalis præcepti correctionis, scilicet spes emendæ, tale præceptum obligabit. ¶ Quartò: D. Thomas quodlibeto 11. art.13. ait: *Sed, quia propter diversas conditiones Prælatorum, & subditorum non potest in hoc dari generale iudicium:::: ideò tenendum est pro regula, quod in omnibus istis, semper est servanda Charitas, & quod melius, & magis expedire videtur*: ergo statutum generale Religionis, vt semper delicta occulta, omissa correctione fraterna, immediatè Prælato denuntientur, est contra D. Thomam, & simul iniustum. ¶ Vltimò: Idem Angelicus Doctor ideò admittit proclamationes in capitulis de delictis occultis, quia delicta levia sunt, secus si essent gravia: & quæst.33. art.7. ad 5.vt supra vidimus n. 75. ait: *Quod si Prælatus præciperet contra hunc ordinem à Deo institutum, & ipse peccaret, & obediens: vnde non est ei obediendum: quia Prælatus non est Iudex iudiciorum occultorum, sed solus Deus.* Vnde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur, puta per infamiam, vel aliquas suspiciones: Ergo præceptum, aut constitutio generalis Religionis, manifestandi gravia delicta occulta Prælato, est supra omnem eius potestatem, & iurisdictionem.

Potest tota Religio cedere iuri correctionis fraternæ.

87 Secunda sententia docet posse quemlibet, imò & totam Religionem, & Communitatem cedere iuri correctionis fraternæ. Sic omnes fere Societatis Scriptores, maximè Valent. 2.2. disp.3. quæst.10. part.5. Thomàs Sanchez lib.6. *in Decalog.* cap. 18. à num. 43. Suarez disp.8. sect.6. num.12. Palaus tract.6. disp.3.punct.9. Petrus Hurtado 2.2.disp.163. sect. 5. sub sect. 9. Quibus adhærent Diana part.7. tract.3. res. 45. & coordinatus tom.7. ttact.4. res. 52. & ex parte Caramuel *Theolog. fundamentalis*, num.1021. & Leander tom.1. *in Decalogum*, tract.6. disp.4. quæst. 9.

Et moventur primò: Quia quilibet potest cedere iuri suo; sed ius ad famam est proprium, cum illius sit dominus: ergo potest illi cedere, maximè ob honestos fines, quales sunt spiritualis profectus, securitas à recidivo, propria humilitas, &c. ¶ Secundò: Maius bonum spirituale præferendum est damno famæ temporali; sed ex immediata denuntiatione, oritur maius bonum spirituale, nempe perfectior emenda, & securitas à reincidentia: ergo, &c. Tertiò: Si quis ob prædictos fines suum peccatum occultum manifestaret, opus laudabile efficeret: ergo idem dicendum est, quando consentit, quod alius id faciat. ¶ Quartò: *Scienti, & consentienti nulla fit iniuria*, vt dicitur in regula *Scienti, de regulis iuris, in sexto*: ergo nec illi, ex cuius consensu peccata occulta manifestantur. ¶ Quintò: Ex consensu pœnitentis potest Confessarius occulta peccata manifestare: ergo,& ante correctionem denuntiare Prælato; cum non sit fortius vinculum correctionis, quam sygilli. ¶ Vltimò: Ob bonum Religionis potest quis pati detrimentum vitæ, abstinendo à carnibus, ieiunando, vigilando,&c. ergo, & dispendium famæ, renuntiando iuri correctionis fraternæ.

Et si aliquis iuri correctionis cedat alij debent eum corrigere fraternaliter.

88 Tertia denique sententia, quam in praxi sequendam esse iudicamus, docet: quod, & si quilibet possit licitè ob bonos fines iuri correctionis fraternæ renuntiare; tamen alij tenentur proximum, iuxta ordinem à Christo Domino præscriptum; fraternaliter corrigere. Ita Arauxo 2.2. quæst.33. art.8.concl.4.n.21. & Prado cap. 14. quæst. 6. §. 3. Et ratio est: quia, vt supra num.86. probatum manet, perseverante fine correctionis, perseverat obligatio præcepti illius; sed finis præcepti correctionis, scilicet spes emendæ, perseverat, & si

si frater cesserit iuri correctionis fraternæ, cum per correctionem privatam quilibet suavius, & efficatius ad emendam reducatur: ergo perseverat obligatio præcepti correctionis. ¶ Secundò: Thomàs Sanchez num. 47. Palaus num. 3. & alij eiusdem familiæ locis citatis docent: quod, si dubium sit, an Prælatus melius subditum corriget, vel prudenter se gerat, non licet delictum occultum ei denuntiare: quia constitutio illa Societatis, & si generaliter fiat, sub intelligitur, servato fine proprio correctionis, qui est emendatio delicti; sed quantunvis prudens sit prælatus, semper est dubium, an prædictus finis melius obtineatur per prælatum, quam per alium gravem religiosum, vt supra probatum manet: ergo ex doctrina Scriptorum Societatis, talis cessio iuris non obest, quominus obliget præceptum ordinis correctionis fraternæ. ¶ Tertiò: Palaus num. 6. ait: *Fateor cessionem iuris non dare alijs potestatem manifestandi delicta, quæ manifestari non possint, cessione iuris non obstante.* Sed cessante iuris cessione nullus habet potestatem, quando datur spes emendæ, deferendi delicta occulta Prælato, sed debet delinquentem immediate corrigere: ergo idem facere debet, stante cessione iuris. Quartò: Esto Christus voluntarie se morti offerret cedendo iuri suo, non ideò illum crucifigentes ab iniustitiæ peccato excusantur: ergo similiter esto frater cedat iuri correctionis fraternæ, non corrigentes fraternaliter, cum datur spes emendæ, à peccato non excusantur. Quintò: Existenti in extrema necessitate spirirituali teneor subvenire, quando commode possum, & si alter cesserit iuri conservandæ vitæ animæ; sed in præsenti casu commode possum: ergo subvenire debeo, illum fraternaliter admonendo: etsi iuri correctionis cesserit. Et sic videtur vtraque sententia concordari.

Religio Societatis cedit ordini correctionis fraternæ.

89 Quo ad secundam partem dubij: An scilicet sit Religio, quæ huic iuri correctionis fraternæ cesserit? Respondetur affirmativè de vnica Religione Societatis Iesu, vt communiter testantur moderni eius Scriptores, & probant ex sexta Congregatione generali, Canone 10. & ex alijs, quæ late ponderat Granado disp. 5. sect. 3. num. 25. quæ constitutio approbata est à Gregorio XIII. in Bulla *Ascendente Domino*, vbi approbavit non solum Societatis institutum, verum, & omnes illius constitutiones, articulos, &c. & tunc iam prædicta constitutio erat expedita. Deinde refert Palaus prædictum Pontificem damnasse cuiusdam libellum, dictam constitutionem impugnantis. Et Diana affirmat, sibi testatum fuisse Cardenalem de Lugo, Inquisitorem Generalem Pacheco Matriti damnasse anno 1621. die 19. Novembris hanc in quibusdam thesibus positam propositionem: *Nullo modo licet peccata denunciare Prælato, vt Patri, omissa propria admonitione secreta.* Sed credere hoc nunquam potuimus, tunc: quia talis propositio est probabilissima, valde que consona præcepto correctionis fraternæ, vt ex supra dictis constat. Tum etiam: quia si aliquando fuisset damnata, abs dubio prohiberetur ab Expurgatorio novissimo edito anno 1707. vbi, quæ hucusque fuerunt censura digna communiter adnotantur.

Quid dicunt aliqui Societatis alumni circa renuntiationem correctionis, &c.

90 Sed quidquid sit de hoc: circa hanc constitutionem, & renuntiationem correctionis fraternæ ait Turrianus *de Iustitia*, disp. 44. dub. 2. num. 17. relatus à Ioanne Sanchez in Selectis, disp. 46. num. 28. pag. mihi, 438. col. 2. *Huiusmodi renuntiationem non obligare subditos taliter, vt peccent, si postea non consenserint denuntiationi: quia solum per modum consilij proponitur regula à Superioribus.* Et Ioannes Sanchez ibi in fine ita concludit: *Vnde constitutio Societatis Iesu circa manifestationem culpæ, solum intelligitur de culpa, quæ ab alio fuerit notata, non de illa, quæ à delinquente sub secreto fuit commissa alteri, vt refert Alfonsus Rodriguez tom. 3. tract. 8. cap. 6. in fine fuisse declaratum in Congregatione 6. generali Societatis Iesu decreto 49. Canone 10. & 11. & decreto 37. Canone 6.* Et Iulius Clemens Scotus, testis etiam domesticus non minus nobilis, quam doctus, in declaratione 6. Congregationis, in qua prædicta constitutio edita fuit, sic ait num. 8. pag. 121. *Advertendum, non esse huiusmodi statutum, vel declarationem approbatam ab vllo Pontifice, nec in generali approbatione, sicut Constitutiones, &c. Adeòque nulla ratione posse dubitari, quin Congregatio in his potuerit errare, etiam pernitiosè, vt habet expressè Bannez (qui non solum, vt ait Sanchez in Selectis, disp. 46. num. 6. scriptis suis Religionem Dominicam non parum honoravit, verum etiam illius honorem valde amplificavit) 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 8. in 6. conclusione. Et præterea valde verosimile saltem est, eos, qui admissi fuerant in Societatem per vota, non potuisse ex vi talis decreti ad consentiendum, vt delicta etiam gravia, immediate deferrentur ad superiorem, non præmissa correctione fraterna, cum enim lex illa potuerit intelligi solum de renuntiatione hac famæ circa delicta levia, censendum est, in dubio non intellexisse de renuntiatione circa gravia.* Hucusque prædictus Doctor, & eiusdem Societatis perdoctus alumnus. Et libro de Potestate Pontificis in Societatem Iesu, part. 2. pag. 87. refert, quod à septima Congregatione talis lex non fuit inter substantiales prædictæ Societatis Iesu connumerata.

Quædam notanda.

91 His consonat Magister disp. 47. sect. 3. regula 2. num. 14. asserit se consuluisse viros doctissimos eiusdem Societatis, & sui Instituti observantissimos, qui sibi testificati sunt hanc constitutionem à Sede Apostolica non esse specialiter confirmatam: tum: quia de tali speciali decreto ipsis Patribus Societatis non constat, nec ab aliquo huius sacræ Religionis alumno in lucem proferatur, quod non ita contingeret, si à Summo Pontifice specialiter esset approbata: Tum & maximè: quia (ait Lorca loco citato): *Dum decretum ipsum non constat, ego non credo Pontificem aliquid decreviisse contra expressum sancti Doctoris documentum.* Vnde concludit constitutionem prædictam: *Intelligendam esse de culpis levibus, quas solus legislator speravit in religione futuras, de quibus licita, & pia esse potuit.*

Vnde

¶ Vnde constat, falsum esse, quod ait Palaus num. 4. scilicet, fas iam non esse, etiam titulo veritatis indagandæ, aut disputandi, directè, vel indirectè huic constitutioni contradicere. Tum: quia id licitè faciunt etiam ipsius Societatis alumni: Tum etiam: quia plures Doctores, vt vidimus tract. 11. cap. 2. punct. 7. num. 137. disputant de lege Carthusianorum abstinendi à carnibus, etiam dum aliter saluti, & vitæ subvenire non potest; quamvis hæc constitutio sit à Summis Pontificibus confirmata: ergo constitutio Societatis nequit ob hoc motivum immunis à Doctorum impugnatione, & discussione censeri.

§. VI.

In quibus peccatis servandus est ordo correctionis fraternæ?

Quot modis delictũ dicatur occultum, aut publicum?

92 NOn leves difficultates essent hic discutiendæ, nisi alibi decisæ manerent: quare breviter, quæ desiderantur, tangemus. Igitur dicendum est: ordinem correctionis fraternæ servandum esse in omnibus delictis occultis, quæ cedunt in damnum ipsius peccantis: secus vero in alijs, quæ aut notoria, & publica sunt, aut cedunt in damnum tertij, vel commune Religionis, Reip. aut Communitatis. Sed ante quam nostram probemus conclusionem, primò notandum est ex dictis tract. 13. cap. 4. punct. 5. num. 13. & tract. 10. cap. 3. num. 19. delictum publicum, seu notorium esse triplex: primò, quod est *notorium facto*: secundò, quod est *notorium iure*: & tertiò, quod est *notorium fama, seu famosum*. *Notorium facto*, dicitur, quod in præsentia multorum committitur, vt in platea, via, foro, &c. aut taliter perpetratur, quod facilè ad plurimorum notitiam pervenire potest. *Notorium iuris* dicitur, quod per sententiam iudicis manifestatur. *Notorium fama*, quando illius fama ad plures pervenit, vt si manifestum sit maiori parti Collegij, viciniæ, Civitatis, aut Regni. Quare per opositum delictum, quod non est notum maiori parti Collegij, vel Communitatis, nec laborat infamia, aut loco publico patratum, & si in iudicio probari possit, est, & dicitur occultum.

In quorum damnũ possunt peccata committi?

93 Secundò notandum est: Peccata alia esse *in damnum solius peccantis*, & alia *in damnum tertij*, alia denique *in damnum Communitatis*. Primi generis sunt ebrietas, fornicatio, avaritia, &c. Secundi generis sunt furtum, homicidium, detractio, contumelia, &c. Tertij denique generis sunt, quæ Communitati immediatè, & directè lædunt, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus; vt falsificatio monetæ; tradditio, & proditio Civitatis; furtum Thesauri publici; homicidia frequentia; apertio, & falsificatio litterarum Superiorum; seminatio doctrinæ hæreticæ, aut erroneæ contra fidem, vel etiam laxæ doctrinæ, quæ sapit relaxationem observantiæ regularis; conspiratio contra Prælatos, & institutum; & denique omnia peccata gravia, quæ à Religiosis cum sæcularium scandalo committuntur: vt, si aliquis ebrius sit coram sæcularibus, aut frequenter iuret. Ita N. Thomas à Iesu *de Visitat. Regularium*, tract. 1. cap. 12. Sotus *de Secreto*, membro 2. quæst. 4. concl. 2. Rodriguez *in Ordine iudiciali*, n. 4. Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 7. art. 5. N. Petrus ab Angelis *in Ordine iudiciali*, part. 1. cap. 5. & alij communiter. Et licet Thomàs Sanchez lib. 6. *in Decalog.* cap. 18. num. 50. dicat: omnia delicta gravia Religiosorum opere consumata cedere in damnum commune Religionis; intelligendus est; quando fiunt cum scandalo, vel est proximum eius periculum; secus vero, quando hæc absunt; & de aliquibus peccatis est hoc adeò evidens, vt à tanto Doctore de eis id affirmare, sit indecens.

Correctio obligat circa delicta occulta, quæ soli peccanti nocent.

94 His suppositis: probatur conclusio quo ad primam partem; scilicet, servandum esse ordinem correctionis fraternæ in delictis occultis, quæ tantum cedunt *in damnum peccantis*. Et ratio huius conclusionis est præceptum à Christo Domino impositum Matthæi 18. illis verbis: *Si peccaverit in te, &c.* quod de peccatis occultis, in damnum tantum peccantis commissis, ad minus verificari debet, vt tenet communis DD. sententia, & ex hucusque in hoc puncto dictis, satis liquet: ergo ex Domini præcepto in his delictis occultis ordo correctionis servandus est.

Et si dictum delictũ probari possit per tres testes, non est manifestandum superiori.

95 Sed quid dicendum, quando tale peccatum, etsi sit occultum, tamen per testes probari potest, quia duobus, aut tribus notum est? Huic dubiolo respondetur etiam affirmativè, ac proinde denuntiare illud Prælato, illicitum est. Tum: quia, & si per ius sit tale delictum probabile, adhuc manet secretum: ergo respectu illius vrget correctionis præceptum. Tum etiam: quia, vt multoties diximus; lucrari tenemur fratrem cum minori damno illius possibili; sed, & si delictum sit aliquibus notum, adhuc possumus lucrari fratrem cum minori damno illius, scilicet media correctione fraterna, vel adhibendo, si necesse est, vnum, aut duos testes; vt Dominus dicit: ergo non licet tunc denuntiare Prælato, cum hoc in grave delinquentis damnum cedat. Tum: quia denuntiatio iudicialis est ad reparandum bonum commune per peccatum læsum: ergo, cum prædictum peccatum bono communi non læserit, denuntiatione iudiciali non eget. Sic Divus Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 7. Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 7. art. 4. num. 4. Lorca 2. 2. quæst. 33. art. 8. disp. 47. sect. 3. regula 4. num. 19. Navarrus *in Summa*, cap. 24. num. 14. Sotus quæst. 4. concl. 3. dub. 2. Villalobos tom. 2. *Summæ*, tract. 4. diffic. 10. num. 3. Trullench lib. 1. cap. 5. dub. 16. num. 11. & Palaus tract. 6. disp. 3. punct. 13. num. 6. ¶ Notant etiam communiter DD. peccatum esto omnino occultum, si nulla datur spes emendæ per secretam monitionem, posse licitè, Prælato, vt patri, denuntiari.

Publica delicta absque correctione fraterna Superiori reve landa sunt.

96 Secunda pars conclusionis bimembris est, & ideò seorsim probanda. Et quidem circa peccata absolutè publica, & notoria facto, aut infamia, absque vlla admixtione secreti. Dicendum est cum communi sententia, non obli-

obligare correctionis præceptum, ac proinde, posse ea Prælato denuntiari. Ita Divus Augustinus citatus à Divo Thoma quæst. 33. art. 7. explicante illud Apostoli 1. ad Thimot. 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Quod, ait Divus Thomas, *intelligitur de peccatis publicis, vt Augustinus dicit in lib. de Verbis Domini.* Et rationem tradidit ibi Angelicus Doctor: nam, qui publice peccat non solum peccat in se, sed contra bonum commune, cum alios scandalicet: ergo non solum peccanti est adhibendum remedium media correctione fraterna, sed etiam alijs, ad quorum notitiam devenit, media denuntiatione iudiciali, quæ ad reparandum damnum bono communi illatum ordinatur. Deinde: qui publice peccat, hoc ipso sibi servari, non vult, iura secreti; cum ipse publice se infamet: ergo non tenemur illum secrete corrigere. Præterea: in hoc casu non datur spes, quod illi profutura sit correctio secreta; cum contemnat hominum præsentiam, & leges parvipendat: ergo non obligat præceptum correctionis, sed poterit licitè Superiori denuntiari. ¶ Sed, licet hæc ita sint, hanc tamen resolutionem sic temperat Divus Thomas, quem sequuntur Prado, Tapia, Lorca, & alij citati num. antecedenti: *Nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impediri.* Tum enim debet ante delationem corrigere secrete, aut publice, secundum quod opportunitas iudicetur. Sed attente notentur verba Divi Thomæ: *Firmiter existimaret:::: & statim.* Si enim aliquod ex his non verificetur, cessat obligatio correctionis fraternæ.

97 Si vero delicta sint *in damnum tertij*: videndum est: An sit in damnum tertiæ personæ privatæ, aut publicæ, vel Religionis? Si primum, dicendum est: statim, & si sint occulta, denuntianda esse Prælato, omissa correctione fraterna. Et ratio est: quia per denuntiationem, & defenditur innocens, & corrigitur delinquens, qui per secretam admonitionem non creditur corrigendus: ergo, cum his omnibus teneamur providere, denuntiandus est. ¶ Si secundum, etiam est statim denuntiandus: quia bono communi præferendum est damnum particulare: ergo, quando illi providere non potest, nisi denuntiando delinquentem, ad id tenemur: *Nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire*, vt dicit Divus Thomas, in quibus verbis innuit differentiam, quæ est in huiusmodi peccata, & ea, quæ soli peccanti nocent: quia in his, vt obliget præceptum correctionis, sufficit, quod non sit expressa desperatio emendæ; at, in illis, requiritur certissima spes fructus, & devitationis omnium malorum, quæ timentur: quare, si hæc non adest, omissa correctione, denuntianda sunt.

98 Vnde: quia in crimine hæresis, & proditione civitatis, nunquam potest concipi firma spes emendæ, sine periculo nocendi alijs, ideò, vt diximus supra cap. 3. punct. 9. n. 99. statim fieri debet denuntiatio, vt sic citius bono communi consulatur. Quod docent Tapia lib. 3. citato, quæst. 7. art. 6. num. 3. & 4. Villalobos tom. 2. tract. 4. diffic. 11. Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 5. dub. 16. num. 2. & 3. Suarez *de Fide*, disp. 20. sect. 4. num. 11. Palaus tract. 6. disp. 3. punct. 13. num. 5. Læsius *de Iustitia*, cap. 30. dub. 6. & Sanchez *in Selectis*, disp. 11. num. 56. Ex quibus aliqui doctrinam hanc extendunt ad omnia delicta, quæ hæresis suspitionem gignunt, contenta in edictis S. Inquisitionis, quod quidem videtur esse tenendum ex novissimo decreto Alexandri VII. expedito anno 1660. die 8. Iulij, vt supra vidimus cap. 3. punct. 9. à num. 102. Et ab hoc decreto præscindendo, antea idem docuerant, & optime, de Magis, Strigibus, Sagis, Maleficis, solicitantibus, & similibus, Ledesma tom. 2. tract. 4. cap. 4. concl. 24. dub. 1. & 2. Delrius *in Magicis Disputation.* lib. 5. sect. 4. & Trullench loco citato num. 10. quod etiam de solicitantibus diximus in præsenti tractatu, cap. 4. punct. 4. §. 3. Qua propter; omissa correctione, hæc omnia delicta denuntianda sunt. ¶ Cæterum: quia in crimine in damnum personæ particularis patrato, facilius spes emendæ concipitur, possumus eum corrigere: quare: si sciam Petrum velle Ioannem interficere, aut eius bona rapere, si adest spes emendæ, debeo primum per me, aut per alios corripere; etsi hæc non sufficiant, teneor eum iudici, vt patri denuntiare; si vero adhuc fructus non speratur, debeo in communi innocentem monere, vt sibi cabeat; vel si denique adhuc instat damni periculum, possum nocentem innocenti nominatim declarare, vt à iudice auxilium expostulet. Sic Sanchez *in Consilijs*, part. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 5. num. 8. Sotus *de Secreto*, membro 2. q. 4. Trullench tr. 28. cap. 7. quæst. 3. num. 153. Palaus punct. 13. cit. num. 8. N. Petrus ab Angelis *in Ordine iudiciali*, part. 1. cap. 7. num. 3. N. Thomas à Iesu tract. 1. cap. 16. N. Lezana tom. 1. *Dub. Regul.* cap. 27. num. 8. & alij. Hæc apud Auctores communia sunt: sequentia vero maiorem continent difficultatem. Vnde:

99 Rogabis primò: An peccata carnalia in Religiosis sint contra bonum commune, ac proinde Prælato immediate denuntianda? Affirmant Hurtadus de Mendoza disp. 163. sect. 5. sub sess. 30. §. 236. Miranda *de Ordine iudiciali*, tom. 1. quæst. 11. art. 2. concl. 2. Ioseph us à S. Maria *in Tribunali Relig.* tract. 2. cap. 3. §. 2. Suarez *de Charitate*, disp. 8. sect. 6. num. 12. Diana part. 3. tract. 2. res. 69. Caspensis tom. 2. tract. 27. disp. 6. sect. 4. num. 39. Et moventur primò: Quia hoc peccatum est infectivum Communitatis, & in Religiosis valde infame: ergo est contra bonum commune. ¶ Secundò: In his peccatis nulla est spes emendæ per privatam admonitionem: ergo Prælato immediate sunt denuntianda. ¶ Tertiò: Qui sic delinquit libere vult Religioni malum inferre: ergo statim tale malum repellendum est per denuntiationem.

100 Negativam sententiam amplectuntur Rodriguez *de Ordine iudiciali*, cap. 3. n. 5. Giragus part. 3. dub. 37. concl. 2. num. 131. Spatharius *in Praxi Correctionis Regular.* tract.

Applicatur doctrina tradita.

Peccatum carnis est in Religiosis contra bonum commune secundum aliquorum sententiam.

Aliqui negativã opinionem tenent.

tract. 3. cap. 28. num. 9. Petrus Navarro lib. 2. *de Restitutione*, cap. 4. num. 190. Et ratio illorum est: quia illud peccatum est contra bonum commune, quod directè contra illud tendit; sed fornicatio directè non tendit contra bonum commune, sivè Reipublicæ, sive Religionis: ergo non est peccatum ex specie sua contra bonum commune.

Propriam mentem via media declaramus.

101 Sed in hac lubrica, & difficili materia media via incedendum est: quare dicimus: lapsum carnis exteriorem in Religiosis non esse ex se contra bonum commune Religionis, per accidens tamen aliquando contra illud esse. Explicatur conclusio. Peccatum carnis in Religioso, qui semel peccavit, abreptus passione, aut aliqua oblata occasione, non est contra bonum commune: & sic corrigendus secrete est: Peccatum vero carnale in Religioso parum circunspecto, & de simili crimine suspecto, qui ex electione, & malitia peccavit inter peccata contra bonum commune connumerandum est, & ita Prælato est denuntiandum. Ratio primæ partis est: quia de eo, qui infirmitate, oblata occasione, semel in peccatum ruit, est spes probabilis, imò & moraliter certa, quod correctus emendabitur, vt docet Divus Thomas in 4. distinct. 19. quæst. 2. art. 3. ad 2. Et alias, ex vnico peccato carnis secreto, nequit prudenter timeri damnum bono nomini Religionis eventurum; sed, quando datur spes emendæ, & alias non timetur damnum Religioni, tale peccatum contra bonum commune non est: ergo in casu primæ partis, peccatum carnis non est contra bonum Religionis, & ita tunc correctionis præceptum obligabit. ¶ Ratio vero secundæ partis est: quia Religiosus, qui de modo vivendi est notatus, & alias in materia castitatis parum cautus, & de incontinenti suspectus; quando deprehenditur in lapsum carnis ruisse, iam tale peccatum est in damnum commune Religionis; cum sit valde proximum scandalo, & cæterorum damnificationi; nec præsumatur prudenter semel deliquisse, sed potius iterato peccasse; quare in hoc concipi nequit spes emendæ; quia, vt ait D. Thomas loco citato: *Hæc concipi potest, quando peccatur ex infirmitate, & occasione oblata, labitur in carnis delictum; secus vero quando ex electione, & consuetudine delinquitur, qualiter in præsenti ex conditione peccantis prudenter præsumitur*; sed, quando peccatum est contra bonum commune Religionis, & alias non est certissima spes emendæ, statim debet Prælato denuntiari, omissa fraterna correctione: ergo ita fieri debet in præsenti casu, vt sic Prælatus tanquam pater invigilet super gregem suum, ovem que errantem ad pascua religiosæ, & christianæ observantiæ reducat.

Explicatur quid circa hæc peccata senserit D. Thomas.

102 Quid de hoc peccato Religiosorum senserit Divus Thomas ex dictis agnoscitur. Etenim de peccato carnis, dictis circunstantijs vestito, locutus est tantum Doctor Angelicus, quando in 4. distinct. 19. quæst. 2. art. 3. ad 2. inter peccata infectiva aliorum enumerat *fornicationem*, cum evidens sit esse plures fornicationes, quæ aliorum infectivæ non sunt. Vnde quodlib. 11. art. 12. ait: *Credo, quod, si esset aliquod peccatum carnale, quod vrgeret in detrimentum multitudinis, statim est revelandum.* Quæ quidem verba, sub tali conditione, minime proferret, si sentiret omnem fornicationem esse contra bonum commune, & aliorum infectivam. Nec obscure nostram sententiam traddunt verba constitutionum nostrarum supra §. 4. num. 80. relata, vt intuenti patebit. Expresse vero eam docent Petrus Ledesma 2. part. tract. 4. cap. 4. concl. 24. diffic. 5. Valerus in differentia vtriusque fori, verb. *Inquisitio*, diffic. 2. num. 6. Et ex parte N. Thomas à Iesu tract. 1. de Visitat. Reg. cap. 12. num. 6. N. Petrus ab Angelis *in suo Ordine iudiciali*, part. 1. cap. 5. num. 4. & alij.

Delicta penitus occulta etiam cõtra bonum Communitatis iuxta aliquos sunt Superiori solum vt patri denuntianda.

103 Rogabis secundò: An licitum sit denuntiari Superiori vt iudici delicta, quæ sunt in damnum tertij, vel Communitatis, quando ab vno tantum sciuntur, & alias, adhuc per correctionem secretam, vel aliam viam non habetur spes emendæ? Durandus in 4 distinct. 16. quæst. 4. Henriquez lib. 13. *de Excommunicatione*, cap. 18. num. 3. Sotus *de Secreto*, membro 2. quæst. 4. concl. 2. affirmant in prædicto casu tantum debere propalari Superiori vt patri, non vero vt iudici. Et moventur primò: Quia: sola delicta illa debent denuntiari Superiori vt iudici, quæ ipse tenetur, & potest punire; sed Superior non habet potestatem ad delicta occulta punienda, sed hæc soli Deo reservantur: ergo nec ei vt iudici, sed vt patri debent denuntiari. ¶ Secundò: Nemo testificari, & denuntiare tenetur, quæ probare non potest; sed, quando delictum vni tantum, præter committentem, est notum, nequit probari tale delictum: ergo nec tenetur denuntiare.

Prædicta peccata possunt Superiori vt iudici denuntiari, quando aliud remedium nõ adest.

104 Sed conformiter ad ea, quæ supra cap. 3. punct. 9. à num. 96. docuimus, dicendum est: teneri denuntiari Superiori, vt iudici occulta delicta, & improbabilia, quæ minantur grave damnum bono communi, aut alicui innocenti, quando certa spes non effulget hæc damna alia via impediendi. Quod probatur primò ex auctoritate D. Thomæ ibi citata, vbi loquens de eo, qui occulte tractant Civitatem tradere, vel nocumentum proximo inferre ait 2. 2. quæst. 33. art. 7. *Et, quia ille, qui sic occulte peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denuntiationem, vt huiusmodi nocumentum impediatur; nisi forte aliquis existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire*: Ergo, cum ibi loquatur de denuntiatione iudiciali, tenendum est; deberi talia delicta Superiori vt iudici denuntiari. ¶ Secundò probatur ex propositione quinta damnata ab Alexandro VII. vbi enim prohibetur, quod: *Quamvis tibi evidenter constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Ergo, cum alia delicta sint in damnum commune, sicut, & est hæresis, & si tibi tantum sint nota, debes ea Iudici denuntiare. ¶ Tertiò: Denuntiatio in prædicto casu facta non tam tendit ad punitionem delicti, quam ad præcavendum damnum, quod minatur inferre, vel commu-

nitati, vel alicui innocenti: ergo, & si à te solo sciatur, denuntiare debes. Probatur consequentia exemplo impedimenti Matrimonij, quod denuntiare tenetur, quicumque illud sciat, antequam tale matrimonium contrahi attentetur: quia, licet, quando agitur de punitione rei non sufficiat vnus testis, bene autem, quando agitur de evitando peccato, aut animæ periculo, vel proximi damno: ergo, cum in nostro casu de evitando damno, & peccato agatur, idem dicendum est. Videantur à nobis dicta tract. 9. cap. 8. punct. 9. à num. 95. ¶ Quartò: Absurdum est dicere, non teneri Petrum, verbi gratia, ad denuntiandum eum, qui paratur Civitatem hostibus tradere, aut incendere, quando hoc delictum sibi tantum est notum; alias potius consuleret bono particulari, quam communi: ergo delictum occultum, pernitiosum alteri, denuntiandum est iudici, quando alia via non potest damnum imminens præcaveri.

Probatur ex Angelico Doctore.

105 Vltimò: Divus Thomas 2.2. q. 68. art. 1. in corpore ait, quod: *Hæc est differentia inter denuntiationem, & accusationem: quod in denuntiatione attenditur emendatio fratris, in accusatione autem attenditur punitio criminis. Pœnæ autem præsentis vitæ non per se expetuntur, quia non est hic vltimum retributionis tempus, sed in quantum sunt medicinales conferentes, vel ad emendationem personæ peccantis, vel ad bonum Reip. cuius quies procuratur per punitionem peccantium: quorum primum intenditur in denuntiatione: secundum quippe pertinet ad accusationem.* Hucusque Doctor Angelicus, ex quibus infert; non teneri accusare delictum contra bonum commune ille, qui probare non potest: ergo è contra denuntiare debet delictum contra bonum commune, & si probare non possit. Patet consequentia ex differentia, quam supra cap. 3. punct. 9. num. 94. dedimus, cum communi Doctorum sententia, inter denuntiantem, & accusantem, quod iste debet probare delictum, de quo accusat, eo quod est pars in iudicio petens; ille vero solum debet patefacere iudici crimen, quin ad eius probationem teneatur, vt constat ex cap. *Super his, de accusat.* ¶ Per quæ liquet ad rationes primæ sententiæ. ¶ Nec huic resolutioni inimica sunt, quæ diximus tract. 10. cap. 4. punct. 1. num. 4. ibi enim loquimur de accusatione, non vero de pura denuntiatione, inter quæ, vt vidimus ex D. Thoma, non modica est distantia. Videantur insuper à nobis dicta tr. 9. cap. 8. n. 98. & 99. & tract. 13. cap. 4. punct. 5. §. 4. Nostram resolutionem docent Villalobos tom. 2. *Summæ*, tract. 4. diffic. 11. num. 2. & 4. Læsius lib. 2. *de Iustitia*, cap. 30. dub. 2. Sanchez lib. 3. *de Matrimonio*, disp. 13. num. 2. Saa verb. *Denuntiatio.* Valentia disp. 3. q. 10. punct. 5. Sylvester verb. *Correctio*, Navarrus in cap. *Inter verba* 11. quæst. 3. corol. 6. n. 260. Palaus tract. 6. disp. 3. punct. 13. n. 10. N. Thomas à Iesu tract. 1. cap. 16. & tract. 2. cap. 9. num. 6. N. Lezana tom. 1. *Dub. Regularium*, cap. 27. num. 8. & N. Petrus ab Angelis *in Ordine iudiciali*, part. 1. cap. 7. num. 3. propè finem.

CAP. VIII.

De vitijs Charitati oppositis.

CUm Charitas respiciat Deum, vt obiectum primarium; & proximum, vt secundarium; hinc est, quod quædam sunt vitia, quæ opponuntur illi, pro vt tendit in Deum; & alia, pro vt respicit proximum: quæ omnia, vt docet D. Thomas à quæst. 34. ad 44. sunt decem: primum *odium Dei, & proximi*, quod opponitur ipsi dilectioni: secundum *Accidia*, seu *Accedia*, quæ opponitur gaudio Charitatis, quod est de bono divino: tertium *Invidia*, quæ opponitur gaudio de bono proximi: quartum *Discordia*, quæ opponitur effectui Charitatis: quintum *Contentio*: sextum *Schisma*: septimum *Bellum*: octavum *Rixa*: nonum *Seditio*, quæ opponuntur paci quantum ad opus: & denique *Scandalum*, quod opponitur Charitati quantum ad beneficentiam. A quibus breviter nos expediemus: tum: quia pauca dubia implicant, & ad mores parum expectantia: tum: quia, vt nobis mos est, brevitati consulimus. Vnde hoc caput in quinque secamus puncta.

Punct. I. *De odio Dei, & proximi.* num. 1.
Punct. II. *De Accedia, Invidia, Discordia, Contentione, & Schismate.* n. 8.
Punct. III. *De Bello.* num. 16.
§. I. *Quid sit bellum, qui, & ob quam causam illud indicere possunt?* n. 16.
§. II. *An Princeps Catholicus possit in bello iusto contra alios Catholicos vocare in auxilium Hæreticos, aut Gentiles?* num. 32.
§. III. *Quibus, quomodo, & quando liceat bellare?* num. 39.
Punct. IV. *De Rixa, & Seditione.* num. 48.
Punct. V. *De Scandalo.* num. 50.
§. I. *Quid, & quotuplex sit scandalum, & quando committatur?* num. 50.
§. II. *De peccatis scandali contra Castitatem.* num. 59.
§. III. *Deciduntur alij casus circa inductionem ad alia peccata.* num. 76.

PUN-

PUNCT. I.

De odio Dei, & proximi.

Quid sit odium Dei.

1 PRimum peccatum oppositum Charitati, vt ex Divo Thoma vidimus, est odium Dei, & proximi; & ideò de illo primum nobis agendum est. Igitur odium Dei duplex est; aliud generale inclusum in omni peccato mortali, cum per illud peccator avertatur à Deo vltimo fine, & convertatur ad creaturam: ac proinde non constituit specialem malitiam distinctam ab alijs peccatis per quæ transcendit: Aliud vero est speciale, & expressum, formaliter, & directè oppositum dilectioni Dei, & hoc constituit determinatam speciem peccati; potest que diffiniri, dicendo: *Odium est aversio à Deo, qua depravata voluntas illum detestatur, in quantum peccatorum prohibitor, & pœnarum inflictor.* Quæ diffinitio sumitur ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 34. art. 1. Et ratio illius est: quia, cum odium, vt ait Angelicus Præceptor 1. 2. q. 29. art. 1. sit motus, seu dissonantia quædam appetitus ad id, quod apprehenditur, vt repugnans, & nocivum; & Deus per essentiam sit ipsa bonitas, ac proinde incapax, vt odio in se visus habeatur, ideò odio habetur non secundum se acceptus, sed, secundum quod est causa aliquorum effectuum: at, quia aliqui eius effectus, vt sunt intelligere, & vivere, non possunt esse contrarij voluntati creatæ, quin potius ab omnibus semper amantur, & expetuntur; ideò Deus, etiam in quantum horum effectuum, auctor apprehenditur, nequit odio haberi. Cæterum, quia sunt aliqui effectus Dei, vt sunt *inflictio pœnæ, & prohibitio peccatorum per legem divinam*, qui inordinatæ voluntati peccantium repugnant; ideò, vt apprehenditur horum effectuum causa, potest ab aliquibus odio haberi. Vnde ex his verborum diffinitionis sensus clarè patet. Tota hæc doctrina ex Angelico Præceptore desumpta est. Quem sequuntur Caietanus, Bannez, Lorca dicta quæst. 34. Prado cap. 15. quæst. 1. §. 2. Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 8. art. 1. Palaus tract. 6. disp. 4. punct. 1. num. 1.

Dividitur odium Dei.

2 Hoc ergo odium formale Dei est duplex, abominationis scilicet, & inimicitiæ. Primum est, quando ipsum Deum odimus, desiderando, vt non sit. Secundum, quando ex tali abominatione optamus illi aliquod malum. Ita citati Auctores: qui omnes etiam docent cum Divo Thoma art. 2. esse prædictum odium Dei omnium gravissimum peccatum, cum opponatur præstantiori virtuti, scilicet Charitati secundum primarium illius actum, nimirum dilectionem Dei: & insuper dici peccatum in Spiritum Sanctum; cum ex certa intentione sit contra divinam bonitatem. Ita Divus Thomas ad 1. arg. Ex quibus oritur, quod nequeat esse hoc peccatum leve ex parvitate materiæ: quia quodcumque malum, quod Deo vellis, gravissimum est. Sic Torre 2. 2. disp. 91. dub. 1. Bonac. disp. 3. quæst. 4. punct. vltimo, n. 3. Layman lib. 2. tract. 3. cap. 8. num. Bassæus verb. *Odium*, n. 3. Palaus loco citato num. 3. Prado cap. 15. q. 1. §. 2. num. 9. & alij communiter.

Quid, & quale peccatum sit odium proximi?

3 Odium vero proximi est *formalis malevolentia, qua expresse proximo malum exoptamus.* Vnde, cum opponatur præcepto negativo Charitatis, non habendi odio proximum, est ex genere suo mortale peccatum; vt colligitur ex illo Ioan. cap. 3. *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* Cum quo tamen componitur, quod aliquando possit esse veniale, non solum ex imperfecta deliberatione, verum ex parvitate materiæ, vt, si quis exiguum damnum proximo exoptet. Quæ omnia, quia communia, & facilia sunt, amplius in eis non immoramur. Videantur Bonac. quæst. 4. punct. vltimo, num. 6. Toledo lib. de *Septem Capitalibus*, cap. 70. Reginaldus lib. 17. cap. 10. sect. 11. num. 109. Prado loco citato, num. 17. Palaus num. 4. Trullench lib. 1. cap. 16. dub. 2. num. 4. ¶ Sed notare hic libet: quod non semper est illicitum desiderare malum proximo, sed aliquando esse poterit honestum. Quare conveniunt Doctores: licitum esse desiderare malum proximo, ob amorem maioris boni, verbi gratia, ob bonum spirituale illius, vel ob bonum temporale Reip. quia sic ordo Charitatis exigit. Sed de his late egimus tract. 20. cap. 13. punct. 5. num. 45. & vltra ibi relatos videantur Trullench lib. 1. cap. 6. dub. 2. à num. 9. Prado cap. 15. quæst. 1. à num. 22. & alij.

Odium Dei, & proximi distinguitur specie, imò & genere.

4 His stabilitis: Rogabis primò: An odium proximi distinguatur specie ab odio Dei? Respondetur affirmativè; cum odium Dei, vt tale, directè offendat divinam Maiestatem, odium vero proximi tantum indirectè, & directè offendat vnice bonitatem creatam; quod sat est, ad refundendam distinctionem specificam inter talia peccata; imò & genericam; cum habeant obiecta etiam ex genere diversa. Ita Caietanus 2. 2. quæst. 34. art. 6. Bonac. num. 6. Palaus n. 5. Trullench num. 2. ex locis citatis. Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 8. art. 5. num. 2. qui optime advertit, quod, si odium proximi sit propter Deum, est eiusdem speciei cum odio Dei, cum tunc ratio motiva odij sit ipsa divina Maiestas.

Aliqui sentiunt odia distingui in specie iuxta eorum obiecta, aut mala, ad quæ terminantur.

5 Maior tamen difficultas est circa odia, erga proximum: An scilicet, talia odia distinguantur iuxta diversitatem malorum, quæ proximo exoptantur? Ad quam Palaus disp. 4. punct. 1. citato, num. 7. allegans Suarez, & Coninch. quibus ex parte adhæret Trullench cap. 5. dub. 2. num. 5. in fine respondent, affirmando; non omne odium proximi esse eiusdem speciei, sed plures sub se species continere; ac proinde explicanda esse in confessione, quæ mala proximo exoptantur. Et moventur primò: Quia inferre proximo iniuriam in vita, differt specie ab iniuria illata in fama: ergo odia, quibus exoptas hæc mala illi, etiam differunt in specie. ¶ Secundò: Velle proximo æternam mortem quis negabit esse peccatum specie diversum ab eo, quod committitur desiderando illi amissionem status, aut bonorum; cum bonitates sint diversæ spe-

ciei : ergo odia proximi distinguntur iuxta diversitatem malorum, quæ illi exoptantur.

Vera est sententia cõtraria.

6 Sed verior est sententia, negans, talia odia inter se specie morali distingui. Ita Caietanus 2. 2. quæst. 34. art. 6. ad 3. Bannez ibi: dub. 2. Ledesma 2. part. *Summæ*, tract. 3. cap. 6. conclus. 8. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 4. punct. vltimo, §. 1. num. 10. Lugo. de *Pœnitentia*, disp. 16. sect. 5. à num. 259. Prado loco citato, §. 4. num. 27. & Tap. lib. 3 quæst. 8. art. 5. num. 3. Et probatur primo: quia, vt diximus tract. 6. cap. 8. punct. 4. & tract. 20. cap. 12. punct. 5. §. 2. num. 41. Omnia furta, vel detractiones, aut contumeliæ sunt eiusdem speciei, esto fiant per media specie diversa; & hoc non alia ratione, nisi quia conveniunt in *lædendo* proximum in bonis fortunæ, fama, aut honore: ergo, cum omnia mala, quæ proximo exoptantur, conveniant in ratione *formalis malevolentiæ*, conveniunt in ratione odij, & sunt eiusdem speciei. ¶ Confirmatur 1. & explicatur. Si quis infamet proximum, dicendo esse ebrium, furem, lascivum, &c. non committit peccata specie diversa detractionis: quia illa peccata conveniunt in iniusta ablatione famæ: & similiter omnia beneficia in ratione boni, reducuntur ad eandem speciem beneficentiæ, seu Charitatis: ergo omnia mala, quæ quis proximo exoptat, sive sit mors spiritualis, sive temporalis, vel infamia, aut paupertas: & cum conveniant in eo, quod sint mala proximo exoptata, ad vnicam speciem odij reducuntur; quia cadunt sub eadem ratione *mali exoptati*, *seu voliti*. ¶ Confirmatur secundò: Ad eandem Invidiæ speciem pertinet, tristari de proximi bono, sivè hoc sit salus, sivè vita, sivè scientia, sivè divitiæ, &c. ergo ad eandem odij speciem pertinet, proximo exoptari quodcumque malum, sivè sit mortis, sivè infamiæ, sivè ægestatis. Confirmatur tertiò ex Bannez 2.2.q.34. art.6. dub.2. concl.3. *Quoniam, qui vult furari, vt mæchetur, & vult occidere, vt mæchetur, non differt formaliter specie, quamvis furtum, & homicidium specie differant alias; sed tamen respectu illius actus voluntatis non differunt specie: ergo similiter, cum voluntas odij imperet actus differentium vitiorum, poterit esse eiusdem speciei ille motus voluntatis.*

Fit satis rationibus cõtrarijs.

7 Ex his iam liquet ad argumenta. Ad primum concesso antecedenti, negatur consequentia: quia iniuriæ occisionis, & detractionis, habent obiecta specie morali diversa, nec adunantur in vnica ratione specifica, sed ad summum generica; ac proinde specie distinguntur; quod è contra accidit in odio nude sumpto, vbi adunantur mala sub ratione odij proximi: quod quidem verificatur, quando inefficaciter exoptantur mala proximo; quia, cum tunc sit peccatum consumatum interius, non diversificatur per mala volita inefficaciter. At vero, si desiderium hoc non fuerit simplex, hoc est, sine intentione influendi in eorum executionem; sed potius efficax, consiliando, aut ponendo media ad ea exequenda; tunc talia desideria, & consequenter odia, sumunt diversitatem specificam à malis desideratis, & secundum eorum speciem distinguntur, debent que in confessione aperiri, dicendo: *Odivi proximum exoptando efficaciter illi mortem, infamiam, amissionem bonorum, &c.* Sed tunc iam non est nudum odium proximi, de quo est præsens quæstio. Ergo, esto odia efficacia proximi, seu, quibus proximo mala aliqua exoptamus efficaciter; illius mortem, infamiam, &c. vel consiliando, vel exercendo, sint diversæ speciei, non tamen illa, quibus prædicta mala desideramus inefficaciter. Per quod patet ad secundum vt intuenti constabit. Videantur Bonacin. disp. 3. citata, quæst. 5. punct. vltimo, §. 1. num. 10. Lugo de *Pœnitentia*, disp. 16. sect. 5. §. 3. numer. 260. Diana 1. part. tract. 7. resol. 30. & Coordinatus tom. 1. tract. 7. resol. 18. num. 3. & resol. 36. Prado cap. 15. quæst. 1. num. 30. Lorca 2. 2. quæst. 34. art. 3. num. 3. ¶ Hic quari solet à DD. An odium in Parentes, à vos, &c. vxorem, filios, & fratres, vel insignes benefactores, & Prælatos Ecclesiasticos, sit circunstancia specie diversa, & in confessione explicanda? Affirmativè resoluimus tom. 1. tr. 6. cap. 8. punct. 4. num. 82. videantur ibidem dicta.

PUNCT. II.

De Acedia, Invidia, Discordia, Contentione, & Schismate.

Quid sit Acedia?

8 SEcundum vitium charitati oppositum est *Acedia*, vel *Accidia*, quæ dupliciter sumi potest, scilicet: generaliter, & specialiter. Primò modo sumpta; sic diffinitur: *Est tristitia de bono spirituali.* Secundò modo accepta, diffinitur sic: *Est tristitia de bono divino, de quo Charitas gaudet.* Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 34. art. 1. & 2. in fine. Sed, quia bonum divinum consistit in amicitia inter Deum & hominem, & consequenter, in colloqui, & convivere cum Deo; hinc oritur; quod, cum quis considerans statutum sibi esse, vt sit domesticus Dei, & conscivis Sanctorum, accipiat hinc tristitiam, proprie peccat peccato accidiæ. At vero, si quis tristatur de ieiunio ob illius molestiam; de consilijs Religionum ob eorum difficultatem; de restitutione ob amorem divitiarum, peccat solum peccato accidiæ generalis, quæ reducitur ad illam speciem peccati, cuius esset, omissio illius boni spiritualis, de quo tristatur. Vnde aliquando erit peccatum mortale, aliquando veniale iuxta qualitatem materiæ, de qua quis tristitiam capit. ¶ Cæterum *Acedia specialis*, nisi ex defectu pleni consensus, semper est mortale peccatum, cum cedat in gravissimam Dei iniuriam, & opponatur præcepto gaudij, de quo Apostol. ad Philip. 4. *Gaudete in Domino semper*, quod gaudium de bono divino est secundus actus Charitatis, & ideo Acedia illi oppositа, est vitium obtinens post odium, locum immediatum in gravitate. Hoc ergo peccatum Acediæ, specialiter sumptæ, secundum Divum Gregorium lib. 31. Moral. cap. 17. &

Di-

Divum Thomam 2. 2. quæst. 35. art. 4. est vitium capitale, cum ex ea iuxta prædictos Sanctos sex filiæ oriantur, scilicèt: *Desperatio, Pusillanimitas, Torpor circa præcepta, rancor, malitia, & evagatio circa illicita.* Quæ omnia communia sunt: nihilominus videatur Div. Thomas quæst. citata, qui hucusque dicta late docet, quem sequntur eius expositores: & insuper Ledesma 2. part. tr. 3. cap. 8. N. Antonius à Spiritu Sancto tom. 3. *Directorij Confessorum*, tract. 2. disp. 3. sect. 4. Bonacin. disp. 3. de *Charit.* quæst. 4. punct. vltimo, §. 3. Et etiam Illustrissimus Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 9. Prado cap. 15. quæst. 2. Palaus tract. 6. disp. 4. punct. 3. & Coninch disp. 50. num. 1.

Diffinitur Invidia, & quibus modis contingat, declaratur.

9 Post Acediam sequitur Invidia, quæ iuxta Divum Thomam 2. 2. quæst. 36. art. 1. *Est tristitia de bono alterius existimato vt malo proprio, in quantum est diminutivum propriæ gloriæ, vel excellentiæ.* Pro cuius intelligentia nota ex eodem Doctore Angelico art. 2. quod quadrupliciter (alijs omissis apud Palaum punct. 2. num. 2.) potest quis tristari de bono alterius. Primò: Cum aliquis dolet de bono alterius, in quantum ex eo timetur nocumentum sibi, vel alijs futurum; & talis tristitia non est Invidia, nec peccatum, sed timor: vnde evenire plerumque solet, ait Divus Gregorius lib. 22. Moralium: *Vt non omissa Charitate inimici nos ruina lætificet, & rursus eius gloria sine invidiæ culpa nos contristet, cum ruente eo, quosdam bene eregi credimus, & proficiente illo, pleros que iniuste opprimi formidamus.* ¶ Secundò tristatur aliquis de alterius bono, non quia illud habet alter, sed quia sibi deest: & hæc tristitia dicitur zelus, aut æmulatio iuxta illud 1. ad Corinth. 14. *Æmulamini spiritualia*: Et tunc est bona: si vero sit circa temporalia, est indifferens ad bonum, & malum. ¶ Tertiò; tristari aliquis potest de bono temporali alterius, in quantum est eo indignus; & hæc tristitia, licet à Philosopho 2. Rethor. cap. 9. vocetur *Nemesis*; at à D. Thoma reprehenditur: cum non attendens ad æterna, plus æquo temporalia magnificet, quæ comparatione illorum floci æstimantur. ¶ Quartò; tristatur aliquis de bonis alterius, in quantum alter excedit ipsum in bonis, ex quo quidem apprehendit sua bona diminui comparatione ad ea, quæ possidet alter, quem vellet saltem adæquare: & hæc sola tristitia est propriè invidia. ¶ Ex quibus constat in quo Invidiæ essentia consistat, & his manet explicata diffinitio eius supra tradita. Deinde etiam liquet, quod talis Invidia versatur inter eos, qui non multum inter se distant: nullus enim studet se æquare, vel præferre in gloria his, qui sunt multo maiores: insania omnibus nota est, quod plebeius vellet in divitijs, & gloria Regi adæquari. Dicta docent Divus Thomas 2. 2. q. 36. art. 1. & 2. Ledesma 2. part. *Summæ*, tract. 3. cap. 9. Prado cap. 15. quæst. 2. §. 2. Tapia tom. 2. lib. 3. quæst. 10. art. 1. N. Antonius loc. cit. sect. 3. Bonacina disp. 3. quæst. 4. punct. vltimo, §. 2. num. 4. Palaus loco citato. Coninch. disp. 30. dub. 2. num. 20. & alij.

10 Invidia ex genere suo est peccatum mortale: & ratio est evidens. Etenim Invidia contrariatur Charitati, quæ gaudet de bono proximi, de quo invidia tristatur; sed vitium oppositum Charitati ex genere suo est mortale: ergo Invidia est ex genere suo peccatum mortale. Et ita dicitur Iob. 5. *Parvulum occidit invidia.* ¶ Potest nihilominus esse veniale; tum ex defectu consensus; tum ob parvitatem materiæ; quando de illa vt formaliter parua tristaris: cæterum, si quis tristaretur de bono alterius levi eodem modo, ac si tristaretur de gravi, tunc læthalis esset talis invidia. ¶ Nota hic: Invidiam esse peccatum capitale; cum, vt docet D. Thomas ex ea oriantur alia vitia, scilicet *Odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, & afflictio in prosperis.* Et licet innanis gloria gignat Invidiam, hoc non est contra essentiam vitij capitalis, quæ tantum consistit in eo, quod ex illo alia pullulent, non vero quod ipsum innascibile sit. Videantur D. Thomas ad primum, & Doctores supra citati.

Invidia ex genere suo est peccatũ mortale, & est vitium capitale.

11 Nota etiam cum D. Thoma 2. 2. q. 36. art. 4. ad 2. duplicem specie diversam esse Invidiam. Alia, quæ tristatur de bonis humanis, & naturalibus proximi, vt de *honore, divitijs, &c.* quæ dicitur *Invidia humana*, & sub se non continet diversas species, quamvis sit circa diversa bona humana; quia omnia illa respicit sub vnico motivo; quatenus, scilicet, diminuunt gloriam propriam invidentis, & huius mala existimantur. Alia est Invidia, quæ est tristitia de bonis gratiæ alterius, & hæc appellatur *Invidia fraternæ gratiæ*. De qua agit Divus Thomas quæst. 14. art. 2. & in hac quæst. 36. art. 4. ad 2. & Caiet. ibi. ¶ Sed insurges contra hanc divisionem Invidiæ. Nam que ad eandem speciem Odij pertinet exoptare proximo malum, sivè naturale, sivè supernaturale: ergo ad eandem speciem Invidiæ pertinebit tristari de bono proximi, sivè naturali, sivè supernaturali. ¶ Sed negamus consequentiam: siquidem obiectum odij est malum proximo exoptatum, *quatenus malum est illi*: vnde, quodcumque malum sit, sivè naturale, sivè supernaturale appetitum proximo, ab vnico in specie odio attingitur. Obiectum vero Invidiæ *fraternæ gratiæ* non est tristitia, aut dolor de bono spirituali proximi, præcisè quatenus bonum est illi; sed etiam secundum quod: *Aliquis* (ait D. Thom. loc. citato ad 2.) *dolet de ipso augmento gratiæ Dei:::::: vnde per hanc Invidiam homo quodammodo invidet Spiritui Sancto, qui in suis operibus gloriatur.* Ac per consequens hanc enumerat quæst. 14. art. 2. Doctor Angelicus inter species peccati in Spiritum Sanctum. Vnde non mirum quod distinguatur ab *Invidia humana*, quæ tristatur præcisè de bonis alienis ordinis naturæ, vt *de honore, divitijs, &c.* illa vero de ipso bono divino, *vt creaturis communicato.*

Dividitur Invidia, & solvitur quædam replica contra eius divisionem.

12 Quartum vitium oppositum Charitati est discordia, quæ nihil aliud est quam: *Cordium divisio, & dissensio voluntatum à bono divino, & proximi, in quo debet consentire.* Ita D. Thomas quæst. 37. art. 1. Vnde, cum contrarietur Charitati, quæ corda multorum co-

Quid sit Discordia.

coadunat, ex genere ſuo eſt mortale : quare dicitur Proverbiorum 6. *Sex ſunt, quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima eius:::: eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Sed nihilominus aliquando ex defectu deliberationis, & ex parvitate materiæ eſt veniale. Videantur Auctores num.9. citati.

Quid ſit cõtentio?

13 Quintum eſt *Contentio*, quæ diffinitur ſic: *Eſt concertatio verborum inordinata ad impugnandam veritatem.* Vel, vt ex Divo Ambroſio ait Divus Thomas quæſt. 38. art.1. *Contentio eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.* Vnde, dum quis veritatem agnoſcens, eam impugnat, mortaliter peccat. Quare Apoſt. 2. ad Thim. 2. prohibet hoc vitium illis verbis: *Noli verbis contendere.* At, ſi contentio ſit impugnatio falſitatis cum debito modo acrimoniæ : vel etiam ſi ſit veritatis, diſputationis tamen gratia, vt accidit in ſcholis, erit laudabile : & ad ſummum ſi excedatur in modo, & alias non ſit periculum contumeliæ, gravis confuſionis, aut triſtitiæ proximi, erit veniale. Videatur Divus Thomas loco citato, & Caietanus. Ledeſma tract. 3. cap.9. Palaus punct.4.& alij. ¶ Sed hic ſubticere non poſſumus modum Concilij Tridentini quem obſervari ab omnibus præcipit in publicis diſputationibus, vt omni petulantia ſecluſa, finis optatus veritatis conſequatur; & ita quæ fugienda ſunt fugiantur, & quæ probanda ſunt, probentur. *In ſententijs vero dicendis* (ait ſeſsione 2.) *iuxta Toletani Concilij ſtatutum in loco benedictionis confidentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat, aut immoderatis vocibus præſtrepere, aut tumultibus perturbare; nullus etiam falſis, vanis ve, aut obſtinatis diſceptationibus contendere: ſed quidquid dicatur, ſic mitiſsima verborum prolatione temperetur, vt nec audientes offendantur, nec recti iudicis acies perturbato animo inflectatur.* Si ergo hæc obſervanda præcipit Sancta Synodus in controverſijs Fidei, & morum, quanto magis ſervanda erunt in alijs parui momenti, in quibus floci interſt ad Eccleſiæ mores, animarum que ſalutem, quod hæc, aut illa ſententia amplectatur; vt nunc deploramus, videndo, acriter inſudare Theologorum ingenia in aliquibus Scholaſticis quæſtionibus diſſerendis, & reſolvendis, quas, & ſi prælo premantur, nihil ſucci extorques. Quare omnes ſcire debent argumentorum, & rationum vim in clangoribus, & corporis motibus non conſiſtere, ſed in modeſtia, & pondere verborum vnice inveniri.

Quid ſit Schiſma, & quæ pœnæ ſint contra Schiſmaticos?

14 Sextum eſt *Schiſma*, quod: *Eſt ab vnitate Eccleſiæ voluntaria ſeparatio.* Ita D.Thomas 2. 2. quæſt. 39. art.1. Caiet.ibi. Sylveſter verb. *Schiſma.* Navarrus in Summa, cap. 27. num.67. Ledeſma tract.3.cap.12. Ex qua diffinitione conſtat; omnem hæreticum eſſe Schiſmaticum; non autem è contra; cum hæreticus ſeparetur ab vnitate Eccleſiæ : Schiſmaticus vero poteſt eſſe ſine aſſenſu contra fidem, credendo omnibus veritatibus Fidei Catholicæ, cum ſola voluntate ſeparandi ſe ab vnitate Eccleſiæ; & talis dicitur purè ſchiſmaticus. Sed licet metaphyſice loquendo, hæc ita ſint, tamen moraliter ſemper huiuſmodi Schiſmatici habent aliquam hæreſim coniunctam, vt recte ab Eccleſia receſsiſſe videantur. Sic Divus Thomas ad 3. Sanchez lib. 2. *Decalog.* cap. 36. à num. 1. Palaus tract. 6. diſp. 4. punct. 5. Tapia lib. 3. quæſt. 12. art. 1. Bonac. diſp. 3. quæſt. 4. punct. vltimo, § propoſit. 1. & 2. & alij communiter. Qui omnes addunt, Schiſma eſſe graviſsimum peccatum; cum ſcindat vnitatem Eccleſiæ, eam ſeparando à capite, quam Charitas conſtituit, ac proinde incapax, vt aliquando ſit veniale ex levitate materiæ. ¶ Pœnæ ab Eccleſia contra Schiſmaſticos impoſitæ ſunt. Prima : Excommunicatio maior ipſo facto incurrenda, vt habetur in clauſula prima Bullæ *Cœnæ Domini.* Secunda : Privatio ordinis (ſcilicet licita) & iuriſdictionis. ¶ Tertia : Inhabilitas ad beneficia in poſterum habenda. Ex cap. *Quia diligentia, de electione.* ¶ Quarta : Eſt ſuſpenſio Ordinis à Schiſmaticis ſcienter recepti: Ex cap. 1. & 2. *de Schiſmaticis.* ¶ Quinta: Irritatio beneficiorum ab eis collatorum : Ex cap. 1. *de Schiſmaticis.* ¶ Sexta : Suſpitio vehemens hæreſis. Ita Pegna 2.part. *Directorij Inquiſitorum*, quæſt. 48. commentar. 13. Farinacius *de hæreſi*, quæſt. 184. num. 13. ¶ Septima pœna eſt, eſſe ſubiectos iudici Eccleſiaſticico, vt eos puniat carcere, vel triremibus, aut alia digna pœna. Pro his videantur vltra citatos : Bonacina, Sanchez. Et inſuper Valentia diſp. 3. quæſt. 15. part. 3. Tapia art. 2. quæſt. 12. Ledeſma 2. part. tract. 3. cap. 12. concl. 10. Sylveſter verbo *Schiſmatici.* Navarrus *in Manuali*, cap. 27. num. 57. Azor 1.part. lib.8. cap.20. & alij.

An, dum ſunt ſimul plures Papæ ſint omnes ſchiſmatici? Et an Pontifex rite electus poſsit eſſe ſchiſmaticus?

15 Sed hic rogabis : An quando in Eccleſia inſurgunt plures Summi Pontifices, omnes ſint Schiſmatici, & quid debeant tunc facere fideles? Huic difficultati reſpondetur; quod ſi contra certum Pontificem alij poſtea inſurgunt Pontifices, omnes iſti, & eorum ſequaces ſunt Schiſmatici : at, ſi nullus ſit rite, & certo in Pontificem electus, ſed de omnibus æqualiter dubitetur, omnes tenentur cedere, & conari ad vnius capitis deſignationem: quod, ſi hoc renuant, & pertinaciter perſiſtant, erunt omnes vere, & realiter Schiſmatici, Deo que reddent rationem villicationis ſuæ, & damni inde Eccleſiæ provenientis. Videantur acta Concilij Conſtantienſis. Et in hoc caſu docent Illuſtriſsimus Tapia, & doctiſsimus Ledeſma cum Caietano, fideles tunc nullum ex illis debere vt Pontificem habere, cum exponantur periculo errandi, ſed tantum crederi, ſe eſſe membra Eccleſiæ Catholicæ, cuius caput principale eſt Dominus Ieſus-Chriſtus. ¶ Si vero hic aliquis inquirat : An Summus Pontifex rectè electus, poſsit eſſe Schiſmaticus? Reſpondetur affirmativè cum Ledeſma, Caietano, & Bannez 2.2. quæſt.38. Et ratio eſt evidens : Siquidem Summus Pontifex poteſt eſſe hæreticus, quin eo ipſo Pontificatum amittat, vt tenent aliqui : ergo & Schiſmaticus, cum omnes hæretici ſint Schiſmatici. Quare dicunt Auctores ſupra relati, quod, ſi Pontifex nollet communicare cum Eccleſia, aut vellet Schiſma aliquod protegere, & non evellere ab ipſa Eccleſia, tunc eſſet Schiſmaticus.

PUNC.

PUNCT. III.

De Bello.

PLures difficultates morales in præsenti discutiendæ se offerunt, tam circa bellum, quàm circa alia vitia charitati opposita; vnde aliquantulum plus solito in earum explicatione immorabimur.

§. I.

Quid sit bellum; qui, & ob quam causam illud indicere possint?

Quid sit bellum, & sub quibus conditionibus licitum?

16 CUm bellum sit oppositum paci charitatis, ideò D. Thomas inter vitia illi contraria agit de bello 2.2. quæst. 40. & ex eius doctrina sic definiri potest: *Bellum est dissidium quoddam inter Principes, ad pugnam ordinatum, multitudine armata.* Quæ definitio communiter admittitur à Doctoribus, & eius bonitas ex dicendis in hoc puncto constabit. ¶ Quod autem bellum sit aliquando licitum, si debitis circunstantijs fiat, constat ex Sacra pagina, vbi plura bella fuerunt à Deo laudata, & imperata, vt videre est in cap. 14. Genes. Regum 1. 15. & Numer. 25. & alibi sæpe. ¶ Quæ autem sint circunstantiæ, & conditiones, vt bellum licitè fiat, assignat D. Thomas loco cit. art. 1. his verbis: *Dicendum, quod ad hoc, quod aliquod bellum sit iustum, tria requiruntur. Primò quidem auctoritas Principis, cuius mandato bellum est gerendum.* Vnde si aliquis sine Principis mandato convocet multitudinem armatam ad gerendum bellum, erit illicitum. ¶ *Secundò requiritur causa iusta, vt scilicèt, illi, qui impugnantur propter aliquam culpam impugnationem mereantur.* Quia cum bellum sit sententia, absque iusta causa nec proferri, nec executioni mandari valet. ¶ *Tertiò requiritur, vt sit intentio bellantium recta, qua scilicèt intenditur, vel, vt bonum promoveatur, vel, vt malum vitetur.* Sub qua conditione comprehenditur, quod non exerceatur nimia crudelitate, sævitia, devastatione, & religionis irreverentia. Cum his ergo circunstantijs bellum poterit multoties, non solum esse honestum, verum & obligatorium; vt, quando id exigit religionis, innocentis, & Reipublicæ iusta defensio. Hæc communia sunt, & cum Angelico Magistro tenent Doctores infra referendi: Quare ad difficiliora veniamus.

Soli Principes supremi possunt bellum indicere.

17 Rogabis 1. Qui sint Principes, qui bellum indicere possunt? Non loquimur in præsenti de bello defensivo, sed de offensivo; quia bellum defensivum pro vita, honore, & bonis, quilibet ex propria authoritate gerere potest; cum ius naturæ dictet, quod *vim vi repellere licet.* De hoc ergo bello offensivo dicimus, solos Principes supremos, vel Rempublicam, in temporalibus superiorem non cognoscentes, posse illud indicere. Et ratio est evidens: quia bellum est supremus actus iustitiæ vindicativæ: ergo ad solos supremos Principes attinet, illud indicere. Ita D. Thomas loc. cit. & ibi Caietanus, Bañez, & communiter alij Doctores.

Quædam illationes.

18 Ex quo sequitur 1. Sum. Pontificem posse bellum indicere, cum sit Princeps supremus non solum spiritualis, verum & temporalis. ¶ Sequitur 2. Episcopos non posse bellum indicere, cum non sint supremi Principes temporales. ¶ Sequitur 3. hac potestate carere Rempublicam imperfectam, & alios Principes non supremos. Vnde ex diversis legibus probat Solorçanus de *Indiar. iure*, lib. 3. cap. 7. num. 77. & cap. 6. num. 90. contrarium facientes esse reos læsæ Maiestatis. ¶ Sed licet hæc ita sint, aliquas tamen hæc doctrina patitur exceptiones. Prima, quando contrarium antiqua, & legitima consuetudine est introductum, & præscriptum; cum ius positivum consuetudine contraria abrogari possit. ¶ Secunda: quando in bello indicendo Princeps est nimis negligens, & alias necessitas valde vrget; quia Princeps tantum habet dictam potestatem in favorem, non vero in damnum Reipublicæ: ergo ex negligentia Principis recuperat potestatem bellandi Respublica, quam in illum transtulerat; maximè in bello defensivo, quale iam tunc esset, & cuilibet licet. ¶ Tertia: quando vrget necessitas, & ad Principem est difficilis recursus; quia tunc eius voluntas præsumitur. Ita docent Caietanus 2. 2. quæst. 40. art. 1. Ledesma 2. part. tract. 3. cap. 13. concluf. 3. & 4. Prado tom. 1. cap. 15. quæst. 4. §. 2. Tapia tom. 2. Cat. Moral. lib. 3. quæst. 13. art. 2. Coninch. disp. 32. dub. 3. à num. 60. Palaus tract. 6. disp. 5. punct. 2. Molina tract. 2. disp. 100. vers. *Victoria*, & alij.

Quæ sint causæ iustæ ad bellandū

19 Rogabis 2. Quæ, & qualis debeat esse iusta causa bellandi? Respondetur, esse multiplicem. Prima est defensio propria, aut innocentis; quia ad hoc ius naturale movet. ¶ Secunda vindicare iniuriam acceptam; cum tunc offendens efficiatur reus, & Princeps supremus eius iudex. ¶ Tertia, recuperatio bonorum, quæ iuste debentur, & ab alio possidentur iniuste. Has omnes causas communiter admittunt Doctores; sequentes vero non ab omnibus approbantur, scilicèt violatio fœderis initi in rebus magni momenti; occupatio alicuius Civitatis; subditorum rebellio, publica in Principem, vel in subditos contumelia; quando negatur Principi id, quod iure naturali, vel gentium debetur; vt si præbeatur auxilium ad iniuste contra illum præliandum; vel denegetur transitus innoxius, & necessarius per aliena dominia: Dixi *innoxius*, quia si milites noceant, iuste negari potest: cæterum; quia communiter nocent, vel proximum nocendi periculum adest, dum armati transeunt, ideo sæpe armatis similis transitus denegatur. Ita Molina tract. 2. disput. 140. Bonacin. disp. 2. *de restit.* quæst. vltim. §. 2. Villalob. tract. 5. difficult. 4. à num. 8. Trullench. lib. 5. cap. 2. dub. 3. Diana 6. part. tract. 4. resol. 3. Palaus disp. 5. cit. punct. 3. num. 3. Prado quæst. 5. cit. num. 2. Tapia loc. cit.

cit. art. 3. Aliam causam adduximus supra cap. 3. punct. 2. scilicet, si impediatur fidei prædicatio, circa quam videantur ibi dicta.

Opinio docens, posse Principem ex opinione probabili inferre bellũ.

20 Rogabis tertiò: An Princeps habens opinionem probabilem, quod aliquod Regnum ad eum pertineat, possit alteri Regi illud possidenti inferre bellum? Affirmant Rocaful *in Praxi Moral.* lib. 3. cap. 13. num. 131. & Ioann. Sanchez *in Select.* disp. 44. à num. *56.* loquendo *de opinione probabili iuris, non vero facti*, referens plurimos pro hoc modo dicendi, & inter eos Thom. Sanchez lib. *6.* Sum. cap. 33. Suarez *de Legib.* lib. 5. cap. 18. n. 20. & *de Fide*, tract. *de Bello*, disp. 13. sect. *6.* & alios asserentes; posse Regem indicere bellum, & expoliare Regno alium Principem, si habeat opinionem probabilem, quod sibi hoc fas est. Et eam opinionem absolutè tenent in casu opinionis probabilis, sivè iuris, sivè facti Azor tom. 3. lib. 2. cap. 7. quæst. 4. Filliuc. tom. 2. tract. 29. cap. 9. num. 183. Trullench lib. 5. *de Decalog.* cap. 2. dub. 3. num. 4. Escobar de Mendoza lib. 2. *Theolog. Moral.* probl. 19. Vincent. Candidus disquis. 17. art. 1. num. *6.* Diana 2. part. tract. 13. resol. 8. Franc. de Lugo 1. part. *de Curs. Prævij*, cap. 3. q. 11. n. 87.

Conclusio probatur.

21 Et moventur primò: Quia alij possunt expoliare possidentem, ex vi opinionis probabilis, vt fere communiter docent Doctores Probabilistæ: ergo licitum etiam erit Regi, alterum Principem Regno expoliare ex vi opinionis probabilis, cum deterioris conditionis non sit, quam cæteri homines. ¶ Secundò: Nam, qui habet ius probabile ad Maioratum, potest litem movere adversus possidentem: ergo etiam poterit Rex; & data sententia armis Regnum, aut Provintiam occupare, si Possessor resistat. ¶ Tertiò: Quia plures docent, posse dari bellum iustum ex vtraque parte ex vi opinionis probabilis, vt tenent Covarrub. *Reg. Peccatum*, part. 2. §. 10. num. *6.* Victoria relect. *de iure belli*, num. 37. Sanchez lib. *6. Sum.* cap. num. 7. Reginald. tom. 2. Prax. lib. 21. num. *98.* ergo licitum est in bello in ferendo, vti qualibet opinione practice probabili.

Illicitum est eũ sola opinione probabili inferre bellum.

22 Pro huius gravissimæ quæstionis decisione, quæ iudicio Patris Vazquez 1. 2. disp. *64.* cap. 3. dignissima est, vt à Theologis nostris exacte tractetur; cum ex ea pax, aut discordia inter Principes Catholicos dependeat; dicendum est: nullum Supremum Principem posse alteri inferre bellum cum sola opinione probabili. Primò: Quia nequit bellum aggressivum esse iustum, nisi quando fit invadenti certa iniuria; sed quando est opinio probabilis, non fit certa iniuria invadenti: ergo ex vi opinionis probabilis nequit esse iustum. ¶ Secundò: Quia nullus iudex potest ferre sententiam capitis, nisi probationes sint luce meridiana clariores, vt tenet communis Iurisperitorum sententia; & ideò dicitur in regula 11. de reg. iur. in *6. Cum iura partium sunt obscura, reo potius est favendum, quam actori.* Sed bellum aggressivum est sententia capitis, quam Rex invadens fert contra alterum Principem: ergo nequit ferri dicta sententia, seu bellum, cum sola opinione probabili, cum hæc non sit probatio luce meridiana clarior. ¶ Tertiò: Nam vt ait D. Augustinus epist. 207. *Bellare necessitatis, non autem voluntatis esse debet*; sed inferre bellum cum sola opinione probabili, potius est voluntatis, quam necessitatis: ergo cum ea sola inferre, illicitum est. ¶ Quartò: Quia vt docent NN. Salmant. Scholast. tom. 4. tract. 13. disp. 13. dub. 1. num. *9.* licet pro rebus minoris momenti liceret vti fundamentis probabilibus, non tamen pro inferendo bello, eiusque iustitia inquirenda; cum bellum sit res gravissima, communi que Regnorum bono maximè nocens, quapropter requirit summum studium, & curam adhibere ad veritatem iustitiæ certo cognoscendam: ergo bellum inferre cum sola opinione probabili est prorsus illicitum. Ita docent Vazquez 1. 2. disp. *64.* cap. 3. num. 11. Villalobos tract. 1. *Sum.* difficult. 17. num. *6.* Perez certam. 10. Scholast. num. 114. Victoria relect. *de iure belli*, num. 27. §. *Tertium dubium.* Montesin. 1. 2. disp. 29. quæst. 5. §. *6.* num. 222. Bañez 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 5. ad 4. Sotus lib. 3. *de Iustitia, & Iure*, q. *6.* Ioannes à S. Thom. 1. 2. disp. 12. art. 5. conclus. 2. vers. *Dico*, 2. Gallego *de Opin. prob.* dub. 18. Prado tom. 1. cap. 15. quæst. 5. num. 17. Tapia lib. 1. *Cat. Moral.* quæst. 8. art. 21. num. 2. N. Lezana tom. 2. *Quæst. Regular.* verb. *Bellum*; n. 4.

Respondetur argumẽtis sententiæ contrariæ.

23 Ad primam rationem dubitandi respondetur; quod licet ex opinione probabili posset quis expoliare aliquam privatam personam, de quo pronunc præscindimus, tamen nullus Rex potest vi, & armis à possessione Regni alium Principem deturbare. Et ratio differentiæ est: quia bellum est opus iustitiæ vindicativæ nimis rigidum, ex quo irreparabilia damna sequuntur Religioni, & bono communi; occiduntur enim innocentes, stuprantur virgines, incenduntur templa, & omnia denique devastantur; & ideò vt tale bellum licitum sit, requiritur, quod sit evidens ius ad Regnum possidendum. Videatur Montesin. num. 223. ¶ Ad secundam respondetur: esse magnam disparitatem inter indicentem bellum, & litem moventem ex iure probabili; quia in lite inter personas particulares manet adhuc inquisitio iuris, & iudicis sententia, ante quam possidens expolietur bonis; vnde litem movere, non est idem, ac sententiam proferre, & exequi, & sic sufficit ius probabile. At, indicere bellum, est non solum proferre sententiam, sed etiam illam executioni mandare: quare ad hoc, sicut in quolibet alio iudice, requiritur non probabilis, sed manifesta iustitiæ causa. ¶ Ad tertiam dicimus falsum omnino esse, dari bellum iustum ex vtraque parte ex opinionum probabilite; sed si aliquando datur bellum iustum ex vtraque parte, hoc non fit per se, sed ex invincibili ignorantia, qua vnus ignorat aliquid, quod alter certo novit; quæ ignorantia minime provenit ex opinionum probabilium contrarietate, vt docent Vazquez n. 16. & Bañez conl. 2. & Sylveira opusc. 2. resol. 16. quæst. 2. de quo videatur D. Augustin. lib. 19. *de Civit.* cap. 15. vbi ait, nullum esse bellum sine peccato, quoniam

niam licet iuste agatur, semper tamen pro contrario peccato dimicatur. Vnde semper supponit peccatum saltem materiale alicuius partis; vide etiam Abulensem in Iosue cap. 11. & Filliuc. tract. 29. cap. 9. num. 185.

Adversus possidentem nequit, iuxta aliques, bellum indicere Principes habens ius probabilius.

24 Rogabis quartò: An Rex cum opinione probabiliori, quod aliqua Provincia, seu Regnum ad se pertineat, possit illum possidenti bellum inferre? Negant Vazquez n. 13. Villalob. tract. 1. *Sum.* difficult. 17. num. 7. Salas tract. 8. disp. vnica, sect. 13. num. 120. Perez certam. 10. Scholast. n. 706. Montesin. 1. 2. disp. 29. quæst. 5. §. 6. num. 222. Palaus tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 7. n. 5. Tapia tom. 1. quæst. 8. art. 21. num. 2. & alij. Et probant primò: Nam Reges solum possunt indicere bellum ad depellendam iniuriam sibi manifeste illatam; sed quando solum habent sententiam probabiliorem de iure ad Regnum, possidens non illis infert manifestam iniuriam, sed probabilem: ergo non possunt illi indicere bellum. ¶ Secundò: Quia possidens nunquam cogitur rem possessam abdicare, vel cum alio dividere, nisi sibi manifeste constet iniusta retentio: ergo cum ex opinione probabiliori sibi manifeste non constet iniusta Regni retentio, nequit illud abdicare, seu dividere cum Principe habente opinionem probabiliorem de iure ad Regnum. ¶ Tertiò: Quia si in casu posito Regnum divideretur (vt contrarij volunt) cum habente ius probabilius contra consensum ipsius Regni, esset illi valde pernicioſum: ergo ad id possidens non tenetur. ¶ Quartò: Quia defendere iniuriam sibi probabiliter illatam armis, & bello, barbarum est: cum sit medium terribile, secum que afferens innocentium mortem, hominum captivitatem, virginum stupra, Religionis profanationem, & alia innumera mala; ac proinde nullæ personæ particulari id permittitur, etiam si ei fiat manifesta iniuria, vt dicunt Tapia num. 2. & Montesin. num. 230. ergo nec debet concedi Principi supremo, etiam si habeat ius probabilius de iniuria sibi illata. ¶ Quintò: Cum enim vterque Rex sit supremus Princeps, nequit vnius in alterum sententiam dicere, nec executioni mandare ex sola opinione probabiliori, cum alter non sit certo reus: ergo, &c. ¶ Denique: quia si vnus Rex ex consilio Senatus supremi credit probabilius, ad se pertinere tale Regnum; quis dubitat, quod alter Princeps ex consilio etiam sui Senatus, iudicavit ius probabilius habere ad illud retinendum; sed ius naturale nequit dictare, quod possit vtrumque hoc consilium executioni armorum vi mandari; alias ius Regni ex armis metiendum esset, quod barbarum est, sicut, & illa inscriptio in tormentis bellicis insculpta, *vltima ratio Regum*, ad dicta alludens: ergo in prædicto casu non est licitum, ex sola opinione probabiliori possidenti Regnum inferre bellum.

Contraria opinio.

25 Affirmant vero è contra Bañez 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 5. concluſ. 3. Ledesma part. 2. Sum. tract. 3. cap. 13. concluſ. 16. Prado tom. 1. cap. 15. quæst. 5. num. 17. alios referens, docentes: quod si Princeps habet ius probabilius ad Regnum, vel Ca-

strum aliquod, debet partem petere ab eo, qui possidet pro qualitate maioris opinionis; quod si alter dare noluerit, potest illi bellum indicere. ¶ Victoria vero relect. *de iure belli*, à num. 27. Suarez *de Charit.* disp. 13. *de bello*, sect. 6. num. 2. tenent absolutè, quod Princeps, cui probabilius ius favet, possit tentare Regnum possidere, & impedientem armis oppugnare. Et moventur primò: Quia in præsenti casu non est par causa possidentis, & non possidentis, sed potior est pro non possidente: ergo non est mirum, quod tunc non faveatur possidenti. ¶ Secundò: Si possidens nullam haberet verisimilitudinem, quod iuste possideat, teneretur totum Regnum restituere: ergo quando verisimilitudo ita atenuatur, vt licet sit aliqua pro possidente, tamen est maior pro altera parte, tenetur pro rata portione ei aliquid impertiri. ¶ Tertiò: Quia incredibile est, quod in tanto numero bellorum, quæ Reges Catholici hucusque inter se gesserunt, semper habuerint certitudinem de iustitia belli: ergo signum est, vsos fuisse opinione probabiliori, quæ in moralibus solet certitudo nominari. ¶ Denique: quia Reges sunt iudices supremi in omnibus causis, etiam criminalibus, quæ ad illos pertinent; sed quilibet iudex tenetur sequi sententiam probabiliorem in ferendis sententijs: ergo in ferenda sententia belli, possunt, & aliquando tenentur sequi sententiam probabiliorem, & eam exequtioni mandare.

Prima sententia amplectitur.

26 Sed his non obstantibus, licet hæc sententia sit satis probabilis speculative, probabilior tamen practice, magis que inter Christianos fovens pacem, est prima sententia: tum ob motiva ibi relata. Tum etiam: quia controversia, quæ inter opiniones versatur circa ius alicuius rei possidendæ, non potentia, & armis, sed Doctorum iudicio dirimenda est; barbarorum proprium est, melius ius regnandi in potentioribus armis constituere: ergo falsum est, quod hanc litem possit Princeps armis, & bello diffinire.

Argumentis secundæ sententiæ respondetur.

27 Ad primum argumentum dicimus: possessionem Regni ex opinione minus probabili (si possibile est, quod negamus, Regi possidenti videri suam sententiam minus probabilem) vincere, vel saltem adæquare maiorem probabilitatem alterius sententiæ, vt docent Theatrum Morale super proposit. 2. damnatam ab Innocentio XI. num. 7. & ibi Filguera, & Lumbier num. 96. vnde à possessione Regni nequit iuste medio adeò periculoso, & rigido ex vi dictæ maioris probabilitatis deturbari. Ex quo patet ad secundum cum par sit causa vtriusque. ¶ Ad tertium respondetur: non esse incredibile, tot Reges Catholicos, & pios in dictis bellis gerendis vsos fuisse non opinione probabiliori, sed certa scientia de iustitia belli, pro vt tunc ipsi ex consilio supremi Senatus existimabant. Si vero ex sola opinione probabiliori bellum inferebant, credendum est, operatos fuisse iuxta sententiam contrariam, quæ ipsis probabilior videbatur. ¶ Ad vltimum negatur antecedens, loquendo respectu alterius Principi supremi, vt ex immediate dicendis constabit.

Quis futurus est iudex in dirimendis Regum cõtroversijs.

28 Rogabis quintò: Quis debeat esse iudex diffiniens lites, quæ inter supremos Principes moventur? Respondetur: quod si duoPrincipes contendant de iure alicuiusProvinciæ, seu Regni, tenentur stare iudicio ipsius Regni Senatus. Et ratio est: quia controversia illa ab aliqua regula diffiniri debet; sed nequit esse alia regula, quam leges ipsius Regni, de quo est controversia, & earum interpres nullus est alius quam ipsum Regnum: ergo Principes litigantes iudicio Regni stare debent. Minor, in qua est difficultas, sic ostenditur: quia respectu supremi Principis, qualis v.g. est Rex Galliæ, aut Hispaniæ, nequit in his controversijs esse iudex Sum. Pontifex, aut Imperator, cum illis in temporalibus subditi non sint; alias, vnus nequit esse iudex respectu alterius ob eandem rationem: ergo solum esse debet ipsum Regnum. Et ita accidisse referunt Vazquez, & Villalobos in nostra Hispania tempore S. Vincentij Ferrer: tunc enim contendentes super Aragoniæ Regnum coacti sunt stare iudicio ipsius Regni. Quare ita docent Vazquez 1. 2. disp. 64. cap. 3. num. 69. Villalob. difficult. 17. num. 9. Palaus loc. cit. punct. 7. num. 7. Tapia lib. 1. quæst. 8. art. 21. num. 3. Nec obstat, quod sint supremi Principes, & nulli subditi. Nam hoc solum probat, quod possint iudices ordinarios recusare, si existimant suspectos, non vero, quod illorum iudicio stare non debeant, vel si isti illis non placent, iudices arbitri designandi sunt, & interim bellum moveri non debet. Et huc vsque dicta extendunt Palaus num. 9. Vazquez num. 18. & Ioann. Sanchez disp. 44. num. 56. ad casum, in quo nullus ex litigantibus Regnum possideat: quia tunc dicunr vel eligendos esse iudices arbitros, vel ab ipso Regno decidendam esse controversiam. Quinimò Salas sect. 13. cit. num. 128. addit vt probabile (nec improbat Palaus num. 10.) in casu positoRegnum manere liberum, posse que vel ad modum Reipublicæ exemptæ se gubernare, aut alium à litigantibus eligere. Et ratio est: quia cum ius incertum litigantes habeant, & alias dividere Regnum in grave damnum Reipublicæ cedat, videtur hanc loco illorum succedere, & liberam manere.

Milites subditi Regis & stipendarij possunt militare, dum sibi non cõstat de iniustitia belli.

29 Denique pro plena huius materiæ intelligentia rogabis; quàm notitiam de iustitia belli debeant habere milites, vt possint, & teneantur ex præcepto Regis militare? Respondetur primò: Quod si milites sunt subditi Regis inferentis bellum; vel si sint alienigenæ; tamen tam tempore belli, quàm pacis illius stipendijs degunt, tenentur obedire, & militare, quoties sibi iniustitia belli certo non constat. Et ratio est: quia bellum illatum à supremo Rege debet à subditis præsumi iustum, quoties contrarium non constat: ergo possunt, & tenentur ei obedire. ¶ Deinde: milites subditi sunt sententiæ Regis quasi executores; sed isti non tenentur examinare iustitiam sententiæ latæ; sed eam supponere debent: ergo, &c. ¶ Denique: quia hoc evidenter expresit D. Augustinus relatus in cap. *Quid culpatur.* à Gratiano 23. quæst. 1. his verbis: *Vir iustus si forte sub Rege homine, etiam sacrilego, militet, recte potest illo iubente bellare; si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est: ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Vbi vt vides S. Doctor solum exigit, vt miles licitè obediat Regi imperanti bellare, quod sciat bellum iniustum non esse. Ita Bañez 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 6. Molina tom. 1. de *Iustitia*, tract. 2. disp. 113. Salas tract. 8. disp. vnica, sect. 26. num. 266. Suarez de *Charit.* disp. 13. de *Bello*, sect. 6. num. 8. Villalob. tom. 1. tract. 1. difficult. 18. num. 1. Thomàs Sanchez lib. 6. Sum. cap. 3. num. 15. Palaus tom. 1. disp. 2. punct. 8. numer. 1. & alij.

Milites non subditi examinare debent iustitiã belli.

30 Respondetur secundò: Quod si milites non sint subditi, nec dicto modo stipendarij, nequeunt militare, nisi prius iustitiam belli examinent. Hæc conclusio, licet sit contra aliquos, quos refert Palaus n. 4. existimantes idem dicendum esse de militibus subditis, & non subditis; est tamen apud Doctores communior, & probabilior. Tum: quia tales milites non tam sunt executores, quàm inferentes sententiam belli; sed hi debent certificari moraliter de iustitia sententiæ inferendæ: ergo militare non valent, nisi prius iustitiam belli examinent. Tum etiam: quia gravissima damna ex bello oriuntur; sed nullus miles hæc inferre potest, nisi sibi moraliter constet, licitè, & iustè hæc posse exequi: ergo certificari debet de iustitia belli. Ita Caietanus 2. 2. quæst. 169. art. 2. ad 4. & in Sum. verbo *Bellum.* Ledesma tom. 2. Sum. tract. 3. cap. 13. concluf. 20. Villalob. difficult. 18. num. 4. Thomàs Sanchez loco cit. Molina disput. 114. & alij.

Quędam ex dictis inferuntur.

31 Vnde infertur primò: Quod esto milites probabiliter iudicent bellum esse iniustum, adhuc posse militare, quando sunt subditi Regis inferentis bellum. Quia, quando superior habet sententiam probabilem de iustitia præcepti, licite potest præcipere, & subditus obedire tenetur: ergo licet miles habeat opinionem probabilem de iniustitia belli, potest, & tenetur obedire Regi, si bellare imperet. Ita Suarez vbi supra sect. 6. num. 9. Salas num. 260. Palaus num. 2. Sanchez lib. 6. cap. 3. num. 12. & in hoc Cursu nos etiam docuimus tom. 4. tract. 15. cap. 6. punct. 6. num. 67. ¶ Infertur secundò: Quod adhuc in casu dubij de iustitia belli, potest miles subditus bellare. Et ratio est: quia licet illicitum sit cum dubio positivo operari, & Regi parere, tamen tenetur miles illud deponere per hoc, quod Rex ex consilio Senatus tale bellum vt iustum indixerit, præcipiat que vt milites bellum gerant: alias in magnum damnum Reipublice vergeret, si Rex omnes milites deberet certiores facere de iustitia belli, & si ob solum dubium de eius iustitia milites bellare recusarent. Ita Caietanus quæst. 169. art. 2. ad 4. Bañez 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 6. Sanchez Sum. lib. 6. cap. 3. num. 15. Ledesma tom. 2. Sum. tract. 3. cap. 13. concluf. 19. asserens esse commune inter Theologos, & Iurisperitos. Notat tamen cum Bañez; quod si milites

sint

sint superioris ordinis, qui admittuntur ad consilia belli, & se habent vt causæ principales, debent positive scire causam iusti belli; & idem asserunt de militibus, qui non sunt subditi, neque stipendarij Principis bellantis; quia hi cum dubio de iustitia belli peccant pugnando, cum sint liberi, & sponte periculo inferendi iniuriam, & grave damnum alteri Principi, se exponant.

§. II.

An Princeps Catholicus possit in bello iusto contra alios Catholicos vocare in auxilium Hæreticos, aut Gentiles?

Fœdus cum infidelibus contra Catholicos iuxta aliquos est licitum.

32 SEorsim hoc dubium differendum decrevimus, quia plura prolixiori examine digna continet. Circa quod prima sententia est affirmativa, & probatur primò: Quia fideles possunt in bello iusto infideles adiuvare: ergo è contra infideles possunt adiuvare fideles. ¶ Secundò: Licitum est in bello iusto vti auxilio bestiarum, v. g. Equorum, Elephantorum, &c. ergo & militum infidelium. ¶ Tertiò: Vt dicitur in lege *Vt vim 3. ff. de iust. & iur. Quod quisque ad tutelam sui corporis facit, iuste fecisse existimatur*; sed in præsenti Princeps ad sui corporis tutelam vtitur armis infidelium: ergo iuste facit. ¶ Quartò: Nam Abraham fœdus inivit cum Abner, Eschol, & Mambre Gentilibus, & in bellum secum duxit. Genes. 14. v. 13. Et Iudas Machab. cum Romanis 1. Machab. 8. & de alijs Principibus Christianis passim referunt Historiæ, fœdus cum Turcis, & Hæreticis iniisse: & his annis Romanorum Imperator vsus est contra Regem Catholicum Philippum V. & Christianissimum eius Avum Ludovicum XIV. auxilio Anglorum, & Batavorum: ergo licitum esse videtur, vocare in auxilium hæreticos contra Catholicos. Ita docent Valençuela tom. 1. consil. 99. num. 10. Salcedo *de Leg. Polit.* lib. 3. cap. 3. n. 23. Themudo tom. 1. decis. 89. n. 20. Farinac. *in Praxi*, q. 125. n. 90. & Aponte volum. 2. consil. 131.

Secunda sententia, vt absolute illicitum tenet huiusmodi fœdus cum Infidelibus.

33 Secunda sententia ait: ex se esse illicitum, inire fœdus, & vocare in auxilium belli iusti milites infideles, & hæreticos contra Principes Catholicos. Et probatur 1. ex 2. Paralipom. cap. 16. vers. 9. vbi Rex Asa, quia contra Regem Israel in auxilium vocavit Benadab Regem Siriæ, reprehenditur à Propheta Domini his verbis: *Stulte igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent*: ergo illicitum est tale fœdus. Secundò probatur. Nam Exod. 23. vers. 32. & cap. 34. vers. 12. dicitur filijs Israel: *Cave, ne vnquam cum habitatoribus terræ istius iungas amicitias, ne sint in offendiculum in medio tui. Non feries cum eis pactum*: ergo, &c. Tertiò: Paulus 2. ad Corinth. 6. vers. 14. ait: *Nolì iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem coniunctio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* Ergo absolute tale pactum, & fœdus vt illicitum à divina Scriptura damnatur. Quartò: Coniunctio cum Hæreticis, & Gentilibus ex se fideles inficit, & contactu nocet, cum Hæresis, & Paganismus serpant vt cancer: ergo ex se illicita est. Ita Calixtus Ramirez *de Lege Regia*, §. 26. num. 65. Pizarrus in Vita Ioannis Pizarri, cap. 7. observ. 2. & alij duodecim Auctores Iuristæ, quos congerit Diana part. 10. tract. 2. Addit. resol. 2. & coordinatus tom. 9. tract. 13. resol. 2.

Tertia sententia, & si per se licitum cognoscat tale pactum, tamen vt per accidens illicitum damnat.

34 Tertia sententia docet; per se licitum esse, vocare infideles, & hæreticos in auxilium contra Principes Catholicos: per accidens tamen, ob damna inde Religioni Catholicæ imminentia, vt in plurimum, esse illicitum. Primam partem probant rationes primæ sententiæ. Sed secundam, scilicet, vt in plurimum esse illicitum tale fœdus, tenent ob damna quæ ex tali confœderatione regulariter obveniunt. Ita Divus Antoninus 3. part. tit. 4. cap. 2. §. 12. Sylvester verb. *Bellum*. Suarez *de bello*, disp. 3. sect. 7. num. 25. Coninch *de bello*, disp. 31. dub. 7. num. 102. Caspensis tom. 2. tract. 17. disp. 7. sect. 1. Prado cap. 15. quæst. 6. §. 1. Tapia lib. 3. quæst. 13. art. 16. num. 1. Palaus tract. 6. disp. 5. punct. 7. num. 10. Bonac. disp. 2. *de Restitutione*, quæst. vltima, sect. 1. part. 12. §. 2. num. 6. & alij. Sed hos Auctores non capimus: si enim hæc damna vt in pluribus eveniunt: ergo non per accidens est hæc confœderatio illicita. Quare.

Aperitur propria mens & rationibus efficacibus fulcitur.

35 Quidquid sit, an talis confœderatio cum Hæreticis, & Gentilibus sit, vel non speculative licita; dicendum est: practice nunquam licitam esse, sed gravissime peccare, tam Proceres, & Magistratus eam consulentes, quàm Reges tales fœdus ineuntes. Probatur assertio: Illa actio est illicita, cui, vt in pluribus prævidentur plura damna contra Religionem Catholicam adiungenda: nam, vt docet Divus Thomas quæst. 1. de Malo, art. 3. ad 15. *Tunc talia mala non intenduntur per accidens, sed per se, ex intentione effectus boni.* Sed ex confœderatione cum hæreticis, plura damna contra Religionem Catholicam, quæ abs dubio vitare tenemur, sequi vt in pluribus prævidentur: ergo illicita est talis confœderatio. Deinde: esto circunstantiæ morales in ordine ad speciem sint accidentia, tamen comparative ad actionem hic, & nunc exercendam, se habent per se; quia actiones sunt in singularibus; & ideò, licet detur actio indifferens secundum speciem, non tamen secundum individuum; sed in omni confœderatione fidelis cum infidelibus contra Principes Catholicos, semper oriuntur scandala fidelium; violatio Ecclesiarum, prophanatio Templorum, sacrarum Imaginum irrisio, Sacrosanctæ Eucharistiæ conculcatio, sacrimonialium dehonoratio, fidelium perversio, & alia innumera damna contra Religionem Catholicam: ergo semper practice est illicita. ¶ Minorem, in qua est difficultas, probant historiæ omnes, & experientiæ antiquæ, atque modernæ: sufficiat domesticas prælibare,

quia plus noſtris temporibus cernimus, quam in codicibus legimus. Quid Catholicam Religionem in tota fere Hiſpania deſtruxit, & Maumethanam ſuperſtitionem induxit, niſi confœderatio Marchionis Divi Ioannis cum Mauris contra Rodoricum Gothorum Regem? Quid nunc non diſsimilia damna in Portugalia, Catalaonia, Valentia, alijs que Hiſpaniæ Regnis gignit, niſi cum Anglis, & Batabis fœdus? Quæ damna hæc Salmantina Vrbs, & Diœceſis, imò & tota Hiſpania paſſa non eſt ab Anglis, & Hollandis, quando, duobus ab hinc annis, nullo impediente, ſed potius aliquibus viam oſtendentibus, vltronee que regnum offerentibus, per eam vt amici tranſmigrarunt? Nulli, niſi qui oculis perſpexímus ſanguineis, abunde enarrare poſſunt. Sed ſatius eſt ea ſilentio involuere, quam eorum memoria infandum renovare dolorem: vel aſsignent contrarij, quando hæc non evenerunt, & quare nunc inſolentes hæretici Religioni Catholicæ inſultant, niſi ob fœdus initum cum Catholicis. Ergo nunquam datur ſimilis confœderatio cum Turcis, Mauris, Hæreticis, &c. in qua talia damna Religio Catholica non patiatur. Tunc ſic: ſed quilibet tenetur ſubſtinere iacturam temporalium, imò & regni; quando timet grave detrimentum inferendum eſſe Religioni: ergo ex ſe practice illicita eſt talis confœderatio cum hæreticis, &c. contra Catholicos.

Vlteriusoſtéditur noſtra ſententia.

36 Deinde: de natura hæreſis, & infidelitatis eſt, vt ſæpe diximus, quod ſerpat vt cancer: ergo ſemper hæc damna, & ruina Catholicæ Religionis timenda ſunt: & conſequenter non ſolum eſt illicitum infidelium auxilio vti; verum, & maximè eos ob eadem inconvenientia contra Catholicos iuvare. Hanc concluſionem præter citatos num. 21. docent abs dubio Lorca 2. 2. ſect. 3. diſput. 51. n. 4. Villalobos tom. 2. tract. 5. diffic. 9. num. 3. Bannez 2. 2. quæſt. 40. dub. 3. concluſ. 2. Molina tom. 1. *de Iuſtitia*, tract. 2. diſp. 112. num. 5. Gordon in Summ. lib. 6. quæſt. 19. cap. 9. num. 19. Coninch diſp. 31. dub. 7. Prado cap. 15. q. 6. §. 2. & 3. Diana part. 10. tract. 2. Addit. reſol. 4. & coordinatus tom. 9. tract. 13. reſol. 4. & 5. Solorçanus loco ſupra citato, & alij plurimi apud ipſum Dianam.

Reſpondemus rationibus contrarijs.

37 Ad argumenta ex dictis facilis eſt ſolutio. Et ad Scripturæ Divinæ exempla, dicendum eſt; tale fœdus fuiſſe cum infidelibus contra infideles, non vero contra fideles: & licet primum in bello iuſto licitum ſit; ſecundum vero eſt per ſe illicitum. ¶ Ad alia catholicorum exempla reſpondetur: ipſos reddituros rationem in die iudicij, vbi tunc fortaſſe non illis proderunt aliquorum Theologorum, & Pſeudo-politicorum ſuffragia, ad quæ magis ſolent adulatione, ambitione, & averſione, quam nuda veritate moveri. Præter quam quod ſcimus plures veritatis, & Religionis Catholicæ amatores hæc bella, & confœderationes contra N. Invictum, & Catholiciſsimum Philippum V. vt iniuſta, & Religioni Catholicæ nihil faventia, & tantum Proteſtanti valde vtilia, vt certo vaticinabantur, Imperatori ſæpe ſæpius diſſuadiſſe.

¶ Ad rationes, quibus hæc ſententia innititur dicimus; quod ſi confœderatio fidelis cum infideli ſit ad debellandos alios infideles, non eſt illicita: at, ſi facta fuerit ad præliandum adverſus alios fideles, adeò illicita eſt, ſicut, ſi fideles in ſui auxilium contra fideles alios infideles vocarent; quia vtrobique eadem ratio militat, ſcilicet idem periculum perverſionis fidei, violationis rerum ſacrarum, &c. Et per hoc diſſolvitur ſecunda ratio: cum ex eo, quod in ſui auxilium adducant fideles contra alios fideles Elephantes, Canes, Equos, &c. nullum periculum perverſionis fidei, diructionis templorum, violationis ſanctimonialium timetur, vt intuenti conſtabit: quare, licet his animalibus vti liceat, non tamen infidelibus, & chriſtiani nominis hoſtibus.

Notanda quædam doctrina.

38 Sed ex hoc non inferat aliquis: illicitum eſſe Principibus Catholicis, qui in ſuis regnis admixtos habent hæreticos ſubditos cum Catholicis, eis vti ad bellum. Quia tunc ratione dominij poſſunt eorum opera expetere; alioquin plures Principes Catholici reprehendendi eſſent, quod in ſuis exercitibus hæreticos tolerant, quod dicendum non eſt; cum aliter pugnare contra adverſarios ſit illis difficillimum. Et maximè, cum ratione dominij, quod ſuper illos habent, ſicut in pace conſervant illos cum Catholicis permixtos abſque aliquo periculo ex ſupra dictis, ita, & in bello præſumendum eſt conſervare. Sic ſentiunt Diana part. 10. tract. 2. Addit. reſol. 7. & coordinarus loco citato reſol. 7. qui optime cum Dicaſtillo lib. 2. *de Iuſtitia*, tr. 1. diſp. 10. dub. 16. §. 4. num. 309. Soto in 4. diſtinct. 25. quæſt. 2. art. 1. concluſ. 4. Villalobos tom. 2. tract. 5. diffic. 4. num. 7. Palao, Suarez, & alijs docet: poſſe Pontificem prohibere ſub cenſuris, ne Chriſtiani bella gerant, & confœderationes cum hæreticis ineant, aut ab eis ſuper ſedeant, quando ex illis minuitur Catholica Religio, & hæretici fiunt potentiores; quia in ordine ad ea, quæ ad commune Religionis bonum pertinent, habet ſuper eos iuriſdictionem, vt eſt apud omnes certum; quare, ſi tunc eius præcepto non acquieſcant, graviſsime peccant: & contra illos armis Eccleſiæ procedere poteſt. Qui plura voluerit circa hoc, conſulat Dianam, & Prado locis citatis.

§. III.

Quibus, quomodo, & quando liceat bellare?

In bello iniuſto eſt illicitum Clericis bellare, vel præeſſe exercitui, niſi ſacramẽta miniſtraturi ſint.

39 TRiplicem partem proponit §. præſens; & ita eodem ordine circa earum difficultates agendendum eſt nobis. Rogabis primò: An liceat Clericis, & Religioſis propria manu in bello iuſto bellare? Supponit quæſtio non eis licere, bellare in bello iniuſto; cum tunc etiam laicis ſit prohibitum. Supponit etiam, licitum eis intereſſe exercitibus, & bello, vt ſubſidia ſpiritualia miniſtrent; quia hoc proprium ſacerdotalis muneris eſt: quare tota difficultas eſt de pugna propria manu, ſub qua comprehenditur etiam eſſe ducem exer-

exercitus, & præpositum machinis bellicis, vt habetur cap. *Sententiam, sit. Ne Clerici, vel Monochi, aut Gubernatorum navis.* In cap. *Quod in dubijs, de pœn.* Et est communiter ab omnibus receptum. Quibus suppositis.

Clericis, & Religiosis prohibitum est bellare.

40 Dicendum est: omnibus Clericis, & Religiosis prohibitum esse, bellare. Hæc conclusio habetur expresse cap. *Eos, qui*, 20. *q.* 3. Et *cap. Clerici. Cap. Quicumque ex Clericis*, 23. *quæst.* 8. & ex alijs multis, quæ congerit Gratianus 2. part. *Decretal.* 23. quæst. 8. Et rationem huius prohibitionis tradit Divus Thomas quæst. 40. art. 2. quia Religiosi, & Clerici dicati sunt orationi, & cultui divino; sed exercitia bellica valde, vt constat, ad hæc impediunt: ergo congruenter ab Ecclesia præallegatis textibus prohibentur. Deinde: Clerici, ministerio altaris addicti, repræsentant Christum, ac proinde, eius lenitatem debent imitari: ergo non competit eis effundere sanguinem alienam, sed potius debent esse parati ad propriam pro populo effundendum Quare Christus Petro, percutere volenti, dixit: *Converte gladium tuum in vagina*: significans, illi, alijs que eius successoribus non licere pugnare. Hæc communia sunt apud Auctores. ¶ Maior difficultas est circa Monachos laicos, & Clericos in minoribus constitutos, an incurrant prædictam prohibitionem, peccent que mortaliter, propria manu pugnando? Ad quam dicendum est primò: Clericos in minoribus constitutos nullo modo læthaliter peccare: quia Canones solum loquuntur de constitutis in sacris, & in odiosis non sunt ampliandi. Si autem sint alicui Ecclesiæ addicti, aut beneficium aliquod habeant, credimus ob indecentiam peccare venialiter. ¶ Circa Religiosos laicos, licet Palaus, Villalobos, Diana, Lorca, & alij sentiant tantum venialiter peccare, tamen certius est, in hoc graviter delinquere, vt docent Bannez 2. 2. quæst. 40. art. 2. dub. 1. conclus. 2. Oviedo controv. 12. *de Charitate*, punct. 9. n. 111. Prado cap. 15. quæst. 7. num. 12. & alij. Et ratio est: tum; indecentia status religiosi; tum; quia in sacris Canonibus directè eis bellare prohibetur: ergo, &c. Quæ hoc numero diximus, docent præter citatos, Covarrubias Clement. *Si furiosus*, 2. part. §. 3. num. 2. Lorca disp. 51. num. 12. Tapia quæst. 13. art. 15. Palaus tr. 6. disp. 5. punct. 6. à num. 2. Coninch. disp. 31. dub. 6. num. 86. Diana part. 10. tract. 2. resol. 2. & alij.

Excipiuntur aliqui casus, in quibus eis licet pugnare.

41 Rogabis secundò: An aliquando liceat Clericis, & Religiosis propria manu pugnare? Respondetur, id sibi licere, quando est necessitas se, suos que defendendi; & à fortiori, quando bonum commune Fidei, & Patriæ in gravi periculo constituitur: & tunc non solum possunt, sed etiam tenentur id facere: quia lex Ecclesiastica prohibere nequit, quod naturalis concedit; sed hæc concedit omnibus, se, suos, Patriam, & Religionem propria manu defendere, quando necessitas vrget: ergo licite tunc Clerici, & Religiosi propria manu pugnare possunt: imò & debent, cum ad id impellat Pietas, vel Religio. Ita Molina disp. 108. Bonac. disp. 2. *de Restitutione*, quæst. vltima, sect. 2. punct. 12. §. 14. Suarez *de bello*, disp. 13. sect. 3. n. 9. Coninch disp. 31. dub. 6. Prado cap. 15. quæst. 8. §. 3. num. 22. quos sequitur Palaus tract. 6. disp. 5. punct. 6. num. 7. qui quidem numero octavo cum prædictis Auctoribus optime addit, tunc Religiosos bellantes, & etiam Clericos nullam incurrere irregularitatem. ¶ Ex quibus sequitur: posse Episcopos, Clericos, omnes que Religiosos in bellis contra Mauros, Sarracenos, Hæreticos, alios que Fidei Christianæ hostes licite, & sancte exercitibus præesse: vt sancte, & licite fecerunt Archiepiscopus Toletanus Rodericus, & Eminentissimus Cardinalis Ximenez de Cisneros contra Mauros; nec non N. P. Venerabilis Dominicus à Iesu Maria in bello commisso Pragæ in Boemia contra Palatinum, alios que hæreticos. ¶ Sed approbare non possumus, quæ egit Episcopus Burdegalensis, qui paucis ab hinc annis classem regens contra Hispaniæ Regem, vrbes, & porticus Cantabricos invadit: &, vt horrendum detestamur, quod his diebus videmus contra N. Pium, & Catholicissimum Regem Philippum V. Ecclesiasticos, & Sacerdotes, mixtos cum Anglis, & Hollandis in Catalauniæ, & Valentiæ Regnis propria manu bellare.

Captivos Christianos non licet cõtra fideles pugnare, bene autẽ remigare.

42 Rogabis tertiò: An Captivos Christianos liceat pro infidelibus militare contra alios Christianos, quando ad id metu mortis coguntur? Respondetur negativè, si directè aggrediantur, aut dirigant prælium in ipsos fideles. Et ratio est: quia hoc est intrinsice malum, cum tale bellum iniustum sit; ac proinde bellando, graviter peccant. Vnde nequeunt gubernare naves, & machinas militares, explodere tormenta bellica, & bombardas emittere: quia hæc est proprie bellare, quod quidem per se ordinatur ad damnum Christianorum. Licitum tamen illis est metu mortis, remigare in Turcarum triremibus, portare onera spoliorum, scalas apponere, propugnacula deferre, sulphur porrigere, vt diximus tract. 13. cap. 1. punct. 4. num. 128. quia hæc pro vt à captivis procedunt, actiones indifferentes sunt, & necessario damnum Christianis non inferunt, sed vnice ex malitia Turcarum: qua propter dum adest mortis periculum, ab eis cessare non tenentur. ¶ Excipe tamen, si scirent captivi, quod cessando à talibus actionibus, Christiani magnam victoriam sint consequturi in bonum Religionis Catholicæ, & Reipublicæ Christianæ: quia tunc bonum commune Ecclesiæ præferendum est vitæ propriæ. Dicta tenent Illustrissimus Tapia lib. 3. quæst. 13. art. 17. Lorca 2. 2. disp. 51. sect. 3. Azor part. 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 6. Læsius lib. 2. cap. 9. dub. 18. n. 122. Sanchez lib. 1. *in Decalogum*, cap. 7. num. 18. Palaus tract. 6. disp. 6. punct. 11. num. 10. Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 6. dub. 5. n. 18. Carpensis tom. 2. tract. 17. sect. 2. num. 19. Diana part. 5. tract. 7. resol. 30. & 3. part. tract. 5. Miscelan. 1. resol. 36. & coordinatus tom. 7. tract. 5. resol. 73. & alij plurimi apud ipsum, qui resol. 74. & Palaus num. 12. docent, in tali casu licitas etiam esse alias actiones

nes per se proximo iniuriosas, vt sunt, domum perfringere, agros devastare, bona subripere; quia in extrema necessitate licitum est, bonis externis proximi vti, ad propriam vitam conservandam; nec dominus est tunc rationabiliter inuitus. Quam quidem sententiam libenter admittimus, si tantum illud damnum proximo faciant, quod necessarium est ad vitæ propriæ conservationem. Videantur Coninch. disp.31. dub. 7. num. 104. Molina *de Iustitia*, tom. 1. tract. 2. disp. 115. conclus. 5. num. 7. Nec similiter prædicti captivi incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, de qua egimus tom. 2. tract. 10. cap. 4. punct. 6. num. 85. cum præceptum ecclesiasticum obligare nequeat contra naturale de conservatione vitæ.

Excedentes modum iustum bellandi, peccant, & ad restitutionem tenentur.

43 Habita notitia eorum, qui bellare licitè possunt, vel à bello abstinere, descendimus ad secundam quæstionis partem scilicet circa modum in bello servandum. Pro qua inquires primò: An excedentes modum debitum bellandi peccent, & teneantur ad damna causata resarcienda? Respondetur affirmativè: quia excedentes modum iustum belli iniustitiam committunt, & iniuriam inferunt adversarijs: ergo eam resarcire debent: ac proinde restituere tenentur damna causata. Quare peccant, & ad restitutionem obligantur Duces, & milites, qui contra voluntatem Principis, vel excedentes illius imperium, aut ordinem, damna inferunt, quæ necessaria non sunt ad ipsum bellum, & intentam victoriam: & tunc milites ea damna vt non necessaria ad victoriam consequendam debent habere, quæ prohibuit Principis imperium, & voluntas. Adverte tamen: quod, quando militibus deprædari prohibetur non in gratiam hostium, sed, ne turmatim dispersi, capiantur; tunc si forte inimicis damna inferant, ad restitutionem non tenentur; quia præsumitur approbatio Principis.

Innocentes non licet directè occidere, bene tamen indirectè. Et explicatur, qui dicantur innocentes.

44 Ex quibus sequitur primò: Nullo modo licere innocentes *directè* occidere, parta victoria: quia illi nullam culpam habent, & ideò nulla pœna digni sunt. Diximus *directè*; quia *indirectè*, quando nocentibus ita mixti sunt, vt sine illorum occisione victoria consequi non possit, licitum est, eos occidere: quia, quando finis licitus est, media ad illum necessaria etiam licita sunt: ergo, cum tunc occisio innocentum sit medium necessarium ad victoriam adipiscendam, & ista sit licita, licita etiam erit innocentum occisio. Maximè, cum tunc innocentes non sint, sed nocentes. ¶ Sed rogabis: Qui dicantur innocentes, & vt tales inter eos connumerentur? Respondetur: tales esse infantes, mulieres (nisi propria manu hostes iuvent) aduenæ, peregrini, mercatores non habentes ibi domicilium, legati, & inter Christianos Monachi, Presbyteri, & Agricolæ: hos omnes illicitum est occidere, nisi quando nocentes fuisse comperiuntur. Sic Bonac. disp. 2. *de Restitutione*, quæst. vltima, sect. 1. punct. 12. §. 3. num. 17. Suarez *de Charitate*, disp. 13. sect. 8. num. 10. Molina *de Iustitia*, disp. 110. qui omnes è contra asserunt nocentes, & rebelles posse occidi, tam in ipso conflictu, quàm post illum, si eorum mors sit necessaria ad vindicandam iniuriam, vel securitatem in posterum stabiliendam: quia tunc vincens iam est eorum iudex, & superior, vnde potest in pœnam delicti eos morte plectere. Sed hoc limitandum est, nisi sub promissione vitæ hostibus se se dederint, tunc enim incolumes servandi sunt. Dicta præter citatos docent Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 129. Valentia 2.2. disp. 3. q. 16. punct. 3. vers. 7.

Bello capti, nisi sint christiani, & hæretici, non tamen apostatæ, possunt libertate privari.

45 Sequitur secundò: Posse victores libertate privare hostes captos: cum enim possint vitam adimere, potiori titulo poterunt, & libertate privare: imò etiam possunt in servitutem innocentes redigere, si iniuria civitatis hac pœna sit digna. Et ratio est: quia libertas inter bona fortunæ Reipublicæ computatur: ergo, cum his iuste privari possunt, etiam libertate. Sed licet hæc iure nature ita sint, tamen inter Catholicos locum non habent: quia, ob consuetudinem inter eos præscriptam, capti ab alijs Christianis in servitutem redigi non possunt. Hic libet adnotare; quod, licet hoc privilegio gaudeant etiam hæretici, non tamen Apostatæ. Videantur Suarez de *Bello*, disp. 13. sect. 7. num. 13. Molina disp. 117. concluf. 4. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 120. Saa verb. *Bellum*, n. 2. & Bonacin. *de Restitutione*, disp. 2. sect. 1. punct. 12. num. 21.

Peccata, quæ communiter à Principe, Ducibus, & militibus committuntur.

46 Sed rogabis: Quæ sunt peccata, quæ solent committere Reges, Duces, & milites in bello? Respondetur primò: Peccare Reges contra iustitiam commutativam, si stipendia militibus subtrahant: tum: quia sub hac conditione miles adscribitur; & sic, est contractus onerosus inter Regem, & milites: vnde potest occulte compensari, si stipendia eis non solvantur. Tum etiam: quia ansam præbent, vt milites à vicinis populis indebita extorqueant, eorum que bona expilent. Sylvester verb. *Miles*. Molina disp. 116. à n. 1. ¶ Duces similiter peccant, primò: Si pecuniam accipiunt à locorum habitatoribus, ne in horum locis milites, aut exercitum hospitent: quia sic omnia opida aggravant; cum vnum tantum damnum patiatur: & licet eligere possint vnum locum præ alio, tamen iniquum est hanc electionem venalem facere. Bonacin. loco citato num. 17. Coninch. num. 100. Secundò peccant plures milites representando, vt plura stipendia accipiant, vel famulos in milites signando: quia in hoc iniuriam Regno, & Regi irrogant. ¶ Denique milites peccant, si castra deserant: si vltra stipendium Regis aliquid accipiant, nisi sint in gravi, aut extrema necessitate: si locum sibi demandatum deserant, vel si temere periculo vitæ se exponant: si hospites vltra sibi debita gravent, & tunc ad restitutionem tenentur. Hæc sunt peccata, quæ Principes, Duces, & milites solent frequenter committere. Qui plura circa hæc voluerit, videat Molinam *de Iustitia*, disp. 116. Ledesmam 2. part. tr. 3. cap. 13. per totum. Bonacinam punct. 12. citato. Coninch. disp. 31. & 32. Dianam coordin. tom. 7. tract. 7. *de bello*, per 65. resolutiones. ¶ Sed hic

hic breviter notare oportet; non esse contra ius, & modum debitum militiæ, vti stratagematibus, & insidijs; quia, cum hoc non sit mendatium, sed quædam simulatio veritatis, peccatum non est, quando necessarium iudicatur ad victoriam consequendam: at vero si tales fraudes, & insidiæ sint contra promissam fidem, & belli iura, illicitæ sunt. Videatur Divus Thomas 2.2. quæst.40. citata,art.3.

Si necessitas, aut occasio adest, licet pugnare in die festo.

47 Denique rogabis: An in diebus festivis liceat bellare? Huic quæstioni affirmativè respondet AngelicusDoctor loco citato art.4. Et ratio est: quia festi observatio non impedit ea, quæ ad salutem corporalem hominis ordinantur, & ita medici licite medentur hominibus in diebus festivis; sed pugnare, ordinatur ad salutem corporalem Reipublicæ: ergo licitum est, quando adest pugnæ occasio, in die festo bellare. Si autem fiat absque necessitate, docet Divus Thomas, esse peccatum: quia, cum festa sint ordinata ad vacandum Deo, hoc per inquietudines belli impeditur. Sed Magister Bañez, & Illustrissimus Tapia quæst. 13. art. 14. optime explicant Divum Thomam, dicendo: esse tantum veniale: quia inquietudines belli non opponuntur directè præcepto, sed fini tantum præcepti; vnde eius transgressio, seu violatio est culpa tantum venialis.

PUNCT. IV.

De Rixa, & Seditione.

Proponitur rixæ diffinitio; & quale sit peccatũ ostenditur.

48 BElio affines valde sunt Rixa, & Seditio; vnde cum Divo Thoma eis præsentem locum dicamus. Rixa, vt constat ex Angelico Doctore 2. 2. quæst. 41. art. 1. *Est quædam contradictio in factis vsque ad percussionem.* Vel, vt ibidem ait: *Rixa est privatum bellum ex privata authoritate commissum, quo vnus alterum lædere conatur.* Vnde patet esse mortale ex genere suo ex parte aggressoris, cum nocumentum proximo inferant; poterit tamen esse veniale ex parvitate materiæ, vt evenire solet in puerorum rixis. Ex parte vero se defendentis *cum moderamine inculpatæ tutelæ* nullum est peccatum: si vero cum gravi excessu læsionis se defendat, erit gravis culpa. ¶ Hoc peccatum rixæ oritur ex ira, vt docet ibi Divus Thomas art. 2. In cuius explicatione, quia, quæ circa ea excitantur difficultates, faciles intellectu inveniuntur, amplius non immoramur. Videantur Expositores Divi Thomæ Caiet. Ban. Ledesma cap. 14. & alij. ¶ Hic agendum erat de duello, quod: *Est pugna singularis ab vtraque parte ex condicto accepta cum periculo occisionis, aut gravis vulneris*; sed quia de hoc sat egimus tom.2. tr.9. cap.4. punct. 4. ideò ab eo supersedemus. Videantur insuper Tapia tom. 2. tract. 3. q. 14. artic. 3. 4. & 5. Palaus tom.1. tract.6.disp.5. punct. 7. à num. 3. & Prado cap.15. q.8.

Quid, & quale peccatum

49 Seditio, vt colligitur ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 42. art. 1. *Est tumultus ad pugnam vnius partis Reipublicæ contra aliam.* Si autem sit contra Principem dicitur *rebellio*; quæ distinguitur specie à *seditione*, cum includat formalem inobedientiam, & reducitur ad schisma. Seditio ergo, cum opponatur vnitati pacis Reip. semper est ex genere suo peccatum læthale. Sic D. Thomas art. 2. Ledesma concluſ. 2. Tapia quæst. 15. art. 2. & Palaus tract. 6. disp. 5. punct. 7. à num. 1. ¶ Causæ seditionis solent esse gravitas, & rigida exactio tributorum, penuria victus, ministrorum nimius rigor, & iniustitia: & in exercitibus alimentorum, & stipendiorum penuria: quare, vt tales tumultus evitentur, magna cura, & solicitudine Proceres, & Reges has causas impedire debent; & maxima prudentia opus est illis, vt extinguantur, dum oriuntur; quia tunc rigor prodesse non solet, sed potius valde obesse; vnde lenioribus medicamentis hoc cancer tunc iuxta temporis circunstantias, & prudentiæ regulas reprimendum, curandum, & eradicandum est.

Quid sit seditio, eiusque causæ assignantur.

PUNCT. V.

De Scandalo.

PLures difficultates circa hoc vitium, quam circa præcedentia se offerunt examinandæ: vnde animo induximus, plus temporis in eis enucleandis insumere.

§. I.

Quid, & quotuplex sit scandalum, & quando committatur?

Quid, & quotuplex sit scandalum.

50 SCandalum, quod Græcè idem est, ac Latinè *offensio*, est duplex, *activum*, & *passivum*: primum diffinitur à Divo Thoma 2. 2. quæst. 43. art. 1. in corpore his verbis: *Est dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ.* (spiritualis vtique) Explicatur diffinitio. Dicitur *dictum, vel factum*; quia debet esse actio externa: *minus rectum*, eo quod non requiritur, vt vere malum sit, sed, quod saltim habeat speciem mali: *præbens occasionem ruinæ*: &, non causam; quia à nullo extrinseco, vt à causa, potest voluntas trahi ad peccatum; &, quia non requiritur, quod alter labatur, sed sat est, si detur occasio lapsus. ¶ Secundum vero: *Est ruina ipsa eius, qui scandalizatur occasione accepta ex dicto, vel facto alterius.* Sic Doctor Angelicus art. 1. ad 4. & art. 2. Sed hic nota quod, si nulla datur occasio, sed ex propria malitia aliquis ruat, dicitur scandalum *Pharisæorum*, qui ob eorum malitiam ex Christi, & Apostolorum rectis operibus scandalizabantur. Si vero talis ruina oriatur ex propria infirmitate, vel ignorantia, dicitur *Pusillorum*, vt si quis *ex licito fœminæ ornatu labatur.* Hæc divisio est Divi Thomæ loco proxime citato, & art. 7. ¶ Deinde nota quod scandalum *activum* potest esse vel *per se*, vel *per accidens*: est *per se*; quan-

quando expreſſe, aut implicite ſuo inordinato dictu, vel facto quis alium trahere intendit ad peccandum; vel ex eo probabiliter timetur ruina ſpiritualis proximi: vt ſiquis expreſſe expeteret alterius ruinam; aut virtualiter, publice peccando, vel inhoneſte coram alijs ad fœminam accedendo. Eſt *per accidens*; quando quis abſque tali intentione peccat in occulto, ſuæ tantum ſatisfacere voluptati intendens, & per accidens ab aliquibus peccare videtur, qui forte ſcandalizati ſunt: & huius modi ſcandalum non eſt peccatum diſtinctum, in confeſsione aperiendum. Vltimò nota: quod ſcandalum *paſsivum* non eſt ſpeciale peccatum, ſed per omnia divagatur; & eſt mortale, aut veniale iuxta gravitatem peccati, quod ex inductione alterius committitur, vt furti, verbi gratia, detractionis, fornicationis, &c. Scandalum vero *activum* eſt ſpeciale peccatum contra Charitatem,& Correctionem fraternam; & erit mortale, aut veniale iuxta gravitatem, aut levitatem ruinæ, quam intendit. Hæc communia ſunt. Videantur Divus Thomas art. 1. 2. & 3. Bannez ibi. N. Antonius à Spiritu Sancto *in Directorio Confeſſorum*, tom. 3. tract. 2. diſp. 3. ſect. 5. num. 161. Tapia tom. 2. lib. 3. quæſt. 16. art. 1. Prado cap. 15. quæſt. 10. Sanchez *in Decalog.* lib. 1. cap. 6. num. 1. 2. & 3. Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 6. dub. 5. à num. 1. Ledeſma 2. part. tract. 4. cap. 5. à concluſ. 7. & Palaus tract. 6. diſp. 6. punct. 1.

Sententia aſſerens requiri expreſſam intentionem ruinæ proximi ad ſcandalũ formale.

51 Sed rogabis primò: An, vt ſcandalum ſit ſpeciale peccatum, requiratur, quod expreſſe intendatur occaſio ruinæ? Affirmat prima ſententia, quæ movetur primò: Quia ſpeciale peccatum indiget oppoſitione virtuti ſpeciali; at, quando ruina proximi non intenditur expreſſe, non eſt ſpecialis oppoſitio correctioni fraternæ, cui opponitur ſcandalum, quæ intendit ſpirituale bonum proximi: ergo nec eſt ſpeciale ſcandali peccatum. ¶ Secundò: Scandalum activum correſpondet paſsivo; cum primum ſit ſecundi cauſa; ſed ſcandalum paſsivum divagatur per omnes ſpecies vitiorum: ergo & activum, quando directè non intenditur. ¶ Tertiò: Inobedientia, & ingratitudo, niſi ſpecialiter, & directè intendantur, non ſunt ſpecialia peccata, ſed conditiones generales peccatorum: ergo ſimiliter ſcandalum, niſi expreſſe intendatur ruina proximi. ¶ Quartò: Ex oppoſita ſententia ſequeretur; quod, qui conſulit fornicationem non intendens expreſſe ruinam proximi, gravius peccaret, quam, qui de facto fornicaretur, cum hic ſolum peccaret contra Temperantiam, ille vero contra Charitatem,& Temperantiam; ſed hoc videtur falſum: ergo, &c. ¶ Quintò: Qui conſulit Petro furtum, non quia proximi malum, ſed quia ſibi vtile; non peccat peccato ſpeciali ſcandali; cum tunc furtum ſit materialiter volitum: ergo requiritur directa intentio mali proximi, vt detur ſpeciale peccatum ſcandali. ¶ Vltimò: Qui ſuo exemplo movet alium ad opus virtutis, non exercet ſpecialem virtutis actum: ergo nec qui ſuo pravo exemplo ad malum inducit. Ita Sanchez lib. 1. *Decalog.* cap. 6. num. 3. Azor tom. 1. lib. 3. cap. 7. quæſt. 1. Bannez art. 4. dub. 1. Ioannes à S. Thoma 1. 2. quæſt. 18. diſp. 10. art. 1. diffic. 4. Palaus tract. 6. diſp. 6. punct. 3. num. 8. Villalobos tom. 2. tract. 3. diffic. 8. num. 3. Trullench lib. 1. cap. 6. dub. 5. num. 5. & alij multi apud ipſos.

Sufficere intẽtionem virtualem, & implicitam, alij dicunt.

52 Secunda ſententia aſſerit: dari ſpeciale peccatum ſcandali, quando probabiliter exiſtimatur, dictum, aut factum futurum eſſe occaſionem ruinæ, licet hæc expreſſe, & directè non intendatur. Et movetur primò: Quia inferre nocumentum corporale proximo, & ſi expreſſe non intendatur, ſi ſufficiens illius cauſa apponitur, opponitur ſpeciali virtuti, ſcilicet iuſtitiæ commutativæ: ergo inferre nocumentum ſpirituale, & ſi expreſſe non intendatur, opponitur ſpeciali virtuti, nempe Correctioni fraternæ. ¶ Secundò: Tunc eſt ſpecialis malitia contra aliquam virtutem, quando directè volumus id, quod deſtruit obiectum formale illius; ſed in præſenti caſu volumus directè id, quod deſtruit obiectum formale Correctionis fraternæ, ſcilicet bonum ſpirituale proximi: ergo datur tunc ſpecialis oppoſitio. Probatur minor: Quia in præſenti volumus directè peccatum, quod probabiliter exiſtimamus futurum eſſe occaſionem ruinæ ſpiritualis: ergo directè volumus id, quod deſtruit obiectum formale Correctionis fraternæ: & conſequenter tale peccatum importat ſpecialem malitiam contra huiuſmodi præceptum. ¶ Tertiò: Nam ſi ſcandali formalis eſſentia exigeret, quod ruina proximi eſſet directè volita, ſcandalum eſſet peccatum interius conſumatum, ſicut ob hanc rationem odium, & formalis inobedientia conſumantur interius; ſed hoc eſt falſum: ergo falſum eſt, vt detur ſpeciale ſcandali peccatum, directè intendi ruinam ſpiritualem proximi. Minor probatur: Tum ex diffinitione ſcandali, vbi dicitur: *Dictum, vel factum minus rectum, &c.* ergo non interius, ſed exterius conſumatur tale peccatum: Tum: quia ſcandalum directè opponitur Correctioni fraternæ; ſed hæc conſumatur actu exteriori: ergo & ſcandalum. Ita Sylveſter verb. *Scandalum.* Petrus Soto lect. 9. *de Confeſſor.* Navarrus *in Manuali*, cap. 6. num. 19. Valentia 2. 2. diſp. 3. quæſt. 18. punct. 2. Suarez *de Charitate*, diſp. 10. ſect. 2. Lorca diſp. 56. quæſt. 43. ſect. 3. à n. 5. Lugo *de Pœnitentia*, diſp. 16. ſect. 4. Coninch. diſp. 32. num. 45. Oviedo *de Peccatis*, tract. 6. controv. 2. punct. 5. & alij.

Eligitur ſecunda ſententia, & auctoritate D. Th. & ratione, atque exemplis roboratur.

53 Quæ ſententia magis nobis arridet, ſicut arriſit Illuſtriſsimo Tapia lib. 3. q. 16. art. 3. num. 1. Prado cap. 15. quæſt. 10. n. 26. & alijs. Quia videtur expreſſa Divi Thomæ 2. 2. quæſt. 43. art. 1. ad 4. his verbis: *Quando aliquis ſuo malo facto, vel verbo intendit alium ad peccatum inducere, vel etiam ſi ipſe hoc non intendat, & ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quod ſit inductivum ad peccatum; puta, cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet ſimilitudinem peccati: & tunc ille proprie dat occaſionem ruinæ: vnde vocatur ſcandalum activum.* Et art. 6. ait: *Dicendum, quod ſcandalum activum propriè eſt, cum aliquis tale aliquid dicit, vel facit quod de*

de se tale est, vt alterum natum sit inducere ad ruinam. Sed quod per se est causa ruinæ, est scandalum formale: ergo, esto non intendatur ruina proximi, si actus exterior ex se est inductivus ad malum, formale scandalum erit. ¶ Deinde: quia ad scandalum formale non requiritur, quod ruina proximi sit primario volita, sed sufficit, si sit secundario, & ex consequenti; sed, qui elicit, aut consulit opus pravum, quod ex se est inductivum ad malum, secundario, & ex consequenti, vult proximi ruinam: ergo peccatum scandali formaliter talis committit. Maior, in qua est difficultas illustratur exemplis. Qui accedit ad coniugatam, & si expresse eam, vt talis est, non velit, committit adulterium; quia circunstantia coniugij est ex consequenti, & secundario volita. Qui hominem in Ecclesia occidit, & si solo vindictam intenderet, sacrilegium committit: & similiter sacrilegus esset, qui religiosam concupiscit, & si velit eam non vt voto dicatam Deo; quia in vtroque casu circunstantia sacrilegij necessario sequitur ad actum, & ita ex consequenti intenditur. Ergo, vt aliquod pravum dictum, vel factum, speciem scandali habeat, non requiritur, quod expresse ruina proximi intendatur; sed sufficit, si indirectè volita sit: ad quod sat est, velle directè id, quod ex se, attenta persona, & circunstantijs est inductivum peccati; aut si prævideatur, vel debeas prævidere, quod ex tali actione moraliter subsequendum sit; esto de facto, vel ratione virtutis, aut depravatæ vitæ videntium scandalum non sequatur.

Fit satis adversariorum argumentis.

54 Per quæ patet ad argumenta. Ad primum quidem; quia, vt probatum manet, sufficit ad scandalum indirectè velle ruinam proximi; sicut committit furtum, & homicidium formaliter vt talia, qui non vult ea, vt sunt mala formaliter proximi, sed vt sunt media ad suam cupiditatem explendam; quia in hac voluntate directa, includitur indirectè alia, qua ea vult, vt mala proximi, quæ formaliter opponuntur iustitiæ: Sic ergo dicimus de ruina proximi intenta virtualiter. ¶ Per quod patet ad secundum, & ad tertium. Sed ad quartum negamus sequelam; si sermo sit de gravitate intra lineam Castitatis; quia tunc consulens, licet peccet contra hanc virtutem, non tamen est peccatum exterius opere consumatum: cæterum fornicatio, cum sit actio exterior opere consummata, habet ex hac parte maiorem gravitatem respectu peccati pravi consilij fornicandi: concedimus tamen sequelam, si arguens loquatur de gravitate in diversis speciebus, cum tunc consulens duo committat peccata specie diversa, & intemperantiæ, & scandali; vt docuimus tract. 6. cap. 8. punct. 4. num. 81. ¶ Ad quintum negatur antecedens, cum indirectè velit proximi ruinam. ¶ Ad vltimum respondetur, quod, si aliquid probat, probat etiam, quod, & si expresse intendatur ruina proximi, non detur formale scandalum, sicut, & si expresse intendatur bonum proximi, per exempla virtuosa, non datur iuxta contrarios specialis actus virtutis: vnde etiam contra ipsos vrget argumentum.

Circunstantia scandali semper est in confessione fatenda.

55 Hic advertendum est; quod, quidquid sit de præcedenti controversia circa constitutionem scandali formalis, omnes vtriusque sententiæ Doctores conveniunt in eo, quod circunstantia scandali sit necessario in confessione aperienda. Et quidem, quando ruina proximi est directè intenta, nulli est dubium; cum addat, in communi sententia, speciem novam peccati, quæ explicanda necessario est, vt præcipit Concilium Tridentinum. Quando vero indirectè intenditur, licet non sit, in aliquorum sententia, peccatum speciale scandali, sed tantum generale; attamen: quia est causa moralis peccati alterius, committitur aliud novum peccatum numero distinctum: ac proinde, qui fornicatione propria inducit alium ad fornicandum, esto ab eo hoc non intendatur, quia tamen suo pravo exemplo est causa alienæ fornicationis, duplex fornicationis peccatum solo numero distinctum committit: cum ergo peccata, etiam solo numero diversa, debeant in confessione declarari, vt ex Tridentino docuimus tr. 6. cap. 8. punct. 1. num. 2. ideò omnes Doctores, etiam sententiæ contrariæ, docent circunstantiam scandali esse in confessione aperiendam. Specialiter videantur Tapia loco citato, num. 3. Ledesma tom. 2. tract. 4. cap. 5. conclus. 5. & 7. dub. 1. & Sanchez supra citatus num. 6.

Corollariū notandum.

56 Ex quibus à fortiori infertur: incitantem ad furtum, vel fornicationem, &c. suo pravo exemplo, duplex diversæ speciei peccatum committere, alterum contra Charitatem, & alterum eiusdem speciei cum peccato, ad quod inducit: vt clarè constat ex dictis. Sed hic nota; quod, si hoc pravum exemplum, furando, præbeat; tunc vltra peccatum scandali, alia duo peccata furti solo numero diversa committit; vnum, quia per se ipsum furtum exercet, & alterum, quia est occasio furti ab alio perpetrari. Ratio est: quia, vt ait Caietan. 2. 2. quæst. 43. art. 1. & nos infra cap. 11. punct. 3. num. 27. loquendo de pacto implicito, & explicito cum Dæmone latius probabimus: eiusdem speciei sunt explicitum, & implicitum: ergo, si ille, qui explicite inducit alium ad furandum, reus est furti ab illo perpetrati; sic similiter peccat, qui pravo suo exemplo ad furtum inducit: vnde vltra peccatum, quod ipse furando, committit, peccat peccato furti ad quod incitavit.

Non omnis, qui reus est peccati furti, manet obligatus ad restitutionem.

57 Sed hinc inferre non licet, teneri sic inducentem ad restitutionem damni illati; imò nec etiam si expresse hoc intendat; & ratio est: quia ad restitutionem solum tenetur, qui ad furtum concurrit vt moralis causa, non vero vt præcisè occasio; sed in præsenti non influit vt causa, sed vt mera occasio: ergo restituere non tenetur. Videantur à nobis dicta tract. 13. cap. 1. punct. 5. num. 114. vbi diximus: nec Episcopos, nec Prælatos inducentes ad furtum pravo suo exemplo teneri ad restitutionem; esto ex officio, & consequenter ex iustitia, teneantur bono spirituali subditorum attendere: quia suo officio non tenentur invigilare circa bona temporalia patientis damna; vnde contra istum nullam iniustitiam committunt; quamvis peccent contra

tra iustitiam in ordine ad scandalizatum, quem ex officio, bono suo exemplo pascere tenentur. Et idem dicendum est de Confessario, & iudice; cum hic tantum teneatur ex officio impedire, & coercere damnum inferre volentes, non vero quod alij pravo suo exemplo ad furandum moveantur; ille vero, scilicet Confessor, tantum debeat ex officio ad bona spiritualia pœnitentis attendere, vt de Episcopo etiam diximus; non vero ad temporalia creditoris, aut damnificati, vt ibidem n. 138. stabilimus. Idem docent Sanchez lib. 1. *Decalogi*, cap. 6. num. 4. Bonacina *de Restitutione*, disp. 1. quæst. 2. punct. 11. & 12. Palaus tr. 6. disp. 6. punct. 3. num. 2. Trullench lib. 1. cap. 6. dub. 5. num. 6. & alij. Qui omnes addunt; quod, siquis suadendo, ad furtum concurrit, ad restitutionem obligatur, sicut etiam nos probavimus ibidem à num. 116.

Scandalum non committit, qui parato grave peccatũ perpetrare suadet leve.

58 Rogabis secundò: An scandalum committat, qui parato grave peccatum patrare, suadeat leve? Ante resolutionem nota: esse licitum minus malum tunc consulere, vt diximus tract. 13. cap. 1. punct. 5. num. 109. tum: quia tale consilium est conditionale, hoc est, *si maius commissurus es, elige minus*: tum etiam: quia, qui consulit minus malum, non vult malum vt malum, sed vt est carentia maioris mali, quod est conforme Charitati: tum deinde; nam licet leve peccatum non sit in committente medium licitum, & elegibile ad gravius vitandum, cum possit, & debeat vtrumque impedire; at in consulente est medium elegibile, & cadens sub consilio; quia non est in eius potestate vtrumque vitare: ergo licitum est parato grave malum committere, levius suadere. Et per hoc aliquorum scrupuli manent soluti, & negativa sententia, quam amplectimur, circa propositam quæstionem stabilita: & ratio est: quia inducere ad id, quod bonum est, non est inducere ad peccatum, vt est luce clarius; sed, qui ad peccatum non inducit, non committit scandalum; ergo, cum, consulens minus malum parato maius facere, inducat ad id quod bonum est (quia illud minus malum consultum ratione motivi potius ad genus boni, quam ad genus mali pertinet, atque ideò huiuscemodi inductio non specificatur nisi à bono) non committit scandalum. Ita NN. Salmanticenses Scholastici tom. 4. tract. 13. disp. 10. dub. 6. num. 217. Caietanus in Summa, verb. *Tyranus*. Sotus lib. 6. *de Iustitia*, quæst. 1. art. 5. & in cap. 3. ad Romanos. Prado cap. 15. quæst. 11. §. 2. Thomàs Sanchez *de Matrimonio*, lib. 7. disp. 11. num. 15. plurimos referens. Palaus tr. 6. disp. 6. punct. 6. num. 6. Trullench lib. 17. cap. 13. dub. 2. §. 1. num. 6. Bonac. disp. 1. *de Restitutione*, quæst. 2. punct. 7. num. 8. Villalobos tom. 2. tract. 21. difficult. 7. & alij. Sed dicta intelligenda sunt sub his limitationibus. Primò: Quando alia via divertere non potest proximum à graviori peccato committendo; si enim hoc possit, non potest licite consulere minus malum: quia nullo titulo mali rationem exuere potest. Secundò: Quando paratus est etiam minus malum committere: si enim tantum est determinatus ad malius, non licet minus consulere: & sic, non licet consulere fornicationem, ei qui paratus erat committere tantummodo adulterium, aut sodomiam: quia iam tunc illius peccati, quod consulis, vere esses causa, etiam si recto existimato fine procedas. His ergo limitationibus positis verum est, non committere scandali peccatum, qui parato grave delictum patrare, suadet leve. Videantur DD. supra allegati.

§. II.

De peccatis scandali contra Castitatem.

Mulier iuxta suum statum ornata non committit scandalum, se offerens viri aspectui.

59 QUia in rebus ad venus commoventibus, facilius, & communius est, alijs offensionem, & ruinam parari, ideò de eis singulariter in hoc §. agimus. Vnde inquires primò: An fœmina, quæ se ornans, & in publicum exiens, offert se virorum aspectibus, peccet peccato scandali? Respondetur, minime peccare, si se offerat virorum aspectibus ornata iuxta qualitatem personæ, suique status decentiam; imò, & si sciat ab aliquo adolescenti turpiter amari. Et ratio est: quia, & si tunc daret occasionem amasio, vt turpiter eam concupiscat, hæc occasio potius est ab ipso accepta, quam à muliere oblata: ergo esset scandalum acceptum, non vero datum. Antecedens liquet: quia quælibet mulier habet ius, vt decenter ornata procedat, nimis enim grave onus esset mulieribus, eas compellere, vt maneant semper domi inclusæ: ergo tale adolescentis scandalum potius ex propria malitia, quam ex ornatu decenti mulieris oritur. Deinde: quia effectus per accidens, licet præviſus, si non est formaliter intentus, non imputatur ad culpam; sed illud adolescentis peccatum est effectus per accidens respectu ornatus mulieris, & alias non est intentus: ergo non debet mulieri imputari ad culpam. Sic Caietanus 2. 2. quæst. 169. art. 2. ad 5. Lorca tom. 2. q. 73. art. 8. Navarrus in Summa, cap. 23. num. 29. Sanchez lib. 1. *Decalogi*, cap. 6. num. 17. Trullench cap. 6. dub. 5. num. 20. Palaus tract. 6. disp. 6. punct. 7. num. 3. Nisi talem ruinam prædicto ornatu mulier intendat, tunc enim certum est apud omnes peccare.

Prosequitur explicatio traditæ doctrinæ.

60 Vnde oritur, quod, vt licite mulier possit se hominum conspectui offerre, necesse est, aliquam intervenire vtilitatem, saltim non se privandi sua libertate, & iure exeundi domo, vel standi ad fenestram: cæterum, quia istæ causæ, & vtilitates semper verificantur; semper etiam ei erit licitum, offerre se decenter ornatam hominum conspectui. Imò addunt citati Auctores quod, si ornatus esset superfluus, non peccaret mortaliter, sed venialiter: qui tot sunt mulieres superflue se ornantes, vt vix de vlla possit affirmari, occasionem peccandi hominibus tribuere. Videatur etiam Diana part. 2. tract. 25. *Miscelan.* 1. resol. 30. & coordinatus tom. 7. tract. 5. ref. 8. & 9. ¶ Sed credimus, hanc doctrinam cum grano salis esse intelligendam, eam limitando.

do. Primò: dum talis superfluus ornatus est meretritius, aut valde nimius, & præter Patriæ consuetudinem; vel ob illum ornatum superfluum scit ab aliquo in particulari turpiter adamandam; quia tunc iam ex se est occasio ruinæ ob ornatum illicitum: ac proinde graviter peccat, se ita ornando. Secundò: Quando absque necessitate domo egredietur, aut Ecclesiam vadit, vbi, & quando scit videndam ab amasio expectari: si enim tunc commode ad aliud templum adire potest, vel domi manere, debet hoc facere; quia tenemur absque gravi incommodo proprio, vitare aliorum peccata. Ita Sanchez num. 17. Palaus num. 4. Diana part. 5. tract. 7. res. 31.

An licita sit scollatura? 61 Maior tamen difficultas est: An liceat mulieribus nuda pectora, & mammillas ostendere? Summa Angelica verb. *Ornatus*, n. 3. Rosella num. 13. & Divus Antoninus in Summa, part. 2. tit. 4. cap. 5. §. 3. dicunt, mulieres incedentes nudo pectore graviter peccare: quia hæc profana nuditas, seu scollatura valde incitat videntes ad libidinem. ¶ Alij vero probabilius dicunt; quod, si talis ornatus sit iuxta morem patriæ, non est læthale ratione scandali, sed tantum veniale contra virtutem Modestiæ. Et ratio est: quia hic ornatus immoderatus non magis causat ruinam proximi, quam pulchritudo naturalis: ergo ruina proximi per accidens ex illo oritur. Sic Caietanus in Sum. verb. *Ornatus*, cap. 4. Navarrus in Sum. cap. 23. num. 19. Sanch. tom. 3. *de Matrimonio*, lib. 9. disp. 46. num. 26. Azor part. 2. lib. 12. cap. 18. q. 13. Layman tom. 3. lib. 2. cap. 13. num. 11. q. 13. Trullench lib. 1. cap. 6. dub. 5. num. 21. Bonacina *de Matrimonio*, quæst. 4. punct. 9. & alij. At vero; si hic ornatus non sit iuxta morem Patriæ, abs dubio erit læthale, eo vti. Vnde, si aliquæ fœminæ nunc in Hispania, vbi exemplo nostræ Catholicissimæ Reginæ fœliciter regnantis penitus hic pestiferus ornatus eradicatus est, iterum eo vterentur, procul dubio graviter peccarent; quia insolita magis movent; & excitant: quare diligenter à Confessoribus, Prædicatoribus, animarum que pastoribus opera danda est, vt huiusmodi scollatura nullatenus introducatur: & si ad hoc opus fuerit, sub mortali tenentur, absolutionem sacramentalem negare, & à sacra Synaxi eas repellere.

Illatio notanda circa vsum vestis virilis in fœminis, aut è contra, & circa Choreas. 62 Ex quibus liquet, per se illicitum non esse fœminis vti veste virili; aut è converso, viris vti veste fœminea; vnde, si absit scandalum, aut libidinis periculum peccatum non est ex sola curiositate, vel levitate eis indui, cum ex se concupiscentiæ incentivum non sit. ¶ His valde affines sunt Choreæ, quas dicendum est, licitas esse etiam inter personas diversi sexus, si modeste ducantur, vt quotidie accidit in aulis Principum, & nobilium domibus; quod damnare, cum oblectatio sit honeste facta, non audemus.

Scandalum grave committit pingens concubinam amasio, vel imagines obscænas 63 Inquires secundò: An pingens concubinam amasio, vel imagines obscænas, peccet mortaliter peccato scandali? Respondetur affirmativè quo ad vtram que partem. Et ratio primæ est: quia talis imago est fomentum, & incitamentum turpis amoris; & cum alias credat probabiliter amasium ea abusurum, traditio talis picturæ homini sic deperdito, est quasi donatio gladij parato, se occidere: ergo eam depingere, est causa, aut occasio ruinæ proximi. Sic Azor tom. 2. lib. 12. cap. vltimo, quæst. 9. Sanch. lib. 1. cap. 7. num. 40. Palaus tract. 6. disp. 6. punct. 12. num. 6. Bonacina disp. 2. *de Peccatis*, q. 4. punct. 2. §. vnico, num. 19. ¶ Sed limita tradìtam doctrinam; nisi causa iusta excusaret: quæ vtique non est amissio lucri ex tali pictura, alias cum hæc semper adsit, semper liceret eam pingere: sed causa iusta debet esse metus mortis, mutilationis, aut alterius similis damni. Ita citati Doctores, & Trullench contra Dianam part. 11. tract. 5. Miscelan. 5. resolut. 50. & coordinatum tom. 7. tract. 5. Resolut.

sio, aut imagines obscœnas.

64 Ratio vero secundæ partis est: quia nuda Venus, aut similis obscæna imago, pudendis detectis, aut coopertis veste, seu velo tenui, valde excitat ad turpia: ergo eam videntibus est occasio ruinæ spiritualis. Vnde, tam pingentes, quàm eas publice exponentes mortaliter peccant. Asserimus tamen; quod si non sint totaliter nudæ, & alias pudenda occultentur, non erit læthale, ad artis ostensionem, eas pingere, aut sculpere; & ad ostentationem, & ornatum conservare. Et ratio est: quia aliæ partes corporis, & si nudæ, non sunt ita ad venus incitativæ. Primum docet Sanchez *de Matrim.* lib. 9. disp. 46. num. 4. Rocaphul tom. 2. *Decalog.* lib. 4. cap. 3. n. 239. Trullench tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 12. n. 13. Busembaum lib. 3. tract. 4. cap. 2. dub. 1. num. 9. & alij. Secundum innuunt Turrianus *in Selectis*, cent. 4. lib. 18. Diana part. 11. tract. 4. Miscelan. 4. resol. 32. plures alios referens.

Domus locari possunt meretricibus, & vsurarijs. 65 Rogabis tertiò: An liceat vendere, aut locare vestes, & domos meretricibus, & vsurarijs? Negat Navar. *in Manuali*, cap. 17. num. 195. quia hoc esset concurrere ad aliorum peccata. Sed probabilius alij docent, id licitum esse: quia domus locatio nimis à peccato aliorum remota est; cum non sit illius materia, aut occasio. ¶ Deinde: quoniam domus non solum illi vsui deservit, sed etiam alijs licitis: ergo potest ad eos illam locare. ¶ Vltimò: Quia illæ personæ ob maiora damna vitanda à Reip. permittuntur: ergo eorum peccata non teneris impedire, illis tuam domum non locando. Ita Sanchez lib. 1. cap. 7. num. 20. Azor tom. 2. lib. 12. cap. 18. quæst. 3. Vazquez opusc. *de Scandalo*, q. 43. artic. 8. dub. 5. num. 48. Ledesma tom. 2. tract. 8. cap. 32. conclus. 14. diffic. 1. Trullench lib. 1. cap. 6. dub. 5. num. 16. N. Lezana consult. 46. num. 68. Diana part. 5. tract. 7. resolut. 26. Prado cap. 15. quæst. 12. num. 16. Qui quidem limitant traditam doctrinam in casu, quo domus illa esset aptior ratione situs ad ea peccata committenda: quia tunc videtur ad talia peccata adiuvare. Et ex eodem motivo Prado ait, esse illicitum, quando petitur cubiculum commodatum, vt fornicentur; quia tunc non petitur res, vt indifferens,

sed abusus rei indifferentis. Videantur dicta in hoc tractatu cap. 3. punct. 4. num. 25.

Non licet servis ministrare in peccatis venereis, bene autè in his, quæ sunt pure indifferentia.

66 Rogabis quartò: An liceat famulis ministrare dominis in peccatis contra Castitatem? Cui difficultati respondetur ex doctrina tradita à Divo Thoma 2. 2. quæst. 169. art. 2. ad 4. quam supra cap. 3. punct. 4. n. 25. stabilimus: quod, vel res in quibus ministrat famulus, vel pedissequa, est ex se ad venerea determinata, vel indifferens: si primum, quale est invitare concubinam ad copulam cum Domino, vel eam illi quærere; abs dubio illicitum est, & peccatum scandali; quia hoc est directè cooperare ad malum, quod quidem scandalum est. Si secundum; qualia sunt cibos condire, mensa ministrare, lectum sternere, concubinam ornare, eius que crines componere, licitum est: quia hæc valde remote ad peccatum concurrunt, propria que munera sunt liciti famulatus, & indifferentia bono, aut pravo vsui: vnde si illum non intendat ministrans, & si sciat Dominum, aut Dominam illis obsequijs, vel famulatibus abusurum, non peccat: quia nemo tenetur prohibere, ne aliquis rebus indifferentibus abutatur. Hæc doctrina fere est communis, & præter ibi citatos, plures referunt Sanchez lib. 1. Summæ, cap. 7. num. 5. Palaus tr. 6. disp. 6. punct. 11. num. 4. N. Antonius tom. 3. *Directorij Confess.* tr. 2. disp. 3. sect. 9. n. 187. & 188. Quare tota difficultas est; quæ ministeria sint pure indifferentia, ac proinde licita. Pro quibus.

Quædam supponuntur.

67 Rogabis quintò: An servi licite possint deferre litteras amatorias concubinæ, aut eas iussu Domini scribere? Ante resolutionem supponendum est primò: Quod, si tales litteræ nil turpe, sed tantum signa vrbanitatis contineant, licitum est eas scribere, aut deferre, dummodo adsit aliqua iusta causa: quia istæ actiones sunt ex se indifferentes, & sic, dum adest iusta causa, possunt à famulis propter illam executioni mandari: cæterum, si non datur iusta causa, quamvis tales actiones ex se indifferentes sint, quia à Domino ordinantur ad turpem amorem, cuius fomentum debet famulus vitare, quando commode potest, à famulis executioni mandari, non possunt: quia his circunstantijs exercitæ non sunt nisi pravæ, & fomentum malitiæ: vnde, quia huiusmodi actiones semper à Domino ordinantur ad peccatum, si non adest iusta causa, nequeunt à servis exerceri, quin peccent. Si vero dubium sit; an tales litteræ amatoriæ sint, non possunt famuli eas deferre: quia, cum de turpi amore constat, moraliter creditur turpia continere.

Non licet famulis deferre internuntia verba turpia de clarantia.

68 Supponendum est secundò: Numquam famulis licere, deferre internuntia verba, turpia exprimentia: quia hoc est intrinsice malum, cum immediate, & directè sit instrumentum, quo Dominus fœminam ad peccatum inducit; quod non ita immediate verificatur de litteras amatorias deferentibus. In hoc conveniunt Trullench lib. 6. *in Decalog.* cap. 1. dub. 12. Bonacina *de Matrimonio*, quæst. 4. punct. 14. num. 6. & alij Doctores cum Sanchez lib. 1. Summæ, cap. 7. num. 5. contra Palaum punct. 11. num. 7. Vnde tota est difficultas de scribentibus, & deferentibus litteras amatorias. An hoc licite ab ipsis fieri possit.

Aliqui sentiunt posse famulos scribere, vel deferre litteras amatorias.

69 Ad quam Merolla tom. 1. disp. 2. cap. 4. concluf. 5. num. 287. & Saa verb. *Peccatum*, num. 9. Edictionis Complutensis, affirmant, id licitum esse; quibus adhæret, licet cum trepidatione, & sub dubio Palaus tr. 6. disp. 6. punct. 11. num. 7. & probabilem reputat Hurtado 2. 2. disp. 173. sect. 30. §. 399. Et moventur: quia litteras amatorias deferre, & scribere non est intrinsice malum, sed indifferens, quando non adest pravus finis: ergo aliquando, & consequenter famulis licet eas deferre. Probatur antecedens ex doctrina Thomæ Sanchez lib. 9. *de Matrimonio*, disp. 46. num. 34. quia verba, vel scripturæ sunt signa conceptus interni: ergo in tantum erunt prava, in quantum significant conceptus internos pravos: tunc sic; sed talia verba, aut litteræ non significant pravos conceptus vel amanuensis, vel litteras deferentis, sed Domini præcisè iubentis ea deferre, aut scribere, vt supponimus: ergo pro vt ab illis vel scribuntur, vel deferuntur, intrinsice mala non sunt; & ita aliquando eas aut describere, aut deferre, licebit. Deinde: *Hæc turpia*, ait Palaus, *scribi possunt, sicuti scribunt Doctores ad ponderandam malitiam illorum, qui ea ex malo fine proferunt: possunt que scribi, & dici non tamquam ex proprio marte sed alieno; non serio, sed irriforie: possunt similiter deferri ad concubinam, non vt moveatur ad coitum, sed vt illa comburat, & irrideat*: ergo hæc actio scribendi, aut deferendi litteras amatorias illicita non est.

Illicitum est litteras amatorias, vel scribere, vel deferre.

70 Sed nihilominus dicendum est: has actiones scribendi, aut deferendi litteras amatorias esse omnino illicitas. Et ratio est: quia talia verba, dicta per internuntium, sunt ex se provocativa, & intrinsice mala: ergo multo magis scripta, cum diu durent provocando: ergo illicitum est eas scribere, & deferre. ¶ Confirmatur primò: Nam vocare verbis expressis ad fornicandum, intrinsice malum est: ergo etiam intrinsice malum erit vocare media delatione litterarum. ¶ Confirmatur secundò: Officium Lenonis intrinsice malum est; sed similes actiones sunt propriæ Lenonis: ergo, &c. Tertiò: Qui ad singulare certamen, seu duellum illicitum, provocatoria scripta, libellos, epistolas, earumque exemplaria dictaverint, composuerint, scripserint, misserint, detulerint, divulgaverint, mortaliter peccant, & excommunicationis, pœna per Gregor. XIII. & Clementem VIII. plectuntur (circa quæ, videnda sunt, quæ docuimus tract. 10. cap. 4. punct. 3. à num. 42.) ergo similiter mortaliter delinquiunt describentes, aut deferentes litteras amatorias. Patet consequentia: Nam ideò in primo casu illicitum, & peccaminosum est, tales epistolas scribere, dictare, deferre, &c. quia provocant ad duellum prohibitum, & illicitum: ergo cum litteræ amatoriæ provocent ad inhonestos actus, illicitum erit, eas aut scribere, aut deferre.

Per

Fit satis opinionis contrariæ argumentis.

71 Per quæ patet ad rationes contrarias, quæ indignæ sunt, vt à pijs Doctoribus proferantur, & scribantur. Licet enim litteræ illa, & verba non explicent conceptus scribentis, aut deferentis ; sunt tamen instrumenta immediata, quibus concubina ad inhonestos, & illicitos actus inducitur ; vnde non sunt præcisè illicita talia verba, aut litteræ quatenus conceptus depravatos Domini explicant ; sed etiam in quantum ad malum alliciunt, quod faciunt medio famulatu deferentis, aut scribentis : quare, sicut peccat Dominus suum depravatum animum per ea manifestans ; sic, & servi, ea aut deferendo, aut scribendo, vt concubina ad malum cum Domino cooperandum, alliciatur. Nec fingere potest servus præcisionem illam, quam Palaus scribit ; cum litteras illas aut scribere, aut deferre, dum depravatum Domini animum cognoscit, sit intrinsice malum, vt diximus numero antecedenti, & ideò nequit à malitia denudari : & quid magis à ratione exulat, quam asserere hæc verba, aut litteras ad concubinam non serio, sed irrisorie scribi, & mitti, vt ea comburat, & non potius, vt lasciviæ igne comburatur ; cum ex se valde provocativa sint, proximo que spiritualem ruinam inferant? Vnde nostram resolutionem tenent Sanchez lib. 1. cap. 7. num. 26. Petrus de Ledesma tom. 2. tract. 27. cap. 9. concluſ. 6. difficult. 4. Bonacina *de Matrimonio*, quæst. 4. punct. 14. n. 6. Layman lib. 2. tract. 3. cap. 13. Machado tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 11. num. 6. Diana part. 5. tract. 7. resol. 27. & part. 7. tract. 7. resolut. 52. & coordinatus tom. 7. tract. 5. resolut. 44. & 45. & alij. Qui omnes extendunt doctrinam ad casum, in quo Dominus minaretur mortem famulo ; quia cum prædictæ actiones sint intrinsice mala, nunquam licitæ esse possunt.

Quædam ex doctrina tradita inferuntur.

72 Ex hucusque dictis sequitur primò: Licere aurigis, deferre meretrices ab vno ad alium locum, & si sciant ad peccandum illuc petere ; cum hæc actio indifferens ex se sit, & ad eos à peccato excusandos, sufficit amissio lucri. Azor tom. 2. lib. 12. cap. vltimo, q. 8. Sanchez num. 25. Diana part. 3. tract. 6. Miscel. 2. resol. 11. Merollo tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 10. concl. 3. num. 280. ¶ Sequitur secundò : Fas esse famulo comitari concubinam ex se paratam ire in domum heri, dummodo nullum internuntium deferat ; quia hic est simplex comitatus, ac proinde actio indifferens ; cum prius præcesserit conventus inter herum, & concubinam de peccato. Imò, & si eam deferret curru, aut sella, non peccaret ; quia hæc actio est propria famulatus. Sanchez lib. 1. cap. 7. num. 25. Palaus tract. 6. disp. 6. punct. 11. num. 5. ¶ Tertiò : Licitum est famulis, causa famulatus, domum heri concubinæ aperire ; facem præferre, lectum sternere, cibos condire, mensæ ministrare ; vt diximus tract. 13. cap. 1. punct. 5. num. 128. Imò & dominum ad concubinæ domum comitari, quando, etiam famulo non comite, herus adiret ; nec ex eo animosior reddatur ; quia tunc est merus comitatus : at vero si herus famulum comitem adhiberet, vt securius, & liberius peccaret, & ab invadentibus se defenderet, esset omnino illicitum : quia tunc iam influeret proxime in peccatum Domini. Videantur Sanchez num. 22. & 25. Diana part. 5. tr. 7. res. 29.

Non licet famulo, scalam, aut humeros apponere, vt Dominus ad peccandum ascendat.

73 Maior difficultas est : An fas sit famulis scalam apponere, sustinere humeris herum per fenestram ad fornicandum ascendentem, vel aperire vi ianuam virginis honestæ, ad eam strupandam, si timerent, ne à Domino torvis oculis aspiciantur, aut male tractentur, aut à Domino è domo expellantur, & expulsi cogantur emendicare, aut penuriam pati? Affirmat Palaus tom. 1. tr. 6. disp. 6. punct. 11. num. 5. his verbis : *Domino ascendere volenti per fenestram ad rem habendam cum fœmina, poteris pedem sustinere, scalam apponere ; quia sunt actiones indifferentes.* Merola tom. 1. disp. 2. cap. 4. corollar. 2. num. 278. addit, id licere, dummodo gravior causa adsit, scilicet, vitatio alicuius magni damni. Sed prædictam doctrinam damnat Innocentius XI. in sequenti propositione, ordine 51. *Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestram ad strupandam virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Quare hæc sententia iam tuto defendi nequit, eam que ante prohibitionem reprobarunt Suarez *de Charitate*, disp. 10. sect. 4. Diana part. 5. tract. 7. resolut. 6. & alij.



Circa propositionem damnatam nota primò.

74 Sed hic primò notandum est : quod, quando in dicta propositione damnatur, adiuvare Domino ad strupum *aperiendo ianuam*, hæc apertio non intelligitur de apertione ianua, vt concubina in domum heri ingrediatur ; quia hæc, vt suprà diximus num. 59. *Tertiò licitum est, &c.* non est intrinsecè mala, & ideo licita est, quando iussu Domini fit : sed de apertione ianuæ clavi, aut vi, vt strupet virginem, vt patet ex contextu verborum. Quare male sentit Corella in explicatione dictæ propositionis, priori modo illam explicans.

Nota secundò.

75 Nota secundò : Quod, cum ibi solum damnet Pontifex prædictas actiones, quando fiunt *metu notabilis detrimenti, &c.* restat difficultas ; si fiant metu magni damni, aut mutilationis, vel mortis, an sint licitæ? Affirmat Sanchez lib. 1. *Decalogi*, cap. 7. num. 30. & nos leviter tetigimus tom. 3. tract. 13. cap. 1. punct. 5. num. 129. quia istæ actiones sunt ex se indifferentes : ergo licet peccato sint satis proximæ, possunt excusari ratione gravis mali imminentis. ¶ Sed nunc ex professo rem examinantes, asserimus : hæc omnia illicita esse, etiam vrgente periculo mutilationis, aut mortis. Et ratio est : quia, quod est intrinsice malum, nullo modo, vt ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 110. art. 3. honestari potest, etiam si adsit periculum mortis ; sed adiuvare Dominum, humeros supponendo, vel deferendo scalam ad virginem stuprandam, aut fornicandum cum concubina, hic, & nunc est intrinsice malum, & nullo modo indifferens ; sicut co-

comitare latronem, vt eum defendat, vel, vt ad furandum aliquis adiuvet, esse intrinsice malum docuimus tom. 3. tract. 13. cap. 1. punct. 5. num. 127. ergo non licet etiam metu mortis huiusmodi actiones exerceri. Probatur minor: Quia tunc cooperatio ad aliquam actionem malam non est intrinsice mala, sed indifferens, & ob metum gravem licita, quando principalis causa illius actionis potest tunc bene, aut male eam exequi, & ex sua malitia provenit, quod male fiat: qua propter possumus petere mutuum ab vsurario parato, & à gentili iuramentum, & si sciamus vsurarium non mutuo, sed sub vsuris daturum; & gentilem per falsos Deos iuraturum, vt cum Divo Aug. & Divo Thoma docuimus tract. 14. cap. 3. punct. 14. num. 120. & similiter petere iusta de causa ab indigno Ministro Sacramenta, quin cooperemur eius sacriligæ administrationi, vt diximus tom. 1. tract. 1. cap. 8. num. 34. & tom. 2. tract. 10. cap. 3. num. 21. Imò potest fidelis, dare absque labe Simoniæ munus aliquod Ministro nolenti aliter sacramentum ministrare, vt docuimus tract. 19. cap. 2. punct. 2. num. 14. & tenet Divus Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 5. & horum omnium ratio est: quia omnes istæ actiones fieri licite ab illis possunt; potest namque vsurarius mutuare absque vsuris; gentilis iurare per Deum verum; & Minister Sacramentorum debite illa ministrare; (vnde nihil ex dictis poteramus facere, si causæ principales non possent illa absque peccato exercere) sed herus hic, & nunc nequit ascendere, aut aperire portam ad strupandam virginem, vel fornicandum, quin in his actionibus peccet: ergo nec famulus ad eas cooperari, aut immediate subijciendo humeros, aut scalam apponendo etiam ob metum mortis, adiuvare: patet consequentia, alias cooperaretur ad actionem intrinsice malam, seu quam hic, & nunc licite exequi herus non potest, quod omnes communiter negant. Et ex his patet ad motivum sententiæ contrariæ.

§. III.

Deciduntur alij casus circa inductionem ad alia peccata.

Nullum scandalum committit petës iusta de causa mutuum ab vsurario, vel sacramenta ab indigne ministrante.

76 POstquam de scandalo in materia Castitatis egimus, oportet aliqua saltim prælibare circa concursum, & cooperationem ad alia peccata. Pro quo rogabis primò: An sit peccatum scandali, mutuum petere ab vsurario parato ab exigendas vsuras, & sacramenta à Parrocho, vel Sacerdote, parato sacrilege ministrare? Ad quam difficultatem dicimus, nullum peccatum scandali committere exigentem vsuras ad vsurario parato, vel sacramenta ab indigne ministrante; si adest iusta causa, vel necessitas. Et ratio est: quia petere, quod mihi est vtile, & alter potest sine peccato conferre, abs dubio est mihi licitum, & in hoc nullum scandali peccatum committo; sed in casu posito, tam vsurarius, quàm minister possunt, si velint, sine peccato conferre, quæ ab eis exiguntur, vt ex se liquet: ergo, & si sciam, eos cum peccato collaturos, possum sine scandali labe petere ab illis vel mutuum, vel sacramenta, quæ mihi vtilia, vel necessaria sunt. ¶ At vero, si non adest necessitas, vel æque bene ab alio ea possum accipere, non licet ab eis petere; quia Charitas obligat, & graviter, vitare damnum spirituale proximi, quando commode possumus. Omnia hæc docuimus, tum tom. 1. tract. 1. cap. 8. punct. 11. à n. 16. loquendo de indigno Ministro Sacramentorum: tum tom. 2. tract. 10. cap. 3. num. 21. Et de vsurario, tom. 3. tract. 14. cap. 3. n. 120. cum Divo Thoma 2. 2. quæst. 78. art. 4. vbi hæc habet verba: *Licet tamen ab eo, qui hoc paratus est, facere, & vsuras exercet mutuum accipere sub vsuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius.* Divum Thomam sequuntur Caietanus ibi, Navarrus cap. 14. num. 39. Sanchez lib. 1. *Decalogi*, cap. 7. num. 15. Bonacina disp. 2. *de peccatis*, quæst. 4. punct. 2. Palaus tract. 6. disp. 6. punct. 10. num. 5. Vnde audiendus non est Diana part. 1. tract. 8. resol. 31. & part. 5. tr. 7. resol 8. esse tantum veniale peccatum, & si adsit iusta, & rationabilis causa.

Limitatur doctrina tradita.

Probatur nostra conclusio à paritate.

77 Confirmatur vlterius nostra conclusio. Etenim potest quis iuxta Angelicum Doctorem 2. 2. quæst. 73. art. 2. in corpore, & ad 1. & secundum à nobis dicta tom. 3. tract. 13. cap. 4. punct. 5. §. 4. num. 63. dicere *aliqua verba per quæ diminuatur fama alicuius, non hoc intendens, sed aliquid aliud*: vnde dicta verba prolata ob necessitatem, vel aliquam honestam vtilitatem, non habent malitiam detractionis, nec scandali: ergo similiter potest quis absque scandali labe, dum adest necessitas, vel rationabilis vtilitas, mutuum, & sacramenta ab vsurario, & sacrilego Ministro petere non intendens vsuram, & sacrilegam administrationem, sed aliquid aliud, scilicet, mutuum, & administrationem Sacramentorum. Et ratio est evidens: Quia hæc damna spiritualia, quæ Ministro, vel vsurario adveniunt, sunt præter intentionem petentis, nec ipsi volita: sicut, esto ex prolatione verborum sequatur diminutio famæ, dum hoc non intenditur, dicta verba non sunt detractoria, nec vt talia volita: ergo, si hoc licet, etiam illud.

Licet iusta de causa petere iuramentum ab eo, quem falso iuraturum scio.

78 Ex quibus sequitur: licitum esse, petere iuramentum ab eo, qui paratus est, aut timemus, falsum iuraturum, si iusta mihi adsit causa. Et ratio est eadem qua præcedentem doctrinam probavimus: quia ab eo petitur id, quod licite, & honeste fieri potest: ergo, si falso iuret, propriæ malitiæ tribuendum est. Deinde: quia si hoc non liceret, inde homines ansam abriperent debita negandi; & tunc nec creditor, imò nec iudex, etiam actore, & creditore petente, possent licite exigere iuramentum à debitore, quem sciunt falso iuraturum; sed hoc satis absurdum est: ergo licet, iusta de causa, petere iuramentum ab eo, quem scio, aut timeo falso iuraturum. Videantur Suarez tom. 2. *de Religione*, lib. 3. *de iuramento*, cap. 15. num. 10. Mendoza 2. 2. disp.

disp. 173. sect. 15. num. 197. vbi aliquibus obiectionibus erudite satisfaciunt.

Non licet iurare veritatem, quãdo talem esse ignoratur.

79 Rogabis secundò: An sit licitum, inducere ad iurandum verum, quod iuraturus, esse verum, ignorat? Explicatur quæstio. Scholasticus vult cursum probare, cui recte interfuit, sed testibus tunc caret, qui eum interfuisse viderint, sed adhibet alios, qui eum interesse non viderunt: quæritur; an isti iurare possint licite, & ad id alter suadere? Ad quam difficultatem à paucis exagitatam negativè respondetur. Et ratio est: quia tales testes re ipsa mentiuntur, & si alias verum dicant, cum testentur contra propriam mentem, & contra id, quod sciunt: ergo nequit aliquis eos ad id inducere, & occasionem ruinæ spiritualis parare. ¶ At vero, si antea inducens persuadeat illis veritatem, taliter, quod de ea efforment prudens iudicium practicum, licite possunt tunc iurare; & ab eis iuramentum exigi, non est scandali peccatum; cum tunc iurent id, quod prudenter credunt, verum esse: quare tunc licebit iurare, talem Scholasticum interfuisse, non vero se illum interesse vidisse. Ita Hurtado de Mendoza 2. 2. disp. 173. sect. 15. §. 200. & Diana part. 5. tract. 7. resol. 10. ¶ Sed verius est oppositum iuxta dicta à nobis tract. 17. cap. 2. n. 44. quia in iudicialibus, qualis est præsens materia, solum potest vt certum iurari, quod oculis videtur.

Non licet inducere ad iurandũ falsum licet iurans credat esse verum.

80 Rogabis tertiò: An licitum sit inducere ad iurandum id, quod falsum esse cognoscit inducens, sed iurans credit esse verum? Respondetur cum Azor tom. 1. lib. 10. cap. 11. quæst. 2. Suarez *de Religione*, tom. 3. lib. 3. *de Iuramento*, cap. 14. num. 8. & alijs, esse peccatum. Et ratio est: quia nullus inducere potest ad id, quod est malum obiective, & si illud committens excusetur à peccato ob ignorantiam, vt diximus tract. 11. cap. 2. à num. 158. & cap. 3. punct. 4. num. 49. & ita nemo potest inducere ad fornicandum, ad pollutionem, &c. & si verum esset, quod committens crederet ex ignorantia invincibili, nullum committere peccatum. Tum sic, sed falso iurare, est obiective malum: ergo illicitum est, & scandali peccatum ad id inducere; & si committens ex ignorantia crederet, verum iurare. Vnde oritur; illicitum esse, & peccatum scandali inducere ad iurandum Petrum, verbi gratia, esse nobilem, hæc, aut illa honorifica officia obtinuisse, quando inducens scit, esse falsum, & si iurans credat esse verum. ¶ Nec obest in præsenti, quod non eveniat, nec sequatur proximi ruina, ac proinde non videtur esse scandali peccatum. Quia, vt est apud omnes certum, essentia scandali non est sita in eo, quod sequatur actu, vel non sequatur proximi ruina; sed in eo, quod tale scandalum sit ex se occasio lapsus, aut ruinæ spiritualis, vt supra diximus num. 38. Vnde, sicut immunis non est ab scandali labe, ex eo, quod Petrus, verbi gratia, tuis pravis dictis, aut factis, ob suam virtutem, non scandalicetur: ita ex eo quod ille non peccet ob ignorantiam rei peccaminosæ, ad quam faciendam eum induxisti.

Non licet invitare ad cœnam parato solvere ieiunium.

81 Rogabis quartò: An liceat invitare ad cœnam parato solvere ieiunium? Respondetur negativè: Et ratio est: quia hoc est invitare ad actionem, à qua hic, & nunc separari nequit malitia; & sic est obiective mala, quatenus prohibetur sub præcepto; sed peccatum est, invitare ad id, quod est obiective malum, vt omnes fatentur: ergo nullo modo licet invitare ad cœnam parato solvere ieiunium. Maior liquet: quia, vt diximus tr. 11. cap. 2. à num. 158. & cap. 3. à num. 47. invitare, consulere, & ministrare in actionibus prohibitis per aliquam legem, sub qua illas exercens continetur, est obiective ex præcepto malum; sed paratus solvere ieiunium, est sub lege ieiunij: ergo invitare ad cœnam modo dicto, est obiective malum ex præcepto. Quare nec famuli heris, nec caupones hospitibus possunt licite ministrare Carnem tempore ieiunij: quia concurrunt ad actionem ex præcepto malam. Sic Palaus tract. 6. disp. 6. punct. 10. num. 2. & punct. 14. n. 2. Vazquez *de Scandalo*, quæst. 43. art. 1. dub. 3. num. 17. Diana part. 5. tract. 7. resol. 13. & coordinatus tom. 7. tract. 5. resol. 59. referens Turrianum, & Molfesium. Sed quia famuli, & idem dicendum est de Tabernarijs, & Caponibus, præsumere debent Dominos, vel hospites ob aliquam infirmitatem, vel fatigationem ab itinere, excusatos esse à lege vel abstinentiæ, vel ieiunij; ideò, quando sibi contrarium non constat, tute possunt eis ministrare cibos vetitos, quin peccatum scandali incurrant; cum rationabiliter præsumant, esse exemptos à dictis præceptis.

Non licet sæcularibus ministrare nobis Carmelitis Discalceatis carnes absque necessitate, &c.

82 Ex quibus sequitur male dixisse N. Antonium à Spiritu Sancto in *Director. Regular.* tract. 3. disp. 6. sect. 4. num. 528. posse sæculares ministrare carnes NN. Carmelitis extra suos Conventus, si parati sint eas absque necessitate, & licentia comedere. Et ratio est eadem, qua conclusionem antecedentem stabilivimus: siquidem comestio carnium est nobis sub præcepto prohibita; & ideò talis ministratio esset concurrere ad actionem malam ex præcepto, quod est peccatum: sicut esset, si concurrerent ad alios actus illicitos, vt ad fornicationem; & si alter esset paratus eos exercere: quia de materiali est, vt talis concursus, vel ministratio sit peccatum, quod actio si mala ex obiecto, aut ex præcepto, si de facto ab illa malitia separari non potest. Sed in hac materia gravior est difficultas, quam movet prædictus Doctor, scilicet.

Qui ministrat Carmelitis Discalceatis secreto carnem, non peccat mortaliter iuxta aliquos.

83 An peccet mortaliter fœmina, quæ compassione, vel malitia ducta, callide Carmelitæ Discalceato præberet iusculum artificiose ex carnibus confectum; aut etiam ipsas carnes ita artificiose conditas, vel ovis permixtas, vt Carmelita id non agnoscat (alioquin, vt accidit semper constanter recusaturus) cum constet sibi, eas esse nobis sub præcepto prohibitas. Negative respondet N. Antonius loc. citat. à num. 523. his verbis suam conclusionem probans: *Quia hic non intervenit scandalum activum influens in ruinam spiritualem proximi, nec formaliter, cum inducens id nullo modo velit (vt suppono) nec ma-*

te-

terialiter, cum non illi opponatur materia hic, & nunc mala, sed quæ potius hic, & nunc bona, ratione, scilicet, bonæ fidei præcedentis ex illo errore: vnde nec in tali inductione intervenit scandalum passivum. Et idem dicendum est; & si vnus Carmelita alteri Carmelitæ præbeat prædictum ferculum, illi suadens esse ex piscibus. Neque obstat (ait) *quod inducens scit ferculum, esse ex carnibus: nam Carmelita inducens non comedit ex ipso, vt suppono, & alias non intendit, quod alter vescatur ex eo, quod scit esse carnem, sed quod credit, esse pisces: ergo nullo modo inducit ad peccatum, & consequenter nec peccat mortaliter.* Hucusque prædictus Pater referens Pellizarum, Hurtadum, & Dianam 5.part.tract.7. resol.14.Sed hic author male citatur,cum in tali resolutione agat de inductione ad iurandum.

Contraria sententia est omnino tenenda, & docenda.

84 Sed hæc doctrina in nostris, & probabilioribus principijs substineri nequit.Nam; vt optime docent NN. Salmanticenses Scholastici tom. 4. tract. 13. disp. 6. dub.5 à n.98. & nos docuimus tom. 3. tract. 11. cap. 2. punct. 10. à num.58.& cap.3.punct.4.à n.47. quando aliquis excusatur à transgressione legis per ignorantiam, aut impotentiam, manendo tamen sub illa, non observatio legis est saltim obiectiue mala, & si talis lex sit Ecclesiastica; sed inducere ad id, quod obiectiue est malum, est peccatum, vt constat ex dictis num. 68. & 69. ergo peccatum est, inducere aliquem ad transgressionem legis, quando sub illa manet, & si per ignorantiam excusetur. Tum sic: sed Carmelita Discalceatus est sub lege prohibente sub mortali esum carnium extra domum: ergo, qui callide illas ei præbet, inducit ad id, quod obiectiue est malum, & consequenter peccatum scandali committit. Nec obest; quod inducens dicat verbis, se nolle spiritualem proximi ruinam, & ita sibi persuadeat; si tamen suis factis id negat; & sic saltem implicite eam vult: vnde virtualiter intendit proximi ruinam, esto re ipsa non sequatur ratione ignorantiæ, aut bonæ fidei illius. Deinde: quia, si hæc doctrina esset vera, posset quilibet in die veneris præbere iusculum ex carnibus alteri sæculari, si hic crederet esse ex leguminibus; cum eodem modo ex præcepto sit prohibitum Carmelitis extra domos proprias comedere ex carnibus, ac sæcularibus, eis die veneris vesci; sed hoc satis absurdum est, à nullo que vidimus concessum: ergo scandali peccatum committit, qui callide præbet nobis iusculum ex carnibus confectum. Ex quibus satis constat ad argumenta contraria.

Bona spiritualia necessaria ad salutem æternã non sunt dimittenda ob vitandũ scandalum.

85 Rogabis quintò: An bona spiritualia, quæ sunt nobis præcepta, sint dimittenda ob vitandum scandalum? Pro resolutione nota: triplicia esse præcepta: alia iuris divini; vt præcepta Fidei, & Sacramentorum: alia iuris naturalis, vt subvenire in extrema necessitate: & alia iuris positivi humani, vt ieiunij præceptum. Quo supposito, dicendum est primò: Quod præcepta Fidei, & Sacramentorum, cum sit necessaria necessitate medij ad salutem æternam consequendam, non sunt dimittenda ob quodcumque scandalum. Et rationem tradit Divus Thomas 2. 2. q.43. art. 7. *Quia hæc prætermitti non possunt sine peccato*; sed nullus debet mortaliter peccare propter scandalum alterius vitandum, vt est per se notum: *Non enim facienda sunt mala, vt eveniant bona*: ergo nec potest omitti præcepta Fidei,&c.ob scandalum vitandum. Quare, si domi alicuius mulieris esset parvulus, qui absque Baptismo moritur, teneor ingredi talem domum, & puerum baptizare, & si ob hoc scandalum sequatur.

Non licet omittere præcepta negativa ob vitanda scãdala. Et quid circa positiva?

86 Dicendum est secundò: Præcepta negativa iuris naturalis, verbi gratia, *non occidere, non furari, non fornicari, &c.* non esse transgredienda ob vitandum scandalum: quia hæc transgressio est ab intrinsico mala, & ita nullo tempore licet: obligant enim semper, & pro semper, vt diximus tom. 3. tract.9.cap.1. punct. 4. num.55. Si vero præcepta sint affirmativa iuris naturalis, vel iuris positivi humani, etiam aliqui dicunt: ob vitandum præcisè scandalum pusillorum (hoc est quod procedit ex infirmitate, vel ignorantia) non esse omittenda. Et ratio est: quia scandalum tunc non est datum, sed acceptum; cum nullus det occasionem scandali, ex quo præcepta sibi imposita exequatur; sed ob scandalum acceptum nulla præcepta, sivè naturalia, sivè positiva cessant: ergo omittenda non sunt ob vitandum scandalum. Sic Vazquez 2. 2. q. 43. art. 7. dub. 1. num. 4. Navarrus in Summa, cap. 14. num. 44. Basilius de Leon *de Matrimonio*, lib. 5. cap. 18. §. 2. num. 17. Palaus tract. 6. disp. 6. punct. 16. num. 3. Pro qua referri etiam possunt Div.Augustin. epist. 199. dicens: *Non est cessandum ab operibus bonis pro quocumque scandalo.* Et Divus Gregorius citatus à Divo Thoma 2. 2. quæst. 43. art. 7. his verbis: *Si veritate scandalum sumitur, vtilius nasci permittitur scandalum, quam quod veritas relinquatur.*

Proponitur nostra sententia authoritate,& ratione fulcita.

87 Sed Divus Thomas loco allegato in corpore loquendo de scandalo pusillorum circa res spirituales, quæ non sunt de necessitate salutis, hæc docet: *Propter quod sunt spiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdum differenda: vbi periculum non imminet, quo vsque reddita ratione huiusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret; iam videtur ex malitia esse, & sic propter ipsum non sunt huiusmodi spiritualia opera dimittenda.* Ex quibus verbis infert Bannez præcepta naturalia affirmativa, & alia iuris positivi humani, esse ob scandalum vitandum aliquando dimittenda. Idem docent Ledesma 2. part. Summæ, tract. 4. cap. 5. conclus. 8. Canus in *Relectione de Pœnitentia*, part. 5. Valentia tom.3. disp. 3. quæst. 18. punct. 4. Suarez disp. 10. *de Scandalo*, sect. 4. num.9. Hurtado de Mendoza 2. 2. disp. 173. sect. 20. à §.256. Lorca 2.2. quæst. 43. art.8.num.10. Gordon tom.1. lib. 6. quæst. 16. cap. 5. §. 1. Medina cap. *de Confessione*, quæst. de illius integritate. Sylvester verb. *Confessio*. Ex quibus hi duo vltimi asserunt ob scandalum omitti posse integritatem confessionis: quam sententiam, quia tract.6. cap. 8. punct. 5. num. 119. ex parte ei

ei adhæsimus, docendo; excusari ab integritate confessionis ob grave damnum proximi; hunc etiam eam amplectimur. Et movemur primò: Quia præceptum naturale est, delinquentes punire, & peccatores corrigere; sed ob vitanda scandala, puta, si ex primo timeatur seditio in Reipublica, & ex secundo, quod correctus fiat detereor, prætermittenda sunt punitio, & correctio: ergo aliquando licet ob scandala vitanda prætermitti præcepta naturalia affirmativa, & positiva iuris divini, & humani. Secundò: Præceptum vitandi scandali est naturale: ergo præferendum est obligationi cuiuslibet præcepti humani. Tertiò: Omittere aliquando licet (& ad id obligamur) præcepta Missæ, & ieiunij, ob vitam corporalem proximi: ergo potiori titulo ob vitam spiritualem, quæ ob scandalum periclitatur.

Assignantur occasiones, in quibus licet, dicta præcepta omittere.

88 Sed si scire cupis, quando hæc præcepta sunt prætereunda ob vitandum scandalum? Dicendum est: hæc prætermittenda esse, quando ex omissione præcepti, nullum sequitur damnum proximi, vel damno imminenti præponderant scandala sequenda. Quare, si sacerdos timeat ex concursu civium ad sacrum, orituras graves discordias aut rixas, debet semel, aut bis à sacro abstinere, donec publica authoritate vitentur. Similiter vxor, quæ ex eo, quod ieiunat in Quadragesima, præbet offendiculum viro, quia redditur nimis macerata, cessare debet à ieiunio: quia hic verificatur illud Oseæ 6. vers. 6. *Misericordiam volui, non sacrificium.* At vero; quando ex omissione præcepti oritur grave damnum proximi, & si timeantur scandala, adimplendum est præceptum. Et ideò, si aliqua mulier sit in extrema necessitate, teneor ei subvenire, ingrediendo eius domum, & si inde sequantur scandala: vnde audiendi non sunt Bannez, & Ledesma contrarium docentes: quia ferina immanitas est, permittere proximum fame perire, omittendo ei succurrere, quoniam inde alij ansam arripient murmurandi, aut temere de eo iudicandi.

Fit satis argumentis contrarijs.

89 Ad argumentum respondetur: hic non loqui de scandalo *Pharisaico*, seu accepto ex malitia; sed de eo, quod *Pusillorum* dicitur, hoc est, ortum ex ignorantia inculpabili, aut infirmitate, respectu cuius cessat aliquando obligatio præcepti naturalis affirmativi, & pluries positivi. ¶ Ad authoritatem Divi Augustini, & Divi Gregorij dicendum est cum Bannez: dictos Sanctos Patres intelligendos esse, non esse cessandum ob scandalum à bonis operibus, & veritate edocenda, committendo aliquod peccatum; secus vero quando non committitur: quia prædicta præcepta iam tunc non obligant.

CAP. IX.

De Religione, & eius actibus internis.

CUm hucusque actum sit de Fide, Spe, & Charitate, quæ, vt vidimus cap. 1. num. 8. & 9. ex Divo Thoma, præludia quædam sunt ad Decalogi præcepta; restat nunc de primo Præcepto Decalogi, quod est de cultu, & adoratione Dei differere. Quod quidem his verbis intimat divinum eloquium: Exodi 20. *Non habebis Deos alienos in conspectu tuo. Non facies tibi sculptile, nec similitudines omnium, quæ in Cœlo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, & non coles.* In quibus verbis sub forma triplicis negationis, omnis verus Dei cultus præcipitur; & omnis falsorum Deorum adoratio prohibetur: in prima enim negatione includitur in ly: *Non (habebis) coram me; me verum Deum coles, alienis Dijs cultum non adhibebis*, vt ait Catechismus Romanus part. 3. *de primo præcepto*, num. 3. in fine. Per quam quidem negationem excluditur omnis falsorum Deorum cultus etiam absque simulachris, vt mos fuit apud Romanos teste Marco Varro. Sub secunda vero nempe: *Non facies tibi sculptile*, idem cultus medijs eorum imaginibus vetatur: & denique sub tertia scilicet: *Non adorabis ea, & non coles*, idolatricus eorum cultus prohibetur. Cum ergo Religionis virtus sit, per quam Deo cultum debitum tribuimus; ideò primo de ea, eius que actibus; & postea de vitijs illi oppositis agemus. Vnde in hoc cap. differendum nobis erit de Religione, & eius actibus internis, devotione scilicet, & oratione; quod dividimur per 6. subsequentia puncta, quorum primum est.

Punct. I. *Religionis essentia, & eius actuum multiplicitas declaratur.* num. 1.

Punct. II. *Quid sit devotio, qui sint illius effectus, & quando obliget?* num. 5.

Punct. III. *De Oratione.*

§. I. *Quid, & quotuplex sit oratio; & quale illius præceptum?* num. 8.

§. II. *Quis à nobis eſt orandus; & qui poſsint orare.* num. 20.
§. III. *Quare Proto-parens N. Elias licite invocari, & orari à fidelibus poſſit?* num. 37.
§. IV. *Qui poſsint pro nobis orare?* num. 46.
Punct. IV. *Qualiter Religioſi, & maximè Carmelitæ, ad orationem mentalem teneantur?* num. 50.
Punct. V. *Pro quibus liceat orare; & an ſuffragia vivorum defunctis proſint?*
§. I. *Explicatur, pro quibus nobis liceat orare?* num. 66.
§. II. *Aliæ deſideratæ quæſtiones circa orationes, & ſuffragia mortuis applicanda deciduntur?* num. 84.
Punct. VI. *Quæ ſint licite à Deo in oratione petenda, vbi oratio Dominica explicatur, & nonnulla de Pſalterio, ſeu Roſario B. V. M. dicuntur?*
§. I. *Declaratur oratio Dominica, in qua quid à Deo petendum ſit, continetur.* num. 93.
§. II. *Declaratur oratio Angelica, & Beatæ Mariæ Virginis Pſalterij, ſeu Roſarij origo deſcribitur.* num. 105.

PUNCT. I.

Religionis eſſentia, & eius actuum multiplicitas declaratur.

Quid ſit Religio, & quale eius obiectum declaratur.

1 REligio, ſi ad nominis ethymologiam attendamus, teſte Lactantio lib. 4. *Divinarum Inſtitutionum*, cap. 28. (cuius ſententiam approbat Div. Thomas opuſc. 19. & 2. 2. quæſt. 81. art. 1. in corpore) derivatur vel à verbo *Religo*, eo, quod nos Deo alliget: & in hoc ſenſu ait præexcelſus Auguſtinus libro de Vera Religione: *Religet nos Religio omnipotenti Deo.* Vel derivari poteſt, vt ait Doctor Angelicus loco citato, à *reeligendo*, eo quod Deum reeligere debemus, quem amiſeramus negligentes. Quod etiam docent cum Divo Auguſtino lib. 10. *de Civitate Dei*, cap. 4. NN. Salmant. Scholaſtici tom. 3. in Arbore virtutum, §. 8. num. 58. Sed ſive ſumatur in vna acceptione, ſive in alia, ſic eam diffiniunt cum Divo Thoma NN. Salmanticenſes loco citato: *Religio, ſeu Latria* (quod Græcè idem eſt) *eſt virtus, quæ debitum cultum Deo tribuit tanquam primo omnium principio.* Sicut enim honoramus homines ob eorum virtutes, & ad hoc ſpecialis deputatur virtus, ſcilicet pietas: ſic & Deo ob infinitam eius excellentiam neceſſe eſt, quod homo tribuat ſingularem cultum, quo eum omnium rerum primum principium cognoſcat, & confiteatur, ſeque eius ſervum in omnibus proteſtetur; & ad hoc deſervit virtus Religiouis: vnde illius obiectum eſt omne ſignum, ſivè interius, ſivè exterius tantæ excellentiæ proteſtativum. Cæterum; quia vna eſt ratio formalis Religionis, ſcilicet: *Cultus Deo vt omnium primo principio debitus*, ideò Religio eſt vna virtus atoma, & ſpecifica: Et, quia dicta ratio formalis, nempe *cultus creatus*, eſt qua conſtituitur eſſentia huius virtutis, ideò Religio non eſt virtus Theologica, ſed moralis; obtinens tamen inter Morales primum, & principalem locum; quia immediatius alijs Deo adhæret.

Actus Religionis, tam interni, quã externi declarantur.

2 Actus illius ad duo genera reducit Divus Thomas 2. 2. quæſt. 82. Nam alij ſunt interiores, & exteriores alij. Primi ſunt *devotio*, & *oratio*. Secundi vero ſunt in triplici differentia: nam alij ſunt, quibus homo corpus ſuum ad Deum venerandum exhibet, qualis eſt *adoratio*, de qua Divus Thomas q. 84. & alij, quibus homo de rebus exterioribus aliquid Deo offert, verbi gratia, *ſacrificium*, *oblationes*, *decimas*, *primitias*, &c. & communi nomine dicitur *oblatio*, de quibus Divus Thomas à quæſt. 85. ad 87. incluſivè. Alij denique ſunt, quibus in divini nominis honorem aliquid aſſumit, puta, vel *ſacramenta*, de quibus D. Thomas 3. part. à quæſt. 66. vel *nomen Dei* ad propria verba confirmanda; & hoc eſt iuramentum, de quo Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 89. vel per modum adiurationis, ſuperiores quidem deprecando, inferiores autem imperando, & dicitur *adiuratio*, de qua Divus Thomas quæſt. 90. vel denique per modum promiſsionis ipſi Deo factæ in eius honorem, & dicitur *votum*, de quo Angelicus Doctor quæſt. 88. De quibus omnibus favente Deo, in his tribus primis Decalogi præceptis, nobis agendum eſt: nunc vero erit ſermo de his tantum, quæ proprius ad hoc præceptum expectant.

Religio eſt vnica in ſpecie.

3 Sed hic notare libet cum Divo Thoma loco citato art. 3. & 4. non obſtare ſpecificæ vnitati huius virtutis adeò diverſam multiplicitatem actuum; quia omnes illos reſpicit, & producit, quatenus tendunt ad proteſtandum ſupremum Dei dominium; quod ſufficit, vt non obſtante tali diverſitate actuum, ſit Religio vnica in ſpecie atoma; vt probant Caietanus, & Aragonius in hac 2. 2. & Suarez tom. 1. *de Religione*, lib. 3. cap. 8. num. 5. & 9.

4 Quibus ſuppoſitis circa Religionem, & eius actus in communi, ad horum explanationem in particulari devenimus. Cæterum, quia primus actus interior huius virtutis, ſcilicet devotio, leves, ad noſtrum inſtitutum expectantes, continet difficultates, ideò breviter ab hac, in præſenti puncto nos expediemus.

PUN-

PUNCT. II.

Quid sit devotio; qui sint illius effectus; & quando obliget?

Explicatur devotionis diffinitio.

5 DIcendum est primò: Devotionem nihil aliud esse, quam *voluntas quædam prompte traddendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum.* Sic Divus Thomas 2. 2. quæst. 82. artic. 1. qui etiam asserit, ly *voluntas* non pro habitu, sed pro quodam speciali actu sumi. Vnde antiquitus apud Gentiles, refert idem Sanctus Doctor, dicebantur devoti, qui se ipsos specialiter Idolis devovebant in mortem. Deinde: dicitur *voluntas*, non sumpta pro potentia, sed pro actu voluntatis: multoties enim diffiniuntur actus virtutum, sicut ipsæ virtutes per potentiam, in qua residents: vnde Divus Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 1. cum Ulpiano leg. *Iustitia, ff. de iustitia, & iure*, diffinit virtutem iustitiæ per potentiam, in qua subiectatur, dicendo; quod est: *Constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi*: quare non est mirum, quod in præsenti diffiniatur devotio per hoc, quod sit: *Voluntas quædam prompte traddendi se*, &c. ly *voluntas* non ipsam potentiam significans, sed actum virtutis Religionis in ipsa residentis: sicut de iustitiæ diffinitione diximus tom. 3. tract. 12. cap. 1. punct. 2. n. 9. ¶ Vlterius additur in dicta diffinitione: *Prompte tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum.* Eo quod specialiter tribuitur devotioni promptitudo; quia, cum offerat hominem ad Deo in omnibus famulandum, reddit eum fervidum ad omnia exequenda, quæ in Dei cultum cedere possunt; & consequenter promptum animum creat ad Deo in omnibus serviendum; & simul vanos timores, & obstacula, quæ id impedire possunt expellit. Et hinc constat, in quo essentia devotionis consistat, quin opus sit aliorum redundantes transcribere diffinitiones.

Enumerantur effectus devotionis.

6 Dicendum est secundò: inter effectus huius actus Religionis enumerari quandam spiritualem lætitiam, iuxta illud, quod in quadam Collecta dicitur: *Quos votiva iciunia castigant, ipsa quoque devotio sancta lætificet.* Quæ quidem lætitia communiter solet dici *devotio*; sed re ipsa *devotio* non est, sed quidam devotionis effectus, vt probant cum Divo Thoma NN. Salmanticenses in Arbore virtutum, §. 8. num. 62. in fine: & idem dicimus de alijs devotionis effectibus, scilicèt de quadam delectatione, gustu, & suavitate, &c. quam percipere solent devoti fideles: vnde videmus plures insignes contemplativos, & devotos his lætitijs, delectationibus, & suavitatibus privari, quibus alij, etsi imperfecti inebriantur; quin ex hoc arguamur, hos esse vere devotos, illos vere devotionis actu carere: sed potius inferimus, has consolationes, & dulcedines esse infantum alimenta; illas vero spiritus ariditates, & desolationes esse perfectorum cibos, & experimenta. De quo videantur Gerson libro *de Mystica Theologia*, considerat. 6. Granatensis in 2. parte de *Oratione*, cap. 4. Mysticus, ac Beatus Parens N. Ioannes à Cruce in cap. 8. lib. 2. *Noctis obscuræ.* ¶ Notat tamen Gerson; quod, licet hæc devotio per se causet prædictam lætitiam spiritualem, per accidens tamen solet generare tristitiam, vt accidit illis, qui in passione Christi sedulo, & devote meditantur: & rationem tradit Angelicus Doctor ad 1. quia in consideratione passionis Christi est aliquid, quod contristet, scilicet, defectus humanus, propter quem tollendum oportuit Christum pati; & est aliquid, quod lætificet, scilicet, Dei erga nos benignitas, quæ nobis de tali liberatione providit: quare evenit ex affectu teneritudinis, cum dolores Christi meditamur, quod & lachrymamus gaudentes, & gaudemus lachrymantes. Videantur Prado tom. 2. cap. 30. de *Religione*, quæst. 3. §. 3. Palaus tom. 2. tract. 7. disp. 1. punct. 2. Trullench lib. 1. cap. 7. dub. 2. & Lessius lib. 2.

Quando devotio obliget per se, vel per accidens?

7 Inquires: Quando obliget devotionis actus? Respondetur duplici conclusione: nam, si loquamur de obligatione *per se*, tunc dicendum est primò cum Trullench lib. 1. Decalogi, cap. 7. dub. 2. num. 4. difficilimè determinari posse, quando per se obliget, cum nullum tempus sit ad eius obligationem assignatum. Dicendum est secundò: quod si sermo sit de obligatione *per accidens*, obligat primò; quando adest grave periculum vitij contrarij, scilicet accediæ de rebus spiritualibus iuxta dicta cap. 6. part. 1. num. 13. Secundò obligat; quando alij actus Religionis, vel fidei, seu alterius virtutis elicere tenemur, ad quorum elicientiam necessaria est ipsa devotio: quia, vt constat ex Angelico Doctore art. 3. quæstionis citatæ, devotio invenitur in diversis generibus actuum Religionis, non sicut species, sed sicut movens ad eorum promptam elicientiam, qua etiam promptitudine egemus in exercicio aliarum virtutum. Quare explicata in confessione omissione prædictorum actuum, necesse non est iterum omissionem devotionis aperire.

PUNCT. III.

De Oratione.

Diceudorũ ratio.

SEcundus actus interior virtutis Religionis est Oratio, de qua agit Divus Thomas 2. 2. quæst. 83. Et quia nostri instituti, imò & cuiuscumque fidelis maximè propria est, continet que nonnullas difficultates; ideo diversis, §§. eis satisfacere curabimus: & in primò agemus de eius essentia, multiplicitate, & obligatione, quam ad eius exercicium omnes fideles habent: in secundò, quis à nobis possit orari; in tertiò declarabimus fundamenta, ob quæ Protho-parens N. Elias ab vniversa fidelium Ecclesia invocatur, & oratur: ac tandem in vltimo; qui pro nobis orari possint, decidemus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit oratio; & quale illius præceptum?

Traditur orationis diffinitio.

8 LIcet sub mysthicæ Theologicæ consideratione plures, graves que difficultates contineat oratio; tamen pro vt ad Theologicam moralem expectant, non admodum difficiles patitur nodos, quos breviter solvere in præsentiarum curabimus. Circa essentiam orationis varie loquuntur Sancti Patres, & Doctores videndi apud N.V. Ioannem à Iesu Maria in Schola Orationis, tract. 2. N. Antonium ab Annuntiatione in Disceptatione mystic. tract. 1. quæst. 1. art. 1. & N. Iosephum à Iesu Maria in libro de Ascensu mentis in Deum, cap. 10. alios que nostræ sacræ Religionis scriptores de mysthica Theologia. Nos vero in præsenti cum Angelico Doctore 2. 2. quæst 83. art. 1. in corpore, ad finem, ex Divo Augustino, & Damasceno libro 3. de *Orthodoxa fide*, cap. 24. sic eam diffinimus: *Oratio est petitio decentium à Deo.* Divum Thomam sequuntur NN. Salmanticenses tom. 3. in Arbore virtutum, §. 8. num. 63. & alij. Explicatur diffinitio: dicitur primo oratio, quod sit *petitio*, ad designandum genus illius, cum per hoc conveniat cum omni alia petitione, quæ oratio non sit: secundò ponitur *decentium* loco differentiæ, ad denotandum materiam orationis esse rem honestam, & bonam, & semper relatam ad honestum finem: Deinde dicitur, *à Deo*: ad denotandum; tum, quod oratio est actus Religionis; tum, quod Deus est author specialis bonorum omnium supernaturalium, à quo nostra oratio est implenda: vnde, si aliquando fit oratio Sanctis, est tantum tanquam intercessoribus apud Deum; & tunc talis Oratio est actus observantiæ, seu Duliæ, non verò Religionis, vt infrà magis declarabimus.

Oratio licet subiectivè sit in intellectu tamen elicitive est à voluntate.

9 Ex qua diffinitione constat primò; orationem esse actum intellectus practici; & rationem tradit Divus Thomas loco citato: quia petere, seu deprecari, ordinationem quandam importat, scilicet, pro vt homo disponit aliquid per aliud faciendum esse; sed ordinare, pertinet ad rationem, seu intellectum: ergo Oratio est actus rationis, seu intellectus practici deprecantis Deum, vt postulata concedat. ¶ Constat etiam secundò; orationem esse actum virtutis Religionis: & ratio est: quia omnia, per quæ Deo reverentiam, & honorem exhibemus ad Religionem pertinent; sed per orationem Deo reverentiam exhibemus; *In quantum* (ait Divus Thomas artic. 3.) *ei se subijcit, & profitetur orando, se eo indigere sicut authore suorum bonorum*: ergo Oratio est propriè actus à Religione elicitus. ¶ Nec contra hoc obest; quod Religio est habitus proprius voluntatis, & in ea residens: & sic videtur non posse elicere orationem, quæ est actus intellectus. Nam huic difficultati respondetur ex NN. Salmanticensibus tom. 3. tr. 12. de *Virtutibus*, disp. 2. à n. 8. vsque ad 15. inclusivè, ideo actum orationis dici, elici à virtute Religionis, quæ residet in voluntate, non quia sit immediata eius operatio, sed quia licet fiat media alia potentia ab ea, in qua residet, scilicet intellectu; non tamen fit media alia virtute, sed vnice est à Religione; & vbi vnica virtus influit in actum, qualiscumque fit hic influxus; dicitur talis actus procedere, saltim large, elicitive ab illa. Videantur dicti Patres, qui erudite, vt solent, hæc explicant, & ab obiectionibus vindicant.

Dividitur oratio.

10 Dividitur autem Oratio, primò ex parte eius, qui orat, in publicam, & privatam: publica est; quæ à publico ministro, ad id deputato, Ecclesiæ nomine pro salute populi fit: privatæ vero est, quæ fit à persona particulari vt tali. ¶ Nota tamen ex Divo Thoma quæst. 85. art. 12. publicam orationem debere semper fieri verbis, & non sola mente; at, privatam vtroque modo fieri posse. ¶ Secundò dividitur ex parte actus in mentalem, & vocalem: illa est, quæ sola mente fit: hæc vero, quæ mente, & verbis perficitur; nam, si solis verbis fiat, oratio non est, vt expresse docet Seraphica, ac Mystica Doctrix Mater N. S. Theresia cap. 24. viæ perfectionis, his verbis: *Teneis razon en dezir, que yà es oracion mental: mas yo os digo cierto, que no sè como lo aparte, si ha de ser bien rezado lo vocal, y entendiendo, con quien hablamos, y aun es obligacion, que procurèmos rezar con advertentia.* De qua videantur à nobis dicta in hoc Cursu, tom. 4. tract. 16. cap. 3. punct. 5. à num. 25. Quæ hucusque diximus tenent Trullench lib. 1. cap. 7. dub. 3. & ex parte Palaus tom. 2. tract. 7. disp. 1. punct. 2. Suarez tom. 2. *de Religione*, lib. 2. *de Oratione*, cap. 2. Læsius lib. 2. cap. 37. dub. 2. & diffusius Prado tom. 2. cap. 30. quæst. 4. §. 1. n. 2.

Sunt, qui dicant orationem esse necessariam necessitate medij ad salutem.

11 Sed rogabis: An oratio sit necessaria necessitate medij ad salutem consequendam? Affirmant Durandus in 4. distinct. 15. quæst. 12. num. 5. Suarez tom. 2. tract. 4. lib. 1. cap. 28. num. 3. Ioannes à S. Thoma 2. 2. quæst. 83. disp. 27. art. 3. Læsius lib. 2. *de Iustitia*, cap. 37. dub. 3. Bonac. disp. 1. *de Horis Canonicis*, quæst. 2. punct. 1. num. 11. Layman lib. 4. tract. 1. cap. 1. num. 2. Azor lib. 9. cap. 34. Filliuc. tract. 23. cap. 2. quæst. 3. Et moventur: primò ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 11. vbi hæc habentur verba: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo, monet, & facere, quod possis, & expetere, quod non possis, & adiuvat, vt possis.* Et Divus August. lib. de *Eccles. Dogmat.* cap. 56. ait: *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire, nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari, nullum, nisi orante, auxilium promereri.* Ergo, sicut auxilia Dei sunt necessaria, necessitate medij, ad salutem, ita, & oratio. Et Divus Thomas in 4. distinct. 15. quæst. 14. art. 1. ait: *Ad orationem, indeterminate quilibet tenetur, ex hoc ipso, quod tenetur ad bona spiritualia sic procuranda, quæ non nisi divinitus dantur.* Ex quibus sic arguunt. Ex natura rei quilibet tenetur recurrere ad Deum pro bonis spiritualibus consequendis, à quo vnice dependent: ergo illa à Deo petere, est necessarium, si adipisci ea ve-

li-

limus: ergo oratio est necessaria necessitate medij. Deinde ostenditur: oratio est causa moralis, per quam Deus decrevit, dare necessaria ad salutem, vt patet ex illo Matthæi 7. *Petite, & accipietis*: & 26. *Orate vt non intretis in tentationem.* Et Iacob. 5. *Orate pro invicem, & salvemini*: ergo, vt impleatur divina providentia, necessaria est oratio necessitate medij.

Alij affirmãt esse tantum de necessitate præcepti.

12 Negant vero alij; existimantes, solum esse necessariam orationem necessitate præcepti. Quorum fundamentum est: quia oratio nec ex natura rei, nec ex aliquo præcepto divino nobis revelato est necessaria ad salutem necessitate medij: ergo tantum est necessaria necessitate præcepti. Antecedens probatur quo ad vtramque partem: & primò, quo ad primam: quia sine eo, quod ex natura sua est necessarium ad salutem, nunquam consequi potest prædicta salus; sed sine oratione potest consequi prædicta salus; cum possit Deus nobis concedere ex sua liberalitate bona necessaria ad salutem æternam obtinendam; sicut fecit cum Divo Paulo, cui sine vllis meritis, imò cum multis demeritis, non quando Deum orabat, sed potius quando Christum persequebatur, tantam contulit plenitudinem gratiæ; vt ex Saulo, in Paulum; ex persecutore, in Apostolum fuerit conversus: & de alijs fidelibus tenet Divus Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 2. ad 3. his verbis: *Dicendum, quod Deus nobis multa præstat ex sua liberalitate etiam non petita.* Nec non Divus Basil. in Constitut. Monast. cap. 2. Divus Hieronym. Epist. 40. *ad Rufinum*, & alij idem confirmant, expressius que docet Ecclesia in Collecta, dum ait: quod abundantia pietatis suæ Deus, *& merita supplicum excedit, & vota.* Et hinc petit, quod Deus adijciat, *quod Oratio non præsumit*: ergo oratio ex natura sua non est necessaria, necessitate medij, ad salutem. ¶ Quo ad secundam etiam liquet: quia textus sacræ Scripturæ, tàm supra relati, quàm sequentes, scilicet: *Oportet semper orare, & nunquam deficere*: Lucæ 8. Et: *Sine intermissione orate.* Ad Thessal. vltimò: sufficienter explicantur de necessitate præcepti, cum nullum verbum exprimat necessitatem medij: ergo nec ex natura rei, nec ex aliquo præcepto nobis divinitus revelato constat, orationem esse medium necessarium ad vtram que salutem, scilicet gratiæ, & gloriæ, consequendam, sed ad summum requiri necessitate præcepti. Dicta docent Sylvester, verb. *Oratio*, quæst. 8. & ibi Armilla, num. 2. Petrus Ledesma 2. part. tract. 9. cap. 4. conclus. 1. & 3. Aragon 2. 2. quæst. 83. art. 3. ad. 2. Villalobos tom. 1. tract. 24. difficult. 4. num. 1. & 2. & alij. Sed inter has extreme oppositas opiniones.

Inter has sententias media via procedimus.

13 Mediam viam elegimus cum Raphaele de la Torre 2. 2. quæst. 83. art. 2. disp. 3. num. 2. & Prado tom. 2. cap. 30. quæst. 4. num. 24. dicendo: ex natura sua orationem non esse necessariam necessitate medij, at, attentis decretis dispositionis providentiæ divinæ decernentibus aliqua, imò, & fere omnia auxilia necessaria ad salutem media oratione conferre; respectu salutis per illa auxilia obtinendæ, esse orationem necessariam necessitate medij; & ita vix erit, qui salutem, nisi media oratione, consequatur. Primam partem huius conclusionis suadent motiva secundæ sententiæ, secundam vero probant primæ sententiæ argumenta; & in hoc sensu intelliguntur testimonia Divi Augustini, & Angelici Doctoris: quia, vt probatum est; Deus non solet, conferre auxilia ad salutem necessaria, nisi media oratione; & hoc non obest, quominus in aliquo casu raro, & ad suæ liberalitatis manifestationem, non petentibus gratiam, & gloriam elargiatur, & donet: ergo vera est nostra conclusio. Et exemplificari potest ex doctrina tradita supra in hoc tract. 21. cap. 2. num. 15. ibi enim diximus, quod, licet fides explicita Christi post sufficientem Evangelij promulgationem, sit *per se* necessaria necessitate medij ad salutem, at *per accidens* necessaria non est: & sic potest Deus tales illustrationes, & auxilia conferre puero enutrito in silvis, vt non solum, sine fide explicita Christi, iustificetur; verum, & æternam salutem consequatur: ergo similiter; licet auxilia necessaria ad salutem non dentur nisi petentibus; tamen hoc non est medium adeò necessarium, vt aliquando Deus ex sua mera liberalitate ea non donet non petentibus, & non orantibus. Ex quibus patet ad rationes vtriusque sententiæ, si in aliquo nostræ resolutioni opponuntur.

Datur præceptum divinum adorandum omnes fideles obligans.

14 Ex quibus etiam constat; dari præceptum speciale divinum Orationis, omnes fideles obligans ad orandum; quod satis indicant loca scripturæ num. 11. & 12. relata: tenet que expresse D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 3. ad 2. his verbis: *Ad secundum dicendum; quod non solum petere, quæ desideramus, sed etiam recte aliquid desiderare sub præcepto cadit: sed desiderare quidem, cadit sub præcepto Charitatis: petere autem sub præcepto Religionis, quod quidem præceptum ponitur Matthæi 7. vbi dicitur: Petite, & accipietis.* ¶ Quod, etiam persuadet ratio, quæ in hunc modum efformatur. Etenim, quod est necessarium necessitate medij ad salutem, attenta dispositione providentiæ ordinariæ, cadit sub præcepto, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 3. art. 2. & 3. part. quæst. 68. art. 1. Sed Oratio est necessaria necessitate medij ad salutem, attenta dispositione providentiæ ordinariæ: ergo cadit sub præcepto. Vlterius: lumen naturale, & fidei dictat, teneri homines ad Deum, vt omnium bonorum fontem, & principium, in suis necessitatibus recurrere, vt eis subveniat; sed hic recursus fit media oratione: ergo hæc cadit sub præcepto divino. Divum Thomam sequntur Ioannes à S. Thoma disp. 27. art. 3 Raphael à Torre quæst. 83. citata, art. 2. disp. 2. Bonacin. disp. 1. de *Horis canonicis*, quæst. 2. punct. 1. num. 10. Palaus tom. 2 .tr. 7. disp. 1. punct. 8. & alij.

Vrgentior difficultas.

15 Maior autem difficultas est apud Authores, quo tempore prædictum divinum præceptum *per se* obliget? Diximus *per se*; nam per accidens est certum obligare, quando vrget magna tentatio, quæ aliter vinci nequit: &

quan-

quando calamitas populi, & proximi adest, quæ solo orationis præsidio videtur avertenda. Videantur Torre supra citatus, Villalobos tom. 1. tract. 24. difficultat. 4. à num. 5. & alij. Diximus *ad orationem vt sic*: nam hoc præceptum non obligat determinate ad orationem mentalem, aut vocalem, sed sub discretione ad alterutram, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 12. in corpore; quia per quamlibet ex illis sufficienter manifestatur indigentia, & dependentia, quam à Deo habemus. Diximus etiam: *hoc præceptum divinum*: nam de Ecclesiastico recitandi horas canonicas patet ex dictis tom. 4. tract. 16. non solum quando obligat, sed etiam quando, quomodo, & à quibus adimpleri debeat. Vnde in præsenti solum est sermo de præcepto divino recitandi, aut orandi mentaliter, aut vocaliter, & quo tempore adimpleri illud teneamus.

Aliquorum beneplacita referuntur.

16 Palaus tom. 2. tract. 6. disp. 1. punct. 8. num. 3. allegans Suarez, & Læsium docet; tempus huius obligationis non esse quodlibet instans temporis, vt male dixerunt quidam hæretici, quos refert Divus Augustinus hæresi 57. quia hoc est impossibile adimpleri: sed arbitrio prudentis determinandum esse, ita vt in vita aliquoties obliget. Vnde concludit, dilationem vnius mensis ob tot occurrentes tentationes, & tot emergentia pericula amittendi gratiam, gravem esse. Id etiam tenent Ioannes à Sancto Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 3. Prado tom. 2. cap. 30. quæst. 4. numer. 33. ¶ Petrus vero Ledesma tom. 2. tract. 9. cap. 4. concl. 4. in fine ait, *hoc præceptum sexto quoque mense obligare*. Alij extendunt obligationem, quando tenemur nos disponere ad gratiam, vel sumus administraturi aliquod sacramentum. Alij autem quando opus valde difficile, vt martyrium, aggredimur.

Propria mês aperitur.

17 Sed omissis omnibus his sententijs, & dicendi modis, quia alij sunt valde stricti; alij tantum obligationem *per accidens* Orationis convincunt. Dicendum est cum Aragon 2. 2. quæst. 83. art. 3. ad 2. Torres quæst. 83. art. 2. disp. 2. num. 7. Villalob. 1. part. tract. 24. difficult. 4. num. 4. & Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 7. dub. 4. num. 4. orationis præceptum *per se* obligare in triplici tempore; scilicet in instanti vsus rationis, in articulo mortis, & saltim semel in anno. Ratio primæ, & secundæ partis conclusionis est: quia in instanti vsus rationis tenetur homo desiderare media ad se in Deum convertendum, qualia sunt fides, spes, charitas, Dei vocatio, & eius speciale, & efficax auxilium ad istarum virtutum actus eliciendos: quibus omnibus etiam indiget in articulo mortis, ad æternam gloriam consequendam, vt ex se constat; sed, quod tenemur desiderare, tenemur petere, vt ait Angelicus Doctor quæst. citata, art. 3. ad 2. ergo in instanti vsus rationis, & mortis articulo vrget orationis præceptum. ¶ Ratio vero tertiæ partis constat ex dictis cap. 2. num. 3. & cap. 6. punct. 1. à num. 4. ad 12. vbi ostendimus præceptum fidei, & charitatis *per se* obligare saltem semel in anno, ob magnam necessitatem, quam homo patitur eliciendi actus prædictarum virtutum; sed non minus indiget elicere orationis actus; cum omnia auxilia ad salutem necessaria, attenta dispositione præsentis providentiæ, conferat Deus media Oratione: ergo saltem semel in anno *per se* hoc præceptum orationis obligat. ¶ Obligatio vero illa, quam ponunt Authores suprà relati, orandi singulis saltem mensibus, quæque rationabilis videtur Ioanni à S. Thoma art. 3. nobis aliquo modo dura apparet. Nam, si præceptum charitatis, fidei, & spei solum obligat iuxta communiorem sententiam ad eliciendum, vnoquoque anno actus harum virtutum, & si sint adeo necessarij ad salutem, cur præceptum Orationis obligabit singulis mensibus, cum non sit adeo excellens, & necessaria virtus? quare iudicamus *per se* præceptum orationis solum quotannis obligare.

Quando cognoscitur, hoc præceptum adimpleri?

18 Sed nota hic; quod huic orationis præcepto fit satis pluries in anno à fidelibus; cum vix sit aliquis Christianus, qui per multum tempus ab oratione abstineat: nam facillimum cuique est, intus preces coram Deo fundere. Quare credimus, confessarios non teneri, solicite quærere à penitentibus adimpletionem huius præcepti; cum omnes ante obligationem illius repetitos orationis actus elecuisse prudenter experientia teste præsumendum sit. Præterquam quod Divus Thomas in 4. distinct. 15. quæst. 4. art. 1. quæstiunc. 3. ait: *Quod omnibus etiam, qui Ecclesiæ ministerio non funguntur, videtur ab Ecclesia, determinatum tempus orandi statutum esse; cum ex Canonum statuto teneantur diebus festis divinis officijs interesse, vt ministris pro populo orantibus suam intentionem conforment.* Quare, qui adimplet præceptum Ecclesiæ sacrum audiendi, est evidens, sufficienter adimplere orationis præceptum. Sic Torre num. 8. Sylvester, Aragon, & alij supra citati.

Quando oratio obligat per accidens omissio illius non est distinctum peccatum.

19 Vltimò rogabis: An, quando oratio obligat *per accidens*, aut ratione alterius virtutis, verbi gratia, castitatis, in casu, quo necessaria iudicatur ad illius conservationem; si orationem omittas, pecces non solum contra Castitatem, sed etiam contra Religionem? Affirmant Suarez lib. 1. *de Oratione*, cap. 29. à num. 8. Palaus tract. 7. disp. 1. punct. 8. num. 6. & Ioannes à Sancto Thoma disp. 27. art. 3. Quia tunc præceptum orationis non solum obligat ob nostram necessitatem, sed etiam ob cultum Deo tribuendum; sicut in occasione Martyrij, & fides obligat ad eam confitendam, & fortitudo ad tormenta sufferenda: ergo non solum peccatur contra Castitatem, sed etiam contra Religionem. ¶ Sed tenendum est cum Læsio lib. 2. cap. 37. dub. 3. Aragon 2. 2. q. 83. art. 3. Villalobos tom. 1. tract. 24. difficult. 6. num. 3. Diana 2. part. tract. 5. Miscelan. resolut. 16. Prado tom. 2. cap. 30. quæst. 4. num. 46. in casu posito vnicum tantum peccatum contra Castitatem committi. Et ratio est: quia, quando oratio obligat ratione alterius præcepti, verbi gratia Castitatis, omissio illius solum est culpabilis ex periculo violandi Castitatem: ergo solum peccatur contra præceptum Castitatis, quod obligat, non solum ad servandam Castitatem,

tem, ſed etiam ad adhibenda media ad id neceſſaria. Ex quo patet ad argumentum: & paritas allata vim non habet; quia in caſu confeſsionis fidei, *per ſe*, & non *per accidens*, non ſolum obligat præceptum fidei; ſed etiam fortitudinis.

§. II.

Quis à nobis eſt orandus, & qui poſsint orare?

Solus Deus eſt orandus, vt is, à quo implenda eſt noſtra oratio.

20 PLura continet quæſtio propoſita, & ideò diviſim decidenda. Dicendum eſt primò cum Divo Thoma 2. 2. q. 83. art. 4. quod, ſi loquamur de eo, à quo implenda eſt noſtra oratio, ſolum Deus eſt orandus. Et ratio eſt: quia, quæ petimus in orationibus noſtris, ſunt, vel bona ſpiritualia, vt gratia, & gloria; vel temporalia, quatenus ad illa obtinenda conducunt; ſed gratiam, & gloriam, vt ait Regius Vates Pſalm. 83. & omnia alia bona temporalia ſolus Deus eſt, qui concedere poteſt, cum nullus alius ſit author, & cauſa omnis boni, tam ſpiritualis, quàm temporalis: ergo ſolus Deus eſt orandus, & is, à quo implenda eſt noſtra oratio. ¶ Nota tamen primò; quod, quando dicimus; *ſolum Deum eſſe orandum*, includimus ibi omnes perſonas Sanctiſsimæ Triados, cum omnes vnus Deus ſint, & in omnibus eſt eadem omnipotentia, & maieſtas; cum quo tamen optime componitur, quod vnam ſine alia expreſſe orare poſsimus, cum ſint, ratione perſonalium propietatum, realiter inter ſe diſtinctæ. ¶ Nota ſecundò: Ibi etiam includi Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: quia, cum Deus ſit, à nobis eſt orandus, vt is, à quo eſt implenda noſtra petitio. Hæc omnia de fide ſunt, tenet que Doctores Catholici.

Sancti Angeli, & homines poſsunt orari, vt impetrẽt à Deo bono hominibus.

21 Dicendum eſt ſecundò: Quod, ſi loquamur de his, qui precibus, & meritis ſuis poſſunt à Deo conſequi, vt orationes noſtræ ſuum conſequantur effectum, hoc modo poſſumus (ait Divus Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 4. in corpore:) *Sanctis Angelis, & hominibus orationes noſtras porrigere*: & ſic dicitur Apocalypſi 8. *Quod aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli.* Et ratio eſt: nam Sancti, & amici Dei poſſunt pro nobis efficaciter apud Deum intercedere, & bona nobis impetrare: ergo eos orare poſſumus. Antecedens probatur: quia ob orationes, & merita Sanctorum Deus multa nobis concedit: & ſic Dominus dixit ad Iſaac: *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſervum meum Abraham.* Gen. 26. & Iob. 5. dicitur: *Voca, ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Quem locum explicant interpretes, & Divus Thomas in argumento: *ſed contra*: de oratione ad Sanctos: ergo Sancti poſſunt à Deo aliquid nobis impetrare, & pro noſtra ſalute intercedere; & conſequenter à nobis orari. Deinde: Sanctos, quando vivunt in hoc mundo, invocare poſſumus: ergo quando cum Deo regnant. Vtrumque probat Divus Thomas art. 11. in corpore ex Divo Hieronymo contra Vigilantium cap. 3. his verbis: *Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti, pro alijs orant, quanto magis poſt coronas, & triumphos?* Vnde Divus Paulus in ſuis Epiſtolis ſæpiſsime aliorum orationibus ſe commendabat: ergo quia ſciebat, poſſe Sanctos, adhuc in hac vita degentes, ſibi ſuis orationibus aliquid mereri, & etiam alijs impetrare. ¶ Vltimò: Nam beati in Divino Verbo cognoſcunt, & revelantur illis ea, quæ decet eos cognoſcere de his, quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis; ſed ad eorum excellentiam attinet cognoſcere petitiones ad eos factas vel voce, vel corde; vt ait Divus Thom. loc. cit. art. 4. ad 2. ergo eos orare poſſumus: cum ob hanc rationem id negent hæretici, exiſtimantes, orationes noſtras cognoſcere in Cœlis non poſſe. De quo late agit Torre explicans Angelici Doctoris mentem.

Authores contrariæ doctrinæ.

22 Contra hanc catholicam aſſertionem ſentiunt hæretici; ſed eorum ora obſtrudunt, & argumenta diſſolvunt Bellarminus lib. 1. *de Cultu Sanctorum*, num. 15. Torre 2. 2. q. 83. art. 4. diſp. 2. Palaus tract. 7. diſp. 1. punct. 4. num. 4. & omnes Doctores Catholici: Quare Tridentinum ſeſſ. 25. *de Veneratione Sanctorum*, noſtram aſſertionem, vt de fide definit: & Eccleſia Sancta in Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, nobis eos præcipit venerandos, & pro omnium ſalute pios apud Deum interceſſores proponit.

Sunt, qui aſſerant animas Purgatorij poſſe à nobis orari.

23 Licet, vt certum habeamus Angelos, & homines ſanctos orari à nobis poſſe: tamen non levis controverſia eſt inter Doctores; an poſsimus invocare animas exiſtentes in Purgatorio, vt pro nobis apud Deum intercedant? Affirmant Bellarminus lib. 2. *de Purgatorio*, cap. 15. Læſius lib. 2. cap. 37. dub. 5. num. 23. Medina Codice *de Oratione*, cap. 4. & 5. Layman tom. 2. tract. 1. cap. 1. num. 5. Palaus tract. 7. diſp. 1. punct. 4. in fine; & punct. 5. num. 8. Bonacina *de Horis Canonicis*, quæſt. 1. punct. 1. in fine. Et moventur primò: Quia animæ Purgatorij pro nobis orare poſſunt: ergo etiam à nobis valent invocari. Antecedens probatur: quia prædictæ animæ ſunt Deo valde charæ, ferventique Charitate nos proſequntur, cognoſcunt que non ſolum in genere noſtras miſerias, verum etiam, medijs ſanctis Angelis, ſpeciales petitiones, & ſuffragia, quæ pro illis offerimus. Deinde: pœnæ earum eas impedire ab hoc nequeunt; cum æquo animo eas ſubſtineant: ergo nihil eis obſtare poteſt, quominus pro nobis orent. ¶ Rurſus probatur ſecundò hæc ſententia: Nam Samuel, & Moyſes defuncti pro populo Dei orabant, vt colligitur ex 2. Machabæorum, cap. 15. & ibi dicitur de Ieremia vita functo: *Hic eſt, qui multum orat pro populo, & vniverſa ſancta Civitate Ieremias Propheta Dei.* Ergo animæ Purgatorij pro nobis orare poſſunt. ¶ Tertiò: Divus Thomas in 4. diſtinct. 15. quæſt. 4. art. 5. in argum. 3. quæſtiunc. 2. ex D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 40. refert; quod Paſchaſius exiſtens in Purgatorio, pro vt revelatum eſt Germano Campua-

no

no Episcopo, miraculum fecit: ergo signum est, quod ibi existens, media oratione, à Deo impetravit; & consequenter, quod pro nobis orare potuit. ¶ Vltimò: Lucæ 6. inducitur dives epulo in Inferno positus, orans pro se, & suis fratribus: ergo potiori titulo, qui existunt in Purgatorio.

Sententia Divi Thomæ, & nostra proponitur, & ratione stabilitur.

24 Nihilominus verius negant alij, expresse que Divus Thomas pluribus in locis: nam 2. 2. quæst. 83. art. 4. ad 2. explicans illa verba D. Aug. lib. de Cura pro Mort. cap. 13. *Nesciunt mortui, etiam Sancti, quid agant vivi, etiam eorum filij*: sic ait: *Ad secundum dicendum, quod mortui ea, quæ in hoc mundo aguntur, considerata eorum naturali conditione non cognoscunt, & præcipue interiores motus cordis.* Et hoc, quod negat animabus Purgatorij, immediate concedit Beatis. Vnde ibi ad 2. clarius se explicat his verbis: *Ad 2. dicendum: quod illi, qui in hoc mundo, aut in Purgatorio, nondum fruuntur visione Dei, vt possint cognoscere ea, quæ nos cogitamus, vel dicimus; & ideò eorum suffragia non imploramus, orando, sed à vivis petimus colloquendo.* Videatur etiam 1. part. quæst. 89. art. 8. Ex quibus sic argumentor: primò; quia frustra imploramus eos, qui nostras orationes cognoscere, & exaudire non possunt; sed animæ Purgatorij nostras orationes cognoscere, & exaudire non possunt; vt patet ex D. Thoma, & ratione evidenti, eo, quod careant visione Dei, vbi in Verbo eas cognoscere possunt: ergo eas implorare, & invocare non possumus. ¶ Secundò probatur conclusio ex eodem Angelico Præceptore 2. 2. quæst. 83. art. 11. ad 3. his verbis: *Illi, qui sunt in Purgatorio, licet sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur. Et secundum hoc, non sunt in statu orandi, sed magis vt oretur pro eis.* Et fere eadem verba affert in 4. distinct. 15. quæst. 4. art. 5. ad 2. Et ratio huius esse videtur: quia indecorum est; quod reus preces fundat apud Regem, orando pro alijs, quando ab ipso, ob eius offensam Maiestatem, torquetur; sed animæ Purgatorij torquentur à Deo ob eius Maiestatem offensam: ergo indecorum est, vt tunc pro alijs orent. Vltimò: Nusquam legimus in officio ecclesiastico Ecclesiam suas orationes ad animas Purgatorij dirigere, vt pro nobis orent: ergo signum est, pro nobis orare non posse: & consequenter frustraneum est, eas ad hoc implorare. Divum Thomam sequuntur eius discipuli Sylvester verb. *Oratio.* Torre 2. 2. quæst. 83. art. 4. disp. 6. Ioannes à S. Thoma ibi, disp. 27. art. 8. N. Antoninus 4. part. tit. 5. cap. 3. §. 2. & etiam Navarrus in Enchirid. cap. 1. de Orat. num. 22. Alens. 4. part. q. 26. memb. 3. art. 5. §. 1. & Abulensis in cap. 6. Matthæi. Videantur, quæ infra dicemus n. 79. Id etiam tenent Prado tom. 2. cap. 30. q. 15. §. 3. Azor 1. part. lib. 9. cap. 10. quæst. 10. asserens, quod communis Theologorum schola Divo Thomæ subscribit.

Argumentis respondetur.

25 Ex quibus patet ad fundamenta sententiæ contrariæ: Nam; cum animæ Purgatorij Deum non videant, nequeunt habere medium, in quo vivorum orationes percipiant, & cognoscant: vnde, siquid eorum, quæ in hoc mundo aguntur, sciunt, Angelorum ministerio, hoc est, non ex vi proprij status, sed ex Divina liberalitate id gratuito permittente, & misericorditer elargiente. Videatur Divus Thomas in 4. distinct. 45. quæst. 3. art. 1. ¶ Ad secundum respondetur, quod illi Sancti, de quibus dicitur pro populo Hebræorum orasse, non id faciebant, dum erant in Purgatorio, si forte ibi aliquando commorati sunt, sed quando erant in Limbo Patrum, vt colligitur ex Divo Thoma loc. cit. art. 3. in argumento *Sed contra*, & ibi etiam 2. 2. quæst. 83. art. 11. vbi ad probandum Sanctos iam vita functos orare pro nobis, prædictum exemplum Ieremiæ refert. Quod quidem minime negamus, si intelligatur, quod orabant pro populo, non quia eius orationes tunc exaudirent, sed ex notitia prius habita de communibus necessitatibus illius, quando hic mortalem degebant vitam; & hoc modo orare posse Purgatorij animas, & etiam ipsos SS. Patres dum in Purgatorio steterunt, si ibi aliquando commorati sunt, inficias, non ibimus. Sed de hoc latius infra n. 31. ¶ De Moyse, & Samuele ait Angelicus Doctor art. 3. supra citato ad 2. Deum ibi loqui secundum statum, quo fuerunt in hac vita, non vero secundum statum, quem tunc habebant; quasi in prædicto textu diceret Deus, quod, esto Moyses, & Samuel tunc superstites essent in hoc sæculo, & orarent pro populo, non possent ob illius malitiam Deum placare. *Et hic*, ait Angelicus Doctor, *est intellectus litteræ.*

Fit satis tertiò, & quartò argumento.

26 Ad 3. de Paschasio sic respondet Divus Thomas in 4. distinct. 15. quæst. 4. art. 5. quæstiunc. 2. ad 3. *Dicendum; quod in miraculis præcipue attenditur fides, & devotio orantis; vnde etiam Dominus mulieri, quam sanavit dixit, Matthæi 9. Fides tua te salvam fecit. Et quia ille propter excellentiam meritorum creditur in Patria esse, ideò orabatur, & talis oratio propter fidem orantium exaudiebatur tunc, vt vita illius approbaretur, non quod ille pro alijs in Purgatorio existens oraret.* ¶ Ad 4. dicendum est: Epulonem vere non orasse, cum esset damnatus, & consequenter absque fide supernaturali ad veram orationem necessaria. ¶ An vero ex viribus naturæ possint animæ separatæ videre, & cognoscere alias animas existentes, sivè in Inferno, sivè in Limbo, aut Purgatorio? Est quæstio, ad quam affirmativè respondet Divus Thomas 1. part. quæst. 89. art. 2. Et ad hanc cognitionem non impedire distantiam localem recte docet idem Sanctus Doctor art. 7. Et insuper art. 8. ait; animas, quæ viventibus apparent, hoc facere communiter vel per bonos, aut malos Angelos, aut aliquando ex speciali Dei dispensatione per se ipsas, quod inter divina miracula est computandum. Vnde sequitur: Abraham potuisse, vel ex natura sua, vel ex speciali Dei revelatione, cognoscere postulationem epulonis; & epulonem potuisse videre Abraham, ad eumque dirigere suam petitionem; sed hæc nullo modo potest dici oratio, de qua in præsenti loquimur, vt ex dictis constat.

Sed

Animæ Purgatorij pro se orare possunt.

27 Sed licet hæc ita sint; tamen non desunt DD. Thomistæ, qui concedunt, quod animæ Purgatorij, licet non pro nobis, pro se tamen orare, possint. Sic Torre 2. 2. q. 83. art. 11. disp. 5. num. 3. Ioannes à S. Thoma ibi disput. 27. art. 8. in fine. Et insuper Layman tom. 2. lib. 4. tract. 1. cap. 1. num. 5. & Palaus tract. 7. disp. 1. punct. 5. n. 7. dicens: de hoc non esse dubitandum; & Læsius lib. 2. cap. 37. dub. 5. Quibus nos etiam adhæremus, maximè cum Divus Thomas locis citatis solum loquatur de oratione pro nobis facta, non vero pro se ipsis, quæ satis inter se distinguntur. Deinde potest hæc resolutio facile probari: nam tales animæ sunt vere pauperes, valde indigentes nostris orationibus, & suffragijs: ergo poterunt petere à Deo, vt nobis tribuat charitatem ad orandum, & satisfaciendum pro eis; quid enim obstare potest huic orationi? Deinde ex probatis revelationibus constat, sæpissime à vivis orationes, & suffragia postulasse, vt videre licet in toto illo libro sub titulo *Luz à los vivos, y escarmiento en los muertos*, in quo referuntur quam plurimæ apparitiones animarum Purgatorij factæ nostræ venerabili SororiFranciscæ à Sanctissimo Sacramento, in quibus tam ab ea, quàm ab alijs orationes, indulgentias, ieiunia, alia que suffragia postulabant: ergo potiori titulo poterunt à Deo petere, vt fideles excitet ad orandum, & satisfaciendum pro eis. Maneat ergo, prædictas animas pro se posse Deum orare.

Quando aliquando dicitur animas pro vivis orare, & impetrare, hoc fit ab earum Angelis, & non ab ipsis.

28 Nota tamen hic: quod, licet in revelationibus immediate citatis, dicatur revelatione 61. Animas Purgatorij à Deo impetrasse, ne amplius prædicta religiosa quateretur blandimento carnis, quo antea satis dure quatiebatur; tamen hæc intelligenda sunt iuxta supra dicta, de impetratione facta non à se ipsis, sed ab earum Angelis, vt ibi erudite satis adnotavit Excellentissimus, & Illustrissimus, &c. nunquam, tam, ob eius mirabilem, & omniscìam sapientiam, quàm ob religiosissimam pietatem, & virtutum splendorem debite laudatus D. D. Ioannes de Palafox, & Mendoza: quia, vt communiter dici solet, *quod per amicos facimus, per nos facimus*; cum ergo SS. Angeli Custodes sint veri earum amici; quod per Angelos faciunt, per se ipsas facere dicitur.

29 Sed in gratiam Divi Thomæ, & suorum discipulorum solatium, adversariorum que confusionem audiamus laudatum Præsulem sic relatione 59. num. 19. nostram sententiam confirmantem, adversam que infringentem. *La duda* (ait) *será, si estas oraciones son immediatamente de las almas, ò de los Angeles en su nombre?* (loquitur de orationibus pro vivis factis) *A este punto solo me haze dificultad, para creer, que son de las Almas immediatamente, el vèr, que el Angel de Theologia Santo Thomàs niega, que puedan rogar, y no me atrevo à afirmar con otros Autores, lo que negò el Santo. Pero sobre esto rendido de su autoridad (que para mi pesa mas que todo) creyera, que los Angeles en su nombre ruegan, ayudan, piden à Dios, y à los hombres para ellas: à Dios misericordia, à los hombres sufragios: y esto lo insinùa S. Augustin.* Hucusque laudatus Præsul, & D. Ex quibus deduc, primò: quanta veneratione Divi Thomæ sententias colere debeamus, cum tantus Doctor ob solam Aquinatis doctrinam, etsi adeò affectus erga has felices Animas, cas vere pro nobis orare affirmare non audiat. Deduc secundò: ex dictis neutiquam devotionem erga prædictas animas minui posse: quia, licet per se ipsas immediate nobis non impetrent, nec in necessitatibus subveniant, tamen hæc omnia per sanctos Angelos non minus efficaciter, & fructuose suis benefactoribus à Deo consequuntur. Et deinde Deus vult, & permittit, quod sic facientes, post horum vitam, alij orationes, & suffragia ipsi offerant: cum id promisserit Dominus illis verbis: Matthæi 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

Patres in limbo non cognoscunt orationes viatorũ, & ideò non sunt orandi.

30 Vltimò rogabis: An SS. Patres, dum in Limbo detinebantur, potuerint à nobis invocari, & orari? Respondetur negativè; & ratio est eadem, ac in præcedenti conclusione num. 24. efformata: nam frustra porrigitur oratio ad eum, qui orationem non cognoscit; sed Patres id limbo orationes viatorum ex vi status non cognoscebant: ergo non potuerunt orari. Minor probatur: quia eas cognoscere non possunt, nisi in Verbo Divino, aut per revelationem Angelorum; sed nullo ex his modis eas cognoscere possunt; nam in Verbo solum Beati eas cognoscunt, vt constat; extra Verbum vero per revelationem Angelorum eas cognoscere non convenit ipsis ratione status, sed vnice hoc attinet ad Beatos, quia *Ad excellentiam eorum* (scilicet Beatorum, vt ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 83. articul. 3.) *decet, vt cognoscant petitiones ad eos factas vel voce, vel corde. Et ideò petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifestante, cognoscunt.* Ergo Patres in Limbo existentes, cum non habeant Beatorum excellentiam, nec in Verbo, aut per Angelorum revelationem, orationes viatorum ad eos fussas ex vi proprij status cognoscunt. ¶ Confirmatur: Nam 4. Regum cap. 22. dixit Dominus Iosiæ per Holdam Prophetisam: *Pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino:::::: ìd circo colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum.* Sed Patres Iosiæ erant in Limbo: ergo ibi ex vi status non cognoscunt, quæ circa superstites agitur: alias Iosiæ oculi viderent mala populo inferenda.

Diluitur quodam argumentum.

31 Sed dices: Constat ex secundo Machabeorum, cap. 15. vers. 14. Omniam, & Ieremiam adhuc in Limbo existentes pro populo Israel orasse: ergo signum est, orationes nostras ibi cognoscere. ¶ Respondetur; quod ex quo Ieremias, aut quilibet alius iustus ibi detentus aliquando orasset pro vivis, non sequitur, à vivis orari, & invocari deberi. Tum: quia poterant orare pro necessitatibus communibus totius populi, quas certum est, semper adesse. (& hoc modo non est difficile concedere Purgatorij animas pro nobis ora-

orare) Tum etiam: quia, & si ex vi status non possint, seu non exigatur, quod cognoscant, quæ in hoc Mundo aguntur, & quis hominum se, & proprias necessitates illis commendet, tamen, vel enarrantibus alijs animabus, vel ex Dei misericordia, speciali que permissione, revelantibus Angelis, prædicti Sancti Patres in Limbo detenti cognoscere potuerunt hominum necessitates, & ita cum Dei amici essent, ab omni que dolo liberi, orare pro populo potuerunt, vt insinuat Divus Thomas quæst. 89. artic. 9. Sed hoc nostræ assertioni non præiudicat, quæ iuxta communem Dei providentiam loquitur, in qua: *Nesciunt mortui* (ait Divus Augustinus lib. de *Cura pro mort.*) *quid agant vivi.*

§. III.

Quare Protho-parens N. ELIAS licite invocari, & ab omnibus orari possit?

Dicendorũ ratio.

EX præcedenti conclusione; scilicet, quod Patres in Limbo existentes non poterant fructuose à superstitibus invocari, & consequenter, nec debuerunt à vivis orari, sic infert Raphael de Torre 2. 2. quæst. 83. art. 4. disp. 5. in fine: *Idem dico de Elia, & Enoc raptis in Paradysum*, quin alia efficatiori ratione hanc illationem corroboret; quod, an recte hic Doctor intulerit, in præsenti demostrabimus, & eius decisioni præsentem paragraphum dicamus. Vnde hic

Quid suadere videtur S. P. N. Eliã non posse à nobis invocari.

32 Specialiter investigare, & inquirere oportet rationes, ob quas Protho-parentem N. ELIAM orare, & ad eum nostras preces dirigere nobis licitum sit. Et ratio dubitandi pro parte negativa potest esse ea, quam supra num. 28. diximus; scilicet, nam frustra oramus eos, qui orationes nostras exaudire non possunt; sed Protho-parens N. Elias eas exaudire non potest: ergo frustra à nobis oratur. Minor, in qua potest esse difficultas, ostenditur: nam impossibile est exaudiri orationes ab eo, qui nec eas sensibus percipit, nec alias, sicut sancti, in Divino Verbo eas cognoscit, aut per Angelos ei revelantur; sed Sanctus Protho-parens noster Elias orationes nostras exaudire non potest; cum nunc sit in Paradyso, longe que ex consequenti à nobis distet, quò voces, & gemitus nostri penetrare non possunt: nec similiter in Verbo Divino eas cognoscit, cum Beatus non sit: nec denique constat, quod per sanctos Angelos ei prædictæ orationes revelentur: ergo nec à nobis orari, nec pro nobis determinate orare potest.

Certum citra controversiã est S. Prophetam Eliam orari, & invocari posse.

33 Sed nihilominus, vt omnino certum tenendum est, & citra controversiam affirmandum, Sanctum Protho-parentem nostrum Eliam ab omnibus orari, & invocari posse: nec de hoc dubitare aliquis absque temeritatis nota queit, cum opponeretur vsui, & consensui Ecclesiæ, tam Græcæ, quàm Latinæ orantis, & invocantis Sanctum Eliam in divinis officijs Lytanijs, & Missa nobis concessis. Quare solum in præsenti declarabimus rationes, & fundamenta, ob quæ talis cultus ab Ecclesia illi tribuitur.

Probatur conclusio.

34 Et primum sit. Nam ille orari à nobis potest, qui, cum sit Dei amicus, orationes ad eum fussas exaudire ex vi sui status valet: sed Sanctus Protho-parens noster Elias est Dei amicus, vt supponitur, & alias exaudire valet ex vi sui status orationes nostras ad eum fussas: ergo orari à nobis potest. Maior est certa, vt constat in Beatis, qui hac vnica ratione à nobis valent invocari. Consequentia est legitima; & minor sic probari posset. Nam vt docent Eugubinus in cap. 2. Geneseos. Pereirus lib. 7. in Genesim (licet tantum probabiliter.) Insuper Salmeron tomo vndecimo, tract. 32. ad illa verba Ioannis 24. *Sic eum volo manere*: referens Sanctum Antoninum, & alios. Barradas tom. 4. Historiæ Evangelicæ, lib. 9. cap. 4. Catharinus in Libello *de Consumatione gloriæ Christi*, & alij: nec obscure denotant Sancti Patres, vt Divus Bernardus serm. 6. *de Assumptione*: Divus Hieronymus Epist. ad *Pamachium*: Divus Epiphanius hæresi 64. Divus Chrysostomus Homilia *de Assumptione Eliæ*: Divus Ambrosius de Paradyso, cap. 3. & Epistola ad Simplicianum; & alij; quos erudite congerit N. Lezana Consulto tertio, à num. 49. Sanctus Protho-parens N. Elias simul est viator, & comprehensor, seu beatus; sed beati ex vi status cognoscunt omnia, quæ ad ipsos expectant, & orationes, quæ ad ipsos funduntur percipiunt, ne eorum appetitus naturalis, & ordinatus cognoscendi ea, quæ ad ipsos attinet, frustretur; vt his verbis docet D. Thom. 3. part. quæst. 10. art. 2. in corpore: *Nulli intellectui deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum expectant.* Quem sequntur NN. Salmant. Scholast. tom. 1. tract. 2. disp. 7. dub. 3. & 4. maximè n. 39. & 48. & tom. 10. tract. 21. disp. 18. dub. 2. num. 27. & colligitur ex Concilio Senonensi: ergo Protho-parens noster Elias ex vi status, in quo nunc est, orationes ad eum fussas cognoscit, & consequenter orari, & invocari ab omnibus potest. Hac ergo ratione facillime demonstrare possumus nostram assertionem.

Eadem minor solidis fundamentis probatur

35 At quia contraria sententia, scilicet quod Protho-parens noster Elias non sit beatus, est probabilior, ideò aliter primò illa minor sic probatur. Esto Sanctissimus Elias non sit nunc beatus, clara que Dei visione fruatur; tamen omnes Doctores concedunt, gaudere in Paradiso cæteris alijs Beatorum privilegijs: nam Dorotheus in *Sinopi* ait de Elia: *Qui humi iacebat, instar spiritus cum Angelis in Cœlis agit.* Tertulianus de *Resurrectione Carnis*, capite quinquagesimo octavo ait: *Elias, & Enoc non dum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, quo tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati ob omni vitio, & ab omni damno, ab omni iniuria & contumelia immunitatem carnis ediscunt.* Abulensis 4. Regum 2. quæst. 24. ait: *Elias, & Enoch assumpti sunt ad statum tam perfectum, vt iam potius sint cœlestes, quàm humani viri.* Maluenda lib. 9. de *Antichristo*, cap. 14. docet *frui frequenter colloquijs Angelorum, & divi-*

nis

nis imbui revelationibus. Gaſpar Sanchez lib. 4. Reg. cap. 2. ait de Elia, & Enoch quod *Angelicis fruuntur alloquijs, maximis que illuſtrationibus, quo ſe oblectent.* Et infrà: *Et gentis ſuæ maximus Zelator Elias licet abſtractus à ſuis, non tamen de illorum ſalute curam abiecit.* Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 55. ſect. 1. licet ſentiat, non eſſe in ſtatu merendi, tamen de eo ita loquitur. *Tertiò colligo; maximis Dei conſolationibus, divinis que illuſtrationibus, ac frequentibus revelationibus gaudere de his ſaltem rebus, quæ eorum ſtatui conſentaneæ ſunt.* Tum ſic. Sed vnum ex privilegijs Beatorum eſt, quod illis orationes, ad eos fuſſæ, manifeſtentur, vt docet Divus Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 4. ad 2. his verbis: *Maxime autem excellentiam eorum decet, vt cognoſcant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde; & ideò petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifeſtante, cognoſcunt.* Et Divus Gregorius relatus ab Angelico Præceptore ibi, ait lib. 12. Moral. *Beatis in Verbo manifeſtatur illud, quod decet eos cognoſcere de his, quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis.* Ergo & Sanctiſsimo Eliæ decet, quod manifeſtentur nunc orationes, quæ ad eum funduntur, & ea, quæ circa nos aguntur: quia hæc omnia, ad ſtatum, in quo Deus eum collocavit, ſcire, & cognoſcere, pertinet, & conſequenter orari à nobis poteſt.

Vlterius, ſed efficaciter, eadem minor ſuadetur.

36 Secundò eadem minor probatur: Quoniam ad fundatores Religionum expectat cognoſcere ea, quæ in illa geruntur; ſed Sanctus Elias eſt Religionis Carmelitarum parens, & fundator, vt docet Eccleſia, illum hoc nomine appellans frequentiſsime, tam in officio propio de eo nobis conceſſo ab Innocent. X. Alex. VII. & Clement. X. quàm in alijs Sanctorum Ordinis N. maximè in Officio S. Petri Thomæ die 21. Februarij. S. Spiridionis die 14. Decembris. S. Angeli die 5. Maij. S. Alberti die 25. Februarij, & aliorum Sanctorum Ordinis noſtri; nec non in diverſis Bullis Pontificijs, vt lato calamo probant NN. Salmant. Scholaſtici tom. 8. tract. 20. diſp. 3. dub. 9. referentes quam plurima aliorum graviſsimorum Doctorum teſtimonia. N. Antonius in Opuſculo de *Primatu Eliæ*, à §. 2. N. Sylveira opuſcul. 3. reſol. 2. quæſt. 1. & alij, tam ex proprijs, quàm ex extraneis, quos eſſet nimis longum referre: ergo huic Maximo Thesbite decet ex vi ſui ſtatus, vt percipiat, & cognoſcat per revelationem orationes, quæ ſaltem in N. Religione ad eum funduntur. ¶ Qua propter Venerabilis Mater Anna à S. Bartholomæo Sanctæ M. N. Thereſiæ Socia in Relatione ſuæ Vitæ iuſſu Superiorum ſcriptæ, ſequentia refert: *Cum Valliſoleti Capitulum Patrum Diſcalceatorum celebraretur, & ego Abulæ eſſem, quadam die, poſt ſacram Communionem, ſucceſſum eius Deo commendabam. Interea in interna introverſione, & recollectione, Dominus mihi oſtendit ſupra Conventum, in quo congregati erant Patres, nubem lucidam, & ſplendidam veluti ſolem, & in eius medio apparebat Sanctus P. N. Elias expanſum habens habitum ſuper Capitulum, veluti Pater eos defenſans.* Quam Hiſtoriam referunt N. Venerabilis P. Frater Franciſcus à Sancta Maria tom. 2. Hiſtoriæ Ordinis noſtri, lib. 7. cap. 50. Frater Chryſoſtomus Enriquez in Vita prædictæ Venerabilis Virginis, cap. 22. N. Daniel à Virgine in Speculo Carmelitarum, cap. 33. & alij. Ergo ſignum eſt, ad eum, vt Fundatorem, & Patrem attinere Carmelitas regere, conſervare, & defendere; & conſequenter eorum orationes, obſecrationes, & neceſsitates agnoſcere.

Rurſus dicta Minor probatur.

37 Tertiò: Sanctiſsimus Elias fuit Monachorum Inſtitutor, & Princeps, vt erudite probant NN. Salmanticenſes Scholaſtici tract. citato, diſp. 3. dub. 7. §. 4. à num. 18. N. P. Fr. Ioannes ab Annuntiatione, ſua toto Orbe ſapientia, & ſcriptis celebris, in Promptuario Carmelitano 1. part. toto Dialogo 4. præſertim à num. 53. authoritatibus Sanctorum Patrum, & Scriptorum teſtimonijs, atque rationibus nerboſe comprobans. N. Thomas à Ieſu in lib. 1. *Antiquitatis Ordinis*, cap. 1. N. P. Fr. Franciſcus à S. Maria tom. 1. *Hiſtoriæ Propheticæ*, lib. 1. à cap. 4. vſque ad 9. inclusive. N. Daniel à Virgine in *Speculo Carmelitarum*, tom. 1. part. 2. cap. 1. Synaſis prima, à num. 1239. pagina 306. Sylveira opuſc. 3. reſol. 1. n. 41. N. Antonius ab Spiritu Sancto loco citato, & alij noſtræ ſacræ Religionis Scriptores referentes quam plurima teſtimonia Sanctorum Patrum, & Doctorum, in quibus clarè demoſtratur Sanctum Eliam eſſe Patrem, Inſtitutorem, & Principem Ordinis Monaſtici, quod, & nos in præſenti vt certum ſupponimus; ſed ad Principes, & Inſtitutores alicuius Familiæ, & Ordinis expectat filiorum, & ſubditorum acta cognoſcere: ergo ex vi ſui ſtatus, ſaltim omnium Monachorum, opera, & orationes, quæ ad illum diriguntur cognoſcere debet: ergo ab illis orari, & invocari poteſt.

Eadem minor probatur, & pariter demonſtratur, ab omnibus fidelibus invocari poſſe.

38 Quartò eadem minor oſtenditur, & ſimul, quare ab omnibus orari poſsit, demonſtratur. Etenim Protho-parens Elias cum Enoch translatus eſt in Paradyſum, & ibi miraculoſe conſervatur, vt extremis diebus bellum cum Anti-Chriſto, & eius miniſtris gerat, eorum que falſa dogmata refutet, & fideles in vera doctrina confirmet, veritatem que Fidei, tam miraculis, quàm Eccleſiæ traditione, Patriarcharum, Martyrum, & Sanctorum exemplis, atque actibus Prophetarum, & Apoſtolorum, Pontificum teſtimonijs, Conciliorum decretis, Regum, & Imperatorum legibus confirmatam prædicet; Iudæos, & Gentiles ad veram fidem convertat: & denique *Elias venturus eſt, & reſtituet omnia*, ait Malachias cap. 17. Et D. Thomas cap. 11. Apocalyp. ita fatur: *Dabo duobus teſtibus meis, ſcilicet Eliæ, & Enoch, vt dicit Gloſſa; qui nunc ſunt in Paradyſo terreſtri: & tunc tempore, ſcilicet Anti-Chriſti, venient in publicum ad teſtificandam veritatem catholicam, & cum ſuum teſtimonium finierint, interficiet eos Anti-Chriſtus.* Et Divus Auguſtinus lib. 20. de *Civitate Dei*, cap. 29. prædicta confirmat his verbis: *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitam, antequam veniat dies Domini magnus; &*

illustris, qui convertet cor Patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum, ne forte veniens percutiam terras penitus. Per hunc Eliam magnum, mirabilem que Prophetam, expressa sibi lege vltimo tempore ante iudicium Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus, codicibus que fidelium. Sed ad hæc omnia opus est, quod sciat, quæ hucusque ab origine Mundi, vel saltem à lege Dei populo Iudæorum data, in Mundo gesta sunt, & conducere possunt ad Iudaicam, & Gentilicam doctrinam confutandam, & Christi fidem prædicandam: ergo, si ad statum, in quo à Deo est constitutus Sanctissimus Elias, pertinet, quod hæc omnia per revelationem sciat; etiam decet, & opus est, quod Deus illi per revelationem orationes, & preces ad eum fussas manifestet, cum in hoc nulla maior sit repugnantia, quam in illo: & consequenter dicendum est: Sanctissimum Eliam omnium orationes ad eum ordinatas, exaudire.

Authoritatibus corroboratur.

39 Quintò. Etenim Elias cognovit de facto, quæ in populo Iudæorum agebantur: ergo & orationes ad eum fussas. Antecedens probatur ex lib.2. Paralipomenon cap.21.vbi dicitur, quod, cum Rex Ioram fratres suos, & quosdam Principes Israel gladio occidisset, Elias misit ei minaces litteras, vt patet ex illis verbis: *Allatæ sunt ei litteræ ab Elia Propheta*: ergo, quia cognoscebat, quæ tunc in populo Iudæorum gerebantur, curam que eius habebat: ergo, cum eadem virtute nunc polleat, & maiori in dies charitate ferveat, dicendum est; & orationes ad eum fussas cognoscere, & citius orantibus subvenire. Videantur Cornelius in dicto capite N. Sylveira opusc.2. resolut.33. Iosephus lib. *9. Antiquitatis*, cap. 2. Lyra, & Maluenda, qui plurimos Rabinos erudite congerit lib.9. de *Antichristo*, cap. 2. qui omnes asserunt contra Caietanum has litteras misisse Protho-parentem N. Eliam impio Ioram, sive per Elisæum, sive per alium virum fidelem, sive per Angelum forma humana indutum. Et simul Genebrardus lib. 1. *Chronologiæ*, Maluenda citatus, Barradas tom. 1. in *Evang.* lib.5. cap.11. Sanchez in 4. Regum, cap.2. num.25. & alij ex hoc loco optime inferunt, nostras preces exaudire, & curam de rebus ad nos expectantibus habere. Qua propter traditio apud Iudæos fuit; quod Elias omnibus circuncisionibus invisibiliter aderat, vt videre est apud Galat. lib. 10. de *Arcanis*, cap.6. & Genebrardum lib. 1. *Chronologiæ*. Quod vtique minime affirmarent, nisi crederent curam populi adhuc habere, & orationes ad eum fusas cognoscere.

Eodem modo vlterius fulcitur eadem minor

40 Sextò: In Tabor apparuit cum Christo, & *loquebatur* ibi *de excessu, quem completurus erat in Ierusalem.* Et tunc dicunt aliqui, vt videre est apud Danielem à Virgine *in Speculo Carmelit.* tom.1. cap.27. à num.203. impetrasse à Christo Domino perseverantiam, vsque ad finem Mundi, Religionis Carmelitanæ; quod non obscure tradidit Beatissima Virgo Maria, dum Divo Petro Thomæ Patriarchæ Conttantinopolitano pro conservatione nostri Ordinis anxie oranti, sic ait: *Confidito Petre: Religio enim Carmelitarum in finem vsque sæculi est perseveratura. Elias enim eius institutor iam olim etiam à filio meo id impetravit.* Vnde emanavit illud.

Dum fluit vnda maris, currit que per ethera fœbus,
Vivet Carmelus candidus Ordo mihi.

Ergo, quia ad Eliam Sanctissimum attinet, vt Prophetam, Legis Dei Zelatorem, & Carmelitarum Patrem, non solum redemptionem totius Mundi exoptare, vt homines gloriam consequantur; verum & quæ ad N. Ordinis splendorem, observantiam, & augmentum pertinent, à Deo impetrari, & consequi; sed ad hæc omnia opus est, quod fidelium, & filiorum necessitates cognoscat, & orationes exaudiat: ergo eas nunc in Paradyso existens cognoscit, & exaudit.

Rursus probatur.

41 Septimò probatur eadem minor: Nam de facto ex Sacra Scriptura constat; quod invocatus orationem exaudivit: ergo quia ei, vt in Paradyso existenti, convenit, per Dei, aut Angelorum revelationes, orationes fidelium cognoscere. Antecedens probatur: nam, cum Elisæus, post raptum sui Parentis Eliæ, vellet transire Iordanem: & pallio Eliæ, quod ceciderat, percussisset aquas illius, & non essent divisæ; tunc ait Sacer textus; quod Deum sic invocaverit: *Vbi est Deus Eliæ etiam nunc*, vbi textus Hæbraicus, & Septuaginta vertunt: *Etiam ipse.* Quibus in verbis non solum invocat Deum, vt patet, sed etiam ipsum Eliam: & statim Elisæus percepit invocationis fructum, vt ait Textus: *Percussit que aquas, & divisæ sunt huc, atque illuc, & transit Elisæus.* Sed hanc invocationem minime proferret Sanctus discipulus, duplici Eliæ spiritu iam eructans, nisi sciret, ipsum orationes suas in Paradyso cognoscere: ergo de facto cognoscit, & sic invocari potest. ¶ Et dicta aliquomodo confirmari queunt ex illo, quod dicebant Iudæi quando Dominus noster Iesus-Christus in ligno Crucis pendens, *exclamavit voce magna dicens: Eli, Eli, lamma Sabactani.* Tunc enim ait Evangelista Matthæus cap. 27. vers.47. *Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iste:::: cæteri vero dicebant: sine, videamus, an veniat Elias liberans eum.* In quibus verbis, licet vocis sensum ignoraverint, tamen, ex ipsis manifestum est, credidisse, Eliam invocari posse, & invocatum petitiones agnoscere, & cognitas adimplere: ergo signum est, apud Iudæos morem invaluisse, Eliam Prophetam in necessitatibus invocare; quia vtique credebant eorum orationes exaudire.

Probatur miraculis à Deo intercessione Protho-parentis N. patratis.

42 Octavò: Eadem minor probatur ex plurimis miraculis à Sancto Patre. N. Elia patratis, liberando à peste eos, qui eius meritis se commendabant. Inter quæ admirandum prorsus est; quod, cum pestilentiæ lues Regnum Neapolitanum anno 1655. præcipue circa Capuam, & Nolam depopularetur, apparuit Sanctus Patriarcha Pastori de Sperone; dicens: *Curam habeto Ecclesiæ meæ* (quæ erat ruinosa) *& mihi cura erit, impetrare à Deo, vt cesset pestis.* Cuius revelationis veritatem postea comprobavit eventus: omnes enim quot

quot quot eius auxilium postularunt, & oleo lampadis ante illius imaginem collucentis, pestis vulnera vnxerunt, salvi facti sunt. Inter quos refertur à Patre Daniele à Virgine fuisse R. P. Alexandrum Carracillo Societatis Iesu. Videatur prædictus Doctor in *Speculo Carmelitarum*, tom. 1. cap. 34. & 35. pag. 118. vbi hæc late refert. Et Pater Bollandus tom. 2. Martij, pag 531. num. 9. ait: S. Patricium, oratione ad Sanctum Eliam fussa, ab oppressione Satanæ fuisse liberatum. Alia plurima testimonia hic adducere possemus, videnda apud citatos Historio-Graphos, vbi dicitur S. Eliam à fidelibus sæpe invocatum, præsto eis adfuisse: ergo, quia invocari licite potest, & invocantium preces exaudit: quod non contingeret, si non competeret illi ratione fœliciſsimi status, in quo à Deo collocatus fuit, & ratione finis ad quem à Deo destinatus est, vivorum orationes cognoscere.

Secũda probatio principalis conclusionis.

43 Secundò probatur nostra conclusio. Etenim ille ab omnibus orari, & invocari potest, qui ab Ecclesia dignus invocatione, & oratione proponitur; sed Ecclesia Sancta ita facit circa Protho-parentem N. Eliam: ergo ab omnibus orari, & invocari potest. Maior est omnino certa, consequentia legitima: & minor probatur: nam Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. Paulus V. Vrbanus VIII. & Clemens X. Carmelitis concessit Officium, & Missam de Protho-parente N. Elia, die 20. Iulij, recitare, & dicere, vt videre est in Breviarijs, & Missalibus de Sanctis N. Ordini concessis. Præterea eius festum traditur in Kalendario, & Martyrologio Romano die 20. Iulij. In Monologio Græcorum, & in Kalendario Ruthenorum, quo Rusia, & Moscobia vtitur: de quo Posivinus *in Apparatu*, tom. 3. verb. *Rutheni*, in Martyrolog. Moloni: & in additione ad Vsuardum die 17. Iulij: ergo quia vt Sanctus ab Ecclesia proponitur, & sic iudicat, esse in statu, in quo ab omnibus fidelibus invocari potest.

Tertia probatio.

44 Rursus probatur conclusio. Nam pallium Protho-parentis N. Eliæ, vt sacram Reliquiam veneratur Sancta Ecclesia Ovetana, & adductum fuit in Hispaniam per Fulgentium Episcopum Astigianum, vt refert Sebastianus Episcopus Salmantinus in sua Historia, septingentis, & plus annis retro scripta. Et similiter plurima templa à fidelium pietate Protho-parenti N. Eliæ inveniuntur dicata, approbatione, seu permisione Ecclesiæ, tam Græcæ, quàm Latinæ: nam, vt ait Genebrardus *Chronolog.* lib. 1. anno 3284. Et Chronolog. in Ioramo Rege Israel lib. 2. cap. 6. num. 7. Templum, & Altare in Carmelo Prophetæ Eliæ dicatum fuit. Et Nicephorus Calixtus scribit, Sanctam Elenam Ecclesiam Eliæ Thesbyte dicasse. Et Beniaminus Iudæus *in Itiner.* part. 38. hæc refert: *In ipso Monte, scilicet Carmeli, Eliæ Prophetæ antrum visitur, iuxta quod Christiani sacellum construxerunt S. Eliæ dicatum.* Videatur Salianus in Annalibus ad annum 3127. Item aliquas Ecclesias esse in Insula Cipri, Zanthes, & Sardiniæ in Diœcesi Turritana dicatas Sancto Eliæ, refert N. Lezana consulto 3. num. 90. Deinde in Regno Aragoniæ est Ecclesia iuxta locum Belclara erecta, in qua duo altaria Sancto Eliæ sunt dicata; vbi continuo fideles Sancti Prophetæ patrocinium experti, orationes fundunt, & gratulanter munera pro acceptis beneficijs offerunt. ¶ Vltimò, alijs omissis, continuo Protho-parenti Eliæ templa, & altaria dedicat sua sacra familia Carmelitana; sed minime Ecclesia permitteret reliquias venerari, oratoria, altaria, vel templa dicare ei, qui orationes ad eum fussas exaudire non posset; vel non esset in statu, cui deberetur, quod à Deo, medijs saltim Angelis, revelarentur: ergo dicendum est: Proto-parentem N. Eliam esse in statu, in quo Deus ei revelat medijs Angelis orationes, quas illi fideles offerunt. Hanc sententiam tenent Doctores, quos hucusque retulimus, late que referunt N. Lezana consulto 3. N. Daniel à Virgine *in Speculo*, tom. 1. à cap. 30. ad 35. N. Antonius ab Spiritu Sancto Opusculo de *Primatu Eliæ*, & alij. Insuper id tenet Communis Ecclesiæ praxis: &, vt advertit N. Lezana consulto citato, num. 132. à Sacra Rituum Cong. impositum fuit perpetuum silentium pijs Zeleratoribus, qui in officium S. Eliæ impingebant; & sic eius invocationem prohibebant.

Adnotatur inconsideratio P. Raphaelis de Torre circa invocationem S. Eliæ Prophetæ, & Protho-parentis nostri.

45 Ex quibus satis constat, quam iniuste Raphael à Torre privare voluerit Protho-parentem N. Eliam gloria, & prærogativa, quod ab omnibus invocari, & orari possit; quam non solum Ecclesia, & tot sapientium suffragia concedunt, sed & demostrativa argumenta probant, & convincunt. Maneat ergo Sanctiſsimum P. N. Eliam omnium fidelium orationes ad eum fussas cognoscere ex revelatione divina, vel medijs Angelis, quorum frequenti colloquio fruitur, aut alio speciali modo congruenti statui, & fini, in quo à Deo est constitutus: & simul eius intercessionem multum apud Deum valere, vt petitiones nostræ exoptatum consequantur effectum.

§. IV.

Qui possint pro nobis orare?

Christus pro nobis orare potest.

46 BReviter ab hac difficultate nos expediemus, quia ex dictis paragrapho præcedenti, fere iam eius resolutio patet. Vnde dicendum est primò: Christum Dominum non solum, quando nobiscum in terra degebat, pro nobis orasse, sed, & nunc, dum in Cælis regnat, semper orare. Primum constat sæpiſsime ex Evangelio: nam Lucæ 9. dicitur vers. 18. *Et factum est, cum solus esset orans.* Et vers. 28. *Ascendit in montem, vt oraret.* Et cap. 22. vers. 43. *Factus in agonia prolixius orabat.* Vnde cum ratione humanitatis sit minor Patre, sequitur, quod possit à nobis orari, vt apud Deum pro nobis interpellet. ¶ Sed notant hic optime Doctores: quod, licet hoc verum sit in oratione privata, tamen in orationibus publicis non est dicendum: *Christe ora pro nobis.* Ne videamur convenire cum Ario, & Nestorio, Christum esse verum Deum negantibus. Videantur Divus Thomas in 4. distinct. 45. quæst. 3. artic. 3.

ad

ad 3. & NN. Salmanticenſes Scholaſtici tom. 10. tract. 21. diſp. 30. dub. 1. & 2. maximè num. 27.

Angelos, & beatas animas pro nobis poſſunt orare.

47 Dicendum eſt ſecundò: Sanctos Angelos, & animas beatas poſſe pro nobis orare. Et rationem tradit Divus Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 11. quia Oratio pro alijs facta ex Charitate provenit; ſed Angeli, & Sancti in Patria ſunt perfectioris Charitatis, quam alij non fruentes Patriæ Cœleſtis beatitudine: ergo tanto magis orant pro nobis viatoribus, quanto ſunt Deo per Charitatem coniunctiores. Vlterius: Tobiæ 12. Zachariæ 1. Danielis 10. Pſalm. 90. Matthæi 18. Apocalypſi 8. dicitur Sanctos Angelos pro viatoribus oraſſe: ergo idem dicendum eſt de alijs animabus beatis. Patet conſequentia, cum prædicti Sancti non minus, quam Angeli, homines diligant. ¶ Confirmatur: Hyeremiam, vt ſupra num. 31. vidimus, conſtat oraſſe pro populo Dei, quando erat in Limbo Patrum: ergo potiori titulo orabunt, qui Beatitudinem ſunt iam adepti. Sic tenent omnes Catholici contra hæreticos, qui debachantes, ad invocationem Sanctorum evertendam, rudibus, & impijs conantur ſuadere, Sanctos in Cœlo pro nobis nec orare, nec impetrare aliquid poſſe: Sed eorum fallacias evidenter diſpellunt Sancti Eccleſiæ Doctores, maximè à nobis ſupra n. 22. citati: & inſuper Layman tom. 2. tr. 1. cap. 1. num. 6. id pluribus locis ſacræ Paginæ, & Sanctorum Patrum comprobans, Bonacina *de Horis Canonicis*, quæſt. 2. punct. 1. num. 3. & alij; in quo immorari non licet nobis, qui morali methodo hæc ſcribimus, cum directè ad Controverſiſtas attineat. ¶ Hic notandum eſt: Sanctos non ſolum in Cœlo pro nobis orare, verum etiam pro ſe, ſcilicet pro gloria corporis, qua carent, vt docet Divus Thomas loco citato ad 1. quem ſequuntur Torre ibi, artic. 11. diſp. 1. & Suarez tom. 2. lib. 1. *de Oratione*, cap. 21. num. 23.

Patres in Limbo exiſtentes, animæ Purgatorij, & S. Propheta Elias poſſunt pro nobis orare.

48 Dicendum eſt tertiò: Patres dum in Limbo exiſtebant, potuiſſe pro neceſsitatibus ſui populi orare. Tum: quia erant in Charitate, quæ illos cogebat, preces ad Deum pro neceſsitatibus ſui populi fundere. Tum: quia, id conſtat ex Hyeremia Propheta n. 31. ſupra citato. Tum denique: quia de illis eodem proportionali modo, ac de Beatis loquitur D. Thomas ¶ De animabus Purgatorij ſentiendum eſt modo dicto à num. 23. vſque ad 29. incluſive. ¶ Et de Protho-parente Elia, licet verum antea eſſet, poſſe, pro nobis orare; nunc poſtquam Eccleſia nobis conceſsit, de eo Officium Canonicum recitare, & vt de Sancto publice Miſſam dicere, & interceſſorem apud Deum invocare; contrarium aſſerere eſſet erroneum, & de fide ſuſpectum.

Omnes homines degentes in hoc mundo, & ſi peccatores, orare pro ſe, & pro alijs poſſunt.

49 Dicendum eſt vltimò: Vivos, maximè iuſtos, poſſe, tam pro ſe, quàm alijs orare. Hæc aſſertio patet, primò: ex Epiſtola Iacobi, cap. 5. vbi dicitur: *Orate pro invicem, vt ſalvemini.* Et ibidem: *Multum valet deprecatio aſsidua.* Et iterum ibidem verſ. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum olio in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Et loquendo de Protho-parente noſtro Elia, ſubiungit verſ. 17. *Elias homo erat ſimilis nobis poſsibilis; & oratione oravit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum oravit, & Cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.* Ergo licite vivos, & maximè iuſtos orare, poſſumus, vt pro nobis aliquid à Deo impetrent. ¶ Quo ad peccatores etiam liquet noſtra concluſio. Nam, vt ait Divus Auguſtinus relatus à Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 83. artic. 16. *Si peccatores non exaudiſſet Deus, fruſtra Publicanus dixiſſet: Domine propitius eſto mihi peccatori*: ergo, quando peccatores orant, eos Deus exaudit, & quod iuſtum eſt, ab eo miſericorditer impetrant. Præterea: orationes, vt impetratoriæ, innituntur Dei benignitate, & miſericordia, vt conſtat apud omnes; ſed Divina miſericordia etiam reſpicit peccatores, & eos pro ſua benignitate exaudit: ergo non eſt, cur eos interpellare, non debeamus, vt pro nobis orent. ¶ Sed hic nota ex Divo Thoma loco citato, artic. 4. ad 3. Abulenſi in Matthæum quæſt. 26. & 28. & Navarro in Enchirid. de Oratione, cap. 1. num. 22. quod, licet rogatio ad Sanctos mortuos ſit vere oratio, ſecus vero facta ad vivos. Et ratio Divi Thomæ eſt: quia, cum vivi non fruantur, ſicut mortui viſione Dei, non ſunt certi de ſua beatitudine; nec poſſunt cognoſcere ea, quæ nos cogitamus, vel dicimus: & ideò concludit Angelicus Doctor loco citato: *Eorum ſuffragia non imploramus, orando, ſed à vivis petimus colloquendo.*

PUNCT. IV.

Qualiter Religioſi, & maximè Carmelitæ, ad orationem mentalem teneantur?

Oratio mentalis graviter religioſos obligat iuxta aliquos autores.

50 LIcet ex dictis num. 14. conſtet, omnes fideles ſub mortali teneri ad orandum, vel mentaliter, vel vocaliter: nunc videndum eſt: An oratio determinate mentalis aliquos obliget? Movetur quæſtio maximè ob Religioſos, quibus hæc obligatio ſpecialiter incumbere videtur. Vnde inquirimus: An ſit in Religioſis gravis obligatio mentaliter orandi? An quod affirmative videtur reſpondere Divus Bonav. tom. 2. *de Proceſ. Relig.* lib. 7. cap. 11. his verbis: *Sicut favus ſine melle, & murus abſque temperatione, & cibus abſque condimento, ita vita religioſa ſine ſtudio internæ devotionis.* Et de *Perfectione*, cap. 5. *Re vera Religioſus orationem non frequentans aſsidue, non ſolum eſt miſer, & inutilis, quin imò coram Deo fert animam mortuam in vivo corpore.* Deinde Divus Ioannes Climacus *gradu primo ſpiritualis Scalæ*, ſic diffinit Religioſum: *Monachus eſt, qui ſolum ad Deum aciem mentis intentus, illum ſemper orat in omni*

omni tempore, loco, & re. Et de D. Thoma dicitur in eius legenda: *Vt nunquam se lectioni, aut scriptioni dederit, nisi post orationem.* Et Caiet. 2. 2. quæst. 83. art. 3. ait: *Nec Religiosi, nec Religiosæ sui specialis etiam nomine vocari potest, qui saltem semel in die ad huiusmodi se non confert.* Et omnibus luculentius loquitur Matriarcha N. ac Seraphica Virgo S. Theresia: Nam *in via perfectionis*, cap. 21. agens de oratione mentali ita ait: *Este es oficio de Religiosos: quien os dixere, que esto es peligro, huid de èl.* Et cap. 22. sic contra omnes exclamat: *Què es esto Christianos! Los que dezis no es menester oracion mental? Entendeos. Cierto, que pienso, que no os entendeis, y assi quereis, que desatinemos todos.* Et alibi sæpe fere eadem repetit. Sed ex his omnibus sequitur, maximè Religiosos, adeò adorationem mentalem obligari, vt per eam in omni *tempore, loco, & re*, ad Deum mentis aciem intentam habere debeant: ergo graviter obligantur ad huius modi exercitium. Qui plura, & similia SS. PP. testimonia voluerit, legat N. Ildephonsum à Iesu Maria tom. 2. *de periculis, & remedijs perfectionis Religiosæ*, part. 1. discurs. 7. §. 2. 5. & 6. & N. Lezanam tom. 1. Summæ *de reformatione Regularium*, cap. 3. & 4. pag. 234.

Solum ad eam tenentur iuxta præceptum, regulæ, aut constitutionis.

51 His non obstantibus, dicendum est: Religiosos, ex vi præcisè talis status, non teneri sub mortale ad orationem mentalem. Et ratio est: Tum: quia nulla datur lex sic eos obligans: Tum: quia substantia status religiosi sufficienter salvatur in tribus votis *Obedientiæ*, *Castitatis*, & *Paupertatis*; sed in his non est præceptum ad orationem mentalem graviter obligans: ergo ad eam Religiosi, ex vi talis status, non tenentur. ¶ Diximus *ex vi status religiosi*: quia si est aliqua particularis constitutio ad eam obligans, ad illam tenebitur iuxta qualitatem culpæ taxatæ. Rursus ostenditur nostra assertio: etenim, non minus peccat Religiosus omittens orationis mentalis exercitium, quam, qui consuetudinem habet omittendi alia regulæ, vel constitutionum mandata; sed iste ex vi huius capitis, seu consuetudinis, non peccat mortaliter, vt docuimus tom. 4. tract. 15. cap. 1. punct. 2. à num. 24. ergo nec graviter delinquit, qui orationis mentalis exercitio non vacat. Vltimò: nam, non minus conducit, & est necessaria oratio in Religiosis ad perfectionis metam adquirendam, quam observantia suarum legum, & constitutionum, quæ quidem à legislatoribus adinuentæ sunt, vt medium aptius, & opportunius vt suos alumnos ad perfectionem perducant; sed dictæ leges, & constitutiones non obligant sub mortali, & in pluribus religionibus nec sub veniali, vt diximus tom. 3. tract. 11. cap. 2. punct. 1. num. 6. & punct. 3. num. 51. & 53. ergo oratio mentalis non obligat Religiosos sub mortali. ¶ Verum quidem est, quod oratio mentalis est valde conducens ad tendendum in perfectionem, quam sub mortali Religiosi conari tenentur; & cum sit valde difficile sine ea ad perfectionem tendere, ideò Sancti Patres, supra relati, exagerant eius obligationem, & necessitatem; at, hæc non est per se; sed per accidens, & ideò diximus: *ex vi status* sub mortali ad orationem mentalem non teneri. Sic docent Suarez tom. 2. *de Religione*, lib. 2. cap. 4. n. 7. Prado tom. 2. cap. 30. quæst. 4. num. 54. N. Lezana tom. 1. Sum. *de Obligat. Relig.* cap. 7. num. 24. pag. 53. & Navarrus in Enchirid. *de Orat.* cap. 20. num. 61. pag. mihi, 436. cuius verbis hæc concludimus: *Hæc non dixerim, vt retraham quemquam à tam vtili, meditatione (qua vtinam vteremur) sed vt liberem scrupulis eos, qui aliquot dies hæc omittunt, & à peccatis, quæ contra conscientiam erroneam omittendo, admitterem, præservem.*

Nostra Regula obligat ad orationem determinate mentalem.

52 Supposito ergo quod Religiosus ex vi status ad orationem mentalem non tenentur; videndum restat; qualiter Carmelitæ ad eam teneamur? Pro quo supponendum est: Religiosos nostros ex vi Regulæ determinate ad orationem mentalem teneri. Hæc suppositio est contra N. Thomam à Iesu in cap. 6. *Regulæ*, dub. 1. asserentem, Regulam nostram in cap. immediate referendo, obligare, vel ad orationem mentalem, vel vocalem, non vero determinate ad mentalem. Et probatur: nam dicta Regula in cap. 6. sic dicit: *Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.* Sed per hæc verba tantum orationem mentalem præcipit: ergo, &c. Probatur minor: tum: quia meditatio legis divinæ actus mentalis est, & non vocalis: tum: quia orationem vocalem capite sequenti eadem Regula præcipit, tam laicis, quàm Choro deputatis, quod frustra ageret, si iam erat præcepta: ergo tantum mentalem præcipit. ¶ Confirmatur: nam oratio, de qua in cap. 6. loquitur, debet esse die, ac nocte continuata; sed vocalis nequit esse moraliter adeò continua, bene autem mentalis, vt infra dicemur: ergo, &c. Fatemur tamen; quod, qui die, ac nocte vocaliter oraret, præceptum Regulæ adimpleret, sed hoc esset, quia oratio vocalis à mentali discerni nequit, si debite est orandum; quod tantum fortasse voluit citatus Doctor. His stabilitis.

Talis obligatio est tantum sub veniali.

53 Dicendum est: Religiosos Carmelitas ex vi Regulæ ad orationem mentalem sub veniali teneri. Ratio huius est: quoniam, vt constat ex cap. 6. citato. Omnes illius professores tenentur ad orationem mentalem; sed dicta Regula obligat sub veniali, vt his verbis declarant nostræ Constitutiones 1. part. cap. 1. num. 6. *Et primum de primitiva nostra Regula declaramus; eam nullatenus suis professoribus ad læthalem culpam, sed ad venialem tantum obligare; sic enim & communi Religionis consensu, & consuetudine semper introductum est, & totius nostri Capituli Generalis voto tam pro Religiosis, quàm pro Monialibus firmatum.* Et idem refert de sua observanti familia N. Lezana tom. 3. *Quæst. Regul.* in Mare magno Regulæ Carmel. num. 83. ergo Religiosi Carmelitæ ad die, ac nocte mentaliter orandum tenentur sub veniali. *Cæterum* (vtimur verbis nostrarum Constitutionum loco citato num. 1.) *quia proprius, ac peculiaris instituti nostri scopus, ad quem actiones nostræ sunt*

sunt dirigendæ, est iugis oratio, & divinorum assidua meditatio: hoc est, vt mens nostra quantum humani fragilitati permittitur, Deo, ac divinis rebus perseveranter inhæreat. Ideò credimus fratrem nostrum, qui ex inedia, aut torpore non vacaret orationis mentalis exercitio, esset in maximo salutis periculo; quia tunc per media à Religione stabilita, proprij instituti finem assequi non curaret; vnde & Religioni, & sibi maximum nocumentum afferret; Religioni, quia ei officit in disciplina regulari, alijs occasionem, suo pravo exemplo, præbens transgrediendi hoc nostri instituti principale caput: sibi; quia, vt diximus, constituitur in periculo salutis amittendæ. Qua propter Mag. Bannez 2. 2. quæst. 33. art. 3. dub. 3. ait, Religiosum Dominicanum, qui se indisponeret ad munus prædicationis, qui est potissimus finis in prædicta Religione, peccaturum mortaliter: ergo idem dicendum est de Carmelita, si ad orationem mentalem se quocumque modo indisposuerit. Ita N. Antonius 2. part. *Direct. Regul.* disp. 6. num. 337. N. Thomas à Iesu in cap. 6. *Reg.* dub. 3. & N. Franciscus à S. Elia ibi, num. 5. & non obscure tradidimus tom. 4. tr. 15. cap. 1. punct. 2.

Quædam notantur pro explicatione capitis 6. Regulæ nostræ.

54 At; quia circa prædictum cap. 6. Regulæ non leves apud nos versantur difficultates; extra chorum non erit, eas in præsenti discutere. Pro quo nota primò: duo in prædictis Regulæ verbis nobis præcipi: primò manere in cellulis, vel iuxta eas: Secundò, ibi die, ac nocte in lege Domini meditari, & in orationibus vigilare. ¶ Nota secundò: quod, licet nullus Superior, etiam Ecclesiasticus, possit præcipere actus mere internos, vt late probavimus tom. 2. tract. 10. cap. 1. punct. 11. num. 136. & tom. 3. tract. 11. cap. 1. punct. 5. num. 66. tamen hoc obesse nequit ad hoc, vt Regula nostra præcipiat orationem mentalem, quæ actus pure internus est. Et rationem disparitatis multiplicem non semel audivimus, sed nullam, quæ plene satisfaciat; quibus omissis, dicimus; quod, licet absolute nulla lex possit directe actum internum præcipere; potest tamen ex suppositione alicuius voti, quo nos obligamus, aut obligavimus iuxta regulam, aut legem vivere, quæ aliquem actum internum præcipit: quia tunc proprie nos libere ad id obligamus ex voto, non vero nos ad id lex absolute obligat. Cum ergo ex voto nos obligemur vivere iuxta nostram primitivam Regulam, actum internum orationis mentalis præcipientem, & sub hac lege, aut regula vivere promisserimus, ideò omni eius mandato, aut legi subijcimus: & ob hoc ad mentaliter orandum prædicta regula suos professores cogit, & obligat. Quibus suppositis pro explicatione prædicti capitis sexti nostræ primitivæ Regulæ.

Regula N. obligat ad continuam mansionem in cellulis.

55 Rogabis primò: Quid nobis præcipiatur per illa veba: *Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, &c?* Respondetur: his verbis nobis præcipi iugem, & diurnam mansionem in cellulis, nisi aliqua iusta causa foras egredi, cogat: quare hac non existente, licite, non possunt fratres nostri foras egredi; neque, qui cœnovitice vivunt etiam iuxta cellulas deambulare. Ratio primæ partis constat ex præcepto Regulæ: & secunda sic suadetur: quia hæc nostra primitiva Regula data fuit *fratribus Eremitis, qui iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur*, vt ipsa in principio ait: & ideò, quia in cellulis separatis vivebant, permisit iuxta eas deambulare; sed nunc non vivimus modo eremitico in cellulis separatis, sed cœnovitico in cellulis contiguis: ergo taliter debemus continue manere in cellulis, vt iuxta eas deambulare non liceat. Ex quo sequitur; quod, quando Eugenius IV. permisit Patribus nostris observantibus in Bulla edita anno 1431. quæ incipit: *Romani Pontificis providentia, &c.* & ad verbum refert N. Thomas à Iesu in Commentarijs super Regulam, 1. part. pag. 147. *Vt horis congruis in eorum Ecclesijs, & illorum claustris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare licite, & libere valeant*; non præcisè declaravit verba Regulæ, vt male sentit Lezana num. 77. sed proprie mitigavit, vt ipse Eugenius dicta Bulla fatetur his verbis: *Nos vero::: rigorem huiusmodi quadam temperie mitigantes, ac Regulam ipsam moderantes, Apostolica authoritate tenore præsentium, &c.* Præterea: nunquam, ex quo cœnovitice vivimus, fuit mens, & intelligentia Religionis in prædictis verbis permittere, iuxta cellulas ambulare; vt patet: tum ex eo, quod fuit à S. Pontifice de hoc expetita mitigatio; tum: quia talis vsus apud nos nunquam viguit, imò in nostra Discalceata familia prohibetur 1. part. Constitutionum, cap. 9. ergo evidens signum est, quod Regula suis professoribus, quando cœnovitice vivunt, nunquam permisit, iuxta cellulas deambulare. ¶ Sed, licet hæc ita sint, tamen N. Thomas à Iesu dub. 2. probabile iudicat, quod, quando aliqua cellula non est in dormitorio communi cum alijs, possit Religiosus in mediocri distantia ad fruendum sole, vel commodius studendum, extra eam exire, dummodo silentij custodia non periclitetur. Sed, quia hic casus raro contingit, nostra sententia absolute tenenda est.

Clausula *iuxta eas* solū nunc verificatur in his, qui in cellulis separatis viuunt.

56 Ex quibus sequitur primò: Verba *iuxta eas* solum nunc verificari in nostris Religiosis, quando vivunt in cellulis separatis, quæ saltim vna in quolibet Conventu apud nos consita in hortis est, ad quam pro spiritualibus exercitijs se per determinatum tempus confugiunt. Secundò: In fratribus nostris, qui ad heremum, quæ in vnaquaque nostræ reformationis Provincia, erecta est, convolant, quando ibi in cellulis separatis extra Conventum vivunt, secus vero, quando intra Conventum, & si in cellulis aliquo modo separatis habitent, vt evenit in huius nostræ almæ Provintiæ deserto vulgo *de Batuecas* dicto. Ratio primæ partis est: quia pro his ad litteram verificatur mens Regulæ, cum ibi vitam proprie heremiticam agant, solis leguminibus, & herbis victitando, singulijs que ferijs sextis nil calidum, & igne paratum comedendo: ex quibus aliqui adeò robustioris spiritus nunc ibi sunt, vt solo pane, & aqua, fructibus que siccis contenti, per totum Adventum, & Quadragesimam ieiunent. Insuper

per prædicti Religiosi vivunt inseparatis cellulis inter prærrupta montium consitis, aspides, serpentes, viperas, & similia animalia, experientia teste, non semel innoxie conculcando. De quibus dicere licet cum Apostolo ad Hebræos cap. 11. vers. 37. *Hi sunt, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.* Vnde in nullo distinguntur ab illis primitivis Carmelitis, quibus primæva hæc nostra Regula data fuit, & de quibus in prædicto textu loquitur Apostolus: ergo hi tantum ex vi regulæ possunt esse in cellulis, *vel iuxta eas die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.*

Secunda part. probatur.

57 Ratio secundæ partis est: Quia, licet vivant prædicti Carmelitæ in heremo, & plures illius cellulæ sint inter se medio hortulo separatæ, tamen nonnullæ ex illis non sunt inter se distinctæ: ergo in his verificari nequit mens Regulæ. Præterea; licet omnes essent ibi aliquo modo separatæ, tamen vniuntur inter se muro aliquo continuo: vnde absolute dici non potest, vivere in cellulis separatis: ergo his non permittit Regula iuxta cellulas ambulare. Et ita observant Religiosissimi Patres huius nostræ Provintiæ, Eremi vulgo *de Batuecas* quorum sola praxis est efficax nostræ resolutionis confirmatio, melior Regulæ intelligentia, & cuiuscumque alterius Eremi norma, & exemplar venerandum.

Separatim, & seorsim in cellulis manendum est.

58 Sed pro maiori intelligentia prædictorum verborum nota primò: Quod non fortuito, aut casu præcipit Regula, quod: *Maneant singuli in cellulis suis.* Sed ex professo, & à consilio, ad denotandum, quod non bini, aut terni possunt in cellis manere, aut commorari, sed singuli seorsim in eis manere debent; quod indicant, tum prædicta verba; tum finis in eis intentus, scilicet *iugis oratio, & divinæ legis meditatio*, quæ hominum abhorret consortia, vt bene notat N. Thomas à Iesu loco citato, cap. 6. gloss. 6.

59 Nota secundò: Quod illa verba *die, ac nocte*, non solum referuntur ad meditationem divinæ legis, &c. Sed etiam ad mansionem in cellulis. Et ratio est; quia in iure determinatio respiciens plura determinabilia, pariformiter debet ea determinare: vt constat ex leg. *Iam hoc iure, ff. de vulg. & pupilli*; leg. *Quamvis, de legat. 3. leg. Hæreditatem, cap. de impub. substit. leg. Si legatarius*; sed illa verba sunt determinatio respectu, tam clausulæ antecedentis, quàm subsequentis, vt constat ex contextu: ergo vtrumque pariformiter determinare. Deinde: quia, quando prædicta Regula ab Eugenio IV. fuit mitigata. Causa à Patribus Obseruantibus Pontifici proposita, vt constat ex verbis Bullæ, fuit; quod in regula tradita à Sancto Alberto Patriarcha Hierosolymitano, præcipitur expresse: *Quod singuli eorum manere debeant in cellulis suis die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes. Et propterea nonnulli ipsius Ordinis professores propter arctitudinem, & rigorositatem Regulæ huiusmodi, tam ex fragilitate humana, quàm ex debilitate corporea nequeuntes eandem regulam obseruare, dispendium suæ salutis incurrunt.* Ergo signum est (quidquid dicat Lezana) quod fratres tenebantur ex vi Regulæ nostræ primitivæ ad perpetuam clausuram, & cellularum inclusionem. Vltimò quoniam clausula in medio dictionis posita inter articulos connexos, & inter se dependentes pro omnibus deseruit: vt constat ex leg. 3. §. *Filius*, ff. *de lib. & posthum.* leg. *Quis quis*, ff. de leg. 3. *cap. 2. requires, de appellat.* & docent Burgos de Paz leg. 3. Tauri, part. 1. concluf. 2. num. 67. Ioannes Garcia *de Nobilitate*, gloss. 2. num. 11. Cevallos commun. contra commun. quæst. 905. num. 3. Card. Turch. Pract. Concluf. tom. 1. littera C, concl. 290. num. 5. & novissime Barbosa tract. varij de Clauf. vsu frequentibus Clausula: *In medio posita*, pag. mihi, 426. Sed prædicta clausula *die, ac nocte* est posita inter articulos *mansionis in cellulis*, & *iugis orationis*, qui, vt ex se patet, sunt inter se valde connexi: ergo prædicta verba pro vtroque deseruiunt, & consequenter, tenentur fratres nostri ex vi Regulæ non solum ad die, ac nocte meditandum in lege Domini, sed etiam ad semper manendum in cellulis. Ita docent N. Thomas à Iesu hic super dictum cap. Reg. gloss. 6. dub. 1. N. Franciscus à Sancto Elia ibi num. 2. pag. 170. & N. Antonius à Spiritu Sancto in *Direct. Regul.* 2. part. tract. 3. disp. 6. num. 323. N. Lezana tom. 3. cap. 7. super *Regul. Carmel.* num. 75. pag. 198.

Iugis meditatio diuinæ legis, & continua oratio nobis per Regulam præcipitur.

60 Inquires secundò: Ad quid teneamur ex vi illorum verborum: *Die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi alijs iustis occasionibus occupentur?* Respondetur: Omnes ex vi illorum teneri, tam ad continuam legis divinæ meditationem, quàm ad iugem, & perpetuam orationem; taliter, quod vtraque simul nobis præcipiatur; & sic non sufficit aliqua ex illis disiunctive accepta, vt huic obligationi plene fiat satis. Ratio huius assertionis est: quia non est idem meditatio divinæ legis, ac oratio: nam, vt ait Div. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 3. ad 1. *Meditatio est intuitus animi in veritatis inquisitione occupatus*: oratio vero, vt constat ex dictis iuxta eumdem Ang. Doctorem: *Est petitio decentium à Deo*, quæ satis inter se differunt, cum illa sit actus intellectus speculativi, hæc vero, practici; sed Regula eas distincte præcipit: ergo ad vtramque suos professores obligat. Sic N. Franciscus à S. Elia num. 3. & Frater Thomas à Iesu dub. 1.

Replica.

61 Dices: Continua legis divinæ meditatio, & perpetua oratio mentalis est impossibilis humanæ fragilitati, vt ex se constat, & docet Cassianus collatione 1. cap. 3. & collatione 23. cap. 5. his verbis: *Inhærere quidem Deo iugiter, & contemplationi eius inseparabiliter copulari, impossibile est homini ista carnis fragilitate circundato*: ergo falsum est, nostram Regulam talem continuationem prædictis verbis præcipere.

Dissolvitur.

62 Huic replicæ, quæ non levem videtur, præseferre difficultatem, respondetur; diuturnitatem, quam nobis Regula præcipit,

non esse metaphysicam, sed moralem, hoc est, vt Constitutiones nostræ 1. part. cap. 1. num. 1. explicant: *Vt mens nostra, quantum humanæ fragilitati permittitur, Deo, ac divinis rebus perseveranter adhæreat.* Quæ continuatio impossibilis, Deum diligentibus, minime est. Quod autem hæc sit mens nostræ Regulæ patet. Tum: quia Christus, vt supra num. 8. & 9. vidimus omnibus fidelibus præcipit semper orare: & tamen D. Chrysostomus, Theophilatus ad prædicta verba, & Cassianus collatione 9. & D. Thomas 2.2. q. 83. art. 14. docent, ibi tantum præcipi diuturnitatem non metaphysicam, sed moralem, quæ vires humanas non excedit: ergo de hac, Regula nostra intelligenda est. Tum etiam: quia præallegata verba satis hoc insinuant, siquidem nobis præcipiunt hanc diuturnitatem, *nisi alijs iustis occasionibus occupentur*: ergo diuturnitas mansionis in cellulis, & orationis non metaphysice, sed moraliter à Regula nostra præcipitur; & hæc semper fuit mens, & intelligentia Religionis, vt testatur N. Ualdensis *de Sacramentalibus*, tit. 9. cap. 76. n. 3. & ita docent N. Thomas à Iesu loco citato, dub. 2. Frater Franciscus à Sancto Elia à n. 4. Frater Antonius *in Direct. Regularium*, 2. part. tract. 3. disp. 6. à num. 326. & Lezana à num. 78.

Media, per quæ præcepto Orationis mentalis fiat satis.

63 Rogabis tertiò: Per quæ exercitia spiritualia præceptum meditationis, & orationis impleatur? Respondetur primò: Perfectius adimpleri per orationem mentalem, vel vocalem mentali adiunctam: nec non per postulationes, obsecrationes, gratiarum actiones, quæ ex Apost. ad Timoth. 2. sunt orationis partes. ¶ Secundò: Per orationes iaculatorias, propiæ culpæ, mortis, & inferni, atque beatitudinis considerationem, præsentiam Dei, examen conscientiæ, labilitatis ad peccandum meditationem, & similia. ¶ Item addunt, & optime Doctores supra allegati; per studium Scripturæ sacræ, & theologiæ Scholasticæ, & Moralis; imò & Logicæ, ac Philosophiæ, si eo fine talibus scientijs vacemus, vt melius intelligentiam sacræ Paginæ, & Theologiæ assequamur: cum hæc omnia sint aliquo modo divinæ legis meditatio, & per ea, si debite accipiantur, divinæ Essentiæ cognitio clarius patefiat, eius que amor in nobis augeatur.

Qui tantum orat horis à constitutionibus designatis, non adimplet præceptum Regulæ.

64 Rogabis quartò: An qui horis à Religione designatis orationi assistit, animo, & intentione orandi, & si alijs temporibus orationis non meminerit, adimpleat hoc nostræ Regulæ præceptum? Respondetur negativè: & ratio est: nam Regula obligat ad semper orandum: & prædictæ horæ non sunt à Religione assignatæ, quia per eas tantum obligatio illius adimpleatur; sed, vt dicunt nostræ Constitutiones cap. 3. num. 1. *Vt melius spiritus vita conservetur*, hoc est, vt spiritus vita, & fervor Charitatis per continuam divinæ legis meditationem, & iugem orationem adeptus non tepescat, quin imò foveatur, augeatur, & perficiatur: ergo, qui tantum prædictis horis orationi vacaret, Regulæ præceptum frangeret, & venialiter delinqueret.

Explicantur vltima verba capitis sexti Regulæ.

65 Vltimò addit Regula in dicto cap. *Nisi alijs iustis occasionibus occupentur.* Per quæ verba, licet fratres nostri excusentur à continua mansione in cellulis, non tamen ab oratione perenni. Et ratio est: quia clausula, in fine posita, non refertur ad omnia præcedentia, quando in omnibus capitulis non est eadem dispositionis ratio, vt docet Sanchez de Matrimonio lib. 9. disp. 34. num. 30. & alij plurimi, quos sequitur Barbosa tract. Varij. claus. 70. *in fine posita*, pag. 427. sed in his omnibus Regulæ nostræ capitulis non est eadem ratio ad excusandos Religiosos ab oratione, ac à mansione in cellulis, vt ex ratione sequenti constabit: ergo per prædicta verba, & quascumque iustas occasiones oblatas non sunt de obligati fratres nostri à iugi, & perenni oratione, sicut à diurna mansione in cellulis excusantur. Declaratur, & vrgetur hæc ratio: nam, esto mansio diurna in cellis compati nequeat cum obligatione prædicandi verbum Dei, confessiones audiendi, alia que opera externa Charitatis exercendi, ad quæ ex instituto, aut munere mendicantium tenemur: bene tamen cum quibusque occupationibus exterioribus cohæret perennis oratio mentalis; cum huic muneri fiat satis, vt num. 63. diximus per præsentiam Dei, orationes iaculatorias, studium theologiæ, & cuiuscumque rei considerationem, quæ ad Deum nos manuducere faciliter potest: cum ergo hæc exercere impossibile non sit his, quibus Deo placere, & enixe servire, vti decet Religiosos, student, ideò iudicamus, per prædicta verba omnes fratres nostros, etiam Laicos, & Donatos, quibuscumque alijs iustis occasionibus occupatos, ad iugem oratinnem teneri. Deinde: quia Regula non distinguit, sed in omnibus vniversaliter præcipit. Sed *vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*: ergo, &c. Vltimò: Quia labor manuum, qui eos poterat excusari, orationi non contrariatur: & æqualiter in Regula omnibus, tam Choristis, quàm Laicis indicitur: vt bene notat N. Thomas à Iesu dub. 3. in fine. Videatur N. Franciscus à Sancto Elia n. 6.

PUNCT. V.

Pro quibus liceat orare; & an suffragia vivorum Defunctis prosint?

PUnctum hoc in duplicem dividimur §§. & in primo explicandum nobis erit, pro quibus liceat nostram applicare orationem, & huius quales, & quot effectus inveniantur: in secundo autem decidemus quasdam desideratas quæstiones circa mortuorum orationes, & suffragia applicanda.

§. I.

§. I.

Deciditur, pro quibus nobis liceat orare?

Pro cunctis vivis possumus orare.

66 PRO comperto ab omnibus habetur, orandum nobis esse pro cunctis viatoribus vitam mortalem degentibus, sive iusti sint, sive iniusti; sive amici, sive inimici; sive fideles, sive infideles. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 7. ad 3. Et ratio est: quia omnes hi nostri proximi sunt, & pro omnibus mortuus est Christus; vnde, dum inter nos vitam peragunt, salvari possunt: ergo pro eis orare debemus: qua propter dixit Divus Iacobus cap. 5. *Orate pro invicem, vt salvemini.* Et Apost. 1. ad Timoth. 2. ait: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Et loquendo de inimicis præcepit Christus Matthæi 5. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* ¶ Quando vero teneamur pro inimicis orare? his verbis resoluit D. Thomas 2.2.quæst.83.art.8. *Quod eodem modo, quo tenemur inimicos diligere, tenemur pro inimicis orare.* Quando vero teneamur, inimicos diligere? diximus suprà cap.6. punct.2. num. 18. Sed iterum accipe distinctionem Divi Thomæ, quam loco citato tradit, his verbis: *Vt scilicet in eis diligamus naturam, non culpam. Et quod diligere inimicos in generali, est in præcepto, in speciali autem non est in præcepto, nisi secundum præparationem animi, vt scilicet, homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere, & eum iuvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret:::: & similiter necessitatis est, vt in communibus nostris orationibus, quas pro alijs facimus, inimicos non excludamus: Quod autem pro eis specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.* Hæc Divus Thomas. Ex quibus liquet, quod in extrema, aut quasi extrema necessitate inimici, quia frater noster est, tenemur pro eo, sicut, & pro quocunque alio, ad Deum preces fundere. Videatur Raphael de Torre hic, numer. 4. ¶ Qualiter orationes privatæ, & suffragia particularia, non vero communia, & nomine Ecclesiæ facta, possint pro excommunicatis offerri, diximus tom.2. tract.10. cap.3.punct. 5. vbi videri potest, ne actum agamus.

Pro Beatis, & damnatis non est orandum.

67 Similiter est certum; nullum tam pro Beatis, quàm pro damnatis posse Deum orare. Et ratio est: quia Beati sunt in termino, quibus iam nihil deest: sed omni bono sibi debito perfruuntur. Quare dicitur in cap. *Cum Martha* de Celebrat. Missar. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Cum hoc tamen compatitur, quod orare possimus pro aliqua gloria eorum accidentali, vt glorificatione corporis, &c. quia tunc tantum postulamus Dei nomen in electis suis sanctificari, quod licitum est. Ratio secundæ partis nostræ assertionis est: quia damnati iam sunt in termino, vbi eorum pœna erit æterna, nec spes vlla est, eam esse aliquando precibus nostris minuendam: ergo pro eis orare non licet. Vnde sequitur pro illo, quem ex divina revelatione constat, esse damnatum, non esse orandum: cæterum, etsi videamus, aliquem decedisse in mortali, licitum erit pro eo ad Deum preces fundere: quia forte in illo vltimo instanti vitæ Deus illi præbuit aliquod auxilium efficax ad detestandum peccata, vera contritione, qua iustificatus decesit. Vnde audiendus non est Trullench contrarium docens. Dicta tenent Suarez lib. de *Orat.* cap. 14. num. 4. Bellarm. de *Purgatorio*, lib. 2. cap. 18. & Palaus tom. 2. tract.7. disp. 1. punct.6.

Per se Illicitum est orare pro Gentilibus defunctis.

68 At, pro Gentilibus defunctis illicitum est *per se* loquendo orare: quia nulla spes esse potest, vel quod iustificati sint in vltimo instanti vitæ suæ, Deo misericorditer gratiam illis conferente; vel quod Deus precibus nostris ad vitam eos revocet. Et licet de Traiano stet historia probabilis; quod fuisset precibus Div. Gregorij quingentis fere annis post eius obitum ad vitam revocatus, vt refert Divus Ioannes Damascenus, *oratione de fidelibus defunctis*, pag. mihi 316. quem sequntur D. Thomas in 4. distinct.45. quæst.2. art.2.quæstiunc. 1. Abulensis in 4. Regum, cap.4. quæst.57. in fine, & alij, quos referunt NN. Salmanticenses Scholast. tom. 4. tract. 13. disp. 17. num. 61. tamen ex eiusdem verbis Divi Damasceni constat, vocem divinitus emissam, quæ Divo Gregorio testificavit, eius preces fuisse exauditas, addidisse tamen: *Tu vero post hac caveto, ne mihi pro impijs supplex sis*: ergo, licet ex aliqua inspiratione speciali sanctis collata, possint pro impijs Gentilibus iam defunctis, preces ad Deum fundere, tamen alijs *per se* non licet, cum casus singularissimus, in quo Deus exhibere vult suam omnipotentiam, in exemplum adduci nequeat. ¶ Qualiter vero Deus Traianum precibus Divi Gregorij, & alios defunctos in peccato mortali decedentes precibus Sanctorum ad vitam revocarit, & an eos ex Inferno, vbi tamquam finaliter damnati concluſi erant, de facto extraxerit, NN. Salmanticenses Scholastici loco citato subtilitate solita ingeniose explicant. Hæc diximus, admittendo probabilitatem prædictæ sententiæ: cæterum fere omnes moderni illam negant, probando satis efficacibus rationibus, orationem illam, in qua prædicta ab inferis liberatio, & resurrectio Traiani referuntur, non esse D. Damasceni. Videantur Canus *de Locis*, lib. 11. cap. 2. Sotus in 4. distinct. 45. quæst. 2. & Torre 2. 2. quæst. 83. art. 8. dub. 2. num. 12.

Pro animabus Purgatorij hæretici negant, orandum esse.

69 His vt certis apud omnes stabilitis: difficultas est: An pro animabus Purgatorij sit orandum, & suffragia eis applicanda? Partem negativam tenent Næriani, & alij antiqui hæretici, quos citat Epiphanius hæresi 75. & insuper fere omnes Novatores, vt Luterani, & Anabaptistæ: arguuntque pro ea primo: Nam defuncti nullum fructum ex orationibus, & suffragijs pro eis oblatis consequuntur: ergo inutile, & supervacaneum est pro eis orare. Antecedens probatur divinæ sacræ Scripturæ textibus. Nam Apocalyps. 5. dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos.* Ad Galatas 6. *Quæ enim homo*

homo seminaverit, hæc mettet. Psal.61.vers.13. *Tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Apost. 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos oportet manifestari ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit*: ergo defuncti solum proprij boni operis fructum consequentur, quin ex aliorum orationibus iuventur. ¶ Secundò. Nam Sancti in cœlo non orant pro animabus Purgatorij; alias cum eorum orationes facilius à Deo exaudiantur, brevi tempore evacuassent Purgatorium: ergo nec nos, cum inferioris simus charitatis, & opera nostra Deo minus grata, orare pro eis, suffragia que offerre, debemus. ¶ Tertiò. Nullus iuvatur ex opere alterius, nisi inter vtrumque sit aliqua vitæ communicatio; sed, vt ait Philosophus 1. Ethicorum: *Mortuorum ad vivos nulla est communicatio*: ergo orationes, & suffragia vivorum mortuis non possunt prodesse.

De fide est posse orari pro animabus Purgatorij.

70 Affirmativa vero pars cum omnibus Catholicis, vt de fide, tenenda est, quam evidenter suadet: primo factum illud Iudæ Machabæi, quod 2. cap. 12. Machab. his verbis refertur: *Duodecim millia dragmas argenti misit Ierosolimam, vt offerrent eas ibi pro peccatis mortuorum: nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis ::: sancta ergo, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis solvantur*: ergo orationes, & suffragia vivorum valde defunctis prosunt. ¶ Huic tam claro testimonio nihil aliud respondent hæretici, nisi negando Machabæorum librum esse canonicum. Sed hoc refutare nostri instituti non est. Videantur omnes Expositivi, & Contravertistæ, in quos legendus est N. Antonius à Matre Dei in *Præludijs Isagogicis ad sacram Paginam*, prælud. 1. digressione 6. dubit. 16. à num. 340. qui satis erudite refutat hæreticorum cabillum, & esse canonicum defendit. Interim nobis sufficit authoritas Concilij Cartag. 3. can. 47. & Trident. sessione 4. prædictum librum esse sacram Scripturam diffinientium.

Secunda probatio.

71 Secundò probatur nostra conclusio ex vsu communi Ecclesiæ, in qua fiunt speciales orationes, & suffragia pro defunctis offerentur. Et ita Canone Missæ dicitur: *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Et tunc à Sacerdote nomine Ecclesiæ fit specialis oratio pro defunctis; sed Ecclesia in hoc errare nequit: ergo licitum est pro defunctis orare. Tertiò. Nam inter Ecclesiæ membra invicem communicantur favores, & subsidia, in hoc enim stat *communicatio sanctorum*; sed animæ Purgatorij sunt Ecclesiæ membra, cum nobiscum colligentur media fide, spe, & charitate, quæ *nunquam excidit*, vt ait Apostolus ad Corinthios 13. ergo communicant nobiscum in orationibus, quæ non levia subsidia sunt. Deinde: prædictæ animæ sunt nobiscum colligatæ sub vno capite, scilicèt Christo, & sub eadem charitate: ergo abs dubio fidelium huius capitis membrorum orationes pro eis Domino oblatæ illis prosunt.

72 Deinde probari potest nostra conclusio ex pluribus apparitionibus, & revelationibus fide dignis testificantibus, plures animas è Purgatorio orationibus vivorum fuisse liberatas, vt testatur Divus Gregorius in 4. Dialogo, cap. 40. de Paschasio precibus Germani Episcopi à pœnis illius liberato; & de sorore S. Malachiæ eius suffragijs, & Missæ oblatione à Purgatorio soluta, narrat Divus Bernardus in vita S. Malach. cap. 4. Tandem novissime extant plures apparitiones animarum Purgatorij factæ Venerabili Sorori Franciscæ à Sanctissimo Sacramento Religiosæ Carmelitæ Discalceatæ, quas dilucidat, & explicat eloquentia, & pietate solita Venerabilis, & Illustrissimus Dominus D. Ioannes de Palafox & Mendoza, Oxomensis Episcopus, in libro nuper edito sub titulo: *Luz à los vivos, y escarmiento en los muertos.* Ex quibus constat, orationibus, & suffragijs vivorum, mortuos valde iuvari: ergo licitum est pro animabus Purgatorij orare, & simul certum orationes nostras eis prodesse.

Quædam suppositiones circa actum bonum; vel meritorium.

73 Pro expensione vltimæ rationis, & maiori explicatione nostræ conclusionis, primò supponendum est: quod actus nostri boni ad duo possunt valere: primò ad statum aliquem, verbi gratia, Beatitudinis, acquirendum: secundò; ad aliquid consequens statum accidentalem, vel dimissionem pœnæ. Secundò supponendum est: quod oratio, & quilibet alius, actus bonus triplicem habet effectum, scilicet *mereri, satisfacere, & impetrare*, vt docent NN. Salmant. Scholast. tom. 3. *in Arbore virtutum*, §. 8. num.63. Et quidem quo ad meritum de condigno gratiæ, & vitæ æternæ, quando elicitur ab homine viatore existente in gratia, & adsunt aliæ conditiones ad merita requisitæ, de quibus agunt dicti Patres tom. 6. tract. 16. patet: nam; tunc oratio est actus bonus elicitus saltem mediate à Charitate; sed actus bonus, elicitus media Charitate, est meritorius de condigno gratiæ, & vitæ æternæ: ergo oratio tunc hæc omnia meretur respectu subiecti, à quo fit. ¶ Adverte tamen: iustum, alijs peccatoribus nec primam gratiam, nec gloriam de condigno mereri per talem orationem: quia, vt docent NN. Salmantic. Scholastici loco citato, disp. 6. dub. 2. talis gratia est præmium simpliciter infinitum, excedens meritum limitatum orationis; & ad merendum de condigno requiritur æqualitas inter meritum, & præmium. Cæterum; quia meritum de congruo fundatur in amicitia, & liberalitate præmiantis, ideò dicunt prædicti Patres num. 28. orationes iustorum mereri de congruo gratiam peccatoribus, iuxta illud Iacobi vltimo: *Orate pro invicem, vt salvemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Et D. Ambrosius in cap. 5. Lucæ, ait: *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit alijs, & dum alios probat, alios relaxat errata.*

Assignatur differentia inter meritum de condigno, & de congruo, & istorum ab impetratione.

74 Sed hic nota primò differentiam inter meritum de condigno, & meritum de congruo: nam meritum de condigno vitæ æternæ nequit iustus, iuxta præsentem providentiam, alijs applicare. *Opera enim illorum sequuntur illos*: at, præmijs, quæ de congruo meretur, potest se privare, ea alijs applicando: decet

decet enim, quod Deus non solum remuneret opera iusti, conferendo ei præmium, sed communicando etiam alijs bona iuxta orationem, & applicationem iusti. Sic communiter Theologi, tam Scholastici, quàm Moralistæ. ¶ Nota secundò: Quod omne meritum, sive de congruo, sive de condigno; valde differt ab impetratione. Et ratio est: quia omne meritum fundatur in iustitia ad præmium, scilicet, in iustitia perfecta, si fuerit meritum de condigno, & in iustitia imperfecta, si fuerit meritum de congruo: at è contra impetratio in sola liberalitate præmiantis innititur. Vnde videmus Beatos, & peccatores aliquid à Deo impetrare, licet mereri non possint. Quare dixit Div. Augustinus tract. 44. in Ioannem: *Si peccatores non exaudiret Deus, frustra publicanus dixisset; Dominus propitius esto mihi peccatori.* Ex quo oritur aliud discrimen inter dicta merita, & præmium; scilicet, quod omne meritum, sive de condigno, sive de congruo, exigit statum gratiæ in subiecto, quod quidem non petit *Impetratio*, vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 16. quidquid dicat Suarez *de Religione* tom. 2. lib. 1. cap. 22. num. 4. asserens contrarium esse probabile. Quæ omnia complexus est Divus Thomas in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. his verbis: *Dicendum; quod meritum Deum obligat ad sui remunerationem ex iustitia stricta, si est meritum condignum; vel potentiali, (sicut est amicitia) si sit meritum congrui, quo Deus obligatus ex gratitudine præmiat. Impetratio autem non obligat Deum ex iustitia, sed petitum obtinet sola liberalitate largientis.*

Secundus orationis effectus est satisfactio.

75 Quod vero oratio sit etiam satisfactoria, etiam liquet, cum sit opus laboriosum Deo gratum, & possit assumi ad solutionem pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. Vnde Tobiæ dixit Angelus in cap. 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere, quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata*: & hoc, licet dicatur specialiter de eleemosyna, tamen à Doctoribus communiter orationi, & ieiunio applicatur, approbatur que à Tridentino sess. 14. canon. 13. Quod etiam debet intelligi de oratione non solum vocali, sed mentali, de qua dicitur Ecclesiast. 12. *Frequens meditatio carnis est afflictio.* Et ob hanc rationem diximus tract. 6. cap. 10. n. 1. & 27. esse satisfactoriam, & in pœnitentiam à confessario iniungi posse. ¶ Sed hic nota: quod, vt oratio sit satisfactoria, debet fieri ab homine iusto; quia, vt ait Divus Thomas in 4. distinct. 15. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. quem sequuntur NN. Salmanticenses Scholast. tom. 6. tract. 16. disp. 3. dub. 1. num. 8. (quod etiam nos diximus tom. 1. tract. 6. cap. 10. num. 1.) *In satisfactione oportet, quod amicitia restituta iustitiæ æqualitas restituatur, cuius contrarium amicitiam solvit vt Philosoph. in 8. Ethic. dicit: Æqualitas autem in satisfactione ad Deum non est secundum æqualitatem, sed magis secundum acceptationem ipsius; & ideò oportet, quod, & si iam offensa sit dimissa per præcedentem contritionem, quod opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis Charitas* (intellige simul cum gratia) *& ideò sine Charitate* (atque adeò sine gratia) *opera facta non sunt satisfactoria.*

Tertius est impetratio.

76 Vltimus effectus orationis est beneficiorum à Deo impetratio: & hic est potissimus effectus, & fructus illius; nam alios duos quodlibet opus bonum habet: at oratio, ex quo sit petitio, seu ex natura sua, habet, quod Dei animum inducat, ad dandum, quod ab eo petitur: vnde ieiunium, & eleemosyna, quæ duæ alæ orationis dici solent, ad eam in cælum attollendam; re ipsa ex se impetrare nequeunt, sed solum disponunt, vt citius, quod oratio exoptat, impetretur. ¶ An vero oratio infallibiliter impetret, quod petit? Est difficultas; quæ videtur affirmativè esse resolvenda ex illo Ioan. cap. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Marc. 7. *Petite, & accipietis.* Et Lucæ 11. *Ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.* In quibus verbis videtur, Deum promittere infallibiliter, concessurum beneficia, quæ à quolibet, etiam peccatore, exorantur. ¶ At, tenendum est cum Divo Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 16. in corpore, orationem peccatoris infallibiliter consequuturam, quod petit: *Si pro se petat necessaria ad salutem, pie, & perseveranter.* Sic Angelicus Doctor, quem sequuntur NN. Salmant. tract. 16. disp. 6. dub. 3. num. 77. in fine. Suarez tom. 2. *de Religione*, lib. 1. cap. 23. num. 3. Palaus tom. 2. tract. 7. disp. 1. punct. 7. num. 10. Videantur à nobis infra dicenda num. 84.

Oratio potest alijs per viam impetrationis, & satisfactionis applicari.

77 Ex quibus sequitur; quod licet oratio, & idem est de alijs bonis operibus, nequeat alijs mereri primam gratiam, seu Beatitudinem, quæ statum constituunt. Vel alijs terminis; licet Oratio nequeat alijs valere ad statum consequendum per viam meriti; at, per viam orationis, seu impetrationis, & satisfactionis, potest alteri valere, impetrando illi primam gratiam: imò, & merendo etiam id, quod est accessorium ad statum, scilicet, remissionem pœnæ pro peccatis debitæ. Et ratio huius est: tum, mutuus nexus Charitatis, quæ est meriti principium, & ita qui Charitate connectuntur, emolumentum è mutuis operibus accipiunt, de bonis que alterius gaudent, & in hoc *Sanctorum communio* consistit. Tum etiam, ex intentione operantis, qui applicat propria opera, vt alijs prosit ad id, quod statum non mutat: ergo cum remissio debitæ pœnæ pro peccatis, statum non mutet (nam hominem Deo charum supponit) sed sit quid consequens, & accessorium ad gratiæ statum, hinc est, quod illis eam mereri potest, applicando proprij operis satisfactionem. Tum denique: quia, cum impetratio orationis si secundum liberalitatem Dei, qui oratur, ad omnia illa se extendere potest, quæ potestati Divinæ subsunt: cum ergo potestati Divinæ subsunt prima gratia, & Beatitudo supernaturalis, nihil obest, quominus orans, id alijs impetrari possit.

78 His ergo stabilitis, iam vltimo pro-

ba-

Probatur nostra assertio, & Conciliorum, & Patruũ esse demonstratur.

batur nostra conclusio. Licet oratio, sicut, & quodlibet aliud opus bonum, in ratione meriti nequeat animabus Purgatorij applicari, bene tamen in ratione satisfactionis, & impetrationis, & sub his rationibus est illis valde vtilis, & fructuosa, vt citius à pœnis liberentur; sed si potest illis applicari, & alias est eis valde vtilis, non est ratio, quare ita non fiat, imò plurimæ suppetunt, vt orationibus nostris eas curemus iuvare; cum sint animæ Deo valde charæ, in magna necessitate constitutæ, & absque vllis proprijs viribus ad se ab illo terribili carcere extrahendum: ergo licite possumus pro defunctis orare, proprias que satisfactiones illis applicare, vt citius à peccatis solvantur. Hanc sententiam vt de fide docent plurima Concilia, maximè *Carthaginense* 3. cap. 24. & 4. cap. 79. *Toletanum* 11. cap. 12. *Alexandrinum* 3. cap. 12. *Bracarense* 1. cap. 39. *Lateranense* sub Innocentio III. cap. 66. & denique *Tridentinum* sess. 22. canone 3. & sess. 25. decreto 1. eamque confirmat immemorabilis Ecclesiæ consuetudo, seu traditio. Vnde in omnibus liturgijs Divi Iacobi, Basilij, & Chrysostomi fit oblatio, & oratio pro difunctis. Idem docent antiqui Patres, vt Clemens Romanus lib. 8. cap. 41. alias 47. Eusebius lib. 4. cap. 71. Nicephorus lib. 8. Historiæ, cap. 26. D. Athanasius *Epistola ad solitar. vitam*, quæst. 34. D. Chrysostomus Homil. 69. *ad Populum*. D. Ambrosius lib. 2. Epist. 8. D. August. lib. *de Cura pro mortuis agenda*. D. Greg. 4. Decalog. cap. 50. D. Bernard. Sermone 63. & 66. *in Cantica*. Divus Thomas in 4. distinct. 45. quæst. 2. quæstiunc. 1. quos sequntur omnes Doctores Catholici, quos, referunt, & sequntur Thomàs Hurtado tom. 2. Variar. tract. vltimo, resol. 11. maximè §. 6. & novissime NN. Salmanticenses Scholastici tom. 11. tract. 23. disp. 10. num. 69. & disp. 13. num. 91. & 123. & nos tom. 1. huius Cursus, tract. 5. cap. 2. punct. 2. & 3.

Corollarium primũ ex præcedenti doctrina.

79 Ex quibus sequitur primò confirmatio doctrinæ traditæ tom. 1. tract. 6. cap. 10. punct. 3. num. 37. scilicet; licitum esse Confessario pro pœnitentia iniungi orationem, alia que bona opera applicanda pro defunctis: & ratio huius est: tum praxis omnium confessorum non facile damnanda: tum etiam: quia opera bona in pœnitentiam iniuncta duplicem habent satisfactionem, aliam ex virtute Sacramenti, seu ex opere operato; & aliam ex opere operantis; sed licet satisfactio ex opere operato nequeat alijs applicari, bene autem ea, quæ est ex opere operantis: ergo hanc potest confessarius pro pœnitentia iniungere, vt defunctis applicanda. Minor, in qua est difficultas, patet quo ad vtram que partem: nam satisfactio ex virtute Sacramenti provenit à satisfactione superabundanti Christi Domini, & sic non est in potestate pœnitentis: è contra vero satisfactio ex opere operantis, cum non sit à Sacramento, est in potestate illud recipientis; sed illa satisfactio, cuius pœnitens est Dominus, potest à Confessario pro pœnitentia iniungi, & animabus Purgatorij applicari: ergo sic fieri licite potest à quocumque Confessario. ¶ Nota tamen; nos ibi dixisse: *Ex quo fiet, quod animæ Purgatorij pro suo suffragatore rogabunt.* Quibus in verbis videtur innuere, animas Purgatorij posse, pro suis benefactoribus rogare, quod falsum est, & contra expressam Divi Thomæ doctrinam, vt patet ex dictis in hoc cap. à num. 24. vsque 26. inclusivè. Quare monere hic volumus lectorem prædicta fuisse tunc incidenter iuxta sententiam probabilem prolata, ac proinde ex dictis in præsenti, vbi rem ex professo agimus, corrigenda vel intelligenda sunt iuxta superius dicta num. 28. & etiam 31. quin vel levem oppositionem afferant.

Secundum corollariũ.

80 Sequitur secundò: Posse fideles lucrari, & applicare pro defunctis indulgentias à S. Pontifice concessas. Diximus à *Summo Pontifice*, quia nullus præter ipsum potest concedere indulgentias mortuis existentibus in Purgatorio, vt ex Innocentio III. & alijs probat, & docet Navarrus tom. 3. Comment. *de Indulgentijs*, notabile 22. n. 4. pag. mihi, 547. Quod vero eis S. Pontifex possit, concedere, declaravit Leo X. in Bulla contra Lutetum, quæ incipit: *Exurge Domine*. Qualiter etiam hoc faciat, cum iurisdictionem in mortuos non habeat, docet Divus Thomas in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 2. dicendo: quod indulgentia principaliter prodest ei, qui facit hoc, quod pro indulgentia datur: vnde, cum mortui non possint facere aliquid, pro quibus indulgentiæ dantur, eis indulgentiæ directe valere non possunt. Secundario, & indirecte prosunt ei, pro quo aliquis facit illud, quod est indulgentiæ causa. Vnde concludit, quod, si indulgentia est pro vivis concessa, nequit à lucrante applicari mortuis indulgentiæ fructus; si vero sit pro mortuis, fructus illius, tam vivo, quàm mortuo prodest. Idem docet distinct. 20. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 3. ad 2. Ex quo sequitur: quod, cum Pontifex non habeat iurisdictionem in mortuos, nequeat eis concedere directe, & per modum absolutionis indulgentias, sed indirecte, & per modum suffragij. Hoc est, quod eis prosint eo modo, quo suffragium satisfactorium à fidelibus applicatum, Purgatorij pœnas minuit, & expiat. Videantur Navar. loco citato à n. 21. Lugo *de Pœnitentia*, disp. 27. sect. 5. & alij apud ipsum. ¶ Sed de his, Deo dante, latius agere, in animo nobis est.

Respondetur ad 1. argumentum hæreticorum.

81 Ex quibus patet ad hæreticorum argumenta. Nam ad primum constat ex dictis; valde vtilem esse defunctis orationem vivorum, vt à pœnis pro peccatis debitis solvantur. Quod etiam suaderi potest aliquibus textibus sacræ Paginæ, & SS. Patrum testimonijs. Nam Ecclesiast. 7. dicitur: *Gratia datur in conspectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam.* Hoc est, tam vivis, quàm defunctis præsta gratiam, seu suffragiorum auxilium, vt omnes Catholici exponunt. Et D. Paul. 1. ad Corinth. 15. *Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt.* Id est, quid faciunt, qui pœnitentiam agunt (vt est communis expositio) pro mortuis, si illis ad Beatitudinem consequendam

dam non prosunt? Qua propter Concil. Trident. sess. 25. decreto 1. definit: *Animas in Purgatorio detentas fidelium suffragijs, potissime vero acceptabili altaris sacrificio iuvari.* Idem docent Sancti Patres. Nam Parens N. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechismi* 5. Mistagogica ait: *Oramus pro omnibus, qui inter nos vita functi sunt, credentes magnum esse animarum iuvamen.* D. Dion. *de Ecclesiastica Hierar.* cap. 7. part. 3. dicit: *Preces fundere pro mortuis, à magistris nostris à Deo accepimus.* Eodem modo loquuntur alij SS. Patres, quos nimis longum esset, referre. Ergo ex omni capite constat, suffragia vivorum mortuis valde prodesse. ¶ Auctoritates sacræ Scripturæ, quæ nobis obijciuntur, solum loquuntur de retributione vitæ æternæ, & gloriæ essentialis, vt explicat D. Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1. ad 1. quam libenter concedimus, meritis esse obtinendam; cum quo tamen stat, remissionem pœnarum aliorum meritis, & orationibus ex acceptatione divina posse consequi, vt late manet ex dictis probatum.

Respondetur 2. argumento.

82 Ad secundum dicendum: Beatos, qui sunt extra statum sibi, & alijs merendi, suis orationibus à Deo impetrare tantum posse pœnarum remissionem, non vero eam etiam de congruo mereri; nam cum impetratio ex sola liberalitate Dei pendeat, non est debitum oranti impetrare, quod exoptat, sed quando, quæ exorant, concordant divinæ voluntati: contingit autem multoties Sanctos petere, quæ Deus decrevit, tunc non conferre; vnde petitiones eorum non exaudiuntur nec Purgatorium evacuatur. Præter quam quod Beati solum petunt à Deo sub conditione, quod exoptatum conforme sit divinæ voluntati, vt expresse tenet Divus Thomas in 4. distinct. 45. quæst. 3. art. 3. in corpore omnino videndus: cum ergo Deus, ad ostensionem suæ iustitiæ, has animas præ alijs, gravius igne Purgatorij ob graviora delicta, decrevit torreri, hinc est, quod, & si sint continuæ pro eis orationes Beatorum, non omnes liberentur, nec Purgatorium relinquant desertum.

Fit satis tertio argumento.

83 Ad tertium dicimus: Quod, licet nulla sit communicatio civilis, & politica vivorum ad mortuos, de qua loquitur Philosophus, potest tamen, inter eos esse communicatio spiritualis, cum vniantur nexu Charitatis, quæ est omnium vita, nunquam ob mortem temporalem excidens, & per quam sunt omnes vnius Ecclesiæ membra sub Christo capite: cum ergo constet, vnum membrum per aliud iuvari, nil obest, quominus orationes vivorum, alia que spiritualia suffragia animabus Purgatorij prosint: & ita dicitur in Psalmo 118. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.*

§. II.

Aliæ desideratæ quæstiones, circa orationes, & suffragia defunctis applicanda, deciduntur.

Satisfactionē pro mortuis oblatam infallibiliter eis prodesse, | sunt qui dicant.

84 PRo maiori huius materiæ explicatione: rogabis: An hæc satisfactio orationis, & cuiuscumque alterius suffragij animabus Purgatorij, aut alijs applicata, eis prosit infallibiliter, & quo ad iustitiam; vel dependeat hic, & nunc ex Dei arbitrio? Eminent. Lugo *de Pœnitentia*, disp. 26. sect. 1. num. 5. & Suarez *de Pœnitentia*, disp. 48. sect. 3. num. 3. docent: prædictam satisfactionem esse infallibilem absque dependentia à voluntate divina: & probant primò: ex Cathechismo Romano in fine *de Sacramento Pœnitentiæ*, vbi ait: *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur persolvere ::: nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo Sanctorum communionem profitemur.* Ex quibus hanc consequentiam infert Lugo: Ergo, si possunt persolvere, habent in sua potestate, quidquid requiritur ad eum effectum; & consequenter acceptationem Dei. ¶ Secundò: In prædictis verbis dicitur, hanc satisfactionem pro defunctis contineri in articulo *Communicationis Sanctorum*; sed hæc Communicatio non est conditionata, *si Deus vellit*, sed absoluta: ergo ita etiam erit satisfactio. ¶ Tertiò: probant à ratione: quia satisfactio Sanctorum per indulgentias fidelibus applicata, infallibiliter eis prodest absque nova voluntate Dei acceptantis: ergo non minus infallibiliter à Deo acceptabitur, quod ab ipso operante propria satisfactione applicatur. ¶ Quartò arguit Suarez. Si quis proprij operis satisfactionem pro se applicat, statim Deus acceptat: ergo idem dicendum est, quando pro alijs applicat; cum non constet, aliter Deum decrevisse.

Alij è contra negant.

85 Negant vero alij, vt Medina tract. 3. *de Satisfactione*, quæst. 2. & 3. & tract. 6. *de Oratione*, quæst. 19. & Corduba lib. 5. *de Indulgentijs*, quæst. 5. ad 8. Et moventur primò: Quia nulla est lex divina statuens, Deum acceptaturum esse satisfactionem pro peccatis hominum, si fiat ab alio, quam ab eo, qui peccata commisit: ergo potest illam non admittere. Secundò: Quia communicatio Sanctorum non arguit, hoc ita evenire ex iustitia, sed salvatur, si fiat ex Dei libera voluntate, & misericordia; sed in hac communicatione fundant Contrarij infallibilitatem satisfactionis: ergo, &c. Tertiò: Deus infert pœnas pro peccatis ex iustitia, & ex vera, & rigorosa iustitia vindicativa; sed iudex non tenetur satisfactionem per alium factam acceptare: ergo nec Deus satisfactionem pro alienis peccatis oblatam. Quartò: Solum datur expressum pactum, seu lex acceptandi ex iustitia Christi satisfactionem pro hominum peccatis: ergo de alijs idem dicere, divinare est.

86 Sed inter has duas sententias media

via

Nostra sententia proponitur.

via eligenda est; & dicimus: Satisfactiones fidelium pro defunctis oblatas infallibiliter habere ex Dei lege, quod minuant pœnas eorum, non vero quod, & si sint condignæ, & superabundantes, absolvant à tota pœna, sed hoc vnice pendere ex Dei misericordia. Quod sic probamus, primo ex doctrina communi, quam tradidimus tom.1.tr.5. cap.3. punct.2. num. 18. & novissime sequntur Salmanticenses Scholastici tom. 11. tract.23.disp.13.dub. 5. num. 91. quia sacrificium Missæ oblatum pro iustis, sive vivis, sive mortuis, habet infallibiliter conferre alicuius pœnæ remissionem: ergo & alia opera satisfactoria. Patet consequentia: quia Tridentinum eodem modo loquitur de illis, ac de sacrificio Missæ, vt patet ex sequentibus verbis sess. 25. in decreto *de Purgatorio*: *Cum Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione in sacris Concilijs, & novissime in hac œcumenica Synodo docuit, Purgatorium esse, animas que ibi detentas fidelium suffragijs, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari: Præcipit, &c.* sed certum est, Missæ sacrificium de facto iuvare animas defunctorum quo ad remissionem saltem alicuius pœnæ, vt ex Tridentino colligitur: ergo idem dicendum est proportionabiliter de alijs suffragijs pro illis oblatis. Quod autem ex iustitia non remittatur infallibiliter tota pœna constat: quia nec hoc concedunt Doctores Missæ sacrificio, & si illius valor sit infinitus quo ad sufficientiam: & rationem tradunt NN.Salmantic. Scholast.tom. 11. tract. 23. disp. 13. à num. 122. quia prædictus valor, licet sit infinitus quo ad sufficientiam, non tamen quo ad efficatiam; sed, quod hæc sit maior, aut minor, dependet, tum ex divina voluntate, tum etiam ex dispositione eius, pro quo offertur: ergo, si hoc habet sacrificium Missæ, idem alijs suffragijs applicandum est. Quam doctrinam credimus NN. Salmanticenses sumpsisse ex Divo Thoma in 4.distinct. 45. q. 2. art. 4. quæstiunc. 3. ad 2. vbi sic ait: *Ad 2.dicendum,quod,quamvis virtus Christi, quæ continetur sub Sacramento Eucharistiæ, sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur. Vnde non oportet, quod per vnum altaris sacrificium tota pœna eorum, qui sunt in Purgatorio expietur, sicut etiam nec per vnum sacrificium, quod aliquis homo offert, liberatur à tota satisfactione debita pro peccatis: vnde & quando que plures Missæ in satisfactionem vnius peccati iniunguntur*:Ergo ex Divo Thoma suffragia etiam Missæ, pro defunctis oblata, infallibiliter non extinguunt totam pœnam, sed hoc pendet ex Dei misericordia. Nostram doctrinam tenent Palaus tract. 7. disp. 1. punct.7. num. 10. Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 7. dub. 6. num. 5. & alij apud citatos DD.

Efficatia satisfactionis pendet ex dispositione defuncti,

87 Diximus valorem satisfactionis quo ad efficatiam pendere ex dispositione eius, pro quo offertur: & verissime quidem; quia prædictam doctrinam accepimus à Divo Augustino, qui in littera sic ait: *Secundum hoc iuvatur aliquis mortuus ex suffragijs, secundum quod dum viveret, meruit, vt iuvaretur post mortem.* Quæ omnia explicat D. Thomas in 4. distinct.45.q.2.art.1.quæstiunc. 3. his verbis: *Ad 6. dicendum; quod ad hoc, quod suffragium alicui valeat, requiritur & ex parte eius, pro quo fit, capacitas huius valoris, & hanc homo acquisivit per opera propria, quæ gessit in vita, & sic loquitur Augustinus.* Ergo non solum ex divina misericordia, sed ex dispositione eius, pro quo suffragia offeruntur, pendet efficatia satisfactionis. Sed quia adhuc in singulari prædicti Ecclesiæ DD. non assignant, per quæ opera disponantur homines, & post mortem vberiorem fructum satisfactionis à vivis oblatæ consequantur, ideò dicendum est cum NN. Salmanticensibus Scholasticis loco citato, n.123. pie que credendum; quod hi, qui dum vitam agerent, cultui Sanctissimi Sacramenti valde addicti fuerunt, & sub hac devotione mortui sunt, vberiorem præ alijs fructum ex singulis Missis in Purgatorio percipient: & idem dicendum est de alijs suffragijs respectu illorum, qui in vita pietati erga animas Purgatorij mancipati sunt, eis que omnia media possibilia ad illarum iuvamen elargiri curaverunt: hi enim abs dubio ex pietate divina copiosam satisfactionem ex suffragijs vivorum obtinebunt.

pro quo offertur.

Quid probêt duæ sententiæ supra relatæ.

88 Ex quibus patet ad rationes vtriusque sententiæ: nam primæ solum probant vivorum suffragia oblata pro defunctis infallibiliter pœnas pro peccatis debitas aliquo modo minuere, non tamen totaliter, & si superabundantes sint, ab eis animas absolvere, sed hoc pendere ex acceptatione divina, vt accidit in Missæ sacrificio pro defunctis oblato, quod omne pœnarum debitum infallibiliter iuxta communem DD. sententiam non extinguit. ¶ Rationes vero secundæ sententiæ tantum convincunt in ordine ad remissionem pœnarum iuxta æqualitatem satisfactionis, non vero quo ad infallibilem remissionem alicuius pœnæ, quia de hac adest nobis lex divina, scilicet, Apostolorum Symbolum, in quo credendum nobis proponitur, *Sanctorum communio.* Et insuper Concil. Tridentinum, & Catechismus Romanus, vbi nostra sententia satis clare traditur. Et licet tot subsidijs non fulciretur prædicta nostra sententia; ampliandа tamen præ alijs esset; tum: quia valde fovet fidelium pietatem, & religiosam devotionem morituroum, seu moribundorum disponendi, vt pro se plures Missæ dicantur; quia, cum quælibet infallibiliter aliquam partem pœnæ pro peccatis debitæ remittat, si multiplicantur, possunt totum debitum extinguere: tum etiam: quia dispellit aliquorum irreligiositatem, & impietatem, qui paucis sacrificijs pro se offerendis post mortem contenti, quasi secure decedunt: sed abs dubio postea huius indevotionis, & erroris pœnitebunt, quando eis iam occurrere non valebunt.

Oratio pro pluribus oblata nō prodest æqua-

89 Deinde rogabis: An oblatio pro pluribus oblata, æque omnibus prosit? Respondetur; quod, si loquamur de oratione, quo ad satisfactionem, non æque omnibus prodest, quan-

liter omnibus quo ad satisfactionem, bene autem quo ad impetrationem.

quando pluribus applicatur, ac si pro paucis offerretur. Et ratio est evidens: quia hæc satisfactio est finita: ergo quo pluribus applicatur, minor singulis continget. Ita Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 7. num. 9. Palaus tom. 2. tract. 7. disp. 1. num. 11. Navarrus *de Orat.* cap. 20. num. 48. Azor tom. 1. cap. 33. lib. 9. quæst. 7. Suarez tom. 2. *de Relig.* lib. *de Oratione*, cap. 26. num. 6. Estque expressa doctrina Divi Thomæ in 4. distinct. 45. artic. 4. quæstiunc. 2. his verbis: *Si autem consideretur valor suffragiorum, in quantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui, quod pro eo singulariter fit, quam quod pro eo communiter fit, & multis alijs::::: & ex hoc etiam patet, quare institutum sit, vt suffragia specialia in Ecclesia fiant.* Videatur etiam ad 3. ¶ Si vero loquamur de valore suffragiorum quo ad impetrationem, dicendum est: non minus esse impetratoriam, quando paucis, ac quando multis applicatur: & ratio constat ex dictis: nam impetratio tantum nititur sola Dei misericordia, & liberalitate: ergo non minuitur ex eo, quod ad plures extendatur. Sic Caietanus tom. 2. opuscul. tract. 3. quæst. 2. Trullench num. 9. contra Suarez loco citato, Azor, & Palaum existimantes impetrationem fundari non solum in Dei liberalitate, sed etiam in congruitate, orationis que fervore, quem respicit Deus ad concedendum id, quod impetratur. Sed hunc scrupulum sic dispellit D. Thomas loco citato in corpore: *Ad secundam quæstionem dicendum; quod, si valor suffragiorum consideretur secundum, quod valent ex virtute Charitatis vnientis membra Ecclesiæ, suffragia pro multis facta, tantum singulis prosunt, ac si pro vno tantum fierent; quia Charitas non minuitur, si dividatur effectus eius in multos, imò magis augetur; & similiter etiam gaudium quantum pluribus fit maius, vt dicit Augustinus. 8. Confess. & sic de vno bono facto non minus lætantur multi in Purgatorio, quam vnus.* Sed communio membrorum Ecclesiæ præsertim consistit in eo, quod ad invicem bona impetrentur: ergo oratio æqualiter ex se impetrat, sive pro vno tantum, sive pro pluribus offeratur.

Animæ, pro quibus nullus orat, non beatificantur determinate post decenium.

90 Vltimò rogabis: Quandiu à Purgatorio liberabuntur illæ animæ, quæ nullum benefactorem spiritualem habent, qui pro eis orationes, & suffragia offerant? Magister Sotus in 4. distinct. 19. quæst. 3. art. 2. in fine, credit, nunquam divinam Clementiam animas in Purgatorio vltra decenium torquere, ac proinde omnes tunc ad Cœlum evehi. ¶ Sed hæc sententia falsa est, tunc: quia, non est assignabilis ratio ab isto Doctore, quare hæc pœnarum expiatio non sit ante finienda, aut longius protrahenda? Tum; quia taxatio diuturnitatis pœnarum pendet ex divina iustitia, eius que decretum quo ad temporis determinationem non solum nos, sed, & ipsas animas latet. Tum denique: quia ex probabilissimis revelationibus constat, animas post 40. & 50. annos adhuc in Purgatorio detineri, vt videre licet in libro superius citato: *Luz à los vivos, y escarmiento en los muertos*, relatione 72. & in notis num. 235. pag. 130. vbi Doctissimus, & Venerabilis Ioannes de Palafox, &c. improbat prædictam Soti sententiam. Videatur insuper ibi relatione 215. num. in notis 565. in fine, & pluries alibi: ergo falsa est Soti opinio. Et ideò necesse est, pro defunctis orare non solum post decenium, sed post quinquagenum, & millenum. Quare Alex. VII. damnavit sequentem propositionem, quæ ordine est 43. *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.* Videantur hic Lastra, Theatrum Morale, & alij Expositores. In qua propositione virtualiter damnat Pontifex prædictam Soti sententiam, cum illa innixus, prohibitam propositionem abs dubio, qui eam tenuit, protulerit.

Propria mẽt aperitur.

91 Qua propter hac sententia omissa, dicendum est: prædictas animas non esse detinendas in Purgatorio per omne tempus, quod requiritur, vt per propriam satisfactionem extinguant totum debitum, sed credimus, quod, quia Deus est simul iustus, & misericors, acceptabit pro eis satisfactionem, quæ pro alijs offeruntur, quando isti eam iam non indigent: & sic citius à pœnis liberabuntur, quam rigor iustitiæ, & peccatorum demerita exigebant. Hanc doctrinam non sine ingenti animi lætitia invenimus in D. Thoma in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 3. ad 2. clare his verbis decissam: *Credibile tamen est, quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragijs supersit his, pro quibus fiunt, vt scilicet eis non indigeant, alijs dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant: vt patet per Damascenum in Sermone de dormientibus sic dicentem. Deus tanquam iustus commetietur impotenti posibilitatem tanquam suscipiens vere defectuum commutationem negotiabitur, quæ quidem negotiatio attenditur, quod id, quod deest vni, alter supplet.* Hæc D. Thomas: in quibus constat, Deum aliquando suffragia vni oblata, si eis non indigeat, alijs animabus Purgatorij, pro quibus specialia suffragia non offeruntur, applicare, vt sic citius à pœnis solvantur. ¶ Præter quam quod Ecclesia offert Missam, alia que suffragia pro defunctis in communi: nec non inspirat Deus pluribus fidelibus, vt peculiares orationes, alia que spiritualia exercitia pro animabus, quæ nullum auxilium ab hominibus expectant, applicent: quæ quidem opera satisfactoria pie credimus, Deum similibus defunctis acceptare, & ex vi illorum debitum extinguere ab illo que carcere citius, quam divina Iustitia exigebat, liberare.

Non potest Sacerdos stipendiũ accipere pro fructu speciali Missæ, & sibi proprio.

92 Hic posset inquiri: An Sacerdos fructum specialissimum Missæ, scilicet, satisfactionem sibi correspondentem, applicans pro animabus Purgatorij, possit novum pro hoc stipendium accipere? Sed de hac quæstione egimus late tom. 4. tract. 15. cap. 7. punct. 5. §. 3. vbi num. 116. negative illi satisfecimus: & ibi adduximus decretum Alex. VII. damnantis hanc ordine octavam propositionem: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem*

tem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem idque post decretum Urbani VIII. Et ratio huius prohibitionis est: quia, cum talis fructus satisfactorius, proprius celebrantis, sit spiritualis, pro eo stipendium accipere, esset proprie Simonia: ergo, cum hæc sit omnino illicita, etiam erit pro tali satisfactione stipendium accipere. Videantur Lastra hæc, & Diana part.5. tract.14. res.45. & part.2. tract.14. resol.14.

PUNCT. VI.

Quæ sint licite à Deo in oratione petenda? vbi oratio Dominica explicatur, & nonnulla de Psalterio, seu Rosario B.V.M. dicuntur?

Quid in hoc puncto est à nobis explicandum?

QUæ à Deo, & B.V.M. in oratione petere possumus,& debemus,continentur in oratione Dominica, scilicet *Pater noster*, & in Salutatione Angelica, nempe *Ave Maria*: vnde in animum duximus, de illis in hoc puncto tractare, quod per duplicem dividimur §§. & in primo explicavimus petitiones quas *Pater noster* amplectitur: in secundo vero de explicatione *Ave Maria* nobis erit sermo: vbi pariter originem Rosarij,seu Psalterij Beatæ Virginis Mariæ trademus.

§. I.

Declaratur oratio Dominica, in qua quid à Deo petendum sit, continetur.

Excellentiæ orationis Dominicæ.

93 QUia, vt ait D. Augustinus tom. 2. Epist. 121. cap. 12. *Si rectè, & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione Dominica* (scilicet Pater noster) *positum est.* Et Seraphica Virgo Mater nostra Theresia in via Perfectionis,cap.37. loquendo de eadem oratione in principio encomians eius excellentiam, sic loquitur: *Es cosa para alabar mucho al Señor, quan subida en perfeccion es esta oracion evangelica, bien, como ordenada de tan buen Maestro, y assi no dexemos, hijas, cada vna, tomarla à su proposito. Espantame vèr, que en tan pocas palabras està toda la contemplacion, y perfeccion encerrada, que parece, no hemos menester otro libro, sino estudiar en este, &c.* Ideò inhærendo vestigijs S.P.N.Cyrilli Hierosolymitani Cathechesi 5. Mystagogica. D. Ambrosij lib. 5. *de Sacram.* cap. 4. D. August. *de Sermon. Domini* in Monte, cap. 5. D. Chrysologi Serm. 67. D. Thomæ 2. 2. quæst. 83. art. 9. Abulens. in cap. 6. Matthæi, à quæst. 113.ad 21. Navarri tom.3. in *Enchiridione*, cap. 19. à num. 101. Suarez lib. 3. tom. 2. cap. 8. Palai tom. 2. tract. 7. disp. 1. punct. 3. & aliorum fere omnium DD. credimus; quod si recte eam explicemus, omnia, quæ à Deo petere oportet, declarabimus: nam, vt sæpius citati DD. repetunt, vniversalitatem, & excellentiam huius orationis nullis encomijs celebrare quis potest, cum cæteras dignitate, vtilitate, brevitate, ordine, & necessitate, longe, late que, vt ex dicendis constabit, præcellat: sufficiat dicere; fuisse compositam non ab homine, nec ab Angelo, sed à Christo Dei filio, qui est sapientia Patris, vt homines, tam docti, quàm rudes, quæ sibi necessaria sunt, ad Beatitudinem consequendam, peterent. Vnde Tertulianus lib.*de Oratione* eam appellat *Breviarium Evangelij.* Et Divus August. ad Probam. ait: *Si omnia sanctorum precationum verba discurras, non invenies, quod ista oratio Dominica non contineat, & includat.*

Explicantur illa verba Pater noster, qui est in Cœlis.

94 Sed, quia nimis longum esset, encomia à SS. PP. huic orationi collata, referre, ideò illis omissis, descendimus ad illius explicationem. Dividitur autem hæc oratio Dominica in Exordium, Narrationem, & Epilogum, & iuxta hunc ordinem explicabitur. ¶ Primò ergo incipit dicendo: *Pater noster, qui est in Cœlis*, in quibus adest exordium satis artificiosum. Sapientes enim Oratores præmittunt laudem eius, quem rogant, vt facilius petenda consequantur: *Si enim velis* (ait Ambrosius loco citato) *hominem rogare, & sic incipias: da mihi, quod peto, non ne arrogans videtur oratio?* Qua propter Christus, omnium Oratorum exemplar, hoc vitium fugere docens, incipit, benevolentiam Dei captando, & sic dicit: *Pater noster, qui est in Cœlis.* Nomen enim *Patris*, adeò apud Deum habetur, vt plus alijs æstimet: nam per hoc suam erga homines charitatem extollit, & simul indicat voluntatem, qua cupit, vt filij Dei nominemur, & simus. Addit *Noster*, & non *mi*, primo: vt ostendat, nos esse filios eius per gratiam liberaliter collatam, &, vt, qui tantum beneficium iam nobis contulit, alia denuo donare, dignetur; nihil enim magis delectat liberalem datorem, quam grata memoria beneficij. Secundò; ad innuendum omnes, & si Reges, & Principes sint, esse fratres, gratia Dei regeneratos. Tertiò; ait D. Cyprianus: *Quando Patrem Deum dicimus, quasi filij Dei agere debeamus.* Quartò; vt ostendatur, Christum aliter, quam nos, esse filium Patris; quia Christus est filius naturalis, nos vero adoptivi, & ideò dixit Matthæi: *Pater mi, si possibile est, &c.* ¶ Quærunt vero hic Doctores: an hoc nomen *Pater* sumatur in hac oratione *relative* pro sola persona Patris, an *essentialiter* pro Deo, vt est tribus personis commune? Et respondetur probabilius, sumi *essentialiter.* Ita Suarez tom. 2. *de Relig.* lib. 3. cap. 8. num. 3. plures Patres referens. ¶ Deinde additur, *qui est in Cœlis*, non quia Deus vbique non sit, sed quia ibi singulariter suam potentiam, & scientiam manifestat, gubernando Cœlos, & Angelos, ac homines beatificando. Vel dixit: *Qui est in Cœlis; vt à terris abducat orantem,* sicut ait Chrysostomus Homil. 20. in Matthæum.

thæum. Vel ex Augustino Serm. 120. de tempore, ad significandum orantis conversationem debere esse in cœlis. Vel denique, vt tanquam ad Regem Cœli, & terræ reverenter accedamus.

Prima, & secunda petitio huius orationis.

95 Sic ergo divina benevolentia captata, incipit secunda pars huius sublimissimæ Orationis; scilicet, narratio, seu petitio: & quia in recto ordine Orationis, primo quæ petere debemus, est consequtio finis, & deinde ea, quæ sunt ad finem; ideò, cum finis noster sit Deus; primo in ea petimus, quæ ad honorem Dei spectant, & deinde, quæ ad nos attinent. Qua propter, per primam petitionem postulamus: *Sanctificetur nomen tuum*: hoc est, quod Deus sanctificetur in nobis, cognoscatur, & ametur, cogitatione, verbo, & opere nunquam ab eo discedendo. Et ideò ait D. Thomas: quod hæc prima petitio pertinet ad dilectionem, qua Deum in se ipso diligimus. Per secundam vero petimus: *Adveniat Regnum tuum*: hoc est: *Ad gloriam Dei, & regnum eius pervenire*, explicat Angelicus Doctor; quod regnum in nobis hic per gratiam incipiat, iuxta Lucæ verba cap. 7. *Regnum Dei intra vos est*, & postea in gloria consumatur, & quiete possidetur. Et hoc est, quod in secunda petitione à Deo exoptamus.

Tertia, & quarta petitio.

96 Et quia ad huius regni consequtionem media sunt duplicia; alia scilicet, quæ ad illum per se nos ordinant, & alia, quæ per accidens: ex quibus illa dicuntur per se, quæ sunt in finem vtilia; & hæc adhuc dupliciter; nam alia sunt vtilia directe, & principaliter secundum meritum, quo Beatitudinem meremur, Deo obediendo; & ideò in tertia petitione dicitur: *Fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra*, hoc est, da nobis gratiam, vt tuis mandatis obediendo, ad vitam æternam perveniamus; quia pluries faciendo nostram voluntatem, ab ea aberramus, & ad illicita rapimur. Et additur: *Sicut in Cœlo, & in terra*: id est, quod viatores in terra adimpleamus, sicut Sancti Angeli, & Beati adimplent in Cœlo. Videantur Navarrus citatus num. 109. Torre 2. 2. quæst. 83. art. 9. disp. 1. num. 37. vbi plures alias SS. expositiones refert. ¶ Alia autem media sunt vtilia minus principaliter, & indirecte, quæ nos coadiuvant instrumentaliter ad regni Dei consequtionem merendum. Et hoc petimus in quarta petitione: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Quia per hunc panem intelligunt principaliter DD. panem Eucharisticum, cætera que ex consequenti Sacramenta; & secundario panem corporalem, & alia, quæ vitæ sunt necessaria. Videantur D. Thomas hic. Torre n. 80. Suarez num. 18. Palaus num. 5.

Quinta petitio.

97 Media vero, quæ nos ordinant per accidens ad Beatitudinem consequendam, sunt, quæ removent obstacula illius. Tria autem sunt obstacula, quæ impediunt, nos Beatitudinem consequi: primum est peccatum, quod directe nos excludit à regno Dei, sub quo comprehenditur, tam peccatum mortale, quàm veniale quo ad culpam, & pœnam: quia his plene non remissis, nullus regnum Dei possidebit. Et ideò postulatur, quando dicimus in 5. petitione: *Et dimitte nobis debita nostra*: additur in ea: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, in quo coarctatur prædicta petitio: vnde qui prius non remiserit iniurias ex corde, nec obtinebit suorum peccatorum remissionem: quare, qui ex corde fratrum iniurijs ignoscit, valde movebit divinam Maiestatem, vt sibi conferat auxilia ad veram contritionem de peccatis eliciendam. ¶ Secundum est tentatio, quæ nos impedit ab observantia divinæ voluntatis, contra quam statuitur secunda petitio, scilicet: *Et ne nos inducas in tentationem*, per quod, vt ait D. Thomas, non petitur: *Vt non tentemur, sed ne à tentatione vincamur, quod est, in tentationem induci*. Et D. Gregorius lib. 3. *Moralium*, cap. 3. ait: *Et tunc nos in tentationis laqueos non inducit* (loquitur de Deo) *cum tentari nos, vltra quam possumus, non permittit*. ¶ Tertium est: pœnalitas præsens, hoc est, pestis, fames, bellum, & aliæ calamitates, & erumnæ, quibus in hac vita premimur; & has petimus, removeri, dicendo in septima petitione: *Sed libera nos à malo*. ¶ Deinde ponitur epilogum *Amen*, quo omnium præcedentium petitionum petitur confirmatio, cum adverbium hebræum *Amen*, vt erudite probat Raphael de la Torre à num. 117. idem ibi significat, ac *fiat*, vel *vtinam omnia hucusque postulata eveniant, sicut sunt à nobis petita*. Et hæc de hac Dominica oratione breviter dixisse, sufficiat.

Sexta; & septima petitio.

Quædam illius illationes.

98 Ex quibus sequitur primò: Hac oratione Christum nos edocere; non solum, quæ à Deo petere debeamus, sed etiam quibus verbis, & quo ordine id faciamus. Constat secundò; prædictam orationem septem petitiones continere: & licet S. Lucas cap. 11. quinque tantum possuerit, hoc ideò fuit iuxta D. Augustinum in *Enchiridione*, cap. 116. & D. Thomam loco citato ad 4. quia per hoc voluit ostendere: *Tertiam petitionem duarum præmissarum, esse quodammodo repetitionem:::: & quod etiam Matthæus vltimo possuit, libera nos à malo, Lucas non possuit: vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo, quod non infertur in tentationem*. Constat tertiò; hanc sublimem orationem nos edocere, habere maiorem curam animæ, & bonorum spiritualium, quam temporalium: cum in sola quarta petitione, & ibi minus principaliter, directe petantur temporalia; & in alijs omnibus sola spiritualia exorentur. Constat quartò; bona spiritualia gratiæ, gloriæ, virtutum, &c. posse à Deo absolute peti; cum in hac oratione sic ea à Deo petamus, & ita edoceat communis DD. sententia: quare sola difficultas est circa bona temporalia.

Bona temporalia secundum aliquos petenda sunt sub conditione.

99 Vnde circa quartam petitionem Doctores inquirunt: An, orando, possimus, absolute bona temporalia petere, an vero sub conditione, quod conducant ad Beatitudinem, aut ad virtutes consequendas? Sub hac conditione petenda esse, affirmant Medina *de Pœnitentia*, quæst. 3. Sylvester verb. *Oratio*, quæst. 5. Alensis 4. part. quæst. 26. art. 3. §. 1. Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 7. dub. 5. n. 1. & videtur, esse Divi Thomæ 2. 2. quæst. 83. art.

art. 5. & 6. poteſt que probari ex ſententia Socratis, qui, vt refert Valerius lib. 7. cap. 2. titulo *Externa*, de Socrate Philoſopho, arbitrabatur, nihil vltra petendum à Dijs immortalibus, quam, vt bona tribuerent; quia hi demum ſcirent, quid vnicuique eſſet vtile. Confirmari que videtur ab Apoſtolo 8. ad Romanos, dicente: *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.* Eandem ſententiam tribuit Suarez hæreticis illuminatis aſſerentibus, nihil eſſe à Deo petendum, niſi vt fiat voluntas eius.

Rationes ſuadentes dicta bona petenda eſſe abſolutè.

100 E contra vero omnia temporalia poſſe abſolute peti, ſuadent non levia argumenta. Primum eſt quarta petitio orationis Dominicæ, vbi abſolute bona temporalia petuntur. Et Proverb. 30. dicitur: *Mendicitatem, & divitias, ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria.* Secundò: Nam, quis damnabit peccatorem, quia Deo temporalia, verbi gratia, ſanitatem, honorem debitum, incolumitatem Patriæ, & ſimilia poſtularit ſine vlla relatione formali, aut virtuali in Deum? cum charitate careat: ergo, &c. Tertiò: Nam plura bona temporalia, vt vita, incolumitas, victus, & veſtitus parcus per ſe appetibilia ſunt, cum ſine illis natura conſiſtere non poſsit; ſed, quod eſt per ſe appetibile, poteſt abſolute à Deo peti: ergo, &c.

Suppoſitio pro deciſione quæſtionis.

101 Sed, vt inter has extremas ſententias propriam aperiamus mentem, ſupponendum eſt; bona temporalia, vt diximus tom. 3. tract. 13. cap. 1. punct. 17. num. 281. quædam eſſe bona naturæ, ſeu in ſupremo gradu, vt vita, ſalus, libertas, corporis integritas, &c. quædam ſunt bona fortunæ, ſeu in infimo gradu, vt divitiæ, res familiares, & quidquid prætio æſtimatur; quædam vero medio modo ſe habent, vt honor, & fama, &c. Ex quibus bonis temporalibus, quædam ſunt, vel ſimpliciter moraliter neceſſaria ad conſervationem naturæ rationalis, vt ſalus, victus, & veſtitus, & opes moderatæ, ſcientiæ, & artes. Alia vero ſunt ad naturæ conſervationem non neceſſaria, qualia ſunt; quæ conſiſtunt in exceſſu, & ſuperabundantia, vt ingentes divitiæ, & magni honores, &c.

Bona neceſſaria ad conſervationem naturæ poſſunt à Deo abſolute peti.

102 Quo ſuppoſito; dicendum eſt primò: Bona neceſſaria ad conſervationem vitæ, poſſe peti abſolute à Deo. Et ratio eſt: quia hæc bona ſunt per ſe appetibilia, ſicut ipſa natura: ergo abſolute, & per ſe poſſunt à Deo peti. Deinde: prædicta bona per ſe non ſunt ruinæ occaſio, alias deberemus propria amputare membra ad occaſionem mali fugiendam: quod falſum, & quaſi blaſphemum eſt, vt late diximus tom. 3. tract. 13. cap. 2. punct. 3. à num. 42. ergo bona ad conſervationem naturæ neceſſaria abſolute à Deo in oratione petere, licitum eſt. Quod confirmatur ex praxi Eccleſiæ, quæ frequenter orat pro ſalubritate aëris, fructuum que proventu. Ergo licet à Deo poſtulare abſolute bona ad conſervationem naturæ neceſſaria.

103 Vltimò probatur ex rationibus pro ſecunda ſententia ſupra ponderatis, quæ hanc partem efficaciter convincunt. Quod etiam ſatis efficaciter probatur ex D. Thoma, qui 2. 2. quæſt. 83. art. 5. ait: ſolum illa bona eſſe ſub conditione petenda, *quæ poſſunt malum eventum habere, quibus etiam homo poteſt male, & bene vti.* Et ponit exemplum in honore, divitijs, regnis, & ſplendidis coniugijs: ergo è contra alia bona, etiam temporalia, quæ ex ſe malum eventum habere non poſſunt, licite deſiderari, & à Deo peti poſſunt. Et artic. 6. ait: Quod pro temporalibus licet orare iuxta D. Auguſtinum ad *Probam*, quando ſunt neceſſaria ad ſufficientiam vitæ, & congruentem habitum perſonæ hominis, vt non ſit inconveniens eis, cum quibus vivendum eſt. Ita ergo cum habentur, vt conſerventur, cum non habentur, vt teneantur, orandum eſt. ¶ Diximus *ex ſe* nam ex prava intentione operantis nihil eſt, quod male vti non poſsimus, verbi gratia, ſuperbiendo de gratia, auxilijs, virtutibus, & his ſimilibus, quæ omnes concedunt abſolute peti à nobis poſſe. Sic docent Suarez tom. 2. *de Relig.* lib. 1. cap. 17. à num. 7. Torre 2. 2. quæſt. 83. art. 6. diſp. 1. num. 4. Layman tom. 2. lib. 4. tract. 1. cap. 1. quæſt. 4. num. 8. Palaus tr. 7. diſp. 1. punct. 3. num. 1. Prado tom. 2. cap. 30. §. 1. num. 6. & 7. & alij.

Bona nõ neceſſaria ad conſervationẽ vitæ ſunt ſub conditione petenda.

104 Dicendum eſt ſecundò: Alia bona temporalia, quæ neceſſaria non ſunt ad conſervationem vitæ, vt ingentes divitiæ, & magni honores, non poſſe ſub tali exceſſu peti abſolute, ſed tantum ſub conditione, quod conducant ad Beatitudinem, & deſerviant ad virtutum actus, vt ait D. Thomas art. 6. in corpore. Et ratio eſt: quia abundantia horum bonorum ex ſe periculoſa eſt, qua propter dicit Chriſtus Matthæi 19. verſ. 24. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum Cœlorum.* Et Divus Paulus ad Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & in deſideria multa::: & nociva, &c.* ergo abſolute à Deo nequit peti. Vnde non licet Epiſcopatum, Magiſtratum, Præfecturas, & alias ſimiles dignitates abſolute deſiderare, & à Deo peti: quia, licet obiectum huius deſiderij ex ſe malum non ſit, ſed indifferens, ac proinde ſub honeſto fine appoſito poſſet appeti: tamen ex ſe periculoſum valde eſt, hæc ſine peccato exerceri, cum ſint onera Angelicis humeris formidanda. Similiter dicendum eſt de deſiderio divitiarum; quia harum abundantia plena eſt laqueis, & animæ periculis, quibus pauci ſunt, qui ſobrie vtantur. Sic Pater Suarez loco citato, num. 15. Palaus n. 1. Torre num. 5. Layman n. 8. Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 2. punct. 5. Medina *de Oratione*, q. 3. Ioan. à S. Thoma 2. 2. quæſt. 83. art. 5. diſp. 27. & Prado loco citato. Et de his bonis temporalibus abs dubio loquitur Angelicus Doctor art. 6. quando de bonis temporalibus ait, eſſe petenda *in quantum adiuvamur, ad tendendum in Beatitudinem, & in quantum nobis organice deſerviunt ad actus virtutum.* ¶ Ex dictis conſtat ad rationes primæ ſententiæ: ſolum enim verificantur in ordine ad bona temporalia ad ſubſtentationem naturæ non neceſſaria, & quæ periculum animæ frequentius afferunt.

De-

§. II.

Declaratur oratio Angelica: & B. Mariæ Virginis Psalterij, seu Rosarij origo describitur.

105 POst orationem Dominicam vltronee se nobis offert Salutatio Angelica, de qua abs re non erit aliqua, & si breviter, de eius excellentia, & origine, dicere. Vtrumque facile suaderi potest: tum ex eo, quod hæc oratio est gratissima, & vetustissima omnium orationum, quas Ecclesia ad B. V. Mariam totius Orbis matrem, & asylum fundit: tum etiam: quia ex triplici parte constat, quarum prima, scilicet, *Ave gratia plena Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.* Fuit ab Angelo composita, vt dicitur Lucæ 1. vers. 18. *Maria* vero, quæ additur in principio, dicendo: *Ave Maria*, est ab Ecclesia. ¶ Secunda, nimirum: *Benedictus fructus ventris tui*: dicta fuit à S. Elisabeth, quæ etiam addidit: *Benedicta tu inter mulieres*, sicut prius dixerat Angelus, vt hac consensione verborum (sicut D. Ambros. Beda, & alij docent) vtriusque salutationis authorem esse Spiritum S. clare patefiat. *Iesus* vero ponitur ab Ecclesia, quia nomen fructus ventris B.V. Mariæ nondum in Mundum editi, non cognoscebatur à S. Elisabeth, & sic ab illa proferri non potuit. ¶ Reliqua vero verba, nempe: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.* Addita sunt ab Ecclesia in Concilio Ephesino præside S. Patre N. Cyrillo Episcopo Alexandrino. Ex quibus constat, maiorem partem huius orationis fuisse ex sacra Scriptura desumptam, & ab Spiritu Sancto dictatam; alteram vero ab Ecclesia speciali Sancti Spiritus directione compositam: vnde clare præ alijs orationibus eius origo, excellentia, & dignitas innotescit. Ab aliquibus ei solet addi: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, &c.* sed hæc nunc ab hac oratione sunt removenda, quia, licet sint ab Angelo composita, non tamen ab Ecclesia illius salutationis tempori adaptantur. ¶ Vnde oritur; quod licitum non sit, huic orationi misceri alia verba, & si devota: tum: quia mixtio rei inferioris, authoritatem superioris minuit, vt dicitur *Arg.* cap. *Super quæstionem*, §. *Si vno duo, de officio deleg.* Tum etiam: quia satius est, ea separatim recitare, quam salutationis verba, & sensum alijs secare. ¶ In explicando sensum huius orationis non detinemur, quia ex se satis constat: & solum cum Suarez tom 2. *de Religione*, lib. 3. cap. 9. Cornelio in cap. 1. Lucæ notamus, quod *Ave*, non significat idem, ac tibi deprecor salutem, & pacem; quæ nunc Virgini iam in Cœlis regnanti videtur incongrue adaptari; cum iam salute, & pace æterna fruatur: sed solum denotat, & est idem, ac si diceremus, quod Sancta, Læta, Hilaris, Fœlix, Beata, in Dei gratia, & gloria summa sis. Et hæc pro huius præexcelsæ orationis notitia, & origine sufficiant.

Breviter exponitur Angelica oratio

106 Ex his duabus orationibus Dominica, scilicet, & Angelica, compacta est illa orandi formula, quæ communiter Rosarium, seu Psalterium B. Virginis dicitur. De ea in gratiam eorum, qui huic sanctissimæ devotioni addicti sunt, pauca hic inferere decrevimus. ¶ Vnde ergo institutio Rosarij orta sit, & à quo primo originem duxerit, sub dubio est; de ea que in diversis diversa legimus, & ideò debemus singulorum opiniones ponere. Nam Aquensis libro de Rosacea Corona ad Imperatorem Augustum Maximil. sic ait: *Salutandæ Mariæ ritus novitijs inventis haud quaquam adscribitur, siquidem cum ipsa pene Ecclesia pullulavit. Nam, cum inter ipsa nascentis Ecclesiæ primordia perfectiores quoque fideles, tribus illis Davidicorum psalmorum quinquagenis, divinas laudes assidue celebrarent: ad rudiores quoque, qui modo arctius divinis vacabant, pij moris æmulatio est derivata; vt tamen non psalmos ipsos canerent, quippe quos nec legere satis, nec intelligere possent, sed ad mysticum illum numerum Angelici concentus carmine vterentur, rati id, quod erat cuncta illorum psalmorum sacramenta cœlesti hoc elogio delitescere::::: sic trinas salutationum quinquagenas Mariæ psalterium appellare cæperunt, oratione vti que Dominica in singulas decadas vbi que præposita, pro vt à Psalmidicis observari ante adverterent.* ¶ Rebellus tract. *de Rosario*, & alij docent apud Indos Japones, Chinenses, & alias Orientis nationes moris esse, quibusdam idolis precum serta offerre, quæ Coronas, aut Rosaria appellant, his abs dubio acceptis nominibus ab antiquis illius gentis Christianis. ¶ Suarez tom. 2. *de Religione*, lib. 3. cap. 9. asserit, aliquos ex Beda referre, quod iam illius tempore hæc consuetudo erat antiqua, & pervetusta. ¶ In Palladio in Lausiaca cap. 2. legimus; Abbatem Paulum calculis, trecentas orationes, quas quotidie ad Deum fundebat, supputare: & alios similiter Monachos idem feciisse per cordam nodis distinctam, refertur in Historia Tripartita lib. 8. cap. 1.

Diversa placita DD. circa originem Rosarij.

107 Præterea Polydorus Virgilius lib. 5. *de Inventione rerum*, cap. 9. sic ait: *Modus orandi per rotulos ligneos, quos vulgo modo preculas, modo Pater nostros appellant, hi numero quinquaginta quinque perforati, ita ordine distinguntur, vt post denos singulos, maiusculi affigantur filo, & quot hi sunt, toties Dominicam precem, quot illi, toties Angelicam Salutationem ter numero ineundo recitent, ter que symbolum brevius referant. Et id B. Mariæ V. psalterium nuncupant, quod à Petro Heremita Gallo inventum est.* Sic præfatus Doctor, & idem docet Pineda lib. 20. *Monarchiæ Ecclesiasticæ*, cap. 2. §. 4. in fine.

Polydorus Virgilius, & alij defendunt, inventorem Rosarij fuisse Petrum Heremitã, &c.

108 Hic autem Petrus Heremita fuit quidam Monachus Carmelita, qui, cum primævas litteras in Civitate Ambianensi, vbi ex nobilibus erat ortus natalibus, didicisset, incensus desiderio videndi loca sacra, Palestinam perrexit, ibi que habitum nostrum induit. Qui quidem, vt ait Bellarminius tom. 11. ad annum 1095. num. 30. pagina mihi, 465. *A Hierosolimorum Patriarcha Simeone, accep-*

Digressio circa N. Petrum, qui secundum aliquos DD. fuit inventor Rosarij.

acceptis litteris commiseratione dignis, quibus Christi incunabula, eius que sepulchrum, atque reliqua loca sancta eiusdem Redemptoris nostri memoria consecrata, ab infidelibus Turcis prophanata, omni que genere contumeliarum affecta, deplorabat, ad Urbanum Secundum, Christianos que Principes detulit. Sed prius, idem Bellarminius ait, *à Christo per visum, dum oraret ad sacrosanctum templum Resurectionis, ad tanti muneris legationem obeundum accepit::::: Hic igitur ad tantum opus missus à Deo ad sacrum bellum affatu divino Spiritu classicum potenter intonuit, cuius divinæ tubæ clangore ab vniverso pene Orbe occidentali ad arma concurritur. Attamen primarius dux verbi, atque promotor tantæ mollis operis Urbanus Pontifex erat.* Hæc Bellarminius. ¶ Sed prædictus Pontifex in Epistola ad Alexium Imperatorem Constantinopolitanum relata ab eodem Annalista ad annum 1097. pagina mihi, 499. num. 125. hæc habet: *Ducum autem fortissimorum tantus erat ardor, vt de recuperanda Hierosolyma, multum sperare debeamus. Primus Petrus Heremita innumerabilibus se ducem præbuit, cui Godefredus, Eustachius, & Balduinus fratres Bolioni comites se addiderunt, maiores etiam copias paraverunt.*

Plures defendunt Petrum Monachum Carmelitam inventorem, & institutorem, fuisse Rosarij Mariani.

109 De isto ergo Petro Monacho Carmelita hæc refert Carthagena tom. 3. lib. 15. Homil. 1. pag. 239. *Alij dicunt cum Polydoro Virgilio lib. 5. de Inventione rerum, cap. 9. Petrum Heremitam, qui anno Domini circiter 1093. de bello sacro indicendo cum Urbano Secundo egit, & Christianos omnes ad illud suscipiendum vehementer exortatus est, cum non dum inventa esset ars impressoria, & difficultas foret, libros precum manuscriptos habendi, ad faciliorem orandi rationem inuenisse modum Deum, Beatissimam que Virginem per lapillos, seu globulos precandi. Quod etiam testatur N. Pineda lib. 20. Monarch. Eccles. ast. cap. 2. §. 4. & Arnold. Uvion lib. 5. Ligni Vitæ, cap. 104.* Hucusque perlaudatus Carthagena. Et Laurentius Beyerlinck in Magno Thesauro vitæ humanæ, verb. *Sancta Maria*, pagina mihi, 227. ex aliorum sententia probabiliter huic N. Petro Heremitæ, principium huius orandi formulæ attribuit. Qua propter N. Iosephus à Sancta Theresia noltræ Discalceatæ Familiæ Coronista generalis in libro *de Floribus Carmeli*, in vita P. N. Sancti Bertholdi, num. 18. pagina 163. affirmare satis probabiliter potuit ex Petro Thoma Sarraceno, quod Beatus Bertholdus Generalis nostri Sacri Ordinis, prius que socius prædicti Petri Heremitæ, ab eo accepit devotionem Sanctissimi Rosarij, quam postea filios suos, & subditos in Carmelo docuit.

Quid circa hoc resolvendum sit.

110 Sed licet hæc vera sint; tamen cum his non pugnat, quod Sanctissimus Patriarcha Divus Dominicus sit, & dicatur ab omnibus author Rosarij; quia pro comporto est, quod ab eo, eiusque inclitis filijs, formula recitandi Rosarium, pro vt nunc apud omnem Ecclesiam viget, initium accepisse: ipse enim ad exterminandam Albigensem hæresim, Beata Maria duce, & Magistra, Rosarij antidotum adhibuit, & suscitavit, illud in tres Salutationum Angelicarum quingenas distribuit, quibus quindecim orationes Dominicas intexuit: & ibi totidem mysteria Christi, & B. Virginis docuit: & denique sanctam huius nominis confraternitatem instituit. Quæ quidem sufficiunt, vt Sanctus Dominicus primus Mariani Rosarij author dicatur à Gregorio XIII. const. 11. & habetur in Bullario Cherub. tom. 2. pagina mihi, 281. §. 2. his verbis: *Memores Beatum Dominicum Ordinis Prædicatorum institutorem, cum Galia, & Italia à perniciosis premeretur hæresibus ad iram Dei placandam, & Beatæ Virginis intercessionem implorandam, pijssimum illum orandi modum instituisse quod Rosarium, seu Psalterium Beatæ Virginis Mariæ nuncupatum::::: &c.* Et Pius V. const. 86. quæ incipit: *Consueverunt, &c.* & habetur eodem tomo Bullarij, pag. 215. §. 1. per hæc verba: *Quorum exemplo adductus, & Spiritu Sancto vtique afflatus Beatus Dominicus:::::: modum facilem, & omnibus prævium, ac admodum pium orandi, & precandi Deum, Rosarium, seu Psalterium eiusdem B. M. Virginis nuncupatum:::::: excogitavit, excogitatum per S. R. E. propagavit, orandi que modo prædicto per assectas B. Dominici, fratres videlicet Ordinis prædicti, divulgato, & à nonnullis accepto, cæperunt Christi fideles his meditationibus accensi, his precibus inflammati in alios viros repente mutari.* Et ratio huius nostræ resolutionis est.

Ratio nostræ resolutionis.

111 Etenim sufficit aliqua renovare, ampliare, novum splendorem tribuere, aut oblita suscitare, vel instaurare, vt author illorum quis dicatur: nam: *Nec inusitatum est* (ait D. Hieronym.) *vt aliquid factum dicatur ab eo, à quo instauratum, seu amplificatum est.* Sic enim Ecclesia Sanctum Eugenium primum Episcopum Toletanum, & illius Ecclesiæ institutorem vocat; non quia eam fundaverit, cum fundatam invenerit, orbatam tamen ob Traiani persecutionem Pastoris solatio; sed, quia suscitavit, fideles profugos coacervavit, & omnes in fide confirmavit, Clerum instituit, & authoravit, & innumeram multitudinem Iudæorum, & Gentilium illi aggregavit. Quæ omnia sufficiunt, vt ab Ecclesia primus Toletanus Antistes dicatur, licet Sanctus Elpidius fuerit à D. Iacobo constitutus primus Episcopus Toleti; vt referunt Luitprandus in Fragmentis, num. 100. his verbis: *Sunt, qui putent, S. Leocadiam monialem fuisse Ordinis Carmelitarum, quem ordinem Monachi Carmelitani ad fidem Christi conversi in Hispaniam intulerunt: ex quibus S. Elpidius primus Toletanus præsul à S. Iacobo constitutus::::* & numero sequenti ait: *Sanctus Elpidius, quem S. Iacobus præfuit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit, & in prima Petri concione conversus ad fidem.* Quod etiam tenent Dexter anno 305. num. 15. & novissime Quintana-Dueñas in libro, cuius inscriptio est: *Santos de la Ciudad Imperial de Toledo.* Tamayo *in Martyrologio Hispano*, tom. 2. die 4. Martij, pagina 70. & 71. alios referens, & N. Lezana ad annum 35. & 37. Christi. Sic etiam dicitur Gen. 1. Deum quar-

quarto die feciſſe duo luminaria magna, Solem ſcilicet, & Lunam; non quia illo die facta ſint; cum in primo die facta, ſeu creata fuerint; ſed quia tunc ſplendorem, & virtutem ad influendum in hæc inferiora, dies, & annos ſignandos tribuit. Sic denique Daniel 4. verſ. 27. (alijs exemplis omiſsis) dixit Nabucodonoſor:) *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego edificavi*: & tamen ſolum eam reparavit, reſtituit, magnificentiſsimis que ædificijs exornavit; quia vt conſtat, Nemrod, ſeu Belus primo eam ædificavit. Ergo, cum Beatus Dominicus per ſe, ſuos que aſſeclas hanc Sanctiſſimi Roſarij devotionem reſtauraverit, ampliaverit, & illuſtraverit, & iam pene oblitam ſuſcitaverit, ordinemque, celebritatem, atque ſplendorem, quibus nunc ab vniverſis Eccleſiæ fidelibus frequentatur, contulerit; ideò à Summis Pontificibus, Chriſti que fidelibus Mariani Roſarij, ſeu Pſalterij author, & inventor prædicari poteſt, quamvis in diebus Petri Heremitæ, vel alio anteriori fuerit in vſu.

Quare vocetur Roſariũ?

112 Explicato iam vnde originem duxerit modus recitandi Roſarium, inquires primò: Quare ſic communiter ab omnibus appelletur? Pro quo Navarrus *de Pſalterio*, & *Roſario Virginis Matris*, *miſcelaneo* 3. pagina 449. duplicem cauſam tradidit, quarum prima eſt: nam, ſicut Roſalium plures continet roſas ſuave olentes, ſic *Pſalterium* Beatæ V. plures continet *Ave Maria*, & *Pater noſter* ſuavem odorem in corde ſpirantes. Secunda eſt: quia mos apud aliquos invaluit, appellandi Roſalia ea, quæ ſunt pulcherrima eorum, quæ aliquis in aliqua materia tradidit, aut ſcripſit: & ſicut Roſa, quia eſt inter omnes flores pulcherrima, dicitur eorum *Regina*, ſic Pſalterium Virginis, cum contineat *Pater noſter*, & *Ave Maria*, quæ ſunt potiſsimæ orandi formulæ, vt patet ex dictis, & pulcherrimum, ſuaviſsimum que ſplendorem inter cæteras orandi formas afferentes, *Roſarium* ab omnibus vocatur.

Qualis attẽtio eſt neceſſaria ad recitandum Roſarium?

113 Circa formam recitandi hoc Marianum *Pſalterium* quæres ſecundò: Qualis debet eſſe attentio in illius recitatione? Ad quod dicendum eſt: quod ſolum ea attentio ſufficit, & requiritur, quam pro officio Divino tradidimus tom. 4. tract. 16. cap. 3. punct. 5. cum ibi dicta æqualiter procedant de omnibus orationibus vocalibus; & ideò, quod diximus de officio divino, eodem modo *Roſario* B. Virginis applicandum eſt.

Qui alternatim recitãt, ſatisfaciunt recitandi obligatione.

114 Quæres tertiò: An obligationi Roſarij ex pœnitentia, & voto ſatisfaciat, qui illud recitat alternatim cum ſocio? Reſpondetur affirmativè, vt iam docuimus tom. 4. tract. 17. cap. 1. punct. 6. §. 1. num. 136. prope finem: quia hæc obligatio eſt inſtar obligationis recitandi divinum officium, quod adimpletur, ſi cum ſocio recitetur. ¶ Quæres quartò: An, qui votum emiſsit recitandi *Roſarium*, debeat recitare integrum, quod conſtat ex 150. *Ave Maria*, & 15. *Pater noſter*; an vero ſufficiat, ſi recitet tertiam partem? Reſpondetur, hoc vltimum ſufficere; & idem dicimus: ſi in pœnitentiam alicui impoſitum fuerit: eo quod nomine *Roſarij* communiter intelligitur, quod ex 50. *Ave Maria*. & 5. *Pater noſter*, conſtat, quod tertia pars *Roſarij* eſt. Videantur à nobis loco citato dicta. ¶ Circa modos, & formam recitandi *Roſarium* videri poſſunt Caniſius libro *de Deipara*, cap. 3. in fine. Navarrus loco, *Miſcelaneo* 24. vbi hic Doctor refert modum ſatis vtilem, illud recitandi, quem quidem tranſcribere omittimus brevitate, cui conſulimus, coacti. Apud quem etiam videri poteſt, quas indulgentias Summi Pontifices hoc divinum Pſalterium recitantibus conceſſerint; & quæ myſteria in eo repræſententur; quia hæc non videntur noſtri muneris adeò propria.

CAP. X.

De adoratione, & cultu, tam Deo, quàm Sanctis debitis.

ABſolutis, quæ ad actus internos virtutis Religionis attinent, progredimur cum D. Thom. ad actus exteriores explicandos: quorum primus eſt *adoratio*, quæ, licet aliquando in ſacra Scriptura pro cultu politico, hominibus exhibito, ſumatur, vt in 3. Reg. cap. 1. nunc vero pro cultu divino accipimus, & de ea ſic ſumpta; in hoc capite erit nobis ſermo. In quo primum diſſeremus de cultu debito Deo, B. Mariæ V. alij que Cœli incolis, tam canonizatis, aut beatificatis, quàm alijs, qui cum fama ſanctitatis deceſſerunt. Deinde agemus de cultu eorum imaginibus, & reliquijs exhibendo. In quibus nec nimis diffuſe, nec perſtricte procedamus, ſed, vt mos nobis eſt, viam inter vtrumque carpemur mediam.

Punct. I. *QVid, & quotuplex ſit adoratio; & an detur illius præceptum, & quando obliget?* num. 1.

Punct. II. *Quæ adoratio, & cultus debeantur Deo, Sanctiſsimæ Trinitati, & Chriſto Domino?* num. 7.

Punct. III. *An Crux Chriſti, alia que eius paſsionis inſtrumenta ſint cultu Latriæ adoranda?* num. 16.

Punct. IV. *An aliqua adoratio tribui poſſit Beatiſsimæ V. Mariæ, alijs que Sanctis, tam Angelis, quàm hominibus, & qualis hæc ſit?* n. 26.

Punct. V. *Qui cultus exhibendus ſit Sanctis canonizatis?* num. 37.

PUN-

Punct. VI. *De cultu deferendo Sancto Beatificato.* num. 46.

Punct.VII. *Qui cultus ſacer tribui poteſt viris, aut fœminis cum opinione ſanctitatis demortuis, nondum tamen ab Eccleſia beatificatis, vel canonizatis?* num. 63.

Punct.VIII. *An ſint venerandæ, & quo cultu, imagines Sanctiſsimæ Trinitatis, Chriſti, & aliorum Sanctorum?*

§.I. *Aliquibus ſuppoſitis, oſtenditur adorationem ſacris Imaginibus tribuendam ab omnibus eſſe.* n.81.

§.II. *Qualis cultus ſacris Imaginibus exhibendus ſit?* num.90.

Punct.IX. *De cultu Sanctorum reliquijs exhibendo.*

§.I. *Nonnulla circa adorationem reliquiarum ſupponuntur.* num.99.

§.II. *Reliqua ad reliquiarum adorationem pertinentia deciduntur.* n. 107.

Punct.X. *Quæ, & qualis veneratio veſtibus ſacerdotalibus, Vaſis ſacris, Templis, alijs que rebus ad Dei cultum deſtinatis exhiberi debeat?* n.119.

Punct.XI. *Qualiter Calices, Corporalia, & aliæ res ſacræ contrectari, & ad profanos vſus converti poſsint?*

§.I. *Deciditur prima quæſtionis propoſitæ pars.* num. 125.

§.II. *Secunda quæſtionis pars reſolvitur.* num.139.

PUNCT. I.

Quid, & quotuplex ſit adoratio; & an detur illius præceptum, & quando obliget?

Traditur deſcriptio, & diviſio adorationis.

1 ADorationis eſſentiam in genere ſumptam ex D. Thom. 2.2. quæſt. 84. art. 2. deſcribunt NN. Salmant. Scholaſt. tom. 10. tract. 21. num. 2. dicendo: *Adoratio nihil aliud eſt, quam actus, quo quis alteri ſe ſubmittit in ſignum excellentiæ, & ſuperioritatis eius*: ſeu *honor, quo quis manifeſtat alterius excellentiam externo corporis geſtu.* Trullench vero lib. 1. *Decalog.* cap. 9. dub. 1. & Leand. tom. 1. *in Decalog.* diſp. 1. quæſt. 3. docent, quod: Adoratio *eſt exhibitio excellentiæ propter excellentiam illius, cui exhibetur.* Sed omnes iſtæ deſcriptiones ſolis verbis diſtinguntur, vt intuenti conſtabit. ¶ Cum ergo adorationis motivum ſit excellentia adorati, & hæc ſit duplex, increata, ſcilicet, & creata, à Deo que participata; ideò adoratio dividitur à Theologis in eam, quæ ſoli Deo debetur, & dicitur *Latria*; & in eam, quæ datur creaturis, quæ, ſi ſit ob excellentiam ordinis mere naturalis, qualis eſt ſubditi ad ſuperiorem, ſervi ad Dominum, &c. generali vocabulo dici poteſt *obſervantia*; ſed de hac in præſenti non agimus. Si vero ſit ob excellentiam ordinis ſupernaturalis, verbi gratia, Sanctitatis, gratiæ, Beatitudinis, & exhibeatur Sanctis, dicitur *dulia.* Si autem detur B. V. Mariæ, quæ ſupereminet in ſanctitate, & dignitate omnes Sanctorum, & Angelorum choros, dicitur *Hyperdulia*, id eſt, *ſupra duliam*, ſeu cultum Sanctis debitum; & hoc modo accepta pertinet ad præſens caput. Circa horum nominum ſignificationem videantur Torre 2. 2. quæſt. 84. art. 1. diſp. 1. num. 4. NN. Salmant. Scholaſt. loco citato, num. 3. & alij, qui contra hæreticos eorum ſignificationem defendunt.

Adoratio alia eſt interna, & alia externa.

2 Dividitur ſecundò adoratio in internam, & externam: interna eſt actus interior, elicitus à virtute Religionis, quo expreſſe ſubmittimus Deo, tanquam ſupræmo omnium rerum principio, noſtræ mentis internas vires: & hoc modo Angeli, & animæ beatæ Deum adorant, vt, pluribus citatis, probant NN. Salmant. Scholaſt. num. 7. & 8. Adoratio externa eſt; quando prædictus actus interior ſubmiſsionis, manifeſtatur externo corporis geſtu; vt apertione capitis, oſculo manum, vel pedum, genuflexione, aut proſtatione. ¶ Sed nota primò ex D. Thoma loco citato, art. 2. ad 2. *Quod, ſicut oratio* (ſunt D. Thomæ verba) *primordialiter eſt quidem in mente, ſecundario autem verbis exprimitur; ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia conſiſtit, ſecundario autem in quibuſdam corporalibus humilitatis ſignis, ſicut genuflectimus:::: proſternimus, &c.* Secundò nota: Quod licet poſsit dari adoratio interna ſine exteriori, non vero è contra exterior ſine interiori: quia mera exterior ſubmiſsio, genuflectendo, &c. potius eſt fictio, & irriſio, quam vera adoratio, & actus virtutis Religionis.

Alia eſt abſoluta, & alia reſpectiva.

3 Dividitur tertiò in adorationem abſolutam, & reſpectivam: abſoluta eſt, quæ exhibetur creaturis, quæ ex ſe ſunt capaces excellentiæ, & ſuperioritatis, gratiæ, ſanctitatis, virtutis, &c. ob quæ exhibetur alicui adoratio; vnde, cum harum ſint ſolum capaces creaturæ rationales, ſolum ipſis poteſt adoratio abſoluta competere. Reſpectiva eſt, quæ fit alicui non ob propriam excellentiam, ſed ob reſpectum, quem dicit ad aliud, quod eſt adoratione dignum; & ſic adoramus Crucem, & Sanctorum imagines, ob reſpectum ad proto-typum, cuius ſunt exemplar, & imagines. Ita Bonac, tom. 2. diſp. 3. in 1. *Decalog. præceptum*, quæſt. 1. punct. 1. Trullench lib. 1. cap. 9. dub. 1. num. 7. Palaus tract. 8. diſp. 1. num. 6. Leand. tom. 1. *in Præcept. Decalogi*, diſp. 1. quæſt. 3. & alij communiter apud ipſos.

Ex

Quædam inferuntur.

4 Ex quibus sequitur primò: Adorationem esse actum præstantiorem honore; tum quia omnis, qui adorat, honorat, & non è contra: tum: quia honor tribui potest æqualibus, non vero adoratio, sed necessario debet alium vt superiorem recognoscere, illi nos submittendo. ¶ Sequitur secundò: Adorationem esse actum virtutis Religionis, non vero Fidei, Spei, aut Charitatis. Et ratio est: quia adoratio respicit, vt obiectum, cultum divinum; sed Fides, Spes, aut Charitas non habet pro obiecto cultum divinum, sed Deum pro vt est in se, è contra vero, Religio respicit cultum divinum pro obiecto: ergo adoratio non est actus Fidei, Spei, aut Charitatis, sed vnice Religionis. Vnde, quando aliqui SS. Patres (vt Augustinus citatus in hoc tract. cap. 2. sub initio) docent, quod Deus Fide, Spe, & Charitate colitur, hoc tantum innuere volunt, quod prædictæ virtutes, aut imperative, aut dispositive ad prædictos actus concurrunt, vt ait D. Thomas 2.2. quæst. 81. art. 5. ad 1. vel loquuntur improprie, pro vt omnis actus circa Deum, dicitur illius cultus. Videantur Durandus in 3. distinct. 9. quæst. 1. num. 8. Torre 2. 2. quæst. 84. art. 2. disp. 1. num. 9. NN. Salmant. Scholast. num. 6. Palaus num. 5. Leander quæst. 5. & alij.

De Dei adoratione datur præceptum divinum, & naturale.

5 Circa secundam quæstionis partem dicendum est: dari præceptum divinum, & naturale adorandi Deum, adoratione vel interna, vel mixta ex interna, & externa. Hæc conclusio patet ex Exod. 20. vbi præcipitur: *Non habebis Deos alienos coram me, nec facies tibi sculptile*: in quibus verbis ait D. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 14. includitur præceptum adorandi Deum: quia, cum scriptum sit Matthæi 7. *Nemo potest duobus dominis servire*, eiusdem rationis est, & sub eodem præcepto cadit: *Ego sum dominus Deus tuus*. Et: *Non habebis Deos alienos*: quare, licet sub verbis negativis tradatur primum Decalogi præceptum, re ipsa affirmativum est, præcipiens Dei adorationem, & ex consequenti negans aliorum Deorum cultum: quod satis significatur illis verbis: *Coram me*. Quæ idem significant, ac si diceretur: *Me solum, vt verum Deum habebis, & coles, nec alios in consortium Deitatis mecum tibi propones*. Quod autem hoc præceptum sit simul naturale, constat ex eo, quod ait D. Damascenus lib. 4. *de Fide*, cap. 3. his verbis: *Quia nos constamus natura visibili, & corporali, Deum summum opificem duplici genere adorationis afficimus, sicut etiam mente, & corporis labijs psalimus*. Idem docet D. Thomas 2. 2. quæst. 84. art. 2. Iustum enim, & rationi naturali conforme est, vt per ea, quæ à Deo homo accepit, se ostendat servum, & illius cultorem: ergo datur præceptum naturale, adorandi Deum adoratione interna, vel mixta ex interna, & externa. Ratio vero, quare adorationis præceptum potius tradatur per verba negativa, quam affirmativa est: quia adeò naturale est homini, vt nulla fuerit vnquam natio tam barbara, quæ primum suarum legum fundamentum super cultum Dei non iecerit, quare sat fuit per præceptum negativum impedimenta illius, scilicet, idololatriam removere, ad quam Hebræi proni erant. Sic Sayrus in *Clavi Regia*, lib. 4. cap. 3. num. 2. Suarez tom. 1. *de Religione*, tract. 2. lib. 1. cap. 1. num. 13. Trullench cap. 9. lib. 1. cit. à num. 1. Navarrus in *Manuali*, cap. 11. num. 20. Leander tract. 7. disp. 1. à quæst. 6. Petrus Ledesma 2. part. Sum. tr. 9. cap. 11. conclus. 2. & alij.

6 Rogabis: Quando hoc præceptum per se obligat? Respondetur: quod, si loquamur de præcepto negativo *non adorandi Deos alienos*, semper, & pro semper obligat, cum hoc sit proprium omnis præcepti negativi, vt sæpe diximus; si sermo sit de præcepto affirmativo, *Deum adorandi*, omissis aliorum placitis, asserimus obligare per se, quando supra diximus, obligare etiam virtutum theologarum præcepta, ac proinde, saltim semel in anno ad adorationem Dei tenemur. Sic Leand. quæst. 11. Videantur dicta de obligatione Fidei, Spei, & Charitatis. ¶ Si denique loquamur de præcepto Ecclesiastico publicæ adorationis, certum est; teneri ad illam diebus festis, cum ad id sint instituti: quare huic præcepto plene satisfacit, qui prædictis diebus Missæ sacrificio devote assistit. Sic Corduba lib. 1. quæst. 5. dub. 6. Trullench lib. 1. *Decalog.* cap. 9. dub. 2. n. 10. Fagund. lib. 1. cap. 32. n. 9. Tamburinus *in Decalog.* lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 3. & alij.

Quando per se, quando vero per accidens adorationis præceptum obligat.

PUNCT. II.

Quæ adoratio, & cultus debeantur Deo, Sanctissimæ Trinitati, & Christo Domino?

Latriæ adoratione colendus est Deus, & quælibet Trinitatis persona.

7 HÆc omnia sub vnico puncto comprehendimus, quia solutio vnius, viam ad aliorum resolutionem parat. Dicendum ergo primò est: Deum, & quancunque Trinitatis personam adorandas esse adoratione summa, quæ dicitur *Latria*, & quæ nulli creaturæ exhibere licet. Et ratio est: quia cultus, & adoratio tribuitur ob excellentiam personæ adorandæ; sed Dei, & cuiuslibet Sanctissimæ Trinitatis personæ excellentia nulli creaturæ potest communicari: ergo nec alteri tribui cultus illi debitus. Qua propter Deut. 6. dicitur: *Dominum tuum adorabis, & illi soli servies*. Et Christus Matthæi 4. tentationem Diaboli propulsat probans ex illo loco adorationem supræmam soli Deo exhibendam esse. Dicta tenent Sayrus lib. 4. cap. 3. num. 6. concl. 1. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 5. quæst. 7. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 1. num. 3. & Trullench lib. 1. cap. 9. dub. 3. num. 1. Ex quo sequitur; quod, cum in omnibus personis Trinitatis sit eadem Maiestas, & quælibet sit verus Deus, ideò eadem adoratione tota Trinitas est adoranda, & simul quælibet persona potest seorsim, & distincte ab alia, adorari, dummodo aliæ explicite non excludantur. Et ratio est: tum: quia, Ecclesia cuilibet seorsim dies festos instituit:

ergo vt, & nos distincte eas adoremus: tum etiam: nam distincte concipi possunt: ergo & adorari. Ita communiter præcitati DD. ¶ Sequitur secundò: Debere dari aliquod externum signum determinatum ad adorationem Dei propriam, quod exhiberi nequeat creaturæ absque Idololatriæ superstitione. Et ratio est: quia adoratio petit aliquod signum submissionis: ergo, si adoratio est specialis soli Deo exhibenda, similiter, & signum debet esse speciale. Quod quidem signum, ait D. Thomas 2. 2. quæst. 84. art. 1. ad 1. esse sacrificium; nam; esto alia signa honoris, aut adorationis hominibus deferantur: *Quis vero*, ait Angelicus Doctor ex Divo Aug. lib. 10. de Civitat Dei, *sacrificium censuit, nisi, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit.*

Christo etiam vt homini debetur Latriæ cultus.

8 Dicendum est secundò: Christum, vt *hominem*, debere, adorari adoratione *Latriæ*. Diximus, vt *hominem*; quia in quantum Deum, debere, adorari adoratione supræma, seu Latriæ, est adeò evidens, vt nequeat, supposita doctrina num. antecedenti tradita, in dubium vocari. Quare tota difficultas est de Christo, vt *homine* sumpto *specificative*, seu quatenus hic homo subsistit in natura humana, & divina; de quo ita accepto probatur conclusio primo ex eo, quod Magi, vt dicitur Matthæi 2. sub hac consideratione: *Procidentes adoraverunt eum, & obtulerunt ei munera.* Sic quatuor animalia Apocal. 5. & *viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno.* Sic Thomas Apostolus apud Ioan. 20. exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus*: ergo Christus vt *homo specificative* sumptus adoratione Latriæ est adorandus. ¶ Deinde suadetur ratione ex Divo Thoma 3. part. q. 25. art. 1. Nam, vt aliquod totum, & partes, pro vt sunt in toto, adoremus, sufficit, quod motivum adorationis insit alicui determinatæ parti illius: sic enim adoramus adoratione Latriæ Eucharistiam; quia includit Deum, qui est motivum adorationis: sic qui adorat aliquam personam, coadorat omnes illius partes, pedes, manus, &c. licet sanctitas, quæ est ratio adorationis non omnibus partibus insit: similiter, qui adorat Regem purpuratum, eadem adoratione purpuram illi vnitam adorat, etsi ratio adorationis ex sola Regis persona proveniat: ergo, vt Christum, *vt hominem*, adoratione Latriæ adoremus, sufficit, quod motivum insit subsistentiæ illius, esto humanitas non sit causa talis adorationis: vnde Christum non solum vt Deum, sed etiam vt *hominem specificative* suptum, seu secundum humanitatem adorationem Latriæ terminare, asserendum est. Sic communiter Catholici apud Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 53. sect. 1. Vazquez disp. 3. cap. 2. & 3. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 5. quæst. 7. Palaum tract. 7. disp. 1. punct. 2. num. 2. & latissime apud NN. Salmant. Scholast. tom. 10. disp. 35. dub. 2.

Humanitas Christi præcisivè à Verbo nequit adorari Latriæ, sed dulæ, seu hyperdulæ.

9 Sed rogabis: An humanitas vt à Verbo abstracta, sit adoranda adoratione Latriæ? Respondetur negativè cum Divo Thoma art. 2. quia excellentia, seu eminentia humanitatis sic considerata est præcisè creata: ergo indigna, vt colatur adoratione Latriæ: quare dicendum est; tunc adorari adoratione Dulæ: quæ omnia docet Angelicus Doctor 3. part. quæst. 25. art. 2. his verbis: *Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum: & sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriæ, sed dulæ.* In hoc conveniunt Doctores, maximè Trullench num. 4. Leand. quæst. 21. NN. Salmant. Scholastici dub. 2. citato, à num. 37. Bonac. punct. 2. num. 7. cum alijs: qui omnes ex Divo Thoma art. 2. citato ad 1. notant, quod ob excellentiam humanitatis Christi hæc adoratio non præcisè dulia, sed *hyperdulia* dicitur.

Sunt, qui asserant, esse illicitū, eam in praxi adorari hyperdulæ cultu.

10 Maior difficultas est: An licitum sit exercite, & practice adorare humanitatem Christi adoratione hyperdulæ ob excellentiam, & perfectiones creatas? Negant Sylvius 3. part. quæst. 25. art. 2. Vazq. 3. part. disp. 96. cap. 2. referens Bonaventuram, Catherinum, & alios, quos afferunt NN. Salmant. Scholast. tom. 10. disp. 35. num. 65. insuper Palaus loco citato, num. 4. Trullench cap. 9. dub. 3. num. 4. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 2. num. 7. Leand. quæst. 2. tract. 7. disp. 1. quæst. 21. & alij docentes, in praxi semper adorandam esse adoratione Latriæ. Et moventur primò: quia indecens est, honorari titulo Ducis eum, qui est Rex: ergo indecens est honorari humanitatem cultu hiperdulæ ob gloriam, & virtutes creatas, relicto cultu Latriæ ob vnionem ad Verbum Divinum. ¶ Secundò: Quia Ecclesia nunquam cultu hyperdulæ eam adoravit, vt notat Caietanus 3. part. quæst. 25. art. 2. ergo, &c. Tertiò: Quia videtur impossibile, apprehendere humanitatem deificatam gratia habituali, & virtutibus, quin apprehendatur, esse Christi, & consequenter Verbo vnitam: imò aliter eam apprehendere, est indecens, cum concipiatur sine propria eius dignitate; sed vt vnitæ Verbo debetur cultus Latriæ: ergo in praxi semper adoranda est adoratione Latriæ.

Oppositum est verius.

11 Sed dicendum est cum NN. Salmant. tom. 10. disp. 35. num. 44. & maximè toto dub. 3. à num. 52. & 57. nullam indecenciam esse adorare practice humanitatem Christi adoratione hyperdulæ ob eius perfectiones creatas. Hæc conclusio traditur à Divo Thoma loco citato num. 9. vbi post verba ibi relata prosequitur: *Ita scilicet, quod vna, & eadem persona Christi adoretur adoratione Latriæ propter suam Divinitatem, & adoratione dulæ propter perfectionem humanitatis.* Nec hoc est inconveniens: & ratio prima est: quia nulla indecentia est, adorare aliquem adorationibus sibi ob varias perfectiones debitis, maximè si, quando adoras adoratione inferiori, superiorem non excludas, sed potius includas, aut simul adhibeas; sed hoc modo possumus in praxi adorare humanitatem Christi, primo adoratione Latriæ ob vnionem cum persona divina; secundò adoratione hyperdulæ ob perfectiones creatas: ergo indecens, & illicitum non est, eam sic ado-

adorare. ¶ Secunda ratio est: Nam licitum est humanitatem Christi præcisivè à Verbo cognoscere, & de ea cogitare quatenus affecta est gratia habituali, & alijs donis, & virtutibus supernaturalibus: ergo pro vt sic cogitatam possumus adorare. ¶ Tertia: Humanitatem sic à Verbo præcisam possumus amare: ergo adorare; sed non adoratione Latriæ, ergo hyperduliæ. ¶ Ex quibus patet ad argumentum primum. ¶ Ad secundum vero dicendum est; non constare, an Ecclesia adorando adoratione Latriæ Christi humanitatem, excludat adorationem hyperduliæ, cum signa ab ea exhibita vtrique adaptari queant. ¶ Ad tertium patet etiam ex ratione conclusionis, non esse illicitum, considerare humanitatem Christi secundum eminentiam creatam, & sic conceptam adorare eam adoratione hyperduliæ pro tunc illi debita. Alia plura circa hanc quæstionem videri possunt apud NN. Salmant. Scholasticos loco citato, toto dub. 3. Dicta à nobis considerationi morali sufficiunt.

Corpus Christi in triduo mortis, & in Eucharistia est Latria adorandum.

12 Ex dictis sequitur primò: Quod Corpus Christi in triduo mortis, erat adorandum adoratione Latriæ; quia erat Divino Verbo vnitum, & idem dicendum est de sanguine naturali in passione effuso; quia hic nunquam dimissus fuit à Verbo Divino, vt probant Theologi in 3. part. maximè NN. Salmant. Scholast. tom. 9. tract. 21. disp. 10. dub. 3. num. 39. ¶ Sequitur secundò: Quod Eucharistiæ Sacramentum est adorandum adoratione Latriæ. Sic contra Calvinum, Lutherum, & alios hæreticos docet Concilium Tridentinum, sess. 13. canone 6. his verbis: *Si quis dixerit in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei filium non esse cultu Latriæ externo adorandum, atque ideò nec festiva peculiari festivitate venerandum, nec in processionibus secundum laudabilem, & vniversalem Ecclesiæ Sanctæ ritum, & consuetudinem solemniter circunstandum, vel non publice, vt adoretur populo proponendum, & eius adoratores esse idolatras, anathema sit.* Et ratio est: quia, licet hoc Sacramentum Deus non sit, continet tamen Deum; sed vbicumque Deus sit, cultus Latriæ ei adhibendus est: ergo ita fieri debet in Eucharistia. Vnde provenit; quod eadem adoratione erat adoranda Eucharistia, & si in ea solum contineretur Corpus, aut Sanguis Christi; sicut accideret in triduo mortis, si tunc panis, aut vinum consecraretur. Et ratio est eadem; quia adoratio debetur non ratione Corporis, aut Sanguinis, sed ratione subsistentiæ Verbi, quæ adhuc in illo triduo permansit vnita Corpori, & Sanguini Christi; & ita adesset sub Eucharistiæ speciebus. Ita Trullench num. 5. Leand. quæst. 22. 25. & 26. Bonac. num. 7. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 5. quæst. 8. Rocaful lib. 2. *in Decalog.* cap. 6. num. 28. & alij.

Absolute Eucharistia est adoranda.

13 Sed rogabis: An sit absolute adoranda hostia populo ad adorandum proposita, an vero sub conditione, si est consecrata? Huic quæstioni sic respondet D. Thomas in 3. dist. 9. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 6. ad 2. *Dicendum, quod, qui adorat hostiam non consecratam, adorare eam potest cum conditione, scilicet, si est consecrata. Non tamen oportet, quod hæc conditio semper sit actu explicata, sed sufficit, quod habitu teneat illam. Vnde non peccat adorans eam; quia non adorat puram creaturam, sed Christum secundum intentionem suam, sacerdos autem quantum est in se, facit populum idolatrare, quia offert ei puram creaturam ad adorandum.* Vnde constat hanc conditionem non esse explicite ponendam, sed sufficit esse in habitu, seu implicite; hoc est, quod adorans ita sit affectus, vt, si sciret, non esse consecratam, eam non adoraret. Qua propter, licitum est, hostiam expositam ad venerationem, eam absolute adorare; quia per se in Sacerdote, maximè non suspecto, nulla dubitandi ratio occurrere potest. Sic Caiet. 2. 2. quæst. 1. art. 3. NN. Salmant. Scholast. num. 73. Vazq. disp. 108. cap. 8. Trullench lib. 1. cap. 9. dub. 3. num. 6. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 2. n. 8. Leand. quæst. 23. disp. 1. citat. Azor lib. 9. cap. 9. quæst. 10. qui optime ait, omnes DD. qui contrarium videntur asserere, nobiscum re ipsa consentire.

Quo cultu debemus adorare sanguinem, aut carnem in Eucharistia aliquando apparentem?

14 Rogabis secundò: An sit adoranda cultu Latriæ caro, vel sanguis, qui aliquando in hostia consecrata miraculosè apparet? Affirmativam sententiam tenent Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 55. sect. 2. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 5. num. 13. Rocaful 3. part. Praxis, lib. 2. cap. 6. num. 31. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 2. num. 9. Leand. q. 24. & alij. Et moventur: quia, vel talis caro, aut sanguit est Christi, aut quid novum creatum illam repræsentans? Si primum, nullus dubitat, quod Latriæ cultus ei debeatur: si secundum, etiam patet; quia omnis Christi imago adoranda est adoratione Latriæ: ergo quomodocumque sit, ita adorare oportet. ¶ Azor vero tom. 1. lib. 9. cap. 6. quæst. 3. relatis duobus sententijs, prima Divi Thomæ negantis, idem corpus posse esse in duplici loco, & altera Scoti, & aliorum id affirmantium, concludit: *Si fuerit vere caro, aut sanguis Christi coli debet Latria, si tamen fuerit denuo divinitus facta, alium cultum solum meretur, vt res sacra, & hæc opinio videtur mihi magis rationi, & veritati congruere,*

Prima sententia est tenenda eum Divo Thoma.

15 Sed nihilominus prima sententia tenenda est cum NN. Salmant. Scholast. tom. 11. tract. 23. disp. 6. dub. 7. §. 2. num. 91. tum: quia eius motiva vrgentia sunt: tum: quia expresse traditur à Divo Thoma 3. part. q. 76. art. 8. vbi inquirendo: *An, quando in Eucharistia miraculose apparet caro, vel puer, sit ibi vere Corpus Christi?* In argumento: *Sed Contra*; sic ait: *Sed contra est; quod tali apparitione facta, eadem reverentia exhibetur ei, quod apparet, quæ etiam primo exhibebatur, quod quidem non fieret, si vero non esset ibi Christus, cui reverentiam Latriæ exhibemus.* Et in 4. distinct. 10. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ait: *Absque omni dubio dicendum est; illud, quod ibi apparet, esse verum Corpus Christi, alias non adoraretur. sicut, & prius erat, quando in specie panis videbatur.* Ex quibus verbis constat; Sanctum Doctorem clarè sentire,

& ſupponere, quod; quando ſub ſpeciebus Euchariſtiæ apparet miraculoſe caro, vel ſanguis, aut puer aliquis, tunc eadem adoratione, qua antea adorabatur Euchariſtiæ Sacramentum, ſint omnia illa colenda; ſed antea adorabatur Euchariſtia adoratione Latriæ: ergo eadem adoratione debent caro, ſanguis, aut formoſus puer, qui miraculoſe apparet, adorari.

PUNCT. III.

An Crux Chriſti, alia que eius paſsionis inſtrumenta ſint cultu Latriæ adoranda?

Crux Latria adoranda eſt.

16 POſtquam Divus Thomas egit de adoratione Chriſti, ſtatim diſputat de his, quæ ad ipſum pertinent, vt ſunt Crux, & alia paſsionis inſtrumenta; cuius morem gerentes, præſentem quæſtionem inſtituere, viſum nobis eſt. Ad quam duplici concluſione pro maiori claritate oportet reſpondere. ¶ Dicendum ergo eſt primò: Crucem, in qua Chriſtus paſſus eſt, & alias ad eius imaginem factas, eſſe adoratione Latriæ adorandas. Et ratio eſt: quia, quidquid eſt imago alicuius, eadem adoratione, ac proto-typus adorandum eſt; ſed quælibet Crux eſt Chriſti crucifixi imago: vnde eam eodem modo, ac Chriſtum Eccleſia alloquitur, dicendo: *O Crux, ave ſpes vnica*: ergo Crux Chriſti, & quælibet alia ad eius imaginem facta; eadem adoratione, ac Chriſtus, adoranda eſt. Deinde: nam ſignum ſpeciale, & proprium Regis eſt veluti imago ſymbolica illius; ſed Crux eſt ſignum ſpeciale Chriſti, vt conſtat ex illo Matthæi 24. *Tunc apparebit ſignum filij hominis*, quod omnes ſancti, & interpretes explicant de Cruce Chriſti: ergo Crux eſt Chriſti imago: tum ſic: ſed imago Chriſti adoratur Latria, vt ipſe Chriſtus, ſicut docet Divus Thomas 3. part. quæſt. 25. art. 3. ergo eadem adoratione eius Crux debet adorari. Vltimò ſpecialiter probatur de Cruce, in qua Chriſtus pependit: quia Crux, in qua Chriſtus eſt crucifixus præ cæteris alijs hoc ſpeciale habet, quod non ſolum ſit imago Chriſti, verum etiam ob contactum phyſicum ad eius membra, quorum ſanguine eſt conſperſa, eſt inſignis ipſius reliquia; ſed reliquiæ Sanctorum venerantur eodem cultu, ac totum eius, cuius ſunt reliquiæ, vt infra dicemus: ergo Crux Chriſti non ſolum ex eo, quod ſit crucifixi imago, eſt adoranda adoratione Latriæ, ſed etiam ob ſingulariſsimum adorationis motivum, ſcilicet, quod ſit Chriſti crucifixi inſignis reliquia. Sic Divus Thomas 3. part. quæſt. 25. art. 4. Bonacina diſp. 3. q. 1. punct. 3. num. 6. Vazquez *de Adoratione*, lib. 3. diſp. 1. cap. 2. NN. Salmant. Scholaſt. tom. 10. tr. 21. diſp. 38. num. 19. Azor 1. part. lib. 9. cap. 6. quæſt. 1. Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 9. dub. 3. num. 6. Palaus tract. 8. diſp. 1. punct. 4. num. 6. Leand. quæſt. 31. Fagundez in 1. *præcept. Decalogi*, lib. 1. cap. 32. & communiter Catholici contra omnes Iconomachos, Uviclephiſtas, Luteranos, & Calviniſtas, quorum argumenta æqualiter militant contra omnium imaginum adorationem. Specialia vero infra proponemus.

Omnia inſtrumenta inanimata paſsionis Chriſti debent adorari Latria.

17 Dicendum eſt ſecundò: Omnia inſtrumenta inanimata paſsionis Chriſti, quæ eius corpus tetigerunt, verbi gratia, Lancea, Clavi, Funes, Flagella, Corona, Arundo, Spongia, & ſimilia, ſunt Latria adoranda. Et ratio eſt: quia hæc phyſice Corpus Chriſti tetigerunt, & aliqua eius ſanguine fuerunt perfuſa; ſed ex contactu Chriſti ſunt ipſius inſignes reliquiæ: ergo ſunt adoranda adoratione Latriæ. Quod expreſsit Damaſcenus lib. 4. cap. 12. relatus à D. Thoma, vbi ſupra, art. 4. ad 3. his verbis: *Precioſum lignum vt ſanctificatum tactu Sancti Corporis, & Sanguinis decenter adorandum, Clavos, Indumenta, Lanceam, & ſacra eius Tabernacula, quæ ſunt præſepe, ſpelunca, & huiuſmodi.* Diximus *inſtrumenta inanimata*, quia ſi fuerint animata, vt manus crucifigentium, & labia Iudæ oſculantis, licet ob rationem præciſam contactus poterant venerari; tamen ob peccatum per hæc membra commiſſum immunda aliquo modo ſunt; cum labes animæ etiam externa membra coinquinent; & ſic veneratione indigna ſunt. Ita DD. ſupra citati maximè Azor lib. 9. cap. 5. quæſt. 9. Fagundez lib. 1. *in Decalog.* cap. 32. num. 15. & 16. Trullench num. 7. & alij.

Nota 1. circa prædicta paſsionis inſtrumenta.

18 Sed nota ex Divo Thoma: quod, ſi Crux, in qua Chriſtus paſſus eſt, præciſivè à Verbo ſumatur, non debet adorari adoratione Latriæ, ſed hyperduliæ. Sic Angelicus Doctor in 3. diſtinct. 9. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 4. vbi poſtquam dixit: quod Crux, in qua Chriſtus pependit, ſi conſideretur, vt crucifixi imago, debet adorari adoratione Latriæ, addit, quod, ſi conſideretur: *In quantum eſt res quædam; & ſic, cum pertineat ad perſonam Verbi, ſicut pars eius, non poteſt eadem adoratione adorari cum Verbo: ſed adoratur, in quantum eſt res quædam Chriſti ratione ipſius hyperduliæ.* In quibus verbis, vt bene explicant NN. Salmant. Scholaſt. tom. 10. tract. 21. diſp. 38. num. 19. non opponitur ſententiæ, quam 3. part. quæſt. 25. art. 4. docuit, affirmando, vt vidimus num. 15. Crucem adorari debere Latria: quia ibi conſiderat eam ſub ratione, tam imaginis Chriſti, quàm ipſius reliquiæ, & vt coniunctæ cum Chriſto: in loco vero allegato, loquitur de ea, vt ſeparata à Verbo, quam licitum eſt, (vt ſupra diximus num. 9. & 11. de ipſius humanitate, licet Verbo longe coniunctior ſit) ſic conſideratam hyperdulia venerari.

Nota 2.

19 Nota etiam: quod de alijs paſsionis inſtrumentis, vel rebus, quæ Chriſtum tetigerunt, ait Azor tom. 1. lib. 9. cap. 5. q. 9. Divum Auguſtin. ſequentia proferre in Serm. 58. de Verbis Domini: *Quando Regem purpura veſtitum veneremur, eodem honore, & eodem cultu quo Regem, veſtem veneramur. Hinc eſt; vt pari ratione eodem cultu honoratur Chriſtus, & tunica, qua erat veſtitus, & cia-*

clavi, quibus in Cruce transfixus, lancea, cuius cuspide latus eius configebatur. Quando vero res, quæ Christum tetigerunt, per se seorsim coluntur, non debent eodem cultu honorari, quo Christus, sed distincto, & proinde duliæ cultu, non Latriæ. Hæc videns Leander in Azorio, vt propria verba Sancti Doctoris refert: in quo duo miramur; primum: quod absque alio examine solo dicto Azoris credat: sed hæc culpa venia aliquo modo est digna (& si ipse soleat aliorum Scriptorum mendacia notare) cum non omnes authores ad manus habere possimus. Secundum vero: quod culpa non vacat, est, quod credens, talem sententiam esse Divi Augustini, eam deserit, & contrariam amplectitur, quin Aquilæ Ecclesiæ mentem aliquo modo explicet.

Dicta verba non inveniuntur in Divo Aug.

20 Sed quidquid sit de hoc, dicimus: prædicta verba non esse Divi Augustini, nec in relato Sermon. 56. nec alibi inveniri, vt diligenter inquisivimus. Solum ergo in fine prædicti Sermonis, qui habetur tom. 10. in appendice ad Sermones de Verbis Dom. Serm. 10. pagina mihi, 446. (vbi Sermones, qui certo Divi Augustini non sunt, ponuntur, vt annotatur initio prædicti tomi in censura generali) respondendo Arianis, interrogantibus à dicto D. Augustino: *Quid est, quod carnem eius, quam creaturam esse, non negas, simul cum Divinitate adoras atque ei non minus, quam Divinitati defers?* Hæc profert S. Doct. *Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à Divinitate suscepta, atque Deitati vnita est, vt non alium, sed vnum, eundem que Deum, & hominem Dei filium confitear. Denique: si hominem separamus à Deo, vt Photinus, & Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo, nec servio. Velut siquis nostrum, aut purpuram, aut diadema regale iacens inveniat, nunquid ea conabitur adorare? Cum vero ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege quis adorare contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam, aut nudam, sed Divinitati suæ vnitam, vnum Dei filium Deum verum, & hominem verum, qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur.* Ex quibus constat, quam distincta sint verba dicti Sermonis ab eis, quæ referunt Azor, & Leander: & quod ibi solum loquatur de adoratione humanitatis. De quo etiam videndus est in Psalm. 98. sed qualiter hæc intelligenda sunt, constat ex dictis num. 9. & 11. & late explicant NN. Salmant. Scholastici loco citato, disp. 35. dub. 3. num. 57. 66. & 67. Hæc adnotare hic voluimus, vt nullus decipiatur, credendo Divum Augustinum proferre, quæ nunquam docere intendit.

Primum argumentum, & eius solutio.

21 Contra primam, & secundam conclusionem sentiunt primo hæretici affirmantes; Crucem nulla esse adoratione dignam. Et arguunt primò: quia nullus filius colit flagellum, quo eius pater fuit flagellatus, vel patibulum, in quo fuit suspensus, sed potius illud aborret: ergo nec nullus Christianus debet venerari Crucem, in qua Christus pependit, quæ fuit instrumentum opprobiosimæ mortis.

¶ Huic argumento respondetur ex D. Thom. 3. part. quæst. 25. art. 4. ad primum. Christianos colere Crucem Christi, non in quantum fuit malum illius, sed in quantum per illam de peccato, & Diabolo triumphavit, delens chirographum decreti, ipsum tollens de medio, & affigens illud Cruci, spolians principatus, & potestates, & ita mundo remedium intulit: & hoc modo pius filius potest colere patibulum, in quo pater pro bono communi Reipublicæ ignominiosam mortem substinuit, vt experientia quotidiana liquet.

Fit satis secundo argumento.

22 Arguitur secundò: Si, ex eo, quod Crux, Clavi, Corona, Lancea, &c. tetigerunt Christi Corpus, essent adoranda Latriæ adoratione, etiam simili modo adorandæ essent manus flagellantium, & crucifigentium; & similiter eorum, qui pie, & religiose Corpus Christi tetigerunt, vt B. V. Maria, eius castissimus Sponsus Divus Ioseph, & fidelissimi Apostoli, & alij discipuli; sed hoc est falsum, vt est per se notum: ergo id, ex quo sequitur. ¶ Huic replicæ concedenda esset sequela, si præcisè attendatur ratio contactus ad Christi Corpus, vt patet ex secunda nostra conclusione; sed neganda est, quando talis contactus est rerum animatarum: alias eadem adoratione dignus esset asselus, in quo Iesus Christus Ierosolymam intravit, quod quidem magnum involuit absurdum. Et ratio omnium est: quia tunc ratione indecentiæ, scandali, aut peccati, omittenda est talis adoratio, vt respectu crucifigentium Christum diximus in ratione conclusionis. ¶ Ad alia exempla etiam dicimus, non licere manus Beatissimæ V. M. & dulcissimi eius Sponsi, &c. adorare cultu Latriæ, esto hoc cultu veneremur Crucem, & alia passionis instrumenta: & rationem breviter traditur D. Thomas art. 5. his verbis: *Ad 3. dicendum; quod Crux non est capax adorationis, pro vt in se consideratur, vt dictum est: sed Beata Virgo secundundum se ipsam venerationis est capax. Et ideò non est similis ratio.* Vnde, si B. Virgini ob contactum ad Christi membra exhiberetur Latriæ cultus, cum ex se, & ratione suarum perfectionum sit capax adorationis; crederetur illi tribui propter se, & esset simplicibus idololatriæ occasio, vt ait Divus Thomas art. 3. ad 3. quia motus adorationis sisteret in homine, & non referretur in Deum, cui singulariter per se, & non alicui creaturæ Latriæ adoratio convenit.

Tertio argumento respondetur

23 Arguitur tertiò: Si aliæ Cruces ad similitudinem Crucis, in qua Christus pependit, factæ, adorarentur Latria, etiam omnes Clavi, omnes Lanceæ, &c. ob similitudinem cum Lancea, & Clavis Christi, deberent etiam adorari Latria; sed hoc est falsum, & invsitatum apud Christi fideles: ergo, &, quod omnes Cruces sint adorandæ eodem cultu, ac Crux Christi. ¶ Respondetur, negando sequelam: & disparitas stat in eo, quod Crux non solum est reliquia Christi ob illius contactum, sed etiam est vera illius, vt Redemptoris, imago; & ex hoc aliæ cruces similes habent, esse crucifixi imagines: at, Lancea, Clavi, &c. quæ Christi Corpus tetigerunt, non ha-

habent rationem imaginis Christi, sed tantum sunt illius reliquiæ; & ita, quæ ad eorum fiunt similitudinem, nequeunt Latria adorari; bene autem cruces, quæ ad similitudinem illius, in qua Christus pependit, fabricantur. Quæ solutio sumitur ex Divo Thoma loco citato, art. 4. vbi simili argumento sic ait: *Ista tamen* (loquitur de clavis, lancea, &c.) *non repræsentant imaginem Christi, sicut Crux, quæ dicitur signum filij hominis, quod apparebit in Cœlo, vt dicitur Matthæi 24. Ideò que mulieribus dixit Angelus: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, non dixit lanceatum, sed crucifixum. Et inde est, quod Crucem Christi veneramur in quacumque materia, non autem imaginem clavorum, vel quoruncumque huiusmodi.* ¶ Advertunt tamen Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 56. sect. 2. Azor loco citato, quæst. 2. Leand. quæst. 32. Bonac. à num. 8. & alij: quod, quando alij clavi sunt alicui cruci affixi, vel assumuntur ad repræsentandam Christi passionem, tunc adorare eis licet cultu Latriæ ob expressionem passionis Christi, quam repræsentant.

Duo valde notanda.

24 Sed nota primò: Quod notanter diximus, cruces ob similitudinem illius, in qua Christus crucifixus est, factas, esse adorandas cultu Latriæ, sicut adoratur Crux, in qua Christus pependit: quia, si non fiant ad illius similitudinem, sed per accidens formentur, sicut accidit, quando ex diversis lignis, aut paleis transversim in terra cadentibus fiunt; tunc adoranda non sunt, nec illicitum est, eas veluti alia ligna indiscriminatim calcare: quia, cum tales cruces non sint institutæ ad Christum, aut eius Crucem repræsentandum, non sunt formaliter, sed tantum materialiter cruces, & ideò, nec adorationem, aut venerationem vllam exposcunt. Nota secundò: Hanc esse differentiam inter Crucem Christi, & alias ad eius similitudinem factas, quod Crux Christi, & si in frustra dividatur, quælibet illius particula debet adorari; at, si aliæ crucis formam amittant, earum fragmenta adorari non debent. Et ratio est: quia Crux Christi adoratur, vt supra diximus, non solum vt imago, sed etiam vt insignis Christi reliquia, aliæ vero cruces tantum adorantur vt imagines; vnde amissa per divisionem hac sacra imagine, non habent motivum, quare adorationem mereantur: Crux vero Christi, adhuc amissa imaginis figura, remanet in ratione insignis eius reliquiæ; & ita adoratio Latriæ illi exhibenda est: quidquid in contrarium parum catholice dicat Durandus in 3. distinct. 9. quæst. 2. nam eius opinio sufficienter refellitur omnium Catholicorum praxi, qui diligenter aliquam illius precioſi ligni particulam quærunt, vt secum afferant, summo que cultu venerentur. Vt de suo tempore testatur D. Chrysostomus, Homil. Quod Christus sit Deus; his verbis: *Tanta veneratione lignum illud habetur, vt, qui parum ex illo habere possent, auro includant, & cervicibus imponant*: ergo falsum prorsus est Durandi dictum: & ita quælibet huius pretioſi ligni astula, etiam seorsim sumpta, Latria veneranda est.

25 Rogabis vltimò: An nomina Dei, Iesu-Christi, Mariæ, &c. adoranda sint eadem adoratione, ac eorum significata? Respondetur affirmativè: quia hæc sacra nomina significant personas, quæ sunt veneratione dignæ: ergo, sicut aliæ res, vt Crux Christi, & imagines Sanctorum, præcisè quia significant, aut repræsentant personas veneratione dignas, coluntur eadem adoratione, ac personæ repræsentatæ, idem dicendum est de his sacris nominibus. Ita docent Divus Thomas opusc. 60. art. 6. NN. Salmant. Scholast. tom. 10. tract. 21. disp. 37. num. 55. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 3. num. 9. Trullench lib. 1. cap. 9. dub. 7. num. 12. Vazq. in 3. part. disp. 108. cap. 11. & alij contra Sotum lib. 2. *de Iust. & Iure*, quæst. 4. art. 2. & Conradum lib. 1. quæst. 5. dub. 4. art. 2. ad 1. confirm. 7. argumenti.

Nomen Iesu, Mariæ, &c. adorandum est eodem cultu, ac eius significatum.

PUNCT. IV.

An aliqua adoratio tribui posſit Beatiſſimæ V. Mariæ, alijs que Sanctis, tam Angelis, quàm hominibus; & qualis hæc ſit?

26 POst adorationem debitam Deo, & Christo-Iesu, occurrit nobis veneratio Sanctis exhibenda: sed quia Beata V. M. omnes, sicut & dignitate, ita, & sanctitate præcellit, ideò de ea primo agendum nobis est. At, quia duplicem partem continet difficultas proposita, & prima æque omnibus competit, ideò ante omnia de ea differendum est. ¶ Sed nota, hic nobis sermonem tantum esse de Sanctis, quos constat certo, vel per sacram Scripturam, vel Ecclesiæ declarationem in Cœlo cum Christo regnare. ¶ Quo supposito: dicendum est primò: Omnes Sanctos esse aliqua adoratione venerandos. Hæc conclusio est de fide definita à Concilio Niceno II. actione 2. & 3. & à Tridentino sess. 25. ante cap. 1. sub titulo: *De invocatione, & veneratione, & reliquijs Sanctorum, & sacris imaginibus.* Patet etiam ex sacra Pagina: nam ex ea constat, Sanctos Angelos adoratos fuisse ab Abraham, Gen. 18. à Lot, Gen. 19. à Ioanne Evangelista, Apocalyps. 19. & 22. & alibi frequenter. Constat etiam ex Sanctis PP. quorum testimonia late, & erudite congerunt NN. Salmant. Scholast. tom. 10. disp. 36. dub. 1. Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 42. sect. 1. Vazquez *de Adoratione*, lib. 1. disp. 5. cap. 2. quos omnes Catholici sequuntur, quin opus sit nominatim eos supputare. Et probatur primò: Nam titulus, quare alicui debetur adoratio, est dignitas, eminentia, & excellentia personæ adoratæ: ob hæc enim ratio naturalis dictat, Deum à nobis esse supræmo cultu adorandum, & colendum; sed quilibet Angelus, vel Sanctus ratione gratiæ, & gloriæ habet dignitatem, & excellentiam superiorem ad omnes homines, cum sit amicus Dei, & Regni cœ-

Quilibet Sanctus alio quo cultu est venerandus.

lestis

Ieſtis poſſeſſor : ergo eis debetur aliqua ſpecialis adoratio. Secundò : Ideò hæretici Sanctorum adorationem negant, quia eam eſſe idololatriam, credunt ; ſed hoc eſt falſum, & mera impoſtura Catholicis adſcripta: ergo, &c. Minor ſuadetur ; nam idololatria tantum eſt, quando cultus ſupræmus Deo debitus creaturis tribuitur ; ſed Catholici non adoramus Sanctos ſupræmo cultu Deo debito, ſed alio longe inferiori, & creaturæ proprio iuxta menſuram creatæ ſanctitatis, & excellentiæ, vt ipſi hæretici non ignorant : ergo impoſtura eſt, garrire apud vulgum, Chriſtianos idololatriam committere, dum Sanctis debitum cultum exhibent.

Explicantur aliqua teſtimonia ſacræ Paginæ ab hæreticis ob iecta.

27 Ex quibus patet ad aliqua teſtimonia ſacræ Paginæ, quæ nobis hæretici obijciunt, in quibus dicitur, ſolum Deum eſſe adorandum ; vt Deut. 6. Matth. 4. & 1. ad Thimot. nam ibi loquitur de adoratione ſumma, ſeu Latriæ, quæ ſoli Deo debetur, non vero de alia inferiori creaturis danda. Et ſimiliter ſi aliqui Angeli, vt Apocal. 22. & Sancti, vt Divus Petrus. Act. 10. prohibuerunt, ſibi adorationem deferri, dicendum eſt, Angelum id feciſſe, non quia illam crederent illicitam, ſed ad manifeſtandam dignitatem Divi Ioannis, cum quo Angelus loquebatur : & quanti ab Angelis Apoſtolos, & Sacerdotes æſtimari : & Divum Petrum hanc à Centurione reſpuiſſe ex affectu humilitatis. Sic exponunt communiter SS. Scripturæ Interpretes, vt Divus Anſelmus, Beda, Rupertus, & alij.

Adoratio Sanctorum nō eſt actus Religionis, ſed duliæ.

28 Hic diſputant DD. cujus virtutis ſit actus, quo Sanctos adoramus ? Eſſe virtutis Religionis, affirmant Marſilius in 3. quæſt. 14. art. 1. ad 3. dubit. & Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 9. dub. 4. num. 6. & moventur ; quia eadem Charitate diligimus Deum, & proximum : ergo eadem Religione colimus Deum, & Sanctos, cum hi venerentur propter excellentiam à Deo conceſſam, & in ipſis vere Deus colatur. ¶ Sed tenendum eſt ; actum, quo Sanctos adoramus, non eſſe virtutis Religionis, ſed alterius, quæ dicitur *dulia*, aut ſupernaturalis obſervantia. Sic Divus Thom. 2. 2. quæſt. 84. art. 1. in corpore : vbi poſtquam ait ; Deo deberi reverentiam ob eius excellentiam, & creaturis ob gratias ab ipſo participatas, hæc profert : *Et ideò alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad Latriam ; & alia veneramur quaſdam excellentes creaturas, quod pertinet ad duliam.* Sed *dulia* eſt virtus diſtincta à *Latria*, ſeu Religione, vt probat idem S.D. quæſt. 103. art. 3. ergo actus, quo Sanctos veneramur, non eſt virtutis Religionis, ſed *duliæ*. ¶ Deinde hoc probatur ratione ex Divo Thoma loco immediate allegato deſumpta. Ubi eſt diverſa ratio debiti, diverſa virtus aſſignanda eſt ad illud ſolvendum ; ſed diverſa eſt ratio, qua adoratio Deo debetur, ab ea, qua debetur hominibus, cum Deo debeatur ob eminentiam divinam, & increatam ; hominibus vero ob excellentiam creatam : ergo diverſa virtus aſſignanda eſt. Vnde concludit Angelicus Doctor : *Et ideò dulia, quæ debitam ſervitutem exhibet homini dominanti, alia virtus eſt à Latria, quæ exhibet debitam ſervitutem divino domino. Et eſt quædam obſervantiæ ſpecies, &c.* D. Thomam ſequuntur eius diſcipuli, & communiter omnes Scholaſtici, tam in 2. 2. quàm in 3. part. & ex Moraliſtis Læſius *de Iuſtia*, cap. 26. dub. 3. num. 22. Palaus tract. 8. diſp. 1. punct. 2. n. 4. Leander tract. 7. diſp. 2. quæſt. 4. & alij.

Diſſolvitur contraria ſententia.

29 Ad argumentum contrarium conceſſo antecedenti, negatur conſequentia : & rationem diſparitatis tradit D. Thomas loco cit. his verbis : *Ad ſecundum dicendum ; quod ratio diligendi proximum, Deus eſt. Non enim per Charitatem diligimus in proximo niſi Deum. Et ideò eadem Charitas eſt, qua diligitur Deus, & proximus. Sunt tamen aliæ amicitiæ differentes à Charitate ſecundum alias rationes, quibus homines amantur. Et ſimiliter cum ſit alia ratio ſerviendi Deo, & homini, aut honorandi vtrumque, non eſt eadem virtus Latria, & dulia.* ¶ Cæterum ſi inſiſtant contrarij, quod Sanctos honorare poſſumus propter Deum, ſicut, & amamus, inficias non ibimus, tunc eadem virtute Religionis coli : ſed hic cultus non eſt Sanctorum proprius, &, qui illis ſolet exhiberi, & de quo in præſenti loquimur ; cum hic ſermo ſit de cultu non reſpectivo, ſed abſoluto, ſeu qui exhibetur Sanctis ratione propriæ excellentiæ, & dignitatis. Vnde, ſi adverſarij loquuntur de adoratione reſpectiva, quæ Sanctis tribui poteſt ob divinam excellentiam, quæ in eis relucet, fatebimur cum NN. Salmantic. Scholaſt. tom. 10. diſp. 36. num. 13. Palao num. 4. cit. Leand. tract. 7. diſp. 2. quæſt. 4. tunc Latria adorari poſſe ; & conſequenter actum adorationis eſſe proprium virtutis Religionis. Et ita loqui DD. contrarios, & vtramque ſententiam ad concordiam reduci, docent Auctores proximè relati.

Adoratio Sanctis debita eſt Dulia, ſed B. Virgini eſt tribuēda hiperdulia.

30 Ex dictis non obſcure conſtat deciſio ſecundæ partis quæſtionis, ſcilicet, qualis ſit adoratio, quæ Sanctis debetur : nam cum hæc nequeat, eſſe Latria, quia eſt ſolius Dei propria, debet eſſe alia inferior ; & cum hæc ſit dulia, ſequitur, hanc etiam eſſe adorationem Sanctis omnibus, tam Angelis, quàm hominibus debitam. Sic D. Thomas 2. 2. quæſt. 103. cit. & communiter Doctores ſupra citati. Qui etiam docent, quod, cum Beatiſsimæ V. M. longe, late que omnibus Angelis, & Sanctis, tam dignitate, quàm gratia, & virtutibus excellat, ei debetur adoratio etiam præ alijs excellens, quæ hyperdulia dicitur. Quæ ſatis expreſsit D. Thomas 3. part. quæſt. 25. art. 5. in corpore his verbis : *Cum igitur Beata V. M. ſit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio Latriæ, ſed ſolum veneratio duliæ : eminenter tamen quam cæteris creaturis, in quantum ipſa eſt Mater Dei. Et ideò dicitur, quod debetur ei non qualiſcumque dulia, ſed hyperdulia.* Idem refert in 3. ad Anibald. diſtinct. 9. quæſt. 2. art. 1. ad 3. An autem hæc ſingularis adoratio debeatur B. Virgini ratione maternitatis nude ſumptæ ; an vero ratione excellentis gratiæ habitualis ei cum alijs donis communicatæ ? Quæſtio pure ſcholaſtica eſt, quam late diſcutiunt

tiunt Theologi in 3. part. loco citato. Videantur NN. Salmantic. Scholast. disp. 36. tom. 10. dub. 3. à num. 29. qui recte asserunt; titulum dictæ adorationis non esse maternitatem Dei nude sumptam, sed excellentiam eius gratiæ habitualis, & aliorum bonorum spiritualium eminentiam. Qua propter actus, quo B. Mariam Virginem colimus non est actus virtutis Religionis, sed *duliæ*, licet excellentis, quæ ob id hyperdulia dicitur, quidquid dicat Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 22. sect. 3. volentis ad Latriam, vel ad aliam virtutem distinctam à *dulia* pertinere. ¶ Aliqua argumenta militant contra adorationem hyperduliæ Virgini appropriatam; sed, quia difficilia non sunt; & alias videri possunt in D. Thoma 3. part. quæst. 25. art. 5. nostris que Salmant. loco citato, à num. 36. ibi lectorem remittimus: & solum hic vnicum argumentum satis difficile militans contra hucusque dicta, subijciemus.

Replica satis difficilis.

31 Arguitur enim contra hucusque stabilita. Etenim irreverentia, vel iniuria B. V. Mariæ, alijs que Sanctis irrogata, est sacrilegium: ergo adoratio, seu reverentia ipsis exhibita est actus virtutis Religionis. Antecedens est Divi Thomæ 2.2. quæst. 99. maximè art. 3. vbi docet esse peccatum sacrilegij irreverentia facta, tam rebus sacris, quàm locis sacris, personis divino cultui dicatis, reliquijs Sanctorum, nec non eorum imaginibus vnde concludit: *Quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccet, crimen sacrilegij incurrit.* Ergo, &c. Consequentia patet; quia *contrariorum eadem est ratio*: ergo, si iniuria Sanctis irrogata est contra Religionem, seu sacrilegium; etiam iuxta eam erit reverentia illis exhibita: sicut, quia iniuria parentum est contra pietatem, eorum veneratio est prædictæ virtutis actus.

Solutio Vazquez vt improbabilis reijcitur.

32 Hoc argumentum, quod Theologorum ingenia non parum torquet, facillimo negotio diluit Vazq. tom. 1. in 3. part. quæst. 98. cap. 4. & *de Adoratione*, disp. 6. cap. 8. concedendo, quod iniuria facta Sanctis, & eorum reliquijs, nec non Clericis, alijs que sacris personis, non esse vere sacrilegium contra Religionis virtutem, sed peccatum contra duliam: & solum admittit, posse vocari sacrilegium, ne verbis communi sensui Ecclesiæ opponatur. Sed Pater Suarez tom. 1. *de Religione*, tract. 3. lib. 3 *de Sacrilegio*, cap. 6. n. 4. pagina 668. opinionem Vazq. referens sic ait: *Quo ad 1. vero partem* (quæ est de percussione Clerici, vel Religiosi, & de irreverentia facta reliquijs, & imaginibus Sanctorum) *videtur, esse contra communem modum loquendi, tam canonum in dicto cap. Siquis suadente; ibi sacrilegij reatum, quam Divi Thomæ, & reliquorum Auctorum, &c.* Vnde eam impugnat: & num. 5. concedit, talem irreverentiam esse proprie sacrilegium. ¶ Ioannes à S. Thoma 2.2. quæst. 81. (non 21, vt est error præli in NN. Salmanticensibus Scholast. tom. 10. tract. 21. disp. 36. num. 19. sicut vidimus in Originali, quod apud nos est, vbi recte citatur) disp. 25. dub. vnico sic eam suggillat, adhibita prius censura non magis dulci Magistri Torre. *Et merito: est enim singularis sententia contra sacros Canones, vt patebit, & contra omnes DD. tam Theologos Scholasticos, quàm Summistas, & Canonistas.* Nobis vero ad eam improbabilem iudicandam sufficit, esse contra Divum Thomam; quare, ea omissa, aliter ad argumentum respondetur.

Nota pro vera solutione.

33 Pro cuius solutione nota primò ex dictis supra: quod in B. V. & omnibus alijs Sanctis duplex eminentia, & dignitas invenitur: prima est propria, & personalis, orta ex singulorum gratijs, & virtutibus, ob quas digni sunt, vt ab hominibus aliquo cultu, scilicet *duliæ*, honorentur. Secunda est extrinseca, & respectiva, in quantum in eis singulariter relucet eminentia divina, quia sunt Dei templum, vbi per specialia dona inhabitat: & ex hoc motivo extrinseco eminentiæ increatæ sunt capaces, vt etiam ab hominibus Latria adorentur. ¶ Nota secundò ex NN. Salmant. Scholastici tom. 4. tr. 13. disp. 11. dub. 3. num. 55. & tract. 21. citato, à num. 22. & à nobis in hoc cursu dicta tract. 20. cap. 13. à num. 31. quod hæc est differentia inter obiectum bonum, & illicitum, (& idem dicendum est de circunstantijs vtriusque) quod obiectum bonum non aliter movere potest voluntatem, nisi quando directe, & expresse intenditur: è contra vero, obiectum illicitum nequit per se movere voluntatem, directe illud intendendo; sed tantum indirecte illud volendo. Et radix huius differentiæ provenit ex ipsa extrinseca ratione boni, & mali: quia bonum est per se appetibile, ac proinde non indiget alio intermedio, vt à voluntate intendatur, & ametur: malum vero non est per se appetibile, *nemo enim respiciens ad malum operatur*, nec vnquam quis ab ipsa ratione mali movetur; vnde tantum movet indirecte volitum, hoc est, apprehensum sub aliqua ratione boni delectabilis, falso tamen existimata. Qua propter, quia quælibet ratio malitiæ obiecti, est sufficiens ad retrahendam voluntatem à prosequtione illius, ideò hoc ipso, quod cognita vt talis, non retrahat appetitum, sed potius hic allectus bonitate, & delectabilitate aliqua apparenti in eam feratur, præeligens tali delectatione non carere potius, quam malitia illa non inquinari, dicitur ferri indirecte in talem deformitatem obiecti, & hoc etiam indirecte illum movere.

Extenditur doctrina, & exemplis confirmatur.

34 Ex quo provenit primo differentia supra assignata, scilicet, quod, vt obiectum bonum tribuat actui bonitatem, debet hic directe, & expresse in illud tendere: at, vt obiectum illicitum conferat illi malitiam, semper indirecte ab eo respici oportet. ¶ Secundò oritur; quod, vt à circunstantijs bonis obiecti liciti sumat actus bonitatis speciem, est necessarium non solum quod eas cognoscat, verum etiam, quod directe intendat: e contra vero, in circunstantijs pravis sat est, si post cognitionem illarum eas indirecte intendat; quod fit, quando ab obiecto illius non retrahitur appetitus. Quod quidem liquet exemplis ab omnibus receptis. Nam, qui colit Patrem, qui simul est Sacerdos, non

non quia Sacerdos, sed quia Pater tantum est; tunc ille actus habet speciem pietatis, non vero Religionis. E contra vero, si illum occidat, non quia Pater, aut Sacerdos, sed quia homo est, ille actus non solum esset contra iustitiam, sed etiam contra pietatem, & religionem. Similiter: siquis religiosæ elargiretur eleemosynam, non quia est Deo consecrata, sed quia pauper, ille actus solum esset virtutis misericordiæ, non vero religionis: at vero si ad eam turpiter accederet, non quia Deo consecrata, sed quia est virgo formosa, & gracilis, peccaret non solum contra castitatem, sed etiam contra religionem: ergo signum est satis evidens, quod actus bonus non sumit bonitatem à circunstantijs obiecti, nisi expresse eas intendat: at vero è contra actus malus à circunstantijs obiecti illicitis malitiam venatur, & si eas non expresse intendat, sed tantum implicite velit.

Diluitur argumentum.

35 Ex quibus iam constat ad argumentum, ad quod, concesso antecedenti, negatur consequentia. Et ratio disparitatis stat in eo, quod actus adorationis Sanctorum, est actus bonus; actus vero irreverentiæ, est actus pravus: de ratione vero actus boni est accipere speciem, & bonitatem non ab obiecto, & circunstantijs illius præcisè quia cognitis, sed tantum quia directe intentis: cum ergo actus, quo Sanctos adoramus, non directe intendat circunstantiam extrinsecam eminentiæ divinæ in eis relucentis, sed tantum personalem illorum dignitatem, ob quam digni per se sunt, vt ab hominibus honorentur, hinc est, quod solum accipiat speciem duliæ ratione propriæ dignitatis convenientis, non vero ratione Latriæ ex eminentia divina provenientis. ¶ At, è contra, de ratione actus mali, & illiciti, est accipere speciem ab obiecto, & ab omni illius circunstantia in eo cognita, quia ad id non requiritur, quod eam directe intendat, sed satis est, si indirecte vellit; ad quod sufficit, si postquam cognovit, eam adesse in obiecto, adhuc ab eius prosecutione non retardatur, quia hoc ipso eam amplectitur, & indirecte vult, quod sufficit, vt eius malitia inquinetur. Cum ergo Sancti habeant cum Deo specialem coniunctionem, & ratione illius sint digi, vt veneratione Latriæ ab hominibus honorentur; qui cum circunstantiæ huius scientia, & cognitione non retardatur ab inferendo illis iniuriam, & irreverentiam, vult omne, quod in tali obiecto est, iniuriare, & consequenter, iniuriam non solum Sanctis, verum & Deo infert: vnde talis actus non solum est contra Duliam, sed etiam contra Religionem, & ideò est verè, & propriè sacrilegium: esto actus adorationis eorum non pertineat, ob disparitatem assignatam, ad virtutem Religionis, sed præcisè maneat in specie duliæ.

Laus, qua defertur Mariæ, vt Mariæ laudabilis est.

36 Ex dictis in hoc puncto cognoscitur falsitas illius propositionis, ab Alexandro VIII. iuste damnatæ; quæ ordine est vigesima sexta, & ita se habet: *Laus, quæ defertur Mariæ, vt Mariæ, vana est.* Nam cum Beatissima Virgo Maria non solum quatenus Mater Dei est, sit digna honore, & laude, vt nuper dicebamus; verùm etiam quatenus gratia habituali, alijs que donis supernaturalibus ornata est; imò ob hanc rationem, vt num. 30. docuimus cum NN. Salmantic. Schola. est maiori laude, & honore digna; ideò iustissime Summus Ecclesiæ Pastor à finibus fidelium fulmine suæ censuræ dictam propositionem exulare fecit.

PUNCT. V.

Qui cultus exhibendus sit Sanctis canonizatis?

Cultus Duliæ est Sanctis deferendus.

37 PUncto præcedenti tantum resolvimus in communi, Sanctis omnibus cultum Latriæ esse exhibendum: nunc vero videndum est, quibus Sanctis hominibus talis cultus debeatur? Et à facilioribus incipiendo, dicendum est primò: Omnibus Sanctis ab Ecclesia canonizatis cultum publicum Duliæ deferendum esse. Quod sic breviter ostenditur. Nam canonizatio nihil aliud est, *quam publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate, & gloria alicuius hominis iam defuncti; & simul iudicium, & sententia, qua illi homini decernuntur honores, qui debentur his, qui cum Deo fœliciter regnant*; vt docet Bellarminus tom. 2. controvers. 4. lib. 1. *de Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum*, cap. 7. pagina mihi, 736. & ex illo Trullench lib. 1. cap. 9. dub. 4. num. 2. sed cultus publicus Sanctis debitus, est Duliæ, vt puncto antecedenti ostendimus: ergo talis cultus debetur Sanctis pro tota Ecclesia canonizatis.

Solus Pontifex potest canonizare.

38 Diximus *pro tota Ecclesia canonizatis*: quia licet antiquitus quilibet Episcopus posset canonizare aliquem Sanctum pro sua Diœcesi, aut Provintia, vt docent N. Uvaldensis lib. de Sacramentalibus, tit. 14. cap. 122. Ioan. à S. Thoma 2. 2. disp. 9. art. 2. vers. *Modus autem*, pag. 765. & Bellarm. tom. 2. controv. 4. lib. 1. *de Sanctis Beatificat.* cap. 8. tamen Alexander III. relatus in cap. *Audivimus, de Reliq. & venerat. Sanct.* videns aliqua inconvenientia ex hac permissione sequi, statuit, nullum posse de cætero pro Sancto, etiam si per eum miracula fiant, absque authoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. Vnde iam nec Episcopi, nec Concilium vniversale, sine authoritate Romani Pontificis possunt Sanctos pro aliqua Provintia, aut tota Ecclesia canonizare. Vt tenent S. Antonin. in Sum. part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 5. Tabiena verb. *Canonizatio*, 1. Bellarm. & Ioannes à S. Thoma locis relatis, Turrianus 2. 2. disp. 17. dub. 2. Azor Inst. part. 2. lib. 5. cap. 6. quæst. 1. Barbosa in dict. cap. *Audivimus*, num. 1. 3. & 8. ¶ Notandum vero hic primò est; quod S. Pontifex, qui primo Sanctos solemniter canonizavit, fuit Leo III. si fidem adhibeamus Surio tom. 2. cap. 9. relato à Bellarm. loco allegato, vbi ait. S. Suivertum ab eo fuisse solemniter canonizatum. Sed si Bullarium magnum Cherubini evolvamus, ex eo constat tom. 1.

pag. mihi, 43. quod Ioannes XV. fuit primus, qui S. Uldaricum Episcopum Sanctorum Cathalogo solemniter adscripsit : secundus fuit Paschalis II. qui Sanctum Petrum Episcopum Anagnini canonizavit : tertius fuit Innocentius II. qui S. Hugonem in numerum Sanctorum retulit. Et deinde alij Sum. Pontifices alios Sanctos solemniter canonizarunt, vt videre est in prædicto Cherubini Bullario, tam tom. 1. pag. 53. & 61. quàm in alijs sequentib. tomis. Vnde quot quot à prædictis temporibus vt Sancti ab Ecclesia publice venerantur, à solis Sum. Pontificibus sunt canonizati. ¶ Secundò notandum est; quod licet prædicta doctrina vera sit, tamen minime obest quo minus Sancti, qui antiquitus colebantur vel ex consuetudine Ecclesiæ, aut Episcopi approbatione ab vniversis Christi fidelibus, seu in aliquo Episcopatu tantum, nunc etiam eodem modo coli debent: quia creditur adesse approbatio tacita, aut expressa Sum. Pontificum, quæ idem valet, ac si solemniter nunc eos canonizarent.

Referuntur cultus, qui canonizatis tribui possunt.

39 Cultus ergo, qui Sanctis Canonizatis tribuuntur, hi sunt : Primò : Inscribuntur in Sanctorum Cathalogo, idest, decernitur, vt ab omnibus publice habeantur, & dicantur Sancti. Secundò : Invocantur in publicis Ecclesiæ precibus. Tertiò : In eorum memoriam aræ, & templa Deo dicantur. Quartò: Sacrificia Eucharistiæ, & precum, seu laudum, quæ vulgo *officium*, seu *horæ canonicæ* dicuntur, in eorum honorem, & venerationem Deo offeruntur. ¶ Sed hic notare libet cum Trullench lib. 1. *Decalog.* cap. 9. dub. 4. n. 2. quod licet ob prædictam solemnem canonizationem possit Ecclesia de Sanctis publice recitare, tamen ad hoc non tenetur, cum sint plures canonizati de quibus Ecclesia non recitat. ¶ Quintò : Dies festi in eorum memoriam celebrantur. ¶ Sextò : Pinguntur eorum imagines, addito certo quodam lumine in gloriæ signum, qua in cœlis gaudent. ¶ Septimò : Eorum reliquiæ preciosis thecis includuntur, & publice honorantur.

Nequit Pontifex in Sanctorum canonizatione errare.

40 Sed rogabis primò : An Pontifex in Sanctorum canonizatione possit errare? Affirmat Uvicleph, vt refert N. Thomas Uvaldensis tom. 3. *de Sacrament.* cap. 122. & Calvinistæ, omnes que Luterani, cum nullam infallibilitatem Pontifici tribuant. Sed verius negant omnes Catholici, maximè Divus Augustinus epist. 118. D. Bernard. epist. 174. Canus lib. 5. *de Locis*, cap. 5. q. 5. Bellarmin. cap. 9. Ioannes à S. Thoma tract. *de Authoritate Summi Pontificis*, disp. 9. art. 2. NN. Salmant. Scholast. tract. 17. *de Fide*, disp. 1. n. 149. & disp. 4. dub. 2. num. 46. (licet vtrobique obiter) & novissime Illust. & Excellentiss. Thom. de Rocaberti tom. 1. *de Romani Pontificis infallibilit.* lib. 1. per totum, maximè cap. 3. num. 207. Suarez *de Fide*, disp. 5. sect. 8. num. 8. Ferre *de Fide*, quæst. 13. §. 2. Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 1. dub. 7. & Torre 2. 2. disp. 16. dub. 3. sed pro omnibus satis est referre Divum Thomam, qui quodlibet. 9. art. 16. post quam dixit: *Quod canonizatio est medium inter iudicium Papæ de rebus fidei diffiniendo, & de particularibus factis, vt cum agitur de criminibus, & possessionibus.* Ita concludit : *Quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est; quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare potest.* Videantur alij Doctores apud Ioannes à S. Thoma. ¶ Et licet obijciant nobis quendam locum Divi Augustini, vbi dicitur : *Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehenna.* At hic locus in D. August. non invenitur, vt observat Bellarm. Vel, esto inveniatur, & talia verba essent tanti Doctoris, intelligenda sunt de impijs, quorum corpora supervisissimis sepulchris hic honorantur, & tamen eorum animæ in Inferno cremantur. Vnde in hoc apud orthodoxos nulla est controversia.

Aliqui sentiunt, esse de fide, quod S. Pontifex in canonizatione SS. non possit errare.

41 Gravior tamen difficultas est : An sit de fide, Summum Pontificem in canonizatione Sanctorum errare, non posse? Affirmant Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 1. part. 7. q. 6. §. 40. Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 4. num. 2. & Diana part. 11. tract. 2. res. 18. referrens Arriagam, Amicum, & alios. Et probatur; quia Sum. Pontif. in canonizatione Sanctorum, definit, & non præcisè declarat, vt de fide certum, eorum gloriam : ergo immediate de fide est, errare in his non posse. Consequentia patet, & antecedens suadetur: nam Leo X. in Bulla canonizationis S. Francisci de Paula sic ait : *Decernimus, & definimus inter Beatorum choros iam receptum, æternæque gloriæ condonatum fuisse.* Et in Bulla canonizationis S. Matris N. Theresiæ Gregorius XV. similiter loquitur per hæc verba : *Ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem, &c::: bonæ memoriæ Theresiam Virginem de Abula, de cuius sanctitate, fidei sinceritate, & miraculorum excellentia plene constabat, & constat, ac Sanctam esse definivimus, ac Sanctarum Virginum Cathalogo adscribendam decrebimus, pro vt præsentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus, illam que universos Christi fideles tanquam vere Sanctam honorare, & venerari mandavimus, & mandamus.* Idem que dicitur in canonizatione S. Catharinæ Senensis, S. Franciscæ Romanæ, S. Virgitæ, & aliarum : ergo non præcisè declarat, sed verè definit Sanctorum gloriam: ergo de fide est in tali definitione errare non posse. Deinde : de fide est, Pontificem errare non posse in legibus ad mores vniversalis Ecclesiæ expectantibus; sed talis est canonizatio, cum omnibus præcipiat, vt Dei amicum, & in cœlis existentem, Sanctum canonizatum venerari : ergo de fide est, in ea errare non posse.

Verius est, non esse de fide.

42 Negant, & melius, Doctores pro conclusione antecedenti n. 40. citati. Et probatur primò ex authoritate Divi Thomæ ibi relata : nam Divus Thomas in ea docet, quod inter decisionem rerum fidei, & sententiam circa particularia facta latam, medium tenet canonizatio Sanctorum : ergo sentit, quod non est de fide, sicut definitio eorum, quæ ad fidem attinent. ¶ Secundò; Nam, vt ait D. Tho-

Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 1. *Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quod à Deo revelatum est*; sed à Deo non est revelatum, Sanctum canonizatum esse in gloria: ergo, &c. ¶ Tertiò: Si fide divina crederemus, Sanctum canonizatum esse in gloria, etiam eadem fide teneremur credere, vera esse miracula, & virtutes, quibus Pontifex ad eum canonizandum motus est; sed hoc est falsum, cum à Deo ita esse revelatum non sit: ergo, &c. ¶ Quartò: Quando Papa Sanctum aliquem canonizat, non definit, eum esse Sanctum: ergo non est de fide, eum esse Sanctum: consequentia tenet; & antecedens conceditur ab aliquibus ex contrarijs: & insuper ostenditur; nam in Bulla canonizationis D. Thomæ Aquinatis ait Ioan. XXII. *Eum Sanctorum Confessorum Cathalogo duximus adscribendum.* Et in canonizatione S. Francisci: *Ipsum adscribi decrevimus Sanctorum Cathalogo venerandum.* In canonizatione S. Benedicti: *Eum Apostolicæ Sedicis authoritate Cathalogo Sanctorum adscribi mandabimus.* Et idem videri potest in Bulla canonizationis S. Bonaventuræ: ergo Summus Pontifex in Sanctorum canonizatione tantum gloriam æternam, & sanctitatem declarat, non vero vt de fide definit.

Est tamen erroneum, scãdalosum, impium, & sapiens hæresim, affirmare, Pontificem posse in ea errare.

43 Attamen, licet de fide non sit, Pontificem non posse errare in Sanctorum canonizationem; nihilominus omnes nostræ sententiæ DD. totis viribus defendunt, esse adeò certum, vt temerarium, impium, & scandalosum valde sit, imò & hæresim sapiens, dicere, quod Papa in ea possit errare. Quod vero sit temerarium, patet: quia est contra communem Theologorum, & fidelium opinionem, qui omnes vno ore profitentur sanctitatem, & beatitudinem omnis Sancti ab Ecclesia canonizati. Esset etiam impium: cum sit contra cultum Sanctis debitum. Esset scandalosum: quis enim scandalum non patietur, audiens, possibile esse, S. Augustinum, S. Thomam, S. Theresiam, &c. torqueri in inferno? Vnde Concil. Constantiense, sess. 8. simili censura invsit Uvicleph talia in animas D. Augustini, Benedicti, & Bernardi evomentem. Esset deinde sapiens hæresim: quia Papa errare non potest in ferendis legibus circa mores Ecclesiæ communes; sed maximè refert ad Ecclesiæ mores communes, quod non possit esse falsitas in Sanctis canonizandis, cum toti Ecclesiæ Sanctus proponatur adorandus, & colendus: ergo, qui hanc falsitatem adstruit, hæresim sapit. Deinde; quia, qui Sanctorum canonizationes diceret, non esse certas, valde labefactaret potestatem Pontificis ad eos canonizandos: nam re vera potestas fallibilis, vera potestas non est. Præterea: faveret hæreticis canonizationes vt vanas irridentibus, & abijcientibus: quod quidem hæresim sapit. Videantur Bannez, Ioannes à S. Thoma, Ferre, & alij citati.

Solutio primi argumenti.

44 Ad primum argumentum sententiæ contrariæ patet ex quarta probatione conclusionis, vbi vidimus, Summos Pontifices in Bullis canonizationis illorum Sanctorum, qui primo ab Ecclesia fuerunt solemniter canonizati, eorum sanctitatem, & gloriam non definisse, vt de fide tenendas; sed tantum eas declarasse, vt omnino certas omni certitudine possibili extra eam, quam affert fides. Nec obstat, Summos Pontifices aliquando in Bullis canonizationis Sanctorum, eorum gloriam, & sanctitatem declarasse per verbum *definimus*; quia tale verbum non accipiunt ibi pro definitione fidei, sed pro sententia vltimo definitivâ, & declarativa sanctitatis eorum, ad distinctionem Beatificationis, quæ non est vltimo definitiva, vt plures volunt: cum enim Pontifex in causa canonizationis se habeat, vt iudex, procedens iuxta allegata, & probata, quando profert sententiam, vltimo decidens prædictam causam, recte dicit *definimus*, hoc est, declaramus sententiam vltimo huius litis definitivam; nec aliud in prædictis verbis intendunt Pontifices, vt constat ex verbis positis in Bullis aliarum canonizationum, quæ supra retulimus.

Solutio secundi.

45 Ad secundum respondetur: Quod, licet de fide sit, Pontificem errare non posse in ferendis legibus vniversalibus ad mores Ecclesiæ pertinentibus, vt docent D. Antoninus 3. part. Summæ, tit. 12. Bannez art. 10. cit. dub. 6. Bellarminus lib. 4. *de Sum. Pontifice*, cap. 5. Suarez *de Fide*, disp. 5. sect. 8. à S. Thoma disp. 9. art. 3. & Ferre quæst. 13. §. 9. At in earum applicatione ad particulares personas prædicti DD. non illi tribuunt eandem fidei firmitatem. Canonizatio vero non est lex vniversalis, aut dogma commune fidei à Summo Pontif. pro tota Ecclesia latum, sed est quædam illius legis vniversalis particularis applicatio, determinando, hanc personam in particulari esse in gloria, & ita vt Sanctum colendum; cum ergo honor Sanctis exhibendus non pertineat immediate ad fidem, sed reductive, est enim fidei protestatio, vt docet Ang. Doct. opusc. cit. ideò de fide non est, Pontificem errare non posse in eorum canonizatione, sed tantum adeò certum, vt oppositum sit temerarium, impium, scandalosum, & sapiens hæresim. Videantur Authores citati.

PUNCT. VI.

De cultu deferendo Sancto Beatificato.

Quid sit Beatificatio declaratur?

46 HUcusque egimus de cultu exhibendo Sanctis canonizatis, nunc vero rectus ordo postulat, vt de eo, qui Beatificatis tribuendus sit, differamus. *Beatificati* nominis notitia, licet apud antiquos non habeatur, certum tamen est, derivari à nomine *Beatus*, quod fœlicitatem æternam significat, & hoc modo accipitur in præsenti; sed pro maiori illius intelligentia: Rogabis primò: Quid sit Beatificatio, & an à canonizatione essentialiter distinguatur? Vtrumque sub eodem quæsito inquirimus; quia vnius decisio ad alium viam parat. Dicimus ergo, quod Beatificatio non est vltimum Ecclesiæ iudicium de beatitudine illius, qui beatifica-

tur, ſicut canonizatio; ſed tantum eſt permiſſio, vel indulgentia Eccleſiæ, ſeu Pontificis alicui Provintiæ, vel Religioni conceſſa, vt poſsit aliquem Beatum nominare, & de eo officium recitare, Miſſam ve celebrare. Ita colligitur ex Cardinali Tuſcho verb. *Canonizatio*, concl. 41. Gloſſa in cap. 1. *de Reliquijs, & Veneratione Sanctorum*, Sylveſt. verb. *Canonizatio*, Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 9. dub. 5. num. 4. Palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 1. punct. 5. §. 5. num. 2. Ioan. à S. Thoma 2. 2. diſp. 9. art. 2. circa principium, & quæſt. 4. N. Lezana conſulto 1. à num. 49. N. Sylveira opuſc. 2. reſol. 15. quæſt. 2. plures alios referente. ¶ Concluſio non aliter melius probari poteſt, quam verbis Pontificum in Bullis pro Beatificationibus expeditis: nam in Bulla Beatificationis B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, & B. Franciſci de Borgia, ait Urbanus VIII. quod poſsint *Beati* vocari: & Miſſa, & officium in tali, vel tali loco de eis celebrari, & recitari. Et Clemens X. de Parente N. Beato Ioanne à Cruce Primo Diſcalceato, ſic ait in Bulla eius Beatificationis: *Tenore præſentium indulgemus, vt memoratus Dei ſervus Ioannes à Cruce in poſterum* Beati *nomine nuncupetur, eius que corpus, & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in proceſsionibus circunferatur) exponantur. Imagines quoque radijs, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eo quot annis die anniverſario fœlicis eius obitus recitetur officium, & Miſſa celebretur de confeſſore non Pontifice iuxta rubricas Breviarij, & Miſſalis Romani.* Ergo Beatificatio eſt indulgentia Pontificis conceſſa Provintiæ, aut Religioni determinatæ, vt poſsit aliquem hominem Beatum nominare, & vt talem colere, Miſſam que, & officium de eo recitare, & celebrare.

Beatificatio differt tantum accidentaliter à Canonizatione.

47 Ex quibus ſequitur, Beatificationem eſſentialiter à Canonizatione non diſtingui, ſed tantum accidentaliter, tanquam magis, & minus perfectum intra eandem ſpeciem. Et ratio eſt: tum: quia Beatificatio re ipſa nihil aliud eſt, niſi quædam particularis canonizatio; & ſic authores antiqui de vtraque indiſcriminatim loquuntur, & à modernis *ſemicanonizatio* dici ſolet. Tum etiam: quia eo ipſo, quod de aliquo Pontifex permittat, Miſſam celebrare, & vocari Beatum, fatetur, talem hominem gloria æterna certo cum Deo gaudere, & quaſi omnibus indulget, eum vt Sanctum venerari; cum nomine totius Eccleſiæ ſacrificium illud Deo offeratur: ac proinde videmus, quod fere idem cultus, qui Sanctis canonizatis exhibetur, deferatur etiam Beatificatis. Præterea; quia Beatificatio eſt proxima via ad canonizationem; & diligentiæ, quæ poſtea fiunt pro Canonizatione, non ſunt circa virtutes, & miracula Beatificati, quaſi dubitetur de eis, & an Beatificatus ſit in gloria æterna; ſed ad videndum, an perſeverent miracula, & fidelium cultus in veneratione Beati, vt ſic toti Eccleſiæ colendus proponatur. Deinde: quia omnes DD. etiam in hac concluſione nobis contrarij, docent; quod, ſicut in Canonizatione Pontifex errare nequit; ſic ſimiliter nec in Beatificatione; ne Eccleſiæ, vt Sanctus, proponatur venerandus, qui infallibiliter talis non ſit. Vel ad minus; temerarius, impius, ſapiens que hæreſim eſſet, qui negaret, Beatificatum eſſe in gloria, aut quod in hoc Pontifex poſſet errare, vt docent N. Sylveira opuſc. 2. quæſt. 4. Trullench dub. 5. citato, n. 5. Diana part. 12. tract. 2. reſol. 2. Leand. quæſt. 28. & alij communiter apud ipſos: ergo ſignum eſt, tantum tanquam quid perfectum, & imperfectum intra eandem ſpeciem Beatificationem à Canonizatione differri. Ita tenent Carena tract. *de Offic. S. Inquiſit.* part. 2. tit. 17. §. 12. Palaus tom. 1. tract. 4. diſp. 1. punct. 5. §. 5. num. 2. Trullench num. 5. Verricelli in Quæſt. Moral. tract. 8. quæſt. 25. N. Lezana conſulto 1. à num. 50. & alij.

Beatus poſſit appellari Sanctus, & è contra.

48 Rogabis ſecundò: An Beatus poſsit appellari Sanctus? Et videtur, quod non; quia in Bullis beatificationum ſolum conceditur facultas, eos Beatos appellandi: ergo extendi nequit, ad eos Sanctos nominandos. ¶ Sed nihilominus tenendum eſt, Beatos poſſe, appellari abſolute Sanctos. Et ratio eſt: tum: quia Vrbanus VIII. S. Petrum Nolaſcum in bulla beatificationis eum Sanctum appellat. Tum: quia in orationibus ſecretis Miſſæ de communi Confeſſoris Pontificis, aut non Pontificis Sanctos eos appellat Eccleſia; ſed iſtæ Miſſæ ſolent, vt in plurimum, de Beatis, ex conceſsione Pontificis celebrari, quando Beatus eſt Pontifex, aut Confeſſor, vt num. 46. vidimus de N. Beato Ioanni à Cruce: ergo, &c. Denique: quia hoc nomen *Sanctus* idem ſignificare videtur, ac *Beatus*, cum hoc tantum dicat, animam illius eſſe in cœlo, æternaque beatitudine frui, quod abſque eo, quod Sancta ſit, fieri nequit: ergo idem eſt, dicere *Beatus*, ac *Sanctus*, ac proinde indiſcriminatim vtroque nomine appellare eum licet. Ita Turrianus 2. 2. diſp. 17. dub. 8. Trullench num. 11. Sylveira num. 59. & Leander quæſt. 9. Qui omnes admittunt, quod hoc nomine *Sanctus* vtendum in præſenti non eſt, ad ſignificandum eſſe canonizatum illum, qui præcisè beatificatus eſt, quia hoc iam tunc illicitum eſſet.

Solum cultus à Sede Apoſtolica conceſsi Beatificatis poſſunt illis tribui, & non alij.

49 Rogabis tertiò: An aliqui cultus publici diſtincti ab his, qui in bulla beatificationis permittuntur, poſsit Beatificatis exhiberi? Affirmant aliqui, quos ſuppreſſo nomine citat Luyſus Turrianus 2. 2. diſp. 17. dub. 8. & ſequitur Leander quæſt. 8. & innuere videtur Ioan. à S. Thoma diſp. 9. art. 1. ¶ *De cultu erga Beatificatos in fine.* Et ratio eſt: quia, hoc ipſo, quod tales cultus in bulla non reſtringantur, licite poſſunt, ſicut canonizatis deferri. ¶ Sed contrarium omnino tenendum eſt, niſi ſint cultus implicite in alijs ex conceſſis contenti: cuius ratio eſt: quia hoc ipſo quod Sum. Pontif. eos non expreſſerit, virtualiter noluit concedere, ne Beatificatos Canonizatis faceret pares: ergo, &c. Deinde: quia ita docet S. Congregationis ſequens decretum, quod affert Diana part. 12. tract. 2. reſolut. 21. his verbis: *Sacra Rituum Congregatio* die 5. Octob. 1652. *cenſuit, & declaravit, ſi Sanctiſsimo Domino noſtro placuerit, non potuiſſe, nec poſſe tam ſæculares, quàm Regulares cuiuſcunque Or-*

Ordinis, & instituti etiam Societatis Iesu excedere limites indultorum Sedis Apostolicæ super Beatificationibus, præsertim in celebratione Missarum, & officij cum octavis, nisi hoc expresse Sedes Apostolica eis indulserit. Et facta relatione per me Cardinalem Cornelium Episc. Alban. die 16. Decemb. 1652. Sanctitas sua approbavit, & sic, vt præmittitur, servari, mandavit. Ergo ex hoc decreto ab Inn. X. approbato iam opposita sententia substineri nequit. Sic Diana part. 12. tract. 2. resol. 21. Trullench num. 11. Rocaphal lib. 2. *in Decal.* cap. 8. num. 53. Molphes. tom. 1. Sum. tract. 11. cap. 6. num. 51. Turrianus 2. 2. disp. 17. dub. 8. & alij.

Sunt, qui asserant, posse dici de Sancto beatificato Missam votivam.

50 Ex quibus sequitur primò: falsam esse sententiam Palai tract. 4. disp. 1. punct. 5. numer. 6. Tamburini *Opusc. de Sacrificio Missæ*, lib. 2. cap. 6. §. 8. num. 15. & Quintana Dueñas tom. 1. tract. 6. singular. 5. num. 2. asserentium, quod, quando conceditur certis personis facultas celebrandi Missam, aut recitandi officium canonicum de aliquo Beato, potest quilibet alius Sacerdos de eo Missam votivam dicere. Et moventur; quia hoc ipso, quod Ecclesia eum indicaverit dignum, vt ad talis Beati gloriam sacrificium offeratur, similiter iudicavit, quenlibet Sacerdotem pro sua devotione posse, ei similem honorem exhibere, cum eo ipso dignus sit Beatus non vna, sed pluribus Missis, & de materiali est, quod vna, vel plures de eodem Beato dicantur Missæ: vnde tunc iam non veneratur honore publico absque Sedis Apostolicæ facultate, quod prohibetur in cap. 1. *de reliquijs, & veneratione Sanctorum.* Sed ex eiusdem Sedis authoritate satis manifesta in illa permissione, quod de tali Beato Missa celebretur.

Verius est oppositum.

51 Sed hæc sententia ex prædicto decreto constat, falsam esse: & ante, & post illud vt talem impugnant Torres 2. 2. disp. 17. dub. 8. Turrianns 2. 2. disp. 17. & dub. 8. Pellizarus tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 126. Trullench lib. 1. *in Decalogi* cap. 9. dub. 5. num. 9. & 10. Ioan. à S. Thoma 2. 2. disp. 9. art. 1. quæst. 5. sequela penultima, Diana part. 12. tract. 2. resolut. 21. N. Sylveira opusc. 2. num. 8. & alij. Et ratio est: quia vt constat ex decreto Sacræ Congregationis supra relato, cultus Sancti Beatificati omnibus est prohibitus, nisi quibus expresse conceditur à Sede Apostolica: quod etiam non obscure tradit Alexand. III. in cap. *Audivimus de consecratione*: vbi prohibet sine authoritate Sum. Pontificis aliquem pro Sancto venerari: ergo his, quibus expresse non conceditur de Sancto Beatificato Missam celebrare, sine authoritate S. Pontificis talem honorem, & cultum illi tribuunt. Deinde: quia *ex leg. Cum prætor. ff. de Iudic. & leg. Mart.* cap. *de Procurat. inclusio vnius, est alterius exclusio*: sed in bullis Beatificationis semper conceditur Missam celebrari, includendo, & determinando personas, & locum: ergo alia non expressa manent formaliter exclusa. Prætereà: si vera esset sententia contraria, in nullo distingueretur Beatificatio à Canonizatione, cum nil aliud habeant canonizati, quam quod eorum cultus ad nullos restringatur: ergo dicendum est, tantum licere, Missam celebrare, & officium recitare de Beatificato, eo modo, loco, & tempore, & à personis, quomodo, & quibus à Sede Apostolica conceditur. Videatur Torres, qui affert declarationem S. Congregationis decernentis, à nullo posse, Missam votivam de Sancto Beatificato celebrare. Ex dictis patet ad rationem sententiæ contrariæ: & insuper addit Diana apud Prado num. 20. *Et ideò ex his omnibus opinio Castri Palai, quam contra me sequitur Megalius, à Reverendissimo Magistro Sacri Palatij Romæ admissa non fuit, & liber ille ibi anno præterito venalis non erat.*

De cultu à Sede Apostolica concesso pro die festo B. P. N. Ioannis à Cruce.

52 Sed hic extra chorum non erit, referre licentiam satis amplam, quam Clemens X. tam nostro Ordini, quàm alijs fidelibus Christianis circa Missæ celebrationem, & officij divini recitationem de B. P. N. Ioanne à Cruce elargitus est, vt omnibus patefiat, ne trepident timore, vbi non erat timor. Dicit ergo Summus Pontifex in bulla beatificationis B. P. N. Ioannis à Cruce. *Porro recitationem officij, ac Missæ celebrationem huiusmodi fieri concedimus in locis duntaxat infra scriptis, videlicet, in loco de Hontiveros, vbi dictus servus Dei natus est: in loco de Vbeda, in quo spiritum creatori reddidit, & in Civitate Segovienſi, vbi venerabile eius corpus quievit, ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus tam sæcularibus, quàm regularibus, qui ad horas canonicas tenentur; ac in tota Religione prædicta Carmelitarum Excalceatorum, vniverſo que Ordine supradicto Beatæ Mariæ de Monte Carmelo tam fratrum, quàm monialium: & quantum ad Missas attinet, etiam à Sacerdotibus ad Ecclesias Religionis, & ordinis huiusmodi confluentibus.* In quibus verbis solum notandum venit, quod in locis de Hontiveros, de Vbeda, & in Civitate Segovienſi, omnes Sacerdotes tam sæculares, quàm regulares possunt de Beato Patre N. Ioanne à Cruce officium divinum recitare, & missam etiam in proprijs Ecclesijs celebrare: at vero, in alijs civitatibus, & locis, tam Religiosi nostri, quàm Sacerdotes sæculares, tantum possunt missam de eo celebrare in nostri Ordinis tam fratrum, quàm Monialium Ecclesijs; minime tamen poterunt de eo officium divinum sæculares recitare: quia primum tantum concedit Sum. Pontifex in prædictis verbis: & id ipsum in simili casu docet Leander tract. 7. disp. 2. quæst. 12.

¶ Nota tamen: quod primò concessum est in prædicta bulla, dictum officium recitari sub ritu duplici maiori: postea vero anno 1677. die 16. Ianuarij pro ordine Carmelitarum vtriusque sexus Sacra Congregatio concesit proprias lectiones de 2. nocturno sub ritu duplici secundæ classis: & insuper apponi in Martyrologio Ordinis, vt constat ex decreto relato in Quinterno Sanctorum Carmelitarum pro nostra Discalceata Familia concesso.

Nequit Sacerdos de Beatificato celebrare, etiam rogatus ab

53 Sequitur secundò: Falsam esse opinionem Granadi asserentis 2. 2. controvers. de Fide 1. tract. 7. disp. 4. sect. 2. num. 16. Sacerdotem, cui non est concessa facultas celebrandi de Beatificato, posse de eo celebrare, si id ab eo postulent Religiosi, vel Sacerdotes, qui-

his, qui licentiam celebranbi habent.

quibus ea potestas celebrandi concessa est, vt si ab eo exigerent, quod Missam solemnem cantaret. Et movetur ex illa regula 72. de regulis iuris, in 6. *Qui facit per alium, per inde est, ac si faciat per se ipsum.* Ergo qui licentiam habet celebrandi in honorem alicuius Beati, consequenter censetur habere vt per alium celebret. ¶ Hæc ergo opinio falsa est: quia iam in prædicto casu talis Sacerdos sine facultate S. Pontificis cultum Beatificato tribueret; & in hac materia standum est præcisè verbis concessionis, & quantum sonat licentia, vel concessio expressa, sine qua ex prohibitione iuris communis non licet aliquis cultus publicus alicui personæ deferri. Et ex his patet ad rationem dubitandi ex regula 72. iuris desumpta, quæ solum viget, dum non adest decretum iuris communis illi contrarium. Ita Ioannes à S. Thom. 2. 2. disp. 9. art. 1. quæst. 5. sequel. 2. Turrian. 2. 2. disp. 17. dub. 8. Trullench *in Decalog.* lib. 1. cap. 9. dub. 5. num. 9. Diana 4. part. tract. 4. ref. 231. N. Lezana consult. 2. num. 8. & alij communiter.

Peccat mortaliter, qui celebraret de Beato in Ecclesia non designata.

54 Sequitur tertiò: Contra eundem Granadum loc. cit. num. 17. quod Sacerdos, qui in alijs Ecclesijs ab assignatis à S. Pontifice semel, aut bis celebraret de Beatificato, peccaret mortaliter; quia loci mutatio, etiam si semel fiat, est gravis inordinatio, & transgressio decreti S. Pontificis in re gravissima: ergo non levis, sed gravis culpa est. Ita Diana part. 4. tract. 4. resol. 231. Leander tract. 7. disp. 2. quæst. 18. Trullench loco citato, & alij. ¶ Notat vero hic Ioannes à S. Thom. quod si concedatur cultus Beatificati cum restrictione ex parte loci, v. g. quod in hac tantum Ecclesia Missa de Beatificato tali die celebretur, & nihil exprimat circa restrictionem Personarum, tunc omnes Sacerdotes Regulares, & Sæculares possunt ibi celebrare de Sancto Beatificato: *Quia vbi ius non restringit, nec nos*, maximè in favoralibus, *restringere debemus.*

Sententia docens posse transferri officium, & Missam de S. Beatificato in primam diem non impeditam.

55 Sed rogabis hic: An si in die à Sede Apostolica assignato pro cultu, & solemnitate Missæ, & officij canonici celebrandis de aliquo Beatificato, exempli gratia, de Beato P. N. Ioanne à Cruce, cui assignata est dies decima quarta Decembris, ocurrat alia maior solemnitas, scilicet Dominica aliqua Adventus; possit tunc in aliam diem non occupatam talis cultus transferri? Affirmant Ioannes à S. Thom. loc. relat. §. *Nihilominus*, Magister Prado tom. 2. cap. 30. quæst. 7. §. 2. num. 28. Leander tract. 7. disp. 2. q. 20. Baldill. tom. 2. lib. 3. disp. 12. num. 17. 18. & 19. & alij apud ipsum. Et moventur primò: Quia concessio S. Pontificis de celebratione Missæ, & officij communiter exprimit ea fieri debere iuxta Rubricas Missalis, & Breviarij Romani; sed iuxta eas, quando occurrit alia maior solemnitas, ea, quæ est minor transfertur in aliam diem non impeditam: ergo sic fieri debet in casu præsenti. ¶ Secundò: Quia vt ait Ioannes à S. Thom. etiam si non exprimatur, talis concessio intelligenda est iuxta communes Rubricas: ergo officium, & Missa transferri debent. ¶ Tertiò: Quia intentio S. Pontificis in dicta concessione per se solum respicit, quod tantum vno die Missa, & officium canonicum de S. Beatificato celebrentur; sed hoc consequitur, etiam si dicta festivitas in alium diem transferatur: ergo, &c. ¶ Denique: quia cum favores sint ampliandi, celebratio diei proprij non est intelligenda stricte, & mathematice secundum computum mensis, sed secundum modum celebrationis Ecclesiæ; sed Ecclesia, quando impeditur aliqua solemnitas, eam transfert tanquam in proprium diem in primum non occupatum: ergo propria dies, & vt talis à Pontifice assignata, intelligenda est illa, in quam transfertur iuxta Rubricas communes celebratio solemnitatis alicuius Beati. Idem docet N. Sylveira opusc. 2, resol. 15. quæst. 6. num. 46.

Opinio præcedenti contraria.

56 Negant vero apud Leandrum Granadus supra relatus num. 18. & Diana part. 10. tract. 2. resol. 21. Quibus adhærere videntur N. Lezana consulto 2. num. 8. Turrian. loc. cit. quatenus docet, non posse fieri officium, nec celebrari Missam de Beato, nisi eo die, qui designatur in Bulla Beatificationis. Quæ sententia probari potest: quia supposita prohibitione iuris communis, talis facultas est quasi privilegium; sed privilegium est stricti iuris, & non operatur vltra formam suæ concessionis: ergo transacto die in dicta concessione designato, cessat licentia celebrandi solemnitatem Beati. Confirmatur: quia, teste Turriano, S. Rit. Congregatio prohibuit celebrare Missam votivam de Beatificato; sed in nostro casu Missa celebrata in die translationis videtur esse votiva: ergo tali die celebrari nequit.

Amplectitur prima sententia, & argumentis contrarijs fit satis.

57 His non obstantibus amplectenda est prima sententia. Primò: Ob motiva ibi insinuata. ¶ Secundò: Quia in Bulla Beatificationis S. P. N. Ioannis à Cruce conceditur, vt *De eo quot annis die anniversario fœlicis eius obitus recitetur officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice iuxta Rubricas Breviarij, & Missalis Romani*: ergo iuxta has potest transferri. ¶ Denique: quia Eminent. Cardinalis Petrutius, vir æque religiosus, ac doctus, & vnus ex S. Rit. Congregatione, consultus super hoc à NN. Religiosis anno 1698. respondit, licite posse iuxta verba relata Bullæ Beatificationis Missam, & officium canonicum in primam diem non impeditam transferri; quapropter, sic observatum est, tam Romæ, quàm in Hispania à tota nostra Discalceata Familia. ¶ Ex quibus patet ad motiva contraria. Tum: quia falsum est, dictam facultatem esse privilegium, cum ius commune non prohibeat, Beatos colere cum licentia Sum. Pontificis. Tum etiam: quia Missa in die translationis celebrata nequit dici proprie votiva, vt constat ex dictis. ¶ An tunc dici possit Missa solemnis die Dominica, affirmare non audeo, cum bis in anno de Beato Missa diceretur, quod videtur esse contra mente m Pontificis. Tutius tamen est, ait Ioan. à S. Thom. consulere S. Rit. Congregationem.

Nota

Die P. N. B. Ioannis à Cruce omnibus fidelibus noviſſime conceditur indulgentia plenaria.

58 Nota tamen: quod Summus Pontifex Clemens XI. anno 1709. die 30. Maij dedit decretum duraturum per ſeptenium, in quo conceſsit indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum omnibus vtriuſque ſexus fidelibus, qui poſt confeſsionem, & communionem die 14. Decembris, in quo feſtum B. P. N. Ioannis à Cruce celebratur, noſtras Eccleſias viſitaverint, Deum que devote pro hæreſum extirpatione, Sanctæ Fidei Catholicæ exaltatione, & augmento oraverint.

Non licet Beatificati reliquias in proceſsione deferri, nec ipſum in litanijs invocari.

59 Sequitur quartò: Beatificatorum reliquias non poſſe in ſolemni proceſsione deferri, nec eos in publicis litanijs invocari. Primum, maxime de B.P.N.Ioanne à Cruce, conſtat ex verbis Bullæ, ibi dicitur: *Eiuſque corpus, & reliquiæ veneration fidelium (non tamen in proceſsionibus circunferenda) exponantur.* Et de alijs docet N.Sylveir.ref.15.opuſc. 2. q.8.n.58. Et ratio eſt: quia hoc eſt proprium Canonizatorum: quidquid in contrarium inclinari videatur Ioannes à S. Thoma 2. 2. diſp. 9. art. 1. *quinto quæritur*, in fine verſu *Denique*, quem ſequitur Leander tract.7.diſput. 2. quæſt. 23. referens alios, ſed non recte, cum in caſu quæſtionis non loquantur. ¶ Secundum vero, circa invocationem in publicis litanijs, docent Ioannes à S. Thoma loco citato. Diana 3.part.tract.5. miſcellan. ref.9.referens Portelium in additionibus ad dubia regularia, verbo *Reliquiæ Sanctorum*, n.11. Caſtellinum *de Canonizatione Sanct.* cap.2. punct.6. §. 2. Et ratio eſt: quia hoc eſt Canonizatorum proprium, cum Sum. Pontifex tantum in Canonizatione eos in litania nominet: & in hac materia facultates Summi Pontificis potius reſtringendas eſſe, quam laxandas recte docet ex Caſtellino relatus Diana; Quidquid in contrarium Trullench lib.1. cap.9. dub.5. numer. 11. in fine ſcrupuloſe ſentiat, & expreſſe teneat Leand. quæſt.11. agens de Beatificato, de quo dicit: *Quod licitum eſt invocari in publicis litanijs, Beatificatum eo die, quo eſt conceſſum, vt de illo dicatur Miſſa, & officium; minimè vero in alijs, in quibus eſt id prohibitum.* Et rationem tradit: quia cum Miſſa, & Officium ex genere ſuo maius ſit quam invocatio in publicis litanijs, Pontifex, qui expreſſe primum concedit, ſecundum implicitè concedere videtur. Vnde prius quæſtione 10. antecedenti docet, quod de Sancto Beatificato, de quo in decreto ſuæ beatificationis non fuerit expreſſum, vt de illo dicatur Miſſa, aut recitetur Officium: *vt contigit* (verba ſunt huius Doctoris) *in beatificatione Ludovici Gonzaga è Societate Ieſu, qui beatificatus fuit ſola conceſsione, vt beatus appellari poſſet, abſque conceſsione recitandi officium de illo, aut Miſſam celebrandi.* Nequit in publicis litanijs invocari: quia in dicto caſu extenderetur facultas à Sum.Pontifice conceſſa. ¶ Sed motivum Leandri contra ſecundam partem noſtri aſſerti ineficax eſt; cum prædicta invocatio in litanijs, licet minor cultus, connexa non ſit cum celebratione Miſſæ, & Officij Divini, quam expreſſe Summus Pontifex concedit; & in hac materia, vt ipſe non ſemel ait, maxime quæſt. 10. habenæ non ſunt laxandæ, ſed potius facultates pontificiæ reſtringendæ ſunt: & tantum in eis expreſſa, & cum his eſſentialiter connexa, ſunt exequenda. ¶ Sed hic expedit notare; quod Gregorius XV. in bulla, quæ incipit: *In Sede Principis Apoſtolorum, &c.* data die 2. Octobris, anno 1621. concedit Religioſis Societatis Ieſu, vt de prædicto Beato Ludovico Gonzaga iuxta Rubricas Miſſalis, & Breviarij Romani Officium, & Miſſam licite recitare, & celebrare valeant: Vt habetur in Bullario Magno Cherubini tom. 3. pagin. 289. Vnde capere non valeo quare prædicta protulerit Leander?

Poteſt in cultum Beatificati erigi altare, ſeu capella, non vero templum dedicari.

60 Sequitur quintò: Poſſe erigi altare, vel Capellam in Beatificati honorem; & in eo eius ſtatuam collocari. Et ratio eſt: quia Sacrificium Miſſæ eſſentialiter connectitur cum altari, nam ſine altari nequit Miſſa celebrari; ſed altare poſtulat tunc imaginem illius, in cuius honorem Deo offertur ſacrificium, vt ſic ſpeciali ſigno honoris cognoſcatur, cui talis cultus publicus exhibetur; tum & capellam ad eius ornatum, & decentiam: ergo altare, ſeu capella poteſt erigi in Beatificati honorem, & in eo eius imago collocari. Ex quo oritur; quod potiori titulo, ibi collocari, & exponi poſſunt corpus, & reliquiæ prædicti Beati. Ita Ioan.à S.Thoma loco citato. Leand. q. 23. Sylveir. opuſc.2.ref.15.q.8. Angelus Maria tr.8. q.23. Granadus tract.7.diſp.4.ſect.1. n. 12. Turrianus citatus dub.7. & 8. Amicus tom. 5. diſput. 7. ſect. 4. & apud Sylveiram loco citato Granadus 2. 2. controverſ. 1. tract.7. diſp.4. ſect. 2. Qui omnes recte aſſerunt, quod in Beatificati honorem poteſt erigi altare, aut capella, non vero ei templum dedicari. Et ratio eſt: quia Sedes Apoſtolica ſolum concedit in honorem Beatificati Miſſam celebrari; ſed ad hoc ſufficit dedicatio altaris, & non requiritur erectio templi: ergo extra conceſsionem Sedis Apoſtolicæ eſt, Beatificatis templa dedicare. Quod clarius conſtat ex decreto ſequenti ſacræ Rituum Congreg. ſuper electione Sanctorum in Patronos de ordine Sanctiſsimi D.N.Vrbanij VIII. emanato die 23. Martij 1630. quod refert Gabantus Commentarijs in Rubricas Breviarij ſect.3. cap.12. pagin.45. his verbis: *Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctiſsimo D. N. in electione Patronum mandavit, infraſcripta in poſterum ſervari, declarans, quod aliter facta electio, nulla ſit ipſo iure. Primò, quod eligi poſsint in Patronos ij ſolum, qui ab Eccleſia vniverſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati duntaxat. Secundò, &c.* hic ponit tres alias conditiones, & denique dicti decreti finem, qui ita ſe habet: *Et ne præmiſſorum ignorantia vllo vnquam tempore poſſit allegari, eadem Sacra Rituum Congregatio ſupradictum decretum imprimi, & publicari mandavit, &c.*

Beatificati poſſunt radijs, & ſplendoribus depingi.

61 Sequitur ſextò: Poſſe Beatificatos depingi cum radijs, & ſplendoribus. Sic Granado citatus, diſp. 4. num. 12. Leander q. 23. Ioan.à S.Thom. diſp.9.citata, art.1. §. *Quinto quæritur*: quia hoc connectitur cum eo, quod concedit Eccleſia ſcilicet *eſſe talem hominum Beatum, & in gloria exiſtere*: decens enim eſt,

est,-quod hic cultus, & honor aliquo signo externo patefiat, vt per illud à reliquijs non Beatificatis distinguatur; sed hoc aptius declarari nequit, quam eius imagines radijs decorari: ergo, etiam si in aliqua Bulla Beatificationis non exprimatur, ita depingi possunt. Quod quidem, an in aliqua Bulla alicuius Beatificationis non sit expressum, nos latet: in Bulla autem Parentis N. Ioannis à Cruce his verbis exprimitur: *Imagines quoque radijs, seu splendoribus exornentur.*

Non licet prævenire diem solénitati Beatificatorú designatum.

62 Sequitur septimò, & vltimò contra Granadum: Quod, quando ad nos pervenit notitia, quod Sedes Apostolica aliquem Beatum, vt talem Romæ declaravit, indulsit que, vt de eo Missa tali die celebretur, tunc, non licet ante præfixum diem, & si longe distet, de eo Missam dicere: quia hoc esset, colere Beatum die à Sede Apostolica non designato, quod, vt constat, illicitum est, nec praxis, vt falso ait Granad. contrarium testatur: imò nostram potius resolutionem corroborat; nam, vt dicunt Diana part. 4. tract. 4. resol. 231. & Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 9. dub. 5. n. 9. praxis Ecclesiæ est, quod, dum innotescit Pontificis diploma de Beatificatione alicuius Sancti, tunc non celebrantur Missæ, sed tantum pulsantur campanæ, & cum præsentia Episcopi cantatur solemniter hymnus: *Te Deum laudamus, &c.* ante imaginem, & altare Beatificati, & in fine dicitur eius oratio, vel de communi. Et ita factum est à Patribus Societatis in Beatificatione B. Francisci de Borgia; & à Clericis Regularibus in Beatificationibus B. Caietani, & B. Andreæ: & sic etiam nostra Discalceata Familia egit in Beatificatione B. P. N. Ioannis à Cruce: nec aliam praxim aliquando audivimus, nec vidimus: imò in Bulla Beatificationis Parentis N. præcipitur, quod solemnia Beatificationis illius celebrentur sub ritu duplicis maioris cum officio, & Missa primo anno à datis litteris Apostolicis: ergo falsum est, quod, dum primo advenit notitia Beatificationis, tunc quasi pro initio solemnitatis possit, ante diem à Pontifice præfixum, de Beato Missam celebrare.

PUNCT. VII.

Quis cultus sacer tribui potest viris, aut fœminis cum opinione sanctitatis demortuis, nondum tamen ab Ecclesia beatificatis, vel canonizatis?

Discrimen inter cultum publicum, & privatum.

63 POstquam disseruimus, qui sacer cultus Sanctis Canonizatis, aut Beatificatis deferri possit, & debeat; rectus ordo exigit explicare, quis alijs hominibus, vel fœminis cum signis sanctitatis decedentibus, licite exhibendus sit? Pro quo notandum est; quid sit cultus publicus, & quid privatus, nam ex eius notitia non mediocrem infra decidenda lucem accipient. Aliqui Canonistæ, vt Ioannes Andreas, & Hostiensis in cap. 1. *de Reliquijs, & Veneratione Sanctorum*, & in cap. 2. Cardinalis Zabarella num. 3. & insuper Fœlix Contelorius in tract. *de Sanctorum Canonizatione*, cap. 22. à num. 7. asserunt, cultum publicum non solum esse, qui exhibetur nomine Ecclesiæ, sed etiam, qui à privato fit, in loco tamen publico, seu coram alijs; vnde, qui aliter fit, est proprie secretus. ¶ At, communiter Theologi, alij que DD. hanc opinionem reijciunt; docent que, & recte, cultum publicum dici, non qui coram alijs exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ, & tamquam ab ea institutus defertur: vnde si aliquis cultus fiat etiam à fidelibus totius Civitatis, vel Provintiæ, si tamen non sit ex illis, qui authoritate publica instituntur ad colendos Sanctos, sicut est *Missa, Officium Divinum, &c.* non dicitur publicus, sed privatus. Ita Bellarminus tom. 2. lib. 1. *de Sanct. Beatif.* cap. 10. pagina 739. Augustinus de Ancona in Summa *de potestate Ecclesiæ*, q. 19. art. 5. Ioannes à S. Thoma 2. 2. disp. 9. art. 1. §. *Ultimo quæritur.* Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 52. sect. 3. Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 9. dub. 2. num. 2. Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 1. punct. 2. Sanchez *in Decalogum*, lib. 2. cap. 43. num. 3. Turrianus 2. 2. disp. 17. dub. 9. Rocaful lib. 2. *in Decalogum*, cap. 8. & alij. Quibus suppositis.

Cultus publicus non licet exhiberi defunctis, cũ opinione sanctitatis decedentibus.

64 Dicendum est primò: Nullum publicum cultum, de quo numero antecedenti, hominibus, aut fœminis cum signis sanctitatis decedentibus, non dum Canonizatis, aut Beatificatis deferri licere. Sic communiter DD. Et ratio est: quia cultus publicus est institutus ab Ecclesia pro Sanctis Canonizatis, aut Beatificatis; sed cultus institutus pro Canonizatis, aut Beatificatis nulli exhibendus est sine authoritate Sedis Apostolicæ, vt præcipitur expresse in cap. *Audivimus.* Et cap. 1. & 2. *de Reliquijs, & Veneratione Sanctorum.* Et puncto antecedenti sufficienter probavimus: ergo cultus publicus nulli exhiberi licet, qui Canonizatus, aut Beatificatus ab Ecclesia non sit.

Licet illis exhiberi cultus privatus.

65 Dicendum est secundò: Posse defunctis, non Canonizatis, aut Beatificatis, cultum privatum licite deferri. Et ratio est; tum: quia communiter allegatur in processibus ad Beatificationem SS. populi concursus, & devotio confluentium ad eorum sepulcra, ab eis exorando, & impetrando infirmis sanitatem; & quod eorum intercessione Deus miracula operatur: quæ aliter non fiunt, nisi eos Sanctos invocando, reverentiam que, & cultum exhibendo: Tum etiam: quia dum viri Sancti in terra degunt, licitum est, eos publice rogare, vt pro nobis ad Deum intercedant, osculari publice eorum manus, & coram illis genuflectere, & Sanctos appellare: ergo potiori titulo id fieri post mortem licebit. Ita DD. supra citati, & insuper Barbosa *in Collect. ad Concil. Tridentinum*, sess. 25. Palaus tom. 2. tract. 8. punct. 3. n. 8. Thomas Tamburinus *in Decalog.* lib. 2. cap. 4. §. 2. à num. 8. Hæc certa apud Doctores sunt.

Illicitum est, Missam

66 Difficultas vero in hac materia est; ad quid extendi possit hic privatus cultus? Pro qua

& officium etiam secreto illis recitari.

quâ dicendum est primò : De Sanctis non beatificatis non posse, etiam secreto, Missam celebrari, Officium Divinum recitari, eos in litanijs nominari, aut radijs, & splendoribus depingi, altaria ve, & templa dicari. Et ratio est : quia hi cultus sunt ex authoritate Ecclesiæ pro Sanctis Beatificatis, & Canonizatis designati : vnde, & si secreto fiant, semper ex se sunt cultus publici : ergo eos Sanctis non Beatificatis exhibere, non licet. Ita Sanchez lib. 2. *Decalogi*, cap. 43. n. 7. Ioan. à S. Thoma 2. 2. disp. 19. art. 2. Barbosa *in Collect. ad Concil. Tridentinum*, sect. 25. Bellarminus lib. 1. *de Beatitudine Sanct.* cap. 10. ¶ Quod etiam docet Sacra Congregatio Romanæ Inquisitionis in decreto, quod incipit: *Sanctissimus Dominus noster, &c.* approbato ab Urbano VIII. anno 1625. die 13. Martij: & habetur in Bullario Cherub. tom. 4. pag. 54. & hoc decretum refert Sanctæ Inquisitionis Hispaniæ decretum, quod feria 6. post octavam Assumptionis in dietis Religionum singulis annis legitur, vt patet his verbis : *Sanctitatis suæ constitutio 37. incipit : Sanctissimus Dominus noster : solicite animadvertens de imaginibus nondum à Sede Apostolica Canonizatis, vel Beatificatorum cum radijs, splendoribus, aut laureolis non proponendis : tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulcha non apponendis : eorum ve gestis, miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus non publicandis, vel imprimendis.* Quare hæc omnia prorsus illicita sunt.

Qui cultus in decreto Urbani VIII erga nó Beatificatos prohibentur.

67 Sed circa prædictum decretum Urbani VIII. nota; tria in eo à Sum. Pontifice prohiberi, primò ne in quibuscumque Ecclesijs, aut Oratorijs, alijs que locis, tam publicis, quàm privatis imagines eorum, qui nondum sunt à Sede Apostolica Beatificati, & si cum sanctitatis, aut martyrij fama decesserint, cum splendoribus, radijs, & laureolis, nec quoquam alio venerationem, aut eorum cultum præseferente, pingantur, aut exponantur, & si quæ appositæ sunt, amoveantur. ¶ Secundò : Inhibet imprimi de cætero libros eorundem hominum, gesta, miracula, vel revelationes, vel quæcumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes sine approbatione, & recognitione Ordinarij per viros doctos : & insuper præcipit, quod ante impressionem hæc omnia ad Sedem Apostolicam transmittantur, & eius responsum expectent ; alias nullo modo approbata censeantur. ¶ Tertiò : Vetat, ad eorum sepulchra tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam fictas, quàm pictas, atque sculptas appendi, seu affigi ; & lampades, seu alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnino, pro vt supra facienda. ¶ Cæterum, quia de hoc aliquod dubium inter fideles ortum fuit, declarat idem Summus Pontifex, prædictas tebellas, & imagines posse recipi à personis Ecclesiasticis illorum locorum præpositis, simul cum attestationibus, tam deferentis eas, quàm aliorum, qui miraculi, intercessione talis hominis à Deo facti, conscij fuerunt ; vt quando Dominus voluerit, quod ad Beatificationem illius procedatur, fidem hæc omnia faciant : iubet tamen, vt has tabellas, seu imagines in secreto aliquo seorsim ab Ecclesia loco custodire, collocare, & asservare, teneantur. Præterea declarat, per supra dicta præiudicare se nolle his, qui per communem Ecclesiæ consuetudinem, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorum que Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolici, vel Ordinarij coluntur.

Assignantur pœnæ pro transgressoribus huius decreti.

68 Deinde vt hæc omnia diligentius serventur, vniversis, & singulis, tam Ordinarijs, quàm hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districte præcipit, vt in sua quisque Diœcesi, vel Provintia sedulo pervigilet, ne aliqua, contra hic disposita, fiant. Transgressores vero, si Regulares sint, privationis suorum officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, necnon suspensionis à Divinis, & ab administratione Sacramentorum, executione que suorum Ordinum respective, alijs que arbitrio prædictorum Ordinariorum, & Inquisitorum pro modo culpæ infligendis, plectantur. Qui vero imagines depinxerint, vel libros impressserint, pœnis pecuniarijs, alijs que corporalibus arbitrio Ordinarij, & Inquisitorum puniantur. Hæc sunt, quæ in prædicto decreto continentur ex ipsius fere verbis transcripta. Eadem vero idem Pontifex confirmat, & ampliat in quodam motu proprio, qui incipit: *Cœlestis Hierusalem cives, &c.* editus anno 1634. die 5. Iulij ; & habetur in tom. 4. Bullarij Cherubini in Appendice, pag. 38. ¶ Denique Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 9. dub. 6. num. 26. ex Conteriolo in suo tractatu *de Canonizatione Sanctorum*, cap. 22. n. 19. affert alia duo decreta ex eodem Urbano VIII. in quibus prohibuit, ne deinceps religiosi Sancti Dominici, Sancti Augustini, & cuiuscumque alterius Ordinis publice, sicut antea, in plateis, & sermonibus quosdam religiosos eorundem Ordinum, cum fama sanctitatis decedentes, Beatos appellent, singulis que annis in die obitus in divinis officijs solemniter efferant, pro vt de Sanctis ab Ecclesia approbatis à fidelibus observatur ; nec populos inducant, vt prædictis diebus à servilibus abstineant ; & insuper, ne eis altaria erigant: præcipit que Ordinarijs, vt hæc omnia prohibere curent per censuras ecclesiasticas, & si opus fuerit, per auxilium brachij sæcularis. Aliud decretum eiusdem Urbani VIII. referunt aliqui DD. expeditum anno 1631. die 5. Iunij, quo similiter prohibet, vocari Sanctos, aut Beatos, qui ab Ecclesia Canonizati, aut Beatificati non sunt : sed diligenter semel, & iterum tom. 4. Cherubini, vbi huius Pontificis Bullæ extant, evoluimus, & eum invenire non potuimus.

Possunt non canonizati collocari in altaribus, &c. sine radijs tamen.

69 Sed circa prædicta nota primò: Quod, licet imagines hominum nondum Beatificatorum nequeant cum radijs, &c. depingi, possunt tamen sine illis ; & ita collocari non solum in domibus privatis, sed etiam in templis, imò & in altari inter imagines Sanctorum Canonizatorum reponi, vel ad altaris orna-

ornatum, vel in memoriam beneficij ab eis accepti. Sic Sanchez lib. 2. cap. 43. num. 6. Bonacina tom. 2. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. num. 2. Leander lib. 7. disp. 3. quæst. 8. & 9. ¶ Sed Trullench tantum concedit, nec improbabiliter, quod ad extra, vel siniſtra altaris maioris, vel capellæ reponantur. Et Bellarminus ſupra citatus, negat cap. 10. licere eas imagines in templo eo modo, quo aliorum Sanctorum, conſtituere.

Cum ſola approbatione Epiſcopi poſſunt revelationes, & miracula typis mandari.

70 Nota ſecundò: Quod licitum eſt, cum approbatione Epiſcopi edere libros de egregijs factis, virtutibus, & miraculis eorum, qui cum opinione ſanctitatis deceſſerunt: & licet in decreto Vrbani VIII. iam citato dicatur, quod Epiſcopi teneantur hæc facta per viros doctos recognoſcere, ad Pontificem remittere, & eius reſponſionem expectare; credimus, quod quo ad hoc tale decretum receptum non eſt; nec alicubi, ſaltem in noſtra Hiſpania, hæc obſervari videmus. Vnde aſſerimus, hæc Pontificem præcipiſſe vel pro Italiæ Provintijs: vel vt poſtea ad Beatificationem magnam fidem faciant: quare, deficiente tali conditione, ſeu Pontificis approbatione, ſolum eis fides iuxta Scriptoris authoritatem adhibenda eſt, licet imprimi eorum acta cum Epiſcopi licentia poſsint.

Ad ſepulcha nó Beatificatorum non licet tabellas, & imagines ſuſpendi.

71 Nota tertiò: Quod ad ſepulcha decedentium cum opinione ſanctitatis, eſto liceat orare, non tamen imagines, ſeu tabellas ſuſpendi, vel lampades, aut alia quæcumque lumina accendi ſine recognitione ab Ordinario, pro vt ſupra in prædicto decreto facienda præcipitur. Sed, an, quo ad hoc receptum ſit, dubitant DD. cum poſt illius expeditionem, licere prædicta efficere, doceant Ioan. à S. Thoma diſp. 9. art. 2. Molfeſius tom. 2. conſil. 45. num. 37. & Turrianus 2. 2. diſp. 17. dub. 10. id comprobans, tam aliquibus exemplis, quàm antiquiſsima Eccleſiæ praxi, & Conciliorum permiſsione: quare Trullench, & alij optime docent, conſulendas eſſe Diœceſum conſuetudines.

Cognitio huius criminis pertinet ad Epiſcopos, & Inquiſitores.

72 Nota quartò: Quod, licet in dicto generali Inquiſitionis decreto, prædicta Vrbani VIII. conſtitutio contineatur; tamen horum criminum cognitio non eſt privative Inquiſitionis, ſed etiam, & principaliter ad Epiſcopi, ſeu Ordinarij Tribunal expectat, vt patet ex verbis Pontificis, vbi primo loco committitur Ordinario, & ſecundario fidei Inquiſitoribus: quare Epiſcopus poteſt de hoc crimine cognoſcere, ſicut, & Inquiſitores.

Non beatificatos poſſumus apellare cũ addito Sanctos, & Beatos.

73 Nota quintò: Quod, eſto ex vi decretorum Vrbani VIII. non poſsimus viros cum opinione ſanctitatis decedentes abſolute *Sanctos*, *& Beatos* nominare, eo modo, & ſub eadem ſignificatione, ſub quibus ea nomina Canonizatis, & Beatificatis tribuuntur; bene autem eos appellare licet *Sanctos* cum aliquo addito, ſcilicet dicendo: *Sanctus vir*, *Beatus Pater*, *&c.* quatenus per hæc ſignificamus, eorum vitam rectam, immaculatam, honeſtam, & virtuoſam apud Deum, & homines fuiſſe. Et in hoc ſenſu Chriſtus Divum Petrum, Matthæi 26. Beatum appellat: ſic Nazianzenus Divum Athanaſium, & Divum Baſilium Sanctos, ante canonizationem nuncupavit. Sic D. Hieronym. Divam Paulam nominavit: ſic denique Divus Thomas Aquinas inviſens Bonaventuram, & inſcribendo Seraphici Franciſci vitam, occupatum inveniens, eructavit dicens: *Sinamus Sanctum pro Sancto laborare.* Hoc ergo modo licet nobis, etiam coram alijs, defunctos inſigni virtutum culmine decoratos, Sanctos, & Beatos vocare, quin credamus Pontificis decretis in his adverſari. Sed hoc non obſtante, illicitum iudicamus, tali nomenclatura in publicis concionibus eos inſignire. Sic Bellarm. cap. 10. citatus. Sanchez n. 5. Trullench num. 5. Granado 2. 2. controv. 1. *de Fide*, tract. 7. diſp. 4. ſect. 7. num. 77. Bonac. tom. 2. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 2. num. 2. ¶ Nota tamen cum Molfeſio tom. 2. conſil. 45. à n. 25. Trullench num. citato, & Leandro quæſt. 3. quod, ſi aliquis ſit Beatus, non *declarative*, de quo non eſt difficultas; ſed *nuncupative*, hoc eſt, ſic per Sum. Pontificem vocatus, vel in licentia conceſſa, vt typis mandetur eius vita, vel ſculpantur eius imagines; aut *acclamative*, hoc eſt quem populus vt Beatum colit, hos licite poſſumus in ſcriptis, & concionibus Beatos appellare; quia talis cultus, adhuc privatus, nullo que modo publicus, cenſetur ab omnibus.

Non licet de eis Miſſam dicere, ſacellũ erigere, & ſimilia offerre.

74 Nota ſextò: Quod de nullo non Beatificato licet, Miſſam dicere; altare privatum, aut ſacellum dicare; diem feſtum celebrare; publicum ieiunium indicere; aut votum à toto populo offerri; nec eius reliquias publice adorandas in templo exhiberi; aut in altari privato collocari; quia hic cultus publicus eſt, & ſola licentia Pontificis deferri poteſt. Vnde, ſi de Divo Thoma Aquinate Monachi Ciſtercienſes, ante quam beatificaretur, Miſſam celebrarunt: aut in honorem Sancti Didaci Henricus IV. Caſtellæ Rex in gratiarum actionem ſanitatis ab eo receptæ, ſacellum conſtruxit, vbi eius corpus recondit, abſque Sedis Apoſtolicæ facultate; dicendum eſt; hæc, & ſimilia facta fuiſſe, vel ex ſpeciali inſtintu Spiritus Sancti, qui hac via ſanctitatem eorum voluit Mundo manifeſtare; vel ex interpretativa voluntatis Summi Pontificis; aut denique ex inadvertentia ad Pontificia decreta: qua propter in exemplum adduci minime poſſunt. Sic docent Bellarminus tom. 2. *de Sanct. Beat.* lib. 1. cap. 10. Turrianus 2. 2. diſp. 17. dub. 11. Sanchez lib. 2. *Decalogi*, cap. 43. num. 7. & 8. N. Lezana tom. 1. Summæ, Quæſt. Regularium, cap. 12. num. 40. Trullench lib. 1. cap. 9. num. 21. Palaus tr. 8. diſp. 1. punct. 3. num. 8. Granadus *controv.* 1. *de Fide*, tract. 7. diſp. 4. ſect. 4. num. 27. Quid autem ſit, altare conſecrare, explicat ex Pontificiali Romano Sanchez num. 7. dicendo; hoc fieri, quando tempore dedicationis altaris illud in honorem alicuius Sancti conſecratur; qua propter, & ſi poſtea in eo imago alicuius Sancti colocetur, non ideò illi dedicari dicitur.

Licet eorum reliquias pri

75 Hucuſque egimus de cultu, quem Eccleſiæ decreta non Beatificatis deferre prohi-

vatim venerari.

hibent; nunc videamus, quem eis exhibere liceat. Dicendum ergo est: licitum esse, vestes, capillos, & alias reliquias demortui cum sanctitatis opinione sumere, servare, & venerari, pedes eius, & manus (etiam publice) deosculari. Tum: quia hic cultus non est publicus, sed privatus: tum etiam: quia id confirmat praxis Ecclesiæ. Mox enim ac martyres occisi erant, currebant fideles ad reliquias rapiendas, eorum corpora veneranda, & osculanda; & tamen Martyres non sunt ex hoc beatificati, sed indigent declaratione Ecclesiæ, vt tamquam Beati, aut Canonizati colantur, vt dicunt Trullench dub. 8. num. 11. & Leand. tract. 7. disp. 2. quæst. 30. ergo ante Beatificationem talis veneratio licita est. ¶ Confirmatur insuper: nam in Bulla Canonizationis S.M.N. Theresiæ refertur, & laudatur à Gregorio XV. quod: Quædam Monialis dudum capitis, & oculorum infirmitate laborans, apprehensa demortuæ virginis manu, ac capiti, oculis que admota, statim convaluit. Altera item eius osculatis pedibus sensum adoratus amissum recuperavit. Idem refertur de alia Moniali, cuius pectus tribus cancris corrodentibus, solo tactu reliquiarum S. Theresiæ particulæ, libera momento ab omni plaga effecta est. Et in Bulla Canonizationis Angelici Doctoris dicitur à Ioanne XXII. quendam, qui tanti Doctoris reliquias longe ante canonizationem venerari contempserat, fuisse à Deo percussum, & punitum. Licitum est ergo ex fidelium ab Ecclesia non damnata praxi, demortui cum opinione sanctitatis reliquias venerari, etiam alijs videntibus, modo scandalum absit. Ita Bellarminus lib. 1. *de Sanct. Beatif.* cap. 10. Turrianus 2. 2. disp. 17. dub. 11. vers. 7. Sanchez cap. 47. n. 7. Trullench dub. 6. num. 8. & 22. Palaus tract. 8. disp. 1. punct. 3. num. 8. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 2. n. 2. & Tamburinus *in Decalog.* lib. 2. cap. 4. §. 1. num. 10.

Licet eorum corpora aliquandiu post mortem in sepulta habere.

76 Dicendum est secundò: Licere corpora similium hominum ad fidelium devotioni satisfaciendum, insepulta per aliquot dies habere: quod congruum est; tum: vt mirabilia Dei videantur; communiter enim tunc miracula in ostensionem sanctitatis Defuncti à Deo patrantur; tum etiam: vt incorruptibilitas eorum clarius omnibus patefiat: solent enim, vt de Beata M. N. Sancta Theresia, Divo Thoma, D. Francisco de Paula, & alijs referunt historiæ, suavem efflare odorem. Ita Trullench num. 8. & Molfesius citatus consil. 45. num. 13. & alij.

Possunt etiam honestiori, & elevatiori loco præcæteris sepeliri.

77 Sed rogabis: An liceat in loco honestiori, & à cæteris separato, à terra que elevato, eorum corpora sepelire? Affirmat antiqua Ecclesiæ praxis, vt videre licet in Surio, & alijs, qui Sanctorum gesta scripserunt. Sic que defendunt Trullench loco citato, num. 10. Molfesius num. 14. & Rocaful lib. 2. *Decalog.* cap. 8. num. 57. docentes: posse horum sepulchra sericis, aureis que tapetibus ornari pro maiori eorum reverentia, vt laudetur *Deus in Sanctis suis*, & fidelium devotio augeatur; & ita decet eos sepelire; esto ipsi ob suam humilitatem petant, vt in sterquilinio sepeliantur. Sic citati DD. licet novissime P. Leander citatus quæst. 13. dicat contra prædicta stare decretum Vniversalis Inquisitionis supra à se relatum, quod aliud non est à decretis hic insertis Vrban. VIII. quos cum semel, & iterum legissemus, in eis nihil contra hanc conclusionem invenimus: Vnde ignoramus, qua ratione id protulerit, verba talis decreti prius non transcribendo. ¶ Verius tamen dicendum est: à Sacra Congregatione esse prohibitum; primò: Quod tam horum, quàm alterius cuiuscumque defuncti corpora reponi possint sub altaribus, nec sub gradibus eorum. Secundò: Quod, si aliqua altaria essent, quæ vel superius, vel in medio continerent cadavera, non possit in eis celebrari. Qua propter, eadem Sacra Congreg. præcepit Episcopo Ternens. vt amoveri faceret sepulchra, quæ subtus altare, vel ipsorum bradellam extarent: & ad Archiepiscopum Tranensem refert Barbosa infra citandus, respondisse, non esse consecranda altaria, sub quibus sepulta sunt corpora mortuorum, nisi eis prius semotis. Ita Gavantus in *Manuali Episcoporum*, verb. *Altare*, num. 9. & verb. *Sepultura*, num. 6. Barbosa *de Potestate Episcop.* tom. 2. part. 2. allegat. 27. num. 27. N. Lezana in Summa, tom. 2. part. 3. verb. *Altare*, num. 17. Piasec. *in Praxi nova Episcop.* cap. 1. num. 7. & alij apud Barbos. loco citato, & insuper *in Sum. Apost. decis.* verb. *Cadaver*, n. 2. pagin. 79.

Possunt fideles orare viros cum sanctitatis opinione decedentes, & in eorũ honorem à servilibus abstinere.

78 Dicendum est secundò: Posse fideles in honorem eorum, qui cum sanctitatis splendore demortui sunt, votum privatum offerre, in eorum vigilia ieiunare, & in die à servilibus abstinere: quia hi cultus privati sunt: non tamen possunt officium Divinum pro vt ab Ecclesia dispositum de eis recitare, imò, nec in illo de eis commemorationem facere: quia hic cultus publicus est; licet tamen in illorum honorem aliquos psalmos, aut alias orationes privatim dicere. Sic Sanchez lib. 2. cap. 43. num. 8. Bellarminus cap. 10. citato, referens Casianum collatione 19. cap. 1. Turrianus 2. 2. disp. 17. dub. 11. & 12. Palaus tract. 8. disp. 1. num. 8. Rocaful lib. 2. *Decalogi*, cap. 8. Bonac. tom. 2. disp. 3. punct. 2. num. 2. Trullench num. 21. dicti dubij 6. cap. 9. & alij apud ipsos.

Cultus immemorabilis omittendus non est.

79 Deinde rogabis: An, qui per communem consuetudinem Ecclesiæ, aut immemorabilem temporis cursum, aut tolerantiam Pontificis, vel Ordinarij, à fidelibus Missa, aut officio coluntur, sint post decretum Vrbani VIII. similiter colendi? Respondetur affirmativè, vt ex ipso decreto constat; alias non levia hinc sequerentur incommoda, & scandala. Quam doctrinam extendunt Molfesius consil. 45. num. 50. Trullench cap. 9. dub. 6. num. 22. & Leander quæst. 32. ad cultum alijs viris non ita antiquis exhibitum à fidelibus. Et probant ex pluribus Sacræ Congregationis decisionibus, quæ determinant, manutenendos esse prædictos defunctos in possessione, nec licere ab ea eos deturbare. ¶ Idem que confirmari poterat ex alijs duo-

bus deciſsionibus: prima ſuper cultu ab immemorabili tempore exhibito S. Petro Paſchaſio approbata à Clemente X. die 14. Auguſti, anno 1670. & ſecunda, confirmata ab eodem Pontifice die 28. Ianuarij 1671. etiam ſuper cultu immemorabili Beatæ Ludovicæ Albertoniæ delato, & conſequenter in decretis Vrbani VIII. non comprehenſo, vt videre eas licet in tom. 5. Bullarij noviſsime editi pagina mihi, 500. & 524.

Extenditur ad Sanctos Religionũ.

80 Loquendo que de cultu exhibito aliquibus Sanctis, qui in Congregationibus, aut Religionibus coluntur à tempore immemorabili, qui nec Canonizatos, nec Beatificatos eſſe conſtat, poſſe nunc antiquum prædictum cultum eis offerri, N. Thomas à Ieſu ſatis diffuſe probat in commentarijs ad noſtram primitivam Regulam 3. part. cap. 7. dub. 3. Idem que docent Rodriguez tom. 2. Quæſt. Regularium, quæſt. 69. art. 5. N. Lezana conſulto 2. Conſtat que; tum ex decreto Vrbani VIII. ſupra relato id permittentis: tum ex eo, quod conſuetudo vim legis habet, vt diximus tom. 3. tract. 11. cap. 6. toto punct. 3. Tum etiam: quia ſic conceditur in Rubrica 1. Breviarij Romani *de Officio duplici*, vbi ſic ait: *Officium ſit duplex in feſtis:::::: &c. & in feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes conſueverunt ſolemniter celebrari:::::: & ſi prædicta feſta in hoc Kalendario non ſint deſcripta.* Tum etiam: quia ita docet Sacra Rituum Congregatio in Viſen. 21. Iunij 1605. his verbis: *Officium pro Sanctis, etiam non Canonizatis, poteſt recitari de communi, vbi viget conſuetudo immemorabilis recitandi.* Vt refert Barboſa in Collect. Bullar. verb. *Officium divinum*, & in Apoſtolic. deciſsion. Collect. collectan. 532. Tum denique: quia in ordine ad Sanctos noſtræ Sacræ Religionis expreſſe id approbat Sixtus V. in Bulla, quæ incipit: *Dilecti filij ſalutem, &c.* poſito in noſtra Quinterno Sanctorum, his verbis: *Sed, quia vetus iam viget in veſtro Ordine laudabilis conſuetudo, dies feſtos in honorem B. Mariæ, & quorundam Sanctorum ſolemniter celebrandi. Ideò nos:::::: officium prædictorum feſtorum vbi que recitare, & ſic recitando, obligationi ſatisfacere, dummodo modum, & formam deſcriptam in Quinterno obſervetis, & nihil penitus addatis, aut diminuatis, plenam, & liberam licentiam, & facultatem authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus.* Sed plures ex Sanctis contentis in noſtri Ordinis Quinterno, expreſſe non conſtat, fuiſſe ab Eccleſia canonizatos, vel beatificatos, ſed tantum ab immemorabili tempore Religionem eis cultum Sanctorum exhibuiſſe: ergo ſub his conditionibus licet cuilibet Sancto etiam non Beatificato deferri nunc cultum antiquitus eis datum. Qui circa hoc plura voluerit conſulat N. Thomam, & N. Lezanam, qui addit à num. 21. ſufficere, ſi Sanctus ſit in quocumque Martyrologio, vt ei cultus prædictus deferri liceat.

***

PUNCT. VIII.

An ſint venerandæ, & quo cultu, imagines Sanctiſsimæ Trinitatis, Chriſti Domini, & aliorum Sanctorum?

PRo pleniori huius materiæ intelligentia præſens dubium inſtituimus: cæterum quia plures, & non leves difficultates ſub ſe continet, duplici §. Illud ſecabimus.

§. I.

Aliquibus ſuppoſitis, oſtenditur adorationem ſacris imaginibus tribuendam ab omnibus eſſe.

Cuiuſcumque Sancti imaginem licet depingere.

81 ANtequam ad difficultatis huius quæſtionis accedamus, ſupponendum eſt primo vt certum; licitum eſſe, imaginum ſacrarum vſum: quod conſtat ex Exod. cap. 25. vbi dixit Dominus ad Moyſem *Facies duos Cherubim aureos ex vtraque parte oraculi.* Deinde num. 21 præcipit facere ſerpentem æneum. Et Salomon 3. Reg. 6. & 7. fecit Cherubim, bobes, Leones, & alia. Denique Exod. 31. & 35. Deus dedit ſcientiam Beſeleel, & Ooliad ad ſculpendum multa pro ornatu Tabernaculi: ergo ſacrarum imaginum vſus pius, licitus, & ſanctus eſt. ¶ Secundò oſtenditur ex praxi communi Eccleſiæ; nec non conciliorum damnantium hæreticos, qui talem vſum vt illicitum ſuggillant. Sed pro multis hic tantum tranſcribam verba Concilij Tridentini, ſeſſ. 25. decreto 2. ſic talem vſum vt licitum definientis: *Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſdemque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in eis divinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ: vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis ſuam ſpem collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant: Ita vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.* Hæc Tridentinum, & proſequitur docendo, quam vtile ſit picturis myſteria noſtræ Redemptionis exprimentibus populum erudire, & in fide confirmare, non ſolum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt, ſed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubijciuntur, vt pro his Deo gratias referant, Sanctorum virtutes imitentur, excitenturque ad Deum colendum, & amandum. Quod quidem experientia quotidiana ſatis comprobatur: nec credimus, qua-

liter

liter hæretici adeò cæcutiant, vt hæc non videant, aut sibi suadeant, Catholicos taliter adorare imagines, vt idololatriam committant. Dicta docent, & tenent omnes Catholici.

Imagines SS. Trinitatis licet depingere.

82 Supponendum est secundò: Vt similiter certum, licitum esse imaginem Dei Patris, & cuiuscumque personæ Sanctissimæ Trinitatis depingere, & publice adorandam proponere. Vt patet ex propositione damnata novissime ab Alexandro VIII. quæ sic se habet. *Dei Patris sedentis simulachrum nefas est Christiano in templo collocare.* Et ratio est: quia talibus imaginibus non intendimus significare Deum, aut aliquam Trinitatis personam esse corpoream, hoc enim summa fatuitas, & stoliditas esset; sed tantum eas depingimus, & adhibemus, vt sic per quandam analogiam eorum virtus nobis innotescat; aut significetur, qualiter aliquando hominibus apparuerint: & ita depingimus Patrem æternum senem, vel, quia sic Daniel. 7. visus est; vel ad ostendendam eius æternitatem, & authoritatem, & quod sit prima Sanctissimæ Trinitatis persona. Sic Filius depingitur in pectore Patris consistens, vt denotetur, quod à Patre est genitus. Similiter Spiritum Sanctum sub columbæ specie exprimimus; quia sic apparere dignatus est. Eadem ratione Angelos similiter depingimus tamquam alatos, & pulcherrimos iuvenes ad significandum, tum; quod sic non semel apparuerint; tum ad denotandum eorum agilitatem, & ætatem nunquam senescentem. Vnde manet solutus scrupulus tum VVicleph, Calvini, & aliorum hæreticorum; tum etiam Durandi in 3. distinct. 9. quæst. 2. ad 4. Abulensis in cap. 4. Deuteron. quæst. 5. id licitum esse negantium ex eo, quod Spiritus carnem, & ossa non habent, & ideo nulla imagine repræsentari licet. Nostram suppositionem docent late Bellarminus tom. 2. 3. controvers. lib. 2. *de Imaginibus Sanctorum*, à cap. 7. ad 20. maxime cap. 8. pagin. 799. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 7. Vazq. 3. part. disput. 25. & disp. 103. NN. Salmanticens. tom. 10. tract. 21. disp. 37. dub. 1. Palaus tom. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 4. num. 2. Trullench cap. 9. cit. dub. 7. num. 2. Bonac. disp. 3. q. 1. punct. 3. num. 2. & alij.

Hæreticorum obiectiones.

83 Sed contra dicta, aliqua Scripturæ loca nobis opponunt hæretici. Nam Exod. 20. Dominus præcepit Israelitis: *Non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem, quæ est in Cœlo desuper, nec in terra deorsum, nec in aquis sub terra.* Et infra hoc explicat dicens: *Deos aureos, & argenteos non facietis mecum*: id est, imagines aureas, & argenteas Deum repræsentantes. Idem dicitur Deuteron. 4. & Isaiæ 46. & denique D. Paul. Actorum 17. ait: *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidi, artis sculpturæ, & cogitationis hominum Divinum esse simile*: ergo vsus, & cultus cuiuscumque sacræ imaginis ex scriptura illicitus est.

Illorum solutio.

84 Ad hoc argumentum respondetur; imagines, quas Deus prædictis locis prohibet, non esse veri Dei, sed idolorum, quæ falsos Deos repræsentabant, quos Hebræi adorabant, vt patet ex sequentibus verbis: *Deos aureos, & argenteos non facietis mecum*, hoc est, mecum non adorabitis. Et clarius id patet ex Levit. 26. his verbis: *Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum: ego enim sum Deus vester.* Ita Bellarm. tom. 2. controv. 3. lib. 2. cap. 8. *de imaginibus Sanctorum.* NN. Salmant. citati num. 9. Palaus vbi supr. num. 1. Trullench, & Bonac. locis relatis. Qui alia argumenta voluerit, videat NN. Salmant. Scholasticos, & Bellarminum. Quibus suppositis.

Negant hæretici cultum sacrarum imaginum.

85 Rogabis primò: An sacræ imagines Dei, & Sanctorum sint adorandæ? Negant hæretici. Et moventur primò: quia in Scriptura Exod. 20. Deut. 4. Ad Romanos 1. prohibetur cultus Idolorum, & simulacrorum; sed Iudæi, & Gentiles non erant ita stupidi, vt crederent, ligna, & lapides esse veros Deos: ergo eos non adorabant, vt idola, sed in quantum Deos repræsentabant. Et ita Hebræi in erectione Vituli, dixerunt: *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægipti*; sed qui illos eduxit de terra Ægipti, fuit verus Deus: ergo sub vituli specie Deum adorabant. ¶ Secundò: quia si imagines à Catholicis adorantur, in quantum prototypa repræsentant, quare præcaturi accedimus ad hanc Christi imaginem præ alia? quare ad illam Mariæ Virginis imaginem præ alijs rogaturi pergimus? cum eas æque omnes repræsentant: cur peregrinamur ad aliquam imaginem, cum forte pulchriores domi habeamus? Ergo, si hoc facimus est, quia in eis aliquam propriam, & divinam virtutem credimus, & adoramus. ¶ Tertiò: homo est imago Dei, & tamen eum non colimus: ergo nec imagines ligneas, aut lapideas, & si Dei, vel Sanctorum imaginem referant. ¶ Quartò: Imago non est digna adoratione ratione materiæ, aut lineamentorum: ergo nullo modo coli debent. Sic Calviniste, Magdeburgenses, & communiter hæretici.

Sententia catholica.

86 Nihilominus dicendum est; esse de fide certum, quod sacræ imagines sunt dignæ adoratione: Ita Tridentinum, vt vidimus supra in suppositione 1. & alia concilia, similiter generalia, vt Nicæn. 7. in act. 7. Florentinum sess. 5. quæ sequuntur omnes DD. Catholici. Et hæc nostra, & catholica conclusio demonstratur primò: Nam Cherubim Propitiatorij, & Arcæ, licite, & necessario adorabantur ab eis, qui tabernaculum, & arcam adorabant, vt ait D. Hieronymus *Epist. ad Marcellam*; & D. Augustinus *lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 9.* sed hoc Deus præcepit: ergo quia sacras imagines adorare, sanctum erat. ¶ Secundò: Psalm. 98. dicitur: *Adorate scabellum pedum eius.* Et Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius*: ergo licitum est, adorare creaturas, & eis reverentiam exhibere, in quantum ad Deum habent relationem: tunc sic: sed sacræ imagines ad Deum dicunt relationem: ergo eas licet adorare. ¶ Deinde: Exod. 3. dicitur: *Locus, in quo stas, ter-*

ra

ra ſancta eſt. Hoc eſt, propter Angeli præſentiam. Similiter aliæ res, vt dies Paſchæ, veſtes Sacerdotales, & ipſa Scriptura divina, ſacræ, & ſanctæ dicuntur ob reſpectum ad ſanctitatem eorum, quæ repræſentant, vel ſunt dicatæ: ergo poterunt imagines ſimiliter ob ſacra prototypa, ad quæ dicunt reſpectum, venerari. ¶ Vlterius probatur ratione Divi Thomæ 3. part. quaſt. 25. art. 3. in corp. ex Philoſopho, & Damaſcen. deſumpta. Deus, & Chriſtus, vt concedunt hæretici, ſunt adorandi: ergo eius imagines. Patet conſequentia: quia motus, qui eſt in imaginem, non vt res eſt, ſed vt imago eſt, eſt idem cum eo, qui eſt in ipſam rem, vt ſupponit ibi Divus Thomas ex Philoſopho; ſed motus, ſeu adoratio in Deum, & Chriſtum licitus eſt: ergo etiam erit licitus in eius imaginem: tunc ſic: ſed Deum, & Chriſtum adoramus religioſo, & ſacro cultu: ergo eodem cultu adorare ſacras imagines debemus. ¶ Vltimò: Iniuria irrogata Regis imagini, redundat in ipſum Regem; & in æſtimatione prudentum eſt eadem, ac ſi ipſi Regi fieret, vt omnes etiam hæretici concedunt: ergo idem dicendum eſt de honore, & ſacro cultu imaginibus ſacris exhibitis. ¶ Tandem: ideò adoratio imaginis Veneris, aut Mercurij eſt idololatria; quia adoratio imaginis eſt eadem, ac proto-typi, qui in ſe eſt falſus Deus, & creatura ob proprias turpitudines, & vitia indigna, vt ei aliquis religioſus, & ſacer cultus deferatur; ſed imagines ſacræ, quas catholici adoramus, repræſentant Deum, & Sanctos, qui ob proprias virtutes, ſanctitatem inſignem, miracula, alia que honeſta, & recta geſta, digni ſunt ſacro cultu: ergo hic idolatricus non eſt, quando eis à fidelibus exhibetur.

Argumento primo reſpondetur.

87 Ex quibus facilis eſt argumentorum ſolutio; nihil enim difficultatis, vel ſucci habent, vt nos terreant. Ad primum ergo reſpondetur primò, concedendo Iudæos, & Gentiles non eſſe adeò ſtolidos, vt ligna eſſe veros Deos, crederent: ſed per hoc non excuſantur ab idololatria; quia adorabant imagines eorum, qui veri Dij non erant, ſed potius falſi, homines que ſceleſti, in quo committitur gravis idololatria, quæ, vt ait D. Thomas 2. 2. quæſt. 94. art. 1. nihil aliud eſt, *quam cultus Deo debitus, exhibitus directe, & abſolute creaturæ*: cum ergo Iudæi, & Gentiles adorarent vt Deos creaturas aliquas, hinc provenit, quod ab idololatria non excuſantur. ¶ Secundò reſpondetur, falſum eſſe, Iudæos Deum Iſrael ſub imaginibus à ſe fabricatis colere, & non potius falſos Gentilium Deos: vt patet, tum ex illo, quod Protho-parens N. Elias eis dixit 3. Reg. 18. *Uſque quo claudicatis in duas partes; ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini illum.* Et Deut. 32. verſ. 17. *Immolaverunt Dæmonijs, & non Deo, Dijs, quos ignorabant.* Tum etiam, ex ipſo vitulo conflatili, de quo loquitur argumentum; in eo enim non adorabant Deum verum Iſrael, ſed Idolum Apim, quem Ægiptij ſub imagine vituli nigri, albis maculis inſignis, tanquam Deum venerabantur, vt dicunt omnes Scriptores Sacri, & Prophani, de quo videantur D. Aug. lib. 18. *de Civitate Dei*, cap. 5. Cicero lib. 1. *de Natur. Deor.* cum ergo Iudæi viderent, talem vitulum ſummo cultu in Ægipto adorari, putaverunt, & credíderunt, illum eſſe verum Deum, & ideò, vt ait Sacer text. Exod. 32. *Adoraverunt vitulum Deum Ægiptiorum.* Non vero ſub eius imagine adoraverunt verum Deum Iſrael. Quod etiam probari poterat de alijs Idolis, quæ filij Iſrael adoraverunt, vt de *Moloc, Aſtaroth, Chamos, &c.* de quibus agit S. Pagina 3. Reg. cap. 11. & alibi pluries: ergo falſum eſt, Deum prohibuiſſe Hebræis cultum imaginum Dei, Cherubim Arcæ, & cuiuſcumque alterius rei ſacræ, in quantum ad Deum referebantur, & eius ſanctitatem, divinitatem, & erga populum beneficia repræſentabant, ſed tantum prohibuit Idolorum imagines, vel, quia eas adorabant, vt res materiales erant; vel ſaltem, quia falſos Deos exprimebant. Videantur Caiet. Abul. in cap. 16. Iudic. & alij Sacri Interpretes. Nec non Scholaſtici, vt NN. Salmant. tom. 10. diſp. 37. dub. 2.

Ethnici adoraverũt ligna, & lapides.

88 Et quod dictum eſt de Iudæis, potiori titulo convenit Ethnicis; cum luce meridiana clarius ſit, ligna, & lapides, vt veros Deos adoraſſe, ſicut vno ore proclamant omnes Sancti Patres, & Doctores prophani. Videantur D. Aug. lib. 8. *de Civitate Dei*, cap. 23. Tertull. *in Apolog.* cap. 12. Horat. lib. 1. Sermon. ſatyra 8. quare concludit Euſeb. lib. 5. *Præparat.* cap. 15. *Triginta Deorum millia in terra eſſe cenſet Heſiodus. Ego autem multo plures lapideos, atque ligneos hominum creatores eſſe, video.* Vnde neſcimus, qua veritate Calvin. lib. *Inſtitut.* cap. 11. §. 9. & 10. poſſit, Ethnicos ab hac Idololatria excuſare, vt Orthodoxos ab eis non diſsimiles turpiter fingat.

Reliqua argumenta ſolvuntur.

89 Ad ſecundum reſpondetur, multiplicem eſſe cauſam, quare ad vnam quam ad aliam imaginem Chriſti, B. Mariæ, &c. peregrinemur. Primò: quia aliquæ ſunt, aut ab Angelis delatæ, aut formatæ, aut depictæ à Sanctis viris, vt D. Luca, Nicodemo, & alijs: vnde non ſolum ob ſignificationem, ſed propter delatorem, aut artificem peculiarem devotionem merentur, quam aliæ ab Ethnicis, ſeu hæreticis depictæ, vel fabricatæ. Secundò; quia Deus per hanc imaginem, aut per hunc Sanctum, præ alijs, miracula operatur. Quæ vero huius differentiæ ſint cauſæ, non eſt noſtrum inveſtigare. Videantur nihilominus D. Aug. Epiſt. 137. & lib. 2. *de Civitate Dei*, cap. 8. vbi copioſe hoc exponit. ¶ Ad tertium reſpondetur ex Parente N. D. Cyrillo catheteſi 18. & D. Auguſt. Epiſt. 203. hominem, vt imaginem Dei, eſſe veneratione dignum; *ſed quia*: (reſpondet D. Thom. 3. part. q. 25. art. 3. ad 3.) *Si creaturæ rationali, in qua eſt imago Dei, exhiberetur adoratio latriæ, poſſet eſſe erroris occaſio, vt ſcilicet motus adorantis ſiſterent in homine, in quantum eſt res quædam, & non referretur in Deum cuius eſt imago, quod non poteſt contingere de imagine ſculpta, vel picta in materia ſenſibili,* ideò non licet adorationem homini tribuere, eſto ſit

ima-

imago Dei, bene autem alijs imaginibus depictis. ¶ Ad quartum dicimus: Imagines esse dignas adoratione ratione proto-typi, quem repræsentant, qui cum Sanctus sit, etiam ipsa imago sancta est, cultu que digna. Nec vnquam Catholici adoramus imagines ob materiam, aut delineamenta, vel colores; nec credimus aliquid divinitatis in se habere, vt Gentiles existimabant; sed solum eas adoramus, quia imagines Dei, & Sanctorum sunt, nobis que res sacras exprimunt, & significant.

§. II.

Qualis cultus Sacris Imaginibus exhibendus sit?

Aliqui negant sacras imagines esse adorãdas adoratione propria exẽplaris.

90 STabilito, sacras Imagines esse dignas adoratione, restat scire, qualis cultus eis exhibendus sit. Pro quo gravior in hac parte difficultas est; an sacræ imagines adorentur eadem specifice adoratione, ac eorum exemplaria? Negant Bellarm. tom. 2. contr. 3. lib. 2. *de Imaginibus*, cap. 24. & Suarez 3. part. tom. 1. disp. 54. sect. 5. & probat 1. Bellarmin. ex concil. 7. act. 7. Sennonensi, & Moguntino, nec non ex D. Aug. Greg. & Damasc. qui dicunt Imaginem Christi non esse adorandam adoratione latriæ, & consequenter nullas alias Imagines divino cultu esse venerandas: ergo necessario debent coli inferiori cultu, ac exemplaria. ¶ Secundò: nulla Imago Dei est proprie Deus; sed latria est cultos proprius solius Dei: ergo cultus latriæ exhiberi non debet eius Imagini. ¶ Tertiò: Imago vt talis, exemplari opponitur, & est illo inferior: ergo nequit eodem cultu, sed inferiori coli.

Verius est oppositum.

91 Affirmant, & verius D. Thom. 3. part. quæst. 25. art. 3. & ferè omnes Scholastici, vt videri licet apud NN. Salmant. tom. 10. tract. 21. disp. 37 dub. 3. num. 36. & ex Moralistis, id tenent Azor tom. 1. lib. 9. cap. 6. quæst. 5. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 3. num. 4. Palaus tract. 8. disp. 1. punct. 4. num. 3. Tambur. lib. 2. *in Decal.* cap. 4. §. 1. num. 5. Leand. tract. 7. disp. 5. quæst. 2. & alij. Ostenditur que primò expressa doctrina D. Thomæ loc. cit. vbi distinguens ex Philos. duplicem animæ motum in Imaginem; scilicet primum in eam, *vt res est*; secundum in eam, *vt Imago est*; docet, quod inter hos duos motus hæc est differentia, quod primus motus est alius à motu, qui est in rem. Secundus autem, qui est in imaginem, in quantum est Imago, est vnus, & idem cum illo, qui est in rem. Et ex hoc principio ita concludit Ang. Doctor: *Sic ergo dicendum est, quod Imagini Christi, in quantum est res quædam (puta lignum sculptum, vel pictum) nulla reverentia exhibetur; quia reverentia non nisi rationali naturæ debetur. Relinquitur ergo, quod ei exhibeatur reverentia solum in quantum est Imago. Et sic sequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, & ipsi Christo: cum ergo Christus adoretur adoratione latriæ, consequens est, quod eius imago sit etiam adoratione latriæ adoranda.* Quid clarius pro nostra conclusione?

Confirmatur conclusio.

92 Confirmatur, & explicatur D. Thomæ ratio. Licet motus in imaginem interiorem, v. g. speciem expressam secundum rem sumptam, non sit idem ac motus in rem repræsentatam; attamen motus in eam, secundum quod species expressa est, & actualiter obiectum repræsentat, est idem, ac in obiectum repræsentatum; & ita impossibile est, cognoscere hoc modo speciem, & non cognoscere in ea obiectum; quia tunc species expressa eiusdem naturæ in esse repræsentativo cum illo, vt dicunt NN. Salmant. tom. 1. tract. 3. disp. 2. dub. 2. & alibi sæpe; sed imago exterior, licet sub ratione entis non sit idem ac exemplar, at, sub conceptu imaginis actualiter illud repræsentantis, est ipsum exemplar in esse repræsentativo; tum: quia nihil aliud repræsentat; tum: quia ad hoc præcisè ordinatur: ergo esto motus in eam, vt res est, non sit idem ac in exemplar; at, motus in eam formalissime, vt imago exercite est, debet esse idem, & consequenter verum est, quod omnis motus in imaginem, vt imago est, est motus in imaginatum, vt arguit ex Philosopho D. Thom. tunc sic: ergo motus adorationis in imaginem, est motus in obiectum repræsentatum: ergo si hoc adoratur latria, aut dulia, eadem adoratione imago: vt imago formaliter, adoranda est. Qua propter ex D. Basilio dixit Damascenus lib. 4. cap. 17. *Imaginis honor ad proto-typum pervenit.* Ex quibus

Argumentorum solutio.

93 Ad primum argumentum dicimus Concilia, & SS. PP. negare imaginibus Christi cultum latriæ propter se, & ratione sui; non vero ratione prothotypi, seu Christi repræsentati, cum sub hac repræsentatione à Christo non distinguantur. Attamen licet verum sit, quod Christus in imagine, & ipsa imago eodem cultu adoretur, cæterum hæc adoratio convenit Christo ratione sui, imagini vero eius ratione Christi, sicut supra diximus de Christo, cuius humanitatem, & divinitatem prout in eo eodem indivisibili cultu adoramus, & nihilominus divinitatem adoramus ratione sui, ratione vero illius humanitatem: & hæc est differentia, quam Concilia, & Patres statuere locis citatis intendunt. ¶ Per quod patet ad secundum: nam latria propter se est solius Dei propria, latria vero ratione alterius est, quæ imagini eius competit. Et hæc est etiam inferioritas, quam imago respectu prothotypi habet, & intendit vltimum adversariorum argumentum, & non aliam probare potest, cum sint idem in esse repræsentativo Christus, & eius imago vt talis. Et hæc de hac quæst. Qui plura voluerit, legat D. Thomæ interpretes, nobis autem, qui moralia agimus, eam extremis digitis attigisse, sufficiat.

Sentiunt aliqui imagines in visionibus apparentes nõ esse absolute adorandas.

94 Rogabis: An imagines phantasticæ, quæ nonnumquam in visionibus apparent, sint adorandæ absolute, an vero aliqua facta suppositione: *Si Deus es, aut si vere Sanctus es?* Circa hanc quæstionem satis confusse video Doctores loqui. Nam Palaus tract. 8. disp. 1. punct. 4. num. 5. Azor tom. 1. lib. 9. quæst. 11. vt certum supponunt, esse illicitum prædictæ Imagini apparenti, quando dubitatur, an sub illa deliteſcat necne Dæmon? absolute cultum ex-

exhibere. Et rationem tradunt; quia adorare non licet eum, quem certo moraliter non scis, esse adoratione dignum; sed si dubitas, an sub tali imagine deliteſcat Dœmon, non scis certo moraliter, esse adoratione dignam: ergo, &c. Quare controversiam tantum disputant, quando probabiliter credunt, imaginem sibi apparentem esse Christum, aut B. Virginem, aut aliquem ex Sanctis. Circa quam prædicti Doctores, referendo Altisiodor. Alex. Bonav. Marsil. Adrian. Angel. Sylvest. Tabienam, & Armillam, docent, in prædicto casu esse imaginibus apparentibus adorationem sub prædicta conditione tribuendam;& moventur,quia, quod insolitum est, & præter communem morem accidit, non est leviter tanquam verum, aut bonum amplectendum; sed quod Christus in imaginibus appareat, aut loquatur, insolitum est: ergo statim, absolute, & sine vlla conditione adorari non licet. ¶ Deinde: quia istæ apparitiones tam à bono, quàm à malo spiritu fieri solent: ergo si absolute adorentur, committimus nos morali periculo errandi, & idolatrandi. Quod etiam expresse tenet Medina 3. part. quæst. 25. art. 3. quæst. 2. concluſ. 2. & 3. pag. mihi, 557. & Leander *in Decalog.* tract. 7. disp. 1. quæst. 33.

Imagines in revelationibus apparentes sunt absolute adorandæ.

95 Sed Vazquez in 3.part. disp. 110.cap. 5. num. 5. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 3. num. 5. & NN. Salmant. tom. 2. disp. 37. dub. 3. num. 53. docent, prædictas imagines posse absolute adorari, dummodo adsit recta intentio, & affectus. Et ratio est: quia Christus sub quacumque imagine appareat, est absolute adoratione dignus; sed ibi Christus sub illa imagine apparet: ergo absoluta adoratione dignus est. Quæ ratio est meo videri, adeò demonstrativa, vt convincat, sicut supr. docuimus tract. 20. cap. 6. punct. 3. à num. 14. eodem modo deberi adorari Christum sub imagine apparenti, etsi dubitetur, an sub illa deliteſcat Dœmon? Et ratio est: quia tunc casus dubium non cadit supra repræsentationem imaginis, sed circa loquutionem deliteſcentis sub illa; sed quando imago certo, & evidenter repræsentat Christum, absolute adorari potest: ergo tunc absolute adorandus est, si velit eum adorare; sicut absolute hostiam adoramus, & si sub illa posit Christus ex prava intentione consecrantis non adesse. Quare non credimus consulendam esse tunc omissionem adorationis, vt quid melius, aut tutius, quia in præcisa adoratione nullum sentimus esse, aut posse esse erroris, aut idololatriæ periculum. Est tamen consulendum, ne facile præbeatur assensus sub illa imagine loquenti, maximè à mulieribus; quia cum imbecilioris phantasiæ præhominibus sint, anxiæ que, & valde revelationum cupidæ; & alias, vt ait Philosophus in politicis, minus ratione polleant, facilius Dœmonum fraudibus decipientur. Quare dum de revelationibus,& loquutionibus prudèter suspicatur, aut timetur non est illis credendum,sed potius probandum,an exDeo sint,& quod bonum est, tenendum. Regulas vero discernendi veras revelationes, & loqutiones à falsis, tradunt Medina loc. citat. pagin. 159. & S. M. N. Theresia in lib. vitæ cap. 25. & alibi sæpe.

Corollariũ ex præcedenti doctrina.

96 Ex quibus infertur primò:Sacras Imagines vere, proprie, & in se vt *quod* adorari. Et ratio est: quia illud vere, & proprie adoratur, vt *quod*, quod est obiectum terminans adorationem; sed Sacræ Imagines terminant adorationem saltem vt obiectum materiale, & secundarium, alias non permitteret Ecclesia, eas adorari vere, & proprie; ergo adorantur vere & proprie vt *quod*. Deinde illud in se, & vt *quod* adoratur, quod in se habet adorationis motivum, licet hoc totum ab alio dependeat; sed Sacræ Imagines habent in se relationem similitudinis, seu repræsentationem rei sacræ, quæ est adorationis motivum, licet cum omnimoda dependentia à re repræsentata: ergo vere in se, & vt *quod* adorantur. Sic Bellarmin. loco citat. cap. 21. Medina 3. part. quæst. 25. art. 3. dub. 3. &Castillo disp. 20. quæst. 5. part. 4. docentes, contrariam sententiam Durandi in 3. dist. 9. quæst. 2. & aliorum asserentium, *vt quo* tantum adorari, esse periculosam, & sapientem hæresim. Sed quid quid sit de hoc.

Nomina sacra, & res ad divinum cultum spectantia adoranda sunt vt quod, eadem adoratione, ac Deus, vel Christus.

97 Infertur secundò: Nomina sacra, & alias res, vt Sacramenta, calices, altaria, corporalia, Sacerdotalia vestimenta, &c. adoranda esse eadem adoratione, ac Deus, vel Christus. Et ratio est: quia hæc omnia, vel significant Deum, aut Christum; vel vt illius propria reputantur, & ad eum relationem dicunt: ergo sicut Imagines ob similem repræsentationem venerantur eodem cultu ac Deus, vel Christus, idem dicendum est de Sanctis Nominibus Dei, Iesu, &c. & alijs sacris rebus, seu ad divinum cultum ex institutione Ecclesiæ pertinentibus. Qua propter praxis Ecclesiæ est, audito Nomine Iesu, & Mariæ caput aperire, & inclinare, ea que depicta deosculari, vel alio religioso cultu omnes res sacras venerari. Ita Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. quæst. 12. Suarez 3.part. disp. 56. sect. 5. Vazquez 3.part. quæst. 25. art. 3. disp. 108. cap. 11. NN. Salmant. tract. 21. disp. 37. à num. 55. Bonacin. tom. 2. disput. 3. quæst. 1. punct. 3. numer. 9. & alij.

Datur præceptum vtẽdi sacris Imaginibus, & eas adorandi.

98 Vltimo rogabis: An detur præceptum vtendi Sacris Imaginibus, & quos obliget? Respondetur cum Suarez loc. cit. disput. 54. sect. 7. nullum de hoc dari præceptum naturale, divinum, aut Ecclesiasticum; quia nec sola ratione naturali potest demonstrari, teneri fideles, vti imaginibus ad Deum colendum; nec constat ex sacra Scriptura, aut Apostolica traditione: nec denique est Ecclesiæ expressum præceptum ad id cogens. Vnde tantum ex consuetudine Ecclesiæ introductum est, quod saltem in communi fideles teneantur sacris imaginibus vti. Quæ consuetudo, quia vim legis habet, ideò dici potest, de tali vsu adesse Ecclesiasticum præceptum. Quod sic probatur; quia templa, & altaria ornare imaginibus debemus, alias non leve adesset fidelium scandalum; sicut etiam generaretur, si videremus aliquem privatim domi eas non collocare: ergo ex consuetudine Ecclesiæ,& fidelium,datur præceptum vtendiSacris Imaginibus. ¶ Notat tamen Suarez, quem sequuntur

tur Trullench dub. 7. num. 14. & Leand. quæst. 3. quod si quis ex avaritia, aut negligentia Imaginibus privatim non vteretur, hic contra hunc præceptum minimè peccaret; quia non singulos, sed in communi, fideles obligat. ¶ Ex quo vsu sequitur, adesse duplex aliud præceptum, scilicet præceptum affirmativum eas adorandi, & negativum eis iniuriam nō inferendi: Ex quibus præceptum negativum semper ex genere suo sub mortali obligat; cum eius materia ad Religionem expectet: affirmativum vero, in ratione talis, solum temporibus determinatis: vt si v. g. esset necessaria hæc adoratio ad fidem confitendam, aut ad publice coadorandum cum alijs; vel si aliqua actio exercenda esset circa Sacras Imagines, quæ adorationem illius necessario exigeret. Videantur Doctores supra relati.

PUNCT. IX.

De cultu Sanctorum reliquijs exhibendo.

PLura quæ huc vsque diximus de cultu Sacris Imaginibus exhibendo, eadem proportione, & pari ratione Sanctorum Reliquijs conveniunt; & ideò in hoc primò §. ea & alia non ita difficilia extremis digitis, & per modum suppositionis attingemus. In secundò vero §. quæ specialiora, & difficiliora sunt, resolvemus.

§. I.

Nonnulla circa adorationem Reliquiarum supponuntur.

Reliquiæ Sanctorum sunt veneratione dignæ.

99 SUpponendum est primò vt de fide certum, Sanctorum Reliquias esse adoratione dignas, & sacro honore ab omnibus esse habendas, & magna reverentia tractandas. Ita definitum est in Concilio Nicæno 2. act. 3. Gangrensi canon. vlt. Cartaginensi 5. can. 5. Bracarensi 3. can. 5. Moguntino can. 51. Lateran. 2. sub. Inn. III. cap. 62. & denique Trident. sess. 25. cap. 2. Constat que ex Gen. 50. & Exod. 13. vbi legimus ossa Iacob, & Ioseph cum magno honore esse conservata, & sepulta. Et 4. Reg. 13. constat, Deum per ossa P. N. Elisæi mortuum suscitasse; quod minime fecisset, si vt inquiunt hæretici, Sanctorum corpora, & ossa contemneret. Item 4. Reg. 23. de Iosia dicitur, quod delubra Idolorum evertens, & redigens in cineres defunctorum corpora, attamen Elisæi ossa intacta servari iusit. ¶ Vltimò Matth. 9. mulier tangens vestimenti Christi fimbriam statim sanata est. Et Act. 19. D. Pauli sudaria, & semicinctia deferebantur ad languidos, & recedebant ab eis languores, & spiritus *nequam* egrediebantur: ergo quia Deus Reliquias Sanctorum honorat, vult que ab hominibus religioſe coli. Sic que testatur hoc praxis communis Ecclesiæ, & fidelium, miraculis passim confirmata. Videantur Bellarmin. controvers. 3. tom. 2. lib. 2. cap. 3. Suarez in 3. part. tom. 1. disput. 55. NN. Salmant. tract. 21. disput. 38. à num. 1. Sanchez lib. 2. Summ. cap. 43. Palaus tract. 8. disp. 1. punct. 6. Leand. tract. 7. disp. 4. quæst. 1. Bonac. tom. 2. disput. 3. quæst. 1. punct. 4. Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 9. dub. 8. num. 1. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. quæst. 5. & alij contra Vvicleph, & alios hæreticos, quos erudite refutat Bellarm. citat. à cap. 1.

Adorantur eadem adoratione ac personæ cuius sunt Reliquiæ.

100 Supponendum est secundò: Sacras Reliquias adorandas esse eadem adoratione, qua personæ, quarum sunt, adorantur. Et ratio est: quia Reliquiæ, vt tales, dicunt relationem ad personas, quarum sunt Reliquiæ; sed ob hanc relationem adoramus Sacras Imagines eadem adoratione, ac protho-typum: ergo & Reliquias. ¶ Deinde ostenditur ratione D. Thomæ: qui habet ad aliquem affectum, etiam ea, quæ de ipso post mortem reliquuntur, vt corpus, vestes, & similia veneratur; sed Sanctos colere debemus, & ad eos affectum habere, tanquam ad Christi membra, & vt Dei filios, & amicos, vt sup. dictum est: ergo eadem veneratione eorum corpora, quæ fuerunt organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, colere debemus. ¶ Ex quibus sequitur, quod Christi præputium, & eius sanguis in aliquibus eius passionis instrumentis manens, latria adoranda sunt; at B. Mariæ V. lac, capilli, &c. hiperdulia; corpus denique, ossa, vestes, & similes Sanctorum partes dulia venerari debentur. Ita D. Thom. 3. part. quæst. 25. art. 4. & 6. Quem sequuntur locis sup. cit. Palaus num. 2. Bonac. num. 4. Trullench num. 4. Sanchez num. 2. & alij quam plures, quos sequuntur NN. Salmant. à num. 4.

Hæreticorū argumenta.

101 Sed arguunt Hæretici. Si Reliquiæ Sanctorum, v. g. frustullum carnis, vel ossis, aut eorum cineres, essent venerandæ, idem dicendum esset de vermibus, in quos Sanctorum carnes conversæ sunt; sed hoc est falsum: ergo nec aliæ sacræ Reliquiæ sunt venerandæ. ¶ Vlterius: si ob contactum ad Sanctos essent Reliquiæ adorandæ, vt faciunt Catholici; esset adoranda asina, in qua Christus sedit, os Iudæ Christum deosculantis, & manus Iudæorum eum crucifigentium; sed hoc est impium: ergo, &c. ¶ Vltimò: Reliquæ in se, vt pote inanimatæ, sunt adorationis incapaces; & alias plurimæ Reliquiæ sunt falsæ, & forte alicuius asini partes: ergo non est decens eas adorare. Sic contra Catholicos debachant hæretici, sed eorum iniuria facile dispellitur.

Respondetur.

102 Ad primum respondetur cum Sanchez lib. 2. cap. 43. num. 2. Suarez disp. 55. sect. 1. in fine, 3. part. disp. 112. cap. 8. n. 29. Palao citat. num. 1. quod licet ratione contactus omnia, quæ Sanctos tetigerunt, possimus adorare, tanquam eorum Reliquias ad eos relationem dicentes; tamen quando res eos tangentes, sunt indecedentes, fætidæ, putridæ, obscænæ, &c. in eis non concipitur re-

ligioſe prædicta relatio;& ideò ab eorum adoratione abſtinendum eſt. Quam ob cauſam non licet, adorare Sanctorum ſputa, & alia excrementa; nec ſimiliter aſinos, in quibus ſederunt, ob indecentiam, quæ in eis adeſt, & idem de manibus crucifigentium diximus ſup. num.20. ¶ Ad ſecundum patet ex dictis pro concluſione, toto que hoc capite, vbi docuimus, Reliquias Sanctorum ex ſe nullam relationem terminare, niſi in quantum relationem ad eos dicunt: quare vt ſancte adorentur, nihil obeſt, quod res inanimatæ ſint. ¶ Et ad id, quod additur de incertitudine aliquarum Reliquiarum, patebit ex immediate dicendis; vbi explicabimus, quæ notitia ſufficiens ſit, vt prudenter eis adorationem exhibeamus.

Certitudo neceſſaria ad licitam adoratio-nem reliquiarum.

103 Sed rogabis hic: quæ certitudo requiratur, vt Sanctorum Reliquias licite adorare poſsimus? Reſpondetur, quod præſens quæſtio, vel procedit de culto publico, aut privato? Si de privato, dicendum eſt cum Sanchez cap. 43. num.13. Palao punct.6.n.3. Azor tom. 1. lib.9. cap.8. quæſt.8. Trullench cap. 9. dub.8.num.6. Barboſa de Poteſt.Epiſcop. part.3. alleg.97. num.18.Bonac. diſp. 3. quæſt.1. punct.4. num.5. & alijs,ſufficere moralem certitudinem de veritate illarum, vt eas abſolute adorare poſsimus. Quæ certitudo tunc datur, quando id teſtificat vir probus, fide dignus, & Religioſus; hæc enim notitia ſufficiens eſt, ad eas abſque aliquo periculo religioſo cultu adorandas. Et ratio eſt: quia, dum alia contraria non adeſt, ſat eſt, vt ſis moraliter certus de veritate illarum, & vt tute illas, ſive ſint Sancti, etiam nondum beatificati, ſive non canonizati, venerari private liceat. Si autem de cultu publico loquamur ſic ait Concili Trident.ſeſſ.25.cap.2.in fine: *Statuit Sancta Synodus nemini licere vllo in loco, vel in Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem::: nec novas Reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente, vel approbante Epiſcopo.* Vnde Reliquiæ noviter inventæ, ſolum poſtquam ſunt ab Epiſcopo approbatæ, publice adorari poſſunt.

Non poteſt Epiſcopus approbare Reliquias Sancti nondum beatificati.

104 At circa prædicta Concilij verba nota, Epiſcopum tantum poſſe approbare novas Reliquias Sancti à Summo Pontifice beatificati; ſi enim adhuc beatificatus non ſit, nec approbare, nec publice adorandas proponere poteſt, vt docent Sanchez n.10. Azor quæſt. 8. cit. Palaus num. 3. & alij, quos refert, & ſequitur Barboſa in dict.cap. Concilij, n. 9. & de Poteſt. Epiſcop. part.3. allegat.97. num.10. Et ratio ſumitur ex cap. *fin.de Reliq. & Venerat. Sanct.* vbi decernitur, Reliquias denuo inventas ſine Summi Pontificis authoritate non eſſe publice adorandas. Vnde bene advertit Sanchez in hoc cap. Tridentinum Epiſcopis nullum novum privilegium conceſsiſſe, ſed tantum formam in Reliquijs approbandis tradidiſſe. ¶ Nota ſecundò cum Barboſa loc. proximè cit. num. 11. quod Sacra Congregatio cenſuit: *Reliquias, quæ fuerint antiquæ* (etiam ſi non ſint Sancti canonizati) *habendas eſſe in illa veneratione, qua hactenus fuerunt.* Et idem dicendum cum Bonac. diſp.3.quæſt.1. punct.4. num.5. Sanchez num. 11. & Suarez diſp. 55. ſect.2. Trullench num. 7. quod approbat citatus Barboſa de Reliquijs antiqua traditione, & vniverſali conſenſu approbatis; nam hæc approbatio canonizationi æquipollet, vt ſupra diximus, & antiquitus alia ſolemnitas pro Sanctorum canonizatione non reſervabatur. Quare has Reliquias approbare, & publice adorandas proponere valet quilibet Epiſcopus ſub forma à Concilio aſsignata, hoc eſt adhibitis prius in conſilium Theologis, & alijs pijs viris: licet vt notant Barboſa num.17.& Palaus num. 5. eorum ſententia audita, poſsit ipſe contra eorum placita decidere. Cæterum, quia talis approbationis actus non eſt iuriſdictionis contentioſæ, poteſt extra Diœceſim exiſtens, licentiam concedere, vt in ſua Diœceſi à fidelibus publice adorentur. Ita Barboſa num.16. Sanchez num. 14. Bonac. num. 6. & alij.

Deciſio difficultatum circa dicta pertinet ad Concilium Provinciale

105 Denique addit Tridentinum: *Quod ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua gravior quæſtio de his rebus incidat, Epiſcopus, ante quam controverſiam dirimat, Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum in Concilio Provinciali ſententiam expectet*, ita tamen *vt nihil, inconſulto Romano Pontifice, novum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.* Circa quæ verba optime notat Fagundez in 5. Eccleſiæ præcepta lib. 1. cap. 4. num. 5. quod ſententia Concilij Provincialis non eſt conſultiva, ſed deciſsiva; vnde expectanda non eſt proprij Epiſcopi deciſsio. Et ratio ſumitur ex verbis Concilij: nam de Theologis habetur, quod adhibeantur tantum eorum conſilia; de Concilio vero Provinciali, quod eius ſententia expectetur: ergo, &c. Videatur etiam Barboſa citat. allegat.97.n.17. ¶ Qua ergo certitudine, aut Epiſcopi approbatione ſuppoſita, concors Catholicorum ſententia eſt, poſſe licite eas fideles adorare; quia tunc iam abeſt erroris formale periculum, & ſimul adeſt certitudo moralis,quod licite,& prudenter operamur.

Licitum eſt Reliquias decenter ornatas ad collum ſuſpenſas geſtare.

106 Hac ergo morali de veritate reliquiarum habita notitia, conveniunt Doctores in eo, quod eas geſtare collo decedenter, & religioſe ſuſpenſas, pium, & licitum eſt, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 96. art. 4. ad 3. NN.Salmant. tom.10. tract.21. diſp.38.dub. 1. num.7.in fine, & alij videndi apud Sanchez lib. 2. Decal. cap. 40. num. 27. Palaum tr.8. diſp.1. punct. 6. num. 9. & Leand. tract. 7. diſp. 4. quæſt.19. Et ratio eſt evidens: quia cedit hæc delatio in Sanctorum cultum, & alias nullam ibi ſupponimus adeſſe indecentiam, aut fœditatem, vel periculum, quod obſcœnitate poſsint pollui; ſi enim hoc periculum adeſſet, illicitum eſſet eas, ſic geſtare, & gravis contra Religionem culpa committeretur, vt tradunt Azor tom.1. lib. 9. cap. 8. quæſt.12.Palaus loc.cit. Leander tract.7.diſp. 4. quæſt. 20. & alij. Hæc communia ſunt, & ideò ea tetigiſſe ſufficiat, ſequentia vero lentius decidemus.

§.II.

§. II.

Reliqua ad Reliquiarum venerationem pertinentia proponuntur.

Delatio Reliquiarũ non multiplicat peccatũ.

107 His ergo suppositis: Inquires primò: An qui, quando furatur, mæchatur, vel occidit, secum defert Sanctorum Reliquias, peccet etiam contra earum cultum? Affirmant Philarcus de Officio Sacerdot. tom. 1. lib. 3. cap. 9. ad finem, v. 4. quia videtur tunc inferri irreverentia non levis Sanctis, & eorum Reliquijs, cum in eorum conspectu graviter Deum offendere audeat. ¶ Sed negant probabilius Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. quæst. 6. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 40. num. 28. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 7. Palaus punct. 6. cit. num. 10. Trullench lib. 1. Decal. cap. 9. dub. 8. num. 11. Fagundez lib. 1. cap. 4. n. 13. & alij, quia licet aliqua adsit irreverentia; tamen nec hæc aliquo præcepto speciali prohibetur; nec huius modi peccata directe cultui Reliquiarum opponuntur; aut inde sequitur, eas turpiter tunc contrectari: ergo sine sufficienti fundamento affirmatur, adesse novum peccatum. Quod vrgeri amplius potest. Nam virtuose operari, gestando ad collum Reliquias, non est circunstantia afferens novam speciem bonitatis actui: ergo è contra nec erit speciale peccatum, vitiose, & turpiter operari, eas similiter secum deferendo. Ex quibus satis constat ad rationem contrariæ sententiæ; & maximè, quia si illa teneret, sequeretur, quod quodlibet peccatum acciperet distinctam malitiam, ex quo fiat coram Deo, in cuius conspectu certum est, omnia patrari: ergo si hoc est falsum, etiam erit sententiæ contrariæ motivum.

Ablatio Reliquiæ est furtum, & sacrilegiũ.

108 Inquires secundò: An sit peccatum, Reliquias Sacras devotionis causa furari, aut de eis aliquid detrahere? Supponunt Doctores, quod qui ab infidelibus furripit, licite operatur; cum eas ab irreverentiæ, & pollutionis periculo liberet; & alias infideles iniuste illas possideant. Ita Sanchez Palaus, Bonacina, & alij infra citandi. Quare difficultas procedit, quando ab alio fideli furantur. Et ratio pro parte negativa est, quia Reliquiæ non sunt prætio æstimabiles; sed sumere invito Domino, quod non est pretio æstimabile, furtum non est: ergo nec est furtum, Reliquias furari. ¶ Sed nihilominus omnino certum est, in prædicto casu furtum, & sacrilegium committi. Et ratio est: quia furari invito Domino rem sacram, quæ tantæ æstimabilitatis est, vt nullo pretio temporali compensari potest, gravior iniuria illi infertur, quam temporalia bona furripiendo, quæ prætio adæquari possunt: ergo etiam erit gravius furtum. ¶ Nota tamen hic, quod non requiritur, quod magna Reliquiæ quantitas auferatur, vt læthale committatur peccatum. Et ratio est: quia parvitas materiæ, quæ à Doctoribus conceditur in Reliquiarum furto, non mensuratur ab earum quantitate, sed potius ex qualitate, & raritate illius. Vnde parva particula ligni Crucis, Coronæ spineæ, aut alterius Reliquiæ, magni ob eius raritatem, aut qualitatem à Domino æstimatæ, res gravis est, & eius ablatio grave furtum, & sacrilegium. Sic Sanchez cap. 43. lib. 2. Decalog. num. 23. Palaus tract. 8. disp. 1. punct. 6. num. 19. Sylvest. verb. Reliquiæ, Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. quæst. 9. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 8. Trullench lib. 1. cap. 9. dub. 8. num. 12. Leand. tract. 7. disp. 4. quæst. 24. & 27. & alij apud ipsos. Ex quibus Leander addit ex Prado tom. 2. cap. 22. q. 2. §. 1. num. 18. Bannez, Navarro, Molina, & alijs, quod mortaliter peccat, qui parvam Reliquiæ partem furripit ei, qui scit, esse valde ob hoc contristandum.

Pœnæ contra Reliquias Sacras rapientes, & asportantes.

109 Inquires tertiò: An sit aliqua pœna à iure imposita contra Reliquiarum fures? Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. quæst. 10. quem sequuntur Trullench lib. 1. Decal. cap. 9. dub. 8. num. 12. & Sylvester probat ex cap. *Quis quis*, §. *Si quis Dominum* 17. quæst. 4. tenent prædictum Reliquiarum furem ante primam admonitionem incurrere excommunicationem minorem, post tertiam vero incurrere maiorem. At Suarez tom. 1. in 3. part. disp. 22. sect. 2. num. 9. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 43. num. 24. Palaus tract. 8. de Adoratione, disp. 1. punct. 6. num. 21. docent, quod pœna in prædicto textu taxata, ad summum est excommunicatio minor, & quod tantum sit lata contra eos, qui muros, & fores Ecclesiæ frangit, cum dicatur ibi: *Si quis domum Dei violaverit, &c.* quæ verba præfatam violentiam satis indicant. ¶ Sed quia ex dict. tract. 10. cap. 3. punct. 14. num. 158. constat, nullam incurri excommunicationem minorem, nisi quando communicamus cum excommunicato; ideò dicimus ob tale crimen nec prædictam pœnam posse incurri. ¶ Barbosa vero 3. part. de Offic. Episcopi, allegat. 50. num. 158. quem sequuntur Palaus, Trullench, & Leander tract. 7. in Decal. q. 35. affirmat, Gregorium XIII. in constit. quæ incipit: *Pontificiæ solicitudinis* excommunicasse excommunicatione maiori sibi reservata eos, qui sine Summi Pontificis concessione in Provinciam Mediolanensem sacras Reliquias asportarit: item qui ab vna Ecclesia ad aliam eas transtulerit; qui aliquam earum particulam concesserit, donarit, aut etiam acceperit. ¶ Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 9. & tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 13. num. 5. §. *Incid.* affert ad verbum excommunicationem latam à Paulo V. die 14. Aug. ann. 1613. contra eos, qui extrahunt Reliquias sine Pontificis licentia ex cæmenterijs, criptis, vel catacumbis, tam Romæ, quàm alibi existentibus; & insuper docet num. 9. in iure communi vetitum esse, Reliquias perpetuæ sepulturæ traditas, alio transferri absque Summi Pontificis, vel Episcopi licentia; nisi ad aliud cogat vrgens necessitas. Cui adhæret Trullench num. 12. referens Sylvest. Armill. & Palaum; sed hic Doctor expresse id loco relato non tenet. Sed quid quid sit de hoc; cum eodem Palao dicendum est, quod si ali-

cui à Summo Pontifice sit concessa facultas, ex cæmenterijs extrahendi Sanctorum Reliquias, posse eas alijs donare, & quo voluerit, asportare; cum hæc licentia in prima includatur. Videatur Azor lib. 9. cit. cap. 8. quæst. 10.

Impugnatur aliquorum Prælatorum audacia in Reliquijs dilacerandis, & transportandis.

110 *Vnde multum admiramur* (loquimur verbis NN. Salmant. tom. 10. tract. 21. disput. 38. dub. 1. num. 7.) *& non minus dolemus temerariam audaciam, vel turpem ignorantiam aliquorum Prælatorum Regularium (quantumvis superiores sint) qui prætextu videndi, aut transferendi corpora sacra aliquorum Beatorum, pertinentia ad quædam sui Ordinis Monasteria, ipsa corpora, (si licet ita loqui) trucidant, attenuant, lacerant, & diripiunt, insignes portiones Reliquiarum inde asportantes, vt eisdem ditent, quos volunt. Non enim dubitamus, id esse manifestum furtum, & gravissimam illorum Monasteriorum, aut templorum iniuriam, ad quæ illa sacra pignora pertinent.*

Roboratur præcedens impugnatio.

111 Hæc NN. Salmant. loco cit. & recte quidem: tum, quia similes Reliquiæ, & aliæ notabiles, maximè theccis clausæ, computantur inter res pretiosas Monasterij, vt diximus tom. 4. tract. 18. cap. 7. num. 34. & quas absque consensu illius, & alijs conditionibus à Summis Pontificibus respective requisitis, nullus alienare potest, vt ibidem late docuimus. Et respectu bonorum Monasteriorum N. Ordinis Gregor. XIII. & Paulus V. solum concessere facultatem, ea alienandi, ex consensu maioris partis Capituli, & Diffinitorij Generalis, & sub conditione, quod in Monasterij vtilitatem cedant, vt videri potest in Bullario novissimo N. Ordinis, Bulla 17. Pauli V. pag. 324. ergo Prælati, quantumvis superiores, iniuste agunt, gravissime que peccant, prædictas Reliquias dilacerando, aut alibi transferendo, & consequenter ad restitutionem tenentur, neque aliter hoc peccatum expiari potest. Tum etiam, quia vt refert N. Ordin. Historia, tom. 1. lib. 5. cap. 30. & 31. num. 3. licet ex consensu totius Capituli Generalis corpus S. M. N. Theresiæ ex Alba in Abulam anno 1582. fuerit translatum; nihilominus Sixtus V. iussit, iterum illud reduci ad Conventum Albæ, in quo à principio iacuit: ergo quia sensit, iniuste agere Religionum Prælatos, privando Conventus particulares Sanctorum, aut Beatificatorum, aut cuiuscumque alterius Venerabilis Religiosi corporibus, vel aliqua eorundem insigni Reliquia. Videatur prædicta Historia cap. 31. num. 6. vbi refert Sixtum V. sub excommunicatione prohibuisse, ne è corpore S. M. N. Theresiæ deinceps quis aliquam particulam adimere auderet.

Prohibitio Pótificia ad non extrahendum Reliquias S. M. N. Theresię, & B. P. N. Ioannis à Cruce ab Ec

112 Sed quia hæc, & alia decreta efficere non potuerunt, vt corpus, tam M. N. S. Theresiæ, quàm Beati Ioannis à Cruce integrum conservaretur; ideò Innoc. XI. in quadam Bulla anno 1689. die 19. Februarij expedita, cuius tenor habetur in Bullario Ord. pag. 466. prohibet: *Ne de cætero quævis persona, sive regularis, sive sæcularis cuiusvis gradus, conditionis, & dignitatis etiam Ecclesiastica, quacumque superioritate, & officio fungens, etiam individua mentione digna, dictas Reliquias, seu aliquam illarum partem, è dictis Ecclesijs, seu domibus (scilicet Albæ, Segoviæ, & Vbedæ) sub quovis prætextu, colore, ingenio, causa, ratione, & occasione, absque expresso Capituli Generalis eiusdem Congregationis assensu, & illius pro tempore existentis superioris Generalis decreto extrahere, & asportare, seu vt extrahatur, aut asportetur permittere, aut consentire audeat, vel præsumat sub excommunione latæ sententiæ, à qua nemo nisi à nobis, aut à Romano Pontifice pro tempore existenti, absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo constitutus, & non nisi facta debita restitutione, obtineri possit, ac quod ad Regulares etiam sub privationis vocis activæ, & passivæ pœnis; eo ipso absque alia declaratione per contrafacientes incurrendis, authoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus, & prohibemus. Non obstantibus, &c.* Ex quibus constat nullum, etiam si sit ipsa Communitas, seu Conventus, in quibus tales Reliquiæ existunt, sine consensu Capituli Generalis, & de decreto P. N. Generalis posse sub pœnis relatis, aliquam, quantumvis parvam, Reliquiam, tam S. M. N. Theresiæ, quàm B. Ioann. à Cruce existentem respective (hoc est Reliquiam S. M. N. Theresiæ in Conventu nostrarum Monialium Albæ, B. Ioann. à Cruce in Conventu nostrorum Religiosorum Segoviæ, & Vbedæ) donare, extrahere, vel alienare. Quod intelligendum est de Reliquijs prædictis tunc in eis existentibus; vnde si aliæ de novo acquirantur, sub prædicta prohibitione non continentur, sed sub generali num. 108. relata.

cleſijs Albæ. Segobiæ, & Vbedæ.

Victores peccant cõtra iustitiam Ecclesiæ: Reliquis spoliando.

113 Inquires quartò: An peccaret mortaliter peccato iniustitiæ, & sacrilegij Dux, vel miles, qui in bello iusto capiens civitatem, Reliquias ab eius Ecclesijs surriperet? Negat Ioannes Ferrando in disquisit. Reliq. lib. 1. cap. 8. art. 3. quia bona in bello iusto capta, ad vincentes attinent: ergo, &c. Sed contraria sententia omnino tenenda est cum Diana part. 10. tract. 16. resolut. 74. Tum quia bona Ecclesiæ ob delictum Civitatis capi non possunt, nec Ecclesiastici puniri debent, vt est communis sententia: tum etiam quia sic tenet communis Principum praxis; nullus enim audet Ecclesias, & earum bona attingere. Vnde si forte aliquis militum ea eripit, graviter punitur; & ad restitutionem cogitur. Quare prima sententia est omnino à catholicorum libris expungenda.

Quid dicendũ de ostendentibus Reliquias vt accrescãt eleemosynæ?

114 Inquires quintò: An licite exponi possint Sacræ Reliquiæ, vt hac occasione eleemosynæ largiores offerantur? Supponimus, Reliquias antiquas extra Capsam ostendi non posse, vt præcipitur in cap. *Finali de Reliquijs & veneratione Sanctorum*, ne sacra ossa, si iam sint carne spoliata, existimentur non esse Sanctorum Reliquias, & à rudi populo detrahantur, vel minus decenter venerentur. Quæ ratio prædicti textus cum in alijs Reliquijs non ita antiquis militet, etiam illicitum erit, eas extra Capsam ostendere. ¶ Secundò supponimus, eas deberi asservari in locis honestis, niti-

tidis, & decoris vaſculis, capſis, vel arcis; alias contra venerationem rebus ſacris debitam delinquetur. ¶ Quibus ſuppoſitis Abbas *in dict. cap. fin.* Angel. verb. Reliquiæ. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. quæſt. 7. & alij docent, illicitum eſſe, exponi Reliquias, vt hac occaſione eleemoſynæ accreſcant. Et moventur, nam in cap. fin. cit. dicitur: *Ne venales exponantur.* Et Tridentinum ſeſſ. 25. mandat, *quod in Reliquiarum veneratione omnis turpis quæſtus eliminetur*; ſed exponere Reliquias, vt hac occaſione eleemoſynæ accreſcant, eſt aliquomodo eas venales exponere, & turpis quæſtus quæri: ergo illicitum eſt.

Propria mens declaratur.

115 Sed nihilominus dicendum eſt, quod, & ſi principaliter intendatur expoſitione Reliquiarum, quod eleemoſynæ accreſcant, dummodo omne pactum deficiat, non eſt illicitum, eas hac intentione exponere. Et ratio eſt: quia oſtenſione Reliquiarum intendere acquiſitionem eleemoſynarum, non eſt eas venales exponere, nec ibi turpis quæſtus intervenit; quia ad hoc requiritur conventio, ſeu pactum, quod niſi ob elargitionem eleemoſynarum non oſtenderentur; ſed in præſenti caſu tale pactum non datur: ergo nec venales exponuntur Sanctæ Reliquiæ, nec per eas turpis quæſtus intenditur. ¶ Deinde; quia qui prædicta intentione reliquias oſtendit, ſolum intendit, fideles movere ad elargiendas liberaliter eleemoſynas, non vero ad hoc eos obligare; ſed media oſtenſione Reliquiarum intendere liberalem elargitionem eleemoſynæ, non eſt Simonia, nec eas venales exponere; aut turpem quæſtum quærere: ergo hoc licitum eſt, & liberum ſaltem à culpa mortali. Diximus *à culpa mortali*, quia ſaltem venialis abeſſe in hac intentione nequit, cum detur deordinatio aliqua à virtutis Religionis fine. ¶ Ex quibus conſtat ad rationes ſententiæ contrariæ. Concilium enim ſolum prohibet quæſtum, de quo loquitur *cap. fin. citat.* cum dicat: *Omnis turpis quæſtus eliminetur.* Ideſt antiquus iam prohibitus; ſed quæſtus antiquitus prohibitus erat, qui ex ſe eſt turpis, qualis eſt venalis; non vero qui accidentaliter, & ex prava tantum intentione operantis eſt turpis, qualis eſt de quo in caſu præſenti procedit quæſtio: ergo primus eſt, qui ſolum à Concilio prohibetur, non autem ſecundus. Noſtram reſolutionem defendunt Armilla verbo Reliquiæ, num. 1. Tabiena ibi. Sotus lib. 9. de iuſtitia, quæſt. 6. art. 2. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 43. num. 23. Palaus tract. 8. diſp. 1. punct. 6. num. 18. & alij.

Illicitum eſt Sacras Reliquias, & Agnos cereos vendere.

116 Inquires ſextò: An ſacras Reliquias, & cereas formas, quas *Agnus Dei* communiter appellamus, liceat vendere, aut tangere? Plura ſub hac quæſtione comprehendimus, quia fere eadem eſt in omnibus difficultas. Pro cuius reſolutione dicendum eſt: ſimoniacum eſſe ſacras Reliquias, & agnos vendere. Primum conſtat *ex cap. fin.* & ſeſſ. 25. Tridentini citatis numero præcedenti, vbi talis venditio prohibetur. Secundum patet ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Omni certe ſtudio* edita 8. Kal. Iulij ann. 1572. vbi ſic ait: *Statuimus, & ordinamus, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, prohibemus, & interdicimus, ne quiſquam ſive vir, ſive mulier, Sæcularis, aut Eccleſiaſtici, etiam Regularis Ordinis ille ſit, & quocunque gradu, conditione, &c. præcellat: poſt hac in poſterum Agnos Dei, per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem benedictos, pingere, infingere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud ſuper inducere, neque depingi, aut miniari facere; nec illos venales proponere, ſeu tenere, quovis prætextu audeat. Verum illos albos, & mundos, Agnum illum purum, & innocentem repræſentantes, qui occiſſus pretioſo ſanguine ſuo nos redemit, decenter, ac reverenter à cunctis haberi, deferri & cuſtodiri præcipimus, & ab omnibus ita fieri, & cenſeri decernimus.* Et ratio vtriuſque prohibitionis eſt, quia prædicti Agni (cum ſint Chriſti imagines, & à Summo Pontifice varijs cæremonijs benedicti, chriſmate conſecrati, & ad cultum Dei deſtinati, per quos Deus mirabilia operatur contra fulgura, fulmina, tempeſtates, incendia, Dæmonumque incurſus teſte Durando in Rational. Divin. Offic. lib. 9. cap. 79.) ſunt tanquam aliæ ſacræ Reliquiæ ab omnibus venerandæ; ſed ſacras Reliquias vendere, Simoniacum eſt: cum res ſpiritualis pretio æſtimetur: ergo eos vendere, ſimoniacum eſt.

Quædam circa dicta notanda.

117 Sed nota primò: Poſſe licite vendi prædictos Agnus ratione materiæ, & expenſarum in eis efformandis, & aſportandis: quia calices, & alia vaſa ſacra ratione materiæ ſunt pretio æſtimabilia, & licite venduntur: ergo & Agni. Vnde ſequitur, quod etiam aliæ ſacræ Reliquiæ ratione matetiæ capſæ, in qua ſunt incluſæ, poſſunt licite vendi, ſed non maiori pretio, quo eius materia æſtimabilis eſt. ¶ Nota ſecundò: quod, qui Agnos depingendo, excommunicationem iam contraxit, poteſt eos licite retinere; ſed non ad ſimoniace vendendum. ¶ Nota tertiò: prædictam conſtitutionem eſſe in viridi obſervantia, maxime cum iam ſit in corpore Bullarij Romani. Huc vſque dicta tenent Azor tom. 1. lib. 9. cap. 9. quæſt. 1. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 43. num. 28. Bonacin. tom. 2. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 4. à num. 11. & tom. 3. de Cenſuris, diſput. 2. quæſt. 2. punct. 29. Palaus tract. 8. diſput. 1. punct. 6. à num. 22. Trullench lib. 1. Decal. cap. 9. dub. 8. num. 14. Leand. tract. 7. diſput. 4. à quæſt. 38. Diana part. 2. tract. 6. miſcell. reſol. 12. Fagund. Præcept. 1. lib. 1. cap. 4. num. 25. & alij communiter.

Non eſt grave peccatum Reliquias, & Agnos Dei tangere.

118 Circa ſecundam partem quæſtionis, ſcilicet, an liceat omnibus, prædictos Agnus tangere? Aliqui dicunt, illicitum eſſe Laicis, ſeu in minoribus ſaltem ordinibus non conſtitutis, hos Agnos tangere; cum ſint ſacro Chriſmate conſecrati; ſicut nec eis licet corporalia, & alia Vaſa ſacra tangere: & hoc videtur conſtare ex cap. *Sacratas, diſt.* 23. cum ibi laicis prohibeatur, res ſacras tangere. Addunt tamen, quod ſi eos reverentia, & debito honore tangant, venialiter tantum peccabunt. Ita Azor cap. 9. cit. quæſt. 3. Palaus num. 4. Bonac. num. 13. & Trullench num. 15. ¶ Et de Reliquijs idem dicit D. Gregorius lib. 3. Epiſtol. Epiſt. 3. docens, eſſe intolerabile, & ſa-

sacrilegum, eas tangere. ¶ Sed Sanchez num. 26. & 27. cap. 43. cit. quem sequuntur Diana part. 3. tract. 6. resol. 12. Rocaful lib. 2. de primo Præcept. Decal. cap. 9. n. 64. dub. 5. & Leander tract. 7. disp. 4. quæst. 46. docet, nullum peccatum esse, Laicos, etiam fœminas, tangere sacras Reliquias. Et movetur: quia nullum adest decretum id expresse prohibens: & si forte aliquod est, loquitur de delatione in publicis processionibus: ergo absque fundamento eos peccati reos facimus. ¶ De Agnis vero licet prius dicat, solos Subdiaconos posse eos tangere, quia instar Calicis sunt oleo sancto, & chrismate consecrati; demum ait, vel tantum esse culpam venialem, vel nullam, si reverenter tractentur; eo quod vsus contrarius iam id confirmat. Idem docent citati Authores. Quibus & nos adhæremus, maximè quando id necessitas eos ornandi, & in capsis accomodandi expostulat. Vnde communiter videmus Religiosos Laicos maximè Sacristas, etiam que Sæculares, & Sanctimoniales hæc omnia tangere, & decenter intra thecas ornare. ¶ Ex quibus patet ad primam rationem. Ad id quod ait D. Gregorius, respondetur, loquutum fuisse iuxta illorum temporum consuetudinem, quam iam contrarius vsus abolevit. Sed hoc ex puncto sequenti dicendis, latius constabit.

PUNCT. X.

Quæ, & qualis veneratio vestibus Sacerdotalibus, Vasis sacris, Templis, alijs que rebus ad Dei cultum destinatis, exhiberi debeat?

LIcet ex dictis toto hoc in capite, & maximè num. 97. aliquomodo constet, quid propositæ quæstioni respondendum sit; tamen, quia circa venerationem, & honorem rebus sacris, seu ad divinum cultum destinatis debitum, nonnullæ difficultates morales scitu dignæ inveniuntur, ideò de eis in præsenti edissere cogimur. Sed quia duplicem partem sub se complectitur quæstionis titulus, ideò seorsim vnaquæque erit decidenda.

Res sacræ religioso cultu venerandæ sunt.

119 Dicendum ergo est primò: Vasa sacra, vestimenta Sacerdotalia, Templa, alias que res sacras, seu ad Dei cultum specialiter destinatas, religiosa veneratione adorari debere. Hæc conclusio, quæ apud Catholicos est communis, probatur à ratione simul & ab authoritate. Nam, quod Sanctum est, religioso cultu, debet venerari, iuxta illud Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam Sanctum est*; sed Vasa sacra, vestimenta Sacerdotalia, Dei Templa, &c. sancta sunt: ergo religioso cultu veneranda sunt. Præterea: Scabellum pedum Dei religiose adorare iubemur; sed scabellum pedum Dei est Arca testamenti, seu Templum ipsius Dei; vt docent SS. Expositores: ergo Templum Dei, & consequenter omnia, quæ ad eius cultum pertinent, religiosa veneratione colenda sunt. Qua propter concludit D. Hieronym. in Epist. 18. ad Marcellam. his verbis: *Venerabantur Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & propitiatorium, & Arca testamenti: ergo multo magis nos venerabimur Templa nostra, in quibus Christus Dominus præsens adest.* Ast, quia hæc ex conclusione sequenti amplius comprobabuntur, ideò ab vlteriori confirmatione abstinemus.

Cultus rebus sacris debitus, est latria.

120 Dicendum est secundò: Veneration nem debitam sacris Vasis, Ornamentis, &c. esse latriam; ac proinde eadem adoratione, & cultu, ac Deus, seu Christus, veneranda esse. Hæc assertio probatur primò ex 7. Synodo Generali. Nam Act. 6. tom. 3. part. 1. §. *Pape, quanta insania*, pag. mihi, 82. col. 1. ibi enim Epiphanius nomine totius Concilij adorationem idolorum execrans, & ad quem Christianorum adoratio dirigenda est, docens, sic ait: *Domine præter te neminem novimus, nomen tuum vocamus. Testis est ipse Angelorum Beatorum exercitus, testis Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, & Sanctorum Patrum cœtus. Ad recordationem autem sensitorij nostri ad tuam gloriam, quo ad magnificentiam, & figuram divinæ crucis tuæ adducamur, evangelicam narrationem, & imaginum picturam habemus. Habemus item & alia plurima consecrata vasa: hæc quia in nomine tuo facta sunt, & consecrata, exosculamur.* En vbi postquam dixerat, quod postquam Deum cognoverunt, eius divinam adorationem nequaquam ad creaturas orthodoxi Patres retulerunt, docet quod solum Dei nomen adorant, & ad recordationem huius adorationis habere Evangelij codices, sacras Imagines, & Vasa sacra Dei nomine consecrata: ergo sentit quod hæc omnia eadem adoratione venerantur; sed nomen Dei, & sacræ eius Imagines adorantur latria: ergo eodem Divino cultu sacra Vasa, Ornamenta, &c. debent coli.

Vlterius ex 7. Synodo Generali cõfirmatur cõclusio.

121 Secundò ostenditur nostra conclusio ex alijs verbis eiusdem Concilij 7. Act. 6. §. *Hæreticis proprium.* Vbi Epiphanius his verbis nomine prædictæ Synodi pag. mihi, 83. venerationem Imaginum, & rerum sacrarum sic definit: *Hæc igitur nos, qui Deo soli, & vni latriam exhibemus in spiritu, & veritate, scientes, quæcumque illi offeruntur, aut consecrantur, sive divina fuerit venerandæ crucis figura, sive sacer Evangelij codex, sive venerandæ Imagines, sive sacra Vasa, ea amplectimur, & veneramur; vt qui spem habeamus sanctificationis ab ipsis reddendæ, & illis ob id adorationem honorificam exhibemus. Adorate enim ait (Psalm. 98.) scabellum pedum eius, quia sanctus est ipse. Quam ob causam Gregor. Theologus in Sermone Natalium Domini sic inquit. Bethlehem honore affice, & præsepe adora, nam quæ Deo oblata sunt, eius participatione, & contrectatione sancta fiunt.* Hucusque Epiphanius: ergo sentit, quod latria soli Deo debita, est cultus etiam exhibendus omnibus rebus, quæ ei offeruntur, & con-

consecrantur; *nam quæ Deo oblata sunt, eius participatione, & contrectatione sancta fiunt*; sanctitate vtique digna veneratione divina.

Suadetur insuper ex D. Thoma.

122 Tertiò suadetur ex Ang. Doctore nostra assertio. Nam 2. 2. quæst. 99. artic. 3. enumerans tres sacrilegij species (de quibus infra cap. 12. punct. 1. & 2. maximè num. 30. latius erit nobis sermo) indistincte loquitur de sacrilegio commisso in Vasa sacra, ac in Eucharistiam, & sacras Imagines, & solum inter ea aliquam differentiam gradualem cognoscit, vt patet ex eius verbis, quæ sic se habent: *Tertia species sacrilegij, quæ circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum. Inter quas summum locum obtinent Sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum::: Post Sacramenta autem secundum locum tenent Vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, & ipsæ Imagines sacræ, & Reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo ipsæ personæ Sanctorum venerantur, & dehonorantur. Deinde quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & Ministrorum*: ergo cum Eucharistiæ Sacramentum, & sacræ Christi Imagines adorentur latria, eadem etiam adoratione venerari debent Vasa sacra, & quæ *pertinent ad ornatum Eccleſiæ, & Ministrorum.*

Vltimo probatur à ratione.

123 Quartò denique probatur conclusio à ratione. Nam ideò sacræ Imagines Dei, aut Christi debent coli eadem adoratione, ac earum prototypi, quia per eas nobis Deus, aut Christus repræsentatur; sed etiam per Vasa sacra, & alia supra relata, Deus, aut Christus nobis repræsentatur; cum ad eius cultum sint vnice ab Ecclesia ordinata, & consecrata, & sic eis visis statim, experientia teste, ad Dei notitiam venimus, (quare merito dici possunt dicta sacra Vasa, Ornamenta, &c. imagines symbolicæ Christi, ad modum quo Agnus in sacrarij fronte, aut iuxta D. Ioannem Baptistam dicitur symbolica Imago Christi:) ergo si aliæ Imagines Christi adorantur latriæ cultu, eodem etiam Vasa sacra, casullæ, templa, & similia adorari debent. ¶ Confirmatur. Nomina sacra Iesu, & Mariæ adorantur eodem cultu, ac eorum nominata, vt docent Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. quæst. 12. & Vazquez tom. 1. in 3. part. disp. 108. cap. 11. (& hoc sine controversia, ait Vazquez, probato semel imagines coli debere eadem veneratione, ac prototypa) sed non minus, ac nomina Iesu, & Mariæ repræsentant suos nominatos, Vasa sacra, Ornamenta, Dei Templa, & similia nobis Deum, & Christum repræsentant, cum vnice ad eius cultum ab Ecclesia sint instituta, benedicta, & consecrata: ergo eodem cultu, ac nomina Iesu, & Mariæ debent res sacræ supra relatæ venerari, & consequenter latria adorandæ sunt. Nostram assertionem tenent Vazquez, & Azor supra relati; & insuper NN. Salmant. Schol. tom. 10. tract. 21. disp. 37. dub. 3. num. 56. & eam vt certam supponit Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. n. 13. communiter que eam docent quo ad 1. part. Catholici, & solum dissident aliquomodo quo ad secundam: de quo videantur NN. Salmant. loc. sup. relato toto illo dub. 3. & quæ à nobis dicta fuerunt in hoc cap. punct. 8. ex quibus eorum argumentis faciliter satisfieri potest.

Hæreticorum argumenta.

124 Contra primam conclusionem communiter militant Hæretici, & moventur eisdem argumentis, quibus sacrarum Imaginum adorationem impugnant; scilicet primò: Quia nulla creatura est religiosa adoratione digna, nam hanc iudicant esse tantum Dei propriam. Secundò: Quia res inanimatæ sunt incapaces adorationis, & honorifici cultus: ergo & Vasa sacra. ¶ Sed quia hæc, & similia soluta manent ex dictis toto punct. 8. num. 85. ideò ab eorum vlteriori solutione abstinemus. Et solum in præsenti aliqua dubia moralia circa adorationem externam rebus sacris debitam decidemus. Pro quo sit:

PUNCT. XI.

Qualiter Calices, Corporalia, & aliæ res sacræ contrectari, & ad profanos vsus converti possint?

§. I.

Deciditur prima quæstionis propositæ pars.

125 EX dictis punct. antecedenti liquet, quæ, & qualis adoratio rebus sacris debeatur, nunc videre restat, quæ actiones in adorationis, & cultus signum circa eas exerceri valeant. Vnde circa primam tituli partem.

Quid iure antiquo circa hãc quæstioné erat stabilitum.

Rogabis primò: An Laicis, & fœminis fas sit res, & Vasa sacra, vt Corporalia, pallas, Calices, Casullas, & alia Ornamenta sacra Episcopali precatione benedicta, aut consecrata, tangere, & attrectare? Ad quam quæstionem respondetur, quod Laicis, & fœminis prædicta tangere prohibetur in distinct. 23. per multa capita, præsertim cap. *Sacratas*, vbi sacræ fœminæ, vel monachæ prohibentur tangere Vasa sacra, vel sacras pallas. Et in cap. In *Sancta hac Apostolica*, de consecratione, distinct. 1. decernitur à Pontifice, vt Vasa sacra non ab alijs, quam à sacratis, Domino que dicatis hominibus contrectentur. Et in cap. sequenti, *Vestimenta*, prohibetur, ne vestimenta Ecclesiæ, in quibus Domino ministratur, ab alijs contingi, aut offerri possint, nisi à sacratis hominibus; ne vltio, qua Balthasarum Regem divinitus percussit, transgredientes apprehendat; hæc, & alia iuris decreta, licet antiquitus vim haberent, tamen nunc in quo vsu sint, dicemus.

Possunt Laici, etiã mulieres res sacras non cõsecratas, tãgere.

126 Qua propter (quidquid in contrarium sentiat Sylvester verb. *Missa* 1. quæst. 2. §. 2.) dicendum est primò: Praxi communi receptum esse, quod absque vllo scrupulo, si ad hoc iusta adsit causa, ea reficiendi, lavandi, &c.

&c. tam viri, quàm fœminæ, etiam si Laici sint, possunt Casullam, & alias sacras vestes ab Episcopo benedictas, nec non vasa, quæ consecrata non sunt, reverenter tangere, & contrectare. Et ratio huius est: tum communis in hoc fidelium consuetudo, hoc confirmans: tum etiam, quia iura allegata, vel loquuntur de vasis sacris, vel eorum verba, si attente legantur, rigorosum præceptum non continent, sed solum decentiam quandam sonant; vel denique, si forte præceptum continent, iam de cursu temporis in dissuetudinem abijt: ergo prædicta sacra vestimenta, & vasa possunt Laici, etiam fœminæ contrectare. Dicta tenent Azor tom. 1. Instit. Moral. lib. 9. cap. 9. quæst. 6. Dicastillus tr. 5. de Sacrificio Missæ, disp. 4. dub. 11. num. 225. Suarez in 3. part. quæst. 83. art. 3. disp. 81. sect. 8. & P. Ledesma de Euchar. cap. 22. concl. 2. dub. 1.

Vasa consecrata absque peccato Laicis non licet contingere.

127 At, si vasa fuerint consecrata, vt calix (etiam vacuus) patena, & ara; aut immediate Corpus Christi tangant, vt corporalia, peccant ad minus venialiter, si ea absque rationabili, & vrgente necessitate Laici contingant. Et ratio est: quia SS. Pontifices, vt fatentur Suarez, & Azor, concessere privilegium Religiosis Laicis Fratruum Minorum, & Societatis Iesu, vt possint calices vacuos, patenam, & alia vasa consecrata immediate tangere, maximè quando Ecclesijs inserviunt, & munus Sacristæ obeunt: ergo quia iure communi, & sine tali privilegio eis prædicta tangere non licet: ergo cum alias, secluso contemptu materia valde gravis non sit, si reverenter, & religiose fiat, vt supponimus, erit tantum veniale, si prædicta vasa immediate à Laicis contrectentur. ¶ Diximus *à Laicis*, quia si prima tonsura initiati sunt, credit Suarez, nec venialiter peccare. Et rationem tradit Bonacina statim referendus. Quia hanc licentiam concedit Episcopus Clericis initiatis prima tonsura. Ita in Decal. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. num. 13. At Suarez de hoc sic loquitur disp. 81. sect. 8. in 3. part. §. *Tertium exemplum*, fine: *Extra sacrum ministerium quilibet Minister Sacer, ideſt, quocumque minori gradu ordinatus, non peccabit contingendo hæc vasa*, (scilicet calicem vacuum) *vt colligitur ex dict. cap. Non oportet, & ex vsa, qui videtur hoc etiam extendere ad ordinatos tantum in prima tonsura.* Et idem docet Ledesma de Sacramento Eucharistiæ, cap. 22. concl. 2. dub. 2. vers. *Digo lo quarto.* Principalem conclusionem, præter relatos, tenent Azor lib. 1. tom. Instit. Moral. cap. 9. q. 6. Sanchez lib. 2. Sum. cap. 43. n. 27. Trullench lib. 1. Decalog. cap. 9. num. 16. Dicastillus tract. 5. de Sacrificio Missæ, disp. 4. dub. 11. num. 225. Suarez, & Bonacina locis citatis, nec non Quintana-Dueñas tract. 2. sing. 12.

Calix cum sanguine Christi à nullo Laico tangi potest.

128 Diximus *Calix etiam vacuus.* Sic enim contineat Christi sanguinem, non potest licite sine gravi necessitate contingi nisi à Sacerdote, vel Diacono, vt ex Paludano dist. 13. quæst. 1. art. 4. concl. 2. tenent Suarez, Dicastillus, & Bonacina locis relatis, asserendo vix à mortali excusari Laicum sine vrgenti causa vas, in quo est Corpus, aut Christi sanguis, contingendo. Ex quo inferunt Azor quæst. 9. & Bonac. in Decal. disp. 3. quæst. 1. num. 13. nefas esse, etiam Clericis in minoribus constitutis, Chrisma, seu sanctum Oleum, aut Eucharistiam tangere, quia hoc Sacerdotalis muneris proprium est. Excipitur tamen casus, in quo Sacra Hostia casu in terram ceciderit, aut ab hæreticis conculcatam quis videat; tunc enim, si Sacerdos absit, à Laicis maxima cum reverentia, & veneratione à terra elevari debet, & Sacerdoti quam primum tradere, vt in Sacrario eam reponat.

Corporalia lavari debent à Diaconibus, saltem in prima eorum lotione.

129 Dicendum est secundò: Quod in cap. *Nemo* 2. de consecrat. dist. 1. statuitur primò, quod corporalia (& extendunt optime Doctores ad Purificatorium, & si benedictio pro eo ab Ecclesia non sit assignata) laventur à Diacono, & Lotio in Piscinam mittatur: *Ne forte*, ait textus, *pulvis Dominici corporis male decidat.* Secundò ibi decernitur, quod vasa in quibus prædicta lavantur, sint adhoc tantum destinata. Quod quidem decretum, saltem quo ad primam partem, est apud omnes in viridi observantia, nec vlla vnquam contraria consuetudine, saltem quo ad primam lotionem corporalium, & Purificatorij, est abrogatum; imò nec rationabiliter licet abrogare, vt optime ex Sylv. verb. *Corporalia*, quæst. 1. & verb. *Benedictio*, quæst. 7. notant Suarez 3. part. disp. 81. sect. 8. vers. *Quarto addendum*, & Ledesma de Eucharist. cap. 22. concl. 2. quibus adhærent communiter Theologi, quos statim dabimus. At in secunda, & tertia lotione, licet hoc servari, æquum, & valde decens esset, tamen necessarium non est; vnde possunt tunc iam ab honestis fœminis, maximè Virginibus, & Sanctimonialibus, lavari, sicut & refici, quin in hoc vllus possit adesse scrupulus. Dicta docent Caiet. verb. *Mulierum peccata.* Suarez loco relato. Coninch de Eucharist. quæst. 83. art. 3. dub. 3. num. 249. Reginaldus lib. 29. num. 203. Henriquez lib. 9. cap. 28. ad fin. Graffius 1. part. Decis. lib. 2. cap. 41. num. 7. Sà verb. *Sacra*, num. 3. & verb. Missa, num. 16. Bonac. de Eucharist. disp. 4. quæst. vltima, punct. 9. n. 22. Dicastillo de Sacrif. Missæ, disp. 4. dubit. 9. num. 168. & dubit. 11. num. 227. Barbosa tom. 2. de Iure Eccles. cap. 2. num. 24. pag. mihi, 112. & Gavant. in Rub. Missal. part. 2. tit. 1. pag. 86. & Quintana-Dueñas supra relatus.

Fratres Laici Minorum possunt vasa sacra tangere, & corporalia lavare.

130 Sed quia Doctores, vt Religiosi Laici possint vasa sacra contrectare, recurrunt ad quodam privilegium Fratribus Minorum concessum, vt vidimus in Suarez, & Azor, illud acurate perquirere studuimus, & invenimus in Sapientissimo Patre Fr. Emmanuel Rodriguez tom. 2. Quæst. Regular. quæst. 123. pag. mihi, 587. vbi postquam refert decreta Sacrorum Canonum, quæ Laicis prohibent vasa sacra contrectare, sic ait: *Ex quibus colligitur quod Laici fratres licet sint Religiosi, cum non sint homines aliquo ordine sacro insigniti, non possunt tangere corporalia, & alia vestimenta Ecclesiastica: & ideò concessit Leo X. Quod fratres prædicti Laici Socij Gene-*

Generalium, vel Provincialium, eo tempore, quo socij sunt, & extra loca, & conventus, cum inserviunt Missis prædictis Prælatis, possint proprijs manibus tractare vasa sacri ministerij, scilicet calices, & corporalia explicando, & post Missam sicut Clericus in sacris constitutus. In Conventibus vero vbi sunt alij fratres ad ministrandum, concedere recusavit. Ita habetur in Ordinis supplemento (fol. 92. concess. 269.) *At non obstante hac prædicta concessione, possunt fratres vti alia concessione Calixti III. qui concessit, quod Fratres Minores Laici possunt tangere calices, & lavare corporalia, & alia Ecclesiastica, cum expedierit. Vt in lib. Monumenta Ordinum continetur, & in supplemento etiam habetur; & ratio huius est: quia qui prædictam Leonis X. concessionem impetravit, ignorabat indultum Calixti prædictum, & quia in concessione Leonis non ponitur aliqua revocatio alterius, prout advertit Collector privilegiorum mendicantium.* Huc vsque Emman. Rodriguez. Ex quibus constat quod fratres Laici Minorum ex privilegio Calixti III. possunt tangere immediate calices, & lavare corporalia, alia que Ecclesiastica vestimenta ad cultum divinum, & Missæ sacrificium ordinata, & si nullo ordine, sint insigniti, nec Sacristæ officium peragant.

Id ipsum concesit Sixtus IV. Fratibus Eremitarum D. Augustini.

131 Quæ omnia denuo confirmari possunt alio decreto Sixti IV. quod Dom. Ioannes Baptista Confectio in suo Collect. lit. Apost. & Privileg. Regul. Mendicant. & non Mendicantium, §. 9. pag. 69. his verbis refert: *Beatissime Pater cum fratres professi Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregat. Lombardiæ, Conversi nuncupati; dum in domibus fratrum dictæ Congregationis Sacristiæ curam gerunt, eorum officium Sacristiæ huiusmodi, commode exercere non possint, nisi tangant Calices, Corporalia, & Purificatoria eorum, supplicant S. V. vniversi fratres Congregationis prædictæ, quatenus puritati conscientiæ eorum consulentes, quod Conversi præfati, qui nunc, & pro tempore erunt Congregationis prædictæ, & quilibet eorum, quandiu curam Sacristiæ, illius vasorum, & paramentorum in domibus dictæ Congregationis habebunt, Calices, Patenas, & Purificatoria huiusmodi, absque conscientiæ scrupulo nudis manibus tangere, & pertractare, quoties libuerit, libere, & licite valeant, ad instar Fratrum Ordinis Minorum, quibus hoc per Sedem Apostolicam est concessum, eis concedere dignemini de gratia speciali: non obstantibus Constitutionibus, & Ordinis iuramento, &c. roboratis, statutis, &c. cæterisque contrarijs quibuscumque cum clausulis opportunis, & consuetis (fiat, vt petitur in necessitate. Fiat 1.) & perpetuo duret pro præsentibus, & futuris. Et quod sola signatura sufficiat. Fiat. F. 1.* Huc vsque prædictum decretum. Ex quo constat, tum quod prædicti fratres hoc privilegio tantum vti valent, dum Sacristæ inserviunt; tum: quod, ex vi huius lavare corporalia etiam possunt, cum ad instar Fratrum Minorum concessum sit, quibus à Calixto III. datum est vt supra vidimus, corporalia lavare posse.

Quædã inferuntur.

132 Ex quibus sequitur primò: Quod pariter Sanctimoniales possint Calices, & Sacra vestimenta tangere: tum: quia communicant eisdem privilegijs, ac alij Religiosi, vt diximus tom. 4. tract. 18. cap. 1. punct. 7. num. 91. tum etiam: quia dum Sacristiæ inserviunt, eadem currit in eis ratio, ac in fratribus Laicis: ergo si istis licet, Calices, Corporalia, & alia vasa sacra tangere, etiam monialibus licebit, dum Sacristiæ inserviunt; hoc est, dum necessarium est, res sacras tangere, vel ad eas reficiendas, servandas, abstergendas, aut quid simili; non enim adhoc necesse est, munus Sacristæ ex electione obire, sed sat est, quod ab eis prædicta petantur. Videantur à nobis dicta loco immediate allegato num. 110. ¶ Sequitur secundò: Quod ex vi privilegij Calixti III. & Sixti IV. Fratribus Laicis Minorum, & D. Agustini concessi, non solum Fratres Laici illorum Ordinum, qui cum eis in privilegijs communicant possunt corporalia tangere, & lavare, verum etiam & Sanctimoniales, cum in omnibus privilegijs Religiosis concessis communicent.

De qua corporaliũ ablutione intelligatur dictum privilegium.

133 Sed difficultas non levis est, an privilegium lavandi Corporalia, & idem est dicendum de Purificatorijs, concessum Religiosis Laicis, & consequenter Sanctimonialibus, intelligatur quo ad primam eorum lotionem, an vero quo ad secundam, vel tertiam? Et ratio dubitandi est, quia, vt diximus num. 129. in cap. *Nemo* 2. de consecrat. dist. 1. dicitur: *Pallas vero, & vela Sanctuarij, si sordida fuerint ministerio Diaconi cum humillibus ministris intra Sanctuarium lavent, non ejicientes foras à Sacrario: & velamina Dominicæ mensæ abluant, ne forte pulvis Dominici corporis male decidat. Sindonem vero non foris abluant: & erit hæc operanti peccatum. Idcirco intra Sacrarium Ministris præcipimus hæc Sancta cum diligentia custodire*: ergo prima saltem lotio à nullo, nisi à Diacono potest licite fieri, nec ad hoc creditur S. Pontificem licentiam concessisse. ¶ Deinde quia in cap. *Sacratas*, dist. 23. hæc habentur: *Sacratas Deo fœminas, vel Monachas sacra vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre, perlatum est ad Apostolicam Sedem: quæ omnia reprehensione plena esse, & vituperatione, nulli recte Sapientum dubium est. Quam obrem huius Sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censemus. Et ne pestis hæc latius divulgetur, per omnes provincias abstergi citissime mandamus.* Si ergo credit S. Pontifex pestem, & omni vituperatione dignum, monachas sacras pallas tangere, quid erit eas lavare? Ergo dicendum est, quod Pontificis mens in dictis privilegijs tantum est, quod post primam lotionem à Diaconibus factam, tunc possint à Laicis, & Monialibus vltimo lavari, refici, & ornari. ¶ Præterea in dicta dist. 23. cap. *Non oportet.* 1. & 2. prohibetur Subdiacono Sacrarium ingredi, & contingere vasa Dominica: Et Sixtus Pontifex in dist. 1. de consecrat. cap. *In Sancta* præcipit, quod vasa sacra non nisi à Sacratis hominibus contrectentur, & idem in sequenti cap. de vesti-

mentis sacris dicitur: ergo si hanc reverentiam volunt SS. Pontifices rebus sacratis exhiberi, quomodo permittent à fœminis, aut Laicis lavari in 1. lotione corporalia, & sacras pallas, in quibus tunc forte erit aliqua particula, aut pulvis hostiæ consecratæ?

Propria més aperitur.

134 Quapropter nunquam acquiescêre potui contrariæ opinioni, & ideò dicimus mentem S. Pontificis in prædicto privilegio tantum esse, quod non in prima, sed in secunda, aut tertia lotione possint Laici Fratres, & consequenter monachæ, corporalia lavare, & deinde ornare, reficere, &c. Ad quod asserendum impellimur, tum ex decreto supra relato, quod nullam rationalem consuetudinem abrogare posse, tenent communiter Doctores, vt vidimus num. 129. Tum etiam: quia si nec Subdiaconus vas, in quo est Sacra Eucharistia, tangere potest, vt supra num. 128. diximus, quomodo Pontifex concedet Fratribus Laicis, & consequenter Monialibus, privilegium lavandi corporalia, in quibus frequenter contingere potest, quod in eis adsit aliqua hostiæ consecratæ particula? Tum denique. Quia ratio quare Pontifex prædictum privilegium Fratribus Laicis concesit, est, vt sine scrupulo, & commode munus Sacristæ obirent; sed ad hoc non est necesse, quod corporalia in prima lotione ipsi lavent, cum hoc facilimo negotio Sacerdotes, aut Diaconi per se ipsos agere possint: ergo tale privilegium de prima Corporalium lotione non loquitur.

Confirmatio prima.

135 Confirmatur primò nostra resolutio praxi communi Ecclesiæ: etenim semper in omnibus Ecclesijs tam Sæcularibus, quàm Regularibus, tam Religiosorum, quam Monialium prima lotio Corporalium, & Purificatorij fit à Sacerdote, aut saltem à Diacono, vt de nostra Discalceata Carmelitarum Familia testari possumus, & de alijs à viris doctis audivimus: imò nunquam nostræ Religionis Fratres Laici, aut monachæ vasa sacra, & corporalia immediate tangunt, sed medio aliquo linteo cooperta manu, ea, dum opus est, religiosè (obtemperando decisionibus Apostolicis) attrectant: ergo quia tale privilegium, saltem quo ad primam Corporalium lotionem, vel non loquitur, aut in vsu non est, nec in Ecclesia receptum.

Replica, & eius solutio.

136 Sed dices. Si Pontifex in dicto privilegio non loquitur de prima Corporalium lotione, sed de secunda, aut tertia, nil concedit, quia post primam lotionem lavari possunt à Laicis, & fœminis: ergo vt aliquid concedat, dicendum est, loqui de prima lotione. ¶ Respondetur, quod licet de prima lotione Corporalium non loquatur, sed de secunda, adhuc verificatur, quod plurimum concedit. Quia cum in cap. *Sacratas* prohibeatur absolute, quod monachæ sacra vasa, & pallas non attrectent, & in cap. *In Sancta* de consecrat. dist. 1. statuatur, quod sacra vasa non nisi à sacratis contrectentur hominibus, non erat adeò certa opinio Caietani, & aliorum quos supra num. 129. allegavimus, scilicet quod post primam lotionem possint corporalia à fœminis lavari, & ideo, ait Petrus Ledesma *de Eucharistia*, cap. 22. concl. 2. ad scrupulos compescendos tale privilegium S. Pontifex prudenter concesit.

Confirmatio secunda.

137 Confirmatur secundò: Quia in cap. *Nemo* 2. de consecrat. distinct. 1. statuitur, quod Diaconus corporalia lavet, vt supra vidimus num. 133. & in cap. *Omnis Presbyter*, de consecrat. dist. 4. præcipitur Sacerdotibus, seu Presbyteris, quod *Similiter ad corporale lavandum, & ad pallas altaris propria habeantur vasa, in quibus nil aliud fiat.* Et in cap. Sacratas, dist. 23. prohibetur moniales sacras pallas tangere; sed decreta iuris communis non intelliguntur derogata per privilegium, quando hoc absque tali derogatione potest convenienter interpretari, & aliquem effectum habere, vt diximus tract. 18. cap. 1. punct. 1. num. 8. ergo cum prædictum privilegium convenienter, & rationabilius interpretetur de 2. & 3. Corporalium lotione, dicendum erit non derogari communi, in quo prima Corporalium lotio à Sacerdote, aut Diacono fieri præcipitur.

Tertia confirmatio.

138 Confirmatur tertiò: Quia privilegium concessum Fratribus Laicis Minorum non est ita authenticum, sicut decreta iuris canonici supra transcripta; imò suspicari aliquo modo potest, an concedat ita ample *lavare corporalia, & alia Ecclesiastica, cum expedierit.* Tum: quia nec in Bullario Cherubim, nec in alio Doctore, nisi in Rodriguez & eo modo; quo illud transcripsi, invenire potuimus: tum etiam: quia privilegium concessum Fratribus Laicis D. Agustini (de quo sup. num. 131.) adinstar illud, quod Minoribus datum est, tantum exprimit, & petit sibi concedi calices, & purificatoria nudis manibus attrectare, non vero ea lavare: ergo, &c. Tum denique: quia Sacra Congregat. Rit. in Florentina 30. Augusti 1602. vt refert Barbosa in Apost. Decis. Summa collect. 449. num. 10. pag. mihi 422. tantum concesit Fratri Matthæo Monacho Sacristano Monasterij Angelorum Florentiæ, licentiam ad tangendum Calices, & corporalia: ergo signum est, quod vltra tangere, ea lavare, valde difficili est, saltem quo ad primam lotionem, quod à Sede Apostolica Fratribus Laicis concedatur. Maneat ergo stabilitum, quod Fratres Laici, & consequenter Monachæ, licet ex dictis privilegijs possint vasa sacra, cum expedierit, necessumque sit ad Sacristæ munus obeundum, immediate attrectare; nunquam tamen eis fas est, nisi post primam lotionem à Diacono factam, corporalia lavare. Et hoc docent DD. Authores à nobis supra numer. 129. relati. ¶ Quale vero peccatum esset, in prima lotione lavare Laicos, aut fœminas corporalia? dubitat Ledesma; & ob gravitatem materiæ, iustissime suspicatur, esse mortale.

Videatur loc. cit.

§. II.

§. II.

Secunda quæstionis pars resolvitur.

QUia secunda quæstionis pars plures sub se continet difficultates, ideò eas quæsitis resolvere cogimur. Vnde

Rex sacris nefas est vti ad profanos vsus.

139 Rogabis primò: An res sacræ vendi, & converti possint in vsus prophanos? Respondetur primò: Quod nefas omnino est, grave que peccatum, rebus sacris, quando retinent propriam formam, vti ad profanos vsus, v. g. ad Ludos, seu comædias repræsentandum, vel ad emungendas nares, aut in communi mensa calice, v. g. bibendum. Et ratio est: quia hoc, est formalis contemptus rerum sacrarum, & contra reverentiam eis debitam, *cum sancta sancte tractanda sint*: ergo à graviſsimo sacrilegio excusari nequit. ¶ Confirmatur. Ideò Rex Balthasar fuit à Deo morte punitus, quia, vt dicitur cap. 5. Danielis, vers. 23. *Vasa domus eius* (Dei scilicet) *allata sunt coram te: & tu, & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibistis in eis*; sed mortis pœna arguit apud Deum graviſsimum fuisse huiusmodi peccatum: ergo absque dubio graviſsimum peccatũ est, vti rebus sacris ad profanos vsus. ¶ Confirmatur secundò: Nam Cassiodorus lib. 6. Tripartitæ, cap. 32. refert, Iulianum Præfectum ad sacram mensam misisse lotium, seu vrinam, & statim furiosæ audaciæ pœnas persolvisse nam confestim gravi morbo correptus putrescentibus intestinis interijt. Nicephorus vero lib. 10. cap. 29. huius divinæ animadversionis aliam non disimilem, nostræ que conclusioni magis propriam refert, dicens: *Causa morbi erat: quod sacris vasis, quæ terræ illiserat, pro sedili vsus fuerat.* De qua vltione etiam meminit D. Chrysost. Homil. 4. in Matth. his verbis: *Quæstorem regium, qui iussu Apostatæ Iuliani ornamenta, & sacra vasa diripiebat, per medium diruptum expirasse, & Iuliani avunculum à vermibus corrosum interisse.* Ergo his, & alijs exemplis manifestum nobis est, graviſsime committere peccatum, qui sacris vasis ad vsus profanos vtitur.

Ratio à priori.

140 Et ratio à priori est: quia vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 11. in corpore: *Non potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus, vt id quod est sanctificatum, sanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis: puta quod Calix consecratus desinat, esse consecratus, si maneat integer.* Ergo quoties vasa consecrata manent integra, non amittunt consecrationem: tum sic; sed vt dicitur Levit. cap. 27. vers. 28. *Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino*: ergo, cùm lumine naturali constet, graviſsimum sacrilegium esse ad profana convertere, quod *Sanctum Sanctorum* est Domino, graviſsimum etiam sacrilegium erit, vasa consecrata ad profanos vsus applicare, dum consecrationem non amittunt. Vnde cum Dicastillo tr. 5. de Sacrific. Missæ, disp. 4. dubit. 11. num. 220. reprehendendi graviter sunt, qui etiam ex devotione tanti mysterij, in calice, ægrotis Laicis, seu non Sacerdotibus, aquam, seu vinum propinant, cum hoc sit contra reverentiam vasis sacris debitam, & ea ad aliquo modo prophana convertere: quare licet prædictus Doctor tantum venialis peccati reos hoc agentes faciat, nos vero valde propendimus, grave committi sacrilegium.

Confirmatio 3. circa comædias.

141 Confirmatur tertiò: *Nam in cap. Nemo, de consecratione, distinct.* 1. prohibetur sub graviſsimis pœnis, ne mortuus obvoluatur palla, quæ fuit in altari, aut ea, quæ data est Diacono in mensam Domini: (& tantum consuetudine honestatur, quod Sacerdotes vestibus sacris sepeliantur, *vt Sylvester v. Benedictio*, quæst. 7. hoc tantum concedit, si benedictæ non sint) ergo multo magis erit illicitum, formalis que Dei, & rerum sacrarum contempus, Casulis, Dalmaticis, alijs que sacris ornamentis, ad ludos prophanos, & comædias vti. Sic cum Soto tradit Suarez loco citato, vers. *Quarto addendum.*

Dicastillus improbatur.

142 Vnde minime approbare possumus, quod ex Henriquez docet Dicastillus supr. rel. num. 231. his verbis: *Addit tamen Henriquez non videri mortale, sed morem esse pro comædijs honestis (quod ego intelligerem pro comædijs sacris) & intra Ecclesiam, vti illis vestimentis, & mihi placet maxime ad repræsentandum aliquem Sanctum Presbyterum, aut Diaconum, aut aliquod simile, iudicio prudentis determinandum.* Tum: quia hæc ad praxim reduci nunquam nec vidimus, nec audivimus; tum etiam: nam si Tridentinum sess. 4. in decreto *de editione, & vsu Sacrorum librorum* ait, quod *Post hæc, temeritatem illam reprimere volens, qua ad prophana quæque convertuntur, & torquentur verba, & sententiæ S. Scripturæ ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana:::: mandat, & præcipit ad tollendam huiusmodi irreverentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ ad hæc, & similia audeat vsurpare; & omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi Dei, iuris, & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.* Quid diceret de his, qui vestibus sacris ad repræsentandum scænas vtuntur? Si primum est iuxta Concilium, gravis Dei irreverentia, & contemptus erit, ne secundum reverentia, & cultus sacer?

Sacrilegium est indui histriones vestibus sacris in Ecclesis, & locis Deo dicatis.

143 Tum etiam: quia, respondere, vt ait Dicastillus, quod hæc cohonestantur, si scenæ fiant in Ecclesia, & ibi licere ad eas repræsentandas, vti vestibus sacris, est vnum peccatum alio graviori velare, & obtegere velle. Quid enim Dei Ecclesia cum scenæ theatro! Quid Sacerdotum honestas, cum obscænitate Histrionum! Quid sanctitas sacrorum vestimentorum, cum comicorum turpitudine! Quid Sacerdotum harmonia, & psalterium cum fœdissimis histrionum carminibus: ergo si gravis culpa est, vestibus sacris ad comædias repræsentandum indui, gravior vtique erit, si hæc in Ecclesia fiant; cum hoc non solum sit contra reverentiam ornamentis sacris debitam, verum etiam contra honorem Ecclesiæ Dei deferendum. Nam si, vt dicitur Matth. 21. vers. 12. *Christus intravit in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo; & dicit eis:*

eis: Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Quid ageret cum histrionibus, si eos in templo Dei non solum scænas agere videret, verum & vestibus sacris super indutos conspiceret! Verius tunc diceret, scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam, non latronum, sed etholagorum, aut melius speluncam latronum, & scortantium ganeum: ergo doctrina prædicta, licet tanti Doctoris, parum pia, & religiosa videtur.

Quædam inferuntur, & reprobatur.

144 Ex quibus manet etiam reprobatus abusus, quem apud nonnullas Moniales non parum vsitatum audivimus, scilicet, quod Sanctimoniales quædam detractis religiosis vestimentis, sæcularibus, & prophanis superindutæ, in choro scænas, seu comædias repræsentent, videntibus è Ecclesia Sæcularibus, & forte, vt mos est in theatris, contra eas sibilantibus; cum hæc omnia contra religionem, & reverentiam Deo, & sibi debitam, planè sint. Similiter etiam illicitum est ob eandem rationem, quod ipsa Moniales è choro aliquando audiant, & videant histriones, & comædos in Ecclesia repræsentantes, cum hoc etiam in virginibus Deo consecratis nefas sit. Sed de his latius dum in *6.* præcepto de comædijs agamus.

Res sacras, & si benedictionē amiserint, non licet ad profanos vsus applicare.

145 Respondetur secundò: Quod si res sacræ, aut vasa consecrata per sciscionem, aut fractionem, benedictionem, aut consecrationem amidserunt; adhuc in prophanos vsus convertere non licet. Quod probatur simul auctoritate D. Thom. & sacrorum Canonum. Etenim D. Thomas 3. part. q. 83. art. 3. ad 3. sic loquitur: *Propter hoc etiam, quod aliquam spiritualem virtutem adipiscuntur per consecrationem, in eadem distinctione (scilicet de consecratione, dist. 1. cap. 38.* Ligna Ecclesiæ *statutum legitur, ligna Ecclesiæ dedicata, non debent ad aliud opus iungi nisi ad aliam Ecclesiam: vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio: in Laicorum vero vsu non debent admitti. Et ibidem legitur (scilicet capite sequenti) Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta incendio dentur: quia non licet ea, quæ in Sacrario fuerint, male tractari, sed incendio vniversa tradantur: cineres quoque eorum in baptisterium inferantur; vbi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur.* Huc vsque D. Thom. & Canonum decreta, prout apud me sunt pag. 1899. ergo vera est data responsio.

Notantur duo.

146 Sed in prædictis verbis duo notant Doctores cum Glossa. Primò quod ligna Ecclesiæ dirutæ non debent applicari ad religiosorum coquinam, vel ad vineas pastinādas, sed vel ad capitulum, dormitorium, aut alia religiosa loca erigenda, vt sic rebus Ecclesiasticis decentiæ debitæ, religiosius consulatur. ¶ Secundò notant, quod id, quod in relato capite de consecrat. dicitur de altaris palla, cathedra, &c. eodem modo intelligendum est de Sacerdotalibus vestimentis, & alijs Ecclesiæ ornamentis, tam consecratis, quàm benedictis; imò de lapidibus Ecclesiæ dirutæ ait Sylvester verb. *Benedictio*, quæst. 7. in religiosorum ædificijs collocandas esse. Hæc omnia docent etiam Suarez 3. part. disp. 81. sect. 8. Bonac. tom. 2. disp. 2. quæst. 1. punct. 4. n. 14. Azor tom. 1. Instit. Moral. lib. 9. cap. 9. q. 7. Palaus tom. 2. tract. 8. de Adoratione, disp. 1. punct. 6. num. 25. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 9. dub. 8. num. 17. Dicastillus tract. 5. de Sacrif. Missæ, disp. 4. dubit. 7. num. 222. Barbos. de Iure Eccles. tom. 2. lib. 3. cap. 2. num. 45. & alij. ¶ Ex quibus inferunt prædicti Doctores, quod imagines sacræ diuturnitate consumptæ, aut deformatæ, sub pavimento Ecclesiæ, aut cœmenterij sunt recondendæ: & similiter quod si Ecclesiæ alicuius dirutæ tabulæ sint, imaginibus Sanctorum expressæ, aut decenter servandæ sunt, aut igni tradendæ.

Qualiter vasa sacra iam confracta vēdi, & ad vsus profanos applicari possint.

147 Sed difficultas est: An vasa sacra, postquam confracta sunt, possint vendi, & eorum materia ad vsus prophanos converti? Non loquimur in præsenti de licentia, qua alienari possunt Ecclesiarum bona, quia de hoc abunde egimus tr. 15. cap. 7. punct. 2. per totum; vnde suppositis omnibus requisitis, quæ ad alienanda bona Ecclesiastica ibi docuimus esse necessaria, quæstio solum versatur circa honestatem, aut indecentiam, quæ esse potest in venditione materiæ calicis, ad communes, aut prophanos vsus. ¶ Ad quam respondetur, quod vt calix confractus, aut iam inconsecratus, ad profanos vsus converti licite possit, debet eius materia igne, aut ferro ita transmutari, vt totaliter priorem formam amittat, & ratio est: quia iam tunc materia illa calicis, v. g. est communis, nec in ea est aliquid consecrationis præteritæ, ratione cuius veneranda erat: ergo per hoc quod vsui communi, aut profano applicetur, nulla rebus sacris fit iniuria. Sic Suarez, Palaus, & alij Doctores sup. relati; maximè Barbosa loc. cit. num. 48. & in Collectan. in Codicem tom. 1. tit. 2. Auth. *Præterea si habeat*, num. 5. pag. mihi, 40. vbi pro hac sententia refert Molinam de Iust. tract. 2. disp. 340. sub num. 22. Hermosilla, Azor, Galet, & alios. Vbi num. 9. pluribus relatis, docet, esse sacrilegium, non vero simoniam, vendere, & oppignorari, etiam ad vsus sacros, vestimenta sacra, aut vasa consecrata, non quatenus sacra sunt, sed ratione materiæ, qua constant. Et movetur ex eo, quod fit irreverentia rebus sacris, dum sine necessitate venales fiunt. ¶ Ex quibus oritur, quod potiori titulo illicitum est, vestimenta sacra, etiam infracta concidsa, ad vsus communes, & profanos vendere; tum ob reverentiam rebus sacris debitam: tum quia eorum materia nequit, sicut calicis, totaliter transmutari: vnde tunc ad alias vestes sacras conficiendas, aut resarciendas applicanda sunt. ¶ Quando vero res sacræ, vt calix, ara, casulla, &c. consecrationem, aut benedictionem amittant, diximus tom. 1. tract. 5. cap. 4. punct. 4. num. 90. & 94. & insuper videatur Barbos. de Offic. & Potest. Episcop. part. 2. allegat. 27. à num. 37. ad 41. vbi plura scitu digna edocet.

Vlti-

Res prophanæ mutata forma ad vsus Ecclesiasticos possunt converti.

148 Vltimò rogabis : An è contrario res, quæ vsui prophano deservierunt possint ad sacros vsus converti ? Ad quam difficultatem dicendum est primò : Quod si res prophanæ, mutando figuram, aut artificiosam formam, applicentur ad aliquas res sacras ex eis conficiendas, hoc licite fieri potest. Quod probatur communi Ecclesiarum praxi ; nam omnes ex veste aliqua pretiosa nobilis fœminæ, aut matronæ casullam, aut quodlibet aliud vestimentum sacrum conficiunt : etenim per benedictionem Ecclesiæ omnis macula forte contracta, sive profanitas mundatur.

Si immutata forma applicatur, debet prius ab Episcopo benedici.

149 Dicendum est secundò : Quod si res prophanæ, immutata figura, applicantur ad Ecclesiasticos vsus, tunc debent prius ab Episcopo, aut alio habente potestatem benedici, & sic licite possunt tunc in vsus sacros converti. Hæc assertio probatur ex praxi communi totius Ecclesiæ. Nam vt ex Ecclesiasticis historijs constat, Marcellus Papa domum S. Lucinæ, & Vrbanus domum S. Cæciliæ in Ecclesias consecrarunt. Similiter Bonifacius IV. in honorem Sanctorum omnium Pantheon, olim templum omnium Gentilitatis Deorum, in Ecclesiam convertit : ergo similiter aliæ res prophanæ, præcedente Ecclesiastica benedictione, ad vsus Ecclesiasticos, etiam earum forma immutata, applicari possunt. Et ratio est : quia si res prophanæ aliquam impuritatem, aut maculam per priorem vsum videntur moraliter contraxisse, attamen hæc benedictione, aut consecratione Ecclesiastica omnino purgantur.

Privilegium habent Minores, & Patres Societatis ad res prophanas rebus sacris applicandũ.

150 Præter quam quod, vt testantur Azor, & Suarez infra referendi, tam Patres Minores, quàm Societatis Iesu (& consequenter omnes alij in privilegijs communicantes) habent à Sum. Pontificibus privilegium, vt vestes, & alios pannos profanos convertere possint in paramenta, & in alia vestimenta Ecclesiasticis vsibus destinata. Sed ex tali privilegio nil contra huc vsque à nobis stabilita convinci potest ; nec credimus S. Pontifices illud concessisse, quia crederent, res prophanas in vsus Ecclesiasticos convertere, esse contra ius commune ; sed vt conscientiæ remorsus, si qui essent, sedarentur, & absque vllo scrupulo prædicta vestimenta sæcularia, aut prophanæ domus ad vsus Ecclesiasticos applicarentur. His duobus conclusionibus stabilita docent Azor tom. 1. Instit. Moral. cap. 9. quæst. 8. Suarez 3. part. quæst. 83. disp. 81. sect. 8. §. *Sed quæres*. Palaus tom. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 6. num. 26. Bonac. disp. 3. de Adoratione, quæst. 1. punct. 4. n. 14. Tullench lib. 1. in Decal. cap. 9. dub. 8. n. 17. & alij apud ipsos.

(✠)

CAP. XI.

De superstitione, & eius speciebus.

POstquam de primo actu exteriore virtutis Religionis cum D. Thoma cap. antecedenti egimus, nunc cum eodem Angelico Doctore disputandum erat de alijs actibus exterioribus scilicet sacrificijs, oblationibus, primitijs, & decimis, quibus de rebus exterioribus aliquid Deo offertur : de quibus agit D. Thomas hac 2. 2. à quæst. 85. ad 87. inclusive ; sed quia hæc propriam sedem habent in tertio Decalogi Præcepto, vbi de Præceptis Ecclesiæ differere, in animo nobis est, ibi remittimus Lectorem. Similiter hic cum Angelico Doctori quæst. 88. & 89. discutiendum erat de voto, per quod ex cultu latriæ aliquid Deo promittitur, & de iuramento per quod assumitur nomen divinum ad verba confirmanda ; sed hæc ad secundum Decalogi Præceptum expectant. Quare D. Thomæ adhærentes vestigijs, calamum convertimus ad explicanda vitia Religioni opposita, quæ ad duo genera reducit Ang. Doctor 2. 2. q. 92. art. 1. Primum est quod opponitur Religioni per excessum, non quia Deus supra debitum coli possit ; cum sit maior omni laude ; sed quia, vel exhibet Deo cultum debitum modo tamen indebito, vel quia cultus soli Deo dandus, creaturæ exhibetur, vt ait D. Thom. loc. cit. art. 2. ad 3. & in corpore ; & huius generis est superstitio sub qua continetur Idololatria, Divinatio, vanaque Observantia, & Magia. Secundum vero est quod opponitur Religioni per defectum quia Deo denegat cultum debitum, vel ipsum contemnit, appellaturque irreligiositas, cuius species sunt tentatio Dei, Periurium, Sacrilegium, & Simonia.

Caput hoc continet 13. *Puncta in Paragraphis divisa.*

Punct. I. *Quid, & quotuplex sit superstitio ?* numer. 1.

Punct. II. *Quid, & quale sit peccatum Idololatriæ ?* num. 9.

PUN-

Punct. III. *De Divinatione, & eius speciebus.* num. 16.
§. I. *Quid, & quotuplex sit divinatio?* num. 17.
§. II. *Qualiter differant species divinationis; & quæ sit earum gravitas?* num. 25.
Punct. IV. *De Divinatione per Astra.*
§. I. *An Astrologia iudiciaria licita sit?* num. 35.
§. II. *An ex astris eventus fortuiti, & futura libera possint probabiliter, aut coniecturaliter prædici?* num. 44.
§. III. *Quid possint Astrologi, considerando horoscopum nascentis, circa fucura libera, & inclinationes prædicere; & qualiter Zahuri occulta revelarevaleant?* num. 50.
Punct. V. *De Divinatione per somnia, quæ græce Onyromantia, dicitur?* num. 57.
Punct. VI. *An Divinatio, quæ fit per auguria, & omina, & alias huiusmodi observationes exteriorum rerum, sit licita?* num. 67.
Punct. VII. *Vtrùm divinatio sortium sit licita?* num. 80.
Punct. VIII. *De vana observantia.* num. 99.
Punct. IX. *De principalibus effectibus Magiæ naturalis.*
§. I. *Essentia, & multiplicitas Magiæ declaratur.* num. 108.
§. II. *Quæ sit virtus per quam salutatores morbis medentur?* num. 113.
§. III. *De ensalmis, & fascinatione.* num. 123.
Punct. X. *De Magia superstitiosa.*
§. I. *De Maleficiorum existentia, & multiplicitate, necnon de eorum remedijs.* num. 139.
§. II. *An sit licitum, maleficium alio maleficio tollere?* num. 145.
§. III. *Vtrùm signa maleficij licite destruere, & comburere quilibet possit?* num. 155.
Punct. XI. *De Lamijs, seu Sagis; & de his quæ in earum nocturnis conventibus agunt?*
§. I. *Quæ sint sagæ, & an realiter transferantur de loco in locum?* n. 166.
§. II. *Quæ Sagæ in nocturnis conventibus cum Dæmone peragant, & quæ peccata committant?* num. 178.
Punct. XII. *De Tauro in die Sancti Marci ad tempus mansueto.* num. 193.
Punct. XIII. *De pœnis à iure statutis contra Divinatores, Sagas, Maleficos, Sortilegos, & alios similes, pactum aliquod cum Dæmone contrahentes.* num. 199.

PUNCT. I.

Quid, & quotuplex sit superstitio?

1 SUperstitio ex mente D. Isidori, lib. 8. Etymol. cap. 3. dicitur à super statutu: quia est vana observantia super maiorum statuta: sed D. Thomas 2. 2. quæst. 92. art. 1. ad 2. approbat etymologiam, quam ipse Isidorus ex Cicerone lib. 2. de natura Deorum affert, dicendo: *Qui totos dies deprecabantur, & immolabant, vt sui sibi liberi superstites fierent, superstitiosi sunt vocati.* Cum ergo hanc etymologiam D. Thomas approbet, nobis etiam (quid quid Palaus dicat tom. 3. tract. 17. disp. 1. punct. 1. num. 1.) vt par est, apprime arridet. Videantur Suar. tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 2. cap. 1. Læsius de iustitia, & iure, lib. 2. cap. 43. Fagundez lib. 1. Dec. cap. 34. & alij. Supposita ergo huius vocis etymologia, eius essentiam docet D. Thomas art. 1. cit. in corp. his verbis: *Superstitio est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* D. Thomam sequuntur Sanchez lib. 2. Decal. cap. 37. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 1. num. 2. Trullench lib. 1. Decal. cap. 10. dub. 1. Leander tom. 1. Decal. tract. 9. disp. 1. quæst. 2. & alij communiter. Videatur etiam Delrius disquisit. magicar. lib. 1. cap. 1. Dicitur autem superstitio vitium oppositum religioni secundum excessum, non quia excedat secundum circunstantiam, quæ dicitur *quantum*, medium religionis, in quo consistit virtus, sed quia secundum alias circunstantias excedit: quia nimirum, vel cultus divinus tribuitur creaturæ, vt si creaturam v. g. Iovem, Venerem, vt Deos colas, thus, templa, & sacrificia offeras: vel & si Deo cultum debitum adhibeas, hunc tamen medijs indebitis præstas, vt si Deum ores tot candelis, & non aliter. Quocumque autem ex his modis cultus tribuatur, superstitio est. Etymologia & diffinio superstitionis.

2 Ex quibus constat: duplicem esse superstitionis speciem: prima est, quando Deo exhibe- Multiplicitas superstitionis.

betur cultus debitus, sed modo indebito. Et hæc dicitur *superstitio modi indebiti colendi Deum.* Secunda vero; quando cultus Deo debitus, exhibetur creaturæ. Et hæc appellatur. *Superstitio ratione rei cultæ.* De quibus agit D. Thomas 2. 2. quæst. 92. art. 2. in corp. Superstitionem autem modi indebiti, indupliçem aliam speciem subdividit idem Angelic. Doctor. quæst. 93. seq. art. 1. prima est; quando Deo exhibetur cultus falsus, seu perniciosus; qui rursus duplex esse potest, nam vel potest esse falsus, ratione rei significatæ: vt si quis Deum coleret cæremonijs Iudæorum, vel quando divinis officijs, tanquam eius partem turpia miscet, vel miracula falsa prædicat, eis que intendit fidem nostram confirmare, &c. Vel secundò; potest esse falsus, seu pernitiosus ex parte colentis: vt si se fingeret Ecclesiæ ministrum, & Sacerdotem, & ita Missam celebrare, & sacrificia offerre attentaret. Nam sicut falsarius esset, qui proponeret aliquod præceptum ex parte Regis, quod ab eo emissum non est, nec illi commissum; sic etiam falsarius est, qui cum Sacerdos non sit; (vel, vt extendit Palaus, & si Sacerdos sit, est depositus) sacrificium offert; quia tunc offert, quod non est tale; vel, & si sacrificium verum offerret, vt vere offert Sacerdos depositus, non tamen nomine Ecclesiæ; cum tunc ab ea sit præcisus; & consequenter vterque offert Deo cultum falsum ex parte colentis; & ideò committit crimen superstitionis falsi cultus ex parte colentis.

NOTA. 3 Sed nota: quod hic cultus falsus ex parte colentis, licet præcipue sit in cultu publico, etiam in privato esse potest. Et ratio sumitur ex D. Thoma quæst. 93. citat. art. 1. Nam ibi dicitur, quod hic cultus falsus est *præcipue in cultu communi*: ergo aliquando esse poterit in privato. Et exemplum ponit Caiet. ibi, in eo, qui orationem dominicam ad orandum, & petendum veniam peccatorum pro omnibus institutam, vellet pro se eam offerre. Quid quid in contrarium D. Thomæ asserant Suarez tom. 1. de Relig. tr. 3. lib. 2. de Superstitione, cap. 2. num. 15. & 16. & Sanchez num. 3. cap. 37. citati. Quia cum talis oratio Dominica nomine Ecclesiæ ab omnibus dici debeat, & pro tota Ecclesia, vt patet ex illis verbis: *Pater noster. Panem nostrum. Da nobis, & dimitte nobis. Et ne nos inducas, &c.* quæ satis indicant nomine Ecclesiæ offerendam esse; qui sic non offert, sed pro se tantum, Deum colit cultu falso ex parte colentis. Ita Caiet. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 10. punct. 2. in fine. Sayr. lib. 4. cap. 4. num. 4. Læsio lib. 2. cap. 43. dub. 1. num. 1. qui alijs exemplis id confirmant.

Superstitio superflui cultus. 4 Secunda species superstitionis modi indebiti colendi Deum, est quando superfluus cultus Deo exhibetur; quod accidit, dum homo tribuit Deo cultum per id, quod nec pertinet, vt ait D. Thom. art. 2. *Ad Dei gloriam; neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiæ inordinate refrænentur; aut etiam, si sit præter Dei, & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem. Totum hoc reputandum est superfluum, & superstitiosum.* Et ratio est: Nam vt ait Ioann. 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare.* Sed cultus, qui non conducit, nec pertinet ad spiritualem profectum, est superfluus in ordine ad finem cultus, qui est gloria Dei, & quod spiritus, & caro Deo subijciantur: ergo non est verus Dei cultus, & in spiritu, vt præcipitur à D. Ioanne; sed superstitiosus, & superfluus, qui in exterioribus tantum sistens, ad interiorem cultum non proficit. Vt ex D. Aug. Angelic. Doctor ibi probat. Qua propter, qui ad aliquid consequendum, determinate orat post solis ortum; aut in Missa Sacerdotis, qui hoc nomine vocetur, v. g. Petrus; vel cum tot candelis, & non pluribus, aut huius coloris præ alio: vel, qui ex consilio, alijs cæremonijs ab his, quas Ecclesia statuit, celebrat, vel orat, v. g. dicendo *Alleluia*, aut *Credo* quando dicenda non sunt, vel pluries quam præcipiunt Missalis rubricæ, &c. hi omnes committunt peccatum superstitionis superflui cultus, & si ipsi ad interiorem profectum hæc omnia ordinent. Et ratio est: quia exterior cultus contra Ecclesiæ consuetudinem peccatum est; sed quod peccatum est, nequit, qualiscumque fiat intentione, etiam reflexa, ordinari ad interiorem profectum, cum in Deum sit irreferibile: ergo talis exterior cultus superstitiosus est. Huc vsque dicta tenent Caiet. loc. cit. Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 1. Sayr. lib. 4. cap. 4. num. 1. & 2. Navarr. in Summa, cap. 11. num. 24. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 31. à n. 1. ad 4. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 1. Trullench lib. 1. Decal. cap. 10. dub. 1. Leand. tract. 9. disp. 1. à quæst. 2. Bonac. Spei, tom. 5. disp. vlt. resol. 1. pag. 263. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 5. punct. 1. Delr. Disquisit. Mag. lib. 1. cap. 1. Fagund. tom. 1. lib. 1. cap. 34. & Layman tom. 2. tract. 10. cap. 1.

Secunda species superstitionis. 5 Secunda species superstitionis est: vt ait D. Thom. quæst. 92. art. 2. in corpore: *Quando exhibetur cultus divinus ei, cui non debetur exhiberi, scilicet creaturæ, & hæc dicitur superstitio ratione rei cultæ.* Quæ vt inquit idem Angelicus Doct. *in multas species dividitur secundum diversos fines diversi cultus.* Nam si cultus divinus ad Dei reverentiam ordinatus, tribuatur creaturæ, dicitur *idololatria*; & hæc est prima species superstitionis ratione rei cultæ. ¶ Secundò: quia divinus cultus, ordinatur, vt homo instruatur à vero Deo, quem colit, si hoc spreto, Dæmones, per aliqua pacta expressa, vel tacita cum eis inita, consulit; committitur secunda species superstitionis. Quæ dicitur *divinatio.* ¶ Tertiò, & denique: quia cultus divinus ordinatur ad directionem humanorum actuum secundū instituta Dei, qui colitur; si homo omittat dirigi à Deo, & petat, vt dirigatur, & adiuvetur à Dæmone, & ob id ei exhibet cultum: peccat peccatum superstitionis, quæ dicitur: *Vana observantia*, ad quam pertinent omnes ligaturæ, vt ait D. August. in lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 10. & *Magia*, & docent Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 1. num. 6. & alij.

6 Sed hic rogabis; quale peccatum sint om-

Quam grave peccatũ sit superstitio falsi cultus.

omnes species superstitionis *modi indebiti colendi Deum*? Non quærimus de superstitione ex *ratione rei cultæ*, quia de hac infra agendum est; sed de superstitione modi indebiti colendi Deum. Circa quod dicimus primò: quod superstitio, quando exhibetur cultus falsus, sive ratione rei significatæ, sive ratione colentis, ex se est peccatum mortale. Et ratio est: quia mendacium pernitiosum in materia gravi ex se mortale est; sed hæc superstitio est mendacium pernitiosum in materia Religionis,& cultus Dei, quæ gravissima est: ergo ex se mortale est. Ita Caiet. 2. 2. quæst. 93. art. 1. Suarez tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 2. cap. 2. num. 18. & alij Doctores sup. citati vt Bonacina punct. 1. num. 2. Sanchez num. 5. Palaus num. 5. Leand. quæst. 4. & alij.

Quædã inferuntur.

7 Ex quibus infertur primò: Quod, qui turpia, & profana immiscet Divino officio tanquam partem illius, sive voce, sive organis cantetur, peccat mortaliter peccato superstitionis indebiti cultus: tum, quia talis cultus est falsus ex parte colentis. Tum: quia prædicta sunt contraria fini cultus divini, cum non moveant ad cœlestia, sed potius ad carnalia, & terrestria. Vnde qui scommata sibi invicem dicunt in matutinis natalis Domini, quando benedictionem petunt, dicturi illius officij lectiones, committunt peccatum superstitionis. At si, quæ canuntur, turpia non sunt, sed vana, & sæcularia; vel sonus non sit ad malum provocans; & alias vt partes officij Divini non admisceantur; credimus esse tantum veniale, dummodo absit scandalum. Ita Authores infra citandi. ¶ Infertur secundò: Quod qui falsas reliquias adorandas proponit, vel falsa miracula prædicat, vel scribit, vel, vt alios decipiat, fingit se esse D. Petrum, vel alium Sanctum; etiam læthaliter peccat peccatum superstitionis, cum in hoc magnam iniuriam inferat Religioni Catholicæ, quæ ad sui confirmationem falsis non indigeat miraculis, & alias veram miraculorum fidem evacuet, & destruat. Ita Navarr. in manuali, cap. 11. num. 27. Sanchez num. 8. & 9. Sayr. num. 4. Fagund. num. 3. Palaus num. 5. Leand. tract. 9. disp. 1. quæst. 5. 6. & 7. Tamb. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 4. Bonacina punct. 1. num. 3. loc. citat.

Superstitio cultus superflui aliquando est mortalis, & aliquando venialis.

8 Dicendum est secundò: Quod superstitio, quando Deo superfluus cultus adhibetur, aliquando potest esse mortalis, & aliquando venialis, iuxta gravitatem materiæ, & intentionem operantis. Et ratio est: quia quando in contemptum Ecclesiæ non fit, sed bono animo, gravis irreverentia cultui divino communiter non infertur: ergo grave peccatum superstitionis non est cultu superfluo, seu contra morem Ecclesiæ Deum colere. Ita communiter Doctores apud Sanchez num. 11. Fagundez num. 5. Sayr. num. 4. Palaum num. 5. & alios. Vnde qui hanc, vel illam cæremoniam non valde gravem adderet, vt dicere *Alleluia*, vel signare se, dum non est signandus, non peccaret graviter. Nec similiter mortaliter peccaret, qui die Dominica ieiunaret ob carnis macerationem, & non ob contemptum Resurrectionis Christi, vt ieiunabant Manichæi, & ob hanc hæresim extirpandam in cap. *Si quis tanquam*, cap. Sacerdos 26. quæst. 6. Et cap. *neque ieiunet de consecrat.* dist. 3. prohibet Ecclesia his diebus ieiunare. Et ratio est: quia cum iam hæc hæresis aboleverit, nullam habet vim similis Ecclesiæ præceptum, cum cesset finis illius. Consulendum tamen est à tali ieiunio abstineri; tum: quia si continuo fiat, forte inde scandalum videntes accipient: tum: quia, vt docet D. Thom 2. 2. quæst. 147. art. 5. ad 3. cui adhærent Valentia 2. 2. quæst. 9. disp. 9. part. 4. Sanchez num. 15. Palaus num. 6. Tale ieiunium adversatur consuetudini communi Ecclesiæ, quæ pro lege habenda est, vt dicit August. Epist. 86. Vnde absque rationabili motivo invertere saltem leve peccatum est. Quapropter, communiter docent Doctores, vt Sanchez num. 18. Palaus num. 7. & alij plures à nobis relati tom. 4. tract. 17. cap. 1. punct. 2. num. 64. quod licet votum ieiunandi die Dominica sit validum, & non superstitiosum, tamen, si quis voveat ieiunare die Divi Ioannis v.g. aut vigilia alicuius Sancti,& incidat die Dominica, adimplet obligationem illius, ieiunando Sabbato antecedenti: quia sic se conformat Ecclesiæ consuetudini, ieiunium in Dominicam incidens in Sabbatum præcedens transferenti. Et similiter si quis voverit integro mense ieiunare, non tenetur diebus Dominicis ieiunare, nisi contrariam expresse habuerit intentionem: quia intelligitur more Ecclesiæ talia ieiunia promisisse; vt docent Sanchez num. 20. Armilla verbo *Votum*, num. 25. & alij. His ergo brebiter circa superstitionem *modi indebiti colendi Deum*, traditis, convertimur ad speciem superstitionis *ratione rei cultæ*, de qua plures, & gravissimæ difficultates occurrunt; & ideò latiori calamo differendæ. Et quia inter omnia prædictæ superstitionis crimina caput extollit Idololatria; ideò de ea primo agere decernimus.

PUNCT. II.

Quid, & quale sit peccatum Idololatriæ?

Idololatriæ essentia traditur.

9 IDololatria dupliciter accipi potest 1. generaliter, 2. specialiter. Primò modo accepta, non est species aliqua peccati; sed per omnia divagatur, cum omnis peccans vltimum finem in creatura ponat. Quapropter Apostolus gulosos, vt idolatras, reprehendit, dicens ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est*; & ad Ephesios 5. avaritiam *idolorum servitutem* appellat. Secundò vero modo accepta, est quædam superstitionis species; & de hac loquimur in præsenti; quia est vitium immediate oppositum cultui Dei, & in hoc primo Decalogi præcepto specialiter prohibitum. In hac ergo acceptione sic definitur communiter idololatria. *Est cultus divinus exhibitus creaturæ.* Ita ex D. August. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 20. docet D.

D. Thomas 2. 2. quæst. 94. art. 1. in corpore, quibus adhærent communiter omnes Scholastici, & Moralistæ. Vt Suarez tom. 1. *de Religione*, tract. 3. lib. 2. cap. 3. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 11. punct. 3. column. 1. Sanchez lib. 2. cap. 37. num. 21. Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 2. n. 7. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 2. Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 10. dub. 2. num. 2. Fagundez lib. 1. cap. 33. n. 1. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 2. Explicatur definitio: Dicitur 1. *Cultus divinus* ad denotandum, quod debet exhiberi creaturæ honor, vel cultus, qui soli Deo debetur. Si enim alter honor, vel cultus Deo non debitus alicui creaturæ tribuatur non erit Idololatria. Additur *exhibitus creaturæ*, ad innuendum creaturæ, vt tali tribuendum esse. Vnde si creaturæ exhibeatur, non secundum se sumptæ, sed vt in ea relucet creatoris excellentia, & illius est imago, aut exemplar; cultus divinus ei exhibitus non erit idololatria; vt supra diximus de Sanctorum adoratione. Quapropter quicunque, sive actu interiori, sive exteriori, sive media imagine, seu idolo, sive absque illa, tribuit alicui creaturæ, sive spirituali, sive corporali cultum, quod soli Deo debetur, committit veram, & propriam idololatriam.

Idololatriæ diversitas.

10 Huius autem peccati quintuplex gradus ex D. Thom. quæst. 94. art. 1. assignari potest. Primus est: adoratio simulachrorum ipsorum materialium, vel Dæmoniorum his affixorum. Secundus: adoratio creaturarum in se: puta Cœli, terræ, herbarum, bestiarum, &c. Tertius: adoratio hominum mortuorum. Quartus: adoratio substantiarum immaterialum in se, & Dæmoniorum. Quintus: adoratio mundi tanquam animati. Ad hos ergo reduci potest, omnis idololatria à Gentibus adinventa. De quibus videri possunt D. Aug. lib. 7. de Civitate Dei, cap. 5. 6. & 16. & apud ipsum Varro. Et insuper Suarez loc. cit. cap. 4.

Origo, & principium Idololatriæ.

11 Vnde originem traxerit idololatria, late disputant Suarez lib. 2. citato cap. 5. Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 3. & alij. Sed ex D. Thoma 2. 2. quæst. 94. art. 4. dicendum est: quod si loquamur de causis, vnde primò orta est: prima causa quasi dispositiva illius, fuit inordinatus affectus hominum, quatenus alios homines inordinate amantes, vel venerantes eis honorem divinum impenderunt. Secundò fuit ignorantia veri Dei, cuius essentiam, & virtutem non considerantes homines, allecti pulchritudine aliquarum creaturarum, eis divinos honores exhibuerunt. Tertia denique, & consummata causa illius est; astutia Dæmonis, qui in idolis dando responsa, curat ab hominibus, vt Deum coli. ¶ Si vero sermo sit de tempore, quo primo idololatria introduci cæpit; Tertullianus lib. de Idolis, cap. 3. & 4. docet: esse ortam cum imaginum, & statuarum artificibus. Lipomanus in Cat. sup. cap. 4. Gen. Hugo Card. ibi, & alij dicunt natam fuisse fere cum mundo, & inter filios Adæ adoleviſse, quibus Enos oppossuit publicum Dei cultum, & velut visibilem Ecclesiæ formam instituit. Vnde dicitur Gen. 4. *Et iste cæpit invocare nomen Domini.* ¶ Abulensis cap. 4. Genesis, q. 13. & 34. in fine ex Eusebio, & Iosepho refert; Regem Ninum, demortuo Belo eius patri, et Assyriorum Regi, in doloris solatium imaginem erexisse, cui tantam reverentiam exhibuit, vt Civitas esset refugij omnibus ad illam confugientibus, quantumvis grave delictum perpetrassent; & ideò, ei cultus divinos exhibere cæperunt; vel, vt alij dicunt, ipse Ninus illos homines adhoc compullit. Ita commentarius, qui tribuitur D. Ambrosio in cap. 1. Epist. ad Rom. D. Isidor. lib. 8. Etymolog. cap. 11. & alij. Sed hæc referens D. Thom. 2. 2. quæst. 94. art. 4. ad 2. verius sic ait: *Quod in prima ætate non fuit idololatria propter recentem memoriam Creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominum. In sexta autem ætate idololatria est exclusa per virtutem Christi, qui de diabolo triumphavit.* In quibus verbis excludit à prima ætate mundi hoc pessimum vitium, enorme que peccatum, & simul fatetur à Christo fuisse hunc fortem armatum devictum, & vasa eius direpta.

Est gravissimum peccatũ creaturæ cultũ divinũ exhibere.

12 Idololatriam vero esse ex genere suo gravissimum peccatum, communis tenet sententia cum D. Thoma quæst. 94. citata, art. 3. & ratio est. Nam qui honorem Regium defert alteri à Rege, gravissimum peccatum in terrena Republica committit, cum perturbet totum ordinem ipsius: ergo qui honorem divinum, seu Deo debitum, impendit creaturæ, gravissimum peccatum contra Deum facit; cum ponat alium Deum in mundo, & divinum Regnum dividat. Ex quo constat inter omnia peccata Religioni opposita, gravius esse Idololatriam; cum sit crimen læsæ maiestatis divinæ, maximè que contrarium singulari eius excellentiæ, & honori. Vnde infertur etiam in gravitate longe excedere peccata opposita virtutibus moralibus, cum opponatur perfectiori virtuti. Maior tamen difficultas est: an excedat peccata, quæ sunt contra virtutes theologicas? Sed, quid quid Caiet. in præsenti velit, certum est ex sententia expressa D. Thomæ 2. 2. quæst. 34. art. 2. quod odium Dei excedat in gravitate quæmcumque alia peccata; & idem nos sup. cap. 8. punct. 1. num. 2. docuimus; cum opponatur excellentiori virtuti, nimirum Charitati. Quæ ratio probat, idem dicendum esse de peccatis oppositis Fidei, & Spei, scilicet, infidelitate, & desperatione, vt sumitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 10. art. 3. & quæst. 20. art. 3. Et ex se liquet; quia virtutes theologicæ, quibus contrariantur, longe ex se morales superant. Vnde quando Angelicus Doctor in hac q. 94. art. 3. ait: *Idololatriam esse gravissimum peccatum inter ea quæ contra Deum committuntur.* Et in solutione argumentorum insinuasse videatur excedere infidelitatem, & hæresim; intelligendus est in primo loco, respectu peccatorum, quæ virtutibus moralibus opponuntur. Et in secundò de idololatria non secundum se, sua que essentialia, sed prout coniungitur principijs, à quibus oriri solet, scilicet infidelitate, & odio Dei, vel prout se-

secum affert, effectus, quos communiter producit, qui sunt omnia fere alia peccata, vt homicidium, furtum, fornicatio, adulterium, &c.

Quale peccatum sit idololatria, cum interiori infidelitate, & alia quæ est cum solo affectu colendi vt Deum creaturam.

13 Sed pro intelligentia gravitatis huius peccati nota: quod idololatria tripliciter committi potest. Primò cum mentis errore, seu vt ait D. Thom. quæst. 94. art. 3. ad primum: cum interiori infidelitate, putando creaturam esse Deum, divino que honore dignam: quod absque dubio est gravissima Dei offensa; cum idolatra tunc credat, possibilem esse, & de facto dari Deorum multiplicitatem, & ideò tali cultu prædictum errorem exterius profitetur. In quo gravissima vero Deo irrogatur iniuria, cuius essentia, & honor incommunicabilis ex se est alteri non Deo. Secundò committi potest idololatria, sine propria mentis infidelitate, v.g. cognoscendo Dæmonem, aut aliam creaturam vere non esse Deum; & nihilominus, ei ex affecto tribuendo cultum Dei proprium, vt sibi illum propitium habeat, vt faciunt striges, & alij, de quibus infra agendum est, & hæc est etiam enorme peccatum; cum à consilio velint, quod Dei excellentia, ob quam ei talis cultus, & honor debetur, fiat alteri communicabilis. Maximè quia fere impossibile est, quod quis credens, cultum divinum esse soli Deo tribuendum, velit ex animo illum creaturæ exhibere, nisi ex odio Dei, vt ait D. Thom. art. 3. & ita operantur Dæmones: qui modus operandi ex se constat, quam enorme peccatum sit.

Idololatria exterior licita non est.

14 Tertiò accidere potest idololatria, quando quis ob metum mortis, aut aliud grave damnum vitandum, tribuit cultum divinum exteriorem creaturæ, tamen sine infidedelitate interiori, aut voluntate eam sic colendi. Sed hoc non est vera idololatria; sed ficta, esto sit gravissimum peccatum, quid quid in contrarium dicant aliqui Gentiles, vt Cicero, & Seneca; necnon Platonici, & hæretici apud D. August. lib. 6. de Civitate Dei, cap. 10. & D. Thom. art. 2. quæst. 94. affirmantes: talem cultum, præcisè exteriorem, esse licitum. Sed hæc sententia prorsus falsa est: tum ex dictis in hoc tract. 21. cap. 2. punct. 8. num. 101. quæ hic repetere non licet: tum: quia tenemur præcepto divino non negare exterius fidem, vt ibi num. 96. probavimus, & constat ex illo ad Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; sed cultus divinus exhibitus creaturæ est exterior negatio fidei: ergo, &c. Tum denique; quia talis exterior cultus est gravissimum mendacium contra Dei honorem; & insuper decipit alios, pernitiosè existimantes eum vere agere, vnde gravissimum scandalum in eis generat: ergo illicitum prorsus est, & gravissimum peccatum, & si metu mortis tantum fiat, exterius precisè idolatrare. Sic D. Thomas citatus, Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 6. Palaus punct. 2. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 37. à num. 22. Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 2. Sayr. lib. 4. cap. 4. num. 11. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 2. num. 6. & alij. Qui omnes notant, hunc idololatriæ modum non esse adeò grave peccatum sicut præcedentes; quia duo primi sunt vere, & proprie idololatria: tertius vero non est in rigore vera idololatria, sed ficta, cum ei desit affectus, seu voluntas, creaturam vt Deum venerandi, quam necessario idololatriæ essentia requirit; sicut, & hæresis, iuxta omnes, errorem pertinacem intellectus ex sua essentia postulat. Si vero gravitas sumatur ex parte peccantes, potest secundus, & tertius modus esse gravius peccatum, quam primum; quia in hoc idololatria committitur, ignorando, an creatura sit verus Deus; at in illis cum scientia certa, quod creatura non est Deus, ei divinus tribuitur cultus. Et ideò D. Thom. quæst. 94. art. 3. in corpore docet, gravius esse peccatum eius, qui peccat scienter, quam eius qui peccat ignorando.

De pœnis contra idolatras.

15 Sed quæres; quas pœnas incurrant idolatræ? Pro cuius resolutione nota primò: quod hic non loquimur de pœnis à Deo latis contra idolatras; quia hoc ex arbitrio Dei pendet, nulla que lex certa adest, vt constat ex Exodi 32. & alijs Sacræ Scripturæ locis, vbi Deus pro libito suo tale peccatum his, aut illis pœnis punit; sed sermo tantum est de pœnis ab Ecclesia statutis. ¶ Nota secundò: quod nec hic quærimus de Idolatris Gentilib. quia isti Ecclesiæ non subiacent, sed de Christianis, seu baptizatis, cum hi Ecclesiæ iurisdictioni subdantur. ¶ His prænotatis dicendum est: quod si aliquis Christianus à fide apostatando, & cum interiori infidelitate convertitur ad Gentilismum, seu creaturæ cultum divinum offert; tunc incurrit excommunicationem Bullæ in Cœna Domini latam contra hæreticos, & apostatas; cum hic tunc vere hæreticus, & apostata sit. ¶ Si vero cultum divinum creaturæ offert absque infidelitate interiori, sed tantum ex adulatione aliqua, vel ambitione, aut timore mortis, &c. tunc prædictam excommunicationem in foro interno non incurrit; quia non est vere idolatra, sed fictus, & mere externus; quod non sufficit ad censuram incurrendam, cum hæc, vt pote pœna, debeat imponi contra hæreticos, & idolatras formaliter tales. Vt diximus tract. 21. cap. 3. punct. 7. num. 71. ac proinde ad hos vnice adstringenda est, & non ad idolatras, & hæreticos materiales extendenda, vt optime docent Navarr. in Manuali, cap. 11. num. 27. Sylv. verb. *Apostasia*, Sanch. cap. 37. citat. num. 22. Suarez num. 21. & 22. cap. 6. sup. relato, Sayr. lib. 4. cap. 4. num. 11. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 2. num. 3. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 2. num. 5. & alij. Et eodem modo intelligenda est alia excommunicatio lata à Ioann. XXII. in Extravag. quæ incipit: *Super illius specula*, quam ad verbum refert Direct. Inquisit. part. 2. quæst. 43. pag. mihi, 341. contra Magos, Magicas que superstitiones, & contra eos, qui Dæmonibus immolant, eos adorant, eorum que imagines fabricant, &c. cum eadem ratio in vtroque militet, vt consideranti constabit: & ideò nulla ex his excommunicationibus incurritur ob solam externam Idololatriam. ¶ Vtrùm autem liceat infidelibus vendere oves ad Sacrificium, eorum domus reedificare, templa adire, vestibus, & cibis vti, &c? Videantur

su-

ſuperius dicta cap. 2. punct. 10. & 11. cap. 3. punct. 4. & inſuper Azor 1. part. lib. 9. cap. 11.

PUNCT. III.

De divinatione, & eius ſpeciebus.

Ratio agendorum proponitur.

16 SEcunda ſpecies ſuperſtitionis ratione rei cultæ eſt, vt ſup. ex D. Thom. num. 5. vidimus, *Divinatio*, quæ in lata eius ſignificatione nihil aliud eſt, vt ait Anglic. Doct. 2. 2. q. 95. art. 1. quam: *Quædam præ-nunciatio futurorum.* Cæterum, quia futurorum cauſæ, in quibus præcognoſci poſſunt, aliæ neceſſario, & ſemper producunt ſuos effectus, vt motus Cœli eclipſes; & aliæ, quæ licet non neceſſario illos producant, tamen vt in pluribus raro deficiunt; ſicut aſpectus, & coniunctio ſtellarum, pluvias, & ſiccitatem cauſant; ideò qui cognoſceret cauſas neceſſarias, poſſet etiam naturaliter, & licite prænuntiare certo effectus neceſſarios; & qui prænoſceret non neceſſarias, ſed vt in pluribus determinatas ad effectus, hos non neceſſario, ſed per quandam coniecturam prænuntiare licite, & vere valebit. Attamen, quia ſunt aliquæ cauſæ ex ſe ad vtrumlibet indifferentes; vt potentiæ rationales; ideo earum effectus, tantum, in ſe ipſis naturaliter cognoſci poſſunt, & ideo eos cognoſcere, dum ſunt præſentes, humanam non excedit facultatem; at eos vt futuros prænoſcere ſolius Dei eſt, cui omnia in ſua æternitate præſentia ſunt; vt dicitur Iſaiæ 41. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* Vnde, qui aliter quam modo prædicto, vel per divinam revelationem, vult futura prænoſcere, vel ea de facto prænuntiat, dicitur divinare; & ideò, ſic ſumpta iam divinatio in malam partem, & vt eſt ſpecies ſuperſtitionis, accipitur. Et de divinatione hoc modo accepta, præcipue loquimur in præſenti. Quæ, quia multipliciter fieri valet, ideò in diverſas ſecatur ſpecies; de quarum ſingulis, diverſis punctis, iuxta D. Thomæ methodum, agemus; prælibando tamen prius divinationis eſſentiam, gravitatem, & multiplicitatem, quibus edocendis hunc primum punctum dicamus, illum que in duos §§. dividemus, in quorum primo agemus, de eſſentia, & multiplicitate ſpecifica divinationum, in ſecundo vero, an hæc diverſitas ſit moralis, & qualis ſit culpa, decidemus.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit divinatio?

Traditur eſſentia divinationis.

17 DIvinatio ſumitur iuxta Angelicum Præceptorem quæſt. 95. citat. art. 1. ad. 1. ex indebita vſurpatione alicuius divini, nimirum, cognitionis futurorum; quia cum ſit Dei proprium ventura ſcire, & annuntiare; qui hæc, modo indebito, prænuntiat, dicitur divinare, ſeu divina agere; & ideo communiter divinatio accipitur, prout eſt idem, ac *divina actio, ſeu notio.* Hæc autem divinatio, ſi fiat ex revelatione divina, dicitur prophetia; ſi vero ex diabolica, dicitur divinatio. Divinare ergo, hoc modo acceptum, ſic explicat D. Thom. loco citat. art. 1: *Tunc ſolum dicitur divinare, quando ſibi indebito modo vſurpat prænuntiationem futurorum eventuum.* Ex quibus preſsius definiri poteſt, dicendo: *Divinatio eſt prænuntiatio inordinata, ſeu ope Dæmonij facta, futurorum eventuum.* Explicatur breviter hæc definitio: dicitur *prænuntiatio*, quia non ſolum verbis, ſed & ſignis, perficitur. Additur *inordinata*, quia ope, & auxilio Dæmonis fit, & non à Deo, aut alio modo debito. Vnde ſi quis, curioſe cognitionem futurorum non à Dæmone, ſed à Deo expoſtulet, peccabit; ſed non erit ſuperſtitio. Denique dicitur: *futurorum eventuum* ad denotandum, quod licet attingat præterita, ſicut prophetia, præcipue tamen circa futura verſatur. Ita Sanchez lib. 2. Decalogi, cap. 38. num. 1. Azor 1. part. Inſtitutionum Moral. lib. 9. cap. 12. quæſt. 2. Suarez tom. 1. tr. 3. lib. 2. de Superſtit. cap. 7. num. 1. & 2. Læſſ. lib. 2. cap. 43. dub. 5. à num. 21. Trullench lib. 1. Decalogi, cap. 12. dub. 3. num. 2. Palaus tract. 17. diſp. 1. punct. 3. num. 4. Bonac. diſp. 3. quæſt. 5. punct. 3. n. 1. Leander tract. 9. diſp. 2. q. 1. Delr. Diſquiſit. Mag. lib. 4. cap. 2. quæſt. 1. Souſ. in Aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 38. num. 1. & alij. Ex quo plane convincitur, quam grave peccatum ſit divinatio. Tum: quia innititur pacto expreſſo, aut implicito Dæmonis. Tum: quia vt ait D. Thom. art. 2. aſſumit auxilium Dæmonum, ad aliquid cognoſcendum, quod à Deo ſcire tantum curare debebat; & ſic tribuit cultum Dæmoni, qui Deo erat exhibendus.

Quæ Dæmon proprijs viribus certo, aut probabiliter ſcire valeat?

18 Sed pro huius definitionis intelligentia declarari oportet, ad quæ poſsit Dæmonum cognitio extendi, & quæ docere ſuos divinatores valeat. Pro quo dicimus primò: quod, & ſi Dæmones cordium cogitationes, futura contingentia, & alia quæ vnice pendent ex voluntate divina, liberoque hominum arbitrio, ſeu cauſam certam ſui non habent, certo ſcire, & prædicere nequeant; vt ait D. Thom. 1. part. q. 57. art. 3. 4. & 5. tamen ex diuturna experientia, ingenij Angelici acumine, perfectaque rerum naturalium cognitione, & denique ex hominum affectibus, & temperamentis, poſſunt multa ex his probabiliter coniectare, & prædicere. Quapropter multoties annuntiaverunt per divinos ſuos, mutationes regnorum, hominum mortes, Principes è ſolio deturbandos, &c. ¶ Secundò, poſſunt prædicere certo omnia, quæ à cauſis naturalibus neceſſarijs, dependent, vt coniunctiones aſtrorum, cœlorum motus, Solis Eclipſes; at ea, quæ à cauſis naturalibus, quæ ab alijs impediri poſſunt, oriuntur; vt peſtis, pluvia, ventus, tempeſtas, & alia id generis, ſolum per coniecturas prædicere valent; quia cum comprehendant virtutes omnium cauſarum naturalium, facilè cognoſcere poſſunt, quos effectus producere queant. ¶ Tertiò, poſſunt ſcire futura ex revelatione divina, vel quia

sciunt, quid alij Dœmones ex permissione divina facturi sunt. ¶ Quartò, annuntiare valent, ob incomparabilem sui motus celeritatem, ea quæ in longinquis locis fiunt; & sic, visa aquarum redundantia Nili in Ætiopia, possunt annuntiare alluviem illius in Ægipto. Quare divini ex instructione Dœmonis, multa, quæ in longiquo fiunt, statim annuntiant; vt aliquibus exemplis illustrat Delr. lib. 4. cap. 2. quæst. 2. ¶ Quintò, quando morbus est ex maleficio, possunt prænunciare, quando cessaturus est: quia dependet ex sublatione signi, quod in sua est potestate; & idem dicendum est, quando Deus illis permittit, quod sint pestilentiæ authores; tunc enim certo valent illius finem prædicere. Vt refer Villamont. lib. 2. peregrinationis, cap. 7. de quodam Turco Famagustano, qui provt sibi Dœmon annuntiarat, congregato in foro populo, prædixit, se intra horam moriturum, & statim pestem cessaturam, vt postea rei probavit eventus. Hæc omnia certa sunt, docentque D. Thom. 1. part. quæst. 51. art. 3. & 4. Delr. lib. 4. disquit. mag. cap. 2. quæst. 2. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 7. Pereira lib. 3. Mag. cap. 5. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 3. num. 4. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 3. num. 1. & 2. Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 5. Fagundez lib. 1. Decal. cap. 35. num. 2. Sayr. lib. 4. cap. 5. num. 4.

Quomodo Dœmon suos divinatores edoceat.

19 Ex quibus constat, quid prædicere possint Dæmones, & quæ docere suos divinos valeant; nam cum hi nihil aliud cognoscant, quam ea, quæ Dœmones eis suggerunt, sequitur, divinatorum prædictionem non posse vlterius progredi, quam Dœmonis cognitio pertingit. ¶ Qualiter autem Dœmon suos divinatores edoceat, parum succi habet; sed nihilhominus dicendum est (ne lector anxius existat) Dœmonem suos divinatores instruere, aliquando se eis visibilem offerendo, ac verbis expressis edocendo; multoties, sine vllo aspectu, verba in aëre proferendo, vel in somno, aut vigilia, ea phantasiæ repræsentando, & incitando eos, vt verba audita, & percepta proferant: vel denique scriptis immissis instruendo, aut medijs Idolis, sive etiam animalibus loquendo. Ad quæ scienda, diversis modis se præparant, nam plerunque Sacrificium eis offerunt, aras cruentant, thus adolent, & alijs instrumentis vtuntur, provt tempus permittit, & forma divinationis patitur. De quibus fusse Grilland. quæst. 5. num. 1.

Divinatio potest fieri ex pacto expresso, vel tacito cum Dæmone.

20 Vnde patet, quod cum divinatio ad præcognitionem futurorum, vtatur Dæmonum consilio, vel auxilio, possunt hæc fieri, vel per expressam Dæmonum invocationem, vel tacitam. Primò modo fit, quando expresis verbis init cum Dœmone pactum; dicendo v. g. *dabo tibi cultum, & adarabo te, tu mihi præsto eris, & auxiliaberis.* Et hoc pactum fieri solet cum solemnitate, apparente Dœmone cum similitudine Regis, magna Dœmonum stipata caterva; & in solio sedens, ei promittit omnia futura prædicturum, & eius votis satisfacturum, opemque laturum; & homo promittit, se negaturum Deum, sacramenta, & alia simnia, & solet hoc pactum, schedula, sanguine proprio, conscripta, obsignari. De quo videatur, Castro de iusta Hæresit. Punitione, cap. 14. & 16. ¶ Vel solet esse hoc pactum sine hac solemnitate, quando cum solo Dœmone paciscatur. Quod etiam pactum fieri potest, per illicitas formulas à Dœmone institutas, vt quando quis ea signa ponit, ad quorum positionem, vel pactus est cum Dœmone, ei opem, & auxilium laturum, vel certo scit ea esse tesseram suæ opis, & doctrinæ ab ipso constitutam, & quocumque ex præfatis modis hoc pactum fiat, dicitur, & est pactum expressum. ¶ Secundò vero modo fit divinatio, quando cognitionem alicuius rei, vel effectum, soli Deo reservatum, medijs vanis, & indebitis, & non à Deo quærit, & si intendat his, quod Dœmon ei opem non ferat; nam hoc ipso, quod quis ad has vanitates, & insanias falsas respiciat, vult profecto à Dœmone edoceri, qui libentissime, vt pote vanorum inventor, eis se immiscet, & in hoc adest pactum implicitum cum Dœmone. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 3. Suarez de Religione, tom. 1. tract. 3. lib. 2. cap. 9. à num. 9. Sayr. lib. 1. cap. 4. num. 5. Delr. lib. 4. cap. 2. quæst. 5. Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 38. num. 12. Fagundez lib. 1. cap. 35. num. 4. Læss. lib. 2. de Iustitia, & cap. 43. dub. 5. num. 24. Trullench lib. 1. Decal. cap. 1. dub. 3. num. 6. & 7. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 3. num. 5. & Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 3. num. 4.

Prima species divinationis in qua Dæmon expresse invocatur.

21 Divinatio ergo, in qua est pactum Dœmonis expressum, & communi nomine dicitur *Necromantia* in plures divitur species, pro diversitate modorum, quibus solet Dœmon suos divinatores de futuris, & occultis instruere. Nam aliquando Dœmones varijs, & præstigiosis apparitionibus, seu fictis, & apparentibus figuris, & corporibus, se aspectui, & auditui hominum obijciunt, præstingendo eorum oculos ad annuntianda futura, & ideo dicitur *Præstigium*, & est prima species divinationis. ¶ An autem humana corpora, quæ tunc aspectui superstitiorum obijciunt, sint vera, aut veras carnes, & ossa habeant? disputant Doctores. Nobis vero similius est cum Caiet. 2. 2. quæst. 95. art. 3. talia corpora veram carnem non habere. Et rationem tradit Caiet. referens, se audivisse à personis fidedignis, quibus cum accudabat Dœmon, talia corpora in duobus percepisse ab humanis deficere. Primò: quia talis caro est quasi glacialis molesta tactui; quibus addit, interrogarum Dœmonem de hac differentia, confessum fuisse aliam meliorem, humanæ que similem efformare non posse. Et ratio huius est: quia non valet ob perfectionem corporis humani sic commiscere naturalia, vt absque vera generatione humanam carnem efficiat; (sicut ob eandem rationem docent Doctores etiam nequire verum semen efficere) Vnde verisimum est, quod dixit post Resurrectionem Christus Luc. 24. *Palpate, & videte quia spiritus carnem, & ossa non habet.* Secundò ait Caietanus, corpora à Dœmone assumpta, differre in delectatione tactus, & concubitus. Est enim tanto humanarum personarum commixtio delecta-

ctabilior, quantum verum excedit verosimile. Sed quid quid sit de hoc (quod proprij instituti amplius enucleare non est) certum est, quod frequentius talia corpora, aut figuras, Dœmon non efformat; sed aut commovendo spiritus, illudit sensibus externis, vt videant exterius quod ita non est, vt frequenter accidit phreneticis; vel alligando sensus externos, in sensibus internis, eas apparitiones causat.

Reliquæ huius primi generis species.

22 Secunda species huius divinationis est *divinatio per somnia*. Quia aliquando divinatores sperant per somnia instrui. ¶ Tertia species est *Necromantia*, quia quibusdam præcantationibus, adhibito sanguine, videntur resuscitari mortui divinare, & ad interrogata respondere. ¶ Quarta species est divinatio *per Phytones*. Cum scilicet, Dœmon futura prænuntiat per homines vivos, ac arreptitios, qui dicuntur *Phytones* à Phytone Appolline, qui primus author divinandi olim putabatur. ¶ Quinta species est *Geomantia*. Cum Dœmon per aliqua signa apparentia in corporibus terrestribus inanimatis, vt ligno, ferro, lapide, &c. futura docet. ¶ Sexta est *Hydromantia*, si appareant in aqua. ¶ Septima *Aeromantia*, si sint in aëre. ¶ Octava *Pyromantia*, si sint in igne. ¶ Nona vocatur *Haruspicium*. Cum docet futura per signa apparentia in visceribus animalium immolatorum in aris Dœmonum. Sic D.Thom. 2.2. quæst.95. art.3. Sayr. lib.4. cap.5.à n.6. Sanchez citat. num. 12. Læss. lib. 2. cap. 43. num. 25. Bonac.punct.3.dicto num.5. Leand. tract. 9. disp.2. quæst.5. NN. Salmant. in Arbors Virtutum, tom.3. à n.71. Delr. Disquis. Mag. lib.4. cap.2. quæst.6. sect.7.

Species secundi generis divinationis cum pacto implicito.

23 Divinationem vero, in qua adest invocatio, seu pactum tacitum cum Dœmone, in duo genera dividit loco cit.Angelic.Doct. Primum est: quando, ad præcognoscenda futura, aliquid consideramus in dispositionibus vanis aliquarum rerum, quæ ex se nullam habent virtutem ad res illas cognoscendas. Quod sub se continet alias sex species. Quarum prima est *Genethlia* cum ex Syderum motu, aut situ, inquiruntur natalia hominum, & quid eis deinceps eveniat. ¶ Secunda est *Augurium*. Cum eadem quæruntur ex motibus, & vocibus avium, & quorumcunque animalium, aut ex hominum sturnationibus. ¶ Tertia est *Auspicium*, cum fit ex avium volatu, vel ex alio quorumcunque animalium motu. ¶ Quarta *Omen*. Cum prædicitur ex hominum verbis, aut vocibus, præter intentionem dictis. ¶ Quinta est *Chiromantia* cum divinatio ex lineamentis manuum sumitur. Si autem hoc fiat ex quibusdam signis, in spatula alicuius animalis apparentibus, *Spatulamantia* vocatur, & est sexta species divinationis. Dicta docent communiter Doctores maximè, qui numero sequenti referuntur.

Species secundi generis divinationis.

24 Ad secundum genus divinationis, quod est sine expressa Dœmonis invocatione pertinet divinatio, quæ fit ex consideratione eorum, quæ eveniunt ex quibusdam, quæ ab hominibus serio fiunt; & huius divinandi modi duæ sunt species, quarum prima est *Geomantia* cum per protractionem punctorum notitia futurorum investigatur. ¶ Secunda *Sortilegium* cum ex consideratione figurarum, quæ proveniunt ex aliquibus actibus humanis serio factis, v.g. ex taxillorum emissione, seu in aliquarum chartularum inscriptione, seu ex signis resultantibus in plumbo liquefacto, vel ex festucis in æqualibus propositis, quis maiorem, aut minorem accipiat, aut etiam ex consideratione eius, quod aperienti librum occurrit. Sic D.Thom. 2.2. quæst.45. art.3. quem sequuntur, locis citatis, Sayr. num.14. Sanchez num.13.Scandon q.6. Ex quibus constat, quod diabolus imitatur omnes modos, quos vera Religio Deum consulit, & quibus Deus suis servis respondere solet: nam cum Deus respondeat per propitiatorium, sacrificia, prophetas, somnia, mortuos vivis apparentes, per Angelos, &c. eodem modo ipse studet, suis divinatoribus responsa dare; vt sic etiam cultus Deo sibi ab hominibus tribuatur.

§. II.

Qualiter differant species divinationis; & quæ sit earum gravitas?

Huiusmodi species tantum distinguuntur physice.

25 SUppositia notitia essentiæ, & multiplicitatis divinationum; videndum est, an hæc diversitas sit moralis, & in confessione aperienda. Pro quo rogabis primò: An omnes species divinationis assignatæ, sint non solum physice distinctæ; sed etiam moraliter diversæ, & in confessione explicandæ? Respondetur negativè, vt colligitur ex D. Thom. loco cit. Nam, postquam eas annumerat, ad tres tantum illas reducit; dicendo: quod,quæ fit per expressam Dœmonis invocationem, est *Necromantia*. Si fiat per considerarionem, vel dispositionem motus alicuius rei, est *Augurium*. Si autem denique fiat, vt aliquid occultum nobis manifestetur, est *Sortilegium*: ergo signum est, quod moraliter omnes illæ diversæ non sunt. Et ratio est: quia quomodocumque hæc divinatio fiat, sive per astra, aut somnia, ignem, aut aquam, eodem modo rectæ rationi, cultui Deo debito, fini que Religionis opponitur, & diversitas tantum est materialis, vt si quis committeret furtum per ablationem auri, argenti, vel vestis, &c. ergo sicut ista diversitas in furto,non multiplicat species peccati, sic illa diversitas in divinatione. Vnde nec opus est ea in confessione manifestare. Ita Azor tom.1.lib.9. cap.12. quæst. 3. Caiet. in opuscul. tom.1. tract. 5. quæst. 3. Sotus in 4. dist.18. quæst.2. art. 4. concl. 6. Bonac. disp. 3. quæst.5. punct.3. num.20. Trullench lib.1. cap. 12. dub.3. n.10.Palaus tract.17. disp.1. punct.3. num.9. Sanchez lib.1. Decal.cap.38. num.14. Leand. tract.9.disp.2.quæst.14.

Iuxta aliquos divinatio cum pacto explicito differ

26 Gravior tamen est difficultas, an divinatio per pactum expressum cum Dœmone, specie differat ab ea,in qua tantum est pactum implicitum? Valentia 2. 2. disp.6. quæst. 12. punct. 2. asserit *Necromantiam*, *Augurium*, &

moraliter ab ea quæ est cum pacto implicito.

& Sortilegium esse specie, non solum physica, sed morali distincta: quia D. Thom. omnes alias divinationes ad has tres reducit, in quo videtur illis distinctionem moralem specificam tribuere, & loquendo idem Sanct. Doct. hac quæst. 95. art. 3. ad 1. ait: *Quod in omnibus prædictis est eadem generalis ratio peccandi, sed non eadem specialis. Multo enim gravius est Dæmones invocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit, vt se Dæmones ingerant.* In quibus satis innuit, divinationem per invocationem expressam Dæmonis, specialem deformitatem habere moraliter diversam ab ea, quæ fit per solam invocationem tacitam.

Verior est sententia negativa.

27 Sed dicendum est; divinationem cum expressa Dæmonis invocatione specie morali non differre ab ea, quæ fit cum invocatione tacita. Et ostenditur primò: Quia professio explicita non differt specie à tacita: ergo pactum explicitum, & implicitum cum Dæmone, speciem moralem non variat. ¶ Secundò: Nam taciti, & expressi eadem est ratio, vt dicitur *in leg. de quibus in fine, ff. de legibus*: ergo invocatio tacita, & expressa Dæmonis eandem speciem divinationes constituunt. ¶ Tertiò: Tacita invocatio solum differt ab expressa, sicut perfectum, & imperfectum: ergo speciem non variat. ¶ Vltimò: Malitia divinationis consistit in eo, quod à Dæmone postules instrui circa quæ à Deo edocendus eras; sed parum auget, aut minuit hanc gravitatem, quod à Dæmone id expresse petas, aut tacite, & implicite præcisè postules: ergo hæc circunstantia invocationis explicitæ, aut implicitæ Dæmonis speciem divinationis variare non potest; sed tantum aggravare. ¶ Ad authoritatem D. Thomæ respondetur: Angelicum Doctorem ibi loqui de diversitate physica; non vero morali, si autem aliquam differentiam moralem inter has divinationes cognoscit, solum est circa gravitatem maiorem, vel minorem; vt expresse docet idem Angelicus Doct. auctoritate nobis obiecta, illis verbis: *Multo gravius, &c.* Vnde circunstantia pacti expliciti, vel impliciti, non est mutans speciem, sed præcisè aggravans. Nostram assertionem docent Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. cap. 10. num. 1. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 14. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 12. quæst. 3. Filliucius tract. 24. cap. 3. quæst. 10. num. 72. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 3. num. 20. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 3. num. 10. Palaus tractat. 17. disp. 1. punct. 3. num. 10. notans bene, huic sententiæ favere D. Thomam verbis supra relatis, cum ibi dicat, solum gravius peccatum esse, divinare cum expressa Dæmonis invocatione, quam cum tacita, in quo innuere videtur, esse solum circunstantiam aggravantem, non vero speciem mutantem.

Pactum expressum esse in confessione declarandú sunt, qui affirmant.

28 Qua resolutione supposita quæres: An hæc circunstantia pacti expliciti sit in confessione aperienda? Affirmant supra cit. Auctores. Tum: quia talis divinatio habet coniunctam hæresim, Dæmonis que adorationem, qua aperire necesse est, vt Confessarius rectum iudicium ferat, pœnitentiam salubrem applicet. Diversum enim iudicium facit Confessarius de divinatione cum pacto expresso Dæmonis, ac sine illo. Tum: quia voluntas explicita invocationis Dæmonis, ait Palaus, est distinctum peccatum à divinatione, secus vero voluntas implicita: ergo cum distinctio numerica peccatorum sit fatenda, iuxta omnes Catholicos, necessario hæc circunstantia est in confessione manifestanda.

Alij negãt.

29 Alij vero è contra negant, circunstantiam pacti expliciti esse in confessione fatendam. Et ratio est: quia invocatio expressa Dæmonis, si semel non mutat speciem divinationis; solum est circunstantia aggravans illius; sed circunstantiæ aggravantes, iuxta probabiliorem sententiam, non sunt necessario in confessione aperiendæ: ergo necessarium, & obligatorium non est circunstantiam pacti expressi divinationis in confessione aperire; sed sat est, dicere, se peccasse peccatum superstitiosæ divinationis. Sic Victoria in Summ. vbi de Confess. num. 176. in fine, & alij.

Sub distinctione propria mens aperitur.

30 Sed, has sententias parum inter se differre, existimamus, si earum mens introspiciatur. Quare dicimus primò cum Victoria, & alijs, quos in tract. 6. de Pœnitentia, tom. 1. tract. 6. cap. 8. punct. 2. num. 23. sequti sumus; quod, ex quo divinatio solum afferat secum pactum expressum cum Dæmone, non est necessarium explicare illud in confessione. Ratio est: quia tunc solum est circunstantia aggravans peccati, vt supponunt contrarij, & manet probatum; sed circunstantia aggravans non est necessario in confessione aperienda; vt etiam Doctores supra citati supponunt: ergo nec tunc circunstantia pacti expliciti erit in confessione aperienda.

Non placét motiva Suarez, & Sanchez.

31 Dicimus secundò: Quod, quia regulariter alia peccata committantur prædictum pactum expressum; ideo præcisè dicta circunstantia pacti; seu vt melius dicam, peccata ea committantia, debent in confessione aperiri. Quod primò ostenditur impugnando rationes contrarias. Nam quod Confessarius faciat distinctum aliquomodo iudicium, quando divinatio est cum invocatione expressa, vel non, quod est motivum Sanchez, & Suarez, parum refert, vt eam explicare in confessione teneamus; quia etiam diversimode vindicat confessarius de peccato, cui adest circunstantia notabiliter aggravans, quam de eo cui talis circunstantia deficit, v. g. de furto 30. Regalium, ac de furto mille aureorum: & tamen hæc circunstantia aggravans non ideo est necessario fatenda: ergo, &c. Nec efficacior est ratio Palai. Nam prorsus falsum est; quod voluntas expressa invocandi Dæmonem sit peccatum distinctum à divinatione, & quod voluntas implicita, & virtualis non sit distinctum peccatum; cum hæc voluntas virtualis, iuxta dicta à nobis supra tr. 20. cap. 13. punct. 2. num. 12. sufficientem voluntarietatem habeat ad peccandum: ergo si expressa est distinctum peccatum à divinatione, etiam erit implicita. Quare his motivis vt inefficacibus derelictis,

32 Ostenditur primò; Nostra conclusio

à

Probatur à ratione cõclusio.

à ratione: quia quando expreſſe invocatur Dœmon, ad futura cognoſcenda, adeſt morale periculum deceptionis pernitioſæ, tam reſpectu invocantis, quam aliorum, cum Dœmon mendacij ſit pater,& nullam viam nocendi deſerat; ſed quando adeſt morale periculum deceptionis, datur tunc ſpecialis malitia contra charitatem propriam, vel proximi, aut contra iuſtitiam: ergo talis circunſtantia debet in confeſsione manifeſtari. Deinde: quia ſolet tunc adeſſe cum hac divinatione idololatria, dando Dœmoni cultum, ſoli Deo debitum. Quando que enim ei exhibetur ob excellentiam ſuæ naturæ, & doctrinæ, adoratio, ſolis Sanctis offerenda, & tunc peccatur contra Duliam. Non ſemel etiam creditur Dœmoni futura prædicenti, tanquam veritati infallibili; & tunc hæreſis crimen committitur. Frequentius in invocatione expreſſa promittunt homines, ſe fidem, ſacramenta, aut alias ſacras cæremonias negaturos, & tunc adeſt, vel apoſtaſia, vel hæreſis. Etiam non ſemel accidit, quod adſit abuſus rerum ſacrarum maximè earum, quæ Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento deſerviunt, & tunc Sacrilegium erit. Denique ſolet invocari ad proximo interendum grave damnum, vel in perſonis, aut rebus familiaribus, & ſic peccatur contra iuſtitiam: ob hæc ergo, & alia peccata, quæ expreſſam Dœmonis invocationem frequentius committantur, dicimus: deberi talem circunſtantiam, quando adeſt, explicari. Cæterum ſi præcisè detur talis expreſſa Dœmonis invocatio ad futura cognoſcenda, & alias non adſit aliquod ex peccatis enumeratis, tunc non eſt neceſſe aperire in confeſsione, an divinatio facta fuerit cum expreſſa, aut tacita Dœmonis invocatione; cum ſolum tunc ſit circunſtantia aggravans talis peccati: ſed ſat eſt tunc dicere, ſe grave peccatum ſuperſtitioſæ divinationis commiſsiſe. Et ita explicatæ prædictæ ſententiæ,veritatem continent:at ſi aliud innuere videnturSanchez,&Suarez eis non adhæremus; & quia ad eorum motiva ex dictis iam conſtat, ab vlteriori impugnatione abſtinemus. Et ſolum volumus vt confeſſarius prudens in his divinationis caſibus diligenter examinet,an peccata hic notata in eis adſint.

Quale peccatum ſit divinatio, & an excuſſetur ratione ignorantiæ?

33 Rogabis ſecundò: An divinatio cum pacto explicito, aut implicito ſit mortale peccatum? Reſpondetur affirmativè ex ſe, & ex natura illius. Et ratio eſt: quia per prædictum pactum, ſeu invocationem fœdus inimus cum Dœmone, cui abrenuntiamus in Baptiſmo; in quo gravis committitur Dei proditio, & crimen eſt læſæ Maieſtatis divinæ; cum ab ea declinando ad eius inimicum confugiamus: ergo enorme peccatum proditionis, & apoſtaſiæ contra Deum committimus; quod ratione parvitatis materiæ, à mortali excuſari non poteſt. Vnde Deut. 18. præcepit Deus Iſraelitis dicens: *Non inveniatur in te qui ariolos ſciſcitetur, neque Phytones conſulat.* Et Iſaias cap.18. Similes perſonas reprehendit, quia: *Dixiſtis percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Quæ ſatis indicant quam grave peccatum ſit contra Deum talis divinatio. Ita D.Thom. 2. 2. quæſt.95. art.1. 2. & 4. Caiet. ibi Delr. lib. 4. diſq. mag. cap. 2. quæſt.4. Sanchez cap.38. cit. num.17.Suarez tom. 1. de Religione, tract. 3. lib 2. cap. 9. num.13. & 16. Læſſ. lib. 2. cap.43. dub. 5. num. 27. Bonacin. diſp. 3. quæſt. 5. punct. 3. num. 16. Palaus tract. 17. diſp. 1. punct 3. num. 5. Baſſ.verbo *Divinatio*, num. 3. & alij communiter. ¶ Qui bene notant: hanc eſſe differentiam inter invocationem expreſſam, & tacitam, quod illa nunquam à mortali excuſari poteſt ratione ignorantiæ: cum eius malitia adeò omnibus lumine naturæ nota ſit; at iſta,aliquando ratione ignorantiæ, dummodo non ſit craſſa, aut affectata, excuſatur;cum eius malitia non ſit ita patens. Excuſatur etiam à mortali, quando quis ſine intentione ſuperſtitioſa, credendo que omnia illa eſſe falſa, ſemel, aut iterum ioci cauſa medijs illis ad divinandum illicitis vtitur, vel auguria, aut ſortes, &c. obſervat: quia tunc talis divinatio non eſt vere, & perfecte ſuperſtitioſa. Sic Sanch.num.20.Bonac.num.17.& 18. Sayr. lib.4. cap. 5. num. vlt. Delr. loco relat. Azor lib.2. cap.17. in fine. Palaus num. 7. Navarr. in Summ. cap.11. num.33. & 37. Suarez cap. 9. num.11.13. & 25. Trullench num.11.loco relato, & alij apud ipſos.

Periculoſũ eſt pactum de apparendo ſuperſtiti poſt mortem.

34 Hic pro coronide rogabis: An paciſci cum aliquo, quod præmoriens ſuperſtiti appareat, eum de ſuæ animæ, & conſcientiæ ſtatu monens, ſit licitum? Reſpondetur: quod licet paciſci inter aliquos, vt qui prior obierit (Deo id permittente) appareat, eum de ſuo ſtatu certiorem facturus, ex genere ſuo culpa careat; at ob illuſsionis periculum, vel ſaltem ob vanam curioſitatem, à veniali non excuſabitur; & ſatius eſt, ab his pactis abſtinere, ne à Dœmone illudantur, eſſe alterius animam fingendo. Quare licet de tali pacto antiqua non deſint exempla; tamen quod hic cum tot Doctorum ſententijs, & patrocinio reſoluimus, tutius, & melius eſt. Ita Sanchez num. 25. Bonac. diſp.3. quæſt. 5. punct. 3. num. 3. Delr. lib.2. quæſt.26. ſect.7. Fagundez lib. 1. Decal. cap.36. num.14. Trullench lib. 1. cap. 10.dub.3. num.5. Palaus num.8.

PUNCT. IV.

De divinatione per aſtra.

Ratio agendorum.

POſtquam eſſentiam, & multiplicitatem divinationis tradidimus, reſtat, ad earum explicationem in particulari deſcendere; ſed quia per omnes ſuperſtitionis ſpecies divagare latiſsimam eſſet peragrare provinciam, ab incepto que alienum methodo; è contra vero, profundo omnes ſepelire ſilentio, eſſet hanc materiam mancam, & mutilam relinquere; ideo vt medium, & tutum teneamus iter, Divi Thomæ præmentes veſtigia, ad examen tantum eas vocabimus, quas in

in præsenti idem Angelicus Doctor singulariter discutit. Ex quibus prima, quæ nobis in art. 2. quæst. 95. offert, est divinatio per astra, & ideo de ea in præsenti erit nobis etiam sermo.

§. I.

An Astrologia iudiciaria licita sit?

Astrologia naturalis, licita, licet communiter inutiles, & incerta est.

35 PRo intelligentia eorum, quæ dicenda sunt, nota primò: duplicem Astrologiam communiter distingui à Doctoribus, vi cuius possint futura prædici. Prima est *naturalis*, quæ ex situ, motu, colore, scintillatione, ortu, & occasu planetarum, & astrorum ea, quæ naturaliter eveniunt, coniectat, v. g. Eclypses, pluvias, ventos, grandines, tempestates, & similia ex cœlorum motu pendentia. Et hæc non est illicita, & superstitiosa, vt ait Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 95. art. 5 his verbis: *Si vero aliquis vtatur consideratione astrorum ad prænognoscenda futura, quæ ex cœlestibus causantur corporibus, puta siccitates, & pluvias, & alia huiusmodi, non erit illicita, & superstitiosa divinatio.* Et in 2. dist. 17. quæst. 2. art. 2. eadem fere repetit. Et ratio est: quia tales effectus optime cognosci possunt per suas causas, & alias maximè conducit agriculturæ, medicinæ, & navigationi, & ideo commendatur in capite. *Si quis Gram.* 37. *dist.* 7. Et in septem partito iure leg. 1. tit. 23. part. 7. his verbis: *Esta, segun el fuero de las leyes, no es defendida vsar à los que son maestros, y la entienden*: ergo licita absolute est. Est tamen, vt in plurimum, incerta, & inutilis. ¶ Primò: quia astrorum virtus valde obscura est. ¶ Secundò: quia hactenus ipsemet, qui aliquando, fuit aspectus syderum, adhuc restitutus non est. ¶ Tertiò: quia ab alijs causis, vt à ventis, vaporibus, frigore, &c. impediri potest certa futurorum prædictio. ¶ Quartò: vt aliquis certo aliquid horum prædiceret, necessum erat, cognoscere omnes astrorum virtutes, quid in quolibet aspectu, sive trigono, sive tetragono, hexagono, &c. & in qualibet regione, & temperamento possint, quæ omnia scire humanam excedit facultatem. ¶ Quintò ad id confirmandum sat est experientia quotidiana; nam videmus Ephemerides quot annis divulgatas, nihil aliud certum habere, quam vulgi emungere crumenas, & tempus earum lectione fallere. Quapropter, merito Doctores citandi docent, posse per excessum in hoc divinationis genere esse peccatum, vt si quis ea, tanquam certa, affirmaret, vel crederet. Sed ex hoc præcisè capite, solum esset levitatis, temeritatis, aut imprudentiæ levis culpa. Sic Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 11. à num. 3. Villalob. part. 2. tract. 18. difficult. 4. num. 2. & 3. Sous. in Aphorism. Inquisit. lib. 2. cap. 48. num. 8. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 3. num. 2. Palaus tr. 17. disp. 1. punct. 4. num. 1. Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 6. Picus Mirand. lib. 2. contra Astrologos, cap. 9. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 38. n. 29. & Torreblanca de Magia lib. 1. cap. 7.

Quadruplex est Astrologia iudiciaria.

36 Secunda est *Astrologia iudiciaria*, quæ ex astrorum cursu, stellarum coniunctionibus, Planetarum aspectibus, & constellationibus, futuros eventus fortuitos, & actiones ex libera hominum voluntate pendentes, aut præterita, vel præsentia prorsus occulta, prædicit. Et huius Astrologiæ iudiciariæ quatuor partes designant Delr. lib. 4. Disquisit. Mag. cap. 3. quæst. 1. Torreblanca de Mag. lib. 1. cap. 7. & Leander tract. 9. disp. 2. quæst. 36. Prima est revolutionum, quæ ex astrorum aspectibus, & oppositionibus prædicit anni vicissitudines, sterilitatem terræ, annone pretium, hominum, & animalium morbos, sed hæc cum à naturali, numero præcedenti explicata, parum, aut nihil differat, non est superstitiosa; sed potius licita, dummodo prædicta, non vt certa prædicet, sed sub contingentia, & quatenus ex astrorum aspectibus imminent; alias peccabit venialiter ob mendacium commissum. Videantur supra cit. maxime D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 1. in corpore, & ad 5. & N. Complut. abbrebiat. tom. 5. de Cœlo, disp. 4. quæst. 8. num. 78.

Prosequitur explicatio divisionis.

37 Secunda appellatur *Magisteria nativitatum*, seu *Genethliacum*, quæ prænuntiat omnia, quæ homini vitæ decursu eventura sunt, v. g. quod hanc, vel illam mortem certo die, & loco obiturum; vxorem pulchram, divitem, deformem, vel pauperem ductarum: certas dignitates, aut præfecturas obtenturum, &c. ¶ Tertia dicitur *electionum* prædicens quid in omni negotio vtiliter est agendum, vel omittendum, quando itinerandum, domo exeundum, navigandum, ædificandum, æquitandum, & denique quando omnia, vt fœliciter eveniant, sunt facienda. ¶ Quarta est *imaginum fabricatarum*. Consistens in eo, quod astrologi quasdam figuras, numeros, & characteres perficiunt, quæ ex sympathia cum figuris, quas in cœlis adesse commentiuntur: v. g. vrsas, navem, angues, Sagitarium, Draconem, &c. dicunt, habere virtutem à prædictis constellationibus participatam, ad quosdam effectus causandos. Sed hæc est plene superstitiosa, ab hominum que animis exterminanda. Nam, vt demonstrat D. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 2. ad 2. omnis figura artificialis in quantum talis, vnice ab idea artificis oritur: ergo superstitiosum prorsus est dicere, posse in quantum artificialem accipere à cælestibus corporibus virtutem ad aliquid efficiendum. Vnde, hac omissa, de alijs duabus Astrologiæ iudiciariæ partibus decidemus, an sint necne licitæ?

Astrologia prædicés fortuitus eventus, & futura ex libero arbitrio pendentia illicita, & superstitiosa est.

38 Dicendum ergo est: secundam, & tertiam partem Astrologiæ iudiciariæ nimirum *nativitatis*, & *electionum* numero antecedenti relatas esse per se malas, superstitiosas, & prohibitas. Et ratio est: tum: quia talis Astrologia iudiciaria omnes effectus fortuitos, vt quod Æschiles casu testudinis ab aquila volante demissæ occidendus sit; & alia futura ab hominum arbitrio pendentia, vt matrimonia, statum, liberos, mortem, divitias, inimicitias, prælia, seditiones, &c. ad causas naturales

les reducit; quod falsum, & impium est, &c. tum; quia corpora cœlestia vim in hominis voluntatem habere nequeunt; cum non sit corporea; tunc etiam: quia alias homicidia, furta, alia que peccata ad astrorum influxus reducerentur, non vero ad hominum libertatem, vel malitiam, & consequenter peccata non essent: ergo talis divinatio ex astris, prædicens effectus fortuitos, & futura libera, superstitiosa prorsus est. Confirmatur. Nam hæc Astrologia in orbem fatum inducit, hoc est immutabilem omnium eventuum dispositionem ab stellis dependentem, quod omnes Catholici damnant; apud Euseb. de Præparat. Evang. lib. 6 cap. 8. & 9. ergo prorsus superstitiosa est. Deinde: quia astra, vel influunt per virtutem naturalem in prædictos effectus; & sic, cum hæc sit necessaria, tollerent libertatem ad illa patranda; vel concurrunt ad eos, vt signa naturalia eo modo, quo Iris significat serenitatem; quia causa, quæ Iridem parit, solet plerumque serenitatem causare. Vnde canit Virg. *Sol cæruleus imbres denuntiat, igneus Euros.* Nam causa faciens hos colores in Sole apparere, solet imbres, & ventos gignere; sed hoc modo nequeunt astra concurrere; cum nullam connexionem cum eventibus fortuitis, alijsque futuris liberis habeant: ergo nequeunt horum effectuum esse signa naturalia. Nec etiam possunt concurrere vt signa ad placitum Dei, vel Angeli boni: quia nec Deus, nec Angelus, potest esse causa malorum operum, quæ in orbe fiunt, & ab Astrologis prænunciantur: ergo sequitur, quod tantum sint signa ad placitum Dæmonis, pacti que impliciti cum eo initi, & consequenter talis divinatio erit superstitiosa. Quæ ratio eodem modo procedit de effectibus casualibus, qui cum non habeant causam per se, vt ait Aristot. 6. Metaph. non ex Astris, sed tantum ex Dæmonis doctrina possunt cognosci, & prædici.

Ostenditur præcedens cõclusio ab authoritate.

39 Quapropter talis divinatio prohibetur primò: ex illo Deuteron. 18. *Gentes istæ, quarum possidebitis terram augures, & divinos consulunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.* Vbi augures idem sunt, ac Astrologi, vt vertunt Septuaginta super illud Isaiæ 47. *Stent, & salutent te augures cœli.* Et ibi D. Hieron. ait: *Qui vocantur mathematici, & astrorum cursu, lapsu que res humanas regi arbitrantur.* Id etiam prohibetur Hier. 10. alijs que locis Sacræ paginæ, cui consonat Concilium Toletanum 1. cap. vlt. dicens: *Si quis astrologiæ existimat esse credendum, anathema sit.* Id etiam tenent omnes SS. Patres maxime D. Aug. lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 17. & de doctrina Christiana, à cap. 21. ad 24. nec non eius discipulus D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 5. in corpore, his verbis: *Si quis ergo consideratione astrorum vtatur, ad præcognoscendos futuros causales, & fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsa, & vana opinione. Et sic operatio Dæmonis se immiscet; vnde erit divinatio superstitiosa, & illicita.*

Prohibetur iure Civili,

40 Id etiam prohibet ius civile leg. *Nemo,* & leg. *Etsi, cap. de maleficijs, & mathemati-*

cis, vbi iubentur puniri Astrologi iudiciarij eadem pœna, qua magi, & Necromantici. Tandem Sixt. V. in motu proprio, qui incipit: *Moderator Cœli, & terræ*, editus anno 1586. prædictam Astrologiam divinatricem, his verbis, damnat. *Statuimus: vt contra facientes iudicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus, aliquid eventurum affirmare audent, etiam si id non certo affirmare asserant, aut protestentur, &c. inquirant, & procedant, & in eos severius canonicis pœnis, & alijs, eorum arbitrio, animadvertant.* Sic etiam docet Alex. IV. Bulla 12. §. 4. Innoc. VIII. Bull. 1. Leo X. Bulla 7. Adrian. VI. Bull. 2. ergo prædicta Astrologia iudiciaria, est omnino illicita, omni que iure prohibita. Dicta tenent non solum Scriptura, Concilia, Pontifices, SS. PP. & vtrumque ius Civile, & Canonicum; sed omnes alij Catholici, maxime Suarez lib. 2. de Superst. cap. 11. à num. 3. Pereira de Mag. toto, lib. 3. Delr. lib. 4. disquisit. mag. cap. 3. quæst. 1. Torreblanca lib. 7. de iure spirituali, cap. 3. & 5. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 38. à num. 30. Trullench lib. 1. Decal. cap. 10. dub. 4. à num. 4. Palaus tom. 3. tract. 17. disp. 1. punct. 4. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 38. à num. 7. Laiman tom. 2. tract. 10. cap. 3. à num. 1. Hurtado resolut. moral. tract. 5. cap. 4 resolut. 34. Leand. tract. 9. disput. 2. quæst. 42. Tambur. in Decal. cap. 6. §. 12. num. 13. & alij plurimi, quos lato calamo refert Torreblanca.

& Canonico.

Argumenta sententiæ contrariæ.

41 Oppositam sententiam, tenuerunt Astrologi antiqui, vt Plotinus, Porphirius, Origenes, & alij apud Torreblancam, & Delr. Et probatur primò: Ex cap. 1. Gen. vers. 14. vbi loquendo Deus de Sole, & Luna ait: *Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Quapropter ab Isaia 34. dicitur: *Complicabuntur sicut liber Cœli*: ergo astra, & cœli sunt signa & liber, in quo omnia futura à doctis astrologis legi possunt. ¶ Secundò: Regius Vates Psalm. 18. vers. 2. *Et opera manuum eius annunciat firmamentum*: ergo futura, à Dei voluntate pendentia, ex illius consideratione venari possunt. ¶ Tertiò: In lib. Iudic. cap. 5. dicitur: *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*: ergo quia statio, & cursus astrorum potest esse fausta, vel infausta ad bellandum. ¶ Quartò: quia antiquæ plenæ sunt historiæ Astrologorum prædictionibus, tam quo ad mortes patiendas, quàm quo ad dignitates, etiam supremas, obtinendas, quas veras esse postea monstravit eventus: ergo signum est omnia futura fortuita, vel ex hominis arbitrio pendentia, ex cognitione virtutis astrorum prædici certo posse. ¶ Quintò: quia voluntas hominis ex influentia astrorum moveri potest; nam cum eius operationes dependeant à sensibus, quos vt pote corporeos, astrorum virtus potest per movere, sequitur quod ipsa etiam subiaceat astrorum influentijs: ergo cum has astrologus possit cognoscere, poterit etiam futura libera prædicere.

Solutio primi argumẽti.

42 Sed hæc levia sunt, vt nostram, & catholicam possint labefactare sententiam. Ad primum ergo respondetur: verum esse Solem, & Lunam esse signa temporum, dierum, & annorum, nec non pluviæ, serenitatis, gelu, ventorum, &c. quia ex propria virtute hos effectus producunt: cæterum ex hoc non sequitur, quod possint aliorum effectuum à libertate pendentium esse causæ, aut signa, cum nullam in voluntatem, & intellectum, vt pote spirituales, possint influentiam habere; *nam sapiens dominabitur astris*, ait commune proloquium. Nec aliud significat Sacer textus, vt patet ex voce hebræa *Oth* de quo videatur Pereirus. Minorem difficultatem continet Isaiæ locus. Nam ibi solum denotatur, quod sicut antiquitus liber nihil aliud erat, quam oblonga membrana scripta, & circumvoluta, & ex hac comparatione, quando cœlum fuit creatum, dicitur *extendens cœlum sicut pellem*. Ps. 103. ita Isaias quando agit de mundi fine, & Cœlorum dissolutione dicit, quod complicabitur sicut liber involutus. Videatur Cornel. in prædict. textum.

Reliquis argumẽtis fit satis.

43 Ad secundum dic: firmamentum annuntiare opera invisibilia manuum eius; quia sic hæc visibilia, & corporea inanimata oculis hominum conspicienda adeò pulchra operatus est, quanto pulchriora, & excellentia fabricabit spiritualia, beatorum mentibus perfruenda? ¶ Ad tertium dicendum: quod ibi nomine *stellæ* intelliguntur Sancti Angeli, populi Israelitici defensores, vt ait Vatablus, qui tunc procellam magnam excitarunt, quamobrem Sisaræ populus arma capere non potuit, & ideo victus corruit, vt dicunt Malder. de Virtut. Theolog. tract. 10. cap. 7. dub. 6. Læss. de Iustitia, & Iure, lib. 2. cap. 43. dub. 6. Nec aliena est hæc interpretatio à Sacra Pagnam Apoc. 12. vers. 3. dicitur: quod cauda draconis traxit tertiam partem stellarum, vbi per stellas Angeli intelliguntur. ¶ Ad quartum respondetur: quod si aliqua annunciant divini, quæ ita postea eveniunt, sunt ea tantum, quæ proprijs viribus Dæmones assequi possunt, vel probabiliter ex hominum conditione coniectant; à quibus ob pactum cum eis initum edocentur prædicti Astrologi, & ita hominibus prænuntiant, quæ à Dæmone audiunt: quare tunc sunt magis fugiendi, cum ex his clare constet, eos cum Dæmoni colloqui. ¶ Ad quintum respondetur: quod licet astra per suum influxum corpora immutent, & consequenter animas, eius que potentias aliquomodo inclinent, non tamen possunt eam cogere ad operandum, & sic nec ex cognitione astrorum valet prædici certo eventus futurus ab ipsa dependens. Bene verum est, quod, quia anima sæpe corporis dispositionem imittatur, & iuxta propriam inclinationem operatur; & sic experimur colericos, esse iracundos, sanguineos, esse benignos, melancholicos, esse suspicaces, timidos, invidos, & pusilanimes, & denique phlegmaticos, esse pigros; ideo, cum Dæmon corporis dispositionem certo calleat, potest conijcere, homines operarutos iuxta propriam dispositionem, & sic futura aliquomodo conjectare: attamen, quia possumus gratia, & virtutibus adiuti, his corporis passionibus dominari; ideo nec probabiliter conijcere potest, quas operationes homo eliciet; cum ex Dei gratia plures cholericos videamus mansuetos; melancholicos, esse benignos, & magnanimos, &c. Quapropter prædictio futurorum ex voluntate pendentium, omnino falsa, & superstitiosa est, quando venatur ex cognitione, & astrorum influxu; nam semper verificatur, *quod sapiens dominabitur astris*.

§. II.

An ex astris eventus fortuiti, & futura libera possint probabiliter, aut coniecturaliter prædici?

Quæ sint sententiæ circa prædictionem probabilem, aut coniecturalem de futuris liberis, & eventibus fortuitis ex astrorũ cognitionem.

44 SUpponit titulus quæstionis, eventus fortuitos, & futura libera, ex hominum voluntate pendentia, non posse certo cognosci, & prædici ab vlla creatura: & recte quidem, cum tantum Deus sit servator cordium. Quare difficultas circa alias inferiores, & incertiores cognitiones vertitur. Pro qua rogabis primò: An sit illicitum casus fortuitus, & futura ex hominum arbitrio pendentia, non certo; sed probabiliter tantum ex astris prædicere? Aliqui Doctores quos referunt Sanchez cap. 38. num. 32. & Palaus num. 5. asserunt, id non esse illicitum. Et moventur: quia astra non parum influunt in inclinationem naturalem: ergo cum omnis homo iuxta inclinationem naturalem operetur; poterunt ex astrorum inclinatione futura libera prædici. ¶ Alij vero, apud eosdem, sentiunt, non esse id peccatum mortale superstitionis, si fiat non certo, aut probabiliter, sed tantum coniecturaliter, hoc est, coniectura tenuissima, qualis ex astris haberi potest. Et ratio huius est: quia hæc saltem tenuissima coniectura in influentia astrorum circa hominum complexionem aliquale habet fundamentum, vt satis insinuat Angelic. Doct. 2. 2. quæst. 95. art. 5. in corpore, his verbis: *Vnde corpora cœlestia non possunt per se, esse causa operationum liberi arbitrij: possunt tamen ad hoc dispositive inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitivas, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus*: ergo mortale non est ex astrorum aspectu futura libera, & effectus fortuitos coniecturaliter prædicere.

Prædictio probabilis est illicita.

45 Sed huic difficultati duplici conclusioni respondendum est. Dicendum est primò: Superstitiosum esse casus fortuitos, & futura ex libero hominum arbitrio pendentia, prædicere probabiliter, hoc est, affirmando, & credendo, esse probabile, talia sic eventura. Et ratio est: quia talis assensus probabilis est assensus determinatus de futuritione absoluta talis rei, esto sit cum formidine partis contrariæ. Vt sæpius diximus tract. 20. agendo de conscientia probabili; sed assensus determinatus circa prædicta futura, ex astris vene-

venari non potest: quia ad hoc erat necesse, quod astra essent illorum causæ, & impossibile est, ait Angelic. Doct. 2. 2. quæst. 95. art. 5. *quod corpora cœlestia directe imprimant in intellectum, & voluntatem: hoc enim esset, ponere intellectum non differre à sensu.* Idest, quod esset corporeus; & alias effectus fortuiti, cum sint ens per accidens, non habent causam, & præcipue naturalem; cuiusmodi est virtus cœlestium corporum, vt ibi ex Philosopho. 6. Metaph. ipse Angel. Doct. erudite probat: ergo prædicere probabiliter ex cognitione virtutis cœlorum, stellarum, &c. effectus fortuitos, & futura libera, prorsus falsum, & superstitiosum est. Deinde: quia licet haberent talem probabilem influxum, hic impediri potest, tum ab alijs virtutibus cœlestibus, & causis sublunaribus, quas homo nec cognoscere, nec impedire viribus naturæ potest; tum & præcipue ex auxilio Dei, eiusque supernaturali gratia, qua adiutrice, Leones, in agnos, Saulosque in Paulos, passim conversos videmus: ergo ex doctrina Astrologiæ, talia futura probabiliter prænunciari non possunt. Qua propter, si aliquis Astrologus affirmet, esse probabile, prædicta futura ita eventura esse, hoc aliunde scire nequit, nisi ex doctrina Dæmonis, qui, vt suos decipiat, vltra proprias vires, solet promittere, eos docturum, etiam circa effectus ex humano arbitrio pendentes. Dicta docent Læss. lib. 2. de Iustitia, & Iure, cap. 43. dub. 6. num. 42. Suarez tom. 1. de Relig. tr. 3. lib. 2. cap. 11. num. 31. Delr. lib. 4. cap. 2. quæst. 3. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 38. num. 33. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 4. n. 6. Filliuc. tract. 24. cap. 4. quæst. 6. num. 93. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 4. n. 5. Tambur. lib. 2. Decal. cap. 6. §. 1. num. 18. Leand. tract. 9. disp. 2. quæst. 43. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 38. num. 8. Hæc sufficiant pro captu, & methodo morali, quia tamen hæc quæstio pendet ex principijs philosophicis, qui plura, satis que erudita, voluerit consulat N. Complut. abbreb. tom. 5. tr. de Cœlo, disp. 4. à quæst. 5. ad 8. inclusive, & Aguirr. Lud. 6. per totum.

Prædictio cõiecturalis effectus liberi est illicita.

46 Dicendum est secundò: Quod prædicere coniecturaliter eventus fortuitos, & futura libera, iuxta Const. Sixt. V. sup. cit. est illicitum; & mortaliter superstitiosum. Hæc conclusio, quæ est contra Palaum, & alios, quos ipse, & Sanchez referunt, probatur primo ex verbis Sixti V. supra relatis; nam ibi non solum damnat, & prohibet, vt superstitiosos eos, qui fortuitos casus, & futura contingentia libera prædicere, & affirmare audent; sed etiam eos, *qui id non certo affirmare asserant, aut protestentur*; sed qui coniecturaliter aliquid de dictis effectibus affirmant, non prædicunt ea vt certa; sed potius vt incerta protestantur: ergo contra tale decretum agunt, qui ea coniecturaliter prædicunt. Deinde: quia hic modus prædicendi coniecturaliter futura, ex astrorum cognitione, est æque pernitiosus Reipublicæ; cum ex eo sequatur; tum quod homines prædictis divinationibus studeant; tum quod simili modo occultetur divinationis malitia: ergo vt pernitiosus à Summo Pontifice prohibetur. ¶ Vlterius: Sixt. V. in prædicto motu excipit divinationem ex astris circa navigationem, agriculturam, & medicinam: ergo negat quamcunque aliam, etiam coniecturalem circa futura libera, casus que fortuitos: *cum exceptio vnius, firmet regulam in contrarium.* ¶ Vltimò: Divinatio ex astris, prout conducere potest ad agriculturam, medicinam, & navigationem, non semper est certa, sed vt experientia constat frequentius est probabilis, dubia, & coniecturalis: ergo si hanc absolute permittit, non est præcisè, quia certa; sed præcipue, quia coniecturalis: ergo cum è contra damnet divinationem circa futura libera, casus que fortuitos, non solum damnat de illis probabiliter, sed etiam coniecturaliter divinare. Quæ rationes probant talem divinationem, non solum in foro externo esse superstitiosam, sed etiam in foro interno esse culpam mortalem; & ideo à Summo Pontifice prohiberi, vt eas expendenti facile constabit. Et ita docent Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 34. Trullench lib. 1. Decal. cap. 10. dub. 4. num. 2. Machado tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 6. doc. 5. num. 5. Farinac. de Hæres. quæst. 181. num. 59. Salas 1. 2. quæst. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 3. num. 36. Perinis tom. 2. const. 9. Pauli V. §. 2. num. 24. Lupus in Edit. Inquisit. part. 3. lib. 18. dist. 3. art. 2. diffic. 7. Cherub. in Compend. Bull. tom. 2. const. 17. Sixt. V. Schol. 1. & alij.

Obiectio.

47 Nihilominus objici potest: nam Sixt. V. solum prohibet in prædicto motu proprio id, quod antiquitus iure divino, aut ecclesiastico erat prohibitum sub culpa gravi superstitionis, vt patet ex præmio dictæ constitut. vbi ait: *Se solum velle damnare, & reprobare omne genus divinationum, quæ à diabolo authore ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel deperditis hominibus fieri solent.* Sed hæc divinatio coniecturalis nullo iure erat antiquitus, tamquam superstitiosa prohibita, vt plures ex authorib. relatis numero antecedenti maxime Sanchez, Tambur. & Lupus docent: ergo nec nunc à Summo Pontifice prohibetur; & ita præciso scandalo, potest nunc ex astris futura libera, & casus fortuitos, absque culpa gravi coniecturaliter prædicere. Ita Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 4. num. 8. Delr. lib. 4. cap. 2. quæst. 3. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 12. punct. 1. Diana 1. part. tract. 15. resol. 58. Torre 2. 2. quæst. 95. art. 5. disp. 2. Suarez loc. cit. num. 30. & alij apud relatos, & Leandrum tract. 9. disp. 2. q. 48.

Notãda prõ illius solutione.

48 Vt ad hoc argumentum respondeatur, supponendum est: quod dupliciter potest astrologus coniecturaliter ex astris divinare futura libera, casus que fortuitos. Primò in communi, dicendo v.g. tali, vel tali anno, movenda esse bella, aut dissensiones, &c. Secundò in particulari, prædicendo Petrum v. g. esse occidendum, aut vxorem divitem ducturum, &c. Prima prædictio, si coniecturalis tantum sit, potest esse licita, cognita perfecte astrorum virtute, quia *indirectè*, & per *accidens*, verba sunt D. Thomæ 1. part. quæst. 95. art. 5. *impressiones corporum cœlestium ad*

intellectum, & voluntatem pertinere possunt; in quantum, scilicet, tam intellectus, quàm voluntas, aliquomodo ab inferioribus viribus accipiunt, quæ organis corporeis alligantur. Quare, cum astra in passiones hominum sensitivas indirecte influent, possunt eas per suam influentiam ita ad iracundiam commovere, vt coniectari possit, quod licet aliquis virtuosus valeat illis resistere; tamen vt in plurimum alij homines non resistent, sed potius succumbent, & ideo erunt bella, aut dissensiones saltem coniecturaliter, vt supponere videtur D. Thomas loco cit. his verbis: *Licet enim passiones, quæ sunt in irascibili, & concupiscibili habeant quandam vim ad inclinandum voluntatem; tamen in potestate voluntatis remanet, sequi passiones, vel eas refutare.* Cæterum, quia respuere, seu refutare prædictas passiones, paucorum est; ideo conijci potest visis causarum superiorum influentis, quod futura coniecturaliter sint bella, aut seditiones: & hæc coniecturalis divinatio semper fuit licita; cum ex astrorum virtute coniecturale habeat fundamentum. ¶ Secunda vero coniecturalis prædictio nequit esse vera, aut licita; quia nulla potest esse causa, quæ determinate possit movere hominum passiones ad effectus particulares fortuitos efficiendos, quibus per liberum arbitrium resistere non possit; nam cum intellectus, & voluntas actus corporei non sint, impossibile est, quod corpora cœlestia eorum actuum sint causæ directæ, cui resistere non valeant. Quapropter, cum hæc prædictio in nullius causæ nitatur cognitione; erit illicita, & superstitiosa, arguitque cum Dæmone pactum, eos effectus in particulari, etiam coniecturaliter prædicere.

Ex doctrina D. Thomæ dissolvitur argumentū.

49 Hanc doctrinam accepimus à D. Thoma 1. part. quæst. 115. art. 5. vbi ad tertium argumentum, quod intendebat probare, corpora cœlestia esse humanorum actuum causam, quia astrologi frequenter vera annunciant de eventibus bellorum, & alijs humanis actibus, quorum principia sunt intellectus, & voluntas: sic respondet. *Ad tertium dicendum, quod plures hominum sequuntur passiones, quæ sunt motus sensitivi appetitus: ad quas cooperari possunt corpora cœlestia: pauci autem sunt sapientes, qui huiusmodi passionibus resistant; & ideo Astrologi, vt in pluribus, vera possunt prædicere: & maxime in communi, non autem in speciali. Quia nihil prohibet, aliquem hominem per liberum arbitrium passionibus resistere. Vnde & ipsi Astrologi dicunt, quod sapiens homo dominabitur astris, in quantum scilicet dominatur suis passionibus.* Huc vsque Angelic. Doct. in quibus clarè docet, quod licet prædictionem coniecturalem actuum humanorum in communi, possit ex astrorum cognitione astrologus rimari, secus vero in particulari; dicendo v.g. hunc futurum Episcopum, aut Rectorem, &c. ¶ Vnde constat primò: Quod Astrologia iudiciaria divinans in particulari, etsi sit coniecturaliter, effectus fortuitos, futuraque libera, est superstitiosa, & prohibita, tam iure naturæ, quàm positivo antiquo; & nunc etiam denuo prohibetur à Sixto V. in citata constitutione, illis verbis, in quibus prohibet: *Facere iudicia de futuris contingentibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus.* Et de hac procedit resolutio nostra in secunda conclusione stabilita. ¶ Constat secundò: quod astrologia, si coniecturaliter divinet prædicta futura in communi, non est illicita nec superstitiosa, quando talis coniecturatio est tenuissima, & eo modo quo ab astris rimari potest, & hæc est, quæ nunquam fuit prohibita, nec nunc à Summo Pontifice prohibetur. Quapropter, si Doctores citati contra nostram conclusionem de hac tantum loquantur, vt aperte loquitur Suarez num. 30. lis inter nos non est; si vero, vt innuere videntur, vtramque licitam iudicent, falsa est eorum sententia; quia tam antiquitus, quàm nunc, est superstitiosum prædicere coniecturaliter futura contingentia, & casus fortuitos. Vnde de hac ait Ierem. cap. 10. vers. 2. *A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt.*

§. III.

Quid possint Astrologi, considerando horoscopum nascentis, circa futura libera, & inclinationes prædicere, & qualiter Zahuri occulta revelare valeant?

Ex horoscopi consideratione nequeunt futura libera prædici.

50 SUppositò, astrologos non posse certo, aut probabiliter futura libera, & fortuitos eventus prædicere: videndum nunc est, quid possint circa eadem futura, & hominum propensionem ex horoscopi consideratione, & attenta observatione. Pro quo rogabis primò: An sit licitum, considerato puncto nativitatis hominum, aliqua futura libera, & eventus fortuitos ex astris prædicere? Huic quæstioni breviter respondebitur, quia ex dictis quid dicendum sit, plenè constat. Dicendum ergo est primò: quod de eventibus fortuitis, aut de liberis futuris, nihil certo probabiliter, aut coniecturaliter, ex astris prædici licite potest: quia esset tunc in particulari ea prænuntiare: quod, vt supra manet probatum, est superstitiosum, & vt tale expresse prohibetur in constitut. Sixti V. allegata.

Nequit certo prædici inclinatio, aut temperamentum nascentis ex consideratione puncti nativitatis.

51 Dicendum est secundò: Quod astrologi nequeunt licite considerando horoscopum, & nativitatis infantis punctum, eius temperamentum, inclinationem, corporis que proprietates certo prædicere. Hæc conclusio probatur primò, ex eo, quod aspectus astrorum ad hæc certo prædicenda, à nullo cognosci potest. Primò ob rapidissimum Cœli motum, virtutes diversas stellarum, earum retrogrationes, oppositiones, aspectus exaltationes, &c. quorum error etiam in minima parte gradus plures parit errores, vt erudite probant Ioann. Picus Mirandul. lib. 9. in astrolog. cap. 10. & Bulenger lib. 2. Divinat. cap. 8. 9. & 10. ¶ Secundò: Nam eadem Cœli facies, & omnium astrorum positura, quæ semel fuit, vel nun-

nunquam erit, vel non nisi post immensa annorum spatia redibit: quoniam, vt ex doctissimis Mathematicis probat Mirandul. proximè citatus, & Valles de Sacra philosoph. cap. 31. Octavus orbis, quod firmamentum dicitur, cuique affixæ sunt stellæ, non antequam peractis sex, & triginta annorum millibus, circuitum suum motu trepidationis absolvit; vel vt NN. Complutenses dicunt tom. 5. tr. de Cœlo, disp. 3. quæst. 2. num. 15. periodus huius motus spatium septem millia annorum complectitur. ¶ Tertiò: quia plurimæ sunt stellæ, quæ non videntur, ac proinde earum virtutes ignorantur; & illæ, quæ conspiciuntur, paucas habent astrologi cognitas; & sunt permultæ nondum ab eis exploratæ, vt ex communi sententia tradunt Bulenger lib. 2. Divinat. cap. 24. Maiolo tom. 2. Canicul. colloq. 4. & alij. Deinde: dato quod omnes stellæ ab astrologis observentur: quod falsum est, cum innumerabiles sint, vt constat ex Gen. 15. vbi Deus dixit ad Abraham Astrologum vtique peritissimum: *Suspice cœlum, & numera stellas si potes.* Tamen cum istæ ad minus sint viginti duæ mille, vt, ex communi sententia, docent NN. Complut. abbreb. loc. cit. disp. 2. q. 6. à num. 61. quis est, qui possit se iactare earum omnium virtutes callere, cum dicat Dominus Job. 38. vers. 33. *Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* ergo, &c. ¶ Quartò: Quia punctum temporis, in quo quis oritur difficillimum est observare, propter rapidissimam cœlorum conversionem, vnde aspectus astrorum prius transvolat, quàm ab eis notari possit, cum in singulis momentis diversa cœlorum facies existat, vt docet Pthomeus in Centiloq. num. 51. & alij supra citati. ¶ Quintò: quia ad temperamentum hominum potius conducit aspectus astrorum, & cœlorum influxus in puncto animationis, & conceptionis, quam nativitatis, vt ex se liquet, quod punctum annotari impossibile est. ¶ Vltimò: quia dato, hæc omnia ab astrologis rimari, quis negabit temperamentum hominis, magis dependere ex dispositione materiæ, quæ generationi prolis debet deservire, quam ex influentia astrorum? Et similiter, quis non videt hoc temperamentum, ex alimentis, & alijs exercitijs mutari: ergo, cum hæc omnia impossibile sit ab astrologis cognosci, etiam impossibile est inclinationem, & complexionem hominum ex consideratione puncti nativitatis rimari, & certo prædici. Sic Sanchez lib. 2. Summæ, cap. 38. num. 29. Fagundez num. 9. Trullench num. 3. locis citatis. Delr. lib. 4. cap. 3. quæst. 1. Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 6. num. 32. Suarez cap. 11. citat. num. 9. & alij communiter.

Sed hæc prædictio, & si sit certo solum est culpa venialis.

52 Vnde solum est inter DD. difficultas: An talis certa prædictio sit superstitiosa, & peccatum mortale? Affirmant Trullench loco citat. & Fillinc. tract. 24. cap. 4. quæst. 3. num. 85. ob periculum introducendi superstitionem, quæ prædictionem actuum humanorum attingat. Sed probabilius negant Suarez cap. 11. n. 5. & 12. Sanchez num. 39. Layman tract. 10. cap. 3. num. 5. Fagundez num. 6. Palaus num. 1. locis sæpius citatis, cum quibus & nos num. 31. idem de astrologia naturali docuimus, & ratio pro vtraque eadem est: quia inclinationem alicuius hominis vt certam ex astris, & observatione horoscopi prædicere, ex genere suo, & secluso alio damno extrinseco, solum est mendatium, & error temerarius, non vero superstitio; cum talis prædictio aliquomodo in influentia, & virtute astrorum contineatur; sed mentiri ex genere suo non est mortale, sed veniale: ergo venialis culpa tantum erit contra veritatem, & prudentiam ex observatione horoscopi inclinationem nascentis ex astris certo prædicere. Vnde cum Summus Pontifex solum in prædicto motu prohibeat divinationem, quæ superstitio est, hinc sequitur, quod dictus casus sub eius prohibitione non comprehendatur.

Coniecturalis prædictio inclinationis licita est.

53 Dicendum est tertiò: quod nullo modo est illicitum observando pueri nativitatem, & horoscopum probabiliter, aut coniecturaliter prædicere eius temperamentum, & ex ipso naturalem inclinationem futuram, aut propensionem, v. g. ad iram, libidinem, militiam, studia, & similia. Et ratio sumitur ex hucusque dictis; quia licet astra influant in corporum temperamentum, & ita vtcumque cognosci possit in eis tanquam in causis, & ex illo coniectare inclinationem ad iram, vel mansuetudinem, castitatem, vel libidinem, vt his verbis docet D. Thom. opusc. 26. ad Fr. Reginald. *Virtus corporum cœlestium ad immutanda corpora inferiora se extendit:::: Vnde non est inconveniens, secundum occultiores stellas observationes circa corporales effectus vti astrorum iudicio.* Videatur etiam 3. contra Gent. cap. 94. & 92. Tamen: quia vt supra ostendimus, difficillimum est, omnes causas, & astra in puncto nativitatis influentia cognoscere; ideo etiam est summe difficile temperamentum certo probabiliter prædicere. Vnde ad summum poterunt illud, & ex ipso inclinationem naturalem nascentis, probabiliter, aut coniecturaliter divinare. Sic Suarez tom. 1. de Religion. tract. 3. lib. 2. cap. 11. à num. 8. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 4. num. 3. Fagundez lib. 1. cap. 38. num. 9. Leander quæst. 41. Abul. in cap. 5. Matth. quæst. 214. & 215. & Bonacin. disp. 3. quæst. 5. punct. 3. num. 11. Quibus sic stabilitas.

Delicta occulta solum Dæmones ope sciri possunt.

54 Rogabis primò: An licite possint consuli Astrologi ad revelandum delictum occultum, v. g. furtum, homicidium, &c? Respondetur negative; quia circa hæc delicta cognoscenda nulla virtus est in astris: ergo illicitum est Astrologos consulere, vt ea revelent. Vnde si aliquis divinus, aut astrologus (vt nuper audivimus, quendam militem hæc, & similia, quibusdam instrumentis, & lineis factis revelare) hæc detegat, vt superstitiosus habendus est; cum alia via, quam ex Dæmonis pacto, hæc sciri non possint. Quare peccat graviter, qui eos ad hæc scienda consulit; tum: quia inducit ad rem superstitiosam; tum: quia delicta occulta scit, & revelare cogit, quod est contra iustitiam, & ideo Deuteron. 17. prohibet Deus hæc omnia dicendo: *Non inveniatur in te qui phytones, & divinos consulat.* Sic Sotus lib. 8. de

de Iustitia, quæst.3. art.3. ad 2. Suarez n.27. Navarr. in Summ. cap. 11. num. 30. & Delr. lib. 1. Disquisit. Mag. lib. 4. cap. 2. quæst. 7. sect. 4.

An vera sit virtus quam vulgus credit in Zahuris?

55 Rogabis secundò: An ex virtute naturali, aut potius ex Dœmonis pacto homines, qui hispane *Zahories* vocantur, videant thesauros in terræ visceribus occultos, venas aquarum, & metallorum, cadavera sub Sarcophagis sita, necnon apostemata, & alia humorum genera in corpore humano latentia? Affirmant, ex naturali virtute hæc omnia fieri à prædictis hominibus, non solum Pinadarus, Tzetus, & alij antiqui Poetæ; verum, & aliqui Philosophi, vt Cælius Rodiginius lib. 16. Antiq. Lect. cap. 2. & Vairus lib. 2. de Fascino, cap. 4. nec dissentit Vera-Cruz lib. 2. de Anima. speculat. 2. in fine, dicens: *Se eos damnare non audere, quia id audivit à viris probis, quibus imprudens valde esset, non credere.* Et hanc virtutem, occulta videndi, humori melancholico, & erumpentium inde spiritum vehementiæ adscribunt. Sed hæc ratio, vt optime ait Delr. efficacior est, ad arguendum, se non visa, sed solum imaginata videre.

Vt superstitiosa reprobatur.

56 Quare dicendum est cum eodem Doctore, Sanchez cap. 38. cit. num. 37. Palao tract. 17. dict. 1. punct. 4. num. 10. Leand. tract. 9. disp. 2. quæst. 54. posse homines absque superstitione venas aquæ ex vaporibus mane, & vespere illis locis expiratis, & metalla in terræ visceribus abscondita, ex quodam herbarum genere illic nasci solito, cognoscere. At thesauros, & cadavera sub Sarcophagis sita, aut humata, sine Dœmonis pacto certum est, minime ab his hominibus cognosci posse. Prima pars constat; cum per signa, & causas naturales ea cognoscantur, in quo nulla est repugnantia. Secunda vero etiam est evidens. Primò: quia nullus videre potest obiecta, nisi medium sit illuminatum; sed terra, aut Sarcophagus non est medium capax illuminationis ob summam eorum opacitatem: ergo nec per hæc media potest cadavera, in eis inclusa, videre. Secundò: quoniam hanc virtutem occulta videndi non semper prædicti Zahuri habent, sed certis tantummodo diebus, v. g. feria 3. vel 6. vt ipsi fatentur, quod latentis pacti evidens signum est. Tertiò: quia hac virtute, vt fertur, tantum pollent, qui die Parasceves, quando mysteria Passionis Domini N. Iesu Christi celebrantur, nascuntur; sed hæc virtus, si est supernaturalis non alligatur determinato tempori; si vero est naturalis ex astrorum influentia prædicto die non semper, aut nunquam, est eadem astrorum constellatio, vt supra diximus: ergo talis virtus prorsus superstitiosa est. ¶ Quartò: nam rubedo oculorum, quæ in Zahuris maxima conspicitur, plus nocet, quam iuvat aciem oculorum: ergo talis virtus non naturalis, sed prorsus chimerica est. Et sic non acies oculorum habet veram virtutem ad hæc penetranda, sed Dœmonis arte conspicienda proponuntur. Vnde optime infert Sanchez graviter peccare, qui prædictos Zahuros consulit ad occulta ei manifestanda, & rationem tradidimus sup. num.54. in fine ex eo, quod inducere ad id, quod intrinsece malum est, & consequenter nunquam licite fieri potest, absque gravi peccato fieri nequit.

PUNCT. V.

De divinatione per somnia, quæ græcè Onyromantia dicitur.

Assignantur causæ intrinsecæ somniorum.

57 PRo intelligentia eorum, quæ dicenda sunt, nota ex D. Thoma 2. 2. quæst.95. art.6. Quatuor esse somniorum causas, ex quibus duæ sunt intrinsecæ, & aliæ duæ extrinsecæ. Causa intrinseca somniorum bipartitur, nam vna est *animalis* (sic dicta, quia nascitur ab animæ passionibus) & per eam occurrunt hominis phantasiæ in dormiendo, ea, quibus vigilantis cogitatio fuit implicata, quare cecinit Claudianus:

Omnia, quæ sensu voluuntur vota diurno
Tempore nocturno reddit amica quies.

Id que non solum homines, sed etiam animalia somniare solent, vt docent Aristot. lib. de Anima. cap. 2. Plin. lib. 10. Nat. Hist. cap. 75. D. Aug. lib. de Spiritu, & Anima, cap. 25. ¶ Alia est corporalis; nam ex interiori dispositione corporis, formatur aliquis motus in phantasia conveniens tali dispositioni; vt ait D. Thom. cit. Galenus de Locis Affect. disp. 3. cap. 1. Hipocrates lib. 6. Epidem. & lib. de Insomnis. D. Isidorus lib. 3. Sententiarum cap. 6. Vnde homini, in quo abundant frigidi humores, occurrunt in somnis submersiones, navigationes, onera gravia, & impedita à noxis fuga, imbres, & quod sit, vel in aqua, vel in nive abditus. Similiter, qui sanguine abundant, somniant rosas punicas, hortos, crocum, coreas, convivia, & quid quid cor lætificare potest. Qui melancholia vexantur, fumi, caligines, planctus, tenebræ, & alia tristia illis repræsentantur. Qui bili flava scatent, eis cædes, assaltus, rixæ, lites, pugnæ, incendia, & omnia bellica occurrunt. Quibus tamen viscido humore partes posteriores cerebri affectæ sunt, se suffocari, & comprimi, in somnis videntur. Qui morbus hispanice, *Pesadilla*, græce *Ephialtem*, & latine *Incubum* appellatur. Videatur Galen. lib. 6. de Præsago ex Somn. Quapropter Medici attente observant infirmorum somnia, ad interiores corporis dispositiones cognoscendas, vt ait Angelic. Doct. loco cit.

Quæ sint causæ extrinsecæ?

58 Causa vero somniorum extrinseca est duplex, scilicet corporalis, & spiritualis. Corporalis est in *quantum imaginatio dormientis immutatur, vel ab aëre continenti, vel ex impressione corporis cœlestis, vt sic dormienti aliquæ phantasiæ appareant conformes cœlestium dispositioni.* Sic D. Thom. sup. citat. ¶ Spiritualis vero, & quando quidem à Deo, qui ministerio Angelorum bonorum, aliqua hominibus revelat in somnis, vel ostendendo imagines, quæ metaphoricè significant,

cant, vt de somnis Ioseph, Manipulorum, Solis, Lunæ, & Stellarum Gen. 37. de Faraonis somno, de septem bobus, & spicis. Gen. 41. de Nabucodonosoris statua. Dan. cap. 2. de arbore magna Dan. 4. & alijs. Vel expresse formando aliquas voces in phantasia dormientis, eodem modo, ac si per auditum corporis eas audiret. Qualiter promisit Deus dicendo Num. 12. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Et ita loquutus est Dominus Abimelec Gen. 20. Abraham Gen. 28. Salom. 3. Regum cap. 3. Et ministerio Angelorum Sanctissimo Patriarchæ, Patrique nostro D. Ioseph Matth. cap. 1. & tribus Magis cap. 2. ¶ Quando que vero, est etiam somniorum causa Angelus malus; nam eius operatione, Deo sic permittente, aliqua phantasiæ dormientium apparent, ex quibus aliquando eis, quibus cum habet pactum, occulta aliqua manifestat, & non semel humores corporis permutat, eos aliciendo vel ad libidinem, & iram, aut ad desperationem, vt experientia non semel testatur. His ergo suppositis:

Resolutio D Thomæ circa observationem somniorú.

59 Quærunt Doctores: An futura divinare per somnia, licitum sit? Cui difficultati sic respondet D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 6. in corpore: *Sic ergo dicendum, quod si quis vtatur somnijs ad præcognoscenda futura, secundum quod somnia procedunt ex revelatione divina, vel ex causa naturali intrinseca, sive extrinseca, quantum potest, se virtus talis causæ extendere, non erit illicita divinatio. Si autem huiusmodi divinatio causetur ex revelatione Dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc invocantur; vel tacita, quia huiusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere, erit divinatio illicita, & superstitiosa.* Huc vsque Angelic. Doct. ex quibus per aliquas conclusiones quæstioni fiet satis.

Somnia divina observanda sunt.

60 Dicendum est primò: Licitum esse divina somnia observare, & per ea divinare; imò & peccatum erit, eis fidem non præbere; quando certo, aut probabilius constat esse à Deo. Et ratio est: quia Deo loquenti, fides est adhibenda; sed Deus, vt vidimus supra num. 58. promisit hominibus loqui in somnis: ergo tunc ei fides adhibenda est. Præterea, quia prædicta somnia immittuntur à Deo, vt nos corrigat, doceat, & instruat; & licet ea tunc non percipiamus, postea forte eorum sensum capiemus; vt accidit D. Petro, qui postquam à somno fuit excitatus, exclamavit dicens: *Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum*: vel Deus forte vult reservare eius intelligentiam Prophetis, vt accidit in somnis de vaccis, spicis, & de statua, quorum intelligentia fuit reservata Ioseph. Gen. 41. & Dan. cap. 5. ergo somnia divina sunt ab omnibus observanda, licet eorum interpretatio solum his, quibus à Deo data est somniorum intelligentia, conveniat. Præter D. Thom. dicta docent D. Gregor. Nissen. lib. de Hominis Opificio, cap. 13. Delrius lib. 4. cap. 3. quæst. 6. concl. 5. Barbosa de Potestate Episcop. part. 3. alleg. 11. casu 8. n. 132. Bonac. in Decal. disp. 3. quæst. 5. punct. 3. num. 19. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 5. à num. 3. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 17. Suarez tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 2. cap. 13. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 38. num. 52. Torreblanca lib. 8. de Iure Spirit. cap. 6. Thom. Hurtado tom. 1. Resolut. Mor. tract. 5. cap. 6. resolut. 56. num. 1163. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 8. Leander à Sanctissim. tract. 9. disp. 2. quæst. 59. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 39. num. 12. & Læss. lib. 2. cap. 43. dubit. 8.

Signa ad discernenda somnia divina, & diabolica.

61 Gravior tamen difficultas est; quando quis poterit discernere: An somnia sint à Deo, vel Dæmone immissa? Resolutio huius difficultatis satis obscura, & incerta est. Nihilominus dicendum est: quod si somnia honesta sint, nec animum conturbant, sed ad bonum potius inclinant; coniecturari potest esse à Deo; nam vt ait D. Iacob. cap. 3. *Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans sine simulatione.* At vero si contraria his habeant, à Diabolo credendum est, esse causata. ¶ Nota tamen primò: quod somniorum discretio semper à prudenti Confessario facienda est, vt benè docent Suarez num. 24. Sanchez num. 52. Fagundez num. 16. Vnde eisdem regulis, quibus revelationes, discernenda sunt. De quo late Delrius lib. 4. cap. 1. tota, quæst. 3. & Pereir. in Daniel. lib. 1. quæst. 3. ¶ Nota secundò: quod si post adhibitam sufficientem diligentiam, Confessarius probabilius credat esse à Deo, tunc eis fidem adhibere licite potest pœnitens Si tamen de hoc dubius sit, vt à Diabolo immissum tutius est credere, aliter peccabit ex eo divinando, & futuros effectus prædicendo; cum somnium ex se causa non sit futurorum liberorum, & aliorum effectuum contingentium; quare si non certo, aut probabiliter constet esse annuntiata à Deo, restat, quod sint à Dæmone, & sic eis credendo, eius disciplina te subijcis, cum eo que tacitum pactum inis. Quod expresse prohibet Deus Eccl. 34. his verbis: *Nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio* (hoc est probabilius credas esse à Deo) *ne des in somnis cor tuum.* Ita præcitati Doctores, maxime Suarez num. 15. Sanchez num. 52. Læss. num. 52. Azor lib. 9. cap. 17. circa finem, Palaus num. 6. Trullench num. 8. & Fagundez numer. 17.

Naturale somnium licet observare.

62 Dicendum est secundò: Quod naturalium somniorum observatio licita est. Quapropter humorum redundantiam, temperamentum corporis, & alia huiusmodi, licet ex eis divinare. Et ratio est; quia quilibet potest causas ex effectibus divinare, & coniectare; sed somnia naturalia sunt effectus naturaliter provenientes ex causis prædominantibus in somniante: ergo ex illis probabiliter divinare, & coniectare causas poterit. Vnde Medicorum Principes Hypocrates, & Galenus locis sup. num. 57. relatis multa, circa præsagia capienda de ægretudinibus ex somnis, scripserunt. Sic docent Navarr. in Sum. cap. 11. num. 33. & locis supra citatis, Suarez numer. 6. Læss. num. 55. Sanchez num. 49. Hurta-

tado num 1161. Palaus num. 2. Fagundez numer. 18. Trullench num. 5. & 6. & alij. Vnde oritur: licitum esse obseruare somnia, quæ nos conturbant, & territant, vt cognitis causis à quibus proueniunt, diligenter eis applicemus medicinam, corporalem, aut spiritualem. Quare legimus apud Cassianum coll. 22. cap. 3. & lib. 1. institut. cap. 11. & D. Ioann. Climacum. gradu 15. antiquos illos Patres maximam adhibuisse curam in obseruatione horum somniorum, vt discernerent, an à Diabolo, alia ve causa naturali dimanarent; qua cognita conueniens, & spirituale applicarent remedium. Ita Sanchez num. 5. Delr. lib. 4. cap. 3. quæst. 6. conc. 3. Suarez num. 6. & alij. Quibus sic stabilitis.

Non licet ex naturali somno futura contingentia diuinare.

63 Rogabis primò: An ex somnijs naturalibus liceat futura libera, & eventus fortuitos certo diuinare? Respondetur esse graue peccatum. Et ratio est: quia ex somnis nulla alia cognitio venari potest circa futura contingentia, quam mera coniectura, aut suspicio leuissima; tum: quia somnium non est causa per se eorum. Tum etiam: quia somniorum origo non est vna tantum, sed potest esse multiplex, quare ex eis nihil certo, sed præcisè coniecturaliter prædici potest. Vnde, qui ea certo annunciant, signum est à Diabolo didicisse; quia licet ipse tantum coniecturaliter ea cognoscat, tamen, vt suos discipulos eludat, vt certa, eos edocet. Sic D. Thom. loc. citat. Sanchez num. 53. Trullench num. 5. & 6. Delr. concluf. 3. Lupus in edict. Inquisit. part. 3. lib. 17. dist. 3. & alij communiter.

Quædam in seruntur.

64 Vnde infertur primò: Superstitionem peximam committere, qui se certo modo, & situ sternit, vt in somnis futuri eventus ei reuelentur. Et ratio est: tum: quia tacite Dæmonem invitat, & invocat, vt ab eo instruatur. Tum: quia vt dicunt Virg. Æneid. 7. & Cælius Rodig. lib. 17. antiquit. cap. 14. Ethnici præmisso ieiunio, in pellibus animalium cæsorum incubabant, vt à Dijs, seu potius à Dæmonibus, de futuris instruerentur: ergo superstitiosum est, sic incubare, vt futura in somnis reuelentur. Ita Suarez num. 14. Sanchez num. 53. Fagundez num. 14. Læss. num. 54. Bonac. num. 6. Palaus num. 6. & alij. ¶ Infertur secundò: Superstitiosum etiam esse, subijcere ægrotorum pulvinaribus litia, aut subtus eorum lectum cornua bouum, caprarum, aut aliorum animantium, vel instrumenta textoria, vt quiete somnium capiant; quia, cum prædicta ad talem effectum virtutem naturalem non habeant, necesse est, quod huiusmodi effectus ex pacto cum Dæmone proueniant. Sic Fagundez num. 15. & Leand. quæst. 73. qui solum ob ignorantiam hæc facientes à mortali optime excusant. ¶ Tertiò infertur: non esse graue peccatum, regulariter loquendo, aliqualiter somnis credere, vel ex eis aliqualiter timere aduersum, aut prosperum expectare, cogitans forte à Deo esse immissa, & ideo aliqua, quæ nullo iure præcepta sunt, omittere, aut facere. Et ratio est: quia licet sit hoc aliqua leuitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas; tamen cum non credat illud esse verum, non est superstitiosum: ergo regulariter graue peccatum non est. At, si quis ita sit obseruator somniorum, vt passim per illa gubernetur, & moueatur ad negotia agenda, aut omittenda, non potest à graui superstitione excusari; nam tunc hæc obseruatio augurijs comparatur; & somnijs nimis credere, signum euidens est. Dicta docent Suarez numer. 25. Læss. num. 53. Navarr. cap. 11. Sum. num. 33. Trullench num. 9. Palaus numer. 7. & alij.

Et si somnia experientia verificetur nequeùt obseruari.

65 Sed adhuc rogabis: Quid dicendum sit, quando quis expertus est somnia ipso eventu comprobari, erit ne tunc licitum, ea obseruare, & credere, aut ex eis futura diuinare? Ad hanc difficultatem respondetur, adhuc in hoc casu esse superstitiosum, eis fidem adhibere. Et rationem accepimus à D. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 3. vbi respondens argumento 2. intendenti probare, esse irrationale negare obseruationes, quas communiter experimur sic ait: *Ad secundum dicendum, quod hoc, quod à principio in istis obseruationibus aliquid veri homines experti sunt, hoc accidit casu. Sed postmodum, cum homines incipiunt suum animum huiusmodi obseruantijs implicare, multa secundum huiusmodi obseruationes eueniunt per deceptionem Dæmonum, vt in his obseruationibus homines implicati, curiosiores fiant, & se magis inserant multiplicibus laqueis pernitiosi erroris, vt Aug. dicit 2. de Doctrina Christiana.* Huc vsque Angelic. Doct. quæ cum hoc ipsum verificetur in obseruationibus somniorum, vt illicitæ respuendæ sunt. Sic Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 9. num. 17. Caietanus 2. 2. quæst. 95. art. 6. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 12. punct. 3. Sanchez num. 54.

Somnis diabolicis non licet fidem adhibere.

66 Dicendum est tertiò: Mortale peccatum superstitionis committere, qui fidem adhibet somnis à Dæmone immissis, vt occulta prædicet, aut scientiarum cognitionem acquirat. Hæc assertio probatur primò ex eo, quod talis obseruatio prohibetur cap. Episcopo 26. quæst. 5. ¶ Secundò: quia hoc fieri nequit, quin subdatur homo disciplinæ diaboli, vel iniat cum eo pactum expressum, aut implicitum; sed hoc est grauissimum peccatum: ergo & prædictis somnis fidem adhibere. Et hæc sunt somnia, quæ principaliter prohibet Deus. Tum Deuter. 18. his verbis: *Non inueniatur in te, qui obseruet somnia.* Tum Levit. 19. *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.* Cæterum, cum hoc optime componitur, quod liceat obseruare hæc somnia, vt fraudem Dæmonis fugias; quia hoc animæ est salutare, & aliquando necessarium. Ita Delrius lib. 4. cap. 3. quæst. 6. conc. 4. Filliuc. tract. 24. cap. 4. quæst. 6. n. 122. Trullench dub. 8. num. 10. Leand. quæst. 72. Læss. num. 52. Sanchez n. 52. Layman tom. 2. Summ. tr. 10. cap. 3. n. 6. Hurtado tr. 5. cap. 6. resol. 57. num. 1264. & alij.

PUN-

PUNCT. VI.

An divinatio, quæ fit per auguria, & omina & alias huiusmodi obſervationes exteriorum rerum, ſit licita?

TItulus præiactus eſt idem, quem Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 95. cit. art. 7. proponit, & ſub eo plures modi divinandi continentur, cæterum, quia leves de illis moveri poſſunt quæſtiones, ideo omnes ſub vnico puncto comprehendimus. Pro quarum reſolutione:

Quid ſit, & quomodo in præſenti augurium, & omen.

67 Nota primò: Quod licet augurium antiquitus pro omni illicitæ divinationis genere fuerit aſſumptum, vt patet ex Ierem. 27. verſ. 9. Num. 13. verſ. 23. 4. Reg. 17. verſ. 17. & alijs pluribus in locis; tamen proprie ſolum ſignificat divinationem, quæ ſumitur ex avium garritu. Vnde *auguria*, id eſt, ac avium garria, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 3. & ſup. num. 23. nos adnotavimus. At vero, quando ex avium volatu, paſtu, habitu, & motibus futura prænunciantur, dicitur auſpicium; ſi vero ex earundem avium, vel aliorum animalium immolatorum, ſeu cæſorum extis ſumitur, dicitur auſpicium. Hæc ſunt vera, ſumptis his vocibus in propria earum ſignificatione. Sed in præſenti cum D. Thom. loco cit. augurium magis generaliter accipimus, ſcilicet, prout ſignificat divinationem, quæ fit per motus, aut voces avium, ſive quoruncumque animalium, aut per ſturnationes hominum, vel membrorum ſaltus; & de augurio ſic ſumpto erit nobis in præſenti ſermo. Huius divinationis origo apud Hetruſcos fuit, teſte D. Iſidoro lib. 8. Etymolog. cap. 9. à quibus acceperunt Romani, vt ait Clemens Alexand. ſtrom. 1. eius que Religio, & diſciplina plurimum floruit apud Chaldæos, Ægiptios, Græcos, & Romanos, ita vt, hi nihil pace, bello, domi, militiæ que agerent, niſi futura prius auſpicarentur. Vt tradit Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Alex. ab Alex. lib. 5. Gen. cap. 13. ¶ Nota ſecundò: Quod *Omen* proprie dicitur, quando, quis conſiderat hominum verba abſque intentione dicta, retorquendo ad futurum, quod vult prænoſcere. Sic D. Thom. loc. cit. Deltrius lib. 4. cap. 2. quæſt. 7. ſect. 2. Quibus ſic breviter notatis:

Ex avium cantu, volatu, &c. aliqui effectus naturales prædici poſſunt.

68 Rogabis primò: An ex vocibus, volatu, motu, &c. animalium liceat futura divinare? Hanc difficultatem duplici concluſione ſolvere placuit. Dicendum eſt primò: Quod ex prædictis avium, ſeu animalium ſignis licet probabiliter prædicere aliquos effectus naturales, vt pluviam, imbres, tempeſtatem, ſerenitatem, &c. Et ratio eſt: quia tales motus avium ſunt ſigna naturalia illorum effectuum; ſed divinare effectus naturales per ſigna eorum, ſuperſtitioſum non eſt: ergo nec per talia ſigna, & motus avium effectus naturales divinare, & prædicere. Cætera conſtant, & maior probatur. Nam mutatio aëris, vel influentia aſtrorum afficit cerebrum, & ſpiritus animales avium, quam affectionem ſtatim eorum phantaſia percipit, & vt conveniens, aut diſcoveniens exterius manifeſtat; quod non ſic percipit hominis phantaſia; tum: quia alijs intenta eſt; tum: quia non gubernatur ab externis ſicut in animalibus; ſed à libera voluntate, & ideo Deus non conceſsit nobis per phantaſiam, has influentias ita cito, ſicut animalia percipere. Vt his verbis docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 95. art. 7. *Cum enim bruta animalia non habeant niſi animam ſenſitivam, cuius omnes potentiæ ſunt actus corporalium organorum, ſubiacet eorum anima diſpoſitioni continentium corporum, & primordialiter cœleſtium.* Deinde: quia vt docet ibi idem Angelic. Doctor, prædicti animalium motus cum ex inſtinctu ab authore naturæ indito operentur, non ſunt cauſæ effectuum naturalium, ſed ſigna ab eo inſtituta ad hos effectus cauſandos: ergo ex eis eos prædicere, & divinare licitum eſt, nec excedit meram cognitionem naturalem rerum. Vnde Ierem. 8. dicitur: *Miluus in cœlo cognovit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui.* Et D. Thom. ad 2. ait; quod quando cornicula frequenter crocitat, prædicit pluviam cito futuram. Et Virg. Georg. lib. 1. ait: quod tempeſtatem ſignificat ſubmerſio avium in aqua. Delphinis oſtentatio idem ſignificat, vt vult Ælianus lib. 1. de Varia Hiſtoria. De quo videantur Plinius de Naturali Hiſtoria, lib. 5. & Torreblanca de Iure Spirit. lib. 6. cap. 10. & 11. Hæc communia ſunt, docent que præter D. Thom. Læſſ. lib. 2. cap. 43. dub. 7. num. 44. Palaus tract. 17. diſp. 1. punct. 7. num. 1. Fagundez in Decal. cap. 39. num. 9. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 6. num. 2. Filliuc. tract. 24. cap. 5. quæſt. 9. num. 127. Sanchez lib. 2. cap. 38. num. 39. Leand. tract. 9. diſp. 2. quæſt. 97.

Illicitum eſt ex prædictis futura contingentia divinare.

69 Dicendum eſt ſecundò: Superſtitioſum eſſe, obſervare prædicta avium, ſeu animalium ſigna, ad futura contingentia libera prædicenda. Et ratio eſt: quia hæc non poſſunt eſſe cauſæ, aut ſigna futurorum contingentium, & à libero hominum arbitrio pendentium: ergo hæc ex illis prædicere, ſuperſtitioſe divinare eſt, ſignum que evidens Dæmonis diſcipulatui ſubijci; vnde prohibetur Deuter. 18. his verbis: *Non inveniatur in te, qui obſervet auguria.* Et in iure 26. quæſt. 5. *cap. Igitur.* ¶ Nec obſtat, quod Gen. 44. dixit diſpenſator Patriarchæ Ioſeph: *Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Et ipſe Ioſeph verſ. 15. ait fratribus ſuis: *An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in ſcientia augurandi?* Ergo hæc licita eſt. ¶ Reſpondetur enim ex D. Thom. ad 2. quod hoc, quod Ioſeph dixit, non eſſe ei ſimilem in ſcientia augurandi, ſecundum Aug. in lib. Quæſt. ſup. Gen. cap. 145. tom. 4. ioco dixit, non ſerio, referens forte hoc ad illud, quod vulgus de eo opinabatur: vnde ſic etiam diſpenſator loquutus eſt. Et li-

cet Cornelio hæc expositio non arrideat; nobis, sicut & Suarez lib. 2. cit. cap. 10. n. 12. tantorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum discipulis, in corde, ac veneratione est: cum illicitum Sanctis non sit, loqui terminis, quibus gentiles illi eum laudabant, eius que propheticum spiritum (quem ideo scientiam vocat) tanquam augurium credentes, prædicabant. Dicta docent D. Thom. & DD. supra citati, qui notant: quod si coniecturaliter tantum prædicentur, peccatum non erit, quia constellatio, quæ hominem commovet ad bellum, similiter etiam potest affectum in avibus imprimere, illum que vocibus, & garritibus manifestant. Videatur Caiet. loc. cit. ex D. Thom.

Ex hominum vocibus futura libera nequeũt omiari.

70 Rogabis secundò: An ex vocibus humanis casu prolatis, possint futura contingentia, adhuc coniecturaliter, divinari, seu ominari? Respondetur negative. Et ratio est evidens: quia hominum verba nullo modo in significando à cœlesti influxu pendent, sed sunt præcisè signa ad placitum: ergo per ea divinare, nobis aliquid fœliciter, aut infœliciter eventurum, prorsus superstitiosum est. ¶ Excipitur tamen casus, in quo per ea cognoscimus, Deum nobis aliquid revelare velle, & ad hoc verba ordinare, vt de Gedeone Iudic. 7. & de Eliezer servo Abrahæ Gen. 24. notavit D. Thom. art. 7. loci cit. ad 3. Sed addit Caiet. ibi, ad hoc oportere lumen, aut divinum præceptum percipere, alias levitas erit, futura divinare, aut coniecturari. Sic Azor tom. 1. cap. 18. Sanchez cap. 38. num. 45. Fagundez cap. 39. num. 8. Læss. lib. 2. cap. 47. dub. 7. num. 46. Leand. tract. 9. dict. 2. quæst. 100. Torreblanca lib. 9. Iure Spirit. cap. 7. & 8. Pereira in Gen. cap. 24. Medina lib. 2. de recta in Deum Fide, cap. 2. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 12. punct. 3. Iul. Siren. lib. 9. de Fato, cap. 22. & Delrius lib. 3. part. 2. quæst. 4. sect. 4.

Ex dictis quædam inferuntur.

71 Ex quibus sequitur: superstitiosum esse ex rebus casu contingentibus aliquid prosperum, sive adversum sibi eventurum, coniectare. Vnde superstitiosum est sequentia, vt infausta habere. Primò: Si quis mane domo egrediens canem, aut felem offendat. Si venatum iturus, vestis deciderit, aut à Soricibus tacta fuerit, vel lacinia valius adhæserit. Si mane sternutaverit: Vnde sternutante aliquo, bona verba dicere consuescunt homines, vt si quid sternumentum annunciaverit mali, fausta præcatione averteretur; vt docent Plin. lib. 28. cap. 2. Bulenger lib. 4. de Omine, cap. 3. & Delrius citatus prope finem sect. 4. ¶ Secundò: Si abrumpatur corrigia, vel calceus, aut vestis à sorlcibus corrodatur; si in porta caput offenderit. ¶ Tertiò: Si hac vel illa die opus aggrediatur. ¶ Quartò: Si canis prægnans occurrat, si porcus, aut mustella à sinittra veniat, & alia plurima, quæ congerit Torreblanca lib. 9. Iur. Spirit. cap. 8. & Azor lib. 9. cap. 22. damnantur que à D. Aug. relat. in cap. *Illud* 26. quæst. 2. vt superstitiosa, & à Gentilibus accepta; ab ipsis que ideo vt infausta habita, quia casu his accidentibus, tunc aliquid adversum experti sunt. Vnde hæc omnia vt infausta observare, prorsus superstitiosum est. ¶ Circa vltimam vero partem tituli quæstionis propositæ, plures modi divinandi continentur, de quibus prolixe discuti posset; sed quia hoc nimis lata provincia esset, sat est remittere lectorem ad Torreblanc. & Delrium locis cit. vbi longissime per hoc spatiantur; solum que hic communiora apud Moralistas extremis digitis tangemus.

Modi divinãdi ex corporis partibus.

72 Vnde inquires: An liceat futura divinare ex corporis humani membris. Pro resolutione nota primò: quod modi quibus hæc divinatio perfici potest, quatuor communiter enumerantur. Primus dicitur *Chiromantia*, qua quis ex manuum lineis prædicit homini statum, futuros eventus, tum prosperos, tum infaustos, vitæ terminum, infirmitates, &c. ¶ Secundus est *Pedomantia* qua eadem ex pedum lineis divinat. ¶ Tertius est *Methoposcopia* qua observatis frontis, & totius vultus lineamentis, hominis futura annuntiat. ¶ Quartus denique est *Physiognomia*, quæ ex totius corporis partibus, vel signis huc vsque dicta, prædicit. Sic Azor lib. 9. cap. 16. Torreblanca de Iure Spiritu, lib. 7. cap. 8. & 9. Trullench in Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 7. Delrius lib. 4. cap. 3. quæst. 4. Leand. tract. 9. disp. 2. quæst. 101. ¶ Nota secundò: quod tam *Physiognomia*, quàm *Chiromantia*, *Pedomantia*, & *Methoposcopia* duplex est, alia naturalis, & astrologica altera. Prima dicitur, quæ ex consideratione partium corporis humani, manus que dispositionis, & pulchritudinis, probabiliter coniectat temperamentum, inclinationes naturales, valetudinem, infirmitatem, & ad hæc, vel illa exercitia inclinationem. Secunda est, quæ ex eadem observatione futuros eventus, casus fortuitos, tum prosperos, tum adversos, alia que ex humano arbitrio pendentia, divinat. Quibus sic notatis, solum quæstioni respondebimus eam discutiendo circa *Physiognomia*, & *Chiromantiam*, quia circa has dicenda, alijs proportionabiliter applicari poterunt.

Physcognomia naturalis est licita.

73 Dicendum est primò: quod *Physiognomia* naturalis est licita, & laudabilis; è contra vero astrologica est superstitiosa, & prohibita. Ac proinde licitum est ex corporis partibus temperamentum ipsius, naturalem que inclinationem, &c. divinare: è contra vero superstitiosum est ex eisdem partibus futura contingentia, & casus fortuitos prædicere. Prima pars huius conclusionis probatur: nam hominis temperamentum, ingenium, valetudo, fortitudo, & inclinatio, ex signis, dispositione, proportione, & pulchritudine partium corporis coniectari possunt, tanquam ex causa eorum naturali: ergo licita est talis coniectatio, seu divinatio. Antecedens non aliter probari potest, quam expendendo, quæ corporis, aut partis eius dispositio hominis temperamentum significet. Et quidem primò, quod pulchritudo corporis est bonæ mentis imago, & figura probitatis, tradit D. Ambros. lib. 2. de Virginibus, & ingeniose probat Tiraquell. de Primogen.

cap.

cap. 5. constat que ex illo Isaiæ cap. 3. *Agnitio vultus eorum respondet eis.* Et Eccl. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & gressus hominis denunciant de illo.* Quapropter Bald. in leg. 2. cap. *Quorum appellat. non recipiant*, num. 5. Mascard. de Probat. tom. 1. concl. 831. num. 27. & alij docent: quod quando plures Arei obitiditia torquendi sunt, qui deformior est, primò est torturæ subijciendus, vt pote, qui ex hoc magis de crimine est suspectus. ¶ Secundò vero: *Quod oculi non nictantes, sunt iracundi, quoniam irati fixis, & immotis oculis intuentur*, docent Hypocrates, & Arist. de *Physionom.* cap. 9. quod desumpsisse videntur ex 6. Proverb. vers. 12. vbi sic Salomon arguit: *Homo apostata vir inutilis gradietur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum.* ¶ Tertiò communiter parvi oculi invidiam, magni vero stupiditatem significant: quia primi sunt oculi simiæ, & secundi Bovis, & Asini similes, in quibus animalibus prædicti defectus inveniuntur, & Deus, vt author naturæ, cuilibet animali iuxta indolem dotavit corporis partes. Et ita videmus, quod ferocibus vngues, & cornua; timidis, & fugacibus artus celeri fuga aptos, donavit; vt erudite probat Angelic. Doct. 1. part. quæst. 91. art. 3. Quare ex similitudine cum animalibus eorum proprietates in hominibus probabiliter coniectatur Arist. lib. de Phygsion. cap. 6. ergo quia signa sunt hominum affectus, & temperamenti, ac proinde ex corporis partibus venari possunt affectiones, & inclinationes naturales hominum. ¶ Præterea, monoculus, claudus, mancus, giboſus, lumine læſus à natura, semper malitiosi sunt, vt experientia constat, dictum que illud Arist. lib. de Sign. cap. 4. *Cavendum est ab homine à natura signato.* Satis frequenter comprobatur. Vnde Mart. in Epigram. de Zoilo, his defectibus notato canit:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus,
Rem magnam prestas Zoile, si bonus es.

Alijs exemplis illustratur conclusio.

74 Quintò: qui cerebro plano potiuntur, insensati sunt, quia anima eius angustijs coarctata, ratiocinare nequit. E contra vero, qui cerebro giboso gaudent, magno potiuntur ingenio, ob cellularum dilatationem ex qua operationes rectæ procedunt, vt libentius anima discurrat. ¶ Sextò deinde: quia humiditas mentem destruit, & calor temperatus è contra acuit, vt probat Galen. lib. *Quod animi mores*, cap. 5. ideo Angli, Flandri, & alij Septemtrionales memoria, & imaginatrice pollent, vt ait Arist. in Problem. sect. 14. problem. 15. & ideo ob summam humiditatem sunt albi coloris, & gaudent capillis rubeis, & corpore oblongo. At vero Hispani inter Septentrionem, & torridam Zonam habitantes, cum habeant temperatos humores, & mixtos maiori siccitate, quam humiditate, sunt fusci coloris, mediocris que staturæ, & magis idonei ad res difficiles, scientias que percipiendas; vt probant Galen. lib. cit. cap. 8. & Arist. sect. 14. problem. 15. quare, experientia teste Hispani alijs nationibus aptiores sunt, ad scientias, quæ præstantiorem captum requirunt, vt sunt Theologia Scholastica, & Moralis, iurisprudentia practica, Medicina, Philosophia naturalis, & moralis. At Angli, Flandri, Galli, alij que ex Septemptrionalibus nationibus magis idonei sunt ad Grammaticam, Rhetoricam, Musicam, Arithmeticam, Architecturam, Bellipoliticam, Chirurgicam, artes mechanicas, Iurisprudentiam, Theoricam, Cosmographiam, &c. Quia omnes istæ Scientiæ, & artes memoriam potius, quam intellectus aciem requirunt. Videatur Ioannes Huarte lib. de Ingenij Examine, à cap. 8. ad 12. Ex his ergo, & alijs signis corporis humani, quæ consulto omittimus, videri que possunt apud Arist. Galen. & Hypocrat. infra citandos, optime probabiliter conijci possunt, tam hominum temperamentum, & dispositio, quàm valetudo, & ingenium. ¶ Nota tamen hic, quod licet signa membrorum, hæc, aut similia indicent, non tamen imponunt necessitatem; quare hæc non semel, sed frequenter rationis fræno, virtutis que potentia superantur, vt de Socrate refert Laertius, qui cum ex physiognomia esset ad luxuriam propensus, hanc inclinationem rationis acumine subiugavit. Nostram conclusionem tenent Arist. lib. de Physiognomia, & lib. de naturæ significatione ad Polem. lib. de Signis, & in lib. de Problemat. Hypoc. & Galen. lib. de Physiognom. & hic etiam in lib. *An mores sequantur sua corpora.* Delrius lib. 4. cap. 3. q. 4. Conrad. Uvipina, lib. de Sign. cap. 8 Azor tom 1. lib. 9. cap. 16. Bonac. in Decal. disp. 3. quæst. 5. p. 3. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 38. n. 44. Leand. tract. 9. disp. 2. quæst. 104. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 8. num. 2. Torreblanc. de Iure Spirit. lib. 7. cap. 7. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 7. num. 4. Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 7. num. 45. & alij, colligitur que non obscure ex D. Thoma 2. 2. quæst. 95. art. 5. & 6. quæst. 96. art. 2. & q. 172. art. 3. nec non 1. part. q. 115. art. 4. vt intuenti constabit.

Physiognomia astrologica est illicita.

75 Secunda pars conclusionis, scilicet, quod sit superstitiosa Physiognomia Astrologica, ac proinde illicitum ex corporis partibus futura contingentia, &c. divinare, constat. Nam dispositio corporis partium nequit esse causa futurorum contingentium, vel à voluntate humana pendentium, v. g. quod Petrus futurus sit dives, talem vxorem ducturus, hanc, vel illam mortem obiturus, &c. ergo superstitiosum est ex illis similia prædicere, & divinare. Sic Doctores num. antecedenti relati. Et insuper Villalobos 2. part. tract. 38. diffic. 3. num. 13. Sousa in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 5. num. 8. Si autem hæc ioci causa fiant, & nulla eis fides adhibeatur, poterit talis divinatio esse tantum venialis, vt optime docent Sanchez num. 21. Trullench num. 3. & alij, quos infra dabimus.

Ex Chiromantia naturali annũtiari potest corporis têperamentũ.

76 Dicendum est secundò: Quod Chyromantia naturali licet vti ad temperamentum, & complexionem hominis, nec non eius ingenium coniectandum; at superstitiosum est,

est, per Chyromantiam astrologicam futura contingentia ex libero arbitrio pendentia, adhuc probabiliter divinare. Prima pars huius conclusionis ostenditur: Nam ex consideratione linearum manus, cognoscitur temperamentum corporis; sed ex corporis temperie probabiliter conijci possunt hominis passiones: ergo ex lineis manuum licite, & probabiliter prædici possunt hominis complexio, & animi propensio, seu inclinatio. Maior ostendi potest; nam ex manuum grossitate, tenuitate, sudore, humiditate, siccitate, asperitate, lenitate, pilositate, sciſuris, & lineationibus agnosci probabiliter potest corporis temperies. Qui enim habent manus nimis brebes respectu aliarum partium sui corporis, communiter calidi, subdoli, subtiles, loquaces, & subsanatores sunt iuxta Arist. de Physiognomia, cap. 6. Qui habent palmam longam, & digitos proportionatos ingeniosus est. Qui vero è contra habent palmam brebem, & digitos longos, obtusi sunt ingenio, quia procedit ex phlegmatica complexione, quæ discursui inepta est. Tactus calidus, & lenis optimum ingenium significat, nam vt ait Arist. 2. de Anima: *Moles carne apti sunt mente.* E contra tactus asperus, & frigidus stultitiam significat, nam primi habent complexionem calidam, & humidam; secundi vero abundant phlegmate, & melancholia. Ita Ciruelo lib. 3. Astrologiæ Christianæ, cap. 10.

Quinque sunt lineæ principales manuum.

77 Deinde lineæ manus principales sunt quinque; quarum primam Philosophi, & Medici vocant lineam vitæ, seu cordis. Secundam mensuralem, seu genitalem. Tertiam mediam naturalem, seu cerebri. Quartam tabularum, seu hepatis, & stomachi. Quintam capitis. Quæ quidem ob correspondentiam ad prædictas corporis partes, designant qualis sit in homine temperies, & inclinatio, vt ex Arist. locis infra citandis, nec non ex Conrado de Uvipina lib. 12. de Signis, Ciruelo, & alijs statim referendis, non obscure tradere, possemus, & consulto omittimus; quia nostri muneris non est, ea omnia in particulari referre; sed satis est aliqua ex eis extremis digitis attigisse, vt probemus dispositionem, & lineas manus naturaliter indigitare hominis temperiem, & inclinationem: ergo non superstitiosus, sed licitus, & laudabilis est vsus Chyromantiæ naturalis. Nostram conclusionem tenent Arist. in problem. 4. sect. 10. & problem. 10. sect. 24. Avicena de Anotomia Hepatis, lib. 3. cap. 13. Galen. lib. de Complexione. Petrus de Ciruelo Doracens. lib. 3. Astrolog. Christianæ, cap. 10. Delrius lib. 4. cap. 3. quæst. 5. Torreblanc. de Iure Spirit. lib. 7. cap. 9. Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 38. num. 47. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 8. num. 4. Bonac. tom. 2. disp. 3. punct. 3. n. 11. Lupus part. 3. in Edict. Inquisit. lib. 17. dist 5. art. 1. difficult. vnica. Læss. lib. 2. cap. 43. dub. 7. num. 45. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 7. num. 4. Fagundez lib. 1. cap. 39. n. 3. Barbosa 3. part. de Potest. Episcopi, alleg. 51. n. 130. & apud ipsum Farinac. in Praxi Crim. quæst. 20. num. 112. & de Hæresi, quæst. 181. num. 56. Leand. tract. 9. disp. 3. quæst. 104. & alij.

Ex Chyromantia cognosci non possunt futura contingentia.

78 Secunda pars conclusionis etiam suadetur ex dictis num. 75. cum eadem ratio militet in lineis manuum, ac in cæteris corporis partibus; cum nec sint manuum lineamenta naturalia signa, seu causæ effectuum contingentium; nec vna cum illis ab vnica causa pendeant, nec ex directione voluntatis diuinæ ad ea signanda, imprimantur, alias à Sanctis viris potius, quam ab incantatoribus observarentur: ergo si significant futura contingentia, est solum ex institutione Dæmonum, qui, vt suos decipiant hæc edocent, vt mentibus eorum superstitionibus implicatis, & ad hæc aliquibus effectibus, postea verificatis, allectis, quocumque iubent eos impellant, ad tartara que denique deferant. Ita tenent Doctores num. antecedenti relati. Et insuper Eymericus in Direct. Inquisit. part. 2. q. 43. & ibi Peña comment. 67. Navarr. in Man. cap. 11. num. 31. Valles cap. 32. Sacræ Philosophiæ. Alcocer in Summ. cap. 14. Lopez 1. part. Instruct. cap. 41. Navarr. lib. 2. de Restit. cap. 2. part. 1. dub. 7. à num. 159. Villalobos 2. part. tract. 28. difficult. 3. num. 11. & alij. Et hoc divinationis genus prohibetur, non solum à Sixto V. in motu proprio sæpius allegato, sed etiam à lege Regia 2. tit. 23. part. 7. Quare, vt omnino superstitiosum à Catholicorum animis exsibilandum est. ¶ Ex quibus sequitur: superstitiosum esse, de sua fortuna per contari Ægiptias hispane *Gitanas* ob rationem supra dictam, & ita, qui sic facit peccatum grave committit. Cæterum si hæc fiant, non animo eis assentiendi, sed ioci, & ridendi gratia, vt communiter accidit, absit que alias scandalum, iudicamus, non esse læthale. Ita docent Auth. citati maxime Alcocer, Navarr. Sanchez num. 48. Leand. quæst. 103. & Barbosa de Potest. Episcop. 3. part. allegat. 51. num. 131.

Motiva sententiæ contrariæ diluuntur.

79 Sed contra hanc secundam partem conclusionis Ioann. Taisner. Bartholomæus Codes, Petrus de Area, Michael Scotus, & alij apud Delrium lib. 4. cap. 3. quæst. 5. obijciunt nobis duo loca Sacræ Scripturæ. Primus est Iob. 37. vers. 7. vbi sic ait: *Qui in manu omnium hominum signat, vt noverint singula opera sua.* Secundus Exodi 13. vers. 9. *Et erit quasi signum in manu tua*: ergo in manibus sunt signa eorum, quæ ab hominibus agenda sunt, & sic ex eis divinari licite possunt futura contingentia. ¶ Sed his locis astrologica *Chyromantia* minime adstruitur. Nam in hoc secundo loco, loquitur Sacer textus de Solemnitate azimorum, cuius celebratio vult Deus, vt habeatur ab Hebræis, tanquam signum indelebile liberationis ab Ægypto, & sic ait, quod sit tanquam signum in manu; sumpta metaphora ab eis, qui ne oblibiscantur alicuius rei, solent annulum digito indere, vel immittere, aut filum alligare. ¶ Nec magis eis favet primus locus: quia, vt ex antecedentibus constat, ibi loquebatur Deus de suo dominio circa nivem, imbrem, glaciem, &c. virtute quorum ita, quando vult, manus hominum impedit, constringit que ne possint la-

laborare ; vt ſic confiteamur noſtram imbecillitatem , & Dei potentiam , ſine cuius nutu operari non poſſumus , agnoſcamus. Vide Delrium , Torreblancam , Azor , & Suarez cap. 10. in fine. ¶ Vel dic iuxta D. Thomam , & Lyranum ibi loqui de *Chyromantia* naturali , iuxta quam , ex manuum lineis hominum inclinatio probabiliter annunciari poteſt.

PUNCT. VII.

Vtrùm divinatio ſortium ſit licita?

Eſſentia , & diviſio ſortium.

80 DEnique D. Thom. in art. 8. q. 95. allegatæ , agit de divinatione per ſortem , cuius veſtigia præmentes , congruum eſt,vt & nos hic divinationis difficultates abſolvamus. Licet ergo , Sortilegium , omne divinationis genus amplectatur , vt docent Plin. lib. 8. cap.4. Farinac. de Hæreſ. q.181. §.1. num.62. Paul. Grilland. de Sortileg.q.1. num. 3. nunc tamen , ſolum illud accipimus pro divinatione , quæ per ſortes , occulta , & fortuita nititur cognoſcere. Sed pro maiori claritate eorum, quæ inferius reſolvenda ſunt, nota primò ex D. Thoma 2.2.quæſt.95.art.8. quod Sortes proprie dicuntur , cum aliquid fit , vt eius eventu conſiderato , aliquid occultum innoteſcat , v. g. quid huic , vel illi competere debeat , ad quas , vt ex ſe conſtat requiritur , vel quod ſit conventio inter partes , vel quod ſecum conveniat homo ſortes emittens , vt eis ſibi aliquid occultum innoteſcat. ¶ Nota ſecundò ex eodem Angelic. Doct. quod ſortium diviſio trimembris eſt, quid quid dicat in contrarium Suarez lib. 2. cit. cap 12. num. 2. Nam ſi ſortium iudicio quæratur , quid vnicuique ſit exhibendum , ſive ſit dignitas , honor , pœna , aut præmium, tunc dicitur *diviſoria*. Si autem à divina voluntate inquiratur per ſortes , quid in hoc, aut illo negotio agendum ſit , quid ve cavere, & fugere debeamus , appellatur *conſultoria*. Si denique à Dæmone tacite , vel expreſſe quæratur quid ſit futurum, aut quod aliquid occultum reveletur , vocatur ſors *divinatoria*. Divum Thomam ſequuntur communiter DD. & maxime , quos infra dabimus. Cuius diviſionis ratio , præterquam quod ad eam ſuadendam ſufficiat Angelic. Doct. authoritas, conſtat ex eo , quod adæquat , & comprehendit omnia membra dividentia , circa quæ ſortes emmitti poſſunt : ergo prædicta diviſio non redundans , ſed bona , & adæquata eſt. His ergo prænotatis:

Vſus ſortis diviſoriæ ex ſe licitus eſt.

81 Dicendum eſt primò : Sortes diviſorias per ſe licitas eſſe. Et ratio eſt : quia ſortes diviſoriæ non aſſumuntur ea intentione, vt actus humani , qui requiruntur ad ſortem, ex diſpoſitione ſtellarum ſortiantur effectum, hoc enim ſuperſtitioſum eſt , & non carens Dæmonis ingeſtione , vt docet D.Thom.loco cit. ſed tantum emmittuntur , vt vnice Deo dirigente ſortialium actus , expectetur eventus ; ſed hoc licitum eſt , cum ibi nullum Dæmonis pactum interveniat , vt operationes noſtras dirigat : ergo vſus ſortis diviſoriæ licitus , & honeſtus eſt ; imò & ſæpe eſt ad lites dirimendas , neceſſarius. Deinde : quia hic ſortium vſus nihil aliud eſt , quam mutuus contractus inter ius ad aliquam rem habentes , celebratus , ad cognoſcendum cui res ſit applicanda ; in quo cum par vtriuſque ſit fortuna , & conditio , nihil habet vnde illicitus ſit : ergo honeſtus , omni que ſuperſtitionis labe carens , eſt prædictus ſortis diviſoriæ vſus. D. Thomam ſeq. Caiet. ibi. Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 12. à num. 5. Læſſ. lib. 2. cap. 43. dub.9. num. 57. Delrius lib. 4. cap. 4. quæſt. 1. Torreblanc.lib.8,Iuris Spirit. cap.7. Sanchez lib.2. cap.38. num.57. Palaus tract.17. diſp.1. punct.6. Azor tom.1. lib.9. cap.21. Villalobos tom.2.tract.38. diffic.5. num.4. Raphael de la Torre 2.2.q. 95. art. 8. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 9. n. 2. Bonac. in Decal. diſp. 3. quæſt. 5. punct. 3. num. 13. Fagundez in Decal. lib. 1. cap. 40. num. 3. Leander à Sanctiſsimo tract.9.diſp.2. quæſt.75. Sayr. in Clavi, lib.4. cap.5.à n. 14. Layman tom. 2. Summæ , tract. 10. cap. 3. num. 8.

Sors diviſoria in quibus caſibus eſt licita.

82 Vnde ſequitur : quod præter illos caſus , in quibus iure Eccleſiaſtico prohibetur, prædicta ſors diviſoria,licita eſt.Quamobrem. Primò, licita eſt ſors polytica , ad diſtribuendas ſæculares dignitates , imò & Regias. Et ideo legitur 1.Reg. cap.10.verſ.20. *Et applicuit Samuel omnes tribus Iſrael, & cecidit ſors tribus Beniamin. Et applicuit tribus Beniamin , & cognationes eius , & cecidit cognatio Metri.* Vnde docet Tiraquell. de Primogen. lib. 1. & Mendoza in Saturnal.decad.7.cap.2. Regna, & imperia ſorte diviſa fuiſſe. Videantur DD.ſupr. cit. & inſuper Valer. Max.lib.3. cap.7.Sueton.in Cæſarem,cap.18.& in Auguſt. cap.3. ¶ Secundò , licita eſt ſors in tempore rempeſtatis , ad decidendum , quæ merces, aut qui homines , ſi neceſſarium eſt , mittendi ſunt in mari, vt ſcribitur cap.1. Ionæ. Vnde ſi hoc aliqui renuant , Dux navis poterit has ſortes facere , & proijcere eum , ſuper quem ſor ceciderit. Sanchez num.62.Delrius cap.4. quæſt.1. Bonac. num.12. Suarez n. 17. Trullench num. 3. Palaus num. 3. Fagundez num. 4. Layman num. 8. & Ioann. Mai. in 4. diſt. 5. quæſt.22. §.4.& quæſt.50.in fine.

Expendunt. alij caſus in quibus vſus ſortis diviſoriæ licitus eſt.

83 Quartò ſi tempore peſtis , aut perſecutionis , ſit inter Medicos , aut Dei miniſtros diſceptatio , quis ad corporum , & animarum curam manere debeant , ſi aliter determinari nequeat , ſorte dirimenda eſt , vt inquit D. Aug. Epiſt. 180. & D. Thom. art. 8. citato, quos ſequuntur omnes Catholici. ¶ Quintò: ſi inter duos pauperes, omnino æquales , eſſet aliqua eleemoſyna diſtribuenda , nec alias eſſet diviſionis capax , licite ſorte eligi poteſt, cui danda eſſet. Sic D.Aug.de Doctrina Chriſtiana , lib. 1. cap. 28. relatus à D. Thoma. ¶ Sextò , quando Princeps aliquos reos pares in culpa à morte miſericorditer liberare vult , ſortes mittere poteſt. Læſſ. Trullench, Bonac. Palaus num.3.Fagundez n.4. ¶ Septimò , in vſu contractus lotheriæ , hiſpane *de*

Riſa

Rifa vſus ſortium licitus eſt, tam in foro exteriori, quàm conſcientiæ, vt probant Garcia de Contract. lib. 3. cap. 20. & Molina de Iuſtitia, & Iure, part. 3. diſp. 509. quia in hoc nulli fit iniuria, & partes de contractus forma poſſunt inter ſe convenire, leg. *Neque emptio, ff. de contract. empt.* ¶ Octavò, ſi dubium ſit, quis Religioſus iturus ſit ad Indos, aut quæ cohors militum primo vrbis mœnia conſcendere debeat, aut inter quos ſpolia hoſtium dividenda ſunt, determinare per ſortes licet. Ita Læſſ. Suarez, Sanchez, Trullench. ¶ Nonò, ad dirimendas lites in hæreditatibus, legatis, & ſimilibus, quæ commode dividi nequeunt, ex mutuo litigantium conſenſu, ſortibus vti licet; quia tunc nulli iniuria fiet, cum cedant iuri ſuo. Vt patet *ex leg. Si duobus, C. communia de legatis*, vbi dicitur: *Sancimus, in huiuſmodi rei caſibus iuditium fortunam eſſe, & ſortem inter altercantes adhibendam, vt quem ſors prætulerit, is quidem habeat poteſtatem eligendi.* Idem docet Abbas in cap. *Eccleſiæ extra de Sortilegijs*. Læſſ. n. 58. Suarez n. 4. & 11. Palaus n. 3. Fagundez num. 4. Et ex hac lege optime inferunt prædicti Auth. quod, & ſi litigantes renuant, Iudices, vt lis dirimatur, ſi res eſt indiviſibilis, eos compellere poſſunt, ad exhibitionem ſortium. Tum: quia ſic iubet ipſa lex; tum: quia conveniens eſt, vt lites finem habeant; tum etiam: quia nulli fit iniuria, cum in omnibus, vt ſupponitur, ſit æquale ius, & ſortium incertitudo ſimiliter omnibus modis illis par ſit.

Pro reſolutione difficultatis quædam notanda ſunt.

84 Sed gravis difficultas eſt: An ſit licitus vſus ſortium in dirimendis litibus circa res, & beneficia Eccleſiaſtica? Ante eius reſolutionem nota, quod ſi lis ſit circa res temporales Clericorum non eſt dubium, quin ſortibus poſsit dirimi. Et ratio eſt: tum: quia in hoc eorum bona à Sæcularium non diſtinguuntur: tum: quia hoc nullo iure interdicitur, nam cap. *finali de Sortilegijs* vnice loquitur de Eccleſiaſticis electionibus, & in materia odioſa non debet fieri extenſio: ergo lis circa res temporales Clericorum per ſortes dirimi poteſt. Ita docent Abbas cap. *Eccleſia*, de Sortilegijs, Azor lib. 9. cap. 21. Suarez num. 11. & Sanchez num. 76. Vnde ſolum reſtat difficultas circa res, & beneficia Eccleſiaſtica. Circa quam,

Sententia docens lité beneficiariá ſorte dirimi poſſe.

85 Prima ſententia eſt affirmativa, docet que licitum eſſe lites beneficiales ſortibus componere. Et movetur: quia lex pœnalis extendi non debet ad caſus in ea non expreſſos, vt eſt communis ſententia, & nos tradidimus tom. 3. tract. 11. cap. 4. §. 3. ſed lex in cap. *Eccleſia* extra *de Sortilegijs* eſt pœnalis, vt conſtat, & tantum ait: *Sortis vſum in electionibus perpetua prohibitione damnamus*: ergo extendenda non eſt ad lites beneficiorum componendas. Deinde: qui litem componit, non eligit ad beneficia; nam cui ſors favet, beneficium non accipit ex vi ſortis, ſed ex vi iuris, quo pro ſe beneficium prætendebat, & ſors tantum eſt remotio impedimenti ad poſſeſsionem illius: ergo non eſt idem litem beneficij componere, ac ad beneficium eligere: & conſequenter ſors ad litem dirimendam prædicto cap. *Eccleſia* non prohibetur. Ita docent nonnulli Iuriſperiti apud Felinum in dicto cap. *Eccleſia*, Gloſſa cap. *Licet cauſam*, verb. *Vt poſſidetis*, Hoſtienſis ibi num. 20. Abbas num. 37. & Læſſ. lib. 2. cap. 43. dubit. 9. num. 58. in fine, dum ait ibi; fortaſſe tamen ad litem beneficiariam terminandam, quando ratio commodior iniri non poteſt, ſortes non eſſent improbandæ. Et expreſſe tenet Layman tom. 2. Summæ, tract. 10. cap. 3. n. 8. verſ. *Denique*.

Contraria ſententia propoſitur.

86 Secunda vero ſententia eſt negativa, aſſerens, litem de electione Eccleſiaſtica, v.g. ad Beneficium, aut officium Eccleſiaſticum ſorte dirimi non poſſe. Et movetur primò: quia in dict. cap. *Eccleſia* prohibetur electio Eccleſiaſtica per ſortes; ſed in caſu præſentis quæſtionis electio alterius ex litigantibus, ſaltem completive, fieret per ſortes: ergo hoc eſt illicitum. ¶ Secundò: nam in regulis iuris in 6. regul. 1. dicitur: *Beneficium Eccleſiaſticum non poſſe licite niſi ex inſtitutione canonica obtineri.* Et in cap. vnic. de eo, *qui mittitur in poſſeſsionem*, lib. 6. dicitur, in his litibus Beneficialibus cavendum eſſe ne aliquid fiat *per quod ad Beneficium vitioſus pateat ingreſſus*; ſed per ſortem incurritur periculum, tum obtinendi Beneficium ſine iuſto titulo; tum ingreſſus vitioſi: ergo prohibitum eſt ab Eccleſia, ſorte, lites Beneficiales componere. Sic Felin. cap. *Capitulum*, n. 21. referens Hoſt. Card. Anchar. Franc. & alios.

Media ſententia eligitur, & prima illius pars ſuadetur.

87 Sed in hac quæſtione media via incedendum eſt, & dicimus litem de electione ad Beneficium, ſeu ad quamcumque aliam dignitatem Eccleſiaſticam, poſſe per ſortes licite terminari; ſed addimus, hoc debere fieri, non authoritate litigantium, ſed iudicis Eccleſiaſtici, ad quem ſpectat titulum Beneficij, aut quamcunque aliam dignitatem conferre. Primam partem noſtræ reſolutionis probant motiva primæ ſententiæ, & inſuper, quia lites Eccleſiaſticæ æternæ non ſunt futuræ, ſed aliquando terminandæ: ergo quando alius efficacior modus non adeſt, non eſt contra Eccleſiæ mentem, quod per ſortes dirimantur: Maxime cum nulla adhibita reſtrictione dicat Salomon Prov. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat*: ergo ad omnes lites dirimendas licita eſt ſors.

Secunda illius pars probatur.

88 Secunda vero pars, ſcilicet, quod debeat fieri hoc, non authoritate propria, ſed Iudicis, ad quem talis dignitatis collatio attinet, probatur; tum: quia ſic vitatur periculum vitioſi ingreſſus, & abſque legitimo illius titulo: nam ſi aliquis ex collitigantibus non haberet iuſtum titulum ad Beneficium obtinendum, & ſuper eum ſors caderet; tunc abſque iuſto titulo illud poſſideret; cum conſenſu alterius circa ſortem non poſſet ei iuſtum titulum propria authoritate conferre; ſed hoc vitatur ſi ſors conijciatur authoritate Iudicis Eccleſiaſtici habentis iuriſdictionem circa illius collationem: ergo ſic tantum fieri licet. Tum etiam: quia in cap. *Licet cauſam*, multi Canoniſtæ aſſerunt, ſortem non habere locum in dubio facti vel iuris; ſed conven-

ventio privata ad sortiandum, dubium iuris ad Beneficium tollere nequit: ergo, &c. tum denique: quia, vt probat textus in cap. fine de Pact. & cap. *Quam pio* 1. quæst. 1. omne pactum in ordine ad obtinendum Beneficium, de quo lis est, propria authoritate factum, est Simoniacum: ergo, vt hæc omnia cessent, debent tales sortes non authoritate propria, sed legitimi iudicis Ecclesiastici fieri. Ex dictis constat ad vtriusque sententiæ motiva, in quantum nostræ resolutioni poterant adversari. Hanc sententiam tenent Glossa in cap. *Licet causam*, de prob. verb. *Vti possidetis*, Abbas ibi num. 37. & Hostiens. num. 20. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 2. cap. 12. num. 13. Sanchez cap. 38. n. 79. Palaus tr. 17. disp. 1. punct. 6. n. 7. Fagundez lib. 1. cap. 40. num. 7. & Leand. tract. 9. disp. 2. quæst. 81.

Controversia circa electionē Summi Pontificis ex Cardinalium authoritate sorte dirimi potest.

89 Ex quibus sequitur: quod, quando inter duos est controversia vter in Summum Pontificem vere sit electus, hæc discordia sortibus poterit dirimi; cum ius Ecclesiasticum sortes in electionibus prohibens eos non adstringat; sed hæc sortitio de Cardinalium consensu fieri debet, quia ad illos Summi Pastoris Ecclesiæ electio attinet. Ita Felin. loc. cit. referens Cardin. & Petrum de Monte, necnon Sanchez num. 8. & Fagundez num. 8.

Iure Ecclesiastico sortes divisoriæ in electionibus Ecclesiasticis prohibitæ sunt.

90 Dicendum est secundò: Sortes divisorias in electionibus ad officia, & Beneficia Ecclesiastica, iure Ecclesiastico esse illicitas, & prohibitas. Hæc assertio constat ex cap. *Ecclesia*, *de Sortilegijs*; vbi postquam ait: *Quod in electionibus Ecclesiasticis est, licet nota non careat, quin imò multa reprehensione dignum, quod sors in talibus interveniat*, concludit generaliter, & indefinite: *Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnamus*: ergo iure Ecclesiastico omnis sortiatio est prohibita circa electiones dignitatum, officiorum, Beneficiorum, & ministrorum Ecclesiæ: cum propositio indefinita æquivaleat vniversali: & alias non obscure constet ex discursu illius textus, vbi non solum prohibet sortes in prædictis electionibus, verum etiam in nominandis, & eligendis compromissarijs ad dictas electiones; tum: quia eadem incommoda in illa sortitione inveniuntur, vt consideranti constabit; tum: quia tunc provisio Ecclesiæ immediate reducitur in sortem. Deinde probatur ratione D. Thomæ 2. 2. quæst. 95. art. 8. vbi postquam docet, quod sortiri licitum est ad lites dirimendas, quando sortium iudicium expectatur ex Deo, postea addit: *Potest tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere. Primò, si absque vlla necessitate ad sortes recurratur... Secundò, si quis etiam in necessitate absque reverentia Dei, sortibus vtatur... Tertiò, si divina oracula ad terrena negotia convertantur. Quartò, si in electionibus Ecclesiasticis, quæ ex Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus vtantur. Vnde, sicut Beda dicit (in fine comment. ad cap. 1. act. Apost. tom. 2.) super act. Apost. Mathias ante Pentecostem ordinatus sorte quæritur, quia scilicet, nondum erat plenitudo Spiritus Sancti in Ecclesia effusa. Septem autem Diaconi non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati*: ergo congruum fuit, quod postquam in Ecclesiam fuit Spiritus Sancti gratia diffusa, talis electio per sortes prohiberetur, sicut de facto fuit prohibita. Denique huius prohibitionis ratio ea est: quia cum sors cæca sit, potest per eam eligi, qui ineptus, & minus idoneus est: ergo, vt hoc vitetur, iuste talis electionis modus debuit ab Ecclesia eliminari. Sic docent communiter DD. maxime Glossa, D. Thom. Suarez cap. 12. num. 5. Sanchez à num. 71. Azor lib. 9. cap. 12. Fagundez num. 11. Torreblanc. Iur. Spirit. lib. 8. cap. 7. à num. 50. Qui optime addunt; prædicta etiam tenere, quando duo æqualibus suffragijs electi sunt ad Beneficium: quia si tunc determinetur per sortes, sequitur quod per illas fiat vere electio, quod prohibitum est.

Sunt qui asserunt tales electiones esse etiā nullas.

91 Sed vlterius rogabis: An similis electio ad officia, & Beneficia Ecclesiastica non solum sit illicita, sed nulla? Panormitanus in dicto cap. *Ecclesia* docet, esse nullam, quem refert, & sequitur Villalobos 2. part. tract. 38. difficult. 5. num. 5. Et moventur primò: quia est facta contra talis legis prohibitionem. Secundò: quia est contra formam eligendi præscriptam in cap. *Quia propter*, *de electione*, vbi dicitur, quod *aliter electio facta non valeat*. Et loquitur ibi de electione facta per sortem ad Ecclesiam: ergo electio ad officia, & Beneficia Ecclesiastica per sortes facta est nulla.

Propria mēs declaratur.

92 Sed melius respondetur dicendo, quod sola electio Prælati habentis iurisdictionem, tam in criminalibus, quàm in civilibus, facta per sortem, est nulla. Quia de ea tantum loquitur cap. *Quia propter*, supra cit. Vnde electio per sortes, tam compromissariorum, qui hunc Prælatum designent, quàm aliorum ad hæc Ecclesiastica Beneficia, officia, &c. nulla non est, quia nec in cap. *Ecclesia*, nec in cap. *Quia propter* adest verbum similes electiones irritans, quin potius in cap. *Ecclesia* confirmat Pontifex, vt validam electionem cuiusdam Episcopi factam à compromissarijs per sortem electis. Nec ex eo, quod lex citata electionem per sortes prohibeat, potest efficaciter argui à Panormitano, quod eam irritet; cum distincta sit prohibitio ab irritatione, & non omne quod prohibetur, irritatur, vt innumeris possemus, demonstrare exemplis: cæterum, quia hoc omnibus constat maiori non indiget impugnatione. Dicta tenent Glossa in dict. cap. *Ecclesia*, Suarez cap. 12. num. 9. & 10. Sanchez cap. 38. num. 83. Fagundez cap. 40. num. 14. Palaus punct. 6. num. 9. Trullench dub. 10. num. 7. Bonacin. disp. 3. quæst. 5. punct. 3. num. 13. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 3. num. 9. & alij. Vnde patet ad rationes contrariæ sententiæ.

Sors divinatoria est illicita.

93 Dicendum est tertiò: quod, vt ait D. Thom. à duplici causa spirituali iudicium sortium expectari potest, scilicet vel à Dæmone, vt legitur fecisse Regem Babilonis cap. 21. Ezech. vel à Deo, vt non semel in Sacra Scriptura viros fecisse, invenimus, de quibus statim. Si ergo primo modo expectetur notitia circa futura, & occulta, dicitur sors divinatoria, quæ est omnino superstitiosa, & à Sixto

to V. prohibita in motu proprio sæpius allegato, nec non in *cap.* 1. *de Sortilegijs*, *&* 26. *quæst.* 1. *cap. Pervenit*, *cap. Sortes*, & alibi passim. Et ratio est: quia sortes ex se nullam connexionem habent cum futurorum cognitione, neque per modum causæ, neque per modum signi, vt ex se constat: ergo cum Deus illis futurorum significationem non dederit, neque rebus vanis se immisceat, signum est, quod si futura, & occulta per sortes cognoscuntur, hoc fiat tantum Dæmonis ope, & auxilio. Vnde in eis semper Dæmonis pactum intervenit. Sic D. Thom. art. 8. citat. Suarez cap. 12. num. 27. Villalobos 2. part. tract. 38. difficult. 5. num. 6. Sanchez cap. 38. num. 88. Palaus punct. 6. num. 12. Torreblanc. lib. 8. cap. 7. à num. 62. plurimos referens. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 9. n. 14. Sousa in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 53. à n. 7.

Sors consultoria facta cum debitis circunstantijs est licita.

94 Si vero sortium iudicium circa ea, quæ agere debemus, à Deo expectetur tunc dicitur sors *consultoria*. De qua dicendum est quarto cum Angelico Doctore art. 8. quod, si debitis circunstantijs fiat, licita est. Hæc conclusio probatur primò pluribus Sacræ Scripturæ exemplis. Nam Act. 1. Apostoli per sortes elegerunt Mathiam Apostolum in Iudæ locum, de quo late ibi Cornelius. Zacharias Lucæ 1. sorte exit, vt incensum ante Dominum poneret. Iosue cap. 7. sortem misit, ad cognoscendum malefactorem occultum, & per eam cognito Acham, eum punivit. Saul quoque sorte deprehendit filium suum Ionatham mel comedisse 1. Regum 14. Sed hæc si intrinsece mala, & superstitiosa essent, minime tot viri iusti fecissent: ergo adhibitis circunstantijs debitis, non est superstitiosum, sed potius actus Religionis, ad divinam indagandam veritatem, sortes consultorias mittere. Diximus, *adhibitis debitis circunstantijs*, nam si istæ desint, vt communiter accidit, erit superstitiosum.

Quæ sint istæ circunstantiæ?

95 Circunstantiæ vero, in hoc loco observandæ, vt docet D. Thom. quem alij sequuntur, sunt quatuor. Prima, quod ad has sortes adsit vrgens necessitas spiritualis, aut temporalis: nam *si absque necessitate ad sortes recurratur*, ait Angelic. Doct. *hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere.* ¶ Secunda est, quod debita reverentia fiat, vnde prosequitur Angelic. Doct. *peccat* 2. *Si quis in necessitate absque reverentia Dei sortibus vtatur.* Et hoc probat ex Beda exemplo Apostolorum, qui necessitate compulsi, sortes non aliter miserunt, nisi collecto fratrum cætu, & precibus ad Deum fusis. ¶ Tertia, ne divina oracula ad terrena negotia convertantur. Vt si quis, v. g. in his sortibus paginis Evangelicis, Sanctorum que reliquijs ad temporalia vtatur. De qua late Torreblanca cap. 7. à num. 54. ¶ Quarta, vt non mittantur ad electiones Ecclesiasticas, quæ ex Spiritus Sancti instinctu fieri debent. Cæterum, quia raro prædictæ circunstantiæ adesse possunt, ideo ait Torreblanca num. 44. referens Suarez, Delrium, & Torre, quod, nisi inter Apostolos, & viros Dei, raro licitus sit earum vsus; & idem docet Sanchez num. 85. & nos etiam absque vlla formidine affirmamus, cum his temporibus magis velit Deus, vt homines ex Scripturis Sacris, Ecclesiæ oraculo, Sanctorum doctrina, & sapientum, prudentum que consilijs suam mentem rimentur, quam sortibus consultorijs indagent. Dicta his duobus numeris tenent D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 8. cui adhærent Delrius lib. 4. cap. 4. Suarez lib. 2. citat. cap. 12. Torre loco cit. D. Thom. disp. 2. Sanchez lib. 2. Summ. cap. 38. num. 85. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 6. num. 10. & 11. Torreblanca lib. 8. cap. 7. Fagundez lib. 1. cap. 40. n. 16. Trullench cap. 10. dub. 9. num. 12. Leand. tract. 9. disp. 2. quæst. 92. & 93.

Aliquando divinationé alia peccata committantur.

96 Sed pro huius puncti coronide primò advertendum est cum D. Thoma. Sanchez num. 86. Suarez num. 25. quod, si sortibus consultorijs desit prima circunstantia, non continebunt superstitionem, sed tentationem Dei; at si reliquæ desint, erunt aliquod sacrilegij genus. ¶ Secundò advertendum est cum Suarez num. 26. Sanchez num. 89. Fagundez num. 10. Palao punct. 6. num. 12. his sortibus plura alia peccata posse coniungi; nam si sortibus vtatur ad cognoscendum, & puniendum aliquem malefactorem occultum, tunc vltra superstitionis malitiam, intervenit etiam iniustitia, & infamationis peccatum. At vero si eis vtatur tantum ad aliquam veritatem occultam cognoscendam, solum ibi peccatum superstitionis erit.

Quid dicendum de divinatione per duellũ.

97 Advertendum est vltimò: quod hic solent agere Doctores de divinatione per duellum, quia aliquomodo ad sortes attinet, vt docet D. Thom. art. 8. cit. ad 3. Sed quia tom. 2. tract. 10. cap. 4. punct. 3. late de hoc disputavimus, & ibi num. 37. docuimus, superstitionem esse duellum assumere pro manifestatione veritatis, iustitiæ, aut innocentiæ, vel pro litis, & controversiæ decisione; cum ad hæc sit medium summe improportionatum, nec Deus aliquando veritati, aut innocentiæ favere promisit, quin potius multoties peccator victor evadit, & innocens succumbit; ideo de ea nunc differere omittimus, remittentes lectorem ad ibi dicta, vbi explicavimus; tum quando duellum est admittendum vt licitum, & quando vt illicitum est respuendum; tum etiam: quæ pœnæ sint contra provocantes ad duellum, à Concilio Tridentino, Summis que Pontificibus impositæ. Vnde his omissis

Traditur ratio quare fatui, & mor ti proximi futura divinent.

98 Denique inquirendum est. Cur præ alijs hominibus fatui, furentes, & morti proximi sæpe, teste experientia, futura divinent? Triplicem partem continet dubium propositum, & ideo triplici conclusione est decidendum. Ad primam ergo respondetur: quod ideo fatui potius futura divinant, quam sapientes; quia ex quo rationis acumine carent, assimilantur brutis, & alijs causis necessarijs, quæ divinatione naturali magis quam homines præstant, nam eorum sensus citius cœlorum influentias, & mutationes percipiunt. Vnde loco prudentiæ, & sapientiæ, natura provida hanc divinationem naturalem eis præstare solet. Et hæc est ratio: quare divi-

na-

natione naturali fatui præ sapientibus aliquando futura prænuntient. ¶ Ad secundam dicimus; quod ideo furentes, aut febri correpti sæpius divinant; vel quia cum prudentia careant nihil dissimulant, omnia loquuntur, & effutiunt, & sic aliquando per accidens in veritatem collimant; vel forte, quia facilius à Dæmonibus corripiuntur ob imaginationis mobilitatem, & convenientem mentis dispositionem. Ita D. Aug. lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 16. ¶ Ad tertiam respondetur; quod ratio, quare talis divinatio in morti proximis accidat, vt pluribus exemplis exornat D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 26. & 27. tom. 3. pag. mihi, 326. *Est* (vt ait ipse Sanct. Doctor) *quia vel animarum vis subtilitate sua aliquid prævidet, vel quia aliquando exituræ de corpore animæ, per revelationem ventura cognoscunt; vel denique; quoniam iam dum iuxta fit, vt corpus deserant, divinitus afflatæ in secreta cœlestia incorporeum mentis oculum mittunt.* Vnde, si quæ futura libera prænuntiant, signum est à Deo esse illuminatos, vt legitur de Iacob Gen. 49. & de Moyse Deuter. 33. qui iam iam morituri, Israelitis futura prænuntiarunt. At vero, quando naturalia prædicant, vel est quia consopitis sensuum motibus, tunc mens ad interiora se retrahit, & sic perfectius futura contemplatur; vel quia tunc facilius temporum varietatem, cœlorum que influentiam sentiunt, & sic ea divinant. De quo Plato, & Aristot. apud Valesium de Sacra Philosoph. cap. 30. & maxime pag. 256. de his late agit, & ex eo Azor tom. 1. lib. 9. cap. 24. apud quos, si lubet, videri potest: an Musica sit dispositio ad divinandum? Et quo spiritu Sybillæ fuerint futura vaticinatæ.

PUNCT. VIII.

De vana observantia.

Quid, & quotuplex sit vana observantia.

99 TErtia superstitionis species est *vana observantia*, vt in hoc cap. punct. 1. num. 5. diximus, quæ in hoc à divinatione distinguitur, quod hæc vnice terminatur ad cognitionem rei occultæ modo indebito; illa vero medijs vanis intendit aliqua externa opera efficere. Vnde ex D. Thoma 2.2.q.96. art. 1. definiri potest dicendo: Vana observantia est *superstitio, quæ medijs inutilibus, nec à Deo, aut natura constitutis, aliquis exterior effectus intenditur.* Vt si quis, v. g. his medijs intenderet, consequi sanitatem, scientiam, bona temporalia, &c. Hæc autem vana observantia in tres species, aut quasi species dividitur, vt colligitur ex D. Thom. loco citato. Quarum prima dicitur *Ars notoria.* Secunda *observantia sanitatum.* Tertia *observantia futurorum eventuum.* De quarum singulis breviter agendum nobis est, supponendo prius, quod in eis, sicut in divinatione, vt supra diximus, potest pactum expressum, seu implicitum cum Dæmone esse. De quo videatur insuper Sanchez cap. 40. num. 11.

Explicatur; quid sit ars notoria.

100 Ars ergo notoria, est superstitio, qua quis expectat, se scientiam adepturum sine labore, & studio, per quarundam inspectionem figurarum, orationes, ieiunia, & similia omnino vana, & inefficacia. Et licet Deus pluribus, vt Salomoni, Apostolis, & alijs, scientias absque proprio labore infuderit; tamen hoc donum, nec datur quibuscunque, & sub certis observationibus, sed iuxta beneblacitum Spiritus Sancti dividentis singulis prout vult: ergo cum similes homines talem infusionem scientiarum expectent sub certis figuris, nec à Deo, nec à natura, ad hæc conferenda, aut significanda institutis, sequitur, quod tantum ope Dæmonis, his medijs, eas acquirere intendat, quod vtique superstitiosum est. Et ratio est evidens: tum: quia, vt probat D. Thom. 1. part. quæst. 109. art. 3. Dæmones illuminare non possunt hominis intellectum, quod necessario requiritur ad scientiarum acquisitionem; tum etiam: quia ad hoc necessarium est, quod aliquod pactum cum Dæmone iniatur: ergo, &c. Quare, tale peccatum ex genere suo mortale est. Sic Delrius lib. 3. quæst. 4. sect. 2. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 40. num. 11. & 30. Læss. lib. 2. dub. 10. num. 62. Sayr. lib. 4. cap. 6. num. 3. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 10. n. 3. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 8. num. 3. Villalobos 2. part. tract. 38. difficult. 7. num. 1. & 4. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 4. num. 6. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 4. num. 5. NN. Salm. Scholast. tom. 3. in Arbore Virtut. §. 8. n. 73. ¶ Sed dices: Hæretici Anabaptistæ sumpto bolo detestabilis illius cœnæ, statim scripturas proferunt, & de illis disputant: ergo talis scientia eis à Diabolo infunditur. ¶ Respondetur talem scientiam minime eis tunc infundi; sed diabolum eos occupare, & per eorum os, sicut in arreptitijs, & energumenis disputat, & loquitur; cuius evidens signum est, quod tali hæresi abiurata, statim scientiam amittunt, & permanent rudes, & ignari, sicut ante hæresim fuerant: ergo Dæmon scientias infundere nequit. ¶ Sed hic breviter libet notare: quod si post talis hæresis abiurationem prædicta scientia adhuc perseveret, dummodo eius conservatio à Dæmone non dependeat, tunc possunt licite ea vti, quia scientia bona est, & peccatum iam pertransijt. Ita Suarez lib. 2. citat. cap. 17. num. 1. Bonac. num. 6. Palaus num. 7.

Observantiæ sanitatú est quid superstitiosum.

101 *Observantia sanitatum* est quando quis aliqua media, v. g. cæremonias, orationes, imagines astronomicas, ex se tamen inefficacia, & inania, adhibet ad morbos curandos, sistendum sanguinem, conservandam vitam, dolores mitigandos, tanquam si essent causæ efficaces prædictorum effectuum, vel saltem, vt eorum signa; cum re ipsa virtutem ad illa non habeant, tunc enim committitur peccatum superstitionis, quæ *observantia sanitatum* dicitur. Et ratio est: quia cum prædicta virtutem naturalem non habeant ad tales effectus, & alias, nec à Deo sint ad eius effectus producendos, instituta, sequitur, quod id vnice habeant ex pacto saltem tacito cum Dæmone: ergo ea ad prædi-

ctos effectus caufandos adhibere, fuperftitiofum eft. Videantur DD. fupra cit. Cæterum, quia de his plura dicemus, quando infra de Magia agamus, ab horum maiore indagatione pro nunc eft fuperfedendum, & folum aliqua minoris momenti ex dictis colligemus. Prius tamen fufficiat, dicere in communi, quod omnis effectus, qui, vel excedit caufæ activitatem, v. g. vt qui ægros diftantes curat; vel qui fit fine motu locali, vt fi quis faciat flumen, caftrum, vel Palatium apparere, aut ftatim evanefcere, eft omnino fuperftitiofus, vt docent Delrius lib. 2. quæft. 5. & alij.

Prima illatio de verbis facris ad collum appenfis.

102 Ex quibus infertur primò: fuperftitiofum effe, fecum deferre amuleta, periamata, brevia, involucra, verba facra, reliquias, preces defcriptas, & fimilia cum certa fpe, & confidentia, quod fine confeſsione non morientur; aut à bombardis, fclopetis que lædi non poterunt; aut quod nec fanguis effluet: & idem dicendum eft de his, qui fecum geftant quafdam figuras aftronomicas, ad varios morbos curandos, v. g. figuram Leonis fculpta in auro in Leonis figno, quam fingunt valere contra hydropem, peftem, febres, & phantafmata melancholica. Et horum ratio eft: quia cum prædicta figna nec à natura, nec à Deo vim habeant, ad prædictos effectus producendos, fequitur, quod tantum fint figna eorum ex vi pacti cum Dæmone initi. Ita Læff. lib. 2. cap. 43. dub. 10. num. 63. Navarr. in Summ. cap. 11. num. 34. Sylveft. quæfit. 10. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 10. num. 6. Bonac. difp. 3. q. 5. punct. 4. num. 10. Sayr. lib. 4. cap. 4. n. 6. Qui omnes cum D. Thom. 2. 2. quæft. 96. art. 4. notant, quod, vt evitetur fuperftitio in geftando imagines, verba facra, & reliquias è collo fufpenfas, aliqua obfervanda funt. Primò, quod nullam falfitatem contra Sacram Scripturam, Eccleſiæ conſuetudinem, & traditiones contineat. ¶ Secundò, fi ibi fcriptum non eft aliquod, ad invocationem Dæmonum pertinens. ¶ Tertiò, fi ibi non fint ignota nomina exarata, quia, vt ait D. Chryfoft. Hom. 43. relatus ab Angelico Doctore, femper in illis cavendum eft, ne aliquid illicitum lateat, aut falfitatis contineant. ¶ Quartò, ne cum verbis facris miſceantur aliqua vana, v. g. characteres nonnulli excepto crucis figno. ¶ Quintò, ne fpes habeatur in modo ligandi, fcribendi, v. g. quod fit in charta virginea, in hac, vel illa hora, die, vel menfe. ¶ Sextò, fi in eis non fit fcriptum, quod qui hæc portaverit, mortem violentam, infirmitatem, & fimilia, certo vitabit, hanc, vel illam dignitatem adipifcetur, aut virginis favorem obtinebit. Si ergo hæc omnia abſint, nulla fuperftitio erit prædicta geftare; immo potius religiofum, fanctum, clarum que teſtimonium, quod femper cor noſtrum eſt ad Deum. Vnde Eccleſia in laudem Sanctæ Cæciliæ canit, quod femper Evangelium Chriſti gerebat in pectore. Videantur fupra dicta cap. 10. punct. 9.

Secunda illatio.

103 Infertur fecundò: fuperftitiofum effe, fi annulus ferreus è filo pendens movetur quibufdam facris verbis prolatis; quia tunc vult Dæmon his verbis facris honorari, & quod ad eum vnice referantur; vt teſtatur Caietanus ſe experientia id comprobaſſe; nam à ſe prolatis eiſdem verbis cum relatione ad Deum, annulus immobilis permanebat. Sic docent Caiet. in Summa, verb. *Incantatio.* Medina in Sum. lib. 1. cap. 14. §. 2. & Valentia 2. 2. tom. 2. diſp. 6. quæſt. 13. punct. 2. & Sayr. cap. 6. num. 7.

Tertia illatio.

104 Infertur tertiò: ſimiliter eſſe illicitum, colligere herbas medicinales die, huic, vel illi Sancto dicato, v. g. Ioanni Baptiſtæ, aut D. Petro, credendo ex hoc maiorem virtutem talibus herbis accreſcere. Vnde ait D. Thom. loco cit. in decretis 26. q. 5. cap. *Non licet Chriſtianis, &c. nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales ſunt, aliquas obſervationes, aut incantationes liceat attendere, niſi tantum cum Symbolo divino, aut oratione dominica, vt tantum Creator, & Deus omnium colatur, & adoretur.* Et ideò Navarr. in Manual. cap. 11. num. 36. eſſe mortale aſſerit; & conſequenter idem dicere, debet de alijs conſuetudinibus apud aliquas nationes inveteratis, v. g. quod iumenta circa templum D. Antonij in die ipſi dicato, vt ea ſalva ſervet, novies circum ducantur; quod equis vena aperiatur in die iſtius, vel alterius Sancti, vt ſic citius ſalutem conſequantur; & quod annulus factus ex primo nummo, oblato crucifixo in die Paraſceves, morbum contractionis membrorum depellit. Quæ, & alia ſimilia, ſi fiant cum ſpe, quod prædictis circunſtantijs obſervatis, relatos effectus conſequentur, ſecus vero ſi alijs diebus talia fiant, abſque dubio ſuperſtitioſum eſt, & à Catholicorum cordibus abolendum; quia hæc dies præ alijs, ex eo quod tali Sancto ſit dicata, nulla maiori virtute pollet: ergo vanum, & ſuperſtitioſum eſt, prædicta credere. At vero, ſi prædictæ circunſtantiæ ab hominibus obſerventur, vt ſe magis ad orandum ob memoriam, & devotionem Crucifixi, vel alterius Sancti excitent, ſuperſtitione carent; licet ob periculum illius, ſi commode poteſt fieri, huiuſmodi conſuetudo extirpanda eſt. Sic Villalobos 2. part. tract. 38. diffic. 7. à num. 12. Navarr. relatus num. 38. Sayr. n. 7. Sanchez cap. 40. num. 15. 31. & 32. Filliuc. tract. 24. cap. 6. quæſt. 5. num. 148. Bonac. num. 12. & Trullench num. 7.

Quarta illatio.

105 Infertur quartò: ſuperſtitioſum eſſe modum curandi infirmos diſtantes ex ſola abſciſsione alicuius herbæ, aut vitis, de quo Salmanticæ conſultus fui; nam ſimplex quidam homo erat, qui, per relationem cognito, animalia hæc, vel illa vulnera habere vermibus ſcatentia, ſtatim in agrum pergebat, & eradicatis ab eo aliquibus herbis ſibi notis, ſtatim tales vermes, vel areſcebant, vel extinguebantur. Hic ergo curandi modus plane ſuperſtitioſus eſt. Tum: quia tales herbæ fortaſſe virtutem contra vermes non habent. Tum etiam: quia & ſi illa gauderent; nulla virtus naturalis poteſt agere in diſtans: ergo hæc non poſſunt fieri ſine ope Dæmonis, & cum illius pacto ſaltem implicito. Et idem di-

dicendum est de quodam vnguento *armario* dicto, quod applicatum ensi, quod infirmus vulneratus fuerat, in quacunque distantia existeret, statim, vel saltim brevi tempore sanus fiebat. Quod quidem superstitiosum prorsus est; tum: quia in tanta distantia operari naturaliter non poterat. Tum etiam: quia nulla est connexio ensis armario pharmaco vncti, cum sanitate vulneris ab ipso illati. De quo vide Delrium lib. 3. quæst. 4. sect. 1. Sanchez num. 32. Bonac. num. 18. & Trullench num. 9.

Quinta, & sexta illatio.

106 Quintò superstitiosum est gestare ad collum suspensas Philetenas, sive ligaturas execrabilium remediorum, quas docti medici damnant. Vt constat ex cap. 1. 26. q. 5. docent que Simancas de Institut. Cathol. tit. 63. num. 19. Sanchez num. 29. & alij apud ipsum. ¶ Sextò, superstitiosum est in publicis supplicationibus, Sancti imaginem proijcere in flumen, aut in ripa reponere, donec à Deo pluviam obtineat. Similiter vanæ sunt orationes, quibus Sagæ circulis virgineis, pro morbo laborantibus, & pro parturientibus benedicunt, adhibitis aliquibus cæremonijs, oscitationibus, halitus, &c. Et ratio omnium est: quia hæc omnia inutilia sunt, nullam que connexionem cum effectibus desideratis habent. Ita Sanchez à num. 34. Filliuc. tract. 24. cap. 6. quæst. 5. num. 148. Trullench num. 8. Sed qui de his vanis observantijs varijs que orandi formulis plura voluerit, legat Delrium lib. 3. Disquisit. Magic. part. 2. q. 4. per totam.

Quid & quale peccatum sit observãtia futurorum.

107 *Observantia denique futurorum eventuum, est præcognitio rei prosperæ, seu adversæ ex observatione quorundam impertinentium.* Vt contingit quando aliquis observat dies, tempora, occursus hominum, vel animalium ad aliquid agendum, vel omittendum, v. g. si domo egrediens pedem offendit, vel infaustum hoc credit, & sic domum revertitur. Similiter si calceos induens, stornutat, aliquid adversum sibi eventurum timeat, & ob id super lectum decumbat. Quæ quidem, & similes observationes superstitiosæ prorsus, & illicitæ sunt. Tum: quia ex mente D. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 3. sunt quædam reliquiæ antiquæ idololatriæ, secundum quam observantur auguria, & quidam dies fausti, vel infausti. Tum: quia cum sint sine ratione, & arte; nec sunt futurorum eventuum signa naturalia, aut à Deo designata; sed ex vanitate humana, Dœmonum que malitia introducta, qui nituntur homines his vanitatibus implicare. Quapropter Dœmonum pactum in eis intervenire, edocet D. Aug. lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 20. communiores superstitiones sic referens: *Ad pacta cum Dœmonibus inita, pertinent millia inanium observationum; puta si membrum aliquod salierit, si iunctis ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interveniret: limen calcare, cum ante domum suam aliquis transit; redire ad lectum, si quis cum se calceat stornutat, redire domum, si procedens offenderit; cum vestis à soricibus roditur; plus timere superstitiones mali futuri, quam præsens dam-*

num dolere. Huc vsque D. August. quibus sequentia adiungere possumus. Si quis in ludo mittat locum, vel tantis per surgat, ad malam fortunam abigendam. Si quis die veneris non vult vngues præcidere: Si mulierculæ coniugij avidæ, nocte D. Ioannis orent, vt eis manifestetur, cum quo maritandæ sunt; & ad hoc attente aures applicant, credentes fore earum maritum illius nominis, quod forte tunc primo mane audierint: quam vanam observationem in hac Ciuitate apud mulierculas, & ancillas vigere, à fide dignis accepimus. Vnde hæ, & similes observationes esse peccata mortalia ex se, est communis sententia: attamen posse esse tantum venialia ratione bonæ fidei, vel ignorantiæ, tradunt Cajet. verb. *Superstitio observationum.* Villalob. 2. part. tract. 38. diffic. 7. num. 17. Sanchez num. 21. Filliuc. citat. supra n. 141. Sayr. lib. 4. cap. 6. num. 5. Trullench num. 15. At quia hæc species observantiæ vanæ, potius attinet ad divinationem per astra. Videant. supra dict. punct. 4.

PUNCT. IX.

De principalibus effectibus Magiæ naturalis.

QVia ad superstitionem observantiarum præcipue pertinet Magia, vt communiter docent DD. & diximus supra num. 5. ideo præmentes vestigia NN. Salmant. Schol. tom. 3. in Arbore Virtut. num. 73. §. 8. qui nobis hæc latius discutienda consulto omittunt, Læss. lib. 2. cap. 44. Trullench, & aliorum, de ea separatim agenda nobis hic est. At quia Magia duplex est, alia naturalis, & licita, quæ virtute naturali rerum quædam mira operatur, ad quam spectat virtus, quæ in salutatoribus, & fascinantibus reperitur, & alia superstitiosa, quæ virtute Dœmonis plura admiranda agit; ideo in hoc punct. 9. de prima, & in decimo de secunda disputabimus.

§. I.

Essentia, & multiplicitas Magiæ declaratur.

Quid, & quotuplex sit Magia.

108 ANte omnia prælibandum est, quid, & quotuplex sit Magia. Magia ergo in communi accepta definitur dicendo, quod *est ars per quam mira, & insolita ab hominibus fiunt.* Cæterum, quia hæc mira possunt fieri ex applicatione alicuius causæ potentis ea producere; ideo ex diversitate causarum multiplicant DD. Magiam; sed nonnullis vanis divisionibus omissis, communiter dividitur in naturalem, & superstitiosam.

Magia naturalis est: *quæ præcisè applicando causas naturales communiter occultas mira operatur.* Vnde quia vulgus, & homines imperiti admirabiles rerum virtutes ignorant, dum vident prædicta portenta, vel per miraculum, aut Dœmonis artem edita credunt. Magia superstitiosa, est *per quam homines Dœmonis ope mira operantur.* Sed hæc ad sequens punctum reservatur.

Magia naturalis est licita.

109 Dicendum est, quod magia naturalis non solum licita, sed laudabilis apud omnes gentes, vt sacris, & prophanis exemplis comprobabimus. Hæc enim arte vsus est Iacob. Gen. cap. 30. dum virgas amigdalinas, ex parte deglabratas, in canalibus aquæ defixit, vt eas intuentes oves, parerent maculatas. Videatur Valles de Sacra Philosoph. cap. 11. & Pereira in lib. de Magia Abul. in cap. 30. Gen. vbi virtuti naturali hæc tribuunt, & merito, quia vt ait D. Isidor. lib. 11. Etymolog. anima huius conditionis est, quod in extremo fervore libidinis posita, formas visas atrahat, & fœtui imprimat. Vnde Quintilianus, & Hypocrates incolumes servarunt duas mulieres morte puniendas ob suspicionem tori violati, quia filios Ætiopes genuerunt, probando in fervore coitus vidisse picturas eis similes, & ideo Ætiopes, & nigros filios edidisse, vt refert D. Hieron. in cap. 30. Gen. in tradit Hebr. Et Galen. in lib. quem scripsit de Theriaca ad Pisonem refert, mulierem quandam intuitu pulcherrime picturæ ex deformi marito, speciosum peperisse infantem. Visu, inquit, *opinor naturæ imaginem transmittente.* An vero ad hanc similitudinem fœtui imprimendam, requiratur visio, vel sufficiat etiam recordatio, & intellectio, non est adeò certum? De recordatione affirmat Valles pag. 130. cap. 11. citato, dummodo vterque parens in congressus momento eiusdem rei imaginationi fortiter inhæreat, & idem docet Delrius lib. 1. cap. 3. quæst. 3. Cæterum de intellectione negare videtur Arist. 7. Etich. cap. vlt. docens in omni congressu, & coitu venereo, adeò libido rapete potentias, & animam, vt nihil aliud tunc intelligere possit. Sed quid quid sit de hoc, prædictam virtutem esse non superstitiosam, sed naturalem tenent omnes DD. & maximè D. Hieron. & D. August. in Gen. quæst. 93. & lib. 18. de Civit. Dei, cap. 5. Plin. lib. 7. cap. 12. Et hanc magiam naturalem didicisse Iacob, dum staret in Scholis Melchisedec, asserit Abul. ¶ Tobias etiam hac Magia vsus est, dum felle piscis visum Patri restituit cap. 11. quia, vt docent Plin. lib. 32. cap. 7. & Galen. simplic. lib. 10. Callionimus piscis habet virtutem ad oculorum albuginem detergendam.

Magia naturalis mira operatur.

110 Sed quid dicam de admirabilibus, & occultis virtutibus à natura herbis, arboribus, lapidibus, aquis, gemmis, animalibus, &c. insitis ad miros effectus producendos, quæ si oculis non videremus, incredibilia, & superstitiosa omnibus viderentur. Quis crederet virtutem magnetis, torpedinis, & Echinis piscis vulgò *Remora* nisi experientia comprobaretur. Sed quia per hæc spatiari extra chorum est, qui naturalia portenta ex innata rerum virtute speculari, satagit, legat Arist. de Admirand. audit. Victoriam in relectione de Magia. Albertum Magn. lib. 8. tract. 3. & lib. 24. Valles lib. de Philosophia natur. Elian. lib. 1. Plin. lib. 9. Torreblanc. Epitome de Magia, lib. 2. cap. 1. qui plurima ingeniosè de naturæ portentis congessit, & infinitæ aliæ sunt virtutes naturales rerum mirabilium effectrices, nobis pœnitus occultæ, & *in naturæ* (vtor verbis Plinij) *maiestate pœnitus abditæ*, vt si quis hominum eis vteretur, superstitiosus: magus, seu divinus haberetur ab omnibus. Sed vtique hoc vitium potius ex hominum inertia, quam ex rerum veritate arti naturalis Magiæ attribueretur: cum hæc vera philosophia sit, & antiquibus etiam Regibus apprime chara, vt sic fatetur D. Hieron. in Dan. cap. 2. *Magi sunt, qui de signis philosophantur::: non malefici sunt, sed philosophi Caldæorum, & ad artis huius scientiam Reges quoque, & Principes eiusdem gentis omnia faciunt.* Quapropter hæc ars naturalis Magiæ licita, & honesta est, & illa imbutos fuisse magos, qui ab Oriente venerunt, Christumque infantem stella duce invenire, & adorare meruerunt, docent nonnulli graves que Scriptores. Cæterum, quia libri non pauci sunt de Magia tractantes, qui simul cum naturali immiscent superstitiosam, ideo pedetentim magnaque cum cautela legendi sunt, ne aureo Babylonis calice venenum incautis propinent. De quo videatur Michael de Medina lib. 2. de recta in Deum fide, cap. 7. Huc vsque dicta communia sunt, & præter citatos docent Delrius lib. 1. Disquisit. Magic. cap. 3. Torreblanca, tum loco sup. relato, tum de iure spirituali pract. lib. 11. cap. 2. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 11. Læss. lib. 2. cap. 44. dub. 1. Pereira lib. 1. de Magia, cap. 3. Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 42. & Leand. tract. 9. disp. 3. quæst. 2.

Regulæ ad cognoscendum quando effectus provenit à causa naturali, vel superstitiosa.

111 Sed quæres hîc, quomodo cognosci poterit: An à causa naturali, vel superstitiosa effectus miri, & admirabiles procedant? Hæc quæstio satis difficilis est, vt expendit Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 13. punct. 3. cum moraliter impossibile communiter sit, cognoscere an à Deo, vel Dœmone, aut natura, aliqui effectus dimanent. Nihilominus hoc ex triplici principio dignosci, poterit, scilicet ex cognitione causæ, operationis, & effectus. Primò ex cognitione causæ dignoscitur, quando causæ ex se effectum nequit naturaliter producere, tunc enim (vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 2. in corpore) illicitum, & superstitiosum est. Deinde ad causam attinet, si adhibeantur ligaturæ, characteres, verba apochrypha, nomina ignota, vel aliæ circunstantiæ ad rem inutiles, tunc enim Dœmonis ope provenire credendum est. Secundò, ex conditione operationis; si hæc sit indistans passo, vel brevius solito effectum consequatur, vt si repente homo salvus fiat, aut si brevi tempore plures leucæ conficiantur, tunc à causa naturali provenire præsumendum non est. Tertiò ex conditione effectus, vt si humanam superet industriam. Hæc ergo sunt principia, ex quibus quilibet facilè rimari po-

poterit, an effectus admirabiles à causa naturali, vel superstitiosa dimanent. De quo videatur Læss. lib. 2. cap. 44. dub. 3. & ex ipso Trullench dub. 11. num. 4. & Leander q. 5.

Quid agendum dũ est dubium de causa.

112 Sed vrgentius rogabis: A qua causa præsumendum est talem effectum provenire, quando de hoc dubium adest? Respondetur, tunc iudicandum esse à causa naturali produci. Et ratio est: quia vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 4. ex glossa in cap. 14. ad Roman. vers. *Qui manducat, &c. Dubia, in meliorem partem sunt interpretanda...* Et ideo concludit in corpore: *Vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum vt bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est*: ergo quando dubium est an effectus à causa naturali, vel superstitiosa procedat, pro illa suffragium mittendum est. Deinde: nam virtutes naturales rerum sunt adeò admirabiles, vt miracula videantur. De quibus plurima refert D. Augustin. lib. 14. de Civitate Dei, cap. 24. Quorum aliqua hic subijciam. Primum est dequodam homine, qui virtute naturalium causarum, pro libito à sensibus ita alienabatur, vt nec in eo anhelitus reperiretur, nec vim ignis admoti sentiret. Secundum de altero, qui quoties volebat largum emittebat sudorem. Et tertium de alijs, qui aures, vel singulas, vel simul ambas movebant; & lib. 21. cap. 45. & 6. alia adducit, & inter ea, quod pavonis caro est putrescere nescia, & quod Argentinus salis liquatur igne, aqua vero induratur, & crepitat. Denique Delrius lib. 1. cap. 3. narrat Turcam quendam Venetijs liquato plumbo manus laviſſe innoxium, & dum hæc scribo, retulit mihi Doctor quidam huius almæ Salmantinæ Vniversitatis, & in primaria Cathedra Medicinæ emeritus iam Magister, apud se retinere partem cuiusdam funiculi à Religioso gravi Franciscano acceptam, quæ tanquam aurum in igne probata, semper integra illæsa, imò, & magis dealbata de tam voraci elemento, ex vi naturali triumphans, apparet: ergo cum hæc, & alia portenta, naturalis causarum vis queat operari, in dubio non vt superstitiosa, sed vt naturalia iudicanda sunt. Sic Sanchez cap. 40. num. 44. & Palaus punct. 10. num. 2.

§. II.

Quæ sit virtus, per quam salutatores morbis medentur?

Refertur prima sententia circa Salutatorum munus, & virtutem.

113 QVibus stabilitis, & ad particulares casus descendendo, hic disputant Theologi an, & qualis sit virtus quibus homines vulgo *Salutatores* nuncupantur, morbo rabiei, seu hydrophobiæ, nec non vulneribus læthalibus, vt refert Læss. lib. 2. cap. 43. num. 63. signo Crucis facto, quadam que inhiatione, aliquibus que verbis sacris brevi tempore medentur? Pompinatius lib. de Incantatione, Azor tom. 1. lib. 9. cap. 25. quæst. 2. Castañeda de Superstitione, cap. 12. & alij docent hanc virtutem de facto dari, esse que naturalem, & consequenter eius vsum licitum, & honestum. Probant que suam sententiam. Primò: nam herbæ, lapides, & animalia habent virtutem naturalem ad morbos sanandos: ergo nulla est repugnantia in eo, quod in homine, vt pote microcosmo, talis virtus inveniatur, ita vt in vno homine sit virtus huius herbæ, in alio talis lapidis, & sic de reliquis. Secundò: nam vt dicunt Forulius, & Garbus Medici citati à Torreblanca lib. 12. cap. 24. num. 3. talis virtus provenit ex quoddam corporis temperamento, ex humorum ad pondus resultanti, ob siderum determinatam constellationem, in qua prædicti homines nascuntur, & ob id dicunt aliqui hæretici, Christum ex virtute naturali tot miracula patrasse; sed tale temperamentum possunt aliqui homines habere: ergo & illa virtute gaudere. Tertiò: in Africa Psili, & in Italia Marsi solo contactu, serpentum venena extrahebant; & alij, quos refert Azor, sudore, saliva, & odore diversis morbis medebantur; sed si esset gratia gratis data, & non virtus naturalis, videtur inconveniens quod Deus Gentilibus illam conferat: ergo, &c. Vltimò aliqui sunt: qui sola virtute naturali aspectus, infantibus præcipue, nocent, vt de fascinantibus constat: ergo è contra credendum est, Deum de facto aliquibus hominibus communicasse prædictam virtutem, ad morbos depellendos, & sanandos. Alias experimentorum farragines nobis adversarij obijciunt, sed dicta sufficiant cum par omnibus sit ratio.

Secunda sententia proponitur.

114 Sed è contra Ciruelo de Superst. part. 3. cap. 7. asserit hanc virtutem esse superstitiosam, & ideo hos homines Dæmonis ope talia agere. Cui ex parte adhærent Victoria de Magia, quæst. 4. num. 16. ad 2. Et moventur primò: quia virtus naturalis nequit tam brevi temporis spatio morbos curare, & alios mirabiles effectus causare: v. g. rabida animalia vnico afflatu occidere: ergo signum est quod est superstitiosa. Secundò virtus naturalis non est verbis, aut signis alligata, nec omnibus ægrotis æqualiter prodest, sed diversa est iuxta diversas complexiones; sed isti homines vtuntur signis, & verbis, & eorum saliva omnibus æqualiter prodest: ergo, &c. Tertiò: etenim nec hæc virtus potest esse supernaturalis, & à Deo ipsis gratis data, & ratio est, quia communiter prædicti Salutatores sunt homines ignobiles, & alias flagitiosissimi, & vitijs dediti: ergo congruum non est quod Deus illis talem gratiam concesserit. Quartò virtus permanens ad mira efficienda, solis iustis à Deo solet concedi; at peccatoribus tantum transeunter solet communicari; sed hac virtute prædicti Salutatores permanenter gaudent: ergo, &c. Quintò: quia ea ad lucrum præcipue vtuntur: ergo non est vt supernaturalis habenda. His tamen non obstantibus

Propria mẽs aperitur.

115 Dicendum est de facto dari prædictam virtutem in aliquibus hominibus; addimus tamen, hanc non esse naturalem, sed gratiam gratis datam. Prima pars conclusionis probatur. Nam Domini Inquisitores, & Episco-

copi prædictos Salutatores permittunt ; & graviſsimi Doctores infra citandi eos approbant : ergo temerarium eſt negare in eis veram, & honeſtam virtutem ad morbis medendum. Secundò : quia nulla eſt repugnantia in hoc, quod Deus communicet hanc virtutem certis familiarum viris, vt ſermone, aſpectu, & tactu medeantur quibuſdam morbis, valeant que contra rabioſi canis morſum, ſerpentum que venena ; ſicut de facto conceſſit omnibus Franciæ Regibus ſanando ſtrumas, vulgo *lamparones*, vt agnoſcunt Hormiſda Papa in Epiſt. ad Remigium Rhemenſem, & Bonif. VIII. in Canonit. S. Ludovici, & docet D. Thom. de Regim. Principum, lib. 1. cap. 16. inſinuans, ortum habuiſſe, ex quo Clodovæus 1. Rex fuit vnctus oleo mirabiliter per columbam delato. Læſſ. lib. 2. cap. 43. num. 63. in fine, Delrius lib. 2. quæſt. 4. §. *Denique* : & eandem virtutem tribunt aliqui apud Læſſ. loc. cit. ſeptimo maſculo, cuius ortum fœmineus partus non interruperit. Similiter Reges Hiſpaniæ habere virtutem, & gratiam gratis datam ad ſanandum ſcrophias; & in quantum fidei defenſores, ad Dæmones ab obſeſsis expellendos, tenent Caſian. in Cathal. Glor. Mundi, part. 5. conſid. 1. Valdès lib. de Dignit. Reg. Hiſp. cap. 16. num. 9. Solorçan. de Iur. Indiar. lib. 2. cap. 25. n. 30. Puent. lib. 2. Monarch. cap. 6. §. 1. Card. Tapia Rubric. de Conſtitut. Princip. cap. 3. n. 3. & alij : ergo nec repugnantia eſt, quod dentur homines, quos vulgo Salutatores appellamus, qui gratiam, & virtutem à Deo habeant ad hydrophobos ſanandos.

Probatur quod talis virtus nō ſit naturalis, ſed gratis data.

116 Quod autem hæc virtus non ſit naturalis, ſed gratis data, quo eſt ſecunda pars concluſionis probatur primò quo ad virtutem naturalem. (eſto aliquibus gravibus Doctoribus contraria ſententia videatur ſatis probabilis) Nam, ſi hæc virtus eſſet naturalis, Salutatores eam obtinerent, vel ex temperamento ſpeciei, aut ex individuali complexione ſub hac, vel illa determinata conſtellatione accepta, & ſic omnes homines, vel ſaltem ſub tali conſtellatione nati, prædictam virtutem haberent ; ſicut videmus quod omne Rhubarbarum bilem expurgat, & omnis magnes ferrum attrahit, vt tradit Galenus lib. de Simplic. ſed hoc eſt falſum, cum nec omnes homines, nec ſub tali conſtellatione nati eam habeant : ergo naturalis non eſt. ¶ Quod vero ſit gratia gratis data à Deo, & hæc in aliquibus inveniatur, probatur. Etenim 1. ad Corinth. 12. verſ. 9. referens Apoſt. gratias ab Spiritu Sancto hominibus communicatas ait : *Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, &c.* Sed non eſt inconveniens, quod hanc gratiam ſanitatum, ſaltem reſpectu alicuius particularis infirmitatis, nunc in Eccleſia ſua Deus aliquibus hominibus conferat : ergo de facto datur. Minor probatur impugnando Salmeron tom. 4. in Evang. part. 2. tract. 13. & 6. tract. 3. quia tales gratiæ non ſunt à Deo hominibus datæ præciſè ad confirmationem fidei, vt ipſe falſo credit ; ſed etiam ad vtilitatem publicam quando, & vbi valde eſt neceſſaria, ſicut dicitur de Pſylis, quibus data eſt gratia curandi ſerpentium morſus, quia eorum Regio eis abundat : ergo non eſt inconveniens, quod hæc gratia, etiam nunc aliquibus hominibus conferatur. Maxime, quia hæc gratia gratis data, quam Deus Salutatoribus communicat, non eſt ita perfecta, & vniverſalis, ſicut ea quæ Apoſtolis, alijs que viris Sanctis fuit communicata ; cum hæc conceſſa fuerit ad omnibus morbis medendum, illa vero ſolum eſt ad hydrophobiam curandam : ergo inconveniens non eſt, quod eam Deus nunc de facto concedat aliquibus hominibus. Sic tenent Delrius lib. 1. Diſquiſit. Mag. cap. 3. quæſt. 4. per totam. Torreblanc. Iuris Spirit. Pract. lib. 12. cap. 23. & 24. Raphael de la Torre 2. 2. quæſt. 96. art. 4. diſp. 7. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 40. à num. 47. Villalob. 2. part. tract. 38. diffic. 8. Navarr. in Summ. cap. 11. num. 36. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 10. Læſſ. lib. 2. de Iuſtitia, cap. 43. dub. 10. num. 63. Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 15. num. 25. Palaus tract. 17. diſp. 1. punct. 10. à num. 14. & Thom. Hurtado Reſol. Mor. part. 1. tract. 5. cap. 4. reſol. 28.

Qui Salutatores ſuperſtitioſi ſint.

117 Dixi hanc virtutem ad rabiem, ſeu hydrophobiam medendam, nunc de facto in aliquibus adeſſe, quia non omnes, qui communiter munere Salutatorum funguntur, prædictam virtutem, & gratiam ſanitatis à Deo infuſſa habent, quin potius pleri que ſuperſtitioſi ſunt, Dæmonis que ope hæc peragunt. Vnde aquilinis oculis DD. Epiſcopi, & Inquiſitores eos examinare debent, prius quam hoc munere fungere, permittant. Quare, vt ſuperſtitioſi, excludendi ſunt. Primò : qui dicunt ſe futura cognoſcere, quia vt ſupra loquendo de divinatione diximus, hoc fieri nequit ſine Dæmonis magiſterio. ¶ Secundò : quando ſine læſione laminas flammantes calcant, carbones manibus contrectant, aut ardentem clibanum ſubeunt : quia cum naturaliter hæc fieri nequeant ; nec divinitus fieri credendum eſt, cum hoc ad hydrophobiam curandam, non conducat ; ſequitur quod pacto Dæmonis ea operentur, & ita compertum eſt ſimilia facientes, characteres occultos in ſignum pacti à Dæmone impreſſos, vel in carne, aut veſtimentis ſecum portare. ¶ Tertiò : quando medio inhalitu fornacem tepe faciunt ; quia Dæmon ad hoc ex pacto tunc concurrit ; vt tradunt Torreblanca à num. 34. Hurtado num. 299. & Delrius lib. 1. cap. 3. quæſt. 4. ¶ Quartò : ſuperſtitioſi ſunt, quando rabie læthali homines laborantes, quia per totum corpus diffuſſum eſt venenum, flatu interimunt : quia hoc eſt peccatum, & nec Deus, nec natura confert gratiam ad peccandum ; & ſic evidens ſuſpicio eſt, quod Dæmon ad id concurrat. Sic contra Torreblancam num. 22. docent optime Sanchez n. 47. Hurtado num. 310.

Proſequitur illatio.

118 Quintò, quando habent Rotam S. Catharinæ, aut S. Chiteriæ palmam in corpore impreſſas, qui Diabolus amans Chriſtum imitari, quia propria ſtigmata aliquibus vt Sancto Franciſco, S. Catharinæ, & alijs impreſsit, ad quod alludit illud Apoc. 7. &

ad

ad Galat. 6. ipſe ſolet ſuos aliquo ſigno ſigillare. ¶ Sextò: quando vnus ab altero dignoſcitur quin aliquando eum viderit, & quando dicunt, quod dum ſunt vino madidi, vivatiori potiuntur virtute ad medendum: quia incredibile eſt, quod Deus ſuam gratiam ebrietatis periculo ſubijciat. Et licet talis virtus ſit naturalis, vt nonnulli probabiliter defendunt, & ſic poſſet calore vini tunc confortari, tamen ſemper ſuſpicio adeſſet, an à Dæmone proveniat, cui valde chara eſt ebrietas, nimia que vini potatio. Vt docent Vera-Cruz lib. 2. de Anim. ſpecul. 2. Ciruelo de Superſt. part. 3. cap. 7. Sanchez num. 47. ¶ Septimò: ſi aſſerant in præſentia alterius Salutatoris maiorem ſalutandi vim habentis, ſe non poſſe hydrophobia, ſeu rabie laborantes ſanare, quod chimericum eſt, cum potius ſi eſt naturalis ex conſortio alterius intenſioris confortari, & intendi debeat, & ſi eſt gratis data, non ab alijs, ſed à Deo vnice dependeat. ¶ Octavò: ſi ſalutandi munus alij ab alijs diſcant: quia gratia naturalis, ſive gratis data non diſcitur, ſed congenitur, aut infunditur. ¶ Nonò: ſi credat hanc habere virtutem ex quo aliquis ſit ſeptimus filius, ſi maſculinum ordinem fœmineus partus non interrumperit, quod ridiculum eſt. Quid enim ad hanc virtutem prodeſſe, aut obeſſe poteſt, quod ſit primus, aut ſeptimus filius, vel quod fœmineus partus ordinem interruperit? Nihil certe, cum nec virtus naturalis, nec divina his circunſtantijs ligata ſit. Quapropter, tam hoc, quàm quod apud Belgas creditur, ſcilicet, quod, qui naſcuntur Fer. 6. Paraſceves, prædicta virtute ſanativa gaudent, omnino ſuperſtitioſum eſt. ¶ Decimò: quando ad curandum certis verbis vtuntur, quibus, & non alijs putant ineſſe virtutem, etſi à quocunque proferantur: quia gratia prædicta, non verbis, aut ſignis alligata, & collata eſt, ſed perſonæ. Dicta docent DD. ſupra pro noſtra concluſione relati, maxime Suarez cap. 15. Sanchez cap. 40. num. 47. Torreblanca cap. 23. à n. 13. Delrius lib. 1. cap. 3. quæſt. 4. Torre 2. 2. quæſt. 96. art. 4. diſp. 7. Hurtado cap. 4. reſol. 30. Palaus punct. 10. num. 15. & alij.

Duobus argumétis primæ ſententiæ reſpondetur.

119 Ex quibus conſtat ad vtriuſque ſententiæ argumenta. Nam ad primum argumentum primæ ſententiæ reſpondetur ex dictis num. 116. vbi etiam ſolutio eſt ſecundi, quia tale temperamentum ad pondus impoſſibile eſt naturaliter, vt docet D. Thom. in 3. diſtinct. 16. quæſt. 1. art. 1. ad 4. Quem ſequuntur NN. Complut. abbrebiat. tom. 3. lib. 2. de Gener. diſp. 12. quæſt. vnica Galen. lib. de Temperam. & alij; tum: quia corpus illud facile ab exterioribus agentibus læderetur, cum nullam qualitatem haberet intenſam, ad contrarijs obſiſtendum. Tum etiam: quia non eſt vllo viventi connaturale. Tum denique: quia, cum calor ſit neceſſarius ad operationes animæ, ſi non dominaretur in corpore, illæ valde tepidæ, & remiſſæ evaderent. Et ideo à Chriſto etiam illud relegant Theologi, & Philoſophi, concedentes ſolum connaturale, & ſumme æquale in ordine ad alia temperamenta. Deinde: licet loquantur de temperamento naturali poſsibili; dico, quod non ſolum per hoc miracula, ſed nec alia minoris momenti opera effici poſſunt, vt probat D. Thom. 3. contr. gent. cap. 103. & late Medina de recta in Deum Fide, lib. 2. cap. 7. à folio 66. Et ratio eſt: quia temperamenti virtus non in ordine ad alios, ſed ad ſe extenditur, nec poteſt aliorum diſcraſias, & intemperies, ad eucraſiam, & temperiem reducere. Præterea, virtus temperamenti indiſtans agere nequit, ſed Chriſtus infirmos diſtantes ſanabat, vt patet de filij Reguli, & Centurionis pueri curatione: ergo falſum prorſus eſt, Chriſti miracula, ægrotorum que curationes ex vi temperamenti poſſe provenire: ergo potiori titulo virtus ad ægris medendum naturali hominum temperamento negari debet. Videantur vltra relatos Torreblanca cit. lib. 12. cap. 23. num. 5. & Moura de Incantatione, opuſc. 1. ſect. 2. cap. 4.

Alia argumenta ſolvuntur.

120 Ad tertium dicendum eſt: illos Gentiles, vel ex tacito Dæmonis pacto medicinas occulte applicante, ſanare; vel habere gratiam ſanitatis gratis à Deo datam. Nullum enim eſt inconveniens, quod eam Deus Gentilibus, ſicut & peccatoribus, communicet; cum gratiam faciendi miracula, quæ perfectior eſt, Deus poſsit peccatoribus communicare, vt probat Angelic. Doct. 2. 2. q. 178. art. 2. in corpore, & ad 4. & de prophetandi virtute conſtat ex Sacr. Script. fuiſſe Balaam comminicatam. ¶ Ad quartum dicendum eſt primò: quod ex quo admittatur qualitas illa naturalis nociva faſcinandi, non ſequitur virtutem ſanandi adeſſe, nam teſte Ariſtot. lib. Problemat. ſect. 7. plura neceſſaria ſunt ad ſanitatem, quam ad ægritudinem; *nam bonum*, vt communiter dicitur, *ex integra cauſa*, *malum vero ex quocunque defectu*: ergo ex faſcinatione non concluditur virtus naturalis ad ſanandum. An vero detur prædicta qualitas infra conſtabit à num. 130.

Secundæ oppoſitæ ſententiæ argumétis fit ſatis.

121 Duo priora argumenta ſecundæ ſententiæ confirmant noſtram reſolutionem, negantem talem virtutem eſſe naturalem, licet ſi ſecundum extendatur ad gratias gratis datas, nullum reputamus inconveniens, quod medijs aliquibus ſignis, & actionibus virtutem propriam communicet, vt docent etiam Azor tom. 1. lib. 9. cap. 21. quæſt. 2. Sanchez cap. 40. num. 47. Abul. in cap. 1. Ioſue ſuper illa verba: *Obediente Deo voci hominis.* ¶ Ad tertium argumentum, probans talem virtutem non eſſe gratiam gratis datam, dicimus: ad hoc nihil obeſſe, quod viris peccatoribus communicetur, cum hæc virtus non detur ad propriam vtilitatem, ſed ad communem Reipublicæ, & conſtat à paritate virtutis ad miracula patranda, de qua ſupra num. 120. Vnde ſicut peccatores poſſunt ex Dei virtute miracula facere, ita etiam & ægros ſanare. Per quod etiam conſtat ad 4. quia quod talis virtus permanenter, aut tranſeunter conferatur, de materiali eſt, & ideo, tam iuſtis, quàm peccatoribus vtroque modo communicari poteſt. ¶ Quintum argumentum ſolum probat illicite illa vti, qui ad lu-

lucrum eam convertunt; non vero quod ex hoc efficaciter arguatur, esse superstitiosam. Fatemur tamen, non levem talem abusum ingerere de veritate suspicionem.

Quædã inferuntur circa alios curandi modos.

122 Ex quibus patet primò, non esse vniversaliter damnandam virtutem, seu gratiam gratis datam ad diversos morbos sanandos, quam audio habere, non longe ab hac Civitate, homines cuiusdam familiæ, & lata experientia comprobata est. Cæterum attente videndum est, ne vtantur ad hoc medijs vanis, & inutilibus, quia tunc evidens signum est, quod superstitiosa sit. Nec similiter negamus, talem virtutem posse ægris communicari medio tactu, halitu, odore; cum in hoc nulla sit repugnantia, vt optime docet Sanchez num. 47. contra Delrium damnantem, posse Salutatorem vim sanativam communicare medio pane à se morso. ¶ Secundò sequitur: annulos, vel imagines astronomicas sub tali signo confectas, nullam virtutem naturalem habere ad morbos sanandos, & alios extraordinarios effectus producendos. Tum: quia artificialia ex se non sunt principium alicuius actionis, seu immutationis corporum, quia hoc est proprium naturalis potentiæ. Tum etiam: nam artificiale opus est voluntarium, vnice ex dispositione artificis dependens: ergo à cœlestibus corporibus non dependet, & consequenter nec ab eis virtutem aliquam accipere ad mira efficienda potest. Videantur D. Thom. quæst. *96.* art. 2. ad 2. Delrius lib. 1. Disquisit. Mag. cap. 3. quæst. 1. plures alios referens. Sanchez cap. 40. n. 50. ¶ Tertiò sequitur: valde dubiam esse virtutem naturalem, qua ex documentis artis Alchimiæ viliora metalla in aurum, & argentum converti aliqui dicunt, vt videri possunt apud Delrium vbi sup. cap. 5. quæst. 1. Pereira lib. 1. de Mag. cap. 12. Valentia 2. 2. disp. *6.* quæst. 13. punct. 2. ac proinde eodem modo satis dubium est, sit nec ne superstitiosa. At solum in hac materia certum est, quod hæc ars est vana, inutilis, exposita que multis periculis, vt diabolus se huic operi ingerat, ac proinde Ioann. XXII. in Extravag. *Spondent de crimine falsi* sub gravissimis pœnis perpetuæ infamiæ, & amissionis bonorum Alchimistas punit. Videantur insuper Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 51. & Palaus punct. 10. num. 17.

§. III.

De Ensalmis, & Fascinatione.

Quid, & quotuplex sit Ensalmus.

123 EXaminata virtute, quæ in Salutatoribus inveniri potest, progredimur ad investigandum eam, quæ ensalmis, & fascinatione inest, quia aliquomodo ad Magiam naturalem videtur, pertinere. Quapropter, vt claritati consulamus, prius de Ensalmatoribus, deinde de fascinantibus agendum est. Pro dicendorum autem intelligentia nota: quod Ensalmus nihil aliud est quam *orationes quædam ex certis verborum, præsertim sacrorum, formulis, coordinata ad morbos, & vulnera sananda.* Et dicitur *Ensalmus*, quia communiter ex Psalmorum verbis componitur. Hic ergo curandi modus dupliciter fieri potest. Primò, orando certis verbis sacris, quibus à Deo petamus salutem corporalem pro infirmis, aut quod à nobis, vel proximo aliquid nocivum avertat, non intendendo, nec credendo, quod talis oratio infallibiliter consequetur petita, sed tantum ex divina misericordia; & hic dicitur *Ensalmus invocativus.* Secundò, quando ex certis verbis componitur oratio, cui tribuitur virtus infallibilis, aut ex opere operato ad sanandum, & hic appellatur Ensalmus *constitutivus.* Quibus notatis.

Ensalmus invocativus ex genere licitus est.

124 Dicendum est primò: quod Ensalmus *invocativus*, sive compositus authoritapublica, sive privata, licitus est. Et ratio est: quia licitum, & sanctum est, à Deo salutem, & alia temporalia bona, in quantum adminicula esse possunt ad beatitudinis consequtionem, petere: ergo & ad hoc orationes sub certa verborum forma componere: cum ergo Ensalmus invocativus hæc vnice contineat, ideo ex genere suo licitus est. Ita Navarr. in Manual. cap. 11. num. *36.* Torre 2. 2. q. *90.* disp. *26.* num. 7. Villalobos part. 2. tract. 38. difficult. *9.* Azor lib. *9.* cap. *26.* quæst. 6. Bonac. disp. 3. quæst. 4. punct. 2. Sanchez lib. 2. cap. 40. num. *39.* Abul. in cap. 23. Matth. quæst. 38. D. Antonin. 2. part. lib. 12. cap. 1. §. 11. Ciruelo de Superstitione, part. 3. cap. 3. & 4. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 4. lib. 2. cap. 15. num. *26.* Fagund. lib. 1. in Præcept. Decal. cap. *36.* à num. 1.

Ensalmus cõstitutivus semper est illicitus.

125 Dicendum est secundò: quod Ensalmus *constitutivus* vniversaliter est reprobandus. Et ratio est primò: quia nullis verbis inest virtus naturalis, ad vulnera sananda, vel morbos depellendos; sed alias nec à Deo est illis communicata: ergo si talia verba efficaciter, & quasi ex opere operato prædictos effectus operantur; signum est quod hoc arte, & Dœmonis ope fiat. Consequentia patet, & & maiorem sic probo. Nam verba si scripta sunt, ex se sunt, quid mortuum, & inanime; ergo nisi forte ratione atramenti, aut charta, in qua sunt scripta, ex se nihil valent naturaliter operari. Deinde si sint ore prolata, nihil aliud sunt, quam sonus, & ita tantum vim habent, aërem feriendi; sed sonus, maxime moderatus, non habet vim ad corpora, & temperamenta hominum immutanda, qualiter necessarium est ad morbos depellendos: ergo prædicta verba, sive vt ore prolata, sive vt scripta, vim naturalem ad sanandum non habent. Minor etiam ostenditur: Nam verba sacra, licet haberent aliquam virtutem supernaturalem ad salutem animarum, vel corporum, hoc tantum accidit, quando super ægros à Ministro Ecclesiæ proferuntur, vt constat ex Marc. 16. vers. 17. vbi de Apostolis dicitur: *In nomine meo dœmonia eijcient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Non vero quando proferuntur ab Ensalmatoribus, qui communiter sunt homines flagitiosi, & milites malæ vitæ: ergo falsum, & su-

superstitiosum est, dicere, quod ex virtute supernaturali prædictis verbis à Deo communicata, tales ensalmatores morbis medentur. Præterquam quod, non constat certo, nec ex Ecclesiæ traditione, aut definitione quod Deus de facto concesserit aliquibus verbis, præter Sacramentorum formis, virtutem ad ea, quæ significant, ex opere operato efficienda: ergo falsum est, illa Ensalmatores ex sacrorum verborum virtute operari. Deinde quando Ensalmatores vtuntur verbis sacris, v.g. Dulciss. Nomine Iesu, Mariæ, &c. in suis Ensalmis non est, vt per ea Deo, & Sanctis debita exhibeatur reverentia, sed vt diabolo divinus honor tribuatur, vt ait Eymericus in Director. Inquisit. part. 2. quæst. 43. num. 2. Quia Dæmon ensalmum instituens, omnia eius verba sacra ad se ipsum dirigit: ergo si ex eorum virtute Ensalmatores morbis medentur, non est quia virtus supernaturalis, sed quia diabolica, & superstitiosa ex pacto Dæmonis ibi adest. Sic D. Thom. 2.2.q.96. art. 2. & 4. D. Aug. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 9. & 11. Abul. in Levit. cap. 19. q. 19. & communiter DD. maxime supra relati, & insuper Delrius lib. Disquisit. Mag. cap. 4. quæst. 3. Torreblanca lib. 12. cap. 22. Hurtado tom. 1. Resol. Moral. tract. 5. cap. 6. resol. 43. & alij.

Regulæ D. Thomæ ad honestatē, vel superstitionem Ensalmi cognoscendam.

126 Quapropter D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 4. quatuor regulas tradit ex quibus cognoscere facile nobis sit, an Ensalmi sint liciti, vel non. Primò videndum attente est, quid sit, quod profertur, vel scribitur; nam si est aliquid ad Dæmonum invocationem pertinens, manifeste est superstitiosum, & illicitum. Secundò cavendum est, si contineat nomina ignota; aut inusitata, vel nova; vt si nova nomina Angelis Sanctis imponat, & confingat. Tertiò, similiter est cavendum, ne Ensalmus falsa contineat, tunc enim à Deo esse non potest, sed ab authore falsitatis, qui est Diabolus. Quartò, superstitiosum est, si in tali Ensalmo cum verbis sacris aliqua vana misceantur, v.g. aliqui characteres scripti, præter signum Crucis, vel si spes ponitur in modo proferendi, scribendi, aut ligandi, aut in alia huiusmodi vanitate, quæ ad divinam reverentiam non pertineat. Vnde quia nullus est Ensalmus, etiam *invocatorius*, seu *deprecatorius*, in quo non sit aliqua vana circunstantia, vel in modo prolationis, verborum, aut numero determinato ligaturarum; inde concludunt Doctores sup. cit. hunc vsum maxime Salutatoribus interdicendum esse. Tum ob prædicta; tum etiam: quia ratissime Ensalmis vtuntur, nisi mulierculæ ignobiles, & vetulæ, aut homines, & milites deperditæ vitæ, de quibus vehemens est suspicio, experientia teste, expressi, aut taciti cum Dæmone pacti. Quare tantum licitum, & securum est, quod Ecclesiæ Ministri vtentes orationibus ab Ecclesia approbatis, pro infirmis deprecentur, & ita pie credendum est, quod *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*, vt ait D. Iacob. cap. 5. n. 15. Qui plura de hoc voluerit, legat Mouram tr. de Incantat. seu Ensalm. opusc. 1. Torreblancam, & Delrium loc. cit. Valle de Ensalmorum curatione, sect. 11. cap. 10. & alios apud ipsos, quia dicta pro morali captu sufficiunt.

Quid & quotuplex sit fascinatio.

127 Pro decisione difficultatum, quas secunda tituli pars continet, nota primò: quod fascinatio (vt ait Vallesius) *est passio oculis innata, & concepta, profecta ex quadam affectione animæ maligna eius, qui intuetur.* Vel vt ait Abul. in Num. cap. 21. quæst. 15. *Tunc datur, dum aliquis quempiam videns, ad eum non coniunctus corporaliter, nec in eum quid quam agens, eum lædit.* ¶ Nota secundò: quod prædicta fascinatio communiter à Theologis dividitur in *vulgarem*, *physicam*, seu *naturalem*, & *Dæmoniacam*. Vulgaris est, quæ ex vulgi opinione oritur, credendo solam visionem ipsam invido animo aspicientis, posse homines fascinare, & maxime infantes, & alias personas teneris ætatis, & debilis complexionis. *Physica*, seu *naturalis* dicitur, quando ex vehementi imaginatione immutatur cor, & ex eo corpus coniunctum, generantur que ex hoc humores putridi, quorum virtus ad oculos pervenit, & ex oculis ad aërem contiguum, quem corrumpit vsque ad determinatam distantiam, & ita inficit quos visus invenit, maxime si debilis sint complexionis. *Diabolica* appellatur pernitiosa quædam qualitas, Dæmonum arte illata, ob tacitum, vel expressum cum Dæmone pactum. Solent enim nefarij homines cum Dæmone pacisci, vt quos livide aspexerint, his pernitiem inferant. Hæc omnia communia sunt, & docent D. Thom. 1. part. quæst. 117. art. 3. ad 2. & 3. contra Gent. cap. 103. & ibi Ferrara. Torre 2. 2. quæst. 96. art. 2. disp. 6. Delrius lib. 3. part. 1. quæst. 4. sect. 1. Torreblanc. lib. 12. cap. 10. Medina de recta in Deum Fide, lib. 2. cap. 7. Valles Sac. Philosoph. cap. 68. Ciruelo de Superstit. cap. 5. Trullench lib. 1. Decal. cap. 10. dub. 12. num. 1. Abul. in Gen. cap. 21. & in Numer. late agit à q. 9. ad 18. Mendoza in Viridario Sacræ Script. lib. 4. problem. 11. Lean. tract. 9. disp. 3. à q. 6. & Azor tom. 1. lib. 9. cap. 25.

Sunt, qui asserant esse virtutē naturalem ad solo visu fascinandi.

128 His, vt certis stabilitis, quæstio in præsenti non levis est, an in aliquibus hominibus sit virtus naturalis, solo aspectu fascinandi. Prima sententia est affirmativa, & movetur primò. Nam per visionem potest fieri in obiectis visis naturalis immutatio, vt patet in Basiliisco, qui solo visu, non solum homines, & animalia occidit, verum & arbores inficit: ergo cum hoc fieri nequeat sine vehementi obiectorum immutatione, dicendum est, hanc solo aspectu à Regulo, seu Basiliisco induci. Eandem virtutem fascinandi tribuit Plinius quibusdam familijs in Tribollijs, & Mendoza in Viridiario lib. 4. problem. 11. refert quendam famulum fuisse Ducis Brigantiæ, qui cum fixis obtutibus falconem ad prædam advolantem, intueretur, statim vi nocivi aspectus exanimis in terram decidebat. Et de quodam sene Viterbi aves, arbores, & fruges solo obtutu arescente, refert Hieronymus Vida, lib. 2. apud Torreblancam de Iur. Spirit. lib. 12. cap. 10. num. 58. ¶ Quibus addere possumus, quod à Religiosis fide-

fidedignis accepimus; nimirum, quod Provincialis quidam N. Ordinis habet mulionem, qui, cum illis iter facientibus agitatus taurus occurrisset, iam iam que se ab eo occisos crederent, defixis in eum oculis statim illum examinem in terram proiecit. Quibus Provincialis stupefactus è vestigio eum dimisit, ne quid simile sibi postea contingeret. ¶ Secundò movetur: quia mulieres menstruatæ si oculis attente defixis speculum contiguum aspiciant, quibusdam sanguineis guttulis illud maculant, vel in nigrum convertunt colorem; sed tunc nulla datur actio, nisi visio: ergo hæc, obiecta immutat. ¶ Tertiò: qui lupum prope videt, loqui non potest, vt ait Isidorus lib. 12. Ethymologiarum, & experientia constat: ergo ex sola visione realis immutatio provenit. Ita docet Plin. lib. 7. cap. 2. & lib. 33. cap. 20.

Secúda sententia negat virtutem naturalem ad fascinādum.

129 Secunda sententia tenet, minime dari posse vim naturalem, ad solo aspectu fascinandum. Et ratio est: quia visio est actus immanens, & consequenter ex oculo nihil immitti potest, quod alijs nocere valeat: ergo quantumvis imaginatione vehementi corroboretur, nequit obiectum visum realiter immutare. Ita communiter Doctores num. 127. supra relati.

Propria mẽs aperitur.

130 Nos vero vtramque sententiam veritatem continere, si recte intelligatur, dicimus. Quare propriam mentem explicamus, affirmando, dari virtutem naturalem fascinandi; sed addimus hanc non in esse visioni, sed quibusdam spiritibus venenosis, qui egressi per oculos, os, nares, alios que corporis meatus, proximum aërem, & passum inficiunt. Prima pars huius conclusionis constat experientia, exemplis que supra num. 148. relatis. Satis que traditur à Sacr. Pag. dum Apost. ad Galat. 3. ait: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit, non obedire veritati.* Qui locus, licet alias habeat explicationes, vt videri potest apud Delrium, & Cornelium, tamen Glossa ex eo docet hanc naturalem virtutem fascinandi de facto dari. ¶ Secunda vero pars, scilicet, hanc virtutem non in esse visioni, sed spiritibus quibusdam nocivis, & venenosis per oculos emissis, bimembris est, & ideo seperatim probanda. Primum autem patet ex ratione probativa secundæ sententiæ; & insuper confirmatur primò. Nam videns nihil ad rem visam emittit, sed potius ab ea recipit speciem; vnde non tam se habet, vt agens in obiectum, sed ab eo patiens, quare rationabilius est, quod videns patiatur ab obiecto, quam quod obiectum à vidente naturaliter mutetur; sed ad fascinandum per visionem, erat necesse, quod per ipsam aliquid foras emitteretur: ergo virtus fascinandi non inhæret visioni. Secundò: visio non fit per emissionem radiorum, vt Platonici commentiuntur, sed per receptionem specierum, vt contra eos arguit Arist. lib. 2. de Anima, cap. 7. alias potentia visiva esset pure activa, & non passiva, vt passim eam Arist. nominat: ergo visio nocere obiectis externis nequit: quin potius ab eis solet immutari, vnde color viridis oculos recreat, & reficit; ater vero, & obsurus tædio afficit, & denique albus disgregat. Tertiò: si visio fieret per emissionem radiorum, seu spirituum vitalium, necesse esset quod isti pervenirent vsque ad solem, & astra, ad quæ videndo, pertingimus; sed hoc est incredibile. Tum: quia prope immensa distantia nos ab eis dividit. Tum: quia, & si totum corpus humanum in spiritus resolveretur; non esset sufficiens eorum copia, ad solam aëream regionem superandam: ergo falsum est visionem per emissionem spirituum fieri. Vltimò: nam ex opposita sententia multoties eveniret, quod videre non possemus, quæ ante oculos nostros in moderata distantia sunt, & videremus è contra, quæ à tergo existunt, v. g. si vento impellente, spiritus ab oculis missi ad posteriora converterentur; sed hæc prorsus falsa sunt: ergo, & quod visio per emissionem spirituum ab oculis fiat.

Secundum assertionis membrum probatur.

131 Alterum membrum huius secundæ partis conclusionis, scilicet, fascinationem contingere, quia quidam spiritus venenosi per os, nares, &c. è corpore fascinantis emittuntur, facile suadetur. Nam non est incredibile, vt persuadere intendit Mendoza, nec negari potest, esse hominum, vel animalium aliqua corpora infecta, & tabida, continentia in se adeò corruptos humores, putridas que, & venenosas qualitates, vt in spiritus resolutæ, atque per oculos, nares, os, alios que corporis meatus egressæ, aërem inficiant, & res quibus in determinata distantia insederint, corrumpant: hoc enim cum sit quotidiana experientia comprobatum, negari nequit; tunc sic: sed non implicat quod fascinantes prædictos putridos humores per oculos emittant, & in non longe distantes eiaculentur: ergo obiecta, & corpora, maxime debilis complexionis naturaliter inficere poterunt.

Dicta ex mente Div. Thom. illustrantur.

132 Sed ne ad anchoram fallibilis experientiæ videamur confugere, accipiat Lector huc vsque dicta à N. Angelic. Doctore 1. part. quæst. 117. art. 3. ad 2. confirmata, ibi enim postquam impugnat sententiam Avicenæ asserentis, causam fascinationis esse, quia virtus animi ex vi fortis imaginationis corporalem materiam immutat, si concludit: *Et ideo melius dicendum est, quod ex forti imaginatione animæ immutantur spiritus corpori coniuncti, quæ quidem immutatio spirituum maxime fit in oculis, ad quos subtiliores spiritus perveniunt. Oculi autem inficiunt aërem continuum vsque ad determinatum spatium. Per quem modum specula si fuerint nova, & pura contrahunt quamdam impuritatem ex aspectu mulieris menstruatæ, vt Arist. dicit in lib. de Somno, & Vig. cap. 2. Sic igitur cum aliqua anima fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maxime in vetulabus contingit, efficitur secundum modum prædictum aspectus eius venenosus, & noxius, & maxime pueris, qui habent corpus tenerum, & de facile receptivum impressionis. Possibile autem est, quod ex Dei permissione, vel ex aliquo pacto occulto cooperetur ad hoc, vt malignitas Dæmonum cum quibus vetulæ, & fortilegæ aliquod fœdus habent.* Huc vsque Angelic. Doct.

in

in respons. ad 2. & similia profert 3. contra Gent. cap. 103. & de malo, quæst. 16. art. 4. ad 13. de potentia, quæst. 6. art. 9. ad 7. quæ videre poterit Lector, ne nimis prolixe per hoc spatiari videamur: ergo verum est ex mente D. Thom. quod fascinatio fit non per visionem, sed medijs quibusdam spiritibus malignis, & venenosis per oculos, os, & nares emissis, qui corpora propinqua quibus insedent coinquinant, & inficiunt. Nota tamen, quod hoc intelligendum est de corporibus dispositis ad fascinationem recipiendam, nam si hæc dispositio absit, minime fascinabuntur, nisi hæc pestifera fascinandi vis sit valde excedens, tunc enim, vt ait Abul. quæst. 16. omne animal visum fascinabitur.

Respondetur argumẽto ex fascinatione Basiliſci desumpto.

133 Vnde patet, qualiter intelligenda sunt exempla à prima sententia num. 128. adducta. Nam de Basilisco fatemur eius virtutem ad fascinandum esse communiter acceptam, de quo sic loquitur Solin. cap. 29. *Ægiptus Basiliscum creat malum in terris singulare. Serpens est pœne semipedalis longitudinis, alva quasi macula lineatus, caput nec hominum tantum, & aliorum animantium exitio datus, sed terræ quoque ipsius, quam polluit, & exurit vbicunque ferale sortitur receptaculum.* Denique extinguit herbas, necat arbores, ipsas etiam corrumpit auras, ita vt in aëre nulla alitum impune transvolet, infecta spiritu pestilenti. At hoc minime operatur, quia per solam visionem immutet naturaliter visa eiaculando, & emittendo virus, hoc enim prorsus falsum est, cum visio sit actio immanens, quæ hoc ipso exterius nihil agere potest; sed quia spiritus aliquos pestilentes, & mortiferos per oculorum globulos, & plures per cavitates illorum, vnde lippitudo exit, & simul per os, nares, plurimos, & efficaciores emittit, & in res visas intorquet; qui cum sint valde pestiferi, aërem circumflantem adeò inficiunt, vt omnes eo spirantes enecet. Vnde si Basiliscus nullis emissis spiritibus hominem videret, nullo modo per visum ei noceret. ¶ Ad quam vero distantiam eius virtus perveniat, difficile cognitu est? Sed si, vt ait Solinus, vsque ad aves per aëra volantes, extenditur, & vt docet Abul. cap. 21. Numer. q. 17. protendi potest ad tres, vel quatuor iactus lapidis, nihil mirum est, quod famulus ille de quo refert Mendoza, falconem volantem fascinaret, nec quod alter mulio tauruũ aggredientem fixis oculorum obtutibus, occideret, cum natura, quæ pestilentem illam qualitatem in regulo, seu Basiliſco collocavit, posit & simul in hominibus ponere. ¶ Licet, si verum fateamur, hoc adeò pestilens virus, tam que efficax, & læthalis fascinatio vehementem suspicionem inducit, vt credamus hoc fieri non per emissionem, & transpirationem è corpore vitalium spirituum, sed per alios spiritus, qui per caliginosum divagantur aërem, rectores que sunt tenebrarum harum, cum quibus fascinans expressum, aut implicitum pactum sancivit; quod maxime suspicari licet in vetulabus, alijs que infimæ, & infamæ notæ, inquinatæ que vitæ hominibus.

134 Ad illud de muliere menstruata dici-

Quid de muliere menstruata.

mus verum esse; sed hoc non contigit, quia visione speculum maculet, sed quia non solum per oculos, sed etiam per omnes sui corporis partes adeò pestilentes spiritus eiaculantur, vt herbas, plantas, vinum, & quæcunque tangunt, inficiunt. Ratio autem quare prædictæ guttulæ in speculo videantur, est, quia pestilentes spiritus ab oculis, ore, naribus, &c. egredientes, & speculo adhærentes eius frigore condensati in maculas solidas, & visibiles convertuntur. Ad illud de lupo plures affirmant esse merum figmentum; si autem verum est, sicut admittit Abulensis cap. 21. Numer. quæst. 12. dicimus, quod ab oculis luporum eiaculantur quidam spiritus venenati, qui cum ad homines prope existentes pervenerint, eos inficiunt, & loquutionis coarctant organa, quoad vsque hæc pestilens virtus perseveraverit. Vnde testatur D. Isidorus hinc ortum fuisse tritum illud proloquium: *Lupus est in fabula*, quo vtimur dum ille de quo loquimur, nobis improvisus occurrit, sua que præsentia confabulationem abripit. De quo etiam videatur Virgilius eglo. 9.

Fascinatiõ vulgaris est Chimerica.

135 Ex quibus constat primò: quòd fascinatio vulgaris falsa, & superstitiosa est; cum Chimerica, prorsus que impossibilis sit; ac proinde vt muliebris nugacitas exsibilanda est, & eius medicamenta, vt superstitiosa improbanda, vt ex plurium SS. PP. doctrina docet Delrius lib. 3. quæst. 4. sect. 1. concl. 1. Vnde vanum, nugacissimum, & superstitiosum est, quid turpiculum collo appensum gestare, vt fascinantium oculi avertantur. Vnde fascini nomen, ait Delrius, inditum est virili membro, eo quod contra fascinationem talia pueri gestarent oscilla, seu turpicula. Sed nunc in Hispania, mutato in paulo honestiorem modum hoc antiquo more, digitos duos cum pollice inserto, vt id exprimant, de ebore, aut argento confectos, afferunt, quod *higa* vulgo vocatur; ex quo etiam nunc puerorum fucamenta *diges* appellamus. De quo plura D. Ramirez de Prado ad Mart. lib. 1. epigram. 93. & in Pentacontarch. cap. 31. Secundò vanum est, dicere, hoc fascinandi periculum potius formosis, quam deformibus, potius pueris, quam ætate maioribus imminere; quia æqualiter vtrisque, si dispositi sint, virus nocere valet. Maxime cum fascinatio si oriatur ex invidia, hæc nulli parcat ætati; si vero ex nimio amore, etiam amantibus omnia formosa videntur iuxta illud.

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

Quare tam fascinatio vulgaris, quam eius remedia, vt superstitiosa exsibilanda sunt, & solum physica, seu naturalis est admittenda vi humorum putridorum, qui resoluti in spiritus vitales per omnes corporis partes, corporibus, quibus insederint inficiunt. ¶ Sed an hæc proprie sit fascinatio, aut potius contagium, ore, halitu, naribus, affricatione membrorum, &c. illatum, quæstio est parum succi habens; credimus tamen cum Delrio, Leandro, & alijs tantum per analogiam, & translatitie appellari posse fascinationem, proprie vero esse infectionem, seu contagium.

Superstitiosum est offerre fascinatos benedicendos quibusdam vetulabus.

136 Constat secundò: Superstitiosum esse iuxta Abul. quæst. 18. loc. cit. offerre fascinatos benedicendos quibusdam vetulabus, quas vulgus *benedicentes* appellat; nos vero iure optimo maledicentes vocamus, cum miserabiles insipientium illaqueantes animas, ad æternam maledictionem secum pervehunt, ex quibus plurimas venerata est superstitiosa antiquitas, & nunc non paucas iunior hæc nostra permittit ætas. Hoc inquam superstitiosum est: tum: quia, quæ istæ vetulæ proferunt, illicita valde sunt, varijs que cæremonijs, oscitationibus, superstitionibus que plena: tum etiam: quoniam eis nulla virtus, nec naturalis, nec supernaturalis inest, ad hoc fascinationis virus sanandum: ergo tantum ope Dæmonum ad hæc curanda vtuntur. Vnde solum licitum est, hanc, sicut & cæteras ægritudines periti Medici cura, & studio, remedijs naturalibus (qualis est ex sententia Mendozæ, talpæ manus collo suspensa, & idem docent Aristot. & Plin. de ruta, gagate, & hyenæ pelle,) sanandas, offerre; alias læthaliter peccabimus vetularum maledictarum peccato cooperantes; earum que remedijs vtentes. Vnde hoc malum, Satanicum appellat D. Chrisostom. Homil. 8. in Epist. ad Coloss. & eius salubrius remedium tantum esse signum crucis affirmat, prohibens vt superstitiosas lunulas argenteas, oscilla, & similia, quæ è collo, aut fronte puerorum insipiens vulgus, vetularum que superstitio ad fascinationem expellendam, seu arcendam, suspendit. Sed audiamus eloquentiæ aureum os sic in prædicta loc. cit. acriter invehens. *Crux Christi dehonestatur, elementorum vero superstitiosi characteres præferuntur, Christus eijcitur, & inducitur temulenta, & nugatrix anus: mysterium nostrum conculcatur, & seductio diaboli tripudiat.*

Communiter omnis fascinatio dæmoniaca est,

137 Denique ex huc vsque dictis constat, plerum que homines fascinari dæmoniaca fascinatione. Tum: quia incredibile fere est, homines tam longe distantes fascinari naturaliter per spiritus è oculis eiaculatos, cum virus hoc, vento, alijs que contrarijs facile dispelli possit. Tum etiam: quia quis credet, vno humore fascinantis res tam diversæ complexionis, & qualitatis, vt homines, herbas, plantas, arbores, animalia que, solo afflatu infici, & occidi? Ergo certum est, quod plerum que striges, & maleficei paciscuntur cum Dæmone, vt quos livide, & iracunde aspexerint, his Dæmon pernitiem inferat; & hinc tot fascinationes, quot patiuntur homines, emanant, vt constat ex sortiariorum, maleficarum que quotidiana confessione. Quapropter hæc est vnanimis Sanctorum, & Doctorum sententia, ex quibus D. Hieronym. lib. 1. in Epist. ad Galat. ita fatur: *Dicitur fascinus infantibus nocere, & ætati parvulæ: hoc vtrum verum, necne sit, Deus viderit, quia fieri potest, vt & Dæmones huic pacto inserviant.* Eodem modo loquitur D. Thom. vt sup. num. 152. ex eius verbis vidimus: quos sequuntur Azor tom. 1. lib. 9. cap. 25. quæst. 1. Delrius loco sæpius cit. sect. 1. in fine.

138 Pro huius materiæ coronide, inquiri solet: An peccet, qui fascinatione naturali alios fascinat? Negat absolute Leand. tr. 9. disp. 3. quæst. 11. ex eo quod hæc fascinatio fit per os, nares, & oculos, spiritus putridos, & pestilentes naturaliter emittendo, & absque intentione nocendi: ergo sine peccato, cum sine voluntario culpa adesse non possit. ¶ Sed hæc assertio, licet absolute vera sit, & solam fascinationem naturalem à culpa immunem esse fateamur; tamen ex prævisione damni inferendi, potest aliquod peccatum in ea adesse, quando commode vitare potest, & culpabiliter omittitur. Vnde dicimus, teneri, qui hanc pestiferam qualitatem in se experitur, à nimio, non que necessario hominum consortio abstinere, & remedijs contra tale virus vti, alias si in hoc socors, & oscitans culpabiliter sit, graviter peccabit contra charitatem, & iustitiam, damna que illa tenebitur restituere. Et ratio est evidens: quia quilibet ex iure naturæ, & charitatis præcepto tenetur adhibere omnia media moraliter possibilia, ad damnum grave proximi vitandum; sed damnum, quod fascinatio hominibus infert, est gravissimum, vt constat: ergo omnia media ad hoc moraliter possibilia, fascinans adhibere tenetur: tunc sic; sed hæc sunt, abstinere se ab hominum consortio nimis non necessario, oculos submittere, vel saltem defixis obtutibus, nimio que conatu non intueri, & remedijs alijs naturalibus, si quæ sunt, ad depellendum hoc pestiferum contagium, vti: ergo hæc omnia fascinans adhibere debet, alias gravissime contra charitatem delinquet. Nec obstat, quod hæc damna à causa naturali fiant. Nam etiam Taurus, vrsus, Leo, & alia animalia crudelitates, vulnera, & mortes ex naturali ferocitate causant; & nihilominus, qui has alunt, vel ad lucrum, recreationem, aut potentiam ostendendam, gignunt, peccant si ad hæc vitanda, curam non adhibeant: ergo potiori titulo peccabunt fascinantes, si eorum incuria hæc damna hominibus inferant.

Fascinans naturaliter, quid agere debeat, ne peccet?

PUNCT. X.

De Magia superstitiosa.

EXplicatis, quæ ad magiam naturalem aliquomodo expectant; restat agere de his, quæ ad magiam superstitiosam, seu Dæmoniacam pertinent. Vnde, quia ad eam attinent malefici, lamiæ, & fagæ, seu incantatrices, nec non ea, quæ in suis nocturnis conventibus peragunt, cum Dæmone lascive, & turpiter se commiscendo, ideo de his omnibus in præsenti sermonem in diversis paragraphis instituemus, quia eorum notitia valde necessaria est, vt hanc pestiferam luem sciant confessarij à fidelium mentibus evellere, & ab Ecclesiæ terminis amandare.

§. I.

§. I.

De Maleficiorum existentia, & multiplicitate; necnon de eorum remedijs.

Declaratur existentia, & quidditas maleficij.

139 EXistentiam maleficij testantur non solum sacræ litteræ, vt Iob. 2. v. 7. 1. Regum. cap. 6. Matth. 17. Marc. 9. & alibi passim, verum etiam Concilia, vt Cartaginef. 4. cap. 89. Leodicense can. 36. nec non vtriusque iuris decreta, vt in Decretalib. Gratian. part. 2. causa 33. quæst. 1. & 26. & similiter Pontifices in suis Decretalib. Constit. tit. *de sortilegijs*, tit. *de frigidis*, & *maleficijs*, &c. Imperatores in leg. Multi, leg. Eorum, cap. de malefic. &c. & denique Reges Hisp. in tit. 27. part. 7. tit. 3. lib. 8. Recop. Id etiam tenent D. Thom. in 4. distinct. 34. quæst. 1. art. 3. S. M. N. Theres. cap. 5. suæ vit. & alij Sancti Patres, & Doctores, quos superfluum est referre. Quare eius existentia supposita, ad essentiam, & multiplicitatem indagandam, accedimus. ¶ Maleficium ergo, licet si ad nominis Ethymologiam attendamus, idem sit ac malefactum; attamen prout in præsenti accipitur, nihil aliud est, quam *magia qua quis Dæmonis ope alteri damnum infert*. Quæ definitionis verba, quia explicatione non indigent, ad divisionem maleficij accedimus. Quod iuxta communem Doctorum, tam theologiæ, quam vtriusque iuris divini, & Cæsarei sententiam, est duplex: vnum *Veneficum*, & *amatorium alterum*. Veneficum, seu hostile dicitur illud, quo vtuntur malefici ad nocendum hominibus, animalibus, & plantis. Amatorium est, quo vtuntur malefici ad excitandos homines ad amorem carnalem, vel odium eorum quos amare debebamus, vt amicos propinquos, & coniugatos.

Maleficium Veneficum quibus modis contingit.

140 Maleficium quod dicitur *Veneficum* contingere diversimode solet; nam aliquando fit medijs quibusdam pulveribus in cibum, & potum infusis, vel corpori nudo affricatis, aut per vestes dispersis: qui si fuerint atri occidunt, si cinericei, vel rufficoloris morbum tantum causant; è contra vero si albi sint morbos sanant. Nota tamen: quod hæc non causantur ex virtute naturali pulverum, aut ex vi coloris, sed totum provenit ex Dæmonis pacto, & colores sunt signa quibus malefici exprimunt voluntatem hoc, aut illo modo media ope Dæmonis hominibus nocendi. Sed non inficiamus, quod aliquando Dæmon, vel ipsi malefici vtantur venenis naturalibus ad nocendum: aliquando etiam vnguentis albis, in quibus interlucent alicuius metalli micæ, quibus manus illiunt, vt quot quot tetigerint, necem, vel stragem inferant. Non semel halitu, & afflatu nocent: vt refert Sprenger in malleo malefic. tom. 1. part. 2. quæst. 1. cap. 11. in fine, pag. mihi, 226. de quadam malefica, quæ in territorio Nigræ silvæ, dum à lictore elevaretur super struem lignorum paratam ad eam comburendam, dixit illi: *Dabo tibi mercedem*, & insufflando in eius vultum, statim lepra horribili percussus, apparuit, quæ post dies eum consumpsit, & mortem attulit: quod vtique non ex vi anhelitus, sed ex Dæmonis pacto verosimilius est, accidisse. Aliquoties etiam vi necem inferunt puerulos nocte culcita præfocando, vel sanguinem eorum exsugendo, aut acum post aurem infigendo, aut in vsum vnguentorum, proprium que cibum eos lacinando, vt docent Sprenger loco cit. cap. 12. & 13. Delrius lib. 3. part. 1. quæst. 1. Torreblanca lib. 12. Iuris Spirit. lib. 12. cap. 2. 3. & 7. Non nunquam mulieres sterilizant medijs remedijs nimis frigidis, aut calidis, conceptionis viam impediendo, & alijs maleficijs coarctando. Aliquando partus difficiles efficiunt, aut aborsum causant, lac que exsiccant rebus naturalibus, aut alijs medijs ope Dæmonis applicatis. Deinde aliquando homines somnificant herbis naturalibus, aut incantamentis, vt securius crimina patrent. Vltimò conficiunt aliud maleficium per modum pulveris, aut potus ex corde infantis non baptizati, & violenter necati ad vim tormentorum non sentiendam; vel & si sentiant, vt non loquantur. ¶ At si aliquando rebus naturalibus vtantur, vt pharmacis confectis ex opio, solano, thure, mirrha, & similibus, quibus altus sopor conciliatur, nervorum que origines obstruuntur; ex hoc præcisè superstitiosum non erit; sed quia hæc arte Dæmonis communiter cognoscunt, & applicant semper ex commertio cum illo gravissime delinquunt. Videantur Sprenger, Delrius, & Torreblanca, loc. supra cit. vbi late de his disputant. Dicta adnotare sufficiat, vt sciamus frequentiores modos, quibus malefici solent hominibus nocere.

Maleficium amatorium dupliciter conficitur.

141 Maleficium *amatorium*, quod philtrum græce dicitur, dupliciter contingere, potest. Primò dando hominibus aliqua edenda, aut bibenda, quibus ad amorem, & venerem protrahuntur: cæterum, quia nihil est, quod naturaliter ad amorem possit, commovere, mixta, quæ ex folijs, radicibus, frugibus, intestinis piscium, volatilium que partibus, hyppomanibus, cantharidis, rubetis, &c. ad hoc confici solent, tantum vim habere possunt ad semen irritandum, corpus que excalefaciendum, ideo si ad amorem determinate pertrahant, ex ope Dæmonis credendum est hoc vnice fieri (eo modo quo Dæmones vt sup. diximus à num. 38. possunt voluntatem hominum commovere sensus, & humores conturbando hanc, vel illam personam imaginationi importune obijciendo, & circunstantias, propter quas est digna amore, aut odio exhibendo; nam in eam nullam directam iurisdictionem habere, concors Theologorum sententia tenet.) Quod vero hoc maleficium detur, lata experientia confirmat, docent que Doctores infra referendi, qui omnes vnanimiter asserunt, quod hæc, & similia pocula, vt in plurimum solent mortem vel insaniam hominibus inferre, vt dicitur in l. 2. tit. 23. part. 7. his verbis: *Acaece à las vegadas, que de estos brebates vienen à la muerte los homes, que las toman, ò à muy grandes enfer-*

fermedades de que ſican ocaſionados para ſiempre. Idem docet Barboſa de poteſt. Epiſcop. 3. part. alleg. 51. caſu 8. num. 126. ¶ Non nunquam hæc, & alia maleficia conficere ſolent ex hoſtia conſecrata, vt Deo maior inferatur iniuria. De quo refert Sprenger in malleo malefic. tom. 1. part. 2. quæſt. 1. cap. 5. pag. 191. maleficam quandam ex Dæmonis conſilio in olla Sacram Euchariſtiam cum bufone incluſiſſe, & in ſtabulo domus ſubtumulaſſe. Sed cum Dominus noſter tantum facinus prodere, decreviſſet, cæpit inſtar infantis eiulare. Quo audito infamis mulier locum accedit, & ollam detexit, ſub pallio que abſcondit, ſed cum id occulte aliqui viderent, eam apprehendunt, & ad iudicem deferunt, & quæſtionibus expoſita, crimen detegit, aſſerens ſac. hoſtiam cum bufone incluſiſſe, vt ex his pulveribus nocumenta ad libitum hominibus, alijs que creaturis inferre, poſſet. ¶ Aliquando hæc maleficia conficiunt ex hoſtia non conſecrata, oleo tamen ſancto delibuta, thure, aqua luſtrali, alijs que cæremonijs ſacris benedicta. Ita docent Peña in Direct. Inquiſit. part. 2. quæſt. 43. Sprenger citatus. Delrius lib. 3. part. 1. quæſt. 3. ſect. 1. & 2. Sayr. in Clavi Regia, lib. 4. cap. 6. num. 25. Tolet. in Summ. lib. 4. cap. 16.

Secundus modus illius.

142 Secundò contingit, hoc maleficium amatorium dari per aliquid, quod extra corpus homines afficit, v.g. aſſuendo maleficium clamidi, vel ſub lecto abſcondendo, vel in limine oſtij, aut alio in loco, per quem maleficandus tranſiturus eſt, recondendo, aut ex cera, argila, plumbo, &c. imagines fabricando, quibus homines ad amorem pelliceant. Et nonnunquam mulieres Babilonicæ, quæ magicis artibus valde deditæ erant, ligatæ vittis, litijs, funibus, &c. in vijs ſedebant, oſſa que olivarum ſuccendebant, vt prætereuntium animos ad ſui amorem, & venerem incitarent, vt conſtat ex hoc per difficili loco Prophetæ Baruch cap. 6. *Mulieres circumdatæ funibus in vijs ſedent, ſuccendentes oſſa olivarum: Cum aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte, dormierit cum eo, proximæ ſuæ exprobrat, quod ea non ſit digna, ſicut ipſa, nec funis eius diſruptus fuit.* His, & alijs incantamentis ſolent mulieres hominum animos ad amorem, & libidinem attrahere, non quia vim ad id ex ſe habeant; ſed quia ſunt ſigna, ad quorum poſitionem Dæmones hominum concupiſcibilem ad amorem huius præ alio commovent, ad venerem que inclinant. Dicta docent Delrius lib. 3. part. 1. q. 3. ſect. 1. & 2. Bulenger lib. 2. de Magia, cap. 16. Sprenger in Malleo, tom. 1. part. 1. quæſt. 7. à pag. 72. Ioann. Bakelius lib. de Phyltr. & Virg. Eclog. 8. & Lucanus Pharial 6. incantationis ex filis compactæ meminerunt; nec non noviſsime Cerda in locum relatum Virgilij.

Remedia contra maleficiũ amatorium.

143 Remedia, quæ antiqui Philoſophi contra hoc maleficium ſcripſerunt, vana ſunt. Quare herba promethea, hirci vrina, lupi virga, rubetha in corio pecoris recentis alligata, pulver corpori aſperxus, in quo ſe mula volutaverit, de quibus Plin. lib. 28. 32. & 39. & Pomponat de Incantat. illicita ſunt ad hæc maleficia, & phyltra ſananda. Ranæ ſimiliter de quibus loquitur Iuven. ſatyr. 1. quæ in vepribus, rubis que agunt, ex nimio calore potius veneficæ ſunt, quam huius maleficij remedia. Et turpius, ſuperſtitioſus que omnibus eſt, recentiora ſtercora amicæ in ſuo calceo ponere, & ſtatim eum induere, de quo Cadaan. lib. Variet. quia hoc turpe, & fœtidum remedium potius tetrum odorem, quam medicinam confert. Quapropter, ſolum licita ſunt remedia, quibus Eccleſia Sancta vtitur; nimirum aſsidua noviſsimorum meditatio, ſacramentorum receptio, continua ad Deum, B. Mariam V. & Sanctos preces fundere, corporis morsificationes, cilicia, flagella, ieiunia, & alia huius generis; ſi enim his remedijs vtatur, qui ad carnalem amorem ex vi maleficij commotus valde eſt, abſque dubio à tam nociva infirmitate liberabitur. Præterea ſequentia ad hoc non parum vtilia ſunt. Vnde ſi vis extinguere libidinem ait D. Antoninus lib. 6. Hiſt. Sum. tit. 13. cap. 6. §. 4. amove ligna de igne; quæ autem ſint hæc ligna optime declarant ſequentes verſus.

Otia, ſegnities, ſomnus, caro, fœmina, virum,
Proſperitas, ludus, carmina, forma, Puer.

Hæc ergo remedia ſunt, quæ efficaciter his maleficijs medentur. Vnde quæcunque alia à maleficis, & ſagis adinuenta prorſus ſuperſtitioſa, & vana ſunt. Sic communiter Doctores ſupra relati.

Alia remedia contra omne maleficium.

144 Et loquendo de alijs maleficijs late probant Eccleſiæ in can. *Si per ſortiarias* 33. quæſt. 1. Rituale Roman. de Exorciſ. obſeſſ. à Dæmone. Sprenger tom. 1. in mall. part. 2. quæſt. 2. cap. 2. Læſſ. lib. 2. cap. 44. dubit. 5. & Torreblanc. de Iure Spirit. pract. lib. 12. cap. 27. ad omnia maleficia deſtruenda, Dæmones que abigendos, valde prodeſſe Chriſti fidem, eius que Sacramenta, nec non Sacramentalia Deipare V. Mariæ, & Sanctorum invocationem, ſignum Crucis, Eccleſiæ exorciſmos, agnos Dei, ſacras que reliquias, & campanarum pulſationem, non ex vi ſonus aërem diſsipantis, ſed ex divina poteſtate, cuius nomine benedicuntur, & conſecrantur, vt fragore ſuo Dæmones terreant, & repellant, ne hominibus, & plantis noceant, vt pluribus exemplis exornat Remigius lib. 1. de Monolog. cap. 26. Grill. de Sortil. quæſt. 7. & docet Concil. Colon. cap. 24. Et ratio omnium eſt: quia cum Chriſtus devicerit hunc fortem armatum, diripuerit omnia ſpolia eius, venerit que Dæmones perdere, & torqueri, vt ipſi ſæpius clamabant, in eo que ſit omnis fons ſalutis, languores que noſtros in ſe tollens, & ſanans, quid mirum, quod nunc ad Nominis Ieſu invocationem, fugiant Dæmones, & languores curentur, & quod hanc virtutem rebus ſacris communicaverit?

Sunt etiam remedia naturalia contra maleficia.

145 Nec diffitemur, eſſe aliqua remedia, quæ naturaliter prodeſſe, poſſunt contra hæc maleficia, & Dæmones expellendos; quia licet naturalia directe in Dæmones horum maleficiorum authores agere nequeant, bene

ne autem indirecte, expellendo humores pessimos, quibus residere solent. Vnde in Sacra Pagina legimus Tobiæ 6. & 8. quod fumus iecoris cuiusdam piscis extricavit Asmodæum; & pulsatio cytharæ refollibat Saul, spiritus que malus ab eo recedebat 1. Reg. 16. non alia ratione, nisi quia hæc auferebant dispositiones, quibus Dæmon homines vexabat. Et hoc modo plures herbas, vt Rutam, berbenam, Abrotonem, Salviam, Salvinam, alias que plures valde contra maleficia prodesse, quia virtute naturali pravos humores corrigunt, tradunt Aristot. in Problem. sect. 20. problem. 34. Dioscorides lib. 4. cap. 56. Plin. lib. 21. cap. 21. Galen. lib. 8. Simplic. Medic. & Condroch. statim allegandus cap. 2. docet: posse Medicos his maleficijs mederi, humores compescendo, & intemperies corrigendo, venenosas que qualitates remedijs naturalibus evellendo. Vnde Sprenger in malleo part. 2. quæst. 2. princip. pag. 260. ait in his morbis recurrendum etiam esse ad Medicos. Similiter, *quia omne venenum frigidum est* (verba sunt D. Isidori lib. 12. cap. 14.) hoc est frequentius, & communiter; valde contra maleficia commendat Hipoc. & Galen. apud Æstium Serm. 16. cap. 122. & Ioann. Condroch. de morbis veneficis, lib. 4. cap. 6. fumigationes ex Lauro, Salvia, Thure, Mirrha, aloe, Cedro, Iunipero, Cupresso, & alijs herbis, & medicamentis calidis, & siccis, id que non semel factitant nostri Exorcistæ. Quare his medicamentis naturalibus aliquando vti, ad maleficia sananda, non abhorret Fides Catholica, nec despicit Christiana Religio.

§. II.

An sit licitum, maleficium alio maleficio tollere?

Quæstio inferius decidenda proponitur.

145 CÆterum, quia remedia naturalia raro, aut nunquam, & spiritualia licet frequentius, aliquando tamen contra maleficia efficatiam non habent, vt docet D. Thom. in 4. distinct. 34. art. 3. ad 3. his verbis: *Ad tertium dicendum, quod maleficium est ita perpetuum, quod non potest habere remedium humano opere. Et quamvis Deus,* (prosequitur Angelic. Doct.) *posset remedium præstare, Dæmonem cogendo..... tamen Exorcismi Ecclesiæ* (idem dic de alijs spiritualibus remedijs de quibus sup. num. 144.) *non valent ad deprimendum Dæmones semper quantum ad molestias corporales, iudicio divino id exigente: semper tamen valent contra illas infestationes Dæmonum, contra quas principaliter institutæ sunt.* Inde provenit, quod hæc infirmitas, Deo sic permittente, creditur quasi incurabilis, nisi maleficium auferatur. Quapropter inquirunt Doctores, an sit licitum, si post prædicta remedia adhibita adhuc maleficium perseverat, rogare maleficas, vt etiam per aliud maleficium fortius antecedens dissolvant?

Sunt qui asserant à malefico parato posse peti quod maleficium per aliud fortius tollat.

146 Prima sententia asserit, quod si Maleficus est paratus maleficium destruere, vtendo alio fortiori; tunc licitum est hoc ab eo petere, secus vero si non est paratus. Et movetur primò: Etenim vt sup. diximus cap. 8. punct. 4. §. 3. num. 53. ad bonum finem, propriam que vtilitatem vti possumus malitia hominis parati; quare licite possumus à Parrocho, in mortali existente, Sacramenta, & ab infideli, qui paratus est iurare per falsos Deos, iuramentum petere, si parati sint ad tales actiones exequendas: ergo similiter possumus petere à malefico, quod destruat prius maleficium si paratus est, vti ad hoc alio fortiori. Secundò: A Dæmone potest peti, vt desistat à mæleficio, & ita ad hoc exorcistæ curant, illum exorcismis cogere: ergo etiam à Dæmœnis ministro id licebit. Tertiò: In præsenti casu non petitur à Dæmone aliquis effectus positivus, sed tantum destructio maleficij, quæ ex se bona est, vt ex infra dicendis constabit: ergo id licitum est & si fiat ab eius ministro, medio alio maleficio. Quartò: Non est excogitabile aliud remedium ad tollendum maleficium: ergo si hoc illicitum est non erit licitum illud tollere, quod certe durissimum est. Sic Aureol. in 4. dist. 34. quæst. 2. & Angel. verb. *Superstitio*, num. 13.

Negativa sententia est omnino vera.

147 Secunda, & verior sententia tenet, quod sive maleficus sit paratus, sive imparatus nunquam licet ab eo petere, vt maleficium novo maleficio auferat. Et probatur primò ex Levit. 19. vbi Deus præcepit: *Non declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid scisscitemini.* Et cap. 20. *Anima, quæ declinaverit ad Ariolos, & Magos, & pacta fuerit cum eis, ponem faciem meam contra eam, & interficiam eam.* Ergo illicitum est Magos paratos adire, vt maleficium alio maleficio dissolvant, siquidem Deus vniversaliter in prædictis locis loquitur. ¶ Secundò probatur authoritate D. Thomæ in 4. dist. 34. art. 3. ad 3. vbi docet, quod impotentia ex maleficio, quæ tolli non potest, nisi per aliud fortius maleficium, est perpetua: quia hoc est peccatum, cum sit Dæmonis auxilium per maleficia invocare. Sed audiamus eius verba: *Non enim oportet semper, vt id, quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, vt ipsi malefici confitentur; & tamen si posset per maleficium remedium adhiberi nihilominus perpetuum reputaretur: quia nullo modo debet aliquis Dæmonis auxilium per maleficia invocare.* Tunc sic; sed petere à malefico parato, aut imparato maleficium alio novo maleficio dissolvere, est Dæmonis auxilium invocare: ergo ab intrinseco malum, gravissimum que peccatum est, petere à malefico parato, seu imparato, quod maleficium novo maleficio destruat. ¶ Tertiò à Dæmone qui, semper paratus est, non licet petere dissolutionem maleficij medio alio maleficio: ergo nec à ministro parato. Quartò: Nemo licite obquemcunque finem, & vtilitatem potest aliquid ab alio petere, quod sine peccato exequi nequit, vt est communis Doctorum sententia fundata in illo ad Rom. 3. v. 8. *Non faciamus mala vnde veniant bona*, & loco supra cit. ostendimus; sed maleficus nequit tollere maleficium antecedens per subsequens fortius, quia

quin graviſsime peccet: cum omne malefi-
cium ſit enorme peccatum, afferat que cum
Dœmone pactum, & commertium: ergo non
licet à malefico petere, quod maleficium alio
maleficio auferat. Sic Delrius lib. 6. cap. 2.
ſect. 1. quæſt. 2. *dico* 3. Abul. in Matth. 19.
quæſt. 90. Sprenger tom. 1. part. 2. quæſt. 1.
Princip. pag. 261. Navarr. in Summ. cap. 11.
num. 29. Læſſ. lib. 2. cap. 44. dub. 6. num. 35.
Suarez de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 2. cap. 18.
à num. 2. Bonac. diſp. 3. quæſt. 5. punct. 5. à
num. 7. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 41. num. 5.
Villalob. 2. part. tract. 38. difficult. 11. Sayr.
lib. 4. cap. 6. num. 26. Trullench in Decal.
lib. 1. cap. 10. dub. 13. num. 5. Leand. tr. 9.
diſp. 3. quæſt. 20. Palaus tract. 17. diſp. 1.
punct. 12. num. 1. Fagundez lib. 1. cap. 42.
num. 4. & noviſsime Genettus tom. 6. tract. 2.
cap. 5. & Uviganth in Tribunali Confeſſ. tr. 20.
exam. 6. num. 121. & nos docuimus tract. 9.
cap. 12. punct. 11. num. 132.

Sententiæ cõtrariæ fit ſatis.

148 Ex quibus ad rationes contrarias conſtat. Ad primam enim dicimus, quod ideo licite petimus à Sacerdote peccatore Sacramenta, ab vſurario vſuras, &c. quia hæc omnia poſſunt ipſi præſtare ſine peccato, & ex malitia ſua provenit, quod cum peccato faciant; quod mihi non obeſt, quominus licite ab eo, vt ait Caiet. 2. 2. quæſt. 78. art. 4. poſsim ſimiles actiones petere; quia ab eo illicitum non peto, ſed licitum; cum accidentaliter, & ex operantis prava affectione, malitia adiungatur. Cæterum, quando à Malefico diſſolutionem maleficij medio alio fortiori poſtulo, ab eo peto actionem intrinſece, & ex ſe malam, quam exercere ſine peccato, non valet. Vnde directe malitiam inſeparabilem ab opere exigo, quod peccaminoſum, vt conſtat, & conſequenter illicitum eſt. Quare nihil ad hoc obeſt, quod maleficus ſit patatus, vel non: nam poſtulans tunc caſus ex ſe cauſa moralis eſt illius actionis, vnde ſi hæc ab intrinſeco mala, & peccaminoſa eſt, totius malitiæ cauſa erit. ¶ Ad ſecundam dic, quod petere à Dœmone, quod deſiſtat à maleficio, eſt quædam ſocietas cum eo, & quidam eius cultus, ſe illi ſubmittendo, quod ſuperſtitioſum eſt. Quapropter reprehenditProthoparens N. Elias nuntios OchociæRegis Samar. dicens: 4. Reg. 1. v. 3. *Nunquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebud Deum Accaron?* Hoc eſt auxilium, quod à ſolo Deo poſtulandum eſt à Dœmone petitis, ei vos vt ſuperſtitioſi ſubijcientes. Exorciſtæ vero non eum rogant; ſed ex virtute divina imperant: quare primum eſt illicitum; ſecundum vero licitum, & honeſtum. Ex quo ſatis patet ad tertiam. Et inſuper reſpondetur, quod in præſenti poſtulatur à Dœmone effectus aliquis poſitivus, v.g. novum maleficium prius diſſolvens. Vnde licet deſtructio prioris maleficij ex ſe mala non ſit, tamen illa exoptare medio illo illicito, ſcilicet novo maleficio, illicitum eſt. ¶ Ad quartum reſpondetur falſum ſupponere, cum alia remedia ſint, de quibus ſup. num. 144. alias Deus in neceſſarijs Eccleſiæ deficeret. Et licet verum eſſet, quod ſupponit, adhuc illo abominabili remedio vti non liceret, ſed potius debebamus mortem præeligere, quam Dœmonis auxilium expectare.

Aliqua ex præiactis inferuntur.

149 Ex quibus ſequitur primò: Superſtitioſum eſſe, non ſolum petere, ſed & cogere Dœmonem, vt maleficium diſſolvat; niſi hoc faciat authoritate Dei, & Eccleſiæ per exorciſmos; quia cum Dœmon ſuperior ſit ad omnem hominem; ſi cogitur, ſignum eſt, adeſſe ibi aliquod pactum. Poterit tamen verbis contumelioſis obiurgari, vt à maleficio deſiſtat. Suarez cap. 18. num. 5. & 8. Sanchez num. 17. Palaus num. 8. Trullench dub. 13. num. 7. ¶ Sequitur ſecundò: Illicitum etiam eſſe pœnis, & minis cogere maleficos, vt benedictione maleficium diſſolvat, vt docent Sanchez num. 10. Fagundez num. 8. & Delrius verſ. *Infertur* 1. Nam illa benedictio, vt prædicti authores dicunt, nil aliud eſt, quam formula quædam, qua poſita, Dœmon promiſsit, à torquendo ceſſaturum, alias idem aſſequeretur cuiuſcunque perſonæ benedictio, & maxime Sacerdotis.

Proſequuntur illationes.

150 Sequitur tertiò: Eſſe grave peccatum à maleficis petere, vt maleficijs morbos ſanent, & terræ fructus à grandine innoxios ſervent, quia legem illam Conſtantini ſcilicet *leg. Eorum, cap. de Malefic. & Mathemat.* quæ hæc licite fieri concedebat, abrogavit poſtea Leo Imperator conſtitut. 65. ad Stylian. de Incant. pæn. cuius verba refert Delr. lib. 6. cap. 2. ſect. 1. quæſt. 2. verſ. *Dico* 1. Et ſimiliter l. Regia 3. tit. 23. part. 7. idem permittens, non loquitur in foro conſcientiæ, ſed in foro externo civili, vbi delictum impunitum permittitur, vt docent Azebedo lib. 8. Recopilat. tit. 1. lib. 5. num. 23. Bart. dicit l. *Eorum*, num. vnic. Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 95. num. 1. Fagundez num. 6. & Leand. quæſt. 21. Quare in foro conſcientiæ ſuperſtitionis peccatum eſt, à maleficis petere, vt fructus terræ medijs maleficijs à tempeſtatibus innoxios ſervent. ¶ Sequitur quartò: Falſam eſſe ſententiam Hoſtienſ. cap. final. num. 3. de Frigid. & Malef. Roſell. v. Impedim. imped. 15. num. 19. & aliorum Canoniſt. (quos non improbat Sprenger in mall. malefic. loc. ſup. cit. pag. 271. in fine, quando remedia Eccleſiæ prius attentata ſunt, & effectum non ſunt conſequtæ) aſſerentium, maleficia poſſe tolli per ritus vanos. Et ratio noſtræ illationis eſt: quia omnes ritus vani nequeunt culpa, & ſuperſtitione vacare, cum hoc ipſo quod vani ſint, non ſunt cauſæ effectuum, pro quibus adhibentur, ſed tantum ſunt ſigna, non Dei, qui vanis non delectatur, ſed Dœmonis: ergo ſuperſtitioſum eſt, vti ritibus vanis, ad diſſolvenda maleficia. Ita Delrius loco cit. verſ. *Alij itaque*. Philiarc. de Offic. Sacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 11. concluſ. 4. & alij quos ſequitur Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 95. num. 3. ¶ Sequitur quintò: Graviter peccare iudices, qui curioſitatis, aut delicti verificandi cauſa rogant maleficas, & ſtriges, vt coram ſe maleficia exerceant: quia cum hoc ſit intrinſece malum, nullo prætextu honeſtari poteſt. Ita Sanchez num. 5.

151 Sed hic iterum rogabis: An ſit licitum

Pro resolutione quæstionis prima suppositio.

tum absolute petere à malefico, vt maleficium dissolvat, quando tibi constat ipsum scire media licita, & illicita ad talem dissolutionem, sed nihilominus certus es moraliter, quod non licite, sed alio maleficio sit dissoluturus? Ante difficultatis propositæ resolutionem supponendum est primò: homines posse, imò & teneri rogare, & minis cogere maleficum, vt modo licito sibi cognito maleficium dissolvat. Et ratio est: quia quis ex charitate tenetur, suæ saluti medijs licitis providere, & continuationem peccati proximi vitare; sed hæc omnia consequitur, petendo à malefico, vt medijs licitis maleficium dissolvat: ergo ad hæc tenetur. Deinde in præsenti casu hic homo non consulit maleficos, vt tales, sed vt scientes bonis artibus, & medicinis maleficium tollere; sed licet primum sit prohibitum in Scripturæ locis num. 147. citatis, non tamen secundum: ergo illicitum non est. Quæ doctrina præcipue tenet, quando aliqua spes adest, quod maleficus medijs licitis vsurus sit. Sic Fagundez num. 6. & alij.

Aliæ suppositiones ennumerãtur.

152 Secundò supponendum est: illicitum esse petere à malefico dissolutionem maleficij, quando tibi constat, aut dubitas, an modum licitum, & possibilem dissolutionis sciat. Et ratio est: quia tunc petitur virtualiter, quod modo illicito dissolvat; nam cum certum sit, quod nescit tantum media illicita, præsumptio est contra illum, eum solum medio illi cognito, illud destruere possit. Ita Suarez cap. 18. num. 8. & cap. 13. num. 5. Sanchez cap. 41. num. 5. & 6. Delrius lib. 6. cap. 2. sect. 1. q. 2. *Dico* 4. & 5. Bonac. disp. 3. in Decal. quæst. 5. punct. 5. num. 8. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 12. num. 2. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 13. num. 6. Fagundez cap. 42. num. 15. contra Leand. quæst. 27. & Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. num. 10. Ex quo recte inferunt, nec etiam licere ab alio Mago petere dissolutionem maleficij, si ignoret tam maleficium, quàm locum vbi posita sunt eius signa; quia cum hæc scire non possit, nisi per novum maleficium, hoc tacite ab eo petitur; quod superstitiosum est. ¶ Tertiò supponendum est: peccare, qui permittit, quod maleficus sibi applicet aliquam vanam medicinam, & superstitiosam; & si prius ab eo postulaverit, vt medio licito maleficium dissolvat. Et ratio huius est: quia hoc est cooperari, & consentire applicationi illius medicinæ, quod grave peccatum est, tam respectu applicantis, quàm consentientis, cum vterque vtatur medio illo vano, & superstitioso, quod solum vim medendi ex Dæmonis pacto habet. Ita Suarez cap. 18. in fine. Sanchez num. 15. Palaus num. 6. Trullench num. 7. & alij communiter. ¶ Quartò supponendum est: quod quando dubium est, an maleficus medio licito, vel illicito maleficium dissoluturus sit, tunc poterit ab eo absolute peti dissolutio illius: quia hoc fieri licite ab eo potest, alias adest necessitas, vel vtilitas, vt id postules: ergo nihil est, quod prædictam petitionem vitiet; quare si forte maleficus maleficio novo antecedens dissolvit, eius malitiæ tribuendum est.

153 His ergo suppositis: prima sententia circa propositam quæstionem est negativa. Et probatur ex eo, quod tunc talis petitio à saga, vel malefico, vt tali postulatur, sicut quando aliquod opus ab artifice exposcitur; sed maleficus, vt talis minister Diaboli est: ergo à Diaboli ministro tunc illud petitur: ergo, cum hoc sit gravissimum peccatum, etiam peccatum erit, maleficij dissolutionem petere à malefico, quando moraliter certum est, quod novo maleficio dissoluturus est. Sic Caiet. tom. 2. Opuscul. tract. 12. de Malefic. quæst. vnica, fin. Cui adhæret Delrius lib. 6. Disquisit. Mag. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. *Dico* 4. esto nullam adhibeat probationem, refert tamen pro hoc modo dicendi Ledesmam, & Henriq.

Aliqui sentiunt esse illicitum petere à malefico dissolutionē maleficij, quãdo moraliter est certus quod illicito modo dissolvet.

154 Secunda, & verior sententia est affirmativa. Et ratio est: quia, vt constat ex sup. dictis, licitum est petere mutuum ab vsurario, & infideli iuramentum, licet sciamus quod primus vsuras sit exacturus, & secundus per falsos Deos iuraturus: quia quod ab eo petitur, est actio indifferens, quæ ab eo licito modo fieri potest; sed ablatio maleficij est actio indifferens, & quæ ab eo medio licito fieri potest, vt supponitur: ergo sicut mutuum, & iuramentum licite exigi possunt, licet nobis constet de futuro peccato vtriusque; ita similiter potest à malefico postulari maleficij dissolutio, & si constet de medio illicito dissolutionis, quia tunc sua malitia peccat. Deinde: licet ex charitate teneamur proximi peccatum vitare, non tamen quando hoc peccatum provenit vnice ex malitia operantis, & alias nobis grave damnum salutis ex tale præcautione imminet; sed in præsenti casu peccatum maleficij provenit vnice ex malitia operantis, & alias ex eius præcautione nobis grave damnum saluti imminet: ergo non tenemur peccatum malefici vitare, quin potius tenemur nostræ saluti prospicere, petendo absolute ab illo, maleficij dissolutionem. ¶ Ex quibus patet ad argumentum Caietani. Nam dissolutio maleficij non petitur à malefico, vt tali, hoc est, vt superstitiose solventi, sed vt à persona, quæ scit licite illud dissolvere; quare si non medio licito, vt potest, sed vt illicito illud tollit, non necessitati, & vtilitati petentis tribuendum est, sed malitiæ dissolventis erit imputandum. Dictam sententiam docent Sanchez de Matrim. disp. 95. num. 12. & in Decal. cap. 41. num. 13. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 2. num. 7. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 13. num. 7. Fagundez lib. 1. cap. 42. num. 10. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 12. n. 4. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 5. num. 8. & Petrus Ledesma de Matrim. cap. 58. art. 2. dub. 2. Suarez cap. 18. cit. num. 9. & 10.

Verius est oppositum.

§. III.

Vtrùm signa maleficij licite destruere, & comburere quilibet possit?

Argumenta sententiæ asserentis esse superstitiosum maleficij signa dissolvere.

155 GRavior tamen difficultas in hac materia est: an liceat maleficij signa, v.g. ligaturas, imagines, capillos, chartas, &c. destruere, & comburere, ad obtinendam maleficij salutem, vel vt Diabolus nocere desistat? Sententiam contrariam, licet non sit Doctor, qui huc vsque eam typis mandarit, vt referunt Delrius, & Sanchez, tamen Ioann. Hesself. Lovanienſis in suis prælectionibus docuit, quam postea aliqui eius discipuli in suis concionibus mordicus defensarunt. Pro qua hæc poterunt efformari argumenta. Primò: Nam communiter in his maleficiorum signis tale pactum Dœmonis, virtualiter duplex, invenitur cum maleficis. *Qui hoc signum in tali, vel tali loco posſuerit nocebo; si autem destructum fuerit desistam, nocere*: ergo sicut qui tale signum ponit, peccat, ob commercium cum Diabolo, ita qui destruit; cum vtrunque sit Dœmonis promissio, & institutio. ¶ Secundò: Cum comburitur, aut destruitur signum, sanitas, v.g. non à Deo, vel ab aliqua causa naturali expectatur, sed à Diabolo: ergo adest communicatio cum eo; cum misceat se pacto inito inter Dœmonem, & maleficum. ¶ Tertiò: Amovere signum est confiteri Diaboli fidelitatem, & veracitatem standi promissis, & consequenter eum colere; sed hoc illicitum est: ergo, &c. ¶ Quartò: Si hoc esset verum, liceret capillos totius corporis abradere maleficis ad quæstionem vocatis; ne forte in eis signum sit maleficij, & sic insensibiles ad confessionem reddantur; sed hoc videtur superstitiosum: ergo. ¶ Vltimò: Quia Diabolus, vt hominibus noceat, signis non est alligatus: & sic nocere potest sine signis, & non nocere etiam signis positis, nec gravius, aut levius nocebit nisi iuxta Dei permissum: ergo inutilis esset signorum destructio, nisi adesset in hoc cum Dœmone pactum.

Probatur testimonio S. M. N. Theresiæ esse licitú, & obligatorium signa maleficij destruere.

156 Sed nihilominus tenenda est communis sententia, docens non solum esse licitum, sed teneri, qui conscius est signi maleficij, illud destruere, & comburere. Hæc conclusio ostenditur primò authoritate, & testimonio Seraphicæ Virginis ac M. N. S. Theresiæ, quæ cap. 5. vitæ suæ de quodam Sacerdote amore venereo cuiusdam fœminæ capto, & turpitudinis illecebris complicato hæc refert: *Procurè saber, è informarme mas de personas de su casa, supe mas la perdicion, y vì, que el pobre no tenia tanta culpa; porque la desventurada de la muger le tenia puestos hechizos en vn idolillo de cobre, que le avia rogado le traxesse por amor de ella al cuello, y este nadie avia osado poderoso de poderselo quitar. Yo no creo es verdad esto de hechizos determinadamente, mas dirè esto, qui vì, para aviso de que se guarden los hombres de mugeres, que este trato quieren tener..... Pues como supe esto, comencè à mostrarle mas amor... tratabale muy de ordinario de Dios, esto debia de aprovecharle: aunque mas creo le hizo al caso el quererme mucho, porque por hazerme placer, me vino à dar el idolillo, el qual hize echar luego en vn rio. Quitado esto començò, como quien despierta de vn gran sueño, à irse acordando de todo lo que avia hecho aquellos años, y espantandose de sì, doliendose de su perdicion, vino à començar à aborrecerla... En fin, dexò del todo de verla, y no se hartaba de dàr gracias à Dios por averle dado luz. Tengo por cierto està en carrera de salvacion. Muriò muy bien, y muy quitado de aquella ocasion: parece quiso el Señor, que por estos medios se salvasse.* Huc vsque Seraphica Doctrix, quæ satis demonstrant, non solum esse licitum, & vtile, verum & obligatorium signa maleficij destruere. Nec scrupulus pugnat, quod dixerit M. N. D. Theresia, se certo non credere existentiam maleficiorum: quia hæc protulit potius ex humilitate, huic illuminatæ Virgini innata (vt clare eius libros evoluenti patebit) quam ex certa scientia; sicut postea eventus illius casus demonstravit. Alijs exemplis hæc confirmare possem desumptis ex Delrio lib. 6. cap. 2. sect. 1. quæst. 3. Spreng. part. 2. mallei, quæst. 1. cap. 1. & alijs; sed ea brebitatis gratia omittimus, & solum rationibus assertionem nostram demonstrabimus.

Proponitur prima, & secunda ratio pro nostra resolutione.

157 Primò: Nam destructio, & combustio prædictorum signorum non est aliquo iure prohibita, cum nullibi talis prohibitio extet; quin potius in divino iure talis destructio expressa reperiatur, cum sæpe Sacra Pag. Exod. 33. Deutoron. 7. iubeat aras, & statuas idolorum confringere, & destruere, lucos que succendere, quod vt notant Henric. quodlib. 5. quæst. 33. & Suarez cap. 17. num. 9. per inde est, ac signa Magiæ destruere: ergo talis signorum destructio licita est. Patet consequentia: quia si illicita esset, evidens est, quod per aliquam legem divinam, aut humanam esset prohibita, vel saltem aliquis S. Pater, vel classicus Doctor eam reprobaret: ergo si à nullo improbatur, est argumentum evidens, licet negativum, quod sit licita. ¶ Secundò: Hæc amotio signorum ideo mala esset, quia importaret societatem cum Dœmone, aut illi honorem tribueret; sed vtrumque est falsum: ergo, &c. Minor quo ad primam partem probatur: nam amotio illa signorum, nec ex se, nec ex intentione amoventis, est Dœmonis invocatio, vt patet; cum ipse pactus cum eo non sit, quin potius magis videtur esse destructio pacti inter Maleficum, & Dœmonem initi: ergo, &c. Imò & si ipse maleficus signum destrueret, vt tenetur (& ad hoc Iudices illum compellere possunt, & debent) non posset verificari, quod tunc Diabolum invocaret, sed tantum quod expectaret cessationem damni à Dœmone illati, non ex vi pacti, sed dissolutionis tam signorum, quàm amicitiæ cum eo initæ; sed sic expectare hunc effectum, licitum est, caret que omni societate cum Dœmone: ergo per hoc nullam societatem cum eo habent. Ex quo liquet ad secundam partem: nam illi tunc nullo modo se sub-

submittit; nec allicere illum intendit, vt stet promissis, sed signa dissolvit eo solo animo, vt pactum cum eo dissolvatur: ergo per signorum maleficij destructionem, nec iocietatem cum Dœmone habet, nec illi aliquem exhibet honorem.

Alijs rationibus prædicta conclusio suadetur.

158 Tertiò: Hæc dissolutio signorum, vt maleficiatis salus restituatur, non est actus malefici vt talis, sed hominis cognoscentis causam ægritudinis proximi, & amoventis eam medijs licitis; sed cognitio ægritudinis proximi, & amotio illius medijs licitis, honesta, & bona est, imò obligatoria, quando commode fieri potest, vt in præsenti accidit: ergo talis remotio, seu signorum maleficij dissolutio, vt maleficiatis salus restituatur, licita, honesta, imò, & obligatoria est. ¶ Quartò: Si quis pactus sit cum hoste, vt posito hoc, aut illo signo, vrbem aggrediatur, tam ipse, quàm quicumque illud cognovit; tenetur signum positum tollere: ergo, qui pactus est cum Diabolo, vt posito hoc signo, huic, aut illi homini noceat, tenetur tam paciscens, quàm quicumque alius illud cognoscens, signum positum destruere. ¶ Vltimò probatur ex communi praxi Doctorum, qui communiter obligant Sagas, & Maleficos, vt signa destruant, & comburant: vt exemplis illustrat Delrius ex Sprenger, & Niderio, & raro hi morbi alio remedio sanantur: ergo absque dubio licitum est, cum impossibile moraliter sit, & omnino incredibile, quod omnes Doctores decipiantur. ¶ Vnde omnes ea signa destruere possunt, & tenentur: maleficus quidem ex charitate, & iustitia cum obligatione ad restitutionem; alij vero ex charitate: quia omnes debemus damna proximi vitare, & eius peccata impedire. Imò addunt Sanchez, Suarez, Palaus, & alij ad id omnes teneri, & si ipsi malefico, aut alteri damnum ex ablatione maleficij sequatur: quia ita forte ipse maleficus pactus est cum Dœmone. Et ratio est: quia illud damnum esset præter intentionem, & non ex signi remotione, sed ex Dœmonis pacto, cui nullatenus dissolvens cooperatur. Dicta docent communiter Doctores, maxime Delrius lib. 6. cap. 2. sect. 1. q. 3. Abul. in cap. 19. Matth. quæst. 90. Caiet. tom. 2. Opusculorum, opuscul. 12. Petrus de Ledesm. de Matrim. quæst. 58. art. 2. Bannez 2. 2. quæst. 78. art. 4. dub. 2. ad 4. Navarr. in Summ. cap. 11. num. 29. Suarez tom. 1. de Relig. tr. 4. lib. 2. cap. 17. num. 9. Sanchez de Matrim. disp. 96. num. 3. & in Decal. lib. 2. cap. 41. num. 19. Palaus disp. 1. tract. 17. punct. 11. num. 8. & 9. Trullench in Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 13. num. 8. Villalob. 2. part. tract. 28. difficult. 11. num. 2. Tamburin. in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 2. Torreblanc. lib. 12. Iuris Spirit. cap. 25. num. 54. Fagundez lib. 1. cap. 43. à num. 3. Læss. lib. 2. cap. 44. dubit. 6. à num. 36. & alijs citatis docuimus tom. 2. huius cursus tract. 9. cap. 12. punct. 11. à num. 132. & novissime Genettus tom. 6. tract. 2. cap. 5. q. 11. & alij communiter.

Duobus prioribus ar

159 Ad argumenta contraria fere iam constat ex dictis. Nihilominus ad primum respondetur: quod pactum illud nocendi plerumque est vnicum, scilicet, nocendi existente signo, & non duplex nocendi, & à noxia abstinendi destructo signo: quare ex quo signum aliquis destruat, non sequitur, quod tunc commercium teneat cum Dœmone, sperans ex eius fidelitate, & pacto, quod à nocendo desistat, cum illius secundi pacti non sit conscius, aut particeps. Præterea esto sciat duplex illud pactum initum inter Maleficum, & Dœmonem, scilicet, nocendi posito signo, & à noxia abstinendi ablato, adhuc non sequitur, quod argumentum intendit; quia non vtitur signo maleficij, vt Dœmon alliciatur ad salutem restituendam; sed tantum destruit signum prioris pacti, vt incentivum nocendi tollatur Dœmoni: nec expectat ab illo salutem ægro conferendam, quod est effectus positivus, sed vt nocere desistat, quod est effectus privativus; & effectum privativum illicitum non est à Dœmone expectare, quando ex vi pacti non expectatur; alias illicitum esset expectare Dœmonis fugam ab obsesso, cessationem à tentatione, & similia, quod falsum est. Vnde lata est differentia inter eum, qui signum maleficij ponit, & inter illum, qui destruit, quia ille pactum cum Dœmone, positivum que commercium tenet, secus vero iste. ¶ Ex quo patet ad secundum: non enim expectatur à Dœmone sanitas, sed quod nocere desistat; non quasi in hoc ab eo expectetur, quod sit beneficium nobis collaturus, sed quod amoto signo, quo ligabatur ad nocendum, iam cessabit noxæ motivum.

gumētis fit satis.

Alijs argumentis respondetur.

160 Vnde etiam constat ad tertium: quia tunc homines nihil confitentur, quod in Dœmonis cultum cedere possit, quia tantum per signi ablationem protestantur, quod Dœmon, qui ex Dei permissione nocet, & non aliter, speratur non amplius nociturum, si signum, quo ad noxam allicitur, destruatur, in quo nullus ei cultus exhibetur; nec creditur, quod ex se sit verax, & fidelis; sed quod sistat pactis, quia id sibi conveniens videtur, vt cautius homines decipiat; quod credere, omnino à culpa immune est. ¶ Ad quartum respondetur: Iudices absque vlla superstitione, id facere posse ea intentione, ne sub capillis aliquod maleficij signum lateat, aut corporis foraminibus sit insertum. Sed advertit Sanchez, quod si hæc tonsio fiat opinione amittendi roboris per illam, sicut Sansoni evenit, erit superstitiosum. An vero hæc, licet non superstitiose, decenter tamen fiant, alij viderint. Legantur Delrius ad 9. argumentum, Sanchez ad 5. Palaus punct. 11. num. vlt. Tambur. num. 13. Suarez cap. 17. num. 15. ¶ Ad quintum respondetur: Dœmonem non posse nocere, nisi iuxta Dei permissum; & licet independeter à signis possit Deus illi nocere, permittere; ordinarie tamen videmus, noxam inferre nisi per signa malefica, ei minime permittere. Vnde prudenter existimare possumus, quod quando Deus illi, medijs maleficis, & eorum signis nocere permisit, non posit eo signo destructo tunc iam, sicut antea, nocere. Videantur circa hoc Lupus part. 3. lib. 20. dist. 3. art. 2. diffic. 2. Torreblanc. lib. 12. Iur. Spirit. cap. 2. n. 22. & cap. 7. n. 24.

Licet medijs signis licitis contrarijs maleficia destruere.

161 Ex huc vsque dictis non obscure colligitur primò: Licitum etiam per se loquendo esse, ponere alia signa licita, aut indifferentia, quibus destruatur pactum Dœmonis v.g. pactum Dœmonis erat se nociturum, quousque Petrus audiat Sacrum, vel lavet corpus, aut capillos tondat; poterunt prædicta effici, non eo animo, vt eo medio, aut Dœmonis virtute salutem consequatur, sed vt signum malefaciendi spiret. Et ratio est: quia in primis prædicta intentio bona est, medium similiter est honestum, aut indifferens; sed licitum est facere, quod ex se est honestum, aut indifferens, vt Dœmonis pravum pactum finiatur, & diabolus nocere desistat: ergo hoc bonum, & laudabile est, omni que labe societatis cum Dœmone vacat. Ita Suarez num. 17. Læss. num. 45. Sanchez num. 25. in Decal. Palaus num. 10. Fagundez cap. 43. num. 6. & Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 13. n. 8.

Si perfecte de pacto cũ Dœmone doleat per pœnitentiã sufficit, vt gratiam consequatur, & si chirographum ei traditum non recuperet.

162 Colligitur secundò: Quod quando malefici paciscuntur cum Dœmone, se Deo, & Sacramentis renunciaturos, & in diaboli servitute se perpetuo mancipaturos, sub conditione, quod eis in omnibus opem ferat; & præterea in signum maioris firmitatis illius contractus chyrographum proprio sanguine conscriptum, tradunt; tunc non est necessarium, quod, vt salutem æternam consequantur, chyrographus illis restituatur, vt falso ipsi credunt, & ob id existimant, nullum iam eis, ad peccatorum veniam consequendam, remedium superesse, & ita solent in desperationem rapi. Et ratio huius illationis ea est. Nam nullum est peccatum, quod per contritionem, & Pœnitentiæ Sacramentum deleri non possit; nec est pactum, etiamsi sit quocunque signo, etiam proprio sanguine obfirmatum, quod per prædicta non rescindatur, vt ait D. Ezeq. 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis..... Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Ergo vt homo à vitijs ad viam salutis revertatur, æternam que gloriam consequatur, sufficit, quod per veram pœnitentiam, aut peccatorum confessionem Dœmoni abrenuntiet, & Deo firmiter adhærere promittat; per hoc enim iniquum Dœmonis pactum, etiam chyrographo obfirmatum, omnino rescinditur. Bene verum est, quod si apud se aliqua signa Dœmonis conservet, tenetur ea destruere, & comburere: tum: ne videatur adhuc cum eo societatem habere; tum etiam: ne deinceps eius suggestionibus, & tentationibus fortiter stimuletur. Ita Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 40. num. 53. Suarez lib. 2. de Superstitione, cap. 17. num. 4. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 5. num. 11. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 13. num. 9.

Licet rebus per maleficium acquisitis, vti; dummodo in eius conservari à Dœmone nõ dependeant.

163 Colligitur tertiò: Licitum esse vti rebus per maleficium acquisitis, quando in se sunt bonæ, neque in conservari à Dœmone pendent: quare pecuniam, salutem, & scientiam Dœmonis arte comparatas, possumus licite retinere, eisque quando opus fuerit, licite vti: tum: quia prædicta in se bona sunt: tum etiam: quia ex quo Dœmonis ope comparata sint, solum arguitur, quod eas acquirendo peccavimus, non vero quod nunc malitiam aliquam inde in se recipiant. Vnde dummodo, de eo quod Deum gravissime offenderit, nunc quis pœniteat, poterit eis licite vti. Ita Suarez cap. 15. num. 24. Sanchez in Decal. cap. 42. num. 20. & de Matrimonio, lib. 7. disp. 96. num. 4. Palaus punct. 11. num. 1. Delr. lib. 2. quæst. 4. Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 4. num. 6. Leand. tract. 9. disput. 3. quæst. 39. & alij communiter. Qui omnes advertunt, quod divitiæ Dœmonis ope comparatæ, elusoriæ frequentius sunt. Vnde nisi earum veritas comprobetur, superstitiosum eis vti. Si vero quando vere sunt, non constat, esse à Dœmone furatas (quod scire certo impossibile est) possunt secure retineri. ¶ Diximus sup. licere rebus per maleficia acceptis vti *si in conservari à Dœmone non pendent*: quia si effectus arte Dœmonis acquisitus, & si in se bonus sit, ab eius opera in conservari dependet, illius retentio est illicita; quia est quædam cum Dœmone confederatio. Vnde si per maleficium esset sanitas alicui restituta sub onere, & conditione vtendi ad eius conservationem aliquo remedio superstitioso, v.g. hæc, vel illa superstitiosa cæremonia, aut asserendo tale amuletum dœmoniacum; tunc hæc remedia abijcienda sunt, & potius eligenda est mors, quam vitam tali medio conservare. Ita Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 41. num. 1. & 42. num. 20. Suarez lib. 2. de Superstitione, cap. 17. num. 2. Palaus disp. 1. tract. 17. punct. 11. num. 1. & alij.

Non est suadire perstitiosum alios maleficos interrogare, an norint maleficij signa, vel possint ea licite dissoluere?

164 Colligitur quartò: Licitum esse, adire alium maleficum, & interrogare, an norit, in quo maleficium consistat, vt eius signo cognito, possit dissolvi, & destrui; non tamen inducere eum possumus ad id per suam artem investigandum, quando signum ignorat? Ratio primæ partis est: quia maleficus, & si peccaverit hanc scientiam prius Dœmonis ope acquirendo, tamen ea potest licite vti; sicut qui Grammaticam, aut Physicam Dœmonis ope comparavit, ea vti licet: ergo potest maleficus licite ex scientia prius acquisita, manifestare signa maleficij; sed quando maleficus potest licite ea manifestare, potest etiam ab alijs interrogari: ergo talis interrogatio licita est. Ratio secundæ etiam patet; quia si hoc ignoret, & inducatur ad illud investigandum, sequitur, quod necessario debeat hoc à Dœmone addiscere, cum alia via scire non possit: ergo cum hoc illicitum sit, etiam erit illum inducere ad talia signa per suam artem perquirenda. Vnde sequitur, quod si dicat se scire maleficij signa, ignorare vero modum quo dissolvi potest, non licet ad id sua arte inquirendum, illum inducere: quia hoc esset ipsum ad Dœmonem consulendum incitare. At, si asserit, tam maleficij signa, quàm modum, ea destruendi, cognoscere, tunc videndum est, sit necne hic modus licitus; & si licitus fuerit, poterit eo vti ad illa destruenda. ¶ Adverte tamen, quod si aperire modum dissolutionis renuerit, aut circa illum hæsitaverit, signum evidens est, esse illicitum, & superstitiosum. Dicta docent Ovandus in 4. dist. 34. disp. vnica, Sanchez de

de Matrim. lib. 7. disp. 96. num. 4 & in Decal. lib. 2. cap. 41. num. 20. Fagund. lib. 1. in Decal. cap. 43. num. 14. Delrius lib. 9. cap. 2. sect. 1. quæst. 2. Leand. tract. 9. disp. 3. quæst. 36. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 10. dub. 13. num. 8. qui optime addit, etiam licitum esse, rogare ipsum maleficum, vt signa maleficij à se posita auferat, destruendo ligaturas, & imagines, seu idola, quæ asservata, aut sepulta habet. Sed hæc intelligenda sunt sub eisdem circunstantijs, circa alios maleficos, assignatis, scilicet, quando sine alio novo maleficio hæc dissolvi ab eo possunt, vt diximus sup. à num. 145.

Quomodo Confessarij examinare maleficos debeant?

165 Hic velim, esse confessarios solicitos circa ea, in quibus communiter solent Magi, in exercitio huius diabolicæ artis delinquere, vt sic melius eis salutaria remedia possint adhibere. ¶ Quapropter ab eis scisitari debent: primò, an pactum cum Dæmone inierint, Deo que, eius fidei, & Sanctis Sacramentis abrenuntiaverint; & tunc debet eos cogere pactum rescindere per pœnitentiam prædicti criminis, Dæmoni que, & artibus eius renunciando. ¶ Secundò: An crediderint, Dæmonem esse Deum, aut Omnipotentem, & ideo eum adoraverint; tunc enim sunt diversa peccata hæresis, & idololatriæ. ¶ Tertiò: An maleficia ex rebus sacris confecerint, credendo in eis adesse virtutem ad tales effectus? Nam tunc est reus sacrilegij, & hæresis. ¶ Quartò: An per maleficia damna intulerint? Tunc enim peccant contra iustitiam, & ad restitutionem tenentur. ¶ Quintò inquirat: An adhuc habeant maleficia, vanas res, libros, & instrumenta huius artis, quibus nocere solent? Tunc enim absolvi nequeant, quin prius ea, vel tradant confessario, vel destruant, seu comburant. Dicta tenent Doctores citati maxime Bonac. disp. 3. quæst. 5. punct. 5. num. 11. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 13. à num. 9.

PUNCT. XI.

De Lamijs, seu Sagis, & de his, quæ in earum nocturnis conventibus agunt.

HUc vsque egimus in communi de maleficijs, & de remedijs, quibus mederi possunt, nunc vero agendum est de eorum authoribus. At quia communiter huius artis discipuli, mulieres quædam sunt, quæ Lamiæ, Striges, Sagæ, seu Maleficæ, & Hispan. *Brujas*, nuncupantur, ideo de illis sigillatim agere decrevimus. Hunc autem punct. in duplicem §. dividemus; in primò docemus, quæ sint istæ Sagæ, & an vere transferantur de loco in locum. In secundò disputabimus, quid in suis conventibus cum Dæmone agant, & quæ peccata committant?

§. I.

Quæ sint Sagæ; & an realiter transferantur de loco in locum?

Vnde dicantur Magiæ Striges, & Lamiæ.

166 MVlieres ergo Magiæ diabolicæ deditæ, multiplici nomine insigniuntur. Primò dicuntur *Lamiæ* à Lamia, quæ est animal quoddam monstruosum (sive marinum, sive terrestre sit, de quo videatur Cornelius in Thren. Hier. super illud cap. 4. *Sed & Lamiæ nudaverunt mammam*) quod vt ait Cælius Rodig. lib. 29. cap. 5. est muliebris facie, & speciosa ornatum, & pueros pariter, & iuvenes blanditijs allectos devorans. Vnde quia prædictæ nefariæ mulieres suis maleficijs, & incantationibus pueros, & homines enecant, recte Lamiæ vocantur. Dicuntur secundò *Sagæ* à sagacitate, sive à sagiendo, vt ait Cicer. lib. 2. de divinat. quia futura, & occulta scire inhiantes, ob hoc Dæmoni instruendas se tradunt. Tertiò vocantur *Veneficæ*, seu maleficæ, quia maleficijs omnibus nocent. Vltimò striges; ab avi quadam nocturna, *Strix* dicta, quæ noctu stridendo volat, & vt canit Ovid. 6. Fastor infantes sine nutricum custodia relictos è cuneis rapit, sanguinem que omnem illis exorbet. Quapropter ab huius avis noxa striges nunc mulieres has appellamus, quæ suo contactu, aut lactis, mammarum que oblatione, puellulos fascinant, varie nocent, & sanguinem eorum sugendo, enecant. De his ergo mulieribus plura sunt scitu digna, quæ in præsenti edocere, solita metho do curabimus.

Cur fœminæ, potius quam viri magiæ deditæ sint?

167 Sed ante omnia animum pulsat decisio illius difficultatis, vltro mentis aciei se offerentis, cur videlicet, fœminæ potius, quam viri his maleficijs inveniantur deditæ: Et cur potius istæ sint vetulæ, quam iuvenes? Plures causas tradunt Doctores infra citandi pro declaratione, & demonstratione primæ partis quæstionis, ex quibus efficatiores tantum seligemus. Prima est: innata mulierum levitas, & pronitas ad credendum, vnde aptiores sunt, vt facilius, quam viri à Dæmone illudantur. Secunda est: fluxibilitas complexionis, ratione cuius facilioris sunt impressionis, ad revelationes capiendas per suggestionem Dæmonis. Vnde valde inhiant futura, & occulta cognoscere, & ob hoc nimium desiderium, facile talia prædicentibus, credunt, & ob id artibus Dæmonum se immiscent. Tertia est: nimia ira, vindictæ que cupiditas, qua ardent, & æstuant contra illas despicientes, aut iniuriantes: vnde cum vires non habeant, vt armis vindictam ab iniuriantibus sumant, maleficijs non dubitant vlcisci. Quare dixit Eccles. cap. 25. *Brebis omnis malitia super malitiam mulieris.* Quarta est: quia tam ex parte intellectus, quàm voluntatis imperfectiores sunt quam viri, vnde stultæ ignorantes, & instar pueri levi sententia sunt, vt docet Terentius. Et Cato de eis dixit: *Instruit insidias lachrymis dum fœmina plorat.* Vnde videmus, quod si odit quem prius dilexerat, æstuat

æstuat ira contra eum sicut mare tumens. Quapropter dixit Eccli. 25. *Non est ira super iram mulieris.* Et hoc in causa est, vt facilius à diabolo illudantur. Vltima: quia scopus totius huius artis diabolicæ est insatiabilis libido carnalis, quam explent in congressibus libidinosis, & complexibus nocturnis cum Dæmone: cum ergo mulieres ob innatam humiditatem ad venerem pronæ, & proclives præ viris sint, hinc oritur, quod potius illæ quam isti superstitiosæ, & Magicæ arti deditæ inveniantur.

Quaræ vetulæ præ iuvenibus sagæ sunt.

168 Ex quibus facilis est solutio secundæ partis quæstionis: nam ideo vetulæ potius, quam iuvenes hæc Magia diabolica potius quam iuvenes vtuntur: tum, vt tradit Ioann. Nevizant. in silva nuptiali: ob odium in puritiam, quia ipsæ iam florem ætatis deperditæ lamentantur: tum etiam: quia ex Dæmonis instructione sciunt ex potu iuvenilis sanguinis, humidum radicale restaurari, sicut docet Marsil. Facinus lib. 2. de Vita Longa, cap. 11. dicta docent Sprenger tom. 1. part. 1. mallei maleficar. quæst. 6. Torreblanc. lib. 12. Iur. Spirit. cap. 8. Simanc. de Catholic. Instit. tit. 37. num. 3. Fugund. lib. 1. Decal. cap. 41. n. 5. Lupus in Edict. Inquisit. part. 3. lib. 20. dist. 6. art. 4. diffic. 1. & alij. Qui omnes optime advertunt, quod obstetrices, & meretrices, seu adulteræ, præ alijs fœminis, sunt huic vitio deditæ: quia illæ maiorem habent puerorum notitiam, & occasionem eos enecandi; istæ vero, quia vehemens habent desiderium hominum ad mulieres accessum impediendi.

Congruentia quare Deus permittit quod plus pueruli quã adultis noceant.

169 Alia quæstio in præsenti est; cur Deus permittat, quod potius infantibus, & iuvenibus, quam adultis striges noceant? Huic interrogationi nequit efficax reddi ratio, cum ex divina pendeat voluntate; nihilominus aliquam dabimus congruentem: scilicet hoc fieri in pœnam parentum, vel ad eorum probationem, vt tradit D. Aug. lib. 12. de Civit. Dei, cap. 14. & Sprenger 2. part. cap. 13. q. 1. vel vt alij volunt, quia eorum ætas est imbecilior ad resistendum, & eas revelare nequeunt, vel quia ex eorum corporibus truncis, hoc est abscisis manibus, pedibus, & capite vnguentum conficiunt, sine quo ad conventicula cum Dæmone credunt deferri non posse. Dicta docent Sprenger part. 2. quæst. 1. cap. 2. Delrius lib. 2. quæst. 24. & lib. 3. part. 1. quæst. 1. Lupus loc. cit. diffic. 3. & alij.

Aliqui negãt Striges à Dæmone realiter de loco in locum asportari.

170 Gravior tamen difficultas in hac materia est: An striges de loco in locum brevissimo tempore à Dæmone asportentur, vereque, & realiter in corporibus hæc fiant, Dæmonum que conventibus intersint? Negant non pauci, & moventur primo ex cap. *Episcopi 26.* quæst. 5. deductum ex Concilio Ancyrano, vbi prohibetur sub pœna excommunicationis, ne quis huiusmodi anicularum nænijs fidem præbeat: ergo illicitum est credere huiusmodi asportationem. Secundò: Plurimæ Strigæ postquam illo diabolico vnguento delibuntur, vt per aëra volitent, reperiuntur eodem loco immobiles, vbi se inunxerant: ergo, &c. Tertiò: Huiusmodi striges, quando his conventibus intersunt, cum Dæmone convivantes, & tripudiantes, invocato nomine Iesu evanescunt: ergo signum est, quod ibi non realiter in proprijs corporibus, sed phantastice tantum erant. Quartò: Si hoc modo volitare illis liberum esset, nunquam carceribus detinerentur: ergo. Quintò: Aliquando affirmant, se vidisse in suis conventibus homines probatæ sanctitatis: ergo certum est, hæc pure fantastica esse. Sextò: Quia dicunt se nocte deambulare in felicem, mustelam, alia que animalia transmutatas; sed hoc à Dæmone fieri nequit: ergo hæc omnia pure fantastica sunt. Hanc sententiam docent cum Luthero, & Melacton plurimi sectarij; quibus adhærent aliqui Catholici, vt Franciscus Samuel Minorita, Martinus de Arles Canonista, & alij, quos refert Delrius loco infra citando, & Navarr. in Manual. cap. 38. n. 11. asserit esse mortale prædicta credere, nisi aliquando, & raro Deo id permittente, vnde huic sententiæ videtur adhærere.

Affirmativa sententia eligitur, & probatur.

171 Sed vera, & communis Doctorum sententia est, nonnunquam Sagas à Dæmone in proprio corpore de loco in locum transferri, realiter que conventiculis earum adesse, & ibi tripudiare, alia que huiusmodi peragere. Hæc conclusio probatur sic primò: Nam huiusmodi transmutatio realis, vires Dæmonis non excedit: ergo ab eo fieri potest. Antecedens constat ex cap. 4. Matth. vbi dicitur, quod Diabolus assumpsit, & transtulit Christum Dominum in Sanctam Civitatem, & posuit eum super pinnaculum Templi, & inde detulit in montem excelsum valde, vbi omnia regna mundi, & gloriam eius ostendit, quæ per realem assumptionem factam fuisse tenent D. Thom. 3. part. quæst. 41. art. 4. ad 7. & alij Sancti PP. & Doctores apud Cornel. ergo eodem modo realiter, & in proprijs corporibus poterit Sagas de loco in locum transportare. Deinde apud Clement. lib. 6. Constitut. cap. 9. legimus, Simonem Magum per aëra à Dæmone sublatum, & D. Petri oratione ab eo loco cecidisse, & crura eius media infricta fuisse: ergo non excedit naturalem Dæmonis virtutem, Sagas de loco in locum asportare. ¶ Confirmatur: Nam de Angelo bono legimus hæc, & similia propria virtute operari: nam Daniel. 14. *Angelus Domini aprehendit Abacuc in Iudea, & capillo capitis sui portavit eum, posuit que eum in Babilonem super lacum in impetu spiritus sui.* Et similiter Actor. 8. v. 39. dicitur: *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus... Philippus autem inventus est in Azoto:* ergo, &c. Præterea: prædicti Angeli movent rapidissime orbes cælestes, vt tenet Sacra Scriptura; sed quo ad vim naturalem nil passus est detrimenti Angelus malus per peccatum, sed eius virtus mansit integra: ergo si Angelus bonus transferre realiter de loco in loco homines in proprijs corporibus potest, idem de Angelo malo dicere, oportet; quia plures Angeli mali excellentiores sunt in virtute naturali multis Angelis bonis; cum de quolibet ordine Angelorum communis est sententia, aliquos cecidisse. ¶ Vltimò constat hoc longa experientia: tum plurium Sa-

gã-

garum, quæ ſic evenire falſæ ſunt, & ob id à DD. Inquiſitoribus, fidei que Iudicibus punitæ fuerunt: tum etiam aliorum exemplis, qui à Dœmone de loco in locum realiter ſunt aſportati, tam in vigilia, quàm in ſomnis, quorum plurima refert Delrius lib. 2. q. 16. & hoc adeò verum eſt, vt dicat Abul. in 4. Matth. quæſt. 47. quod imprudentia ſit illud negare cum mille nobis teſtes occurrant, qui ſibi horum conſcij ſunt: ergo omnino certum eſt, ſagas vere & realiter in proprijs corporibus à Dœmone transferri.

Aliquando hæc tranſportatio pure phantaſtice fit.

172 Diximus non nunquam Sagas realiter de loco in locum transferri; quia non negamus aliquando hæc mere phantaſtice fieri, vt patet ex pluribus experientijs, quas referunt Caiet. 2. 2. quæſt. 95. art. 3. & Abul. in cap. 13. Gen. quæſt. 354. Deinde: quia ex Dei permiſsione Dœmon eſt author huius tranſvectionis, & illam omittit aliquando; tum ad iudices illudendos, ne Sagas iuxta criminis gravitatem puniant, credendo hæc omnia phantaſtice fieri; tum etiam ad veras, & reales tranſmutationes infirmandas; tum denique ob alia motiva, quæ ad humani generis, nec non & ipſius Sagæ pernitiem conducunt. ¶ Nota vero hic cum Ciruelo de Superſtit. cap. 4. Simancas de Catholicis Inſtitut. tit. 27. num. 12. quod quando hæc tranſvectio phantaſtice tantum fit, ita Dœmon earum corpus ſubintrat, vt illas omni ſenſu prorſus privet, taliter quod licet flagellentur, aut vrantur, nihil omnino ſentiant, ſed tanquam emortuæ corruant: imprimit tamen tunc in illis tales ſpecies, vt quando à cathalepſi evigilant, credant vere, & realiter tunc volitaſſe, alienas domos ingreſſas fuiſſe, & pueros ſuxiſſe, aut faſcinaſſe. Dicta docent communiter Doctores, maxime Pegna in Direct. comment. 68. Abul. in Matth. cap. 4. quæſt. 47. Suarez lib. de Superſtit. cap. 16. n. 24. Spreng. 2. part. Mall. Malefic. quæſt. 1. cap. 3. Delrius lib. 2. quæſt. 16. Villalob. 2. part. tr. 38. diffic. 10. num. 6. & diffic. 7. num. 4. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 40. num. 6. Læſſ. lib. 2. de Iuſtitia, cap. 44. dub. 3. Azor tom. 1. lib. 9. (non lib. 1. vt dicunt Palaus, & Leand.) cap. 25. quæſt. 3. Palaus tract. 17. diſp. 1. punct. 9. à num. 6. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 11. num. 9. Fagund. lib. 1. cap. 47. à n. 8. Leand. tract. 9. diſp. 4. quæſt. 17. & alij.

Fit ſatis cõtrarijs argumentis.

173 Ad primum argumentum ſententiæ contrariæ reſpondetur: in prædicto textu non damnari credere, quod Sagæ à Dœmonibus realiter aſportantur, ſed quod aſſerant cum Herodiade, vel Diana Dea Paganorum ambulare, exiſtimando eam eſſe vere Deam. Et quod hæc ſit Concilij mens, patet ex ipſo contextu; ibi enim dicitur: *Quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt Satanam converſæ, dæmonum illuſionibus, & phantaſmatibus ſeductæ, credunt, & profitentur, ſe nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum, equitare ſuper quaſdam beſtias, & multa terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire.... Nam innumera multitudo hac falſa opinione decepta, hæc vera eſſe credit, & credendo à recta fide deviat, & in errore Paganorum revoluitur, cum aliquid divinatis, aut numinis extra vnum Deum arbitrantur.* Præterea credebant Sagæ, vt ex prædictis verbis conſtat, ſe ſuper quaſdam beſtias à Diana formatas equitare, quod falſum eſt; tum: quia beſtiæ ex ſe non poſſunt per aëra volitare, nec tam brebi tempore tot ſpatia percurrere; tum: quia Diana nequit beſtias quibus Lamiæ tranſferrentur ad illi inſerviendum efformare, mutando creaturas ex vna in aliam ſubſtantiam, quod vtique credere hæreticum eſt; & hoc eſt quod Patres prædicti Concilij negant, non autem quod Sagæ à Dœmone transferri de loco in locum queant. ¶ Præterquam quod prædictum Concilij caput ſubreptitium eſſe, tenet Severin. Bin. author notarum ad dictum Concilium, referens pro hac ſententia Baronium. Et ad hoc movetur ex eo, quod nec editio Creſconiana, nec alia, prædictum caput habet, & ideo Damaſo potius attribuenbum eſſe, ſentit. Videatur dictum Concil. in tom. 1. Concil. General. pag. mihi, 232. & 233. Vnde huius capitis dubia ſemper apud Doctos authoritas eſt, & conſequenter nihil mirum, ſi ſententiam nobis oppoſitam prædicta verba innuere videantur. ¶ Secundum argumentum confirmat ſecundam partem noſtræ aſſertionis; nimirum quod hæc tranſportatio aliquando phantaſtica ſit. ¶ Ad tertium dicimus, quod ſi Sagæ invocato Nomine *Ieſu* ſtatim evanent, eſt quia à Dœmone iterum brebiſsimo temporis ſpatio in domum propriam reducuntur. ¶ Vel dic: omnia evaneſcere exceptis Sagis, quæ Nomen Ieſu invocarunt; iſtæ enim ibi ſolent permanere, & magno itineris labore domum redire poſtea coguntur, & interdum prius à Dœmone ob non ſervatam diſciplinam diabolicam, & ſcandalum alijs datum, duriſsime cæduntur, & flagellantur. ¶ Ad quartum dicimus, quod cum Dœmones maleficis, & ſagis tantum opem ferant, quantum Deus eis permittit, divina providentia factum eſt, vt eorum delicta impunita non remaneant, quod eas è manibus Iudicum liberare non poſsint. Legatur D. Aug. lib. 15. de Civitate Dei, cap. 23. & lib. 18. cap. 16. cui adhærent Palud. in 4. diſt. 34. quæſt. 2. ad 2. Palaus cit. num. 7. in fine. Bariyola in Aphoriſm. verb. *Malefice*, Leand. quæſt. 26. ¶ Ad quintum dic: poſſe Dœmones efformare in ſuis conventibus figuras piorum virorum, & probatæ ſanctitatis; quod quidem faciunt, tum ad comprobanda ea, quæ in eis fiunt; tum etiam ad denigrandam eorum opinionem; ſed Deus hunc dolum diu non permittit latere, & innocentis famam periclitari. Ita Palaus num. 7. cit. Lupus 3. part. lib. 20. diſt. 5. art. 5. & alij.

Sexto argumẽto fit ſatis, & oſtenditur Dœmones non poſſe corpora humana in aliam ſubſtantiam tranſmutare.

174 Sextum argumentum continet ſatis gravem difficultatem, ad quam, omiſsis aliorum ſententijs, ex D. Thom. 1. part. q. 110. art. 2. & 114. art. 4. ad 2. reſpondemus, quod non omnis materia corporalis, tam Angelis bonis, quàm malis ad nutum obedit, vt ipſi pro ſuo libito, & ex virtute ſua, aut applicando activa paſsivis, poſsint tranſmutare eam de forma in formam; ſed tantum, vt ait D. Aug.

Aug. lib. 3. de Trinitate, cap.8. *Possunt adhibere quædam semina, quæ in elementis mundi inveniuntur ad huiusmodi effectus complendos.* Quapropter solum valent facere transmutationes rerum corporalium, quas efficere possunt virtutes naturales eis applicatæ, ad quas pertinent prædicta semina, de quibus loquitur D. Aug. Vnde quia aliquæ res corporales virtute agentium naturalium transmutari possunt vere, & realiter in serpentes, & ranas, alia que animalia, quæ ex putrefactione generantur, vt ait Angelic. Doctor; ideo has transmutationes Angeli mali efficere possunt: *Sicut Magi Pharaonis* (ait D. Thom. 1. part. quæst. 114. art. 4. in corpore) *per virtutem Dæmonis veros serpentes, & ranas fecerunt Exodi 7.* At quia plurimæ sunt res, quæ in alias ex virtute naturali transmutari nequeunt, sicut, quod corpus humanum transmutetur in corpus bestiale, aut quod corpus hominis mortuum reviviscat (exempla sunt D. Thom. loco cit. ad 2.) hinc est, quod nec hæc, nec similia à Dæmone transmutari in alias figuras, seu species possunt. Quapropter si aliquo huiusmodi à Dæmone fieri videantur, non fiunt ab eis secundum rei veritatem, sed secundum apparientiam tantum. Quod quidem dupliciter efficere possunt Dæmones. Primò immutando hominis phantasiam, & sensus corporeos, vt aliquid videat, aliter, quam est, vt probat Angelic. Doct. 1. part. quæst. 111. art. 3. & 4. Secundò modo ab exteriori: *Cum ipse possit* (verba sunt D. Thom. in quæst. 14. art. 4.) *formare corpus ex aëre cuiuscumque formæ, & figuræ vt illud assumens in eo visibiliter appareat: potest eadem ratione circumponere cuicunque rei corporeæ quamcunque formam corpoream, vt in eius specie videatur.* Et hoc modo absque dubio Dæmon transmutat Sagas in catos, simias, anseres, &c. dum sic in suis conventibus in his figuris apparent.

Per immutationé sensuum videtur vnas substantias in alias trãsmutare.

175 In cuius confirmationem stat in primis exemplum Nabucodonosor, de quo inquit D. Thom. lib. 2. de Regim. Princip. cap. vlt. cui adhærent Pereirus, Maldonat. Molin. 1. part. quæst. 111. Delrius lib. 2. de Mag. cap. 18. Medina de recta in Deum Fide, lib. 2. cap. 7. & Euseb. part. 1. suæ Philosophiæ, lib. 2. cap. 23. non revera fuisse transformatum in bestiam; sed imaginatione corrupta, & vitiata, se ita transformantum in bisontem, aut vrum sibi ipsi videbatur. Cuius rei exempla non pauca referunt Galen. & post eum Levinus Lemnius lib. 2. de complexione sub finem. Primò, de quodam homine, qui ob imaginationem vitiatam putabat nasum, instar Elephantis probo scidem, excreviſſe. Secundò, de altero, qui credebat corpus vitreum habere; quare semper stabat, nec ab aliquo tangi permittebat. Tertiò de alio, qui se mortuum putabat, & ideo edere nolebat. Item refert D. Aug. llb. 18. de Civit. Dei, cap. 18. de quibusdam magis mulieribus Italis quæ suis incantationibus viatores transformabant In iumenta, quæ onera baiularent. Et valde vulgare est, quod Circe Maga Ulisis socios in varias bestias transformavit, non quia homines prædictæ Magæ re ipsa in bestias, & iumenta transformarint, sed quia per artem magicam, Dæmonis que opem, vel immutabant phantasiam, & oculos tam eorum, quàm aliorum, vt exterius sibi & alijs talis figuræ repræsentarentur, vel quia forte (vt alij volunt) bestiarum pelles hominibus aptissime circundant accomodando caput capiti, os ori, brachia brachijs, & pedes pedibus. Hoc ergo modo dicimus, Dæmonem transmutare Sagas in catos, vulpes, mustellas, simias, anseres, canes, &c. scilicet vel sensus immutando, ita vt videre credant, quod re ipsa non est; vel circumponendo corpus aëreum his animalibus valde simile; quod cum non excedat eius potestatem, nihil ex hac transmutatione contra nostram conclusionem convincunt.

Quomodo Sagæ sine penetratione cubiculum reseratum ingrediantur.

176 Ex quibus sequitur decisio duplicis difficultatis. Prima est, si Dæmones vere, & realiter Sagas de loco in locum transmutant, quo modo eas sub specie felis, aut mustellæ in domos, aut cubicula clausa ad pueros fascinandos, nocendos, aut occidendos introducunt? Et ratio difficultatis est: quia Dæmon nequit propria virtute duo corpora penetrare; sed hoc est necessarium vt possint Sagæ ianuis clausis in cubicula ad nocendum ingredi: ergo Dæmon nequit in proprijs corporibus eas ibi transmutare. ¶ Respondetur verum esse duo corpora ex Dæmonis virtute non posse inter se penetrari, vt communiter tenet Philosophia, sed ex hoc non sequitur, quod Sagas in domos clausas introducere non possit, quia eas non introducit corpus penetrando, aut mutando eius quantitatem instar mustellæ, cati, aut vulpis, taliter quod possint per rimam in reseratum cubiculum irrepere; hoc enim prorsus falsum, & commentitium est, omnis que agentis creati excedens virtutem; sed eas introducit subito, & sine strepitu ianuas aperiendo, vel foramen corporis capax dilatando, lapides è muro, aut pariete, si opus fuerit, auferendo, & postea artificiose eas subito reponendo. Cæterum, quia homines hanc celeritatem tartarei latomi deprehendere non possunt, ideo iudicant, hæc per comprehensionem, & contractionem fieri, taliter quod per rimas, tanquam mures, intromittantur. Sic Suarez lib. 2. de Superstit. cap. 16. num. 8. Delrius lib. 2. quæst. 17. Lupus 3. part. lib. 16. distinct. 5. art. 9. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 40. num. 7. Tolet. lib. 4. Sum. cap. 16.

Vulnus illatum corporibus, in quę Sagæ apparent transmutatæ, eas vere, & realiter tangit.

177 Secunda difficultas est: cur si quis animalia, & bestias, in quæ transformari videntur Sagæ, vulneret, postea ipsæ in eadem parte sauciæ, & vulneratæ appareant? Respondetur, quod huius vulneris causa est, quia cum Sagæ vere, & realiter in proprijs corporibus ibi sint, & solum vel per immutationem, sensuum, aut circumpositionem alicuius aërei corporis videantur esse hæc, aut illa animalia, & prædictum aëreum corpus vim ictus impedire non possit; ideo ensis earum corpora re ipsa percutit, & ita postea in eadem corporis parte sauciæ, & vulneratæ apparent. De quo aliqua exempla videri possunt

sunt apud Delrium lib. 2. Disquisit. Mag. quæst. 18. referens Tyræum de Apparit. Spirit. à cap. 15. ad 24. & alios. ¶ Dicendum præterea est: quod causa huius vulneris aliquando solet esse ipse Dæmon; nam quando ipsas non vere, & realiter, sed tantum phantastice transfert; tunc diabolus sauciat eam corporis partem, quæ in ferino corpore ictum excepit, vt tradit ipse Delrius. Ex quibus soluta manet difficultas proposita.

§. II.

Quæ Sagæ in nocturnis conventibus cum Dæmone peragant; & quæ peccata committant?

De his quæ in conventiculis, tam apud se, quã cum Dæmone agunt.

178 SEcunda quæstionis, & puncti pars petit, vt explicemus, qualiter veneficæ, seu Sagæ in nocturnis conventibus se gerant, tam inter se, quàm cum Dæmone? Vt sic clarius innotescat, quot peccata prædictæ diaboli discipulæ committant. Ad quam interrogationem ex varijs, gravibus que Doctoribus respondetur, quod postquam infelix Saga, proh dolor! se Dæmoni tradit, designatur alter Dæmon, qui ei velut maritus inserviat, ad ludos que deferat, & in dæmoniacis artibus instruat. Hic ergo Dæmon per vnum, aut duos dies, antequam fiat diabolica congregatio condicta à Dæmone (quæ communiter fit, tum certis temporibus, maxime in Quadragesima, vel Hebdomada Sancta, & alijs diebus sacris, vt sic eius malitia resplendeat; tum determinatis locis iuxta diversitatem Provinciarum, Hispaniæ quidem in agro Benevento vulgo *Barona*, vt refert Castro de iusta hæret. punit. cap. 16. nec non Torreblanc. lib. 11. cap. 8. num. 4. & Leand. tract. 9. disp. 4. quæst. 21. ¶ Genevæ prope summam ædem, vt ait Lambert. Danæus. ¶ Italiæ in Monte veneris iuxta Ursinum lacum, vt scribit Æneas Silvius epist. 46. & in alijs locis iuxta diversa regna, vt tradunt citati Doctores, & insuper Spina de Strigibus, cap. 20.) Sagam sibi in perditionem designatam monet, qualiter tali nocte, & hora se debet præparare ad ludos; quæ si, ex ficta causa, ad illos ire recuset, adeò mente, & corpore diversis infirmitatibus dire vexatur, vt cogatur iure iurare, quod amplius non recusabit accedere. Si vero promittat accessuram, adveniente condicta hora, evocatur quadam velut humana voce à proprio Magisterulo, vel Martineto, aut Martinello (sic vocatur ab eis Dæmon concommittans, & eis deserviens) & statim sumpto pixide vnctionis, in quibusdam corporis partibus se linit quodam vnguento ex vnguine infantum necatorum confecto; (esto sine vnguento aliquando deferantur) quo linita exit è domo, & statim invenit Magisterulum suum sub forma hirci, aut alterius animalis; cui insedens, & eius crinibus apprehensis, per aëra volitando brebissimo tempore defertur ad locum destinatum, & ibi suaviter deponitur: interim ad latus mariti, si saga est matrimonio copulata, ex aëre aliud corpus aëreum vxori simile apponit (frigidum tamen, & insensibile) vt putetur ibi adesse. Vel vt alij volunt, conciliat marito profundum somnum, vt vxoris absentiam non agnoscat. Vbi autem ad designatum locum pervenit, invenit alias sagas eodem modo, & fine congregatas, & inter eas adest, in regio solio sedens, Beelzebud forma terrifica, & vt in plurimum, hirci. Ad quem per ordinem accedunt adorandi gratia, interdum complicatis genibus supplices, interdum ob verso tergo stantes, interdum etiam cruribus in altum iactis, nec capite in anteriorem partem prono, sed resupinato, adeò vt mentum ad cœlum feratur. Et tunc oblatis piceis candelis, vel vmbilico infantis ad signum homagij eum in podice osculantur. Interdum filios suos, & alienos illi offerunt, nec non semen ipsum profussum dicant, & Eucharistiæ Sacramentum in ore servatum, coram Dæmone conculcant, mille que afficiunt ignominijs, vt sic gratiorem Dæmoni offerant cultum.

Prosequitur assumptum.

179 Postea, aut aperta, vel linteo velata facie, convivant de cibis à se, vel à Dæmone allatis, interdum delicatissimis, & interdum insipidis ex infantibus occisis, aut cadaveribus exhumatis, præcedente tamen benedictione mensæ tali cætu digna. Deinde inter se, vel cum suo Magisterulo tripudiant, & ad tympanum fescenninos obscenissimos in honorem Dæmonis canunt. Tunc ennarrant facinora ab vltimo conventu patrata, & quo graviora sunt eo vberius collaudantur, & in hoc segnes verberibus crudelibus afficiuntur. Denique suis amasijs Dæmonibus commiscentur mulieres incubis, & viri succubis, quando que etiam exercent præposteram libidinem, & alia nefaria, & horrenda, quæ pudet referre. Huc vsque dicta, & alia referunt Delrius lib. 2. quæst. 16. ex Grillando lib. 2. de Sortilegio, quæst. 7. num. 8. Peña 2. part. Direct. Inquisit. com. 68. Caiet. 2. 2. quæst. 69. art. 8. Remig. lib. 1. de Monolo. cap. 14. & 24. Turrecrem. in cap. Episcop. 26. quæst. 5. Spina, Torreblanc. Leand. sup. citat. Sprenger in mall. malefic. part. 2. quæst. 1. cap. 13. Condroch. lib. 3. de moribus veneficar. cap. 8. & alij apud ipsos, qui ex varijs sagarum confessionibus hæc omnia pluries comprobata quantum fides humana patitur, docent, & firmiter testantur. Qui plura scire inhiat consulat citatos Authores. ¶ Huc vsque dicta adnotare voluimus, vt videant Confessarij, quæ peccata malefici, & sagæ communiter in suis conventibus committunt; vt sic quando contritæ ad eorum pedes accedunt, sciant examinare, illarum que inveterata vlcera detegere, vt sic conveniens medicamentum apponant, eas que ad viam veritatis revocent, occasiones relabendi auferant, omne que cum Dæmone antiquum commercium scindant, & disrumpant. Advertant tamen communiter veneficos, & sagas mutilas facere confessiones, alios que hanc pestiferam artem edocere. Quapropter absolvendi non sunt, donec quantum in se est, curent seductos convertere, aut si recusent, apud Superiores accusare.

Dæmones incubos, & succubos esse negant aliqui.

180 Diximus maleficos, & sagas in suis conventibus commisceri frequenter Dæmonibus interdum succubis, & interdum incubis, quod quia non levem videtur habere difficultatem, ideo in præsenti illam ad examen vocamus. Negant aliqui credentes, impossibile esse, quod Dæmones actum carnalem cum hominibus exercere valeant. Et moventur primò: quia Dæmones corpore carent: ergo nequeunt, tam vt succubi, quàm vt incubi, cum hominibus commisceri. ¶ Secundò: libidinosa commixtio ad generationem ordinatur; sed Dæmones generare non possunt; cum verum semen, seu sperma emittere non possint, aut in corpore assumpto elaborare, vt est communis Doctorum sententia: ergo nequeunt libidinosè commisceri. Hanc sententiam tenent plures hæretici, vt Petr. Mar. Uvierus, & alij, & ex Catholicis Eugubinus de perenni Philosophia, lib. 8. cap. 27. Philippus Broedus Addit. ad cap. 11. Fori Romani, Cardan. lib. de Subtilit. Peramato de Hominis procreatione, cap. 1. Franc. Valleriola Enar. Medic. tom. 1. & alij apud Delrium.

Alij verius affirmant.

181 Sed tenenda est, vt omnino certa, contraria sententia. Primò, quia sic videtur eam definisse Innoc. VIII. scribens ad German. his verbis: *Summis desiderantes affectibus::: Complures vtriusque sexus personæ propriæ salutis immemores, & à Fide Catholica deviantes cum Dæmonibus incubis, & succubis ab vti.* Ergo ex Summi Pontificis mente datur hæc diabolica commixtio. Idem tradit D. Thom. 1. part. quæst. 51. art. 3. vbi ad 6. argumentum, quod intendebat probare Angelos posse generare ex illo. Gen. 6. v. 4. *Postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.* Sic ait: *Ad sextum dicendum, quod sicut Augustin. dicit 15. de Civitate Dei, (cap. 23.) multi se expertos, vel ab expertis audijsse, confirmant, Sylvanos, & Faunos (quos vulgus incubos vocat) improbos sæpe extitisse mulieribus, & earum expetisse, atque peregisse concubitum. Vnde hoc negare imprudentia videtur.* Quibus in verbis vides Angelicum Doctorem docere imprudentiam esse, negare quod Dæmones, (qui Silvani, & Fauni dicuntur, eo quod vt Dij sylvarum, & nemorum venerabantur) non commiscean tur cum mulieribus, cum tot testes huius concubitus existant. Quot Angelos vocat Ovid. lib. 1. Metamorphos. Semi Deos, eo quod cum eorum habitatio deberet esse in Cœlo, solo amore concubitus cum hominibus degebant in terra. Vt patet ex sequentibus versibus.

Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina Fauni,
Et Nimphæ, Satyrique, monticulæ Sylvani.

Eadé assertio ratione fulcitur.

182 Probatur tertiò à ratione. Nam Dæmon efformare potest corpus elemẽtare ex aëre non puro (quia aër in se non est figurabilis) sed ex ipso vaporibus condensato, vt probat Angelicus Doctor 1. part. quæst. 51. art. 2. in corpore, & ad tertium; & deinde illud ad carnis similitudinem palpabile effingere: potest etiam exubias cadaveris assumere, & eis aliquomodo actiones viventium imitari: ergo & commiscri cum Sagis. Antecedens est certum, & evidenti experientia comprobatum, tam ex Sacra Scriptura, quàm certis alijs apparitionibus, de quibus imprudens esset, dubitare, in quibus Angeli boni, & mali in his corporalibus figuris se hominibus conspiciendos ostendunt. Consequentia vero sic ostenditur. Tum: quia ad talem carnalem commixtionem non requiritur, quod virtute propria verum semen à se efforment, & seminent; cum ad peccatum carnale seminatio spermatis non sit necessaria. Tum etiam: quia & si hoc esset necessarium, possunt ipsi aliunde ab hominibus acceptum afferre, & naturalem eius emissionem imitari: ergo nihil desideratur, vt malefici, & sagæ cum Dæmonibus, tam succubis, quàm incubis commiscean tur. Nostram assertionem tenent D. Isid. lib. 8. Etymolog. Beda lib. 3. in Evang. Lucæ, cap. 31. Gerson part. 4. Collat. de Angelis. D. Thom. sup. cit. Tolet. lib. 4. Summ. cap. 15. Sprenger tom. 1. Mallei Maleficar. part. 2. quæst. 1. cap. 4. & quæst. 2. cap. 7. Castro lib. 1. de Hæret. cap. 16. Delrius lib. 2. quæst. 15. Torre 2. 2. quæst. 95. disp. 7. Torreblanc. Iur. Spirit. lib. 5. cap. 1. Fagundez lib. 1. Decal. cap. 41. n. 7. Leand. tract. 9. disp. 4. quæst. 8. Simancas de Catholica Institut. tit. 37. num. 5. Iudoc. in Thesauro Cathol. verb. *Maleficium*, num. 8. v. 2. & alij plures.

Respondetur argumentis.

183 Ex quibus constat ad rationes contrariæ sententiæ. Nam ad primam probatum manet, Angelos posse, corpora aërea sumere, vt docet D. Aug. lib. 15. de Civit. Dei, cap. 23. his verbis: *Angeli in assumptis corporibus Abrahæ apparuerunt.* Et Angelic. Doct. 1. part. quæst. 53. art. 2. probat Angelos corpora assumere, ex eo, quod ab omnibus in talibus apparitionibus indifferenter videntur; sed Angeli mali etiam indifferenter ab omnibus præsentibus videntur, non minus ac Angeli Abrahæ, & Tobiæ apparentes visi indifferenter ab omnibus sunt, vt ait ibi D. Thom. ergo dicendum est quod tunc saltem corpora aërea Dæmones assumunt.

Secundo argumẽto respondetur ostendendo ex commixtione cum Dæmone in cubo posse sequi prolis generationem.

184 Ad secundam respondetur: quod licet Dæmones in corporibus assumptis verum semen, seu sperma efformare non possint, possunt tamen aliunde illud accipere, scilicet ab hominibus, & maxime illud, quod per actum carnalem à viris deciditur; quia hoc emittitur in maiori quantitate, & virtute, quam illud, quod emittitur per nocturnam pollutionem, quæ fit ex superfluo humore: quapropter naturali agilitate, & virtute qua Dæmones pollent, possunt calorem prolificum in prædicto semine, quamvis subtilis, & aëreus sit, ac proinde facilis dissipari, conservare, ad mulierem que ad concipiendum dispositam momento deferre, & matrici infundere; vel naturali vi attrahendum exhibere, vt muliebri semini commiscea tur, & ita absque dubio conceptio, & generatio sequetur, vt non semel experientia comprobavit; tenent que Delrius lib. 2. quæst. 15. axioma 2. Bulenger tom. 1. part. 2. quæst. 1. cap. 4. & part. 1. q. 3. & alij. Qui optime notant, quod quando Dæ-

Dœmon est Succubus, seu mulieris vicem obit, ex tali concubito generatio minime sequi potest, & si verum semen apponat in matrice; quia licet in conceptione vir, & fœmina pares forte sint; at, ad prolis generationem, & partum, longe plura mater, quam pater, suppeditat, quæ Dœmon Succubus præstare nequit in corpore assumpto. Et ratio est: quoniam non potest in illo adesse continua animæ vegetantis operatio, qualis requiritur, tum, ad commutationem seminis in corpus organicum; tum, ad fœtum ibi alendum: ergo ex tali concubitu nulla proles nasci potest. Videantur Torreblanca Iur. Spirit. lib. 5. cap. 2. num. 47. & Iodocus, verbo Maleficium, numer. 8. v. 8.

Licet aliquando talis generatio sequatur nō tamen semper.

185 Verum tamen certum est, quod non semper Dœmon in his actibus carnalibus verum emittat semen. ~~Nam si accessus fit violenter ad virginem non fagam, sed pudicam, & timidam (quod rarissime evenit, nec unquam hoc Deum permisisse legimus)~~ tunc si vult ex ea generationem sequi, adhibet ad illam ea, quæ necessaria sunt, & sic sub specie alicuius viri eam deludit, verum emittendo semen. At, si hunc actum exerceat in sagarum gratiam, vt communiter contingit; tunc si saga Succuba prolem exoptat, sperma verum quærit, & matrici infundit; nisi cognoscat mulierem sterilem, aut annosam esse, aut ipsa prolem renuat, tunc enim vel semen non emittit, vel frigidum, & fictitium exhibet, quia sicut natura, ita, & Dœmon, superfluitatem (qualis esset si tunc verum sperma, seu semen, emitteret) subterfugit. Si vero mulier imprægnari nolit, similiter dicimus, tunc fictitium semen immittere. Qua propter aliqui Doctores sentiunt, sagas nullam delectationem, sed potius horrorem in prædicto concubitu percipere. Cuius rei causa esse potest, vel: quia Deus id permittit; vel: quia id seminis fictio, & frigiditas causat: ex quo cognoscitur maior huius peccati malitia, & fœditas, cum ne voluptate adeò enorme delictum committere non recusent. Sed non minus probabiliter alij sentiunt, sagam in tali actu percipere aliquam voluptatem: tum: quia astutia Dœmonis caro inflammatur, titillat, & prurit; tum etiam: nam imaginatio vehemens ad hanc spurcitiam facit casum. At, Dœmon, cum sit expers carnis, ex his spurcitijs diabolicis nequit aliam delectationem capere, quam illam, quam percipit, in conando homines ab æterna beatitudine avertere, & ad tartaros perpetuis, & æternis cruciatibus torquendos detrudere. Dicta docent Delrius, & Sprenger locis citatis Lupus in Edict. S. Inquis. part. 3. lib. 2. in 2. dist. 8. art. 1. difficult. 1. Iudocus in Therauro Cathol. verbo *Malefi.* num. 8. & alij.

An ex cōcubitu cū Dæmone possibilis sit generatio, si humanum semen in matricem immittat?

186 Hinc oritur gravis difficultas; an videlicet ex prædicto congressu cum Dœmone incubo, si matrici verum, & humanum semen infundat, possit proles generari. Cui difficultati respondetur affirmative absque vlla hæsitatione. Et ratio est: quia ex semine vero cum virtute generativa matrici aptæ, & dispositæ infusso, naturaliter prolis generatio sequitur; sed Dœmon potest, hæc omnia facere, quando cum saga commiscetur: ergo & ex tali concubitu per verum semen prolem generare. Sola minor indiget probatione, quæ sic suadetur: Nam Dœmon incubus potest, vt nullus negat, verum semen, & prolificum ab homine accipere, & statim seu ictu oculi matrici infundere; sed tunc calor naturalis, & prolificus per hanc brebem, & instantaneam morulam virtutem innatam amittere non potest; maxime cum prædictus calor alijs remedijs à Dœmone confoveri possit: ergo in hoc casu poterit ex semine ab alio accepto per congressum Dœmonis cum saga proles generari. ¶ Confirmatur primò: Nam D. Thom. quodlib. 6. quæst. 3. art. 18. inquirens, an aliquis possit esse naturaliter, vel miraculose simul virgo & pater, hunc nostrum casum in argumento secundo, vt posibilem, supponit. Deinde in corpore hæc tradit. *Posset tamen forte absque miraculo mulier, salva omnimoda virginitate, concipere; sicut dicitur accidisse de quadam puella pubescente, quam propter pudoris custodiam in lecto suo pater babebat, qui dum somno pollueretur, semen ad matricem descendit, & puella concepit..... vir autem posset esse pater, salva tali virginitate, naturaliter propter pollutionem nocturnam, quæ quocunque casu ad matricem mulieris perveniret*: ergo ex mente tanti Doctoris, si semen ad matricem perveniret in brebi distantia, temporisque morula, adhuc conservaret virtutem ad generandum. Et ne alicui videatur mutasse sententiam postea 1. part. quæst. 51. art. 6. ad 3. hæc profert. *Si tamen ex coitu Dœmonum aliqui interdum nascuntur, hoc non est per semen ab eis decissum, aut à corporibus assumptis, sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum, vt pote quod idem Dœmon, qui est succubus ad virum fiat incubus ad mulierem, sicut & aliarum rerum semina assumunt, ad aliquarum rerum generationem vt August. dicit. 3. de Trinit. cap. 8. vt sic ille, qui nascitur, non sit filius Dœmonis, sed illius hominis cuius est semen acceptum*: ergo ex mente D. Thomæ possibilis est conservatio virtutis seminis per aliquam morulam, in qua si in matrice mulieris à Dœmone transfundatur, proles absque dubio generabitur.

Exemplis illustratur.

187 Confirmatur prædicta doctrina exemplis, quibus fidem negare imprudentia non levis esset. Nostri Salmant. Schol. tom. 4. tract. 13. disp. 10. dub. 6. num. 223. referunt, consultos fuisse super hunc casum, videlicet, quod nobilis, & honesta puella viri ignara, nedum incorrupta, sed & innocens, inventa est habens in vtero, quod, vel ex miraculo, vel arte Dœmonis factum esse, testantur. ¶ Alberroes Collet. 2. cap. 10. Albert. Mag. lib. de Formatione hominis, cap. 1. & alij tradunt, quandam fœminam in balneo, ex semine ibi decisso, concepisse. Et alia plurima huiusmodi exempla refert Serarius in cap. 6. Tobiæ quæst. 4. & Nider in Formic. lib. 5. cap. 10. refert aliam puellam redditam fuisse prægnantem ob causam, quam sup. ex D. Thom. retulimus. ¶ Denique Bubal in 1. part. D. Thom. quæst. 50. art. 1. quæst. 3. difficult. 2. §. 9. & Pellinc. ad Poliph. stant. 31. nota 4. re-

referunt, quandam virginem concepiſſe, attracto ſemine, roris modo: ergo vera eſt noſtra aſſertio. Quapropter apud Gentiles receptum fuit, quoſdam famoſos heroes ex Dijs, ſeu Dæmonibus natos fuiſſe, vt referunt D. Thom. 1. part. quæſt. 50. art. 1. & latiſsime Maluenda de Antichr. lib. 2. cap. 4. vnde Pontianus in Hiſtoria de ſtatu Religioſo refert, Lutherum ex Dæmone incubo fuiſſe genitum. & Abul. in Gen. cap. 6. quæſt. 6. docet, Merlinum vatem ex ſimili concubitu ortum fuiſſe; & D. Hieron. in Iſaiam. cap. 16. tradit, ex Dæmone incubo Antichriſtum eſſe generandum; & idem referunt S. Birgitta lib. 6. Revelat. cap. 67. S. Anſelm. in Elucidario, lib. 7. cap. 7. S. Ildegardis Epiſt. ad Philippum Decanum, & Clerum Colon. quæ eſt in Chronico Alberti Stadenſ. ann. 1557. & alij communiter: ergo prorſus conſonat veritati, quod ex concubitu Dæmonis incubi cum Sagis, poteſt humana proles naſci, ſi aliunde verum hominis ſemen matrici infundat. Dicta tenent præter huc vſque allegatos Caiet. 2. 2. quæſt. 95. art. 3. Delrius lib. 2. Mag. quæſt. 15. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 4. lib. 2. cap. 16. Buleng. part. 1. quæſt. 3. pag. mihi, 31. D. Bonav. in 2. diſtinct. 8. art. 3. quæſt. 1. Dioniſ. Carthuſ. ibidem, quæſt. 2. Sotus ibi quæſt. vnica, Spina de Strigibus, cap. 6. Valeſius de Sacra Philoſoph. cap. 8. Cantimprat. lib. 2. de Apibus, cap. 57. §. 16. Sylveſt. de Strigimag. lib. 2. cap. 13. Stephan. Bubal in 1. part. D. Thomæ, quæſt. 51. art. 3. quæſit. 1. difficult. 3. à §. 1. Serar. cap. 6. Tobiæ, quæſt. 4. & 5. & alij apud Fagund. lib. 1. in Decal. cap. 41. num. 7. & Leandrum quæſt. 12. diſp. 4. citatæ. Nec non Card. Aguirre in Lud. Salmant. lud. 4. ex Curſ. 2. num. 26. inter quos refert D. Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei, cap. 15. & noviſſ. R. M. Emman. Navarrus prologom. 4. de Ang. num. 163.

Refertur oppoſita opinio.

188 Sed licet noſtra aſſertio ſit adeò communis, tot que authoritatibus, & experientijs munita, eam negant Nicol. Remig. lib. 1. de Dæmolatria, cap. 6. & Torreblanc. lib. 4. Iuris Spirit. part. 1. cap. 2. à num. 35. aſſerens num. 41. *D. Thomam nimia ſinceritate ſua, & candore, exemplum ſupra ſibi ennarratum credidiſſe, quod à vera ſimilitudine, & rerum naturalium ſolito ordine abhorret... Et infra num 43. proſequitur dicendo: Niſi velis hoc Angelico Doctori ſuppoſitum eſſe, ſicut multa alia, quæ in eius doctiſsimis, & non ſatis laudatis operibus habentur.* Huc vſque prædictus Iuriſconſultus. Eandem ſententiam, licet ſub ambiguitate aliqua, tenet Pereirus tom. 2. in Gen. cap. 6. diſp. 3. Et moventur primò: quia vis prolifica ſeminis humani, conſiſtit in ſpiritibus; ſed hi ſpiritus, cum ſint tenuiſsimi, citiſsime, & per quamcunque tenuiſsimam morulam, ſi extra genitalia, & inſtrumenta à quibus foventur, exiſtant, difflantur, & evaneſcunt: ergo ſemen nequit conſervare vim prolificam quando ab homine acceptum, & furatum Dæmon matrici infundit. ¶ Secundò: vna, & maior ex cauſis ſterilitatis eſt virilis membri nimis longa magnitudo, quia per illam, v. g. longitudinem, ſemen, quando ad caput matricis pervenit, iam eſt frigidum, & eius virtus evaporata, vt docent apud Torreblanc. Ariſtot. lib. 1. Generat. cap. 6. Pareus, & Avicena in anothomia, relatus ab Abulenſi cap. 23. Exodi quæſt. 40. ſed ſi natura, in tam brevi diſtantia virtutem prolificam ſeminis, in proprio vaſe incluſi, conſervare non poteſt, quin evaporetur, incredibile eſt, quod poſsit Dæmon, quacunque naturali induſtria eam muniat, in tanta diſtantia conſervare: ergo falſum eſt, quod ſemen, ſic à Dæmone applicatum, virtutem ad generandum retineat. ¶ Tertiò: nam ſi poſſent Dæmones ex virorum coitu, concipere, aut mulieres ex Dæmonis commixtione imprægnari, quæ confuſsio, aut perturbatio in mundo non adeſſet? Quæ monſtra non peperiſſent: ergo noſtra ſententia Philoſophiæ Catholicæ, & naturali adverſatur.

D. Thom. à Torreblãc. impoſtura vindicatur.

189 Sed hæc levia ſunt, vt à communi ſententia diſcedamus, & in primis id, quod imponit D. Thomæ Torreblanca ſcilicet, quod ex nimia ſinceritate, & candore, quibus D. Thom. fruebatur, illud exemplum contra omnem veram catholicam, & naturalem philoſophiam credidiſſe, non modica contra tantum Doctorem, licet pietatis ſpecie, iniuria eſt, cum tribuat Doctori Angelico; tum, quod leviter illud exemplum crediderit; tum, quod philoſophiam non calleat, cum ei evidenter contrariam doctrinam credat, doceat, & ſcribat. Sed nunquid Iuriſconſultus penetrat de Philoſophia, quod Philoſophi dilucidator ignorat? Nunquid hic legis peritus Philoſophiam in Iuſtiniano, Vulpiano, &c. dicidit, quam in Ariſt. Doctor Angelicus non invenit, vel inventam non percepit? Sed hoc ſubterfugiſſe ſibi viſum eſt, addendo hanc doctrinam operibus D. Thomæ eſſe ſuppoſitam, vel calide aſſutam; ſed in hoc leguleius iſte incidit in Scyllam, putans vitare Carybdim. Tum, quia in hoc ſatis oſtendit in D. Thoma parum verſatum eſſe, cum nullus ſit, eius opera aliquantulum evoluens, qui ignoret, ſolum aliqua opuſcula in operibus Divi Thomæ eſſe dubiæ fidei, & ideo annotata diverſis characteribus inveniuntur. Cætera vero, quæ ipſi attribuuntur, & maxime quæſtiones quodlibeticæ, omnes certo aſſerunt, D. Thomæ ingenij monumenta eſſe. Tum etiam: quia doctrinam, quam in quodlibetis tradit, iterum repetit in quæſt. 51. art. 3. 1. part. & vt certam ſupponit: ergo falſum prorſus eſt, ſuppoſititiam eſſe. Sed his, vt pote evidenter falſis, ommiſsis.

Primo argumẽto fit ſatis.

190 Ad primum argumentum ſententiæ contrariæ reſpondetur, quod licet prolifica ſeminis virtus in ſpiritibus conſiſtat, magna que ſpirituum vitalium, & animalium ſubtilitas ſit, tamen eos, ne tam ſubito exhalentur, diligentiſsime cuſtodia circumſepire, & communire, Dæmones approbe norunt; nam cum ipſi virtutes rerum naturalium calleant, poſſunt applicare ea, quæ per longum tempus, ſi neceſſarium eſſet, virtutem prolificam conſervare poſſunt. Deinde: quia morula, quam in huiuſmodi applicatione conſumunt Dæmones, eſt adeò inſtantanea, vt exhalari ſpiri-

ritus prolificus non posit. Præterquam quod virtus seminis prolifica, esto in spiritibus consistat, non tam cito exhalatur, vt postquam à viro deciditur, aliquandiu non perseveret, vt à me consulti testati sunt aliqui Medicinæ docti Cathedratici, & in hac celeberrima Academia Laureati Doctores, ex quibus quidam retulit mihi, nuper accidisse cuidam muleri, quod ex solo contactu seminis mariti ad exteriorem partem fœminei vasis, quin illud membro virili potuerit penetrare, inventa fuerit in vtero habens; quia tanta erat virtus mulieris, vt illud statim exuxerit, virtute quæ illius subito conceperit; & huius generis casus, fassi omnes sunt, quotidie evenire: ergo signum est, quod non statim seminis virtus evanescit. Vlterius: vt edocent Philosophus 2. de Gene. cap. 3. & Div. Thom. in 4. distinct. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 2. quos sequuntur NN. Complut. abbrebiat. tom. 4. lib. 1. & 2. de Anima, disp. 5. quæst. 2. num. 15. semen non informatur forma totius, sed alia inanimata; sed quæ informantur forma inanimata non statim, ac à toto separantur, corrumpuntur, virtutes que nativas amittunt; vt patet in lapidibus, imò & in herbis, quæ postquam à toto abscinduntur, esto anima vegetativa in toto vivant, adhuc virtutes naturales conservant; ergo nec virtus seminis, esto à toto separetur statim deperditur, aut corrumpitur.

Secundu m argumentũ solvitur.

191 Ex quibus patet ad secundum argumentum. Concedimus enim, quod immoderata virgæ longitudo posit esse sterilitatis causa (licet Albertus Magnus tom. 6. lib. 10. de Animalibus, tract. 2. cap. 1. agendo de causis sterilitatis, solum mentionem fecerit nimiæ brebitatis virgæ; sed hoc est argumentum pure negativum.) Tum: quia virga est membrum nervosum, & consequenter frigidum, cum nervi sint de complexione frigida, quare dum est nimis longa in illa brebi distantia, qua semen, seu virtus à testiculis ad caput matricis pervenit, infrigidatur, eius que virtus evaporatur, & ideo generare non potest. Tum etiam: quia nimia huius membri longitudo forte indicium, & signum est, quod similes homines semen perfecte prolificum non efformant; quare cum debilis sit eius virtus, potest per illam brebem distantiam evaporari, & infrigidari. At Dæmones, mira scientia naturali pollentes, possunt alijs remedijs naturalibus calorem, & virtutem seminis, seu viri, confoveri, ne evaporetur. ¶ Rursus: quando generare intendunt, possunt semen conquirere, non qualemcunque, sed plurimum, craciſsimum, calidisimum, spiritibus affluens, & seri expers, deligendo homines, à quibus illud furantur, calidos, robustos, & abundantes multo semine, vt sic diutius eius virtus perseverare posit, quin exhaletur: ergo licet forte in aliquo homine sufficiat nimia virgæ longitudo, vt eius semen vel per infirmitatem, aut debilitatem exhaletur, generatio que impediatur; tamen ex hoc non arguitur, quod semen à Dæmone ab aliquo homine robusto furatum, ob brebisimam morulam, qua à loco effusionis matrici infunditur, evaporetur, aut exhaletur taliter, quod virtutem prolificam amittat.

Fit saris tertio argumento.

192 Ad tertium dicimus: quod cum Dæmon nihil posit operari, nisi quod Deus ei permisserit, minimè ex tali concubitu sequitur in mundo confusio, aut perturbatio. Fatemur tamen, aliquos homines ex his Dæmonis cum mulieribus commixtionibus fuisse generatos. (Quod intelligendum est quando sunt incubi, non vero si sint succubi, vt supra notavimus, tenet que Serarius citatus.) ¶ Sed nota hic primò: Quod hi homines non sunt dicendi, nec sunt filij Dæmonis, sed tantum illius hominis, cuius fuit semen furatum; cum ab eo principaliter generetur, Dæmon que tantum sit causa applicativa seminis. Sic tenet D. Thom. relatus sup. num. 186. quem alij communiter sequuntur. Sed licet hoc verum sit, tamen negari non potest experientia teste, quod Dæmones valde influant in eorum perversas inclinationes, nam possunt ipsi semen magica arte ad eam temperiem transferre, vt proles in omni vitiorum genus propensa generetur, vt probat Vallesius cap. 8. de Sac. Philosoph. Ex illo Galeni proloquio: *Animi mores corporis sequitur temperamentum.* Ac proinde qui ex simili concubitu nascuntur, vt in plurimum solent, fœdissima peccata, velut aquam, vivere. ¶ Nota secundò: Similes homines ex concubitu Dæmonis cum sagis ortos, vere contrahere originale peccatum. Et ratio est: quia in his verificatur proprie gigni ex viro, & muliere per seminalem propagationem, quod sufficit ad originale contrahendum vt diximus supr. tract. 20. cap. 9. punct. 2. tenent que Salas 1. 2. quæst. 81. tract. 13. disp. 11. sect. 5. num. 56. & Arriaga disp. 1. de Gen. sect. 4. n. 41.

PUNCT. XII.

De Tauro in die Sancti Marci ad tempus mansueto.

Proponitur casus quæstionis.

193 AB antiqua hominum memoria in aliquibus oppidis tam huius Salmantinæ, quam Civitatensis Diœcesis mos invaluit, quod sodales Confraternitatis in honorem Sancti Marci fundatæ, in eius pervigilio ad Taurorum gregem vadant, & Confraternitatis præfectus detecto capite in Nomine Domini, & D. Marci vocat Taurum Truculentiorem, vt secum ad assistendum divinis officijs veniat. Res mirabilis! Statim immemor nativæ ferocitatis armenta desserit, vaccas dimittit, & quasi ovis advocanti obedit, & præeuntes sequitur, vsque dum oppidum, & Ecclesiam ingrediatur. Eum turba læta puerorum, & virginum excipit, eius humeros attrectant: cornua floribus ornant, & candelas accensas eis imponunt. Mansuetus stat iuxta templi altare, quo vsque Divinis officijs persolutis dimittitur, & abire præcipitur, & tunc revocata antiqua ferocitate toto impetu currens ad solita pascua convolat. Huius circu-

curationis Tauri in die S. Marci res est adeò patens, vt tota Hispania testis sit ocularis.

Videtur superstitiosa nõ esse præpictam tauri cicurationem.

194 Quæritur nunc: An hæc cicuratio sit incantatio diabolica, an vero miraculum, quod Deus in honorem S. Marci quotannis facere vult? Quod autem hæc cicuratio sit miraculosa suadere possunt sequentia. Primò: Nam insolitum non est, quod determinato die quotannis aliquod miraculum Deus in honorem alicuius Sancti faciat. Nam Neapoli in Campania sanguis. S. Ianuarij in ampulla vitrea servatus, ad conspectum capitis evullit, & liquefit vt in officio huius Sancti refert Ecclesia die 19. Septembris. De Phoca martyre Antiocheno refert Martyrolog. Roman. die 5. Martij, quod si morsus quis à serpente huius Martyris Basilicam ingressus fuerit, statim evacuato veneno sanus revertitur. Deinde meritis Seraphicæ Virginis, & Matris N. S. Theresiæ omnes eius filiæ statim, ac habitum Ordinis induunt, à molestis, mordacibus que pediculis liberantur, ita vt eos nunquam deinceps generent, vt continua, quotidiana que testatur experientia, & nostræ inclamant historiæ, tom. 2. lib. 6. cap. 23. Chronicæ N. Ordinis; vbi adnotatur aliud novi generis, & maius miraculum; scilicet quod si forte Moniales aliquæ sint, vel inobedientes Superioribus, aut Priorisæ, vel in observantia regulari tepidæ, sive constitutiones à S.M.N. Theresia stabilitas mutare contendunt, vel si novitia aliqua Religioni inepta est, & minime professionem emissura, tunc hac plaga dire molestatur. Vlterius: meritis D. Pauli Apost. in Insula Melitensi, vbi ipse navigans Romam post naufragium morsum viperæ sprevit; ex tunc noxa, & venenata animalia non inveniuntur, vt testatur Lorin. in cap. 28. Act. Apost. v. 6. Præterea in conspectu Martyrum sæpissime crudeles bestias mansuefieri ad eorum que pedes tanquam oves prodere, & humiliter eos lambere quotidie in Ecclesiasticis Codicibus legimus: ergo similiter potest Deus in honorem Sancti Marci Taurum cicurare. Vltimò: nam hæc fiunt à viris, in quibus ob simplicitatem nulla suspicio pacti cum Dæmone adest, vnde videmus à DD. Inquisitoribus, & Episcopis tolerari: ergo licitum, & tanquam miraculum à Deo in honorem S. Marci factum, reputandum. In quam opinionem non parum se inclinat Thom. Hurtado tom. 1. Resol. Moral. tract. 5. cap. 4. res. 26. licet postea num. 265. affirmet, à se adducta in confirmationem prædicta consuetudinis, tantum disputationis gratia dixisse.

Conttariũ tenendum est.

195 Nihilominus dicendum est prædictam cicurationem esse illicitam, & superstitiosam. Et probatur primò: Nam Deus non facit miracula nisi in fidei confirmationem, vel in testimonium sanctitatis alicuius personæ, vt D. Thom. 2. 2. quæst. 178. art. 2. in corpore docet; sed nullum ex his motivis adest in præsenti vt Deus tale miraculum faciat; nam fides in his Diœcesibus sicut in tota Hispania alte defixas habet radices, (vtinam æquales in alijs Regionibus haberet) ac proinde vt firmetur, miraculis non indiget; ac proinde nec ex hoc maior cultus sanctitati D. Marci accrescit, sed potius minor: nam ex assistentia prædicti Tauri in Divinis officijs sequitur Ecclesiæ conspurcatio, populi dissolutio, puerorum risus, & inquietudo: ergo nullum motivum adest, vt credamus prædictam cicurationem miraculosam esse. ¶ Præterquam quod in prædicta cæremonia nonnulla superstitiosa miscentur; si enim ad Præfecti Confraternitatis vocem Taurus aliquando non cicuratur, aut obedit, creditur esse sanguine infectum. Si Taurus peractis vesperis aliquam domum ingredi renuit (circumfertur enim per omnes vias, & domos loci, vt à viris fidedignis audivi) aliquid infaustum eius habitatoribus eventurum suspicatur; sed hæc omnia superstitiosa sunt: ergo non miraculosa, sed superstitiosa hæc cicuratio est. ¶ Vltimò: verba, quibus Taurus evocatur, nullam virtutem ex se ad hanc cicurationem habent, nec aliàs ab Ecclesia sunt ad hanc cicurationem approbata: ergo vana, & superstitiosa sunt, in nihiloque hæc cæremonia differt ab incantatione animalium, & serpentum, quæ apud omnes diabolica est. Quapropter audivi aliquando accidisse quod Taurus, deposita illa ficta mansuetudine, dum solemnia agerentur, in præsentes irruisse, & pluribus vel occisis, vel graviter vulneratis ad armenta evolasse. Qui casus dissimilis non est illi quem referunt Sprenger part. 2. quæst. 2. cap. 6. Delrius lib. 2. quæst. 13. de quodam celebri Mago, qui in Civitate Saltzburgensi, vt spectaculum iucundum civis præberet, promisit, se omnes serpentes in spatio vnius milliaris existentes verborum suorum virtute in vnam foveam congregaturum, & postea eos occissurum. Congregabit ergo omnes serpentes, sicut promiserat, & ipse lætus facto supra foveam stabat. Et ecce novissime serpens quidam annosus ingens, & horribiles adest, foveam que ingredi recusabat, & motivus quasi indigitabat, vt illum reverti ad Sylvas permitteret; sed cum maleficus ab incantatione non desisteret, ea que intenderet cogere serpentem, vt in foveam intraret, stans serpens ex opposito incantatoris, supra foveam saltum fecit, & in magum irruens, ventrem eius spiris suis cingens, & adstringens, secum in foveam detrudit, & interemit. In quo ergo hic casus à nostro differt; si ergo hic superstitiosus est, quare & noster non erit?

Sum. Pontificis prohibitio circa prædictam tauri cicurationem.

196 Quapropter Clemens VIII. in Bulla quadam ad preces Episcopi Civitatensis expedita, hæc omnia damnat his verbis: *Venerabilis frater exponi nobis nuper fecisti, apud nonnullos istius Diœcesis Civitatensis populos inoleviſſe abusum quemdam in festo S. Marci Evangelistæ, quod taurus quidam ferocissimus publice ad Missam, & processionem à vicinis perducitur Marci nomine, candelam, & panem in cornu gestans, magno sane cum divini honoris, & animarum periculo; cum ipsimet belluæ à fœminis præsertim, ac reliqua Vulgi multitudine quasi è cœlo à Deo, vel à S. Marco ad processionem Missæ veneratio, ac divinus cultus tribuatur. Ad quod periculum, quoniam hæc scandala, ac incommoda accedunt: primum gentilica illa superstitio affinis, ac simili-*

ma

ma idololatriæ, deinde etiam mortis discrimen, tum divinæ virtutis, ac miracula cuiusdam essagitatio in mansuefaciendo animali natura sua feroci, præter fœdissimas templorum conspurcationes, turbarum que inter divina officia excitationes, & risus per omnia Ecclesiarum loca dissolutos: tu propterea pro tua in Deum pietate, ac pastorali vigilantia abusum prædictum tanquam à Religione Christiana alienum tollere, ac abolere desideras. Sed cum homines illi plus nimio, & contra quam Christianos decet, nefandæ superstitioni suæ indulgentes, appellationibus, & inhibitionibus violenter se tueantur, ac defendant: nobis humiliter supplicari fecisti, vt in præmissis providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur fraternitatis tuæ solertiam, & religionem summopere in Domino commendantes, de Venerab. Frat. N. Card. Congregat. S. Rituum sententia, supradictum abusum tanquam Ecclesiasticæ pietati, nec non etiam sacro ritui adversantem, his locis, in quæ huc vsque irrepsit, funditus tollendum, atque abolendum esse statuimus, & ordinamus; ac fraternitati tuæ per præsentes committimus, ac mandamus, plenam, & amplam facultatem tibi super hoc concedentes, vt abusum prædictum ex omnibus, & quibuscumque locis tuæ Civitatensis Diœcesis, appositis iuris & facti remedijs, alijs que Ecclesiasticis censuris, & pœnis tollere, ac funditus abolere, omni, & quacumque oppositione, recursu, & inhibitione postpositis, & rectis authoritate nostra cures, & cum effectu, &c. Quam ad verbum referunt Ioann. à S. Thom. statim citandus, & Ovalle de Incantat. opusc. 1. sect. 2. cap. 2. n. 13. pag. 98.

Respondetur argumentis.

197 Vnde concludimus: Oraculo Ecclesiæ humiliter, & libenter caput inclinantes, prædictam cicurationem, & abusum gentilicum, & superstitiosum esse, ab animis que fidelium exibilandum. Nostram assertionem tenent Torreblanc. lib. 4. Iur. Spirit. cap. 6. à num. 34. Ioann. à Sancto Thoma 2. 2. in fine, quæst. 7. exposit. pag. 486. Hurtadus citatus. ¶ Vnde ad primum argumentum pro contraria sententia respondemus: concedendo Deum meritis Sanctorum miracula patrare de facto; sed in nostro casu nulla adest apparientia, quæ vestigia veri miraculi odoretur, cum nullum illius honestum motivum adsit; sed potius superstitionem in omnibus redolet, & spirat. ¶ Ad secundum respondemus: quod licet personæ hæc agentes, sint simplices, hæcque videantur bona fide facere, tamen re ipsa nequeunt hæc non agere aliquo remorsu conscientiæ, dum cognoscunt medium improportionatum, ad bestiæ adeò ferocis cicurationem consequendam, & ideo licet pactum explicitum non interveniat, nequit non adesse saltem implicitum. Nec verum est hæc à DD. Episcopis videri, & tolerari. Nam vt constat ex Bulla sup. citata absque eorum permissu fit: Inquisitores vero credimus hæc pœnitus ignorare.

Sanguis è corpore occisso manãs inconspectu

198 Vltimò quæres: An sanguis, quem emittere solet cadaver in præsentia occisoris, fiat ex virtute naturali, an ex Dœmonis ope, & auxilio, aut casu. Aristotel. lib. de mixtis Elementis, & in lib. de Natur. rer. Delrius comment. ad Senec. v. 127. & lib. 1. Disquisit. Mag. cap. 3. quæst. 4. v. 6. Ioann. Eusеb. part. 2. Cur. Philosoph. cap. 51. Torreblanc. lib. 1. Iuris Spirit. cap. 8. & alij docent, hæc contingere naturaliter ex vi cuiusdam qualitatis occultæ relictæ in corpore occisi, ortæ ex odio, & naturali antipathia ab occisso in occisorem concepto, fundantur que in illo Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quapropter Menoch. de Præsumptionibus, lib. 1. quæst. 3. num. 9. Mascard. de Probat. lib. 2. conclus. 867. num. 26. & alij contendunt, hoc esse signum sufficiens ad capturam, & torturam. ¶ Sed verius tenendum est: hoc non contingere naturaliter sed casu, aut ex Dœmonis opere, qui potest sanguinem ex ipso corpore educere, si ibi adsit, nec sit congelatus; vel si absit, aliunde adducere, & subtiliter introducere, tum forte ad innocentum pernitiem, tum ad homines illudendos. Nec enim apparenter verum est, quod ex naturali antipathia sanguis emittatur. Quæ enim antipathia odij potest adesse in corpore defuncto, à quo anima, & eius potentiæ sunt separatæ, cum odium vnice ab actuali influxu voluntatis dependeat? Deinde antipathia naturalis fundatur in qualitatibus naturalibus corporis, ac proinde, si hoc verum esset, omnia corpora occisa cum occisoribus eam haberent, quod falsum est, cum plura cadavera ante occisorem, sanguinem non emittant: ergo si adest alia antipathia, superstitiosa, & diabolica est. Nec maiorem efficatiam habet locus allegatus Geneseos: nam sensus illius est, vt docent Abul. Cornel. Lahaye, & alij, quod tale homicidium est peccatum adeò atrox, & grave, vt vindictam impietatis à Deo exigat. Videantur citati Doctores maxime Lahaye vbi pluribus illius loci explicationibus nullam affert, quæ vel in mini mo adversariorum sententiam indigitet.

homicidæ non evenit naturalit, sed casu, aut superstitiose.

PUNCT. XIII.

De pœnis à iure statutis contra Divinatores, Sagas, Maleficos, Magos Sortilegos, & alios similes pactum aliquod cum Dœmone contrahentes.

POstquam de speciebus superstitionis actum nobis est, restat de pœnis contra prædicta delicta latis à iure, differere; sed quia hæc non admodum Theologo Morali necessaria sunt, ideo brebiter ab eis expediemur; advertendo pro maiori dicendorum claritate, quod hic omnes in titulo relatos sub nomine malefici comprehendimus, & ideo hoc tantum nomine in præsenti vtemur.

199 Contra Maleficos primò in lege Moy-

Pœnam capitis incurrunt malefici.

Moysis pœna capitis erat lata, vt constat ex illo Exodi 22. *Maleficos non patiaris vivere.* Et Levit. 20. v. 27. *Vir, sive mulier in quibus phytonitus, vel divinationis fuerit spiritus morte moriantur, lapidibus obruent eos.* Et similiter in iure Canonico eadem pœna capitis ponitur, vt refert D. Clemens lib. 7. Constit. Apost. cap. 4. & iure Civil. tit. de Malef. & Mathemat. leg. *Nemo* 5. leg. *Multi* 6. leg. *Et si exempta* 7. leg. *Quicunque*, & iure Hispan. leg. 3. tit. 23. part. 7. leg. 6. tit. 3. & lib. 8. Recopilat. necari præcipitur. Huius supplicij genus antiquitus iuxta diversitatem nationum diversum etiam fuit; nunc vero iam praxi receptum est, quod Malefici, si contumaces sint vivi; si vero pœnitentes, compressis prius faucibus, igni traduntur. Sed circa has pœnas iuris periti consulendi sunt. Videantur Torreblanc. lib. 13. Iuris Spirit. cap. 11. Delrius lib. 1. cap. 2. lib. 5. sect. 16. & alij apud ipsos.

Aliqui sentiũt excommunicationem contra Maleficos esse ferendã.

200 Sed his pœnis omissis, propius ad nostrum institutum accedendo, gravis difficultas est: An à iure Canonico sit excommunicatio lata, aut ferenda contra Maleficos? Circa quam difficultatem prima sententia asserit ex iure Canonico ob hoc crimen nullam excommunicationem ipso facto incurri, sed tantum esse ferendam. Et ratio est: quia regula generalis in omnibus censuris est, vt diximus tract. 10. cap. 1. punct. 2. num. 18. quod quando censura non ponitur per verba de præsenti, vt *excommunicatur, suspenditur, &c.* tunc non est lata, sed ferenda; sed in iuribus à contrarijs allegatis affirmatur, quod qui hæc crimina committit, anathema sit, quod verbum non est de præsenti: ergo non est lata, sed ferenda. Quare Glossa exponit similia verba in cap. *Si quis ex Clericis.* De vita, & honestate Clericorum, dicendo id est *fiat*: ergo in præsenti casu est excommunicatio ferenda, & non lata. Deinde: nam ad minus prædicta verba *Anathema sit* licet in decretis ad fidem pertinentibus, indicent eo facto esse hæreticum, & de facto ab Ecclesia præcisum, tamen in alijs rebus separationem faciendam denotant: ergo, &c. Vltimò: quia quando verba in censuris dubia sunt, seu indifferentia ad tempus præsens, aut futurum significandum in benigniorem partem sunt interpretanda: vt loc. cit. ex aliquibus iuris textibus probavimus, & insuper constat ex cap. *Si quis ex Cler.* de vita, & honestate Cleric. & cap. *Si quis* 30. dist. & vtrobique Glossa; sed prædicta verba ad minus dubia, & indifferentia sunt, potest enim illud verbum *sit* esse, vel futuri temporis optativi modi, aut præsentis subiunctivi: ergo in mitiorem, & benigniorem partem sunt interpretanda, & ita non significant censuram latam, sed ferendam. Ita Sylvest. verb. *Superstitio*, quæst. vlt. Lass. lib. 2. cap. 43. dub. 5. num. 49. Suarez lib. 2. de Superstitione, cap. 19. num. 3. Fagundez lib. 1. Decal. cap. 44. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 13. num. 2. Sanchez lib. 2. Decal. cap. 38. num. 91. Azor lib. 1. Instit. lib. 9. cap. 26. & alij.

201 Secunda sententia, & vera asserit, Maleficos esse ipso iure excommunicatos. Sic Tabiena verbo *Excommunicatio.* Delrius lib. 4. cap. 2. quæst. 7. sect. 4. apud Palaum. Nec dissentit Navarr. in Manual. cap. 27. num. 12. Probatur que primò ex cap. *Si quis Ariolos*, vbi dicitur: *Si quis Ariolos, Aruspices, & Incantatores observaverit, aut phylacterijs vsus fuerit, anathema sit.* Sed verbum *Anathema sit* significat censuram latam, vt patet ex Concil. Trident. vbi per hæc verba de facto anathematizat hæreticos: ergo Melefici ex vi huius Decreti censuram latam incurrunt. ¶ Secundò probatur præocupando adversariorum solutionem: Nam virtus legis non est optare, sed imperare: ergo licet hæc verba *Anathema sit* vtrumque significare possent, tamen, vt posita in censuris, imperare, & punire determinate significant. Quapropter tract. 10. cap. 1. punct. 2. num. 19. contra Sanchez, & alios docuimus cum Bonacina, Candido, Hurtado, Avila, & alijs prædicta verba in quacunque censura posita significare excommunicationem latam. Nec dissentit in præsenti Suarez num. 5. asserens, quod licet in antiquioribus Concilijs talia verba censuram ferendam significarent, tamen tempore Gregorij II. in dicto cap. relati, significabant censuram latam, vt probat ex Concil. Roman. sub Papa Zacharia, qui paulo post floruit, vbi ad censuram latam imponendam eisdem verbis vtitur: ergo censura contra Ariolos, &c. imposita dict. cap. *Si quis* est lata, & non ferenda. Præterea probatur ex Extravagant. Ioann. XXII. quæ incipit: *Super illius*, & ad verbum refert Eymericus in Direct. Inquisitorum, part. 2. quæst. 44. & ibi Pegna com. 68. pag. mihi, 343. vbi contra eos dicitur: *Qui cum morte pactum ineunt Dæmonibus immolant, hos adorant, fabricant, aut fabricari procurant imagines, annulum, vel speculum, vel phialam, vel rem quamcumque aliam magice ad Dæmones inibi alligandos ab his petunt, responsa ab is recipiunt, & pro implendis suis desiderijs auxilia postulant, pro re fœtidissima fœtidam exhibent servitutem::: excommunicationis sententiam promulgamus, quam ipsos incurrere volumus ipso facto.* Quæ constitutio licet in Bullario non inveniatur, vt dicunt Suarez, Sanchez, & Palaus affirmando ex hoc vim non habere, tamen inde argui nequit, quod non sit recepta, vimque habeat; tum: quia plura alia Summorum Pontificum sunt Decreta, quæ vim habent, & ibi non sunt transcripta: tum etiam: quia leges Pontificiæ vt obligent, non indigent populi acceptatione, vt tract. 11. cap. 1. punct. 7. num. 99. diximus: ergo hæc omnia subterfugia vana sunt, vt prædicti Malefici non incurrant censuram latam. Quare adhærendo doctrinæ tract. 10. cap. 1. punct. 2. num. 19. traditæ dicendum est: Maleficos ipso facto per prædictas leges Pontificias excommunicari.

Verius est talem excommunicationẽ esse latam.

Bulla Gregor. XV. cõtra Maleficos.

202 Vltra has pœnas alias imponit Gregor. XV. in Bulla contra Maleficos, & Sortilegos cum Diabolo pactum facientes, à fide que *apostatando* alios lædentes, quæ incipit: *Omnipotentis Dei, &c.* edita die 20. Martij ann. 1623. Pontificatus sui ann. 3. vbi sic ait: *Qua-*

Quapropter vt tam exitiosa scelera à Christifidelibus arceantur, gravioribus pœnis vendicanda duximus. Motu ita que proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, de que Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, ac mandamus, vt constito, quod aliquis pactum cum diabolo fuerit, & à fide apostatando, maleficijs seu sortilegijs vnam, seu plures personas ita læserit, vt maleficio, seu sortilegio mors sequta sit, etiam primo lapsu tradatur Curiæ sæculari debitis pœnis puniendus. Qui vero similiter apostatando pactum cum diabolo, vt præfertur fecerit, & maleficium, seu sortilegium commisserint, ex quo licet mors sequta non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi; sive animalibus, frugibus, vel alijs fructibus damnum notabile proveniat, muro claudi, sive perpetuis carceribus in Sancto Inquisitionis Officio vbi illud extitit fabricandis mancipari debeat. Qui verosimilium delinquentium notitiam habuerint eos Episcopo, sive Inquisitori denuntiari teneantur. Non obstantibus, &c. Ex qua constitutione, motu que proprio constat, quod quando Malefici sunt simul Apostatæ, tunc huius criminis cognitio ad Inquisitores pertinet.

Si Malefici sint simul hæretici ex communicat. Bull. in Cœn. Dñi. incurrunt.

203 Hucusque dicta procedunt de Maleficis, quando pure sunt superstitiosi: at si simul cum hoc crimine coniungatur hæresis, aut saltem vehemens illius suspicio, vt communiter accidit, tunc ratione hæresis excommunicationem Bullæ Cœnæ absque dubio ipso facto incurrunt, sed ratione vehementis suspitionis in foro tantum externo puniuntur, de quo statim. ¶ Sed si interroges, quando hæc crimina habeant hæresis suspicionem? Ad hoc brebiter respondetur, quod tunc Malefici contrahunt hæresis vehementem suspicionem. Primò: quando pactum expressum cum Dœmone incunt. Secundò: quando miscent res sacras in maleficijs. Tertiò: dum diabolum adorant. Quartò: quando consulunt de his, quæ sua naturali scientia cognoscere non valent. Quare si solum invocent Dœmonem ad ea, quæ ipse facere potest, tunc hæresis suspitio non contrahitur. Ita Suarez cap. 19. citat. num. 10. Azor lib. 9. cap. 26. quæst. 4. Pegna 2. Direct. quæst. 42. & 43. comment. 67. & 68. Simanc. de Cathol. Instit. tract. 30. n. 15. & tit. 62. num. 2.

Ad quo expectat cognitio criminis Maleficij.

204 Rogabis hic: Quis sit huius criminis Iudex? Respondetur, quod si crimen habeat hæresim admixtam, vel vehementem illius suspicionem, absque dubio ad Inquisitores eius cognitio attinet. Ex cap. *Accusatus*, §. *Sane*, de hæreticis, in 6. tradunt que Farinac. de Hæres. quæst. 181. num. 101. Suarez cap. 18. n. 12. Simancas tit. 37. num. 16. Quare, quia communiter in his criminibus adest vehemens hæresis suspicio, ideo vix vnquam erit vllus ex his Maleficis contra quos Inquisitores non debeant procedere, vt expresse tenent Delrius, & Torreblanca locis citandis, & alij apud ipsos. Præter quam quod Sixtus V. in constit. 17. quæ incipit: *Cœli, & terræ Creator.* Et habetur tom. 2. Cherub. pag. mihi, 388. amplissimam potestatem Inquisitoribus, & Episcopis (intelligitur vbi Sanctæ Inquisitionis Tribunal non adest) de his rebus iudicandi confert. Ibi enim postquam §. 1. refert omnia divinationum, & maleficiorum genera, in quibus adest expressum, aut implicitum pactum cum Dœmone tandem §. 3. sic ait: *Nos igitur::: hæc perpetuo valitura constitutione Apostolica authoritate statuimus, & mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscumque dictæ Iudiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa Agriculturam, & navigationem; rem magicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, fortuitis que casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid eventurum affirmare audent, etiam si id non certo se affirmare asserant, aut protestentur, quam contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernitiosas divinandi artes, sive scientias exercent, profitentur, edocent, aut discent; qui ve huiusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detectanda scelera, vt præfertur faciant, aut in eis se quomodolibet intromittant cuiuscumque gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prælati Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quam Inquisitores hæreticæ pravitatis, vbique gentium deputati, etiam si in pleris que ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos severius canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animadvertant. Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi Iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, augurla, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac vt supra in memorato indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à quibuscumque Christifidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus prædictis, præsentari, & consignari debere. Et nihilominus eadem authoritate statuimus, & mandamus vt contra facientes, legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter ijdem Inquisitores libere, & licite procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere possint. Non obstantibus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dñi. 1585. Nonis Ian. Pontif. nostri anno 1.*

Alia notãda circa Iudices huius criminis.

205 Hucusque hic SS. Pontifex. Et similia tradunt Innoc. VIII. Iulius II. Leo X. Adrian. VI. Alex. VI. quas constitut. refert Pegna post Directorium Inquisit. ex quibus constat, ad quos cognitio criminum, de quibus in tota hac disputatione disseruimus, expectet. Quapropter Tribunal S. Inquisitionis Hispaniæ in edicto generali ann. 1633. publicato, inter alias constitutiones, in quibus referuntur crimina ad S. Inquisitionis Tribunal expectantia, hanc constitutionem affert his verbis Sixti V. constitut. 17. incipit: *Cœli, & terræ Creator, contra exercentes artem Astrologiæ*

logiæ Iudiciariæ, & alia quæcumque divinationis genera, libros ve harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis suæ constitut. 113. *incipit: Incredibilia iudiciorum Dei extensive ad alia, & cum gravioribus pœnis.* Et ex ea infert Torreblanca lib. 15. Iuris Spirit. cap. 3. num. 14. de omnibus relatis criminibus, & si hæresim non sapiant posse nunc Inquisitores cognoscere. Dicta tenent Delrius lib. 5. Disquis. Mag. sect. 2. pag. mihi, 305. Farinac. de Hæresi, quæst. 181. n. 91. Suarez cap. 19. num. 11. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 38. num. 92. Azor lib. 9. cap. 26. quæst. 4. Palaus tract. 17. disp. 1. punct. 13. num. 6. Fagundez lib. 1. cap. 44. num. 12. Leand. tract. 9. disp. 4. quæst. 47. Qui omnes advertunt contra Torreblanc. quod si crimen divinationis, aut maleficij aliquando sit mera superstitio absque hæresis suspitione, tunc eius cognitio ad Inquisitores non pertinet, vt cavetur in cap. *Accusatis*, §. *Sane, de hæreticis*, in 6. his verbis: *Inquisitores hæreticæ pravitatis à Sede Apostolica deputati de divinationib us, aut sortilegijs nisi hæresim saperent manifestam, se intromittere non debent, sed est mixti fori, hoc est, ad iudices Ecclesiasticos, vel laicos expectat, & in eo datur preventio.* Videatur Suarez citatus. De modo procedendi contra hæc delicta, quia alienum est à nostra professione, videantur Delrius toto lib. 5. Torreblanc. lib. 12. & 15. Iur. Spirit. cap. 3. Valentia 2.2. disp. 6. quæst. 13. Petrus de Binfeld. de Confess. Malefic. 2. part. Sprenger in Mall. Malef. 2. & 3. part. & alij.

Non ignoramus aliquos Doctores, inter quos sunt NN. Salmant. Schol. tom. 3. in *Arbore Virtutum*, n. 74. Palaus tr. 17. disp. 2. punct. 2. & Suarez tom. 1. de *Religione*, tract. 3. lib. 1. cap. 1. num. 8. inter vitia Religioni opposita per defectum, computare blasphemiam, & infidelitatem. Sed Divus Thomas hæc duo in præsenti silentio præsit: & merito: quia hic agimus de vitijs immediate, & directe Religioni per defectum oppositis; blasphemia vero non opponitur immediate, & directe Religioni, sed confessioni fidei; & sic de ea agit 2.2. quæst. 13. & 14. & nos in hoc tract. cap. 3. punct. 10. quare esto Religioni mediate opponatur, ne actum agamus, supersedendum esset in præsenti. Infidelitas vero, seu alio nomine, perfidia, ad Deum in promissis, (non vero ea, quæ fidei Theologicæ opponitur) non opponitur immediate Religioni, sed mediante voto; & alias talis oppositio vere, & proprie non est commissionis, sed omissionis, & tantum contraria præcepto affirmativo: *Vota tua Domino reddes.* Quare à Divo Thoma merito à vitijs Religioni per defectum directe, & immediate oppositis, relegatur.

CAP. XII.

De speciebus Irreligiositatis.

DIvi Thomæ prementes vestigia, post considerationem vitiorum, quæ per excessum opponuntur virtuti Religionis, de quibus cap. præcedenti egimus, convertimur ad discussionem eorum, quæ per defectum ei contrariantur, qualia sunt, quæ irreverentia, vi, aut contemptu, Deum, & res sacras attingunt. Horum autem vitiorum genus dicitur *Irreligiositas*, cuius species sunt iuxta Divum Thom. 2.2. à quæst. 97. *Dei tentatio, Periurium, Sacrilegium, & Simonia.* Duæ primæ violant directe reverentiam Deo debitam; posteriores vero ea, quæ rebus sacris exhibenda est. De quibus omnibus hic cum Divo Thoma agendum nobis erat: sed quia de *Simonia* abunde egimus tract. 19. per totum: & de *Periurio* non pauca tetigimus tract. 17. cap. 2. punct. 5. à n. 38. ideo in præsenti de *tentatione Dei*, & *sacrilegio* differendum nobis est.

Punct. I. *Quid sit tentatio Dei?* num. 1.
Punct. II. *De sacrilegio, & eius speciebus.*
§. I. *Quid, & quotuplex sit sacrilegium?* num. 13.
§. II. *Numerantur in particulari sacrilegia, quæ ad hanc triplicem speciem pertinent.* num. 21.
§. III. *Qualis, & quanta sit sacrilegij gravitas; & quot pœnæ contra sacrilegos impositæ sint?* num. 37.

PUNCT. I.

Quid sit Tentatio Dei?

Quid sit tentatio Dei?

1 DUplicem esse tentationem, tradit Divus Augustinus Epist. 146. ad *Confentium*; alia, quæ dicitur *experimenti*, seu *probationis*: & *inductionis*, seu *seductionis* altera. De hac secunda in præsenti non agimus; quia nec Deus potest inducere ad peccatum, vt ait Divus Iacobus cap. 1. illis verbis: *Ipse autem neminem tentat*: nec multo minus induci; non enim est aliquis adeò stupidus, vt cre-

credat ; ſummam Dei Bonitatem poſſe ad peccatum ſeduci. Quare de prima tantum erit in præſenti nobis ſermo. Sic enim, & dicitur in Scriptura ſacra, Deum tentaſſe Abraham, Iob, Tobiam, & alios iuſtos, vt palam fieret, vtrum Deum diligerent; & homines poſſunt Deum tentare, probando eius iuſtitiam, veracitatem, miſericordiam, cætera que attributa: & in hoc ſenſu accepta tentatio Dei, ſic à Doctoribus definitur: *Eſt inordinatum experimentum, ſeu probatio alicuius divinæ perfectionis, verbis, aut factis.* Explicatur definitio: dicitur *inordinatum experimentum*, ſeu *probatio*; quia, ſi ſit ordinatum, hoc eſt, iuſta interveniente neceſsitate, aut vtilitate, vt ſi fiat ex divino inſtinctu; vel habeat donum miraculorum, aut ſanitatum; vel honor Dei, aut Eccleſiæ id expoſtulet, tunc licitum eſt; & ita tentaverunt Deum Abraham, Geneſis 15. quando à Deo ſignum petivit, vt eum eſſe cognoſceret: & Gedeon Iudic. 16. cum vellus rore madefactum à Deo petivit: & Protho-parens N. Elias, dum ignem de Cœlo à Deo exoravit, vt populus Iſrael cognoſceret Baal eſſe Dœmonem, & ſolum Deum Iſrael eſſe verum Deum, ab omnibus que adorari debere. Additur: *alicuius divinæ perfectionis*: quia ſemper experimentum ſumunt homines de aliquo Dei attributo, vt ſapientia, iuſtitia, miſericordia, &c. Denique ponitur *verbis*, aut *factis*: quia vtroque modo poteſt de Deo ſumi experimentum, vt de Iſraelitis Exod. 17. dicitur: *Tentaverunt Dominum dicentes. Eſt ne Dominus in nobis, an non?* Et de Abraham, & Gedeon ſupra vidimus. Quapropter malitia huius peccati conſiſtit in irreverentia, quæ fit Deo, quando abſque iuſta cauſa, ex aliqua ignorantia, aut dubitatione, dictis, aut factis, de aliqua divina perfectione experimentum ſumitur, vt docet Divus Thomas 2. 2. quæſt. 97. art. 2. in corpore.

Diviſio tentationis Dei in expreſſam, & interpretativam.

2 Dividitur ergo tentatio Dei in expreſſam, & interpretativam: tentatio expreſſa dicitur, quando quis dictis, aut factis intendit de Deo experimentum ſumere; vt ſi quis ea intentione oret, vt exploret Dei ſcientiam, potentiam, aut quodcumque aliud divinum attributum: vel ſi è rupe te præcipitem coijcijs, ad experiendum, an Deus te lædi permittat? Tentatio interpretativa eſt, quando, & ſi expreſſe quis non dubitet de aliqua Dei perfectione, neque intendat de Deo experimentum ſumere: *Id tamen*, (verba ſunt Divi Thomæ 2. 2. quæſt. 97. art. 1. in corpore) *agit, vel dicit, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, niſi ad experimentum ſumendum.* Vt ſi quis, verbi gratia, toto Quadrageſimæ tempore ad imitationem Chriſti velit omnino à cibo abſtinere, ſperans à Deo miraculoſe ſervandum, eique ſufficientes vires præbiturum: vel ſi aliquis evidenti periculo ſe abſque vtilitate, & neceſsitate committat, à quo ſine Dei extraordinaria ope eripi nequit, eamque temere expectet: *Quando vero* (concludit Divus Thomas) *hoc agitur abſque neceſsitate, & vtilitate, hoc eſt interpretative tentare Deum.* Quapropter, ſi quis periculo vitæ ſe committat abſque vtilitate, & neceſsitate, & alias à Deo opem non expectet, tunc licet peccet contra Charitatem, non tamen contra Religionem, Deum tentando; quia ad tentationem Dei, requiritur ſpes, quod à Deo incolumis ſervabitur: vnde ſi tali periculo ſe committat cum prædicta ſpe, in hoc caſu non ſolum peccat ſe occidendo, aut vulnerando, iuxta qualitatem periculi, cui ſe immittit, verum, & contra Religionem, Deum vere, & proprie tentando. Dicta docent cum Divo Thoma Caietanus, & Raphael à Torre ibi. Suarez tom. 1. *de Relig.* tract. 3. lib. 1. cap. 2. & 3. Læſius *de Iuſtitia, & Iure*, lib. 2. cap. 45. dubit. 1. Bonac. in 1. *Decal. Præcept.* diſp. 3. quæſt. 9. punct. vnico, à num. 1. Sanchez lib. 2. *in Decalog.* cap. 34. à num. 1. Palaus tract. 17. diſp. 2. punct. 1. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 5. Sayrus lib. 4. cap. 7. num. 12. Filliuc. tr. 22. cap. 8. quæſit. 8. à num. 261.

Prima illatio.

3 Ex quibus ſequitur primò: Tentationem Dei, quæ ex dubitatione circa perfectiones divinas procedit, ſemper eſſe mortale, tam ex parte tentationis, quàm ex parte dubij. Ex parte dubij conſtat; cum dubitare de aliquo attributo divino, hæreſis ſit. Ex parte vero tentationis, etiam liquet; quia tentatio Dei, ex genere ſuo eſt mortale, cum in ea gravis contra Deum committatur irreverentia, non ſolum petendo, quod Deus cooperetur ad vanam petentis curioſitatem, ſed etiam optando, quod ad vanum finem aliquid mirabile operetur, quod vtique Dei maieſtati graviter eſt indecens. Quare ſive tentatio fiat cum dubitatione, ſive non, ex genere ſuo eſt ſemper gravis iniuria contra Religionem Deo debitam.

Tentatio Dei ex parvitate materiæ nō eſt leve peccatum.

4 Gravior tamen hic difficultas inſurgit: An ex parvitate materiæ poſsit Dei tentatio eſſe aliquando peccatum veniale? Supponimus, poſſe eſſe veniale ex defectu libertatis, cum hoc ſit commune in omnibus vitijs. Et ſola difficultas eſt: An poſsit eſſe ex levitate materiæ? verbi gratia; ſi in morbo levi reſpuas medicinas, temere confidens à Deo ſanitatem conſequuturum, non tamen expreſſe petendo miraculoſam curationem: vel ſi male, aut irreverenter orans, ſperes te impetraturum, quæ communiter alij impetrari ſolent? Affirmat Toletus lib. 4. Summæ, cap. 19. num. 7. Bonac. diſp. 3. quæſt. 9. puncto vnico, num. 6. Sayrus lib. 4. cap. 7. num. 14. Valentia 2. 2. diſp. 6. quæſt. 14. punct. 2. & moventur; quia in caſibus ſupra relatis non videtur gravem deordinationem adeſſe, cum ſolum ex quadam quaſi curioſitate videatur opus mirabile à Deo exoptari: ergo peccatum mortale tunc non committitur, prædicta à Deo exoptando. ¶ Sed probabilius tenendum eſt, tunc graviter Deum offendi. Et ratio eſt: quia non minus gravis iniuria eſt, tentare, & probare divinam omnipotentiam medio aliquo ſigno levi, quam gravi, imò gravius eſt illud: quia tunc divina virtus medio ſigno ignobiliori probatur, quod indecentius eſt, quam ſi probaretur medio aliquo nobiliori: ſicut gravius peccatum eſt, adducere Deum in teſtem mendacij rei levis, quam gravis; ſed qui in levi morbo, verbi gratia, ſperat à Deo ſa-

lutem, abijciens naturalia remedia, probat divinam potentiam medio aliquo ignobili, & levi signo: ergo gravior iniuria ei irrogatur, quam si nobilius, & gravius esset. ¶ Deinde: qui sic operatur, agit cum Deo sicut cum Ludione, volens Deum ad solam suam vanam curiositatem in rebus levibus aliquid miraculosum operari; sed hoc gravis iniuria est: ergo, &c. ¶ Vltimò: quia inintelligibile est, quod quis reijciens remedia naturalia, speret à Deo salutem, etiam in morbo levi, & quod non exoptet à Deo aliquod miraculum, mutando causas naturales; sed hoc gravis iniuria in Deum est: ergo in quacumque tentatione, quantumvis levis materia à contrarijs fingatur, semper gravis Deo irrogatur iniuria. Sic Sanchez lib. 2. cap. 34. num. 5. licet in fine obscure loquatur. Suarez cap. 2. cit. num. 16. Palaus num. 9. Per quæ patet ad rationem sententiæ contrariæ; deordinatio enim gravis est in morbo levi à Deo miracula exoptare: ergo in hoc gravis tentationis Dei culpa committitur.

Secunda illatio.

5 Sequitur secundò: Tentationem Dei esse, ac consequenter illicitum, purgationem à crimine obiecto per probationem ferri candentis, vel aquæ ferventis, quæ olim communiter fieri solebat ad explorandam veritatem, & alicuius innocentiam. Et ratio est: quia hac probatione expectatur à Deo aliquod opus miraculosum, absque aliqua vtilitate, & necessitate; etenim ad veritatem indagandam, aut alicuius innocentiam cognoscendam sufficiunt à iure statuta, scilicet spontanea confessio, vel testium probatio, vt ait D. Thomas 2. 2. q. 95. art. 8. ad 8. sed à Deo expectare aliquod opus miraculosum absque vtilitate, & necessitate, proprie est tentatio Dei, & illicitum: ergo prædicta probatio vulgaris ferri candentis, & aquæ ferventis, est proprie Dei tentatio, & consequenter, quid omnino illicitum, sic confessionem à quolibet extorqueri. Quapropter prædicta probatio prohibetur in cap. *Consuluisti* 2. quæst. 5. cap. 1. & 2. de *Purgatione vulgari*, & alijs passim iuris textibus: docentque communiter D. Thom. loc. cit. 3. part. quæst. 80. art. 6. ad 3. Sayrus lib. 4. cap. 7. num. vltim. Suarez tom. 1. de *Religione*, tract. 3. lib. 1. cap. 3. num. 8. Læss. lib. 2. cap. 45. dub. 1. num. 3. Sanchez lib. 2. Summæ, cap. 34. num. 12. Palaus tract. 17. disp. 2. punct. 1. num. 10. & alij.

Diluuntur quædam obiectiones cõtra immediate stabilita.

6 Sed contra dicta obijcies primò: Quia Numerorum 5. præcipitur, quod mulier de adulterio suspecta, amaris aquis probetur. ¶ Secundò: Nam purgatio delicti per probationem ferri candentis pluribus miraculis fuit à Deo approbata, vt testatur Delrius lib. 4. de *Magia*, cap. 4. quæst. 4. à sect. 3. ergo, &c. ¶ Tertiò: Quia in Concilio Vermatiensi, cap. 15. & habetur cap. *Sæpe*. 2. quæst. 5. decernitur, dare Eucharistiam Monacho, qui est de crimine furti suspectus, vt eius sumptione à crimine purgetur: ergo prædictæ probationes, & similes, vt est ferri candentis, & aquæ ferventis, sunt licitæ. ¶ Sed hæc non obstant: nam ad primum exemplum respondetur; quod ideo talis probatio tunc licita erat, quia Deus sic eam enpresse decreverat, cæterum, quia hoc decretum pure cæremoniale erat iam cessavit, & ideo nunc illicita prorsus est talis probatio. Videantur Suarez, Palaus, & alij. ¶ Ad secundum respondent Sanchez, & Palaus ex Suarez num. 10. id ideo accidisse, vel quia talis probatio fiebat ex speciali Dei instinctu; vel, quia, & si in ea homines peccarent, expectando à Deo, medio adeò extraordinario, incolumitatem; tamen Deus voluit aliquando innocentiam accusati, medijs operibus miraculosis, manifestare. ¶ Ad tertiò respondet D. Thomas 3. part. quæst. 80. art. 6. ad 3. quod decreta illa de probatione tam per probationem ferri candentis, quàm sumptionis Eucharistiæ sunt abrrogata per contraria documenta Romanorum Pontificum: & rationem sic tradit: *In omnibus enim talibus esse videtur Dei tentatio; vnde sine peccato fieri non possunt, & gravius videtur, si hoc sacramento quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret iudicium mortis: vnde nullo modo corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem*: ergo prædicta probatio, & similes illicitæ sunt.

Tertia illatio.

7 Sequitur tertiò: Deum tentare, qui ad hæreticorum conversionem, veritatem que nostræ Catholicæ Religionis confirmandam, ab eo miracula absolute petit, aut offert consequuturum. Et ratio est; tum: quia incertum prorsus est, quod hæreticus ad miraculorum conspectum convertatur; cum sciamus, plures tyranos, visis infinitis miraculis à Martyribus patratis, potius fuisse obduratos, quam ad fidem catholicam conversos: ergo inutiles, & minime necessaria est miraculorum petitio, & oblatio ad hæreticorum conversionem, fideique catholicæ coram hæreticis confirmationem, & consequenter talis absoluta petitio, est vera Dei tentatio. ¶ Tum etiam: quia ad talia miracula deest necessitas, cum ad fidei confirmationem, & hæreticorum conversionem sat sit testimonium Ecclesiæ, & eiusdem fidei nostræ credibilitas: ergo talis petitio illicita est. Sic Sanchez num. 10. Suarez cap. 2. num. 13. Palaus num. 2. Quare, si aliquando detur firmissima spes conversionis hæreticorum, tunc poterit à Deo miraculum peti sub conditione, quod ei placeat.

Quarta, & quinta illatio.

8 Sequitur quartò: Tentare proprie Deum, qui duellum acceptat ad ostensionem propriæ innocentiæ, expectans Deum sibi auxilium præstiturum. Et ratio est: quia tale medium est crudele, peccaminosum, & valde improportionatum ad finem intentum consequendum; ac proinde repugnans Deo. Vnde merito similis purgatio per duellum damnatur in cap. *Monomachiam*, & cap. 1. & 2. de *Purgatione vulgari*, & à Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. de *Reformatione*. Reprobatur que à Sayro in *Clavi Regia*, lib. 4. cap. 7. num. vlt. Trullench lib. 1. in *Decalog.* cap. 11. dub. 3. num. 5. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 14. punct. 1. Bonac. disp. 3. quæst. 9. punct. vnico, num. 5. Suarez tom. 1. de *Religione*, tract. 3. lib. 1. cap. 2. num. 12. ¶ Sequitur quintò: Committere tentationis peccatum, qui absque

præ-

prævio ſtudio, & meditatione, ſine vlla iuſta cogente cauſa, concionari præſumit, ſperans Deum ibi dicenda affluaturum. Sic Lopez 1. part. *Inſtruct. Conſcientiæ*, cap. 41. Palaus num. 15. Bonac. num. 1. Navarrus in Summa, cap. 11. num. 41. & Sanchez cit. num. 16.

Vltimo infertur.

9 Vltimò ſequitur: Similiter peccare, qui abſque iuſta cauſa periculo mortis, aut mutilationis ſe obijcit, vt ſi ægrotus abiectis communibus remedijs, ſoli divinæ providentiæ ſe committit. Ita Navarrus loco citato. Trullench num. 5. Bonac. num. 5. Læſius n. 4. Sanchez num. 14. At, ſi quis reſpuat medicinas ob domandas carnis efferveſcentes paſſiones; vel tempore martyrij, vt melius Chriſti paſsionem ſentiret, perferendo vulnera, vel cauteria, alias que huiuſmodi corporis ægritudines, quæ mortis periculum ſecum non afferunt, in hoc nullum eſſet peccatum, ſed potius meritum; vt recte docent Caiet. 2. 2. quæſt. 97. art. 1. Navarrus ſupra relatus; & Sanchez num. 14. Et ob hanc rationem excuſat D. Thomas 2. 2. quæſt. 97. art. 1. ad 3. Beatam Agatham, dum gloriabatur, quod medicinam carnalem corpori ſuo nunquam exhibuerit. ¶ Sed hic notandum eſt cum Navarro num. 40. Sylveſtri in Sum. verb. *Martyrium*. Sanchez num. 15. quod, niſi martyrium ſit in præcepto (hoc eſt, dum eſt neceſſarium ad fidem, ſalutem que ſpiritualem multorum, blaſphemias que vitandas) aut ſub conſilio (quando ex eo tantum Dei gloria, & Fidei exaltatio conſequitur, vt explicat D. Thomas 2. 2. quæſt. 124. art. 3. ad 1.) ſi aliquis ei ſe offerret, occaſionem infidelibus ipſum occidendi ſuggerens, peccaret mortaliter; quia abſque vlla iuſta cauſa provocaret infideles ad peccatum mortale committendum, quod illicitum eſt: & ſimul Deum tentaret, vitam quaſi exoſam habendo, temereque perfundendo, quod abſque gravi tentationis Dei peccato fieri nequit. Ita Sanchez num. 15. Navarrus num. 40.

Aliqui ſentiunt tentationem expreſſam differre in ſpecie ab interpretativa.

10 Sed gravis difficultas eſt: An expreſſa Dei tentatio differat ſpecie ab interpretativa? Affirmant Suarez tom. 1. de *Religione*, tract. 3. lib. 1. cap. 3. num. 6. Bonac. diſp. 3. quæſt. 9. puncto vnico, num. 9. nec diſſentiunt Sanchez num. 11. Trullench num. 7. & moventur primò: quia tentatio Dei expreſſa provenit à cauſa diverſa ſpecie in eſſe moris à tentatione interpretativa; cum illa procedat ex dubio alicuius attributi divini, ſecus vero iſta; ſed, quando cauſæ ſunt ſpecie diverſæ, effectus debent eſſe ſpecie diverſi: ergo, ſi cauſæ vtriuſque tentationis ſunt ſpecie morali diverſæ, ſimiliter diverſa ſpecie morali debet eſſe tentatio expreſſa ab implicita. ¶ Secundò: quia in confeſsione manifeſtanda eſt intentio, qua peragitur tentatio; ſed hæc intentio non manifeſtatur, niſi explicetur, an tentatio fuerit tacita, vel expreſſa: ergo hæc debet in confeſsione explicari: & conſequenter diſtinguitur in ſpecie, in ordine ad confeſsionem.

Verius eſt non differri in ſpecie huiuſmodi tentationes.

11 Sed nihilominus ſententia negativa tenenda eſt conformiter ad dicta ſupra, cap. 11. punct. 3. num. 27. Et ratio eſt: quia vt ibi cum Suarez, Sanchez, Bonac. Trullench, & alijs docuimus: pactum explicitum cum Dæmone non differt ſpecie à pacto implicito: ergo nec tentatio Dei expreſſa differt ſpecie ab implicita; patet conſequentia: quia ideo primum eſt verum iuxta citatos Doctores, quia, vt dicitur in leg. *de Quibus, in fine, ff. de legibus*. Taciti, & expreſsi eadem eſt ratio: ergo, ſi in pactis iuxta prædictos Authores prædicta lex valet, inſequenter negatur in Dei tentatione. Confirmatur primò: profeſsio explicita non differt ſpecie ab implicita: ergo nec tentatio explicita ab implicita. Confirmatur ſecundò: tentatio ſecundum ſuam eſſentiam nihil aliud eſt, quam verbis, aut factis experimentum ſumere de aliqua divina perfectione; ſed non differt ſpecie, ſed ſolum gravitate peccati, quod hoc fiat intentione expreſſa, aut implicita; ſicut ait D. Thomas loquendo de invocatione Dæmonis explicita, & implicita 2. 2. quæſt. 95. art. 3. ad 1. ergo circunſtantia tentationis implicitæ, & explicitæ ſolum eſt aggravans, non vero diſtinguens ſpecie.

Fit ſatis argumentis contrarijs.

12 Ex quibus patet ad rationes ſententiæ contrariæ: nam ad primam dicimus; cauſas tentationis implicitæ, & explicitæ eſſe tantum materialiter diverſas: vnde ſi aliquam diverſitatem habent in linea morali, hæc tantum eſt ſecundum gravitatem maiorem, vel minorem peccatorum, non vero ſecundum diverſitatem ſpecificam. At vero, ſi tentatio expreſſa procedat ex dubio circa aliquam perfectionem divinam, vt contendunt adverſarij, aſſerimus, fatendam eſſe tunc hanc circunſtantiam in confeſsione; quia eſt peccatum numero, & ſpecie diverſum contra fidem: & ſic nil mirum quod tunc hæc circunſtantia tentationis Dei expreſſæ in confeſsione apperiatur. Cæterum, quia tentatio expreſſa ex propijs meritis talem dubitationem non importat; vel ſi illam importat, etiam virtualiter importat tentatio virtualis, & interpretativa, ideo aſſerimus non eſſe explicandam in confeſsione, ſed ſatis manifeſtari, dicendo: *Commiſi peccatum tentationis Dei*. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe fatendam eſſe intentionem, qua commiſſum eſt peccatum: ſed quod hæc ſit expreſſa, aut implicita, de materiali ſe habet quo ad diverſificandam peccatorum ſpeciem, cum ad peccatum quælibet ex his ſufficiat; vnde explicando, *ſe Deum tentaſſe*, manifeſtatur intentio, quæ neceſſaria eſt ad peccatum, quin vlterius neceſſe ſit addere, an fuerit tentatio cum intentione implicita, aut explicita.

PUNCT. II.

De Sacrilegio, & eius ſpeciebus.

HIc cum Divo Thoma quæſt. 98. agendum erat de Periurio, in quo nomen Dei irreverenter aſſumitur, & ideo eſt vitium Religioni oppoſitum: ſed quia de eo iam tract. 17. cap. 2. punct. 5. à n. 38.

vt

vt in propria sede differuimus, ideo, ne dicta repetamus, ad ibi stabilita lectorem remittimus. Quare in præsenti tantum de sacrilegio, quod est vitium, per quod rebus sacris irreverentia exhibetur, iuxta Doctoris Angelici ordinem disputare decrevimus: vbi de eius essentia, multiplicitate, gravitate specifica, & pœnis contra ea latis, breviter per diversos paragraphos discutiemus.

§. I.

Quid, & quotuplex sit sacrilegium?

Ethymologia, & diffinitio sacrilegij.

13 SAcrilegium, si ad nominis Ethymologiam attendamus, iuxta Divum Isidorum lib. 10. Ethymol. cap. 18. Calepinum verb. *Sacrilegium*, & Divum Thomam 2. 2. quæst. 99. art. 1. dicitur ab eo, quod quis *sacra legit*, id est, furatur, seu lædit. Si vero eius essentiam perscrutemur, definitur, quod sit *rei sacræ violatio*, hoc est, quæcumque læsio rei, aut personæ ad divinum cultum specialiter destinatæ, est vere proprie sacrilegium. Ex qua diffinitione oritur primò; quod non committit sacrilegium, qui populum christianum, aut bonum commune lædit; quia hæc largi rei divinæ, aut sacræ dicuntur. Secundò; quod sacrilegium distinguatur à tentatione Dei, blasphemia, superstitione, & alijs vitijs Religioni oppositis, quia hæc habent pro obiecto immediate ipsum Deum, sacrilegium vero respicit non Deum immediate, sed res creatas, eius divino cultui addictas, quæ diversitas sufficiens est ad refundendam inter hæc vitia specificam distinctionem, vt ex se constat. Videatur Divus Thomas 2. 2. q. 99. art. 1. & 2. quem sequuntur Suarez tom. 1. *de Religione*, tract. 3. lib. 3. *de Sacrilegio* in Procœmio. Læsius lib. 2. *de Iustitia, & Iure*, cap. 45. dubitat. 2. à num. 6. Bonac. tom. 2. disp. 3. quæst. 6. puncto vnico, num. 1. Palaus tr. 17. disp. 2. punct. 3. à num. 1. Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 10. dub. 15. & novissime Martinus Uvigandt *in Tribunali Confessar.* tr. 10. exam. 4. quæst. 10. à num. 64. Genetus tom. 6. tract. 2. quæst. 21. & alij.

Quotuplex sit sacrilegium.

14 Triplex ergo distinguitur à D. Thoma art. 3. sacrilegium. Primum: quod committitur contra personam sacram, qualis est percusio Religiosi, Monialis, & Clerici; aut fornicatio cuiuscumque alterius habentis simplex votum castitatis. Secundum: quod patratur in locum sacrum, vti est Ecclesia, Cæmenterium, &c. Tertium: quod sit contra res sacras, seu cultui divino specialiter dicatas, & prout contra distinctas à personis, & locis sacris, vt sunt sacramenta, calices, vestes sacræ, sanctorum imagines, & reliquiæ, &c. Divum Thomam sequuntur communiter DD. supra relati, quin opus sit in particulari aliquem referre. Sed circa hanc triplicem speciem sacrilegij:

Ratio suadens dicta

15 Rogabis primò: An hæc divisio sacrilegij sit in membra specie diversa? Et ratio dubitandi est: quia non videtur adesse maior diversitas inter iniuriam irrogatam personæ, loco, aut rei sacræ, quam inter iniuriam factam Eucharistiæ, vestibus sacris, & bonis Ecclesiæ; sed iniuriæ contra hæc irrogatæ non multiplicant speciem sacrilegij, sed continentur sub tertia specie, vt infra à num. 29. cum Divo Thoma dicemus: ergo si in hoc secundò casu non adest diversitas specifica sacrilegij, nec in primò.

sacrilegia specie distinguui.

Sententia cõtraria est Divi Thomæ.

16 Nihilominus dicendum est cum Divo Thoma, quem sequuntur communiter DD. sacrilegia contra personam, locum, & rem sacram, esse inter se specie distincta. Et ratio ex Divo Thoma hæc est: nam sacrilegij species distinguendæ sunt secundum diversitatem sanctitatis formalis, contra quam iniuria committitur; sed diversa est formaliter sanctitas, contra quam iniuria committitur, in persona, ac in loco, aut in re sacra: ergo etiam debet esse specie diversum sacrilegium. Consequentia patet: minor est D. Thomæ; & maior ex eodem Angelico Doctore ostenditur. Nam sanctitas est in personis sacris, formaliter, & tanquam in subiecto: in loco vero est tanquam in contentivo personarum sanctarum, & in quo cultus Deo exhibendus est: in rebus sacris, vt condistinctis à personis, & locis, licet sanctitas diversimode sit, tamen in hoc conveniunt, quod omnes relative sanctæ sunt, vel quia sanctos faciunt, vt sacramenta; vel quia ad sanctos ordinantur, vt sunt vasa consecrata, ornamenta Ecclesiæ, & bona Ecclesiastica; sed hæc diversitas sanctitatis, est formalis; nam persona est sancta simpliciter, & absolute, alia vero sunt sancta secundum quid, & in hoc modo habendi sanctitatem, scilicet localem, & relativam, distinguntur generice, sicut distinguitur locus à relatione: ergo diversitas sanctitatis in persona, loco, & re, est distinctio formalis: tunc sic: sed iuxta Divum Thomam loco citato in corpore: *Secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum quibus irreverentia exhibetur, necesse est, quod sacrilegij species distinguantur*: ergo sacrilegia in personas, loca, & res sacras, distinguntur specie. Ex quibus constat ad rationem dubitandi: quia diversitas modi, quo habent sanctitatem res sacræ, vt distinctæ à personis, & locis, est præcisè diversitas materialis, cum conveniant in eo, quod relative sanctæ sint: at, diversitas, secundum quam sanctitas est in personis, locis, & rebus sacris, est formalis, ac consequenter, capax ad refundendam distinctionem formalem specificam in sacrilegijs. *Et si alicui* (vtimur verbis Eminentissimi Caietani, qui hac fere ratione has species ex Divo Thoma distinguit) *hæc non satisfaciunt, inveniat meliora.*

Aliqui sentiunt prædictam divisionem esse in species subalternas.

17 Rogabis secundò: An divisio sacrilegij in tres species assignata sit in species subalternas, an vero in infimas? Suarez tom. 1. *de Religione*, tract. 3. lib. 3. cap. 5. Palaus tr. 17. disp. 2. punct. 3. §. 1. num. 5. Læsius lib. 2. cap. 45. num. 19. Filliuc. tract. 24. cap. 9. n. 244. asserunt, divisionem assignatam à Divo Thoma in hanc triplicem speciem sacrilegij, non esse in species infimas, sed in subalternas continen-

tinentes sub se plura sacrilegia specie diversa, & consequenter aperienda in confessione. Et nulla alia ratione ad hoc moventer, nisi, quia sibi distinctum videtur sacrilegium, percutere Clericum, & ei aliquod tributum imponere: effundere in loco sacro sanguinem, aut semen, ac furari in eo crumenam: ac denique tractare irreverenter sacramenta, maxime Eucharistiam, ac bona Ecclesiastica retinere: ergo hæc trimembris divisio non est in species infimas, sed in subalternas, sub se alias in confessione explicandas continentes. Sic Authores relati, & maxime Filliucius, licet expresse fateatur, contrariam sententiam esse Divi Thomæ.

Verius est ex D. Thoma esse in species infimas.

18 Sed tenendum est cum Angelico Doctore 2. 2. quæst. 99. art. 3. Caiet. ibi, dub. 3. Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 10. num. 8. prædictam trimembrem divisionem esse in species infimas, & non in subalternas; ac proinde sat esse, explicare in confessione, se commisisse sacrilegium in personam, aut locum, vel rem sacram. Et probatur primò: quia Divus Thom. art. 3. cit. ad 1. argumentum, quod probare conabatur in violatione triplicis speciei sacrilegij supra assignatæ solum esse diversitatem materialem sanctitatis, & sacrilegij, sic respondit: *Ad primum dicendum; quod non est in omnibus prædictis eadem ratio sanctitatis; & ideo differentia sacrarum rerum non solum est differentia materialis, sed formalis.* Ergo sentit, quod modi rerum sacrarum sub his tribus speciebus contenti, tantum distinguntur materialiter, & non formaliter, seu specifice; cum asserat, differentiam sanctitatis in tribus prædictis speciebus non esse eandem formaliter, innuens in alijs esse tantum materialiter diversam. ¶ Secundò: Idem Angelicus Doct. postquam docet, non repugnare, quod aliqua peccata differant inter se specie, vt homicidium, furtum, & illicitus concubitus, & conveniant in ratione sacrilegij, ponit exemplum, dicendo: *Et similiter etiam possibile est, aliqua duo peccata differre specie secundum materiales actus, convenire autem in specie secundum vnam rationem formalem sacrilegij; puta, si quis sanctimonialem violaverit verberando, vel concumbendo.* Ergo ex mente Divi Thomæ sacrilegia commissa in sanctimonialem per iniuriosam verberationem, aut carnalem congressum, conveniunt in eadem ratione formali violationis sanctitatis; & consequenter, non differunt specie in ratione sacrilegij; sed illa duo sacrilegia in sanctimonialem commissa continentur sub prima specie sacrilegij in personam sacram commissi: ergo diversitas peccatorum, & iniuriarum in personam sacram, est tantum materialis, non vero formalis, seu sacrilegij speciem multiplicans.

19 Tertiò: Idem D. Thomas art. 3. in corpore postquam ait: esse diversas species sacrilegij iniuriam factam in personam ab iniuria commissa in locum sacrum, concludit: *Sunt tamen in vtraque sacrilegij specie diversi gradus, secundum differentiam personarum, & locorum sacrorum. Similiter etiam, & tertia species sacrilegij, quæ circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus, secundum differentiam rerum sacrarum, inter quas summum locum obtinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod continet ipsum Christum.* Ergo iuxta doctrinam Divi Thomæ in hac triplici specie sacrilegij sunt diversi gradus sacrilegij, secundum diversitatem personarum, locorum, & rerum sacrarum; sed diversitas gradualis non multiplicat specie sacrilegia, sed numero: ergo ex mente D. Thomæ diversitas peccatorum, & iniuriarum existens in vnaquaque ex hac trimembri specie sacrilegij, est tantum diversitas materialis, seu gradualis, non vero formalis; & consequenter talis divisio non est in species subalternas, sed infimas.

Probatur à ratione veritas prædictæ divisionis.

20 Deinde hæc thomistica conclusio à ratione ostenditur primò: Nam si divisio prædicta esset in species subalternas sacrilegij, & non in infimas, deberent assignare contrarij aliquam rationem, seu regulam vniversalem ad cognoscendum, quando modi, sub vnaquaque contenti, diversificant specie sacrilegia; sed hanc nec assignant, nec assignabilis est; cum modi iniuriandi, verbi gratia, personam sacram, innumerabiles sint: ergo tantum tenenda est trimembris divisio sacrilegij à D. Thoma tradita. ¶ Secundò: Nam triplex illa sacrilegij species habet habitudinem ad diversam sanctitatem: nam persona est formaliter in se sancta, locus est sanctus, vt contentivus personarum, & rerum sacrarum: res vero sunt sanctæ per habitudinem, & relationem ad sanctitatem: è contra vero, modi contenti sub qualibet ex hac triplici specie, inter se omnino conveniunt in iniuriando sanctitatem, verbi gratia, aut personæ, aut loci, aut rei sacræ, vt supra probavimus: ergo horum modorum distinctio est tantum materialis; & sola distinctio formalis est specifica diversitas modi, quo iniuriatur vel persona sacra, locus sanctus, aut res sacrata: & consequenter divisio sacrilegij in tres species supra assignatas; nimirum, in sacrilegium personale, locale, & reale, est in species infimas, & non in subalternas. ¶ Per quæ constat ad argumentum: nam illa diversitas est tantum materialis, vt ex dictis constat.

§. II.

Numerantur in particulari sacrilegia, quæ ad hanc triplicem speciem pertinent.

TRadita iam essentia, & divisione specifica sacrilegij, restat, ad clariorem eius notitiam, videre in particulari, qui casus sub vnaquaque specie constituantur, quod in præsenti breviter explicabimus.

Sacrilegia ad primam speciem pertinentia.

21 Ad primam ergo speciem sacrilegij pertinet primò: percussio violenta Clerici, vel Religiosi, de qua late egimus tom. 2. tract. 10. cap. 4. punct. 2. quia in cap. *Si quis suadente, &c.* 17. quæst. 4. prohibetur ob reverentiam Ecclesiæ ministris debitam, ne quis in eos violen-

lentas manus inijciat. ¶ Secundò: pertractio Eccleſiaſticorum ad iudicium ſæculare; & exactio vectigalium facta à ſæculari Principe: quia hæc omnia, & ob eandem rationem prohibentur in Bulla Cœnæ, excommunicatione 15. & 18. vt diximus tract. 10. citato, cap. 4. punct. 6. à num. 94. & tom. 2. tract. 8. cap. 7. per totum. ¶ Tertiò: Fornicatio Clerici, aut Religioſi, violatio Monialis, vt prohibetur in Concilio Triburienſi, & habetur canone: *Impudicas* 27. quæſt. 4. quia perſonæ Eccleſiaſticæ debent ratione ſtatus, & voti, ab his impudicis abſtinere, cum ſint Deo dicatæ, & ad divinum cultum ordinatæ. Sic D. Thomas 2.2. quæſt. 99. art. 1. & 3. Caietanus ibi. Læſius lib. 2. cap. 45. dubit. 3. num. 1. Azor 1. part. *Inſtitut. Moral.* lib. 9. cap. 27. quæſt. 3. & Bonac. diſp. 3. *in Decalog.* quæſt. 6. puncto vnico, num. 3.

Qui aliquod votum frãgit, peccatũ ſacrilegij committit.

22 Sed inquires: An, qui aliquo voto adſtrictus illud violat, peccet peccato perfidiæ, quod à ſacrilegio ſpecie diſtinguitur? Affirmant Suarez tom. 1 *de Religione*, tract. 3. lib. 3. cap. 3. num. 5. & Palaus tract. 17. diſp. 2. punct. 3. §. 2. num. 2. (eſto hic Doctor agnoſcat contrariam eſſe evidenter ſententiam Divi Thomæ) Et moventur ex eo, quod in voti violatione Deus in ſe ipſo offenditur, cui vovens eſt infidelis; ſed iniuria, qua Deus immediate offenditur, eſt alterius ſpeciei à ſacrilegio diſtincta, vt diximus num. 13. patet que in tentatione Dei, blaſphemia, &c. ergo violatio voti non eſt vere, & proprie ſacrilegium, ſed perfidia, ab eo ſpecie diverſa. ¶ Sed tenendum eſt cum Divo Thoma, & reliquis DD. numero antecedenti relatis, quancumque violationem voti eſſe vere, & proprie ſacrilegium. Et probatur primò: Nam ſacri Canones ſtatuunt ſacrilegium committi, quando quis pecuniam Eccleſiæ propriam, & legatam non ſolvit, vt patet 17. quæſt. 4. cap. Ergo potiori titulo violatio cuiuſcumque voti, quæ eſt promiſsio Deo facta, ſacrilegium eſt. ¶ Secundò: Divus Thomas, art. 3. ad 3. ait: *Formaliter autem, & proprie illud ſolum peccatum ſacræ perſonæ ſacrilegium eſt, quod agitur directe contra eius ſanctitatem, puta, ſi virgo Deo dicata fornicetur; & eadem ratio eſt in alijs.* Idem que ſupponunt vt certum NN. Salmant. in Arbore Virtutum, §. 13. num. 123. Ergo ſimiliter ſacrilegium eſt, quando quis Deo vovet ieiunium, aut quancumque aliam rem, & promiſſa non adimplet. ¶ Tertiò probatur à ratione: Quia ſicut, qui vovet abſtinentiam à venereis, dicat ſe ipſum Deo quo ad immunitatem ab his, ita vovens ieiunium, aut quodcumque aliud votum perſonale, dicat ſe ipſum Deo, quo ad illud, & ſanctificatur perſona quo ad promiſſa per talia vota: & ſimiliter ſi votum eſt reale, ſanctificatur res Deo promiſſa: ergo ſi in ſententia Divi Thomæ violatio voti Caſtitatis, & ex Canonum deciſsionibus, violatio legati promiſsi, eſt vere, & proprie ſacrilegium: quia per hæc vota perſonæ, aut res ſunt Deo ſanctificatæ, cum hæc ratio in omnibus votis militet, neceſſario dicendum eſt, eorum violationem eſſe vere, & proprie ſacrilegium. ¶ Per quod conſtat iam ad argumentum ſententiæ contrariæ: non enim per violationem voti, ſive perſonalis, ſive realis, Deus immediate in ſe ipſo offenditur, ſed in re promiſſa, & ſanctificata; agitur enim in prædicta violatione voti immediate contra ſanctitatem perſonæ, ſeu rei Deo dicatæ: cum ergo hoc requiratur iuxta contrarios ad rationem ſacrilegij, nihil deeſt, quo minus violatio voti ſit peccatum ſacrilegij, & ſpecifice à Dei tentatione, blaſphemia, ſuperſtitione, &c. diſtinctum.

Qui fornicatur cũ filia ſpirituali, peccatum ſacrilegij committit.

23 Quartò: Ad primam ſacrilegij ſpeciem attinet, vt docet Trullench, ſi Sacerdos in ſtatu peccati mortalis celebret, aut ſacramenta miniſtret. Sed proprie hæc irreverentia pertinet ad tertiam ſpeciem ſacrilegij, in qua iniuria infertur rebus ſacris: ſicut ad eandem ſpeciem pertinet, ſiquis ad turpia, vel ad quæcumque alia peccata ad quodcumque ſacramentum accedentem ſolicitet, vt diximus tract. 6. num. 58. & tract. 21. punct. 3. num. 16. Quare dicendum eſt: ad prædictam ſpeciem attinere primò, ſi confeſſarius extra confeſsionis occaſionem, cum filia confeſsionis fornicetur, quia, vt ex D. Thoma in Addict. ad 3. part. quæſt. 56. art. 2. ad 8. diximus tract. 9. cap. 12. punct. 2. num. 27. *Per pœnitentiam* (verba ſunt Angelici Præceptoris) *contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem, & ſacerdotem, ſpirituali cognationi ſimilem, vt tantum peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua filia ſpiritualis.* Sed fornicatio cum cognata ſpiritualiter eſt ſacrilegium, vt ſtatim dicemus: ergo etiam ſacrilegium erit, ſi fiat cum filia confeſsionis. Sic Sanchez lib. 7. *de Matrimonio*, diſp. 55. n. 3. & 4. & alij DD. loco citato relati. ¶ Secundò: Ad hanc ſpeciem ſacrilegij expectat, ſi quis turpiter commixceatur cum perſona ſibi ſpiritualiter coniuncta, quæ ſpiritualis cognatio contrahitur in Baptiſmo ſolemni, & confirmatione inter Patrinos, & baptizatum, & confirmatum, & huius patrem, & matrem, vt ſtatuit Trident. ſeſſ. 24. cap. 2. de *Reformatione*. Et late diximus tract. 9. cap. 12. punct. 2. & tract. 2. cap. 7. punct. 2. & tract. 3. cap. 4. punct. 3. n. 45. Et rationem indicat D. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 2. ad 2. tacitam obiectionem præoccupando his verbis: *Sacrilegium autem eſt ſpecies luxuriæ, ſecundum quod ordinatur ad alterius vitij finem, & poteſt concurrere cum diverſis Luxuriæ ſpeciebus. Si enim aliquis abutatur perſona ſibi coniuncta ſecundum ſpiritualem cognationem, committit ſacrilegium ad modum inceſtus. Si autem abutatur virgine Deo ſacrata, in quantum eſt ſponſa Chriſti, eſt ſacrilegium per modum adulterij*: ergo ex Angelic. Doctore fornicatio cum perſona coniuncta ſpiritualiter, eſt ſacrilegium, ratione ſanctitatis perſonæ in ſacramento ſpiritualiter genitæ.

Si Clericus mentiatur, &c. non eſt ſacrilegus.

23 Sed nota hic cum Villalobos 2. part. tract. 38. diffic. 2. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 15. num. 3. Palao loco citat. n. 2. Azor lib. 9. *Inſtitut. Moralium*, cap. 27. quæſt. 3. & alijs, quod, ſi Clericus furetur, mentiatur, maledicta ve in Sanctos evomat; aut ludis, negotiationibus, &c. ſit deditus; tunc ſacrile-

legij peccatum non committit: quia hæc non prohibentur Clericis ob perſonæ ſanctitatem, ſed ne his dediti vitijs, proprij ſacerdotalis, & eccleſiaſtici muneris obligationem exolvere impediantur.

Quæ peccata ſint ſacrilegia ratione loci ſacri.

24 Ad ſecundam ſacrilegij ſpeciem, nimirum in locum ſacrum, pertinent omnia, quæ immunitatem loco ſacro debitam infringunt, & eius ſanctitatem polluunt. Quapropter ſacrilegij peccatum committit primò: qui ab Eccleſia etiam diruta, aut interdicta, vel polluta, ab eius cæmenterijs, attrijs, clauſtro, dormitorio, ambitu, ab Eccleſia tamen non diſcontinuato; ab hoſpitalibus, & Oratorijs authoritate Epiſcopi erectis, ab eorundem Epiſcoporum palatijs; & denique à Regularium Eccleſijs, & domibus ſecundum totum ambitum interiorem, & exteriorem, ſi muro, competenti que clauſura ſeptus ſit, aliquem hominem violenter extrahit. De quo videantur late à nobis dicta tom. 4. tract. 18. cap. 3. punct. 3. à num. 81. ¶ Secundò: qui loca ſacra frangit, deſtruit, incendit, ſpoliat, vltra pecccatum, pœnam excommunicationis ipſo facto incurrit, vt tenent Suarez tom. 5. *de Cenſuris*, diſp. 22. ſect. 2. num. 11. Sayrus lib. 3. cap. 29. num. 14. Azor 1. part. *Inſtitutionum Moralium*, lib. 9. cap. 27. quæſt. 12. Bonac. num. 11. & alijs, colligitur que ex cap. *Conquæſti*, *de ſententia excommunicationis*. Sed advertendum eſt; ad hanc excommunicationem incurrendam, requiri vtramque actionem frangendi, & expoliandi; quia textus allegatus vtramque ſimul deſignat.

Alijs caſus enumerantur.

25 Tertiò: qui Eccleſiam polluunt aliquo ex quinque peccatis aſsignatis à nobis tract. 5. cap. 4. à num. 67. ſcilicet homicidio voluntari, & iniurioſo, effuſione iniurioſa ſanguinis, notoria humani ſeminis effuſione illicita, vel etiam occulta (quia hæc ſufficit ad ſacrilegij peccatum, vt diximus tract. 6. cap. 8. num. 101.) & denique ſepultura excommunicati vitandi, aut infidelis. In his ergo caſibus contra reverentiam loco ſacro debitam ſacrilege peccatur. De quo videantur Suarez citatus lib. 3. *de Religione*, cap. 2. num. 2. & cap. 6. Trullench num. 4. cap. 27. allegat. quæſt. 4. Bonac. num. 15. Filliucius tract. 24. cap. 9. num. 236. & alij à nobis tract. 5. relato allegati. ¶ Quartò: qui in Eccleſia mercatus, deambulationes, ſæcularia concilia exercet: nam hæc expreſſe prohibentur, & damnantur vt ſacrilegia in cap. *Decet*. 2. *de immunitate Eccleſiæ*, *in 6*. *Et cap. Non oportet*. *Et cap. Nulli*, *diſtinct*. 44. Vnde Dominus Ieſus Chriſtus cap. 2. Ioann. *eiecit de templo ementes*, *& vendentes*, *& menſas numulariorum evertit*. Et Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 11. reprehendit eos, qui in Eccleſijs ad manducandum, & bibendum conveniebant. Videatur Div. Thom. ibi lect. 4. ¶ Sed nota: quod, ſi hæ commeſtiones, & deambulationes fiant ob pluviæ, æſtus, aut frigoris vigorem, aut ob aliam inſtam cauſam, ait Divus Thom. & cum eo Navar. *de Oratione*, cap. 6. num. 30. & alij, non eſſe vllum peccatum, dummodo à clamore, immoderato que potu, & commeſtione abſtineatur. Et addit Trullench referens Suarez, & Barboſam, quod, ſi ibi fiat aliqua particularis commeſtio, & moderata etiam abſque cauſa, ſi alias non adeſt ſcandalum, nullum peccatum committitur.

Alius caſus.

26 Quintò: peccatum ſacrilegij, & graviſsimum quidem, committunt, qui in Eccleſia ludos turpes exercent, fœda colloquia habent, & ſcænas gerunt: cum hoc contrarium valde ſit ſanctitati, & reverentiæ locis ſacris debitæ.

Specialis difficultas circa furtū factū in Eccleſia.

27 Gravis tamen hic difficultas eſt: An ſacrilegus ſit, qui in loco ſacro furatur non ſacrum, nec in cuſtodiam, aut pignus traditum Eccleſiæ? Supponunt DD. & merito, quod, ſi res ſit in cuſtodiam, aut pignus Eccleſiæ tradita, eam furari, eſt ſacrilegium; quia tunc iam eſt quaſi res propria Eccleſiæ, de qua nullus dubitat, ſacrilegium committi, ſi furetur: quare tantum in præſenti diſſeritur, an ſit ſacrilegium, crumenam à divite in Eccleſia auferre. Circa quam diverſas ſententias retulimus tract. 6. cap. 8. punct. 4. num. 102. & parti affirmativæ recte adhæſimus: quia, vt ait Ioannes Papa in cap. *Quis quis inventus*, 17. quæſt. 4. *Sacrilegium committitur*, *auferendo ſacrum de ſacro*, *vel non ſacrum de ſacro*, *aut ſacrum de non ſacro*. Vbi aperte declarat S. Pontifex, quod, & ſi res non ſacra, in Eccleſia furetur, ſacrilegium committitur: ergo cum hæc lex vniverſaliter loquatur, & alias faveat immunitati Eccleſiæ, vniverſaliter intelligenda eſt. Dicta docent plures DD. ibi relati: & inſuper Bonacina loco cit. n. 17. & Trullench num. 5. ¶ Ex quibus ſequitur primò: ſacrilegium committere, qui furatur ſubſellia, & baldachina à nobilibus ad eorum ornatum, & commoditatem in Eccleſia poſita: quia eorum furtum iniuriam infert Eccleſiæ ſanctitati. ¶ Secundò: ſacrilegus non eſt, qui furatur res, quas Eccleſiaſticus poſsidet titulo Eccleſiaſtico, vt oblationes Parochi: nec ſi ab eo extra Eccleſiam crumenam, gladium, aut ſcopletum furetur, quia in hoc nulla Eccleſiæ immunitati irrogatur iniuria. Sic Bonac. num. 18. Trullench n. 5. Reginaldus lib. 19. cap. 4. num. 56. & alij.

Quid dicendum de eo, qui in loco ſacro habet animū furandi, &c.

28 Sed quæres: An, qui in loco ſacro conſtitutus, habet voluntatem occidendi, furandi, &c. extra locum ſacrum: aut è contra, extra locum ſacrum exiſtens habent voluntatem mæchandi in loco ſacro, ſacrilegium committat? Bimembris eſt quæſtio propoſita, & ideo ſeorſim reſolvenda: ad quarum primam reſpondetur negative. Et ratio eſt: quia actibus internis ſanctitas loci ſacri non violatur: ergo per voluntatem habitam in loco ſacro occidendi, aut furandi extra locum ſacrum, non committitur ſacrilegium. Sic Azor cap. 27. quæſt. 7. Bonac. num. 18. qui optime hanc doctrinam extendit ad delectationem moroſam in Eccleſia habitam de alijs peccatis, cum vtrobique eadem ratio militet. ¶ Circa ſecundam quæſtionis partem, aliqui, quos, ſupreſſo nomine, refert Azor, eodem modo negative reſpondent, moti ratione immediate allegata pro prima quæſtionis parte. Sed conformiter ad dicta tract. 6. cap. 8. punct. 4. num. 103. affirmative reſpondendum eſt. Et ratio eſt;

est: quia actus interior, & exterior dum versantur circa idem obiectum, eiusdem rationis, & speciei sunt; sed occisio, & furtum in Ecclesia est sacrilegium: ergo & actus interior occidendi, & furandi. Ita Azor, & Bonac. locis citatis; & insuper Trullench num. 5. nec non idem docent Sanch. Navarrus, Leander, & alij, quos tract. 6. cap. 8. cit. retulimus.

Quæ ex mente Divi Thomæ ad 3. speciem sacrilegij expectent.

29 Ad tertiam speciem sacrilegij, quod committitur per violationem rerum sacrarum, expectant plures actiones iniurioſæ, quæ contra res sacras fiunt, quas sic enumerat D. Thomas 2. 2. quæst. 99. art. 3. in corpore: *Similiter etiam, & tertia species sacrilegij, quæ circa alias res sacras committitur, diversos habet gradus secundum differentium rerum sacrarum, inter quas summum locum optinent ipsa sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum præcipuum est Eucharistiæ Sacramentum, quod cõtinet ipsum Christum, & ideo sacrilegiũ, quod contra hoc sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia. Post sacramenta autem, secundum locum tenent vasa consecrata ad sacramentorum subsceptionem, & ipsæ imagines sacræ, & reliquiæ Sanctorum, in quibus quodammodo personæ Sanctorum venerantur, & dehonorantur. Deinde: quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & Ministrorum. Deinde ea, quæ sunt deputata ad sustentationem Ministrorum, sive sint movilia, sive immovilia. Quicumque autem contra quodcumque prædictorum peccat, crimen sacrilegij incurrit.*

Qui sacramenta irreveréter tractat, sacrilegus est.

30 Ex quibus constat, D. Thomam assignare quatuor ordines, seu gradus rerum sacrarum, quarum violatio est sacrilegium. In primò constituit Angelicus Doctor sacramenta: in secundò vasa sacra, imagines sacras, & Sanctorum reliquias: in tertiò quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & Ministrorum, vt sunt casulæ, ornamenta, tapetes, vela, &c. Et denique in quartò, bona mobilia, & immobilia ad sustentationem Ministrorum deputata, vt decimæ, & primitiæ. ¶ Quapropter peccat gravissimo peccato sacrilegij, qui sacramenta irreverenter tractat, ea recipiendo, aut administrando in statu peccati mortalis: & similiter, qui ea proijcit, & conculcat, quæ quidem actiones, si fiant contra Eucharistiæ Sacramentum, summa iniuria, & sacrilegium sunt; cum immediate contra ipsum Christum ibi, in forma propria existentem, tendant.

Quid dicẽdum de Eucharistia?

31 Gravis tamen difficultas est: An irreverentia irrogata Eucharistiæ sit peccatum sacrilegij commissum in personam, aut in rem? Et ratio dubitandi est: quia Christus in Eucharistia eadem Latria adoratione adoratur, ac in propria persona, vt præcipit Tridentinum sess. 13. cap 5. & can. 6. Ergo irreverentia irrogata Eucharistiæ est eiusdem rationis cum ea, quæ fit Christo in propria persona: & sic erit sacrilegium in personam. ¶ Confirmatur, & explicatur: Iudæi Christum Dominum crucifigentes commisserunt peccatum sacrilegij in personam; sed non minus realiter est corpus Christi in Eucharistia, ac in humanitate visibili: ergo percutiens Eucharistiam committit sacrilegium in personam Christi, & non in rem sacram, & consequenter excommunicationem Canonis incurrit. ¶ Sed tenendum est cum D. Thoma, Caietano ibi, Læsio num. 16. prædictum sacrilegium non esse in personam, sed in rem sacram. Et ratio prima est authoritas Divi Thomæ supra n. 29. allegata, vbi inter sacrilegia contra rem sacram commissa enumerat iniuriam irrogatam Eucharistiæ Sacramento: ergo est sacrilegium in rem sacram. Secundò: nam vt detur sacrilegium personale, iniuria debet fieri in Christum per modum corporis in propria specie existentem; sed Christus solum hoc modo est in Cœlo, & erat, dum in terra degebat; in Eucharistia autem non est per modum corporis, sed per modum rei velatæ sub speciebus sacramentalibus: ergo iniuria ei in Eucharistia illata non est sacrilegium in personam, sed in rem sacram: & consequenter nec incurritur excommunicatio Canonis, quia hæc solum est lata contra personas Ecclesiasticas in se iniuriantem. ¶ Per quæ patet ad confirmationem. Ad argumentum negatur consequentia; quia adoratio Latriæ solum petit, quod cultus exhibeatur in personam divinam in se, aut in eius signo; & hæc diversitas non multiplicat adorationem; cum ergo in Eucharistia Christo exhibeatur cultus sub signo specierum sacramentalium, sat est, vt adoretur adoratione Latriæ; at sacrilegium in personam necessario exigit, quod iniuria fiat in personam exhibitam in propria specie; quod, cum in præsenti non eveniat, sed tantum in quantum sub speciebus sacramentalibus velatur, ideo sacrilegium in eam commissum est contra rem sacram, & non contra personam.

Sacrilegus est, qui vasis sacris irreligiose vtitur, & verbis sacræ Scripturæ abutitur.

32 Immediate post sacramenta in secundo gradu numerantur à D. Thoma vasa consecrata ad sacramentorum subsceptionem, imagines sacræ, & reliquiæ Sanctorum. Vnde peccatum sacrilegij committit, siquis vtatur ad potandum, vel bibendum vase consecrato, sicut fecit Rex Balthasar: aut irreverenter scindat, & tractet vestes sacras; aut ex eis conficiat sibi toracem, aut caligas, sicut plures hæretici faciunt, vt experientia constat, oculis que hac tempestate perspeximus. Sic Læsius num. 16. Trullench num. 7. Palaus num. 8. videantur dicta supra cap. 10. à n. 119. vbi docuimus, quod, si taliter dividantur, vt formam, & consecrationem amittant, tunc nullum erit peccatum, eas in profanus vsus convertere. ¶ Huic ordini recte annumerant DD. ex Divo Thoma art. 2. ad 1. abusum sententiarum sacræ Scripturæ, quia hæ res sacras significant. Quare sacrilegium est, & sacrilegus est, qui abutitur verbis sacræ Paginæ, vel ad stabilienda mendacia contra fidem, vt faciunt hæretici: vel ad facecias, amatoria, turpia, &c. vt peragunt perversi quidem homines vana sapientia tumidi. Quod vt gravissimum sacrilegium iustissime prohibet Tridentinum sess. 4. in fine, his verbis: *Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæquæ convertuntur, & torquentur verba sacræ Scripturæ ad scurrilia, scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes,*

nes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat, & præcipit ad tollendam huiusmodi irreverentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba scripturæ sacræ ad hæc, & similia audeat vsurpare, vt omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi Dei, iuris, & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur. Et nos similiter tomo 3. tract. 14. punct. 3. cap. 4. num. 51. licet breviter hæc tetigimus, damnando, vt mortale sacrilegium, sanctam Scripturam, & sacras vestes in rebus amatorijs misceri. Quod etiam tenent Læsius num. 17. Trullench numer. 7. Palaus tract. 17. disp. 2. punct. 3. §. 2. num. 7. Bonacin. disp. 3. in *Præcept. Decalogi*, quæst. 6. punct. vnico, num. 5. & novissimè NVingandt in *Tribunali Confessariorum*, tract. 10. examine 4. num. 64. videantur à nobis dicta in hoc tract. cap. 11. num. 4. & 7.

Imagines sacras indecore depingens, & irreverenter reliquias tractans, sacrilegus est.

33 Similiter sacrilegus est, qui imagines sacras irreverenter, & irreligiose tractat, verbi gratia, indecore depingit, aut sculpit aliquam sanctam imaginem instar fœminæ mundanæ, aut meretricis; tacita enim blasphemia in hoc vltra sacrilegium continetur. Et idem dicendum est de eo, qui sacras reliquias indecore secum affert, aut confringit, & dissipat, ne à fidelibus colantur; in his enim actionibus non solum peccat contra reverentiam sanctis debitam ob sui status perfectionem, quod est peccare contra duliam, verum etiam peccat contra Religionem, in quantum eos, vt sunt Dei ministri, offendit. Sic sentiunt Trullench num. 7. Læsius num. 17. Palaus num. 16. & alij. Videantur insuper à nobis dicta in hoc tract. cap. 10. punct. 9. §. 1. num. 106.

Sacrilegia commissa ob retetionem bonorũ Ecclesiæ.

34 Denique ad hanc tertiam speciem sacrilegij attinent iuxta Divum Thomam peccata commissa contra ea, quæ *pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & Ministrorum. Deinde ea, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive sint mobilia, sive sint immobilia.* De prima parte actum est supra num. 32. de 2. scilicet, de bonis Ecclesiasticis aliquà diximus tract. 8. cap. 7. punct. 3. agendo de eorum exemptione à potestate sæculari. Quare in præsenti tantum dicendum est; sacrilegij crimen committere, qui decimas, bonaque Ecclesiæ retinet: quia hæc ordinata sunt ad cultum Dei, & sustentationem ministrorum Ecclesiæ: ergo in se aliquomodo sacra sunt, & consequenter est sacrilegium eorum retentio. Ita Læss. num. 18. Palaus num. 10. Trullench supra citatus; & alij.

Quid dicendum de legatis?

35 Gravior tamen difficultas est: An retinere legata Ecclesiæ relicta, sit sacrilegium? Affirmant Læsius citatus; quia, vt constat ex aliquibus Canonibus 17. quæst. 4. horum bonorum invasio sæpe sacrilegium vocatur: ergo etiam erit eorum retentio. ¶ Sed verius alij negant: tum: quia, etsi iniustitia sit, retinere legata, tamen cum adhuc Ecclesiæ non sint tradita, nequeunt dici Ecclesiæ bona; sed solum retentio bonorum Ecclesiæ est iuxta sacros Canones sacrilegium: ergo, &c. Tum etiam: quia, vt diximus tract. 15. cap. 7. numer. 35. hæc legata non veniunt nomine bonorum monasterij, & ideo possunt absque solemnitate iuris alienari: ergo nec eorum retentio sacrilegium erit. Sic Farinacius quæst. 171. num. 45. Palaus num. 10. Sanchez lib. 7. de *Matrimonio*, cap. 27. num. 7. & alij, quos loco citato retulimus. Ad argumentum constat ex dictis: nam sacri Canones loquuntur de invasione bonorum Ecclesiæ; sed legata adhuc proprie non sunt Ecclesiæ bona, & sic nec eorum retentio est sacrilegium.

Omissio sacri, & servilibus vacare Festivis diebus, non est sacrilegium.

36 Sed hic notandum est: quod, si quis diebus festivis operibus servilibus vacet, aut sacrum omittat, licet peccet contra Ecclesiæ præcepta, tamen sacrilegij peccatum non committit. Et ratio est: quia auditio sacri, & abstinentia à servilibus non præcipiuntur in venerationem temporis, sed in cultum Dei, nec enim tempus sacratur ex eo, quod in eo sacra fiant, vt constat: ergo ex quo omittatur sacrum diebus festis, aut in eis servilia exerceantur, sacrilegium non committitur. Confirmatur: Sacrilegium est contra præceptum negativum *Non infers iniuriam rebus sacris*; sed omissio sacri est contra affirmativum: *Diebus festivis sacrum audies*: ergo non est sacrilegium. Ex quo oritur, quod nec etiam sit sacrilegium dies festivos alijs peccatis contaminare; quia prædicta non sunt ob Religionis virtutem à Deo prohibita. Dicta tenent Læss. num. 18. & Palaus num. 17.

§. III.

Qualis, & quanta sit sacrilegij gravitas, & quot pœnæ contra sacrilegos impositæ sint?

Licet sacrilegium ex genere suo sit mortale, potest esse veniale ex parvitate materiæ.

27 EXplicata iam essentia, & multiplicitate sacrilegij, restat nunc eius gravitatem examinare. Ad quod cum communi sententia dicimus; sacrilegium ex genere suo esse peccatum mortale: & ratio est evidens; nam opponitur virtuti Religionis, quæ inter morales excellentissima est: & vnaqueque eius species habet materiam satis gravem, vt per singulas discurrenti clare constabit. Quare solum difficultas esse potest, an possit esse veniale ex levitate materiæ? Consulto non quærimus, an ex inadvertentia: nam ex inadvertentia certum est, posse omnia peccata esse venialia. Ad quæstionem ergo propositam respondetur affirmative; exemplum que sit; vt si quis, v. g. secluso formali contemptu, leviter percutiat Clericum, vel Religiosum, aut rem levem ex loco sacro furetur, & quid simile; tunc enim, cum levis rei sacræ irrogetur iniuria, leve etiam debet esse sacrilegij peccatum. ¶ Nota tamen: quod si quis laicus leve tributum Clericis imponat, aut brevi tempore in carcere detineat, peccat graviter; quia in his casibus sacrilegium non sumitur ex gravitate tributi, aut temporis, sed ex iurisdictione vsurpata, quæ cum in parva pecunia, aut temporis quantitate tota vsurpetur, grave sacrilegium committitur. Ita Suarez tom. 1. de *Religione*, lib. 3. cap. 7. n. 2. Læsius lib. 2. de *Iustitia*, cap. 45. dub. 4. n. 20. Filliucius tract. 24. cap. 10.

num. 258. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 15. num. 10. Villalobos 2.part. tract.39.diffic.3. Bonac. disp.3. *in Decalog.* quæst.6. punct.vnico, num.19. Palaus tract.17. disp.2. punct.3. §. 3. num. 1. Uvigandt tract. 10. examine 4. quæst. 10. num.64. & alij.

Sacrilegiũ potest esse peccatũ commissionis, vel omissionis.

38 Hoc sacrilegij peccatum solet esse vel commissionis, vt percussio Clerici; vel omissionis vt si quis clavibus reseratam non custodit Ecclesiam; aut si non revereatur Eucharistiam, dum elevatur in Missa; vel si immunda habeat vasa sacra, corporalia, & vestes sacras,&c.quia in his omisionibus non exhibet reverentiam rebus sacris debitam,& ab Ecclesia præceptam.Ita communiterDD.supra citati. ¶ Maior tamen difficultas est: An sit omissionis sacrilegium, non recipere Sacramenta tempore debito? Affirmat Palaus tom.3.tr.17. disp.2.punct.3.§.3.n.2. Et movetur: quia Sacramentis Ecclesiæ debetur aliqua reverentia ea recipiendo, cum sint instituta, vt media receptione communicent gratiam: ergo qui ea tempore debito non recipit, omittit reverentiam illis debitam; sed hoc est peccatum sacrilegij omissionis: ergo in casu posito tale peccatum sacrilegij committitur. ¶ Nihilominus sententia negativa probabilior est. Primò: quia verum sacrilegium debet committi contra rem aliquam sacram; sed quando datur omissio receptionis Sacramenti,nulla res sacra violatur, sed vnice præceptum de eius receptione frangitur: ergo nullum ibi committitur sacrilegium. ¶ Secundò: nam omissio Missæ in die festo non est peccatum sacrilegij: ergo nec similiter omissio receptionis Sacramentorum. Patet consequentia:quia sicut Sacramenta sunt res sacra,ita etiam Missa: ergo sicut omissio auditionis Missæ non est sacrilegium, sed quoddam irreligiositatis peccatum alterius rationis à sacrilegio, ita similiter omissio receptionis Sacramentorum. ¶ Tertiò denique: quia contra communem intelligentiam Doctorum est, quod omittens tempore debito receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, aut Euçharistiæ duplex peccatum committat, vnum sacrilegij, & alterum inobedientiæ contra præceptum Dei, aut Ecclesiæ: ergo dicendum est in omissione receptionis Sacramentorum nullum sacrilegij peccatum committi. ¶ Ad motivum sententiæ contrariæ respondetur, quod reverentia debita Sacramentis non est, quod determinato tempore recipiantur, alias omnes tenerentur omnia septem Sacramenta recipere, sed quod quando recipiuntur, nulla eis irrogetur iniuria: ergo pura receptionis omissio nequit esse eorum irreverentia, & consequenter nec sacrilegij peccatum.

Pœnæ pecuniariæ contra Sacrilegos impositæ.

39 Pœnæ autem ab Ecclesia huic crimini impositæ, variæ sunt: nam aliæ sunt pecuniariæ, & spirituales aliæ. Pœna pecuniaria assignatur à iure 17. quæst. 4. cap. *Siquis contumax*, vbi dicitur, quod, *siquis contumax, vel superbus fugitivum servum de atrio Ecclesiæ per vim extraxerit, nongentos solidos componat.* Et infra additur: *Quisquis inventus fuerit reus sacrilegij, triginta libras examinati argenti purissimi componat.* Et rationem huius pœnæ assignat Divus Thomas 2.2.q. 99. art. 4. in corpore: *Secundum vero Ecclesiæ statuta, quæ mortem corporalem non infligit, adhibetur pœna pecuniaria, vt saltem pœnis temporalibus homines à sacrilegijs revocentur.* Sed hæc lex pœnalis, & similes, ante iudicis sententiam non obligant, vt late diximus tr. 11. cap. 2. punct. 3. à num. 64. & tenent plures DD. quos ibi retulimus: & insuper Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 10. dub. 15. num.12. Filliucius tract.24.cap.10.quæst.10. num. 269. Suarez supra relatus cap.7.n.11.

Excommunicationes à iure latæ cõtra Sacrilegos.

40 Pœnæ vero spirituales, scilicet censuræ, contra sacrilegos impositæ nunquam ipso facto incurruntur, nisi in casibus sequentibus. Primò: ipso facto excommunicatur, qui sacrilegas manus in Clericum, vel Monachum iniecerit. Cap. *Si quis suadente*, 17. quæst. 4. de qua tract. 10. cap.4. punct. 2. late egimus. Secundò: qui violat Ecclesiasticam immunitatem tributa imponendo; vel personas Ecclesiasticas ad tribunalia trahendo, bona que Ecclesiastica vsurpando. De quibus videantur à nobis dicta in Bullam Cœnæ, tract. 10. cap. 4. punct. 6. à num. 94. & Tridentinum sess. 22. cap. 11. legantur etiam, quæ docuimus tract. 18. cap.3. punct.3. §.5. num.115. ¶ Tertiò: excommunicantur expoliantes res sacras, Ecclesias effringendo, vt habetur *in cap. Conquæsti*, 22. *de sententia excommunicationis*, & supra explicuimus num. 24. His ergo casibus exceptis, nulla est excommunicatio ipso facto contra sacrilegos lata, vt tenent Suarez *de Censuris*, disp.22. sect. 2. num. 12. Azor tom. 1. lib.9. cap.27. quæst.10. Læsius lib. 2. cap.45. dubit.4. num.22. Palaus tr.17. disp. 2. punct.3. §.4. num.1. Filliuc.tract.24. cap. 10. num. 268. & alij. ¶ Sola ergo est difficultas: An incendarij Ecclesiarum ipso facto sint excommunicati? Affirmant Glossa, & Interpretes Canonici Iuris *in cap. Tua, de sententia excommunicationis.* Negant vero, & rectius, Caietanus in Summa, verbo *Excommunicatio*, cap. 22. Navarrus cap. 27. n. 74. Sylvester excommunicatio 7. casu 7. quia in iure non habetur talis excommunicatio lata, cum tantum ibi dicatur: *Si quis malo studio, odio, aut vindictæ cupiditate ignem apposuerit, excommunicetur; at si mortuus fuerit incendarius, careat sepultura christiana.* Vbi non lata, sed ferenda imponitur excommunicatio. Quapropter si contra eos datur excommunicatio lata, non est à iure, sed per consuetudinem Prælatorum introducta, quæ, cum sit communiter acceptata, vim legis habet, vt recte notant Navarrus citatus,& Trullench lib.1. *in Decal.* cap.9. dub.15.num.12. & Azor lib.9. cap.27. quæst.11.

Pœnæ arbitrariæ contra Sacrilegos.

41 Denique aliæ sunt pœnæ, quæ pro iudicis arbitrio vsque ad mortem rei, contra sacrilegia possunt imponi, de quibus late Farinacius *de Furtis*,quæst.172.à num.1.Salced. Pract. cap.87. Menoch. *de Arbitr.* lib. 2. casu 384. Antonius Gomez tom.3. Variar. cap. 5. num. 11. Decian. lib.6. Pract. crim. cap. 33. qui omnes docent: tum: quod sacrilegij crimen est mixti fori; ac proinde, quod iudicari potest à iudice Ecclesiastico, & Sæculari: tum:

tum: quod puniri potest pœna capitis iuxta gravitatem sacrilegij: vnde siquis furaretur pixidem, vbi sacratissimum Christi corpus asservatur, & si minimi valoris esset, capitis pœna puniendus esset: quia licet in ratione furti forte esset non admodum grave peccatum, tamen in ratione sacrilegij gravissimum est, dignum vt extremo supplicio luatur. ¶ Hic disputandum erat de Ecclesiæ immunitate: sed de his iam abunde disseruimus tr. 18. cap. 3. punct. 3. per sex §§. & etiam tr. 8. cap. 7. quare ab eius discussione supersedemus.

***

TRACTATUS XXII.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Non assumes nomen Dei tui in vanum. Exod. 20.

PROOEMIUM.

Superatis, faventibus superis, difficultatibus, quibus scatent implicatæ materiæ, quæ ad primum Decalogi attinent præceptum, accedimus iam ad secundum, quod per manus Moyses Legislator Divinus his verbis nobis proponit: *Non assumes nomen Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei frustra.* Et recte quidem. Nam, sicut non est, nisi vnus Deus, quem colere in primo præcepto iubemur; ita nec est aliud nomen sub cœlo hominibus datum, quod summe venerari debeamus; & ideo illud in vanum quovis modo assumere prohibemur. Tripliciter ergo dicitur *assumi nomen Dei in vanum* iuxta Divum Thomam opusc. 4. Primò, pro vt vanum est idem, ac falsum, secundum illud Psalmi 11. 3. *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum.* Quare, quando assumitur nomen Dei ad confirmationem falsitatis; assumi dicitur *in vanum.* Secundò: *vanum* est idem ac inutile iuxta illud Psalmi 93. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Quare qui assumit nomen Dei ad confirmandas vanitates, assumit nomen Dei in *vanum.* Tertiò: *vanum* est idem ac peccatum, aut iniustitia, vt patet ex illo Psalmi 4. *Fili hominum vsque quo gravi corde? Vt quid diligitis vanitatem::?* Qui enim iurat, peccatum committere, verbi gratia, furtum facere, aut non intrare in Ecclesiam, assumit nomen Dei in vanum. Quapropter in hoc præcepto, quo prohibemur assumere nomen Dei in vanum, præcipimur, vt non iuremus falsum, inutile, & iniustum. ¶ Sed quia in aliquibus votum à iuramento non distinguitur, ideo communiter Doctores in hoc secundo Decalogi præcepto de vtroque indiscriminatim agunt: quorum morem gerentes, & nos etiam hic de vtroque agere debebamus. At, quia iam in tom. 4. huius Cursus, tract. 17. late de eis dis-

disseruimus; ideo, ne actum agamus, ad ibi dicta lectorem remittimus. Quapropter ad plenam huius secundi præcepti Decalogi declarationem tantum desiderantur ea, quæ ad dœmonum adiurationem expectant. Et ratio est: quia, cum Adiuratio sit *divini nominis contestatio*, recto ordine pertinet ad secundum Decalogi præceptum, in quo agitur de iuramento, seu de assumptione divini nominis ad propria verba confirmanda. Vnde Angelicus Doctor postquam 2. 2. quæst. 89. egit de iuramento; in quæst. 90. immediate sequenti sermonem de Adiuratione, seu (vt verbis Divi Thomæ loquar) *de assumptione divini nominis per modum adiurationis*. Instituit; quia inter se magnam connexionem habent. Vnde, & nos tanti Doctoris vestigijs inhærendo, hic de dœmonum adiuratione breviter disseremus.

CAP. UNICUM.

De Adiuratione.

EXplicando Angelic. Doctor opusc. 4. *de decem præceptis Decalogi*, illa verba: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*: & assignans sex casus, in quibus potest Dei nomen assumi; primò ad confirmationem veritatis, vt in iuramento: secundò, ad sanctificationem, vt in Baptismo: in tertiò sic ait: *Tertio sumitur ad adversarij expulsionem. Vnde ante Baptismum abrenuntiantur Diabolo.* Et 2. 2. quæst. 89. in principio hos sex casus ad tres reducens hæc profert: *Assumitur autem divinum nomen ab homine tripliciter. Vno modo per modum iuramenti ad propria verba confirmanda. Alio modo per modum adiurationis ad alios adiurandum. Tertio modo per modum invocationis ad orandum, vel laudandum.* Quare Divi Thomæ præmentes vestigia, postquam tom. 4. tract. 17. egimus de assumptione divini nominis ad propria verba confirmanda, quod fit in iuramento; nunc in hoc cap. agendum est nobis cum eodem Angelico Doctore quæst. 90. immediate sequenti, de assumptione divini nominis per modum adiurationis. In quo de asistentia dœmonis in obsesso; de ordine in Adiuratione servando; nec non de Exorcismorum virtute, & de alijs ad licitam dœmonum adiurationem attinentibus, per novem puncta differendum nobis est.

Punct. I. *QVid, & quotuplex sit Adiuratio?* n. 1.
Punct. II. *Qui possint adiurare; & qui sint adiurandi?* num. 5.
Punct. III. *De Exorcismorum essentia, & efficacitate ad fugandos dœmones.* num. 15.
Punct. IV. *Qualem virtutem habeant aliquæ res naturales, & sensibiles ad expellendum dœmones?* num. 28.
Punct. V. *An, & qualiter assistant dœmones in energumenis, & in eos exerceant potestatem?*
§. I. *De assistentia dœmonum in obsessi corpore, & qui, & quot sint isti dœmones?* num. 33.
§. II. *De potestate dœmonis in energumenos, & qualiter opera peccaminosa eis tunc imputentur?* num. 44.
Punct. VI. *Qui modus servandus est, vt licite Adiuratio fiat?*
§. I. *Quæ possit Exorcista à dœmone interrogare?* num. 50.
§. II. *An dœmoni vi Exorcismorum aliquid manifestanti in ordine ad causam ingressus fides adhiberi possit?* num. 64.
Punct. VII. *An dœmones de ingressu in homines lætentur, & aliquod pœnarum levamen accipiant?* num. 81.
Punct. VIII. *De egressu dœmonum à corpore obsessi,* num. 90.

PUN-

Punct. IX. *An, & qui sint spiritus, qui spectris loca infestant, homines que terrificant: & qualiter ab illis sunt expellendi?* num. 96.

§. I. *An sint loca spectris infesta; & qui sunt, qui has terrificationes commovent?* num. 96.

§. II. *Qualiter loca à larvarum infestatione possint liberari?* num. 106.

PUNCT. I.

Quid, & quotuplex sit Adiuratio?

Quid sit Adiuratio?

1 NOn sumitur in præsenti adiuratio pro vt significat ad iurandum inducere; quia sic coincidit cum iuramento; sed pro vt est contestatio divini nominis ad aliquid faciendum, vel omittendum. Quare ex Divo Thoma 2.2.quæst.90.art.1.diffinitur sic: *Adiuratio est contestatio rei sacræ, per quam adiuratus imperio, aut obsecratione inducitur ad aliquid faciendum, aut omittendum.* Explicatur tradita diffinitio. Dicitur primò, *Contestatio*: quia sicut per iuramentum Deum veluti præsentem adducimus ad veritatem confirmandam, ita etiam per adiurationem, vt eius reverentia, amore, aut timore adiuratus permoveatur ad id, quod petimus. Addimus, *rei sacræ*: tum ad denotandum, quod sub his verbis non solum comprehenditur Deus, sed etiam Angeli, & homines sancti, per quos fieri potest etiam adiuratio, cum plurimum apud Deum valeant: tum ad excludendum res humanas, & prophanas, quacumque dignitate, & excellentia polleant; quia earum contestatio nunquam erit proprie adiuratio. Reliquæ particulæ ex se constant, quare explicatione non indigent. Sic ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 90. art. 1. Caietanus, & Raphael à Torre. Sotus lib. 8. *de Iust. & Iur.* quæst. 7. art. 1. Ledesma 2. part. tract. 11. cap. 6. concl. 1. Læsius lib. 2. *de Iustitia, & Iure*, cap. 42. dubit. 13. num. 67. Suarez tom. 2. *de Religione*, lib. 4. à cap. 1. Sanch. lib. 2. Summæ, cap. 42. num. 1. Bonac. disp. 4. quæst. 1. puncto vltimo, num. 1. Filliuc. tract. 24. cap. 8. q. 7. num. 200. Palaus tom. 3. tract. 14. disp. 4. punct. 1. num. 1. Trullench lib. 1. *Decalogi*, cap. 10. dub. 14. & Leand. tract. 9. disp. 15. quæst. 1.

Quotuplex sit Adiuratio?

2 Prædicta ergo adiuratio multiplex est: nam primo dividitur ex D. Thoma loco citato, in adiurationem deprecativam, & imperativam. Deprecativa est, quando per deprecationem aliquem contestamur; & hoc adiurationis genere vtitur Ecclesia, quando in Litanijs, & Orationibus contestatur merita Christi, & Sanctorum, vt Deus postulata concedat. Et Div. Paulus ad Romanos 12. dum ait: *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis, &c.* ¶ Imperativa est, qua per divini numinis contestationem subditos imperamus: sicut fecit D. Paulus ad Thessalon. vltimo; dicens: *Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc.* Et Princeps Sacerdotum Christum per Deum vivum adiuravit, Matthæi 26. & sic Ecclesia medijs Exorcismis dæmones adiurat. ¶ Secundò dividitur in solemnem, & privatam: solemnis est, quæ fit modo ab Ecclesia tradito, & per Ministros ab ea specialiter designatos, & consecratos: privata vero est, quæ prædicta solemnitate caret. ¶ Tertiò dividi potest hæc adiuratio in propriam, & impropriam: illa est, qua contestamur Deum, & Sanctos, pro vt ad Deum dicunt relationem, seu iuxta sanctitatem ab eo receptam: ista vero dicitur, quando Sanctos secundum se, aut secundum propria merita, & excellentiam contestamur. Et ratio est: quia prima habet summam vim ad impetrandum, secus vero ista. Sic communiter DD. supra citati. His ergo præmissis.

Cuius virtutis actus sit Adiuratio, & an cadat sub præcepto?

3 Inquires primò: An adiuratio sit actus alicuius virtutis? Breviter ad hanc quæstionem respondetur, dicendo, adiurationem proprie sumptam, esse actum Religionis. Et ratio est: quia tunc exhibetur Deo summus honor, qui est actus proprius Religionis cum eius authoritatem tamquam valde apud homines potentem interponimus, ad postulata consequenda; sed hoc fit in actu adiurationis proprie sumptæ: ergo est proprie actus Religionis. ¶ Si vero adiuratio sit impropria, non est actus Religionis; pertinebit tamen ad cultum hyperduliæ, si per B. Virginem fiat; & duliæ, si per cæteros Sanctos exequatur. ¶ Vnde patet primò distinctio adiurationis ab alijs Religionis actibus: quia per orationem, verbi gratia, aliquid à Deo petimus; sed per adiurationem propter Deum petitur: at si aliquando cum adiuratione simul à Deo aliquid petimus, tunc coniungitur adiuratio cum oratione. Distinguitur etiam à iuramento; quia in iuramento adducitur Deus vt testis veritatis; in adiuratione vero vt obiectum amoris, vel timoris eius, quem adiuramus, vt sic adducatur ad faciendum, aut omittendum, quod ab eo exigitur. Vel quia in iuramento tibi divinam authoritatem interponis ad veritatem confirmandam; in adiuratione vero non tibi, sed alijs interponis, vt moveantur eius timore, aut amore, ad postulationi annuendum. ¶ Patet etiam secundò: quod, licet non detur aliquod adiurationis speciale præceptum naturale, aut divinum; quia quidquid per adiurationem exoptatur, potest per orationem fieri; tamen, ex obligatione proprij muneris, & officij, per accidens potest dari præceptum Ecclesiasticum adiurationis: nam, suppositis obsessi necessitate, tenemur ratione officij, Ecclesiæ Ministri, ei exorcismis subvenire. Hucusque dicta tenent Sanchez n. 1. 2. & 4. Suarez cap. 1. & 4. Filliucius tract. 24. cap. 8. à num. 201. Palaus num. 9. & 10. & Trullench num. 1.

Quæ requirantur, vt adiuratio sit licita?

4 Inquires secundò: Quæ conditiones requirantur, vt adiuratio sit licita? Respondetur: quod, cum adiurati sit veluti quædam iuramenti species, vt honesta sit, requiris

rit eosdem tres comites, quod iuramentum, de quibus diximus tom. 4. tract. 17. cap. 2. punct. 4. scilicet, *veritatem, iustitiam, & iudicium.* Quare ratione *veritatis* tenetur adiurans primò procedere vero animo impetrandi postulata: secundò per Deum verum, & non per falsum, vt Iovem, aut Dianam, adiurare: tertiò debet esse verum adiurationis motivum. Deinde ratione *iustitiæ* exigit adiuratio, vt sit licita, quod res postulata honesta sit, si enim turpis est, valde Deo iniuriosum est, quia indicat per eam res pravas Deo placere. Vltimò ratione *iudicij* petit, quod debita reverentia, & consideratione fiat, non enim temere, & passim Dei, & Sanctorum merita contestanda sunt. Qualis vero sit culpa, si quis prædictos comites non observet? dicendum est; quod nisi per falsum numen adiuratio fiat, aut ad rem graviter turpem obtinendam, reliqui defectus in comitibus adiurationis commissi, regulariter leves culpæ sunt. Videantur Sanchez num. 5. Suarez cap. 4. Palaus num. 5. Bonac. num. 11. Leander à quæst. 3. & quæ infra dicemus punct. 6. à num. 50.

PUNCT. II.

Qui possint adiurare; & qui sint adiurandi?

Decernitur, qui possint adiurare privatim, & qui solemniter?

5 POstquam essentiam, divisionem, & conditiones adiurationis tradidimus, restat ad alia dubia descendere; quorum plura sub se continet titulus propositæ quæstionis, & ideo divisive decidenda sunt. Et circa primam difficultatem propositam levis est inter DD. controversia: omnes enim asserunt, quod, si loquamur de adiuratione privata, seu non solemni, tam Deus, quàm omnis creatura rationalis potest alios adiurare. Et ratio est; tum: quia Deus per contestationem sui amoris potest adducere creaturas ad aliquid agendum, vel omittendum; sed hoc est proprie adiuratio: ergo Deus adiurare potest. Tum etiam: quoniam tam Angeli boni, & mali, quàm homines possunt alijs Dei nomen, & Sanctorum proponere, vt eius amore, & timore moveantur, aut compellantur ad exequenda postulata: ergo, & alios adiurare. Si vero sermo sit de adiuratione solemni, etiam est certum, quod non omnis creatura, sed tantum Ministri ab Ecclesia ad id destinati, scilicet, exorciste, possunt solemniter adiurare, cum ob hanc rationem talis adiuratio solemnis dicatur. ¶ Quod autem vtraque hæc potestas sit in Ecclesia Dei à Christo data, patet ex pluribus sacræ Paginæ testimonijs. Nam loquendo de omnibus fidelibus dicitur Marci cap. 16. vers. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient.* Et cum Christi discipuli dicerent: *Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo*, ait illis: Lucæ 10. vers. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Ex quo testimonio clare constat Christum Ecclesiæ fidelibus, & specialiter eius Ministris concessisse virtutem ad expellendos dæmones ab energumenis. Quapropter Ecclesia instituit specialem ordinem Exorcistarum, in quo confertur singulis potestas ad adiurandos solemniter dæmones. Dicta tenent omnes SS. Patres, & Theologi. Videantur Thyræus part. 3. *de locis infestis*, cap. 37. Suarez lib. 4. cap. 22. num. 1. Torre 2. 2. q. 90. art. 2. disp. 1. Palaus tract. 14. disp. 4. punct. 3. Sanchez lib. 2. Summæ, cap. 42. n. 18. Leander tract. 9. disp. 5. tract. 19. & 20. Trullench *in Decalog.* lib. 1. cap. 10. dub. 14. num. 8.

Non est in omnibus eadem vis ad dæmones expellendos.

6 Sed rogabis primò: An hæc potestas sit in omnibus hominibus æqualis? Ad quod sub distinctione est respondendum; quia si loquamur de Ordinis potestate, hæc in omnibus est æqualis, cum non ex virtute conferentis, aut meritis recipientis conferatur: vnde sicut in ordine Presbyteratus æqualis omnibus confertur potestas ad consecrandum; sic etiam in ordine Exorcistatus æqualis omnibus tribuitur potestas ad dæmones expellendos. ¶ Si vero loquamur de alia potestate, quæ inter gratias gratis datas enumeratur 1. ad Corinth. 12. experientia constat non esse in omnibus æqualem, quia Spiritus Sanctus sua dona dividit, pro vt vult, & ideo videmus, plures maiori, & efficatiori præ alijs exorcistis pollere virtute ad arcendos ab obsessis dæmones. Ita Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 5. num. 17.

Puritas cõscientiæ non est simpliciter necessaria.

7 Rogabis secundò: An ad eijciendos dæmones ab obsessis, puritas conscientiæ in Exorcistis necessario requiratur? Affirmant aliqui, quos suppresso nomine refert Abulensis in cap. 7. Matthæi, quæst. 33. ¶ Sed verius, & vt omnino certum, tenendum est, puritatem conscientiæ, seu sanctitatem non esse omnino necessariam ad dæmones expellendos. Quod probatur 1. nam Matthæi 7. vers. 22. dixit Iesus: *Multi dicent in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus; & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Ergo stat, quod aliquis dæmonia eijciat, & tamen in peccato existat. Idem constat ex Lucæ 9. & 10. & Marci 9. nec non Act. Apostol. 19. quapropter dixit Beatus Cyprianus de vnitate Ecclesiæ circa medium: *Prophetare, & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtique, & admirabilis res est; non tamen Regnum Cœlorum consequitur quisquis in his omnibus invenitur, nisi recti, & iusti itineris observatione gradiatur.* Et Christus Dominus ad Apostolos ait Lucæ 10. non esse gloriandos ex eo, quod dæmones eis subijcerentur: sed: *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in Cœlis.* ¶ Secundò probatur assertio. Nam Cayphas (Ioannis 11.) prophetavit convenientiam mortis Christi. Et Balaam etiam futura revelavit: Num. 22. & tamen vterque actualiter erant gravis-

si-

simi peccatores: ergo & Exorcistæ possunt in peccato existentes dæmones expellere: patet consequentia, cum tam gratia Prophetiæ, quam expellendi dæmones sint gratiæ gratis datæ: ergo si prima compatitur cum peccato, etiam secunda. Sic communiter Doctores: maxime Abulensis citatus quæst. 32. 33. & 34. Sanchez num. 16. Trullench num. 6. Leander quæst. 51. Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 7. Thyræus part. 3. cap. 39.

8 Sed licet hæc ita sint, tamen negari non potest, quod valde iuvat vitæ sanctitas ad arcendos dæmones: quare enixe curare debent, qui hoc officio funguntur, vt nulla læthalis peccati conscientia graventur, dum dæmones adiurare tentant: alias difficillime optata consequuntur. Quod quidem suaderi potest exemplis eorum, quos legimus spiritus *Nequam* ab obsessis eiecisse; nam plerique ex his egregia sanctitate claruerunt, vt sacras historias sedulo evolventi clare patebit. Quapropter Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 8. à num. 11. Thyræus cap. 40. dicunt, quod fere nunquam Exorcista hæreticus dæmonia eijciet. Tum: quia finis Dei in patrandis miraculis est manifestatio veritatis; cum ergo hæretici sint aperti veritatis hostes, nunquam, Deo sic disponente, eveniet, quod his medijs veritatem confirment. Tum etiam: quia, experientia teste, nunquam legimus, hæreticos dæmonia eiecisse, vt late probant prædicti Doctores locis citatis exemplo Luteri, Calvini, & aliorum huius classis, qui frustra pluries hæc mira connati sunt operari: ergo signum est, quod his sceleratis hominibus non vult Deus, ne infirmos pervertant, dictam eijciendi dæmones potestatem conferre. ¶ Vnde iustissime hæc concludimus dicendo: in Ministris huius excellentis muneris plures conditiones requiri, vt ei plene satisfaciant. Primò, quando cum Principe huius Mundi, & tenebrarum harum, qui vt fortis armatus arcis humanæ atrium custodit, Exorcista certamen inire contendit, debet conscientiam scopo Sacramenti Pœnitentiæ abstergere: secundò, ferventi orationi prius insistere: tertiò, proprium corpus ieiunio affligere: quartò, cum magna animi submissione hoc prælium aggredi: quintò, ferventi divino amore flagrare: & denique sextò, solo divino auxilio fretus victoriam ab eo vnice expectare. His ergo armorum præsidijs cataphractus securus signa cum veterato hoste conferre potest.

Deus adiuratione deprecativa adiurari potest.

9 Circa 2. difficultatem de his, scilicet, qui adiurare possunt, inquires primò: An omnis, & sola creatura rationalis possit licite à nobis adiurari? Ante decisionem quæstionis propositæ nota ex professo nos minime inquirere, an Deus possit adiurari; quia affirmativa pars est certissima, & à D. Thoma 2. 2. quæst. 90. art. 1. ad 3. supponitur. Et ratio est: quia sæpissime repræsentata eius infinita bonitate, aut Sanctorum meritis, ab eo plura beneficia petimus: & Ecclesia quotidie, propositis Christi meritis, Deum ad postulata concedenda intendit movere; sed hoc est adiuratio deprecativa: ergo hac Deus adiurari potest. Divum Thomam sequuntur Palaus punct. 3. num. 3. Suarez lib. 4. cap. 2. num. 3. Sanchez lib. 2. Summæ, cap. 42. num. 12. & alij. Quare tota difficultas est circa creaturas.

Aliqui sentiunt omnem creaturam etiam irrationalem licite adiurari posse.

10 Pars negativa suaderi potest primò: quia dæmon est creatura rationalis; sed hic adiurari nequit, cum non operetur ex amore, aut timore Dei, vel meritorum Sanctorum, qualiter ad adiurationem requiritur; sed potius ex Dei odio: ergo non omnis creatura rationalis adiurari potest. ¶ Secundò: quia qui aliquem adiurat, habet societatem cum illo; sed non licet cum dæmone societatem habere: ergo, &c. Tertiò: Ecclesia habet Exorcismos contra locustam, brucum, nubes, grandines, quibus ab eius Ministris adiurantur; sed hæc sunt creaturæ irrationales; ergo non sola creatura rationalis adiurari potest. Quartò: nam praxis est apud aliquas nationes locustas, brucos, & alios vermiculos in iudicium evocare, & constitutis advocato, & procuratore, contestata que lite anathematizare, vt refert Delrius lib. 3. *Disq. Magic.* part. 2. quæst. 4. sect. 8. ergo etiam licitum est creaturas irrationales adiurare. Sic tenent Casaneus consil. 1. num. 123. part. 5. Sprenger *in Malleo Maleficarum*, tom. 2. q. 2. cap. 1. & Fœlix Malleol. tom. 2. lib. 6.

Sed verius est sola rationalia adiurari posse.

11 Sed vt omnino certum tenendum est, omnem, & solam, creaturam rationalem posse licite adiurari. Et quidem si sermo est de Sanctis Angelis, & hominibus liquet; quia omnes isti contestatione Dei, & Sanctorum adduci possunt ad postulata concedenda: ergo, & adiurari adiuratione saltem deprecativa. Quo ad dæmones, in quibus videtur esse aliqua difficultas probatur primò: quia licet illicitum sit dæmones adiuratione deprecativa adiurare, & petere à superiore, vt inferiorem expellat; quia *ille modus adiurandi* (ait Div. Thomas 2. 2. quæst. 90. art. 2. in corpore) *videtur ad quandam benevolentiam, vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones vti:::: Nec licitum est eos adiurare ad aliquid ab eis addiscendum; vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam, nisi forte ex speciali instinctu, vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus dæmonum operatione vtantur.* Attamen non est illicitum eos adiurare imperativa adiuratione: tum quia licet sint nobis superiores, tamen Ecclesia est illis superior, & nobis confert virtutem à Christo datam ad eos arcendos, & repellendos, ne nobis spiritualiter, aut corporaliter noceant; vt constat ex illo Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Et Marci vltimo: *In nomine meo dæmonia eijcient.* Et non solum Ecclesiæ Ministris Christus hanc virtutem contulit, sed, etiam omnibus Christi fidelibus, iuxta illud Marci vltimo: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eijcient.* Sed hæc falsa essent, nisi in nobis esset potestas, seu virtus ad adiurandos dæmones: ergo licite eos adiurare adiuratione coactiva possumus, eos com-

compellendo, vt ab obſeſsis exeant, nocere que deſiſtant. Divum Thom. ſequuntur Sanchez lib. 2. Sum. cap. 42. num. 15. Bellarminus tom. 2. de Sacram. lib. 1. cap. 25. Petrus Ledeſma part. 2. tract. 11. cap. 6. concl. 2. Trullench lib. 1. cap. 10. dub. 14. num. 5. Palaus tract. 14. diſp. 4. punct. 3. à num. 3. Suarez lib. 4. cap. 3. num. 6. Læſsius lib. 2. cap. 42. dubit. 13. num. 70. Leander quæſt. 24. diſp. 5. relatæ. Filliucius tract. 24. cap. 8. num. 207. Bonacina diſp. 2. quæſt. 1. punct. vltimo, num. 2.

Probatur quo ad irrationalia.

12 Quo ad aliam partem, ſcilicet, quod ſola creatura rationalis, non vero irrationalis, vt locuſta, bruchus, pulgon, &c. poſsit directe adiurari, patet noſtra concluſio. Nam incapax eſt adiurationis, qui adiurantis verba, & Exorciſmos Eccleſiæ percipere nequit, cum adiuratio ſit opus rationis practicæ; ſed creaturæ irrationales verba adiurantis, & Eccleſiæ Exorciſmos percipere nequeunt, vt conſtat: ergo incapaces ſunt adiurationis. Tunc ſic: ſed gravis irreverentia eſt, Exorciſmos Eccleſiæ applicare vane, & inutiliter, & rei omnino incapaci: ergo illicitum eſt creaturas irrationales adiurare, & conſequenter ſola creatura rationalis licite adiurari valet. Hæc tenent præter ſupra relatos Sotus lib. 5. de Iuſtitia, & Iure, quæſt. 12. art. 2. Delrius *Diſquiſit. Mag.* part. 2. quæſt. 4. ſect. 8. Torre 2. 2. quæſt. 90. art. 3. diſp. vnica, n. 7. Navarrus lib. 5. Conſil. titulo de *Sententia Excommunicationis*, conſ. 2. Torreblanca lib. 9. *Iuris Spirit.* cap. 13. Læſsius lib. 2. cap. 42. dub. 13. num. 72.

Reſpondetur duobus primis argumentis.

13 Ad primum argumentum reſpondetur ex Sanchez num. 15. cui adhærent Palaus num. 3. Trullench num. 5. Leand. quæſt. 42. quod quanvis à dœmone non petatur, vt exeat à corpore obſeſsi, vel deſinat nocere ob Dei gloriam, & ob eius nominis reverentiam, quod eſſentia adiurationis exigit, quia fruſtra hoc ab eo peteretur, cum ob propriam in malo obſtinationem omnia ex odio Dei, & hominum agant; nihilominus optime dicitur per Exorciſmos adiurari: quia ſicut dum homines adiuramus per conteſtationem rei ſacræ, eos inducimus, vt eius reverentia, amore, aut timore aliquid faciant, aut omittant; ita per eandem conteſtationem dœmones compellimus, vt ab obſeſsis recedant, hominibus q e nocere, & ſi ex odio, omittant; & ob hanc ſimilitudinem recte dicuntur adiurari, & ſi nihil agant ob Dei reverentiam. ¶ Ad ſecundum dicimus, quod adiurans dœmonem imperando per conteſtationem rei ſacræ, nihil ab eo petit, nec ab eo implorat auxilium, ad aliquid agendum, aut cognoſcendum, hoc enim eſſet adiurare adiuratione deprecativa, & conſequenter ſocietatem cum Dœmone habere; ſed adiurat adiuratione coactiva, quod potius eſt, ait Divus Thomas art. 2. ad 3. *ab eius ſocietate recedere*, cum compellat agere id, quod dœmon odit, & execrat.

Fit ſatis tertio, & quarto argumento.

14 Ad tertium argumentum concedimus Eccleſiam habere Exorciſmos contra locuſtam, brucum, nubes, &c. alia que animalia irrationabilia, ſed negamus hos Exorciſmos immediate contra ea procedere: nam cum hæc animalia, Deo ſic permittente, ad nocendum moveantur à Dœmonibus, non dirigit Eccleſia Exorciſmos, vt eos legenti patebit, ad adiuranda animalia irrationabilia, ſed ad inviſibiles eorum motores, qui ſunt dœmones. Quapropter nihil contra noſtram aſſertionem ex hoc convincitur. ¶ Videatur Divus Thomas 2. 2. quæſt. 90. art. 3. in corpore. ¶ Ad quartum dicimus, prædictam praxim eſſe illicitam: imò vt ait Palaus n. 6. graviter peccaminoſam, cum ſuperſtitioſum ſit, credere ſententiam excommunicationis contra irrationabilia latam, poſſe contra ea vim aliquam habere. Vnde, ſi aliquando dicta animalia prædictæ ſententiæ obediunt, hoc non accidit ob eius virtutem, ſed quia dœmon, qui ea regit, hæc agit, vt efficatius hanc ſuperſtitionem hominibus ſuadeat, fortius que in ea implicatos relinquat, & facilius ad tartara detrudat.

PUNCT. III.

De Exorciſmorum eſſentia, & efficacitate ad fugandos dæmones.

15 QUia inter modos dœmones adiurandi præcipuus eſt Exorciſmorum vſus, ideo ante omnia de eius eſſentia, exiſtentia, origine, & efficatia agendum eſt, & ſimul tranſeunter nonnulla de alijs exorciſzandi formulis, ſeu modis dœmones pellendi, dicemus. Exorciſmus ergo nihil aliud eſt quam illa ratio, qua dœmones per Deum adiurantur, & ab obſeſsis exire coguntur. Quæ quidem pro diverſitate temporum diverſas ſortitus eſt formulas. Nam alius exorciſzandi dœmones modus fuit in lege antiqua, & alius in evangelica: ſiquidem in lege antiqua, ait S. Epiphanius contra Ebionæos cap. 3. Iudæos adhibito nomine Dei TETRAGRAMMANTON dœmones adiuraſſe. Et Ioſephus lib. 4. Antiquit. cap. 4. refert Salomonem Exorciſmos contra dœmones inſtituiſſe, quod non improbat D. Thom. q. 6. de *Pot.* art. 10. ad 3. referendus infra num. 32. Et non leviter indicat Chriſtus, &c. non leviter indicat Chriſtus Dominus, vbi calumniantibus Iudæis in poteſtate Beelcebub eieciſſe dœmonia, ſic reſpondet Lucæ 11. *Si ego in Beelcebub eijcio dœmonia, filij veſtri in quo eijciunt.* In quibus verbis ſupponit Iudæos in lege veteri habuiſſe formam adiurandi dœmones, & poteſtatem eos à corporibus arcendi. Imò Torre 2. 2. quæſt. 90. art. 2. diſp. 2. num. 7. & Greg. lib. 16. *Syntagmatum iuris*, cap. 5. num. 3. docent: in omni legis ſtatu, ſive naturæ, ſive ſcriptæ, ſive gratiæ fuiſſe poteſtatem abigendi dœmones, & eos à corporibus expellendi, quæ vtiquæ diverſa à noſtra eſſet.

Forma, quæ ad dœmones

16 Et adhuc in lege Evangelica non vna apud omnes adiurandi fuit ratio: nam alia vſus

expellendos vsus est Christus, & Apostoli.

vsus est Christus, alia Apostoli, & alia Apostolorum successores. Christus enim aliquando simplici verbo dœmonia expullit; aliquando diversas orationes, & verba adhibuit: nam cum sanaturus esset dœmoniacum illum surdum, & mutuum, de quo Matthæi 9. versu 32. & Marci 7. versu 32. primo ipsum apprehendit, & à turba abduxit; deinde misit digitos suos in auriculam, & expuens tetigit linguam eius, & postea suspiciens in Cœlum ingemuit, & ait illi *EPHPHETHA, quod est adaperire; & statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur recte.* Apostoli vero in nomine Christi expellebant dœmonia, brevique formula ad hoc vtebantur, veluti hac: *In nomine Iesu-Christi præcipio tibi dæmon, vt ab hoc homine exeas.* Vnde simili formula vsus fuit D. Paulus, quando condolens de puella habente spiritum pythonem, dixit Actorum 16. versu. 18. *Præcipio tibi in nomine Iesu-Christi exire ab ea, & exijt eadem hora.* Sed nunc iam Exorcistæ ex approbatione Ecclesiæ ampliori Exorcismorum forma vtuntur: nam in eis miscent plures orationes, aliqua Evangelia, Sanctorum litanias, contactum crucis, aut alicuius reliquiæ, & aquam benedictam, vt constat ex Rituali Romano. ¶ Efficatiam horum Exorcismorum suadent clamores, voces, gemitus, & eiulatus, quos in obsessis hominibus sæpissime dœmones dederunt; & innumera exempla eorum, qui nunc à dœmonum cruciatibus ipsorum vi sunt liberati: & licet veteres Patres paucioribus precibus, & ritibus in suis exorcismis vsi fuerint, vt videri potest apud Thyræum part. 3. cap. 46. tamen ab aliquot sæculis hanc ampliorem exorcismorum formam, & pietas suasit, eruditio digessit, mirabilia comprobant, effectus confirmant, & denique Ecclesiæ tolerantia corroborat. Vnde floci habenda est hæreticorum censura, quæ nostram Exorcismorum formam præ antiqua carpiunt, cum nihil in ea sit, quod superstitionem redolere possit; quin potius omnia sunt sancta, pia, & ad finem intentum satis commoda; & fere omnia ex scriptura, & sanctis Patribus selecta. Vnde his omissis.

Quam virtutem habeant Exorcismi ad dœmones fugandos?

17 Inquires primò: An Exorcismi habeant virtutem ex opere operato ad dœmones expellendos, nociva que animalia arcenda? Ante resolutionem supponendum est: hic non loqui de virtute physica; quia, estò hanc non repugnet adesse in exorcismis ad dœmones abigendos; vt late probat Torre 2. 2. quæst. 90. disp. 15. cum videamus ignem Inferni, & si corporalis sit, agere phisice instrumentaliter in spiritus; tamen nec nobis necessaria ad finem intentum est, nec adest vrgens motivum ad eam stabiliendam: qua propter solum in præsentiarum nobis sermo est de virtute morali per modum impetrationis. ¶ Quo supposito ad difficultatem propositam respondetur affirmative. Primo: quia Div. Thomas 3. part. quæst. 71. art. 3. inquirens: *An ea, quæ aguntur in Exorcismo, aliquid efficiant?* Sic in corpore articuli respondet: *Dicendum, quod quidam dixerunt ea, quæ in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solum significare: sed hoc patet esse falsum per hoc, quod Ecclesia in Exorcismis imperativis verbis vtitur ad expellendam dæmonis potestatem: puta, cum dicit, ergo maledicte diabole exi ab eo, &c. & ideo dicendum est, quod aliquem effectum habent, differenter tamen ab ipso baptismo.* Idem dicit in 4. dist. 6. quæst. 2. art. 3. quæstiuncul. 2. Et deinde explicans, quem effectum efficiant, ait: quod per Exorcismos excluditur duplex impedimentum salutaris gratiæ percipiendæ, quorum primum est extrinsecum, in quantum dœmones extrinsece impediunt nobis consequi gratiam baptismi. Secundum vero est intrinsecum, scilicet, in quantum homo ex labe originalis peccati habet sensus præclusos ad percipienda salutis mysteria: vnde concludit, quod prædicti Exorcismi non precisè significant, sed etiam aliquid efficiunt, à Deo impetrando ablationem prædicti duplicis impedimenti, quo dœmon salutis animæ impedire nobis conatur. Tunc sic: sed eiusdem rationis sunt Exorcismi, quibus adiuratur puer baptizandus, ac energumenus liberandus: ergo, si ex Divi Thomæ mente Exorcismus in baptismo semper aliquid operatur in ordine ad dœmonis expulsionem, idem dicendum est de alijs energumenorum exorcismis.

Secúdo probatur conclusio.

18 Secundò eadem assertio ostenditur: nam, vt diximus tract. 6. cap. 5. punct. 3. numer. 50. & NN. Salmant. Scholast. tom. 11. tract. 22. disp. 10. dub. 2. num. 19. sacramentalia, licet ex opere operato non habeant causare immediate remissionem venialium, tamen saltem mediate eam efficiunt, impetrando auxilia ad actus, per quos immediate, & formaliter venialia remittuntur (& hæc est mens nostra dicto loco stabilita, vt attente consideranti constabit; & iam notarunt NN. Salmant. num. 22. in fine, licet alicui diversa videatur) ergo Exorcismi, licet ex opere operato non habeant causare dœmonis expulsionem totalem, tamen semper ex opere operato causant aliquem effectum pertinentem, & conducentem ad dœmonis expulsionem. Patet consequentia; nam ideo sacramentalia iuxta nostram, & certiorem Doctorum oppinionem, semper ex opere operato producunt aliquem effectum in ordine ad venialium remissionem, quia, cum Ecclesia habeat sufficientem virtutem ad consequendum prædictum effectum, à Deo, per modum impetrationis illum exoptando; & alias instituantur prædicta sacramentalia ad prædictum effectum, potest eis prædictam virtutem communicare; sed Ecclesia habet vim ad impetrandum à Deo expulsionem dœmonis, & quidquid ad hoc conducere potest: & alias instituit ad hoc prædictos Exorcismos: ergo, si ob hanc rationem sacramentalia ex opere operato causant, saltem mediate, venialium remissionem, etiam exorcismi habent ex opere operato causare, aut dœmonis expulsionem, aut saltem aliquem effectum ad eam immediate conducentem. ¶ Vltimò: Sacramentalia, vt docent NN. Salmant. loco citato, num. 9. habent vim ex opere operato ad expel-

pellendos dœmones, vel per modum impetrationis, aut imperij; vel per oppositionem quasi connaturalem inter dœmones, & aliqua Sacramentalia; puta signum Crucis, & invocationem dulcissimi nominis IESU: ergo idem potiori titulo dicendum est de Exorcismis, cum hi, vt videre est in Rituali Romano, & complectantur signum Crucis, invocationem nominis IESU, aspersionem aquæ benedictæ, & simul alias res, & verba sacra ad prædictam expulsionem ordinata, tam per modum impetrationis, aut imperij, quàm per quasi connaturalem oppositionem cum dœmone. Dicta tenent Sanchez lib. 2. Sum. cap. 42. num. 16. Sotus in 4. dist. 6. quæst. 2. art. 3. Palaus tom. 3. tract. 14. disp. 4. punct. 4. num. 19. Thyræus part. 3. cap. 47. Trullench lib. 1. *in Decalog.* cap. 10. dub. 14. num. 6. Leander tract. 9. disp. 5. quæst. 56. Caiet. in cap. vltimo Marci. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 7. punct. 2. quæst. 2.

Replicabit. 19 Sed dices: Si Exorcismi haberent virtutem ex opere operato ad expellendos dœmones ab obsessis, semper, & infallibiliter prædictum effectum consequerentur, sicut Sacramenta, quæ, quia ex opere operato causant gratiam, quantum est ex se semper causant gratiam, si ex parte subiecti obex non sit; sed Exorcismi prædictum effectum infallibiliter non consequuntur, vt tenent Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 16. Thyræus, Sanchez, & alij ex supra allegatis; & constat: tum experientia quotidiana, qua videmus plures Energumenos post diuturnam exorcizationem, adhuc torqueri dira dœmonum possessione: tum ex sacra Pagina, vbi Matthæi 17. dicitur, Apostolos puerum quendam dœmoniacum liberare non potuisse: ergo Exorcismi non habent ex opere operato virtutem ad dœmones expellendos.

Aliquorum responsio. 20 Ad hoc argumentum respondent aliqui DD. quod, licet Exorcismi Ecclesiæ habeant ex opere operato dœmones expellere, tamen hunc effectum infallibiliter non consequuntur sicut Sacramenta in non ponentibus obicem: sed tantum id assequuntur ex congruitate quadam, & pro vt divinæ providentiæ conveniens visum fuerit. Sic Leander quæst. 57. & alij apud ipsum. Vnde dicunt, quod locus ille Divi Marci cap. vltimo: *In nomine meo dœmonia eijcient.* Non fundat pro omnibus divinam promissionem, sed pro aliquibus, quando Ecclesiæ necessitas id expostulaverit, & divinæ providentiæ leges decernerint. ¶ Alij vero dicunt, quod non causant ita infallibiliter ex opere operato expulsionem dœmonis, sicut Sacramenta conferunt gratiam: & quod hæc diversitas ex triplici capite oritur; primò, ex parte Exorcismorum, quia ex institutione divina non sunt adeò efficatia, sicut Sacramenta: secundò, ex parte Exorcistarum, quia ad hoc munus negligenter præparantur: tertiò, ex parte obsessorum, vel quia in peccatis existunt, aut extiterunt; vel quia eis non expedit, vt cito curentur, ne graviora peccata committant; vel forte id evenit ob aliorum peccata, aut vtilitatem, aut quia ad gloriam Dei valde conducit. Sic Thyræus citatus cap. 47. Torre n. 4. & Leander quæst. 58.

Refelluntur supra dictæ opiniones. 21 Sed primam solutionem non capimus: nam si Exorcismi ex opere operato habent virtutem ad dœmones expellendos, eius virtus debet esse infallibilis, vbi obex ex parte energumeni non adest; cum virtus, quæ est talis ex opere operato, non dependeat in effectum producendo, à dispositione operantis; vt patet in Sacramentis, quæ, quia ex opere operato causant gratiam in subiecto non indisposito, hoc ipso, quod à subiecto disposito recipiantur, & si minister sit indispositus, infallibiliter gratiam conferunt. Et similiter; quia sacramentalia ex opere operato mediate remittunt venialia, ideo cogimur ad assignandum infallibiliter prædictum effectum, hoc est, quod infallibiliter impetrent auxilia moventia ad actus, per quos venialia formaliter remittuntur; etiam si, qui recipit prædicta auxilia, non eis vtatur ad eliciendos actus, quibus venialia formaliter remittuntur: ergo, si Exorcismi habent ex opere operato virtutem ad dœmones expellendos, necesse est, quod eis assignemus aliquem effectum, quem infallibiliter in ordine ad prædictam expulsionem producant. ¶ Secundam sententiam etiam non intelligimus; quia non dat aliam efficacitatem Exorcismis, quam eam, quæ habent aliæ quælibet orationes.

Propria mēs aperitur. 22 Quapropter dicimus cum communi sententia: Exorcismos habere virtutem ex opere operato ad expellendos dœmones; ac proinde addimus, infallibiliter semper hunc effectum causare. ¶ Sed pro huius solutionis intelligentia nota: quod hæc dœmonum expulsio considerari potest dupliciter; primò, complete, & perfecte: secundò, incomplete, & imperfecte, seu vialiter. Primò modo dicit expulsionem totalem dœmonis à corpore obsessi, ita vt nullo modo in eo remaneat: secundò modo non dicit hanc expulsionem totalem, sed vialem, seu inchoatam, in quantum potestas, & virtus dœmonis in ordine ad torquendum obsessum (de qua infra num. 44. punct. 5.) aliquomodo per eos minuuntur, & attenuantur, taliter quod deinceps non ita acriter obsessum torqueat, & ad mala provocet; & hæc dicitur expulsio vialis, & inchoata; quia est via, & principium, qua pervenitur ad vltimam, & perfectam dœmonis expulsionem.

Respondetur ad argumē-tum. 23 Hoc ergo sic notato, respondemus: quod Exorcismi ex opere operato habent virtutem ad expellendos dœmones, vel expulsione perfecta, & completa; vel saltem expulsione imperfecta, & viali; ac proinde infallibiliter semper aliquem ex his effectibus consequuntur: nam vel causant expulsionem totalem, & perfectam, si Deo placet; vel saltem expulsionem vialem, & imperfectam, vires adversarij attenuando. Et ad ita discurrendum movemur: tum authoritate Divi Thomæ supr. allegata, vbi concedit Exorcismo, fieri in Baptismo solito, aliquem infallibilem effectum, scilicet abiectionem dœmonis, ne impediat Sacramenti susceptionem, & eius fru-

fructum, vt concedunt Sotus, & Torre: quæ ratio etiam militat in alijs Exorciſmis, cum eiuſdem generis ſint, ab eadem que Eccleſiæ authoritate dimanant. Tum etiam: quia in intelligibile eſt, quod Exorciſmi habeant virtutem ex opere operato ad dœmones expellendos, & nihil circa eos agant, vt ſupra demoſtravimus. Tum denique: quia ſic componitur, quod vtraque communis ſententia docet; nimirum, quod Exorciſmi habeant virtutem ex opere operato ad dœmones abigendos, & nihilominus, quod non ſemper dœmones per Exorciſmos expellantur; cum iam eis aliquem infallibilem expulſionis effectum aſsignemus, quin dicamus, quod ſemper à corporibus obſeſsis dœmones expellant; ſed potius aſſerimus, quod hæc totalis expulſio relinquitur voluntati divinæ, Dei que inſcructabilibus iudicijs, quin per hoc efficacitas Exorciſmorum ex opere operato impugnetur. ¶ Et per hoc patet ad inſtantiam, & Apoſtolorum exemplum:. optime enim componitur, quod Apoſtoli non potuerint curare dœmoniacum illum, & quod Exorciſmi habeant virtutem ex opere operato: quia prima, ſeu totalis expulſio pendet ex divina voluntate, & beneplacito Dei, qui hanc virtutem, cum ſit ex gratijs gratis datis, confert cui, & quando vult, aut ſibi expedire videtur.

Invocatio nominis *Ieſu* valet adverſus dœmones.

24 Præter Exorciſmos ab Eccleſia inſtitutos inveniuntur aliæ res, quas licet Exorciſmi ſub ſe complectantur, tamen ipſæ ſecundum ſe ſeorſim acceptæ, videntur habere virtutem ad dœmones abigendos, de quibus breviter agendum eſt. Prima ex his rebus, quæ ad arcendos dœmones virtutem ex ſe habere videntur, eſt *invocatio nominis IESU*: quod patet ex 1. ex eo, quod Chriſtus Dominus, dando Apoſtolis hanc poteſtatem, dixit, Marc. 16. *In nomine meo dœmonia eijcient*. Et Apoſtoli gratulabantur Lucæ 10. quod in nomine Chriſti ipſis dœmonia ſubijcerentur. Et D. Paulus Act. 16. de ventræ puellæ divinantis expullit Pythonem dicens: *Præcipio tibi in nomine IESU CHRISTI exire ab ea, & exijt eadem hora*. Et Lucæ 9. dixerunt diſcipuli: *Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dœmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum*. Et Act. 16. quidam Iudæi non credentes adiurabant dœmones in nomine *Ieſu*, quem Paulus prædicabat: ergo prædicta *nominis Ieſu invocatio* habet virtutem ad dœmones fugandos.

Cruce Chriſti expelluntur dœmones.

25 Secunda, quæ dœmones expellit, eſt *Crux Chriſti*, quæ dupliciter abigere poteſt dœmones: Primò: tanquam cauſa inſtrumentalis, qua Deus vtitur ad eos arcendos, eo modo, quo in hiſtorijs Eccleſiaſticis legimus, media cruce vt inſtrumento, plura miracula edita fuiſſe; tam ſanitatem conferendo, morbos profligando, venenum innoxie bibendo; quàm dracones enecando, fluctus maris reprimendo, ignem extinguendo, aut innoxie calcando, vt ſatis veriſimile docent Thyræus part. 3. cap. 44. num. 18. & Torre citatus, diſp. 14. num. 8. Secundò: vt obiectum contriſtans, & horrorem dœmonibus incutiens; eo quod in eo Chriſtus eos devicit, vt ait Apoſt. ad Coloſſ. 2. ac proinde malunt, potius cum dedecore obſeſſum incolumem deſerere, quam cum moleſtia crucem ſubſtinere. Quo circa ſicut canis odit baculum, quo percuſus eſt, ita & Diabolus Crucem deteſtatur, & fugit. Vnde Origines Homil. 6. in cap. 5. Exodi ait: *Timor, & tremor cadunt ſuper dœmones, cum ſignum in nobis viderint crucis fideliter fixum*. Et hic modus fugandi dœmones nobis probabilior videtur, ſicut, & viſus iam eſt noſtris Salmanticenſibus Scholaſticis tom. 11. tract. 22. diſp. 10. dub. 1. num. 9.

Reliquiarũ vſus dœmones fugat.

26 Tertia res, quæ dœmones abigit, eſt vſus Reliquiarum Sanctorum: quod, plurimis exemplis omiſsis, conſtat ex Actibus Apoſtolorum cap. 19. verſ. 12. vbi de Apoſtolo Paulo dicitur: *Virtutes que non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, vel ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur*. Modus autem huius fugæ operandæ eſt, quia, cum dœmones odio, & invidia in Sanctos, dum in hoc mundo degerunt, tabeſcerent; tum: quia cognoſcebant occupaturos ſedes, quas ipſi in cœlo poſſederant; tum: quia ab ipſis ſæpiſſe Dei gratia confortatis ſuperantur; nunc eorum reliquijs viſis, horreſcunt, & contriſtantur, ac proinde earum præſentiam non valentes ex odio, & metu ſubſtinere, fugiunt, & ab obſeſsis recedunt. Ita Thyræus cap. 43. & Torre diſp. 14. citata, num. 4.

Aſperſione aquæ benedictæ fugãtur dœmones.

27 Denique dœmones expellunt res ſacratæ, & benedictæ, ad hoc ſpecialiter ab Eccleſia inſtitutæ; quales ſunt, primò, agni cerei, quos *Agnus Dei* vocamus, de quibus ſupra egimus eos inter ſacras Reliquias computantes. Secundò huius generis eſt: aqua laſtralis, ſeu ab Eccleſia benedicta, quam ſpecialiter Eccleſia ordinat ad dœmones fugandos, & morbos pellendos, vt conſtat ex oratione, qua ab Eccleſia benedicitur, vbi à Deo exoratur, vt *Creatura tua* (ſcilicet aqua) *myſterijs tuis ſerviens ad abigendos dœmones, morbos que pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum, &c.* ¶ Sed quid loquar de huius aquæ virtute ad dœmones pellendos? Sed melius eſt, vt pro me loquatur Seraphica Virgo, & Mater noſtra Diva Thereſia, quæ in libro eius Vitæ, cap. 31. ſic eius virtutem laudibus extollit: *De muchas vezes tengo experiencia, que no ay coſa, con que huyan mas* (loquitur de dœmonibus) *para no tornar. De la Cruz tambien huyen, mas buelven luego: debeſer grande la virtud de la agua bendita: para mi es particular, y muy conocida conſolacion, que ſiente mi alma, quando la tomo::::: Conſidero yo, que gran coſa es todo lo que eſtà ordenado por la Igleſia; y regalame mucho vèr, que tengan tanta fuerza aquellas palabras, que aſsi la pongan en el agua, para que ſea tan grande la differencia, que haze à lo que no es bendito. Pues como no ceſſaba el tormento, dixe, ſi no ſe riyeſſen, pediria agua bendita. Traxeronmela, y echaronmela à mi, y no aprovechaba: echèla àzia donde eſtaba, y en vn punto ſe fue, y ſe*

me

me quitò todo el mal. Hucusque illuminata Doctrix: & infra idem sibi accidisse repetit. Ex quibus constat, quanta est aquæ benedictæ contra dœmones virtus, cum ad præsentiam Crucis licet fugiant dœmones, tamen iterum solent apparere: at dum aqua benedicta asperguntur, taliter fugiunt, vt nunquam pro tunc redeant. Quapropter merito dixit Torre 2. 2. quæst. 9. art. 2. disp. 14. num. 9. *In vsu aquæ benedictæ reor esse vim instrumentalem ad dæmones pellendos, plusquam in reliquijs SS. aut Crucis effigie, eo quod reliquiæ, & Crux suum per se habent vsum distinctum à profligatione dæmonum, Reliquiæ pignora Sanctorum sunt; quæ, quia organa fuere ad opera egregia, valde honorat Deus. Crux imago Christi pro nobis in cruce pendentis. Et si ab aqua benedicta tollas effectum præfatum, aqua sola est, quia ex vi suæ consecrationis ad illud instituta est.*

PUNCT. IV.

Qualem virtutem habeant aliquæ res naturales, & sensibiles ad expellendum dœmones?

Res naturales expellere dœmones, sunt qui asserant.

28 TRaditis iam efficatia, & virtute, quam Exorcismi, aliæ que res spirituales habent ad arcendos dœmones ab obsessis corporibus, restat videre virtutem, quam ad hoc habent aliæ res naturales. Pro quo inquires: An sint aliquæ res sensibiles, & naturales, quæ vim habeant ad fugandos dœmones? Affirmativam partem suadere videntur sequentia argumenta. Primum: nam 1. Reg. cap. 16. dicitur, quod pulsante David cytharam, refocillabatur Saul, spiritus que malus ab eo recedebat. Et Tobiæ 6. & 8. legitur, quod fumus iecoris cuiusdam piscis habet virtutem ad extricandum omne genus dœmoniorum: ergo verum est, quod sint aliquæ res naturales, quæ ex se habent virtutem ad dœmones fugandos, & compescendos. ¶ Secundum: nam Iosephus lib. 8. *de Antiquit.* cap. 20. asserit se vidisse Exorcistam Iudæum nomine Eleazarum, qui, præsente Vespesiono, & exercitu eius, sanabat energumenos, intulendo naribus eorum annulum habentem sub signaculo radicem à Salomone mostratam. Et fatetur etiam se alium vidisse, qui precioso lapide incluso in annulo dœmones fugabat. ¶ Tertium: Plinius lib. 28. *Hist. Nat.* testatur vrinam equi mixtam aqua ferrata dœmones expellere. Et alij idem dicunt de quibusdam herbis, quales sunt *Artimesia, Salvia, Barba Iovis Ruta, Hypericon, Polegium, folia Sambuci*, & aliæ: nec non eadem referunt de quibusdam fumigationibus, verbi gratia, *cornu caprini*, & cuiusvis stercoris maxime humani, nec non sulphuris, galbani, rutæ, assæ fœtidæ, & aristolochiæ, vt tenent Mengus in libro *Flagellum dœmoniorum* nuncupato, exorcismo 3. Ergo dantur aliquæ res naturales, & corporeæ, quæ habent virtutem ad fugandos dœmones. Ita Fajus in suo Energumeno. Serarius ad cap. 8. Tobiæ. Grillandus apud Neremberg part. 1. Philosophia, lib. 1. cap. 47. & Camisius Medicus apud Mouram de *Incantationibus*, sect. 1. cap. 2. num. 1. & 9.

Oppositum est probabilius.

29 Sed verius dicendum est primò: Nullam rem corpoream habere virtutem naturalem ad directe, & per se dœmones expellendos. Et ratio est evidens: quia dœmon est res spiritualis; sed nulla res spiritualis naturaliter potest directe à re corporali cogi, aut pati: ergo nec dœmon potest directe à re naturali fugari, aut pati. Quapropter si aliqua res corporalis agit in spiritum, signum evidens est, ibi superstitionem adesse, vt notat Sanchez ex Angelo. ¶ Confirmatur: nam in rebus naturalibus, verbi gratia, lapidibus, aut herbis, virtus agendi est ipsa qualitas, sive sit de primis, vt calor, sive de secundis, vt aliæ ex quatuor primis resultantes; sed quæcumque qualitas ex annumeratis, solum agere potest in corpora elementata, cum sint accidentia corporum elementorum, & sic videmus ab eis non posse pati corpora cœlestia: ergo, cum dœmones sint puri spiritus expertes omnis materiæ elementaris, nequeunt ab eis cogi, aut pati. Confirmatur 2. Nam dœmones nullos habent sensus, aut organa: ergo nec delectantur, aut coguntur suffitibus, coloribus pulchris, musicæ concentibus, aut libidinoso coitu, cum hæc omnia exigant organa à natura ad id deputata: ergo nec per se, & directe possunt à rebus naturalibus cogi, aut allici, & consequenter nec fugari.

Res naturales indirecte possunt agere in dœmones.

30 Dicendum est secundò: Res corporales posse indirecte in dœmones agere. Pro quo nota 1. ex Divo Thoma quæst. 6. *de Potentia*, art. 10. quod dœmones tripliciter possunt allici, & cogi per res corporales, non propter ipsas, sed propter aliquid aliud in eis inclusum. Primò: quia ipsi cognoscunt, quod per res aliquas corporales facilius possunt consequi ea, quæ exoptant: vnde alliciuntur muschi, aut galiæ odore, vel cantharidibus, quia excitant veneris ardorem; aut hipomane, quia amorem conciliat: & ideo Dioscorides cap. 20. & Cæsius *de Mirabilibus*, suadent, quod senibus, & non iuvenibus chirotecæ ambaro imbutæ concedantur. Et è contra fugiunt rosam recentem, quia, vt docet Avicena apud Bellovac. lib. 10. Natur. Hist. cap. 133. eius odore venus friget, & desiderium coeundi abscinditur. ¶ Secundò: quia aliquæ res corporales sunt signa aliquorum spiritualium, quæ ipsi appetunt; vnde, quia homines ad ostendendum subiectionem Deo debitam, ei offerunt thus, sacrificium, postrationem, & similia; ideo his valde dœmones delectantur; quapropter, quando his signis à Magis invocantur, cito eis adsunt, vt honore divino valde ab eis exoptato frequentius honorentur. ¶ Nota tamen hic, quod, vt ait Divus Thomas: *Alliciuntur diversi dœmones, diversis signis, secundum quod diversis vitijs ipsorum magis conveniunt.* ¶ Tertiò: alliciuntur rebus corporalibus, in quantum per ea homines in peccata magis ruunt,

ruunt, vt convivijs, choreis promiscuis virorum, ac mulierum, &c. Ex quibus clare sequitur: quod nulla res sensibilis est dœmonibus grata, aut nociva per se ipsam, sed propter aliud vel in eis inclusum, vel ab eis derivatum. ¶ Secundò notandum est: dupliciter dœmones posse energumenos vexare: Primò vtendo naturalibus hominum qualitatibus, & dispositionibus, vel applicando activa passivis, eorum corpora immutando. Secundò per se ipsos cor, aut viscera, vel fauces coartando, aut dilatando. Vnde si hoc secundo modo dœmones energumenos vexent, nulla res naturalis potest nec directe, nec indirecte illos fugare; cum nullam cum eorum actionibus connexionem, aut dependentiam habeat. Si vero primo modo fiat, potest illos res naturalis indirecte expellere; nam medicamen, quod est vtile ad prædictos humores minuendos, valet ad minuendam dispositionem corporis, qua dœmon vtitur ad hominem vexandum: vnde agens directe in corpus, indirecte dœmonem agit, fugat, & arcet.

Indirecte valet res sensibis per vires naturales dœmones fugare.

31 Ex his iam constat secunda conclusionis pars. Nam ad indirecte agendum in dœmonem, non requiritur, quod actio tendat in ipsum dœmonem, sed sat est, si agat in dispositionem, aut res naturales, quibus dœmon vtitur ad homines vexandos; sed plures res naturales possunt agere, & tollere dispositionem, & res naturales, quibus dœmon vtitur ad vexandum homines: ergo indirecte agere in dœmones possunt. Minor sola indiget probatione; & sic ostenditur: nam ruta ratione suæ frigiditatis tollit, vel minuit ardorem, qui valde ad venus commovet: deinde fumus iecoris illius piscis, de quo Sacer testus loquitur Tobiæ 6. similiter habebat virtutem ad temperandum ardorem veneris, corpus que ad Castitatem inclinandum: & ideo cum Asmodæus semptem priores viros Saræ ad lasciviam excitaret, spiritus venereos ad hoc commovendo, & hanc ob causam, Deo sic permittente, occideret: & è contra ratione suffitus iecoris prædicti piscis talem dispositionem, imò contrariam inveniset, ideo eum nec occidere, nec vexare potuit, & ita dicitur, quod fumus iecoris illius piscis habet virtutem expultricem dœmonis. Videatur N. Antonius à Matre Dei, prælud. 1. digress. 4. sect. 7. num. 231. Præterea: pulsatio cytharæ Davidis refocillabat Saulem, & recedebat spiritus malus ab eo, non quia ageret in spiritum nequam, sed quia vel alleviabat humores melancholicos, & sic minuebatur dispositio corporea, qua dœmon ad torquendum Sualem vtebatur, vt ait Thyræus part. 3. cap. 48. num. 15. vel quia, vt docet Abulensis lib. 1. Regum, cap. 16. quæst. 45. armonia delectationem causat, & delectatio dolores, quos patimur, mitigat, & sic cytharæ pulsatio dolores à dœmone Regi illatos temperabat: & hæc est causa, quare in sacro textu dicatur; quod *spiritus malus recedebat ab eo.* Vnde constat veritas illius minoris, scilicet, quod res naturales sunt, quæ habent virtutem ad tollendam dispositionem, qua dœmon vtitur ad homines torquendos, & sic indirecte illum ab obsessis expellunt, & nullo modo directe in eum agunt, & sic manet quæstio plene decisa.

Argumentis cõtrarijs respondetur.

32 Ex quibus constat iam ad exempla primi argumenti. Ad secundum respondet D. Thomas quæst. 6. *de Potentia*, art. 10. ad 3. quod: *Si Salomon exorcismos suos eo tempore fecit, quando erat in statu salutis, potuit esse in illis exorcismis vis cogendi dœmones ex virtute divina. Si autem tempore illo fecit, quo idola adoravit, vt intelligatur eum per magicas artes feciſſe, non fuit in illis exorcismis vis cogendi dœmones, nisi modo prohibito.* Quapropter aliqui apud Thyræum 3. part. cap. 48. num. 26. credunt prædictam expulsionem factam fuisse: tum: ob rationem Divi Thomæ: tum: quia illa radix ab Eleazaro, non à Salomone fuit adhibita. Et adiurationis modus à Iosepho relatus satis superstitionem redolet, cum dicat prædictum Eleazarum per nares odorantis dœmon abstraxisse. Vel denique: & si concedamus fuisse dictam radicem ex institutione Salomonis, quando Deum colebat, in exorcismis adhibitam, tunc dicendum est; non directe, sed indirecte dœmones fugare, sicut supra diximus de virtute naturali aliarum herbarum, lapidum, &c. Ex quo patet ad aliud exemplum. ¶ Ad tertium argumentum compactum ex diversis exemplis herbarum, & aliarum rerum, quæ videntur habere virtutem ad dœmones fugandos, respondetur hanc expultricem efficaciam habere, non quia directe in dœmones agant, vt adversarij videntur asserere, sed quia agunt virtute sua naturali, materiam destruendo, qua vtitur dœmon ad homines vexandos, vt supra docuimus. Hucusque dicta tenent Divus Thom. quæst. 6. *de Potentia*, art. 10. Abulensis 1. Regum, cap. 16. à quæst. 40. ad 46. Thyræus 3. part. cap. 48. Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 17. Sanchez lib. 2. Summæ, cap. 42. num. 10. Delrius lib. 2. *Disquisit. Magic.* q. 30. sect. 3. Navarrus *in Manuali*, cap. 11. num. 38. Lupus *in Edict. Inquisit.* 3. part. lib. 22. dist. 2. art. 2. diffic. 1. Palaus tom. 3. tract. 14. disp. 4. punct. 4. num. 16. Bonac. tom. 2. disp. 4. q. 1. punct. vltimo, num. 12. Leander tract. 9. q. 80. & alij.

PUNCT. V.

An, & qualiter assistant dœmones in energumenis, & in eos exerceant potestatem?

COpiosam materiam nobis offert quæstionis titulus, si spatiari per eam optaremus: sed quia non omnes huius quæstionis difficultates propriæ nostri instituti sunt, ideo breviter eas tantum duplici §. attingemus, quæ magis ad mores accedunt, necessariæ que sunt ad plenam huius materiæ intelligentiam. In quorum pri-

primò qualiter in obsessis dœmones assistant, differemus, in secundò de potestate in Energumenos, & de signis ad eos cognoscendos agemus.

§. I.

De assistentia dœmonum in obsessi corpore, & qui, & quot sint isti dœmones?

De fide est dœmones hominũ corpora subintrare.

33 QUod dœmones vere hominum corpora subintrent, adeò evidens est, vt contrarium asserere, sit manifesta hæresis, & contra experientiam calcitrare. Nam Matth. & Lucæ 8. ac Marci 5. narratur Dominum Iesum eiecisse à dœmoniaco illo, qui domicilium habebat in sepulchris integram legionem dœmoniorum. Et Matth. 17. dixit Iesus: *Hoc genus* (dœmoniorum) *non eijcitur nisi per orationem, & ieiunium.* Et Matthæi 12. 15. 17. Marci 1. 3. 5. 7. 9. Lucæ 4. 8. 9. 11. & alibi sæpe narrantur mirabilia à Iesu facta circa expulsionem dœmoniorum ab obsessis corporibus: ergo verum omnino est, dœmones hominum corpora subintrare. Deinde experientia constat energumenos sæpe loqui peregrinis linguis, quas nec audierunt, nec didicerunt, futura annuntiant, & absentia, ac si præsentia viderent, asseverant; & alia peragunt, quæ humanas, & proprias vires excedunt; sed hæc fieri non possunt à prædictis hominibus, nisi dœmones subintrassent eorum corpora, & per os eorum loquantur: ergo necesse est fateri de facto malignos spiritus corpora hominum intrare. Dicta tenent Thyræus part. 1. cap. 1. Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 18. Sanchez lib. 2. Summæ, cap. 42. num. 6. Palaus tract. 14. disp. 4. num. 20. Hoc ergo vt de fide stabilito.

Quæ requirantur, vt aliquis vere sit dœmoniacus?

34 Inquires primò: Quæ requirantur, vt aliquis vere arreptitius dicatur? Respondetur: tria ad hoc necessario requiri; primum, quod subintrent dœmones corpus obsessi, quia exterior tantum assistentia non est sufficiens, vt quis dœmoniacus dicatur; alias Christus, Iob, & Divus Antonius, ac etiam alij Sancti dicerentur dœmoniaci; cum eis exterius dœmon astitisset. Et falsum esset, quod dixit Christus Marci 5. *Exi spiritus immunde à corpore isto*::: Et infra: *Exeuntes spiritus immundi, intraverunt in porcos.* Quæ satis indicant interiorem assistentiam dœmonis in obsessi corpore. ¶ Secundum, quod requiritur, est, quod eum immediate per se ipsos vexent; nam si vexent mediate, verbi gratia, morbos generando mediantibus cibis venenosis, aut alijs rebus perniciem afferentibus, vexatio hæc non facit arreptitium; alias omnes maleficiati, & alij Sancti homines similia à dœmone perpessi, essent energumeni. ¶ Tertium, & vltimum, quod requiritur, est, quod habeant potestatem manendi in obsessi corpore tanquam in proprio domicilio, & eum interius, exterius que torquendi: & ideo quia hanc potestatem in Iudam diabolus non habuit, licet in eum intrasset, vere arreptitius non fuit. Ita Thyræus 1. part. cap. 2. Sanch. num. 6. Quapropter has tres conditiones habere debet, vt vere quis arreptitius sit.

Respondetur aliquibus obiectionibus.

35 Sed contra dicta obijcies: Anima est in toto corpore, & qualibet illius parte: ergo dœmon nequit in illo esse, alias duo spiritus essent in eodem loco, & operationes vtriusque confunderentur. ¶ Secundò: Animæ defunctorum nequeunt corpora viventium subintrare: ergo nec spiritus nequam. ¶ Tertiò: Angeli Custodes non sunt intra nos, etiam si in nobis operentur, nos custodiendo: ergo nec dœmones; cum ideo intra obsessi corpus esse dicantur, quia in illo operantur. Sed hæc supra stabilita non enervant. Nam ad primum respondetur nullam esse implicationem animam, & dœmonem esse in eodem corpore, quia anima est in corpore sicut forma in materia; dœmon vero est in eo, sicut in loco, quæ satis inter se sunt diversa, vt sine confusione operationum possit vterque ibi adesse. Videatur Abulensis in cap. 8. Matthæi, quæst. 113. ad 2. Ad 2. admisso antecedenti, negatur consequentia, quia animæ defunctorum non habent vim adversus corpus informatum alia anima, cum sint eiusdem speciei, & rationis; & simile non agit in simile, nec æquale in æquale. Deinde: quia anima separata non est in suo esse naturali: ergo nequit habere vim ad operandum in corpore informato propria anima, quæ, cum sit in suo statu naturali, efficatiorem vim habet ad resistendum animæ extraneæ moventi. Quæ omnia cum non militent in dœmonibus; cum sint superiores omni anima rationali; possunt esse in corporibus vivorum, ea pro libito movendo localiter, & in eis operando, de quo late Abulensis loco citato, quæst. 124. ¶ Ad 3. respondetur, non ideo dœmones dici esse intra corpus hominum, quia ibi operentur vtcumque; sed quia operantur intra terminos quantitatis corporum, hoc est, speciei circundantis corpus, quod, cum non habeant Angeli Custodes, sed solum operenter exterius, removendo extrinseca impedimenta, & damna, quæ hominibus imminent, ideo nequit dici esse intra homines, quos custodiunt.

Per quam partem corporis ingrediantur, & egrediantur dœmones?

36 Inquires secundò: Per quam corporis partem spiritus nequam homines obsessos ingrediantur, & egrediantur? Supponimus dœmones corpora non habere, vt falso quidam somniarunt, & videri possunt apud Div. Thomam 1. part. quæst. 50. art. 1. & ibi Scholasticos, & maxime NN. Salmant. sed esse spiritus omnis corporeæ materiæ omnino expertes. Si enim corpus haberent, absdubio esset, quod per determinatam corporis partem ingredi, & egredi deberent; cum corpora naturaliter non penetrentur. ¶ Hoc supposito adhuc videtur dicendum dœmones per determinatas corporis partes necessario ingressuros, verbi gratia, per os, nares, &c. Tum: quia, vt constat pluribus exemplis relatis à Thyræo 1. part. cap. 16. & 32. non semel in hominum corpora dœmon ingressus est in cibo, & potu, in quibus antea latebat. Tum etiam: quia communiter quando ab obsessis eijciuntur, per os egre-

egrediuntur. Tum denique: quia hinc videtur ortam consuetudinem, dum oscitant homines, signo crucis os muniendi; quasi hac consignatione dœmon ab ingressu prohibeatur: ergo videtur dicendum per determinatas corporis partes dœmones ingredi, & egredi. ¶ Sed è contra vt omnino certum tenendum est, quod, licet dœmones sæpe per os, aures, nares que intrent, aut egrediantur, tamen hæc agere per quoscumque corporis, etiam tenuissimos meatus, & poros valent. Et ratio est: quia spiritus in quantum tales omnia corpora absque vlla resistentia penetrare valent: ergo possunt per vix perceptibiles poros, tenuissimos que meatus corpora humana penetrare. ¶ Ex quibus patet ad obiecta: quia duæ primæ rationes solum suadent, quod communiter per os, aut nares *spiritus nequam* ingrediantur, aut egrediantur; quod non negamus, sed hoc non obest, quominus per quoscumque poros ingredi, & egredi etiam valeant. Quapropter ex hoc communi modo ingrediendi per os, orta est consuetudo, quam non improbamus, sed laudamus, muniendi os signo crucis, dum oscitant homines. Nostram assertionem tenent Thyræus part. 1. de Dœmoniac. cap. 9. & Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 23.

In qua corporis parte dœmones existant?

37 Sed hinc insurgit curiosa, at difficilior quæstio, scilicet, in qua corporis parte dœmones tesideant? Ad quam respondetur posse pro suo libito totum corpus, & quamlibet eius partem occupare: & ita posse esse in brachijs, aut tibijs, vel capite, seu ventre, &c. aut simul in omnibus corporis partibus: in quo differt ab anima, qua corpus vivit, quia hæc, cum omnes corporis partes vivificet, omnibus debet esse coniuncta; at dœmones, cum in corpore, vt motores, resideant, possunt pro libito in qualibet, aut in omnibus latitare. Determinare autem in qua obsessi parte vnice latitent, difficile est asserere: ex operationibus tamen investigari aliquomodo, licet non certo, poterit: vnde si linguam protrahant, si tumorem in aliqua parte excitent, aut alicui membro molestiam ingerant, non leve indicium est ibi adesse; esto certo hoc asserere non possumus, cum has molestias medijs causis naturalibus inferre possint, & eis adhibitis ad alias partes in ictu oculi remigare valeant. Credimus tamen in corde, aut prope cor, suam sedem eligere; tum: quia hoc membrum est principium actionum corporis humani; cum ergo dœmonum finis sit vexare, & exagitare hominum corpora, & affectus, non leviter præsumendum est in hoc membro latitare, quia hoc modo omnia necesse est commovere; ad modum, quo Nauclerus, vt navim impellat, non in qualibet navis parte se constituit, sed tantum clavum manu tenet; quia eo modo necesse est omnem navis partem commovere, & quo voluerit, flectere. Tum etiam: quia cum ipse esse similem Deo valde desiderat, & Deus à nobis exigit, quod ei cor nostrum præbeamus, hinc est, quod in corde potius quam in alia corporis parte domicilium suum collocet. Ita Thyræus 1. part. cap. 10. Iodocus verb. *Dæmones*, num. 32. Torre disp. 23. citata. Palaus tract. 14. disp. 4. punct. 4. num. 20.

Inter dæmones alius alio est superior.

38 Inquires tertiò: Cuius ordinis sint dœmones, qui homines intrant? Supponit titulus inter dœmones esse diversos ordines, & prælationes; & merito, cum aperte constet ex sacra Pagina: nam Iob 41. docet Leviatham esse Principem super omnes filios superbiæ. Matthæi 25. dixit Christus damnatos relegandos esse in ignem æternum, *qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*; & Apocalips. 12. dicitur draconem cum Angelis suis pugnasse contra Michaelem, & Angelos eius. Et ratio satis efficaciter suadet: quia vbi est inæqualitas in natura, est necesse, quod sit ordo, & prælatio, vt per omnia discurrenti constabit; quia naturaliter, quæ sunt excellentiora principantur minoribus; sed inter dœmones est adhuc inæqualitas in natura, cum naturalia non amisserint: ergo inter eos est ordo, & prælatio. Videantur Divus Thomas 1. part. quæst. 109. art. 1. & 2. & Abulensis in cap. 12. Matthæi, quæst. 60. vbi fuse de hoc disputat. ¶ Quo vt certo stabilito videtur dicendum: non esse ex omnibus dœmoniorum ordinibus, qui homines subintrant, sed tantum ex infimo ordine. Et ratio est: quia superiores Angeli tantum Dei amori, & contemplationi insistunt; medij res mundanas administrant, & denique infimi sunt, qui ea executioni mandant: ergo similiter dœmones inferiores sunt, qui hæc infima, verbi gratia, homines vexare, & torquere exequuntur, cum, & si gratiam amisserint, tamen ordinem naturæ conservant.

Ex omni ordine, & gradu dœmones corpora hominum ingrediuntur.

39 Sed vt omnino certum tenendum est ex omni ordine, & principatu dœmones humana corpora subintrare. Et probatur primò: quia Christus Lucæ 10. discipulis contulit dominium ad omnia dœmonia ab obsessis pellenda. Et quando Iudæi sibi objciebant, quod in Beelzebub Principe dœmoniorum eijciebat dœmonia Lucæ 11. non negavit Beelzebub posse homines obsidere, sed potius silentio videtur comprobasse. Denique Apostolus Paulus ad Ephes. 6. affirmavit esse nobis colluctationem non adversus carnem, & sanguinem: *Sed adversus Principes, & Potestates: adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.* Sed Principes, & Potestates sunt ex ordine superiori dœmonum: ergo cum his est nobis colluctatio: ergo nobis damna inferunt: ergo humana corpora subintrant, & torquent; cũ nulla sit potior ratio, cur alia damna, & non hæc humano generi inferant. Denique: nam, qui à gratiæ statu propria malitia exciderunt, non observant omnino leges, quas naturæ ratio exigit; nec attendunt, quod eis pro sua dignitate facere conveniat; sed tantum quomodo suæ voluptati, & libidini fiat satis; cum ergo omnes dœmones summam, & inveteratam libidinem nocendi homines habeant, etiam ipse Lucifer, Deo sic permittente, non recusavit humana corpora ad vexandum homines ingredi. Quapropter tenendum est ex omni ordine, & principatu dœmones humana corpora subintrare. ¶ Ex quibus liquet

ad dubitandi rationem, & simul patet, quam difficile sit cognoscere cuius ordinis sint dæmones, qui torquent obsessos, cum promiscui ex omnibus ordinibus ingrediantur. Sed licet hæc ita sint, tamen communiter docent Doctores ex duobus signis venari hoc posse: primò, ex gravitate malorum, quæ obsesso inferunt: secundò, ex difficultate eos à corporibus eijciendi. Vnde Matth. 17. de quodam dæmoniorum ordine dixit Christus: *Hoc genus non ejicitur nisi per orationem, & ieiunium*, innuens adesse aliquos adeò superiores, & potentiores, vt efficaciores vires in ministro ad eos expellendos exigant. Ita Thyræus cap. 12. (asserens in fine credi eis posse, si dicant vi exorcismorum, cuius ordinis sint.) Torre disp. 25. Iodocus verb. *Dæmones*, num. 34.

Plures dæmones possunt idem corpus possidere.

40 Inquires quartò: An plures dæmones in vno, eodem que homine possint esse? Ad quod respondetur affirmative. Tum: quia hoc constat ex sacra Pagina: nam Christus curare volens dæmoniacum illum interrogavit eum: *Quod tibi nomen est? At ille dixit Legio, quia intraverunt multa dæmonia in eum*, vt ait Div. Lucas cap. 8. vers. 30. Tum etiam: quia idem Evangelista cap. 11. ait: *Quod cum spiritus immundus exit ab homine, &c. Tunc vadens assumit secum alios septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi*: in quo ostenditur, quod, & si dæmones inter se odium crudele habeant, tamen gaudentes, & solliciti quærunt socios ad homines torquendos. Tum denique: nam Marci 16. dicitur, quod Christus de Maria Magdalena eiecit septem dæmonia: ergo signum est ibi intrasse, & consequenter in eodem corpore plures dæmones posse simul esse. ¶ Sed dices: dæmones sunt in corpore vt in loco mediante operatione: ergo si sunt plures, sunt etiam plures operationes solo numero diversæ in eodem homine, & consequenter plura accidentia solo numero diversa in eodem subiecto, quod in communi Thomistarum sententia repugnat. ¶ Sed hoc facile solvitur dicendo cum Abulensi; quod tunc vel circa diversas corporis partes operantur: vel si plures circa eandem partem operentur, elicient operationes specie diversas: vel operabuntur partialiter hominem torquendo, eo modo, quo plures homines, attemperando proprias vires, eliciunt vnam actionem totalem, idem pondus portando. Quocumque ergo ex his modis plures dæmones in homine existant, vitabitur inconveniens ab arguente intentum. Videatur Abulensis in cap. 8. Matthæi, quæst. 136. cui adhærent Sanchez num. 8. Thyræus 1. part. cap. 13. Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 24. num. 1.

Quãdo plures dæmones in eodẽ corpore habitant, graviora tormenta inferunt.

41 Ex quibus manet affirmative decisa alia difficultas ex præcedenti orta, scilicet, an plures dæmones plus obsessum crucient, quam vnus? Nam vbi sunt plures Tortores, necesse est plura esse damna patienti illata: quapropter videmus dæmoniacum illum, in quo Legio integra latitabat, adeò torqueri, quod in monumentis habitaret, nudus à dæmone iactaretur in deserta, lapidibus se concideret, & alia mala pateretur à Legione illa ex 6666. dæmonibus compacta, quæ de alijs dæmoniacis in Scriptura non legimus: ergo signum est, quod communiter plures dæmones plus vexent, quam vnus. Diximus *communiter*: quia si Deus id vnico permittat, tot damna inferri homini potest, ac plures, maxime si sit alijs superior. ¶ Nota tamen hic Thyræus cap. 14. verosimile esse, quod singulis à superiore Legionis sint certa proposita mala, quæ obsesso inferri debent; ac proinde vnusquisque circa obsessum determinatam habet potestatem, quam alter non habet, quare vno expulso, adhuc restat nova difficultas ad alios vincendos. Videatur Torre loc. cit.

Signa ad dæmoniacos cognoscendos.

42 Inquires quintò: Quibus signis valet cognosci, an aliquis sit dæmoniacus? Plura circa hanc quæstionem aliqui congerunt, nos tamen breviter ei respondebimus. Dicimus ergo: quod similis dæmoniacæ habitationis primum, & vehemens signum est, si energumenus lingua sibi ignota loquatur; si scientias, quas nunquam didicit, calleat: si artem legendi, scribendi, alias que liberales absque labore comparatas, sciat. Et ratio est: quia homines hæc omnia ex se, & absque proprio studio scire non possunt: ergo sciunt vel à Deo, aut Angelis bonis, vel à malis; sed non à Deo, aut ab Angelis bonis, cum energumeni, communiter loquendo, insigni sanctitate, qualis ad prædicta requiritur, non gaudent: ergo ab Angelis malis. Sic Sanchez num. 9. Sotus *de Iustitia, & Iure*, lib. 8. quæst. 3. art. 2. ad 1. argumentum. Thyræus 1. part. cap. 24. Torre 2. 2. q. 90. art. 2. disp. 26. Ciruelo *de Superstitione*, 3. part. cap. 8. Abulensis in cap. 8. Matthæi, q. 114. ¶ Secundum signum est, si quando arreptitij cessant arripi, & efficiuntur sanæ mentis, nequeunt respondere de eo, de quo prius disputabant. ¶ Tertium: si revelent occulta, & secreta, quæ via naturali sciri non possunt, qualis erat puella illa, quæ habebat spiritum Phytonem Actor. 16. Sed notant bene hic Thyræus, Torre, & alij, tunc hoc signum esse evidens, quando hæc occultorum revelatio fit absque aliquo fine honesto, vt si ad Dei contumeliam, aut proximi iniuriam occulta manifestentur; & alias cognoscatur in tali homine non adesse cum dæmone pactum; nam hac via ea cognoscere possunt absque eo, quod in eis inhabitet dæmon, vt ex se patet.

Describuntur alia signa, vt dæmoniaci cognoscantur.

43 Quartum est, quando non est in potestate arreptitij, etiam si verberetur, tacere: aut si voce inconsueta loquatur, vt ait Abulensis supra citatus. Quintum est, quando renuunt dulcissimum nomen *Iesu*, aut alicuius Sancti invocare, aut sacras reliquias adorare, aquam lustralem accipere, verba sacra proferre: aut si inconditos clamores, & vlulatus edendo, sive in insanos motus prorrumpendo, nomen Dei, & Sanctorum blasphement; sive quando leguntur exorcismi, conturbantur. ¶ Sextum est horribilis, & truculentus vultus, cum enim dæmones truces, & truculenti sint, vultum humanum ita interdum deformant. ¶ Septimum stupor quidam, aut omnium actionum vitalium privatio: vel repentina membrorum alteratio, coartatio, aut dilatatio, vt legitur Matthæi 9. &

Lucæ

Lucæ 11. ¶ Octavum ingens inquietudo, ac solitudinis oblectatio. Matthæi 8. ¶ Nonum, & vltimum, extraordinariæ vires ad ingentia onera comportanda, catenas diruendas, & similia. Hæc ergo omnia signa vehementissimam coniecturam, imò & aliqualem certitudinem inhabitationis dæmoniorum gignunt; maxime si non vnicum, sed aliqua in homine adsint, vt latè probant Thyræus per plura capita. Torre, & Leander tract. 9. disp. 5. à quæst. 38. ad 44.

§. II.

De potestate dæmonis in energumenos, & qualiter opera paccaminosa eis tunc imputentur?

Dæmones in obsessi animam indire ctam potestatem habent.

44 POstquam vidimus, qualiter dæmones in arreptitijs existant, quæque sint signa ad id cognoscendum, restat videre, quam potestatem in eos habeant, & quæ tormenta illis inferant. Pro quo dicendum est primò: Quod dæmon habet vim non modicam provt Deus eis permisserit, tam in animam, quàm in corpus obsessi. Primaque pars patet; quia, cum anima existens in corpore vtatur ministerio sensuum, & hos immutare possint dæmones, potest indirectè in eam agere, pravos motus commovendo, & ad illicita attrahendo; nunquam tamen cogere potest voluntatem, vt invita in peccata ruat; quia, vt erudite ait Divus Augustinus sermone 197. *Latrare potest diabolus, solicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem, non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Sed licet hæc ita sint, tamen, quia in dæmoniaci corpus maiori gaudet diabolus potestate, quam in alijs hominibus, certum est; quod anima obsessi plures patitur diaboli incursus, excitando in eius sensibus internis, & externis vehementiores motus, & illis obiecta illicita proponendo, quæ vehementer alliciant, & quibus facile voluntas se accomodat. Quare curandum valde est, quod frequenter ad Eucharistiæ, & Pœnitentiæ sacramenta energumeni accedant, vt sic dæmonis impetus facilius superare valeant. Videantur Thyræus 1. part. cap. 4. Trullench lib. 1. in *Decalog.* cap. 10. dub. 14. num. 2. Sanchez lib. 2. Summæ, cap. 42. num. 7.

Directe vero dominãtur corporibus.

45 Sed maiorem in corpora obsessorum exercent potestatem, quæ talis est, vt si eis Deus frœnum non injcerit, nullus obsessorum, salva vita, eorum tyrannidem efugeret: sed licet vitam illis non adimant, tamen vehementer torquent, vt patet ex illo dæmoniaco Marci 5. qui se concidebat lapidibus, habitabat in montibus, & sepulchris, nec vtebatur vestibus; imò & in alios adeò sæviebat, vt nemo auderet transire per viam, iuxta quam ipse erat, quia omnes invadebat. Et Act. 19. de alio dæmoniaco dicitur, quod contra quosdam Exorcistas Iudæos: *Insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum invaluit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* Hæc, & similia legimus in sacra Pagina dæmones tàm obsessis, quàm alijs intulisse: de quo videatur Abulensis in cap. 15. Matthæi, quæst. 66. Quapropter docet Thyræus 1. part. cap. 6. septuplicia mala dæmones obsessis causare: primò enim quibusdam occultis rationibus, quibus medicorum ars remedium afferre nequit, cruciant, & extorquent: secundò, sensibus privant: tertiò, imaginationem corrumpunt: quartò, naturalem hominum formam destruunt; quintò, terræ allidunt, in ignem, & aquam præcipitant, & similia tormenta inferunt: sexto, vires infirmant, & membra contrahunt, aut distrahunt; & denique infinita mala eis procurant, provt eis Deus permittit. At hæc omnia aliquando per se ipsos efficiunt, aliquando medijs quibusdam satis sævis instrumentis, qualia fuerunt, quæ dæmones eiecerunt meritis S. M. N. Theresiæ è corpore cuiusdam energumenæ: cuius rei eventus, quia non parum in honorem Matriarchæ nostræ Divæ Theresiæ cedit, hic subtexere visum nobis est.

Quibus instrumentis energumenos cruciant quodã exẽplo demonstratur.

46 Cum ergo sanctimonialis quædam Ordinis Divi Bernardi nomini Elisabeth à S. Turibio energumena existeret, & dæmon fassus sæpius esset ab ea non discessurum, nisi in sacello Beatæ Virginis, & Matris nostræ Divæ Theresiæ, vbi corpus eius requiescit, statim superiorum licentia Albam delata est, ibique antequam è corpore discederet, vi exorcismorum dæmones per pudendam energumenæ viam sequentia eiecerunt, primo ferram quandam pectinatam, seu vtrimque denticulatam, sed in tria fragmenta longitudinis fere vnius palmi divisam: secundò, nonnullos clavos ferreos, quosdam similiter vndique: denticulatos, & quosdam, ad modum muricis, triangulatos: tertiò, & denique, quasdam subulas, & acus ex vtraque parte acutas: quæ instrumenta nunc in prædicta Cœnobio asservantur, & confluentibus aspicienda ostenduntur. Et his instrumentis adeò sævis crudeliter prædictam virginem diu excruciarunt.

Aliud exẽplum in cõfirmationẽ doctrinæ tradite.

47 Nec dissimile huic est aliud miraculum anno 1582. die 15. Iunij meritis Seraphicæ Theresiæ Abulæ in capella, vbi orta est, patratum, quod ad longum refert viridicus Coronista noster Frater Franciscus à Sancta Maria tom. 1. lib. 5. cap. 32. à num. 7. & ad synopsim redactum hic subtexere extra chorum non est. Cum ergo D. Rodericus de Ziaño, & Ordoñez per vienium gravissimis cruciaretur doloribus, & diuturnis torqueretur animi deliquijs, humanos medicos sentiens innutiles, ad cœlestem confugit, votumque vòvit sacellum, vbi Seraphica Virgo Theresia Abulæ orta est, devotus invisere: vixque ad illud convolavit, devote que coram eius imagine orationem fudit; dum voti compos effectus est, nam statim è corpore triplici vomitu proiecit terdecim vermes fœtidos, attros, pilloso, pallidisque maculis variegatos, & adeò per grandes, vt longitudinem vnius palmi pertingerent: & denique quarto vomitu horribilem bufonem evomit. Quibus proie-

ctis sanus factus est, & ad integram valetudinem redactus. His ergo, & similibus instrumentis solent dœmones torquere corpora, in quæ Deus aliquam, & si finitam, contulit potestatem, vt ex his videamus, quæ tormenta inferent, quando in Inferno plene eis dominantur. Videantur Palaus tract. 14. disp. 4. punct. 4. num. 20. in fine. Torre 2.2. q. 90. art. 2. disp. 11. Bonacina disp. 4. *de Iuramento*, quæst. 1. puncto vltimo, num. 18. Sanchez loco citato. ¶ Sed nota, quod licet hæc communiter ita sint, tamen non semper dœmones in obsesso existunt; neque, & si existant, illum torquent; tum: quia Deus sæpe iustitiam misericordia temperat: tum etiam: quia obsessi vires tantæ esse nequeunt, vt continuas dœmonum molestias ferre valeat. Ita Sanchez num. 7. allegato. Thyræus 1. part. cap. 8.

Quæ dœmoniaci actiones pravæ ad peccatũ imputentur.

48 Sed quæres: An operationes obsessorum, quæ alias sunt peccata ex obiecto, imputentur ipsis ad culpam? Antequam ad huius quæstionis resolutionem veniamus, notandum est: quod, licet dœmones nequeant cogere intellectum, & voluntatem obsessi, possunt tamen in alias eius corporales potentias agere vel per violentiam, aut per turbationem: quia, cum potestatem supra corpus obsessi habeant, omnes eius potentiæ, cum sint organis affixæ, illorum subduntur voluntati: quare possunt obsessos cogere ad loquendum, aut tacendum, ad ambulandum, aut standum, videndum, aut non videndum, imaginando hæc præ alijs, immutando species, & ludificando sensus, vt late probat Abulensis in cap. 8. Matthæi, quæst. 114. ad 119. & prius docuit Divus Thomas *de Malo*, q. 16. art. 11. & 12. & erudite advertit quæst. 6. *de Potentia*, art. 8. prædictas actiones non esse vitales respectu dœmonum, sed tantum respectu obsessorum, cum ab his tantum sint à principio intrinseco. ¶ Hoc ergo supposito, dicendum est: quod nullum peccatum committunt obsessi, quando aliquid peragunt per violentiam, aut sensuum perturbationem. Et ratio primæ partis est: quia peccatum debet esse voluntarium; sed quod agitur per violentiam, voluntarium non est, vt ex se patet; ergo nullam peccatum committunt in eo, quod dœmoniaci agunt à dœmone coacti. Deinde: nemo peccat, nisi per actiones sibi moraliter proprias; sed actiones per violentiam ab Energumenis peractæ non sunt ipsorum moraliter propriæ, sed dœmonum: ergo nec in eis peccant. Explicatur: qui violentiam patitur, non agit, sed patitur; sed qui patitur, nequit per actiones peccare: ergo Energumeni, quando per violentiam illatam à dœmone operantur, proprie non agunt, sed patiuntur. Quapropter, quando dœmoniaci per violentiam blasphemias proferunt, homines lacerant, & occidunt, aut mutilant, qualiter legitur Act. 19. de quodam arreptitio; fornicantur, aut occulta crimina revelant, in his non peccant, quia ipsi non agunt, sed aguntur; nec ipsi proprijs membris vtuntur, sed eis passive se habentibus, dœmones illis vtuntur. Vnde legimus in Divo Augustino lib. 15. *de Civitate Dei*, cap. 24. *dœmones incubos sæpe improba libidine mulieres vexasse*. Et Torre 2.2. quæst. 90. art. 2. d. 20. ait: Se legisse, quod quædam monialis per multos annos à dœmone incubo nolens patiebatur. Et [redacted] i. In quibus, & si difficilior sit pugna, tamen si fortiter resistunt, triumphus, & merces erit absque dubio copiosior.

49 Ratio secundæ partis ea est: nam perturbata à dœmone phantasia arreptitij, erronee invincibiliter aprehenditur vt bonum, quod in se est malum; sed operationes ortæ ex conscientia erronea invincibili non imputantur ad culpam: ergo nec operationes pravæ ortæ ex perturbatione phantasiæ, arreptitijs imputantur ad culpam; maxime cum ipsi non sint in causa huius perturbationis, sed vnice ex dœmonis malitia oriatur. ¶ Ex quo sequitur, quod si allecti tentationibus, suggestionibus, & suasionibus dœmonum, quæ vehementiores absque dubio in arreptitijs sunt, opera prava, & peccaminosa committant, à culpa non excusabuntur: quia tunc libere, & absque coactione peccant. Et sic, ait Abulensis, peccavit Saul, quando arreptus à dœmone prophetabat, & misit lanceam in David, vt occideret eum: quia per suggestionem dœmonis, & ex invidia David occidere volebat. Videantur Abulensis in cap. 8. Matth. quæst. 114. & Torre 2.2. q. 9. art. 2. disp. 20.

PUNCT. VI.

Qui modus servandus est, vt licite Adiuratio fiat?

CUm omnium opinione, & consensu opus valde arduum sit dœmones ab obsessis per Exorcismos expellere: & ideo Apostoli admirabundi dixerunt Lucæ 10. *Domine etiam dœmonia subijciuntur nobis.* Et experientia teste ad res arduas perficiendas non pauca necessaria sunt; ideo qui huic muneri incumbunt, qui Tyrannum hunc ex hominis sede pellere nituntur; non minus machinis spiritualibus, quam prudentia, ingenio, & scientia indigent; tum, vt & bellum hoc licite, & sine errore aggrediantur; tum, & maxime vt iam inceptum faciliter perficiant, quæ equidem qualiter tractanda sunt, hic breviter explicare contendimus. Sed quia de Ministris, & Exorcismorum virtute supra egimus, ideo his prætermissis, solum quæ dœmonibus præcipere, & interrogare, & in quibus fidem præbere possint, & de loco, vbi exorcizandi sunt, tractare in præsentiarum in animum duximus.

§. I.

§. I.

Quæ possit Exorcista à dæmone interrogare?

Qualiter Exorcista præparãdus est ad obsessum adiurãdum.

50 POstquam Exorcistæ serio, & diligenter exploratum habeant; tum ex signis hucusque traditis, tum ex sapientium consilio, in aliquo homine esse inhabitantem dæmonem, curent se spiritualibus armis munire, vt sic ad abigendos potentissimos hostes securius accedant: *Induite vos* (verbis Apostoli loquor) *armaturam Dei, vt possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus Mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in Cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea nequissimi extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, (quod est verbum Dei) per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni stantia, & obsecratione.* Hucusque Apost. ad Ephes. 6. Assumant deinde ieiunij arma, quia vt ait Christus Dominus Matthæi 17. & Marc. 9. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione, & ieiunio.* Accedant gladio spei innixi, non solum quod Deus est potens dæmonia eijcere, verum etiam, quod hanc victoriam per se ipsos, vt tanti Regis ministros, adepturus est. Sed anchoram humilitatis non deserant, ne sibi accidat, quod de quodam Exorcista enarrat Divus Greg. lib. 1. *Dialog.* cap. 10. qui ob arrogatam sibi virtutem eijciendi dæmonia, à dæmonibus ipsis possessus est. Et recordentur simul illius facti S. Pauli Simplicis cuius humilitate devictus diabolus ab obsesso dicesit eiulans, se Pauli humilitatem, & simplicitatem substinere non posse, & ideo à dæmoniaco aufugere. Deinde curent obsessum ex omologesi peccatorum conscientiam purget, & sic ad Eucharistiam accedat, vt ait Divus Thomas in 4. distinct. 9. art. 5. quæstiunc. 2. quidquid alij impie, & sine fundamento dicant, negando vt licitum Eucharistiam energumenis porrigere: quia cum energumeni habeant lucida intervalla, & tunc perfectum rationis vsum, nulla est ratio, quare ad Sacramenta accedere non possint; imò & debeant, vt inde vires accipiant ad fortius dæmonum incursibus resistendum. Sic ergo, tam Exorcistæ, quàm Energumeni muniti impavide hoc bellum vt Ecclesiæ ministri aggrediantur: nam si timide accedant, tempus inutiliter terent, quia timidos dæmonia non formidant. Sed qualiter in adiurando procedere debeant, aliquibus quæstionibus decidemus.

51 Rogabis primò: Quæ dæmonibus imperare, & interrogare Exorcista potest? Respondetur cum communi sententia, quod tantum ei imperare licet, quod à nocendo desistat, & interrogare ea omnia, quæ ad eius expulsionem conducunt. Ratio primæ partis est: quia solam hanc potestatem Christus suis ministris reliquit, quando dedit eis potestatem calcandi dæmones Lucæ 10. Et eijciendi dæmonia Marci vltimo: ergo sine fundamento alia potestas adstruitur. Ratio secundæ partis est: nam concesso fine, conceduntur media ad illum necessaria; sed aliqua ab Energumeno interrogare est medium necessarium ad expellendos dæmones: ergo tantum licebit à dæmone interrogare, quæ necessaria sunt ad expulsionis finem. Alias si alia ab eo quærantur, videbitur cum dæmone habere commertium, quod superstitionem redolet. Ita Divus Thom. 2. 2. quæst. 90. art. 2. ibi Caiet. & Torre in *Praxi Exorcistarum*, advert. 6. Sylvester verb. *Adiuratio*. Sotus de *Iustitia, & Iure*, lib. 8. quæst. 3. art. 2. pagina 711. Læsius lib. 2. cap. 42. dub. 13. n. 70. Valent. 2. 2. disp. 6. quæst. 8. punct. 2. quæst. 2. Navarrus in Summa, cap. 11. num. 28. Palaus tract. 14. disp. 4. punct. 4. num. 3. Suarez tom. 2. *de Relig.* lib. 4. cap. 2. num. 8. Sanchez lib. 2. Summæ, cap. 42. num. 19. Thyræus part. 3. cap. 46. n. 23. Trullench lib. 1. *Decal.* cap. 10. dub. 14. num. 9. Leand. tract. 9. disp. 5. quæst. 96.

Exorcista tantum dæmoni imperare valet, quæ ad eius cõducũt expulsionem.

52 Ex quibus infertur primò: Illicitum esse, Exorcistam præcipere superiori dæmoni, vt inferiorem expellat: tum: quia hoc esset habere aliquam cum dæmone societatem, quod improbat Apostolus ad Corinth. 1. cap. 10. illis verbis: *Nolo vos fieri socios dæmoniorum.* Tum: quia hoc est petere ab eo aliquod beneficium, quod illicitum est. Tum denique: quia in hoc præcepto videtur tacite fateri, quod Exorcismi Ecclesiæ non habent sufficientem virtutem ad expellendos dæmones, quod falsum est. Tum & vltimo: quia vel virtus exorcismorum est sufficiens ad superiores dæmones fugandos, vel non? Si dicatur hoc secundum, derogat Ecclesiæ, & Christi potestati: Si dicatur primum, ad quid quæritur, & postulatur à dæmone superiore, quod inferiorem expellat? Cum virtus sufficiens ad superiores fugandos, potiori titulo inferiores fugabit: ergo semper est illicitum à dæmone superiore præcipere, vt inferiores expellat. Ex quibus impugnata manet ratio, qua videtur moveri Bonac. tom. 2. disp. 4. quæst. 4. *de Iuram.* puncto vltimo, num. 5. & Sylvester verb. *Adiuratio*, quæst. 5. ad 2. ad asserendum hæc à dæmone posse peti. Sed isti Doctores, si attente legantur, solum dicunt, quod dæmoni potest præcipi, quod secum totam Legionem ducat, & cum omnibus eius socijs à corpore exeat, quod vtique licitum est, cum contra omnes dæmones, tam superiores, quàm inferiores præceptum expulsionis feratur. Dicta tenent Sanchez num. 21. Læsius lib. 2. cap. 44. dub. 6. num. 46. Sotus loco citato, vers. *Ex his ergo*, pagina 710. in fine. Palaus num. 9. & 10. & alij.

Illicitum est præcipere superiori dæmoni, vt inferiorẽ expellat.

53 Infertur secundò: Posse à dæmone interrogari primò nomina eorum, qui in obsesso

De nomine, & numero

obsessorum, nec non & de causa ingressus interrogari possunt dæmones.

sesso inhabitant, vt sic adiuratio aduersus eos nominatim dirigatur; & patet exemplo Christi, qui dæmonem interrogavit Marc. 5. v. 9. *Quod tibi nomen est?* Sic Thyræus *de Dæmoniac.* cap.46. num.23. Delrius lib. 6. *Disquis.* cap.3.Sanchez num.23.Palaus num.5. ¶ Secundò, causam sui ingressus, vt, ea remota, eius vires labefactentur, & facilius fugentur. ¶ Tertiò, quot sint hominem inhabitantes, vt sic Exorcista cognoscat, quibus cum hostibus pugnaturus est: quia licet dæmon frequenter mentiatur, tamen Exorcismis cogitur manifestare ea, quæ ad causas obsessionis pertinent, vt ex Thyræo, & Delrio docet Sanchez num. 23. atque ideo in Sacerdotali Romano hæc omnia inquirere præcipitur. Quapropter hanc sententiam tenent communiter DD. tum iam relati; tum etiam Sylvester verb. *Adiuratio*, quæst.5.num.3. Læsius lib.2. cap.44. dub.13. num. 73. Palaus punct.4.cit. num.5. Torre 2.2. quæst.90. art. 2. advert.6. num. 11. Trullench num. 9. dub. 14. Bonac. disp.4. quæst.1. puncto vltimo,num.8.Leand. tract.9. disp.5. quæst. 70.

Valet Exorcista petere à dæmone signũ egressus.

54 Rogabis secundò: An sit licitum petere à dæmone signum sui egressus? Negant Sotus *de Iustitia*, lib.8. quæst. 3. art. 2. solut. ad 2. argumentum, pagina mihi,712. in principio,& Ciruelo *de Superstitione*,part.3.cap.8. & rationem tradunt: quia dæmon est mendax, & mendacij pater; & ideo nec illi, nec suis signis, & testimonijs vlla est adhibenda fides: ergo inutile est, imò, & superstitiosum ab eo signum sui egressus quærere. ¶ Sed vt omnino certum tenendum est: id omni superstitione carere: primò: quia in Sacerdotali Romano præcipitur, quod Exorcista exposulet hoc signum à dæmone: ergo quia licitum est. Secundò: quia, si ratio Magistri Soti valeret, nil ex dictis supra num. 53. possemus à dæmone quærere, & scisciatari: si ergo prædicta interrogare possumus, quia, & si sit mendax, tamen de his, quæ ad eius expulsionem attinent, vi Exorcismorum cogitur vera dicere; etiam signum sui discessus possumus ab eo quærere, vt sic eius expulsio nobis manifestetur. Tertiò: quia credendum est, Christum hanc potestatem ad manifestandam dæmonis expulsionem Ecclesiæ suæ concessisse, & consequenter ad petendum signum, quo expulsio manifestetur, sicut & concesit ad eum expellendum, cum vna ex alia sequatur. Bene autem verum est, quod, & si tradant signum, non ob id adstringuntur dæmones ad non redeundum, sed si non iterum corpus obsessi subintrant, ideo est, quia, vt ait Abul. 1. Reg.16. quæst.41. alia superiori causa impediuntur. Ita tenent Thyræus *de Dæmoniac.* 3. part. cap.46. num.23. Delrius lib.6.cap.3. Sanchez num.28.Palaus num.11.Bonac.n.14. Trullench num.10.& alij. Ex quibus patet ad Soti argumentum.

Quid sentiant DD. circa quæstionem, an sit mortale, vel &c aliquid vanũ à dæmone quærere?

55 Rogabis tertiò: An Exorcista peccet mortaliter, si vnam, vel alteram rem vanam, & curiosam à dæmone interroget? Esse tantum veniale tenent Caiet.2.2. quæst.90. art.1. Suarez tom. 2. *de Religione*, lib.4. cap.2. n.9. Navarrus in Summa, cap. 11. num. 27. Sotus quæst. 3. citata ad *secundum argum.* pag.711. in fine. Sahchez num. 25. si non deprecative, sed coactive fiat, & minime ei dando fidem. ¶ At Palaus n. 8. punct. 4. relatus docet esse mortale, quærere à dæmone quamlibet rem vanam, & inutilem ad expulsionis finem. Et movetur: quia hoc à dæmone nequit peti coactive, sed deprecative; cum solum habeat Exorcista à Christo potestatem ad cogendos dæmones, vt ab obsessis exeant, non tamen vt vana sibi revelent: ergo si ab eo id petit, est deprecative,& non coactive;sed petere quamlibet rem deprecative à dæmone, omnes fatentur esse mortale: ergo mortale est curiosa à Dæmone quærere.

Nostra sententia proponitur.

56 Nos vero propriam mentem duplici conclusione declaramus. Dicimus ergo 1. peccare mortaliter 1. qui longos, & inutiles sermones cum dæmone obsidente habet: quia hoc iam est amicitiam cum eo inire; cum tantum cum amicis ita familiariter agamus. Secundò, qui hanc, vel illam rem à dæmone, media interrogatione, addiscere vult: etenim hoc est beneficium aliquod ab eo expectare; quod certe superstitiosum est. Tertiò, si adsit periculum, quod dæmon occulta delicta prodeat: quoniam graviter tenemur infamiam proximi vitare. Quartò, si ea interroget non coactive, sed deprecative: quia hoc esset eius discipulus fieri, & humiliter illi subijci; quod illicitum est. ¶ Dicimus ergo secundò, quod si coactive, & imperative hanc, vel illam rem vanam, & inutilem à dæmone interroget, tantum committet peccatum veniale curiositatis. Pro quo nota primò ex Caietano 2. 2. quæst. 90. art. 1. quod hos communes actus exercere possumus cum diabolo vel tamquam cum hoste, vel tamquam cum socio, seu non hoste. Primò modo nullum est peccatum: quia sic agimus contra eos, compellendo vel exorcismis, vel divina virtute, vt ab obsessis exeant. Secundò modo, quandoque est mortale, quandoque est veniale: est mortale, si amicitiam cum eo inimus, aut actum perfecte socialem habemus: est vero tantum veniale, quando actum imperfecte socialem cum eo gerimus. Nota secundò ex eodem Eminentissimo Caiet.quod actus socialis cum dæmone, & potest esse perfectus, & imperfectus: actus socialis perfectus est, vti voluntaria dæmonis confabulatione, servitio, doctrina, & similibus; quia hæc sunt propria munera socialis vitæ. Actus vero socialis imperfectus est, si quis ex levitate, aut curiositate, non credens, se in hoc divinam Maiestatem offendere,cum dæmone casu occurrente in assumpto corpore, vel arreptitio per modum transeuntis loquitur, inquirit curiosa, facit aliquid vanum ab eo fieri, puta movere lapidem. In his enim actibus licet sit perfecte ratio humani actus, non tamen est perfecte ratio socialis. ¶ Ex quibus sic notatis iam probatur nostra conclusio: nam coactive hanc, vel illam rem vane à dæmone interrogare, est actus imperfecte socialis; sed actus imperfecte socialis est peccatum veniale; sicut in quolibet alio genere peccati mortalis, actus imperfecti in esse talium sunt tantum peccata venialia, vt est con-

constans apud DD. ergo vnam, vel alteram rem à dœmone occurrente in assumpto corpore, vel arreptitio, coactive, & curiose interrogare, est peccatum veniale. Sic ergo explicata prima sententia nobis, sic, & Sanch. & Bonac. arridet: & forte nil aliud docent Doctores supra relati, vt eos intuenti constabit.

Duo notanda in præsenti.

57 Vnde hic duo cavere debent Exorcistæ: primò ne cum dœmone iocentur, aut nugacia verba misceant; quia *sancta sancte tractanda sunt*, & Deus graviter similia punire solet, vt refert Delrius lib. 6. *Disq. Mag.* cap. 2. quæst. 3. sect. 3. in 4. remedio, vbi ait: quod frater, qui dum obsessum exorcizavit, cum dœmone iocavit; adeò ab eo cruciatus est, Deo sic in pœnam peccati permittente, vt vitam cum difficultate salvaret. Secundò cavere debent, ne permittant dœmoni plura loqui, sed vnice quod ad interrogata respondeat: quia in multi loquio plura occulta crimina manifestare, & aliquos errores edocere, solet. Quam doctrinam accepimus à Divo Thoma 2. 2. quæst. 95. art. 4. in corpore, vbi postquam docet, quod, & si dœmon aliquando vera dicat, tamen consuli non licet, quia intendit his responsis hominum perditionem. Sic concludit: *Vnde Athanasius exponens illud, quod habetur Lucæ 4. Increpavit illum dicens: Obmutesce, dicit: quanvis vera fateretur dœmon compescebat tamen Christus eius sermonem ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget, vt nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, & si vera loqui videatur. Nefas enim est, vt cum adsit nobis Scriptura divina à diabolo instruamur.*

Videtur, quod nulla veritas etiã conducens ad aliorum vtilitaté potest ab obsesso interrogari.

58 Rogabis quartò: An liceat Exorcistæ dœmonem interrogare coactive aliquam veritatem, quam prudenter credit ad gloriam Dei, & aliorum vtilitatem valde expedire? Et ratio dubitandi est: quia Exorcista non videtur habere potestatem ad dœmonem interrogandi, nisi ea, quæ ad eius expulsionem conducunt; sed hoc ad dœmonis expulsionem non conducit: ergo nec est licitum ea interrogare. Deinde: nam interrogare, seu discere aliquid à dœmone est cum eo inire quandam societatem, seu commertium; sed hoc, vt superstitiosum damnatur 1. ad Corinth. 10. illis verbis: *Nolo vos socios fieri dœmoniorum*: ergo superstitiosum est quamlibet rem, & si ad Dei gloriam, & fidelium vtilitatem conducentem, dœmonem interrogare.

Sed verius est oppositum ex Divi Thomæ mente.

59 Sed vt omnino certum tenendum est, non esse illicitum, Exorcistam aliquid à dœmone semel, aut iterum coactive quærere, quod ad gloriam Dei, & proximorum vtilitatem cedit. Hæc assertio, quam à nullo vidimus negatam docetur expresse à Divo Thoma 2. 2. quæst. 95. art. 4. vbi inquirit, an divinatio, quæ fit per invocationes dœmonum, sit licita? Et ad primum argumentum, quod id intendebat probare, ex eo, quod Christus interrogavit occulta, scilicet nomen ab illo dœmone, de quo dicitur Marci 5. sic respondet: *Ad primum dicendum, quod sicut Beda dicit Lucæ 8. non veluti inscius Dominus inquirit, sed, vt confessa peste, quam tolerabat, virtus curantis gratior emicaret. Aliud autem est inquirere aliquid à dœmone sponte occurrente, quod quandoque licet propter vtilitatem aliorum, maxime quando divina virtute potest compelli ad vera dicenda: & aliud dœmonem invocare ad cognitionem occultorum acquirendam ab ipso.* In quibus verbis satis clare nostram demonstrat assertionem. Nam in primis ait: quod licet non frequenter, *quandoque tamen* licet inquirere à dœmone sponte occurrente aliquid ad aliorum vtilitatem conducentem: ergo licitum est hæc aliquando inquirere à dœmone sponte occurrente. Secundò docet: quod hoc præcipue licet, quando divina virtute potest compelli ad vera dicenda; sed divina virtus, qua compelli potest, est virtus in Exorcismis, & Ecclesiæ ministris existens: ergo medijs Exorcismis potest aliqua veritas ad Dei gloriam, & aliorum vtilitatem conducens à dœmone in obsesso latitante inquiri. Tertiò: in authoritate allegata contradistinguit Divus Thomas invocare dœmonem ad cognitionem occultorum ab ipso acquirendam, à quærere ab eo sponte occurrente aliquam vtilem veritatem; & differentiam docet esse in eo, quod invocatio affert secum pactum explicitum cum dœmone, & ideo est illicita: inquisitio vero veritatis vtilis nullum pactum, seu societatem cum dœmone habet: tunc sic: sed tantum adversarij nostram conclusionem impugnare possunt, quia credunt in tali interrogatione adesse aliquod pactum, seu societatem cum dœmone: ergo, si hæc non affert, licita prorsus est.

Roboratur nostra assertio.

60 Deinde: idem Angelic. Doct. 2. 2. q. 90. art. 2. in corpore postquam dixit: quod non est licitum adiurare dœmones ad aliquid ab eis addiscendum, vel per eos obtinendum, quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum eis habendam, ab hac generali regula excipit: *Nisi forte ex speciali instinctu, vel revelatione divina aliqui Sancti ad aliquos effectus dœmonum operatione vtantur, sicut legitur de Beato Iacobo, qui per dœmonem fecit Hermogenum ad se adduci*: Ergo ex genere suo addiscere, seu interrogare vnam, vel alteram rem à dœmone, non est ita intrinsece malum, vt semper sit illicitum, sed aliquando poterit esse licitum: ergo ex aliquo speciali Dei instinctu, & quando ad Reipublicæ, aut proximorum vtilitatem conducit, poterit aliquis à dœmone obsidente aliquam veritatem scisciari. Quapropter Caietan. explicans Angelic. Doctoris relata verba sic optime ait: *Cum his autem omnibus stat, quod per accidens licitum esse potest, ab occurrente dœmone inquirere, & cum eo loqui propter aliorum vtilitatem, vt Author in allegata authoritate dicit, si casus accidat, quasi testimonium ab hoste oblato exigens. Et tunc tamquam cum hoste hæc agenda sunt, & per modum transeuntis. Ex quo namque, hoc est per accidens, non exigitur compulsio, nec expulsio, nisi quo ad finem, hoc est quod finis proximus sit imminens vtilitas, hoc exposcens ad honorem Christi, quod raro, aut nunquam accidere videtur, nisi his, qui possunt dœmones compellere.* Hucusque Eminentiss. Doct. Caiet.

Præ-

Ostenditur à ratione.

61 Præterea ostenditur conclusio: Quia, quando hostiliter agitur cum dœmone, nullum pactum, seu societas cum eo contrahitur, quia nemo cum hoste vt tali societatem habere potest; sed quando ab eo interrogatur aliqua veritas ad Dei gloriam, & vtilitatem proximi conducens, hostiliter agitur cum dœmone: ergo nullum pactum, nulla que societas cum eo habetur: ergo nec est illicitum: patet hæc consequentia; quia ideo talem veritatem à dœmone interrogare esset illicitum, quia in hoc adesset cum eo vel societas, vel pactum aliquod: ergo si hoc non adest, illicitum non erit. Minor difficilis suadetur. Tunc hostiliter agitur cum dœmone, quando ipse cogitur contra propriam voluntatem aliquid dicere, aut facere; sed, quando Exorcista interrogat à dœmone aliquam veritatem ad Dei gloriam, & proximorum vtilitatem conducentem, tunc contra propriam voluntatem cogitur eam manifestare; cum per omnia, quæ agit, semper intendat hominum perniciem, & à Dei cultu nos avertere, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 4. ergo tunc hostiliter agitur cum dœmone; & consequenter talis interrogatio superstitiosa non est.

Confirmatur.

62 Confirmatur primò: Quia vt supra docuimus num. 56. Exorcista vnam, vel aliam rem curiosam à dœmone coactive scisitans, non committit peccatum superstitionis, sed curiositatis vanæ, quæ tantum venialis est, vt est communis sententia, tenent que Navarrus, Suarez, Sanchez, Valentia, Sotus, & alij apud Sanchez num. 25. & Leandrum quæst. 74. ergo nullum erit peccatum, etiam curiositatis, à dœmone interrogare veritatem ad Dei gloriam, & proximorum vtilitatem conducentem, & maxime si ad bonum commune Ecclesiæ, aut Regni expediat. Confirmatur secundò. Inquisitio invocativa dœmonis distinguitur à Divo Thoma quæst. 95. art. 4. ad 1. contra inquisitionem per occursum dœmonis; sed illa est intrinsice superstitiosa, continens que pactum cum dœmone: ergo hæc nullum pactum cum eo habet, & consequenter illicita non erit. Nostram conclusionem docet Divus Thomas loco relato, cui adhærent Caietanus ibi, Tabiana verb. *Invocatio*, num. 2. quæst. 1. & verb. *Adiuratio*, num. 6. concluf. 10. Sotus lib. 8. *de Iust. & Iure*, quæst. 3. art. 2. in solutione ad 2. pagina mihi, 712. Sanchez n. 24. Bonac. disp. 4. quæst. 1. punct. vltimo, num. 8. Trullench lib. 1. *Decal.* cap. 10. dub. 14. n. 9. Licet optime aliqui ex his Doctoribus notent, quod hoc non cuilibet licet, sed tantum eis, qui à Deo potestatem ad dœmones compellendos habent, aut insigni sanctitate pollent.

Argumentorum solutio.

63 Ex quibus patet ad primam rationem dubitandi: quia quidquid expedit ad Dei gloriam, & proximi vtilitatem, conducit ad dœmonis expulsionem, vt vidimus ex Caiet. n. 60. cum illa abhorreant dœmones, & prædictam veritatem manifestare inviti cogantur. ¶ Ad secundam dicimus: quod interrogatio deprecativa, seu invocativa secum affert societatem cum dœmone, & hæc est illicita, & reprobata ab Apostolo. At interrogatio compulsiva, qualis est, de qua in præsenti, potius ab eorum societate recedit, & ita omnino est licita. Videatur Divus Thomas 2. 2. quæst. 90. art. 2. ad 3.

§. II.

An dœmoni vi Exorcismorum aliquid manifestanti in ordine ad causam ingressus fides adhiberi possit?

LIcet titulus propositus vniversaliter loquatur, tamen claritatis gratia illum ad vnum casum, in quo potior vrget difficultas, restringimus; quia quidquid de hoc dictum fuerit, potest, & alijs proportionabiliter applicari.

Argumenta pro eo, quod licet rebaptizari ob dœmonis testimonium.

64 Quæres ergo: An si dœmon vi Exorcismorum fateatur causam sui ingressus esse, quia obsessus invalide fuit baptizatus, debeat ei in hoc casu fides adhiberi, & energumenum iterum sub conditione baptizari? Hic casus satis difficilis est, & à nullo vidi decissum, & ideo optarem potius aliorum sententiam audire, quam propriam proferre. Partem ergo negativam suadent sequentia argumenta. 1. Nam dœmon est pater mendatij, & in omnibus hominum pernitiem intendit, etsi vera, aliquando, dicere videatur, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 4. in corpore: ergo ei fides adhibenda non est. Quapropter Div. Chrysostom. tom. 2. concione 2. *de Lazaro* exponens illa verba, quæ Christus spiritui immundo dixit Marc. 1. *Obmutesce, & exi ab homine*: sic ait: *Salutiferum hoc nobis dogmadatur, ne credamus dœmonibus, quantumcumque denuntient veritatem.* ¶ 2. Si per dœmoniacum dicat dœmon, se esse animam alicuius defuncti, consulat que, ei suffragia fieri, aut aliquid proprio domino restitui; docent communiter DD. apud Thomam Sanchez lib. 2. Sum. cap. 38. à num. 23. tunc ei credendum non esse, nec ratione dicti dœmonis facienda esse, quæ præscribit; & tamen hæc sancta sunt: ergo licet rebaptizare energumenum, sanctum sit, ob dœmonis testimonium faciendum non est. ¶ 3. Si dœmon manifestet, quod in proximi dedecus cedit, credi nequit, vt tenet communis sententia; sed quod invalide Baptismus sit collatus, cedit in dedecus collatoris: ergo hoc dœmoni manifestanti credi nequit. ¶ 4. Ideo in prædicto casu dœmoni credendum esset, quia alias adultus condemnabitur; sed hoc est falsum, cum per Baptismum flaminis, seu per contritionem, Charitatis que actum, adultus possit iustificari: ergo ob hoc condemnationis periculum nequit dœmon credi, & eius vnico testimonio energumenus sub conditione baptizari. ¶ 5. Quia difficile creditu videtur, quod baptizans, maxime publice, nisi ex defectu intentionis omittat aliquid de essentia baptismi, cum verba constituentia formam illius pauca sint, & ab omnibus perfecte memoriæ tradita; sed, nisi evidentibus comprobetur signis, aut testimonijs, præsumi, aut credi non potest de Sacerdote aliquo malitia adeò gravissima, qualis est baptizare sine in-

ten-

tentione debita: ergo diabolo in Energumeno id testificanti fides adhibenda non est. His non obstantibus

Primâ ratio affirmans id licere.

65 Partem affirmativam suadent non contemnendæ rationes: Prima: quia, quando adest dubium probabile de nullitate Baptismi, repetendus est, vt pluribus citatis docuimus tom. 1. tract. 2. cap. 6. punct. 4. num. 1. Imò Reginaldus lib. 17. cap. 7. num. 53. credit esse rebaptizandum: *Quando sunt aliqua inditia ad suspicandum aliquid de necessarijs Baptismi esse omissum, aut eum, qui offertur esse iam baptizatum, non tamen sufficientia ad ferendum absolutum iudicium.* Et Gaspar Hurtado disp. 1. *de Bapt.* diffic. 12. pagina 50. hæc habet: *Quoties pro parte negativa sive facti, sive iuris est probabilis opinio, aut saltem est prudens, aut probabilis coniectura, aut suspitio, quanvis pro parte affirmativa sit prudens, aut probabilis opinio, seu iudicium, tunc Baptismus non est moraliter certus... ac proinde periculum manendi re ipsa absque Baptismo.* Vnde infert, tunc esse rebaptizandum. Et Thomàs Sanchez in Manuscrip. tract. *de Baptismo*, dub. 6. concl. 2. relatus à Quintana-Dueñas sing. 8. num. 8. ait: *Vt iteretur Baptismus sub conditione, non est opus vehemens dubium prioris Baptismi, sed satis est dubium aliquantulum probabile arbitrio prudentis, ita vt non iudicetur potius scrupulus.* Et denique Ioannes Sanchez in Selectis, disp. 40. & 44. maxime num. 40. concludit esse iterandum baptismum: *Ex quocumque capite oriatur dubitatio, cum ratione dubij licite fiant, & vndequaque oriatur ambiguitas, apposita conditione sit vincenda.* Sed in nostro casu est non solum rationabilis suspitio, sed etiam dubium; cum sint aliqui testes pro tunc, & in hac causa fidedigni, quales sunt dœmones, qui contrarium doceant: ergo tunc iterari Baptismus debet.

Secunda, & tertia probatio.

66 Secunda: Ideo rebaptizandus energumenus non esset, quia dœmoni non est credendum, cum sit mendatij pater; sed in his, quæ pertinent ad causas ingressus exorcismorum virtute cogitur dœmon ad veritatem dicendam, vt docent Delrius lib. 6. *Disq. Mag.* cap. 3. Thyræus *de Spirituum Apparitionibus*, cap. 15. num. 20. Sanchez num. 23. & 28. & Araujo *in Decisionibus Moralibus*, quæst. 24. num. 65. Ergo, licet in alijs rebus non sit eis credendum, tamen in his, quæ vi Exorcismorum manifestantur, potest illis fides adhiberi. ¶ Tertia: Si dœmon vi Exorcismorum manifestet, causam sui ingressus esse aliquod maleficium, ei statim fides adhibetur, magno que studio obligatur ad eum asserendum, vt comburatur: ergo idem dicendum est, quando fatentur aliam esse causam, verbi gratia, nullitatem Baptismi, ob quam Energumenum ingressus est.

Quarta, & quinta ratio.

67 Quarta: Quia non est novum, nec insolitum, quod dœmones aliquando vera fateantur: nam, vt ait Divus Thom. 2. 2. quæst. 176. art. 6. ad 1. *Quod quando prophetæ dœmonum à dœmonibus instruuntur, aliqua vera prædicunt, qualiter fecerunt Baalam Numer. 4. & Sybillæ.* Et 2. 2. quæst. 95. art. 4. ad 1. docet, quod: *Divina virtute potest compelli ad vera dicenda.* Et in corpore loquens de illo dœmoniaco Lucæ 4. quem obmutescere præcepit Christus inquit ex D. Athanasio: *Quanvis vera fateretur dœmon, compescebat tamen Christus eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget.* Ergo ex quo frequenter falsa dicat, non obest, quominus aliquando vera proferat; & ita accidit, quando divina virtute ad id eum Exorcista compellit. ¶ Quinta: Angelic. Doct. opusc. 17. cap. 10. docet: quod, etsi detur, *Quod diabolus aliquem incitet ad Religionem intrandam, hoc opus bonum est, & bonis Angelis congruum. Vnde non est periculum, siquis in eo consentiat.* Sed conferre Baptismum, opus bonum est, imò ad salutem æternam necessarium, & in eo, quod sub conditione conferatur, nulla irreverentia ei irrogatur: ergo, etsi ad hoc dœmonis testimonio aliquis moveatur, nullo modo peccabit.

Sexta, septima, & octava ratio.

68 Sexta: Praxis communis est in pluribus Hispaniæ hospitalibus gravium Doctorum sententia firmata, vt docuimus tract. 2. cap. 6. punct. 4. num. 64. quod infans inter Catholicos ad valvas Ecclesiæ expositus, iterum baptizetur, & si secum ferat schedulam de Baptismo; & hoc non alia ratione, nisi ob periculum nullitatis Baptismi: quia in simili casu confertur festinanter, vel à fœmina ignara, aut instanti periculo conturbata: ergo potiori titulo poterit iterum conferri, quando adest positivum testimonium, & si dœmonis, quod invalide aliquis Baptismus collatus est. ¶ Septima: Quia Monialis illa energumena, de qua supra punct. 5. §. 2. num. 46. quæ meritis S. M. N. Theresiæ Albæ sanata est, iterum est baptizata ob solum testimonium dœmonis, qui id vi Exorcismorum manifestavit; quod quidem factum est consilio Prælatorum, & Magistrorum Ordinis Divi Bernardi: ergo in alio simili casu id etiam erit licitum facere. ¶ Octava, & vltima: Quia insolitum non est ob nullitatem Baptismi dœmones in homines intrare, & sola vera prædicti Sacramenti collatione ab obsessis egredi: vt octo exemplis confirmat Delrius lib. 6. cap. 2. sect. 3. vbi pagina mihi, 505. littera C. ait: *Secundum remedium est legitimus in Ecclesia Sacramentorum vsus. Nam docet experientia, eos, quos constat nondum baptizatos à maleficijs liberari per Baptismum absolute collatum: eos, quos probabiliter putamus non baptizatos, per Baptismum sub conditione id consequi.* Et pro hac sententia refert Sotum in 4. distinct. 3. quæst. vnica, art. 9. ergo imprudens non erit solo dœmonis testimonio obsessum iterum baptizare.

Propria mẽs declaratur, & primo ostenditur.

69 His ergo pro vtraque parte æqua lance libratis fundamentis diu stetimus, neutri parti determinate adhærendo: sed post maturum huius difficultatis examen dicimus: quod ex vnico dœmonis testimonio, nisi cum eo adsint aliæ nullitatis Baptismi rationabiles coniecturæ, non licet energumenum inter fideles natum, & educatum, iterum, etiam sub conditione, baptizare. Et vltra fundamenta superius num. 64. stabilita, probatur hæc con-

clusio. Primò; nam Summus Pontifex Innocentius in cap. *Veniens, de Presbytero non baptizato*, ait: *Et certe de illo, qui natus est de Christianis parentibus, & inter Christianos fideliter est conversatus, tam violenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, vt hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsam argumentis contrarium probaretur.* Et ideo nos tract. 2. huius Cursus, cap. 6. punct. 4. num. 61. cum Navarro, Coninch, Bonacina, & alijs DD. docuimus in præsenti casu requiri certitudinem moralem nullitatis Baptismi, vt iterum baptizetur; sed dœmonis testimonium nequit inducere certitudinem moralem, vt omnes fatentur: ergo ex illo præcisè nequit sub conditione energumenus iterum baptizari.

Secũdo probatur nostra assertio.

70 Secundò: Sotus in 4. dist. 3. quæst. vnica, art. 9. pag. 201. abusum rebaptizandi eradicare volens hæc ait: *Sunt inquam qui nullum periculum imminere putant, dummodo sub conditione rebaptizent..... Audi Augustinum Can. Solet. de Consecratione, distinct. 4. ait quippe, quod, quando quis ludicre, & mimice, & ioculenter fuisset baptizatus, deberet divinum iudicium per miraculum alicuius revelationis explorari, ante quam ad rebaptizationem recurreretur.* Quæ verba non ita intelligenda sunt, vt expresse postulandæ revelationes sint; hoc enim esset Deum tentare; sed vt perspectum habeamus, quanta diligentia, & certitudo adesse debet, vt rebaptizatio conditionalis fiat; sed ex solo dœmonis testimonio nulla certitudo, imò nec prudens coniectura nullitatis Baptismi nascitur: ergo, &c.

Tertiò probatur.

71 Tertiò: Tract. 2. cit. huius Cursus, num. 55. docuimus cum communi Theologorum sententia: quod ad iterandum Baptismum sub conditione non sufficit levis suspicio, vel scrupulus, quod vel non fuerit, aut invalide fuerit collatus: sed debet esse prudens, & rationabile iudicium homini cordato dignum; hoc est, quod, libratis omnibus motivis hinc inde occurrentibus, intellectus pendulus maneat, ita vt prudenter nulli parti determinate assentiri possit; sed tale dubium ex testimonio dœmonis per energumenum affirmantis nullitatem Baptismi minime prudenter concipi potest: ergo nec licet eum rebaptizare. Minor, in qua est difficultas ostenditur primò. Nam quis sciens, tum, quod ait Divus Ioannes de diabolo, cap. 8. vers. 44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Tum, quod addit Ecclesiasticus 34. his verbis: *A mendace quid verum dicetur?* Et quod ait Div. Hieronymus Epist. ad Iulium Diaconum: *Vt mendacibus vera dicentibus non credatur.* Tum etiam; quod edocet Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 95. art. 4. in corpore: *Dœmon enim* (inquit) *qui intendit perditionem hominum ex huiusmodi responsis, etiam si aliquando vera dicat, intendit homines assuefacere ad hoc, quod ei credatur, & sic intendit perducere in aliquid, quod sit saluti humanæ nocivum.* Et quod ex Divo Chrysostomo quæst. 90. art. 2. ad 2. explicans illa verba Christi, Marci 1. *Obmutesce, & exi ab homine*: ita refert: *Salutiferum hoc nobis dogmadatur, ne credamus dœmonibus, quantumcunque denuntient veritatem.* Quis ergo hæc præsciens, & si millies dœmon aliquid affirmet, aut dicat causam ingressus in hoc, vel illo obsesso esse Baptismi carentiam, & alias videt constare ex libro, in quo baptizati inscribuntur, esse solemniter baptizatum, pendulus manebit, & non potius Scripturæ huic, Patrinis, & Parentibus, & forte pluribus alijs testibus, quam è contra diabolo vnice id neganti, fidem præbebit? Ergo nullum prudens dubium potest ex simili dœmonis testimonio oriri, & consequenter nec licite sub conditione rebaptizari; cum ad hoc requiratur ex communi sententia saltem prudens dubium de nullitate Baptismi, & quod sit viro probo, & cordato dignum.

Confirmatur.

72 Confirmatur. Nam licet impossibile non sit, quod dœmon vi exorcismorum coactus veritatem aliquam dicat, tamen experientia teste tot mendacia profert, vt aliquid vix credi possit. Quoties oppignorat fidem, asseverans ab obsesso egressurum, & statim dum avidius exitum expectamus, fidem frangit? Quoties de hoc pignus tradit, & Exorcistis illudit? Omnes, qui huic muneri incumbunt, testes oculares sunt: ergo, licet vi exorcismorum cogantur ad aliquam forte veritatem dicendam, tamen tot tunc miscent mendacia, vt fidei indigni sint: quare ex eorum testimonio, etiam vi exorcismorum extorto, nequit prudens dubium de nullitate Baptismi concipi, vt licite possit dœmoniacus sub conditione rebaptizari.

Si vltra testimonium dœmonis adsint aliæ cõiecturæ, potest iterari Baptismus.

73 Diximus supra *ex vnico dœmonis testimonio*: nam si vltra hoc, adsint aliunde probabiles coniecturæ, verbi gratia, vel quod baptizans erat sagus, maleficus, aut hæreticus; vel forte tunc graves inimicitias cum baptizandi parentibus habens, expressit que vlciscendi desiderium; vel baptismus secrete, & festinanter collatus fuit; maxime à mulierecula huic muneri parum addicta, & quando magis studet scelus matris tegere, eius que honori consulere, quam infantis saluti spirituali providere: Si similes circunstantiæ vltra dœmonis testimonium adsint, & alias post longos, diuturnos que exorcismos, alia que Ecclesiastica remedia tentata, nil videant Exorcistæ ad finem intentum proficere; tunc de consilio aliorum DD. & Episcopi, aut proprij Prælati, poterit energumenus sub conditione rebaptizari; quia tunc iam adest prudens dubium de invaliditate Baptismi, & consequenter licite fieri potest; nec est vera Baptismi iteratio, quam Concilia, & SS. Patres damnant: nam vt dicitur in cap. *Solemnitatis* 1. *dist.* 1. *de Consecrat.* & *cap.* 1. *de Clerico per saltum promot.* & *cap. Veniens, de Presbyt. non baptiz. Non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum.* Quapropter communiter DD. maxime Navarrus tom. 3. cap. 27. num. 246. Sotus in 4. distinct. 3. quæst. vnica, art. 9. pagina 203. & alij, quos sequti sumus tom. 2. huius Cursus, tract. 10. cap. 8. punct.

punct. 5. num. 61. docent ob hanc iterationem baptismi sub conditione factam non incurri irregularitatem.

Solvuntur quinque primæ rationes sententiæ cõtrariæ.

74 Ex quibus patet ad rationes sententiæ affirmativæ. Nam ad primam respondetur verum esse, prædictos DD. & alios communiter requirere dubium prudens de invaliditate Baptismi: sed hoc prudens dubium oriri nequit ex solo dæmonis testimonio, vt manet probatum. ¶ Ad secundam, tertiam, & quartam dicimus verum esse dæmones aliquando vera dicere maxime in ordine ad causam ingressus: at nequit eis fides in omnibus adhiberi, cum longe plura sint mendacia, quæ proferunt, quam veritates, quas, adhuc vi exorcismorum compulsi, manifestant. ¶ Pro quo nota: duo esse rerum genera, quas vi exorcismorum manifestant. Primum est aliquarum rerum, quas credere, nullum est inconveniens, qualia sunt, verbi gratia, qualitas, & numerus obsidentium; tempus ingressus, & egressus; quod causa ingressus sit hoc, aut illud maleficium, quod comburi, aut auferri necesse est, vt egrediatur. Aliæ res sunt, quas exequi, non leve adest inconveniens; & ita, præscindendo à dæmonis testimonio, fieri licite nequeunt, vt iteratio Baptismi, quæ licite fieri nequit, & alia similia, quæ in dedecus alicuius personæ, aut irreverentiam rei sacræ cedunt. ¶ Dicimus ergo, quod Doctores dicentes: posse dæmoni aliquid vi exorcismorum manifestanti fidem adhiberi, loquuntur de rebus primi generis, quas exequi, nullum est inconveniens, non vero de rebus secundi; quia rebus sacris, & honori proximi debetur taliter servari ius illæsum, vt non cuilibet testimonio contra prædicta aliquid manifestanti, sit credendum; sed sedulo, diligentissime que sit examinandum; neque est solo dæmonis testimonio nitendum, vt omne vitetur inconveniens. ¶ Vnde patet etiam ad 5. Ideo enim quis licite Religionem ingredi potest, & si ad hoc à dæmone incitetur, quia ingressus Religionis opus bonum est, & ex hoc nullum sequitur inconveniens.

Reliqua diluuntur.

75 Ad sextam patet ex dictis, quia ex tempore, quo communiter expositi baptizantur, prudens iudicium est credere, & rationabiliter iudicare, aliqua forte ex necessarijs omissa fuisse: & qui scribit schedulam, nihil aliud testatur in ea, quam quod à fœmina, aut alio sæculari id audivit; cum quo semper compatitur rationabile iudicium, quod vel ex turbatione, festinatione, ignorantia, & alijs, quæ in simili casu semper adsunt, aliquid ex necessarijs ad verum Baptismum omissum sit. Vnde prudens, & christiana est prædictorum hospitalium praxis. ¶ Ad 7. respondetur: tunc ita factum esse, & in omnium conspectu prædictam Monialem rebaptizatam fuisse; sed an recte, lis indecisa est: & an omnium prædicti Ordinis Magistrorum, & Prælatorum consensu, res satis est dubia, scimus enim Magistrum Quijada eiusdem Ordinis Divi Bernardi, huius Salmantinæ Vniversitatis laureatum Doctorem, & sapientissimum Cathedraticum, postea que Episcopum Mindonien sem, nec non alios Doctores prædictæ Vniversitatis, & non paucos viros doctos nostræ Discalceatæ Familiæ fortiter prædictæ rebaptizationi obtitisse, & plurimos diu hæc detraxisse. ¶ Sed quidquid sit de hoc. Qui prædictam energumenam rebaptizari proprio suffragio firmarunt, prudentissimo fundamento ad hoc ducti sunt: nam vltra dœmonis testimonium, certissime comprobata sunt acerbissima odia inter baptizantem, & prædictæ Monialis parentes: ac proinde voluit, de his se vlcisci, eorum filiæ baptismum sine intentione debita conferendo: quod, vt audivimus, repentina morte præventus manifestare non potuit: quæ omnia satis prudens fundamentum est, ad rationabiliter de nullitate Baptismi dubitandum, qualiter requiritur ad iterandum sub conditione Baptismum. ¶ Ad vltimam fatemur, magnam esse vim Baptismi ad abigendos dœmones: sed hoc tunc fit, quando licite sub conditione confertur, qualiter absque dubio accidit, dum homines à Delrio relati salvi facti sunt, nec aliud prædicto argumento probatur, vt consideranti constabit. ¶ Quod autem Sotus Delrij confirmet sententiam, ignoro; quia loco citato illum attenter legi, & nihil eis favens inveni; quin potius totus est in impugnando iterationem Baptismi. Vnde nescimus, qua de causa prædictum D. pro sua alleget opinione.

§. III.

Aliæ desideratæ quæstiones circa adiurandi modum deciduntur.

Qualiter liceat alapis, sputis, &c. dæmones vexare?

76 PRo perfecta huius materiæ intelligentia, & ne mancus punctus hic relinquatur, rogabis primò: An liceat Exorcistis, energumenum alapis, flagellis, sputis, & similibus vexare, & opprobrijs dehonestare. Simancas *de Catholic. Instit.* tit. 63. n. 32. Delrius lib. 2. *Disquisit. Mag.* quæst. 30. sect. 3. Abul. 1. Reg. cap. 16. quæst. 42. & alij dicunt hoc esse superstitiosum: quia videtur his actionibus innui, dœmones immediate affligi alapis, & verberibus cruciari, ac proinde ab obsessis expellendos esse. ¶ Alij vero, vt Thyræus part. 3. *de Dœmoniac.* cap. 46. n. 31. multis Sanctorum exemplis id esse licitum comprobant. ¶ Nos vero cum Sanchez in Summa, lib. 2. cap. 42. num. 30. Palao n. 15. Trullench num. 11. Bonac. num. 14. Raphael. advert. 14. dicimus: quod, si hæc omnia adhibeantur, quia creditur habere aliquam virtutem directe ad dœmones cruciandos, & affligendos, absque dubio superstitiosum est: quia, vt supra diximus num. 29. nulla res corporalis directe in dœmones agere potest. Si vero adhibeantur (absque crudelitate tamen, & cum prudentia) in dœmonis contemptum, & contumeliam, tunc licitum aliquando erit: quia cuilibet licet dœmonem contemnere. ¶ Nunquam tamen credimus licitum esse spurcarum, immundarum que rerum, vt stercoris, cornuum, &c. fumo, obsessos fatigare: quia indecens est adhuc in contumeliam his rebus vti. ¶ Similiter reprobamus, iuramenta inter adiurandum miscere, & aliqua indecora instrumenta adhibere, qualiter audivimus quos-

quosdam Exorcistas imprudenter aliquando adhibuisse: quia, cum omnis virtus ad dæmones fugandos à Deo oriatur, moraliter impossibile est, eam communicare, quando actualiter ab Exorcistis offenditur, & medijs illicitis ab eo exoratur. Videantur Delrius, & Simancas locis supra relatis: & insuper Torre advert. 5. & Ciruelo de Superstitione, 3. part. cap. 8.

Quædã inferuntur ex dictis.

77 Ex quibus sequitur primò: Quod, applicare medicamenta, & aliquas medicinales herbas obsessis, tunc licebit, quando non creditur eas habere virtutem immediatam in dæmones, sed tantum in humores, & nocivas qualitates, quibus dæmones vtuntur ad obsessos vexandos. Sic Sanchez num. 31. Bonac. disp. 4. *de Iuramento*, quæst. 3. puncto vltimo, num. 12. Palaus tract. 14. disp. 4. punct. 4. num. 16. Leander tract. 9. disp. 5. quæst. 78. & alij. ¶ Secundò sequitur: Quod superstitiosum non est nomen dæmonis in aliquo papyro scribere, & postea illud comburere in signum contumeliæ, & dedecoris dæmonis: quia in hoc nulla clauditur indecentia, & alias dæmones maxime humiliari horrent. Ita Sanchez num. 33. Trullench num. 12. Philiareus *de Offic. Sacerd.* tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 11. & alij communiter. ¶ Tertiò sequitur: Illicitum esse, radere pilos, & capillos dæmoniaci ad expulsionem dæmonis: quia hoc superstitiosum prorsus est, nihil que ad finem intentum ex se conducit. Ita Lupus in *Edict. Inquisit.* 3. part. lib. 22. difficult. 1. Victoria *de Magia*, num. 26. Sanch. num. 33. ¶ Quartò sequitur: Vanum esse sub excommunicationis pœna dæmonem præcipere, vt ab obsesso exeat, quia dæmon excommunicationis est incapax. Quapropter dum in Sacerdotali Romano dicitur, quod diabolo similem pœnam Exorcista imponat, solum vult dicere, quod illum execretur, & maledictionibus afficiat. Sic Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 5. sect. 1. Torre advert. 7. num. 15. pagina mihi, 844. Trullench num. 12. Navarrus in Sum. cap. 27. num. 13. Sanchez n. 32. ¶ Vltimò sequitur: Quod, licet aliqua ex hucusque dictis, ob inconvenientia tradita, exequi nequeat Exorcista in dæmones, dum eos exorcismis vexat, tamen debet eos acriter, & dure adiurare, qualiter legimus fecisse Christum Dominum Matthæi 17. v. 18. *Et increpavit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium.* Et Marci 9. v. 24. dicitur: *Et cum videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo dicens illi: Surde, & mute spiritus ego præcipio tibi: exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo.* Et ratio est: tum: quia valde hoc expedit ad eorum superbiam contundendam: tum: quia alias videretur cum eo amicitiam inire. Ita Raphael de la Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. advertentia 8.

Debet Exorcismus in Ecclesia fieri.

78 Rogabis secundò: In quo loco, & tempore obsessi exorcizandi sunt? Ad quod breviter respondemus, dicendo primò: quod communiter obsessi exorcizandi sunt in Ecclesia. Et ratio est: quia ibi existunt omnia, quæ dæmones horrent, nimirum Eucharistiæ Sacramentum, Sanctorum reliquiæ, cruces, imagines, & res aliæ sacratæ, & ipse locus per se ipsum dæmonibus exosus est, & hæc omnia valde conducunt ad citius dæmones fugandos. Diximus, *communiter*: quia adstante vrgente necessitate, illicitum non erit in domibus privatis obsessos adiurare; at semper consulendum hoc rarissime fieri. De quo videndus est D. Chrysostomus Homil. 4. contra Armenos. ¶ An vero quando adiurantur in Ecclesia, debeant ianuæ esse aperte, quæstio est non admodum vtilis, & ideo breviter ei affirmative respondemus: tum: quia his publicis Exorcismis fidelium fides roboratur, Ecclesiæ potestas inspicitur, aliquando impij convertuntur, & præsentium orationibus vires dæmonum labefactantur: tum etiam: quia ordo Exorcistarum ad ministeria publica est institutus, Ecclesia enim in occulto nihil operatur. Tum denique: quia id etiam praxis Christi, & omnium SS. & Exorcistarum comprobat, vt vidimus num. antecedenti, tradunt que Evangelistæ Matth. 17. Marcus 9. & Lucas 11. & idem legimus de Divo Bernardo, Dominico, & alijs Sanctis: ergo publice in Ecclesia hoc fieri debet. ¶ Sed curare debent primò Exorcistæ, ne tunc dæmones vana, & falsa loquantur, occulta crimina adstantium revelent, aut quæ ad risum commovere possint effiant. ¶ Secundò, ne admittantur mulieres, quia pronæ sunt ad credulitatem, & facile fidem curiosis adhibent, & alias facile terrentur, & animi deliquium patiuntur, quo præsentes turbantur, & Exorcismos impediunt. ¶ Similiter excludendi sunt pueri, & viri ocioſi, & blaterones, qui omnis devotionis expertes ad huiusmodi spectacula veluti ad comædias, aut tauros avide accedunt. Quare Exorcistæ solum proprie accedere permittant viros religiosos, & pios, cæteri vero eminus adsint, orationibus pro libertate obsessi instantes. Videatur Mungus in Flagello dæmoniorum, docum. 4.

Non licet Moniali è clausura egredi, vt exorcizetur.

79 Rogabis tertiò: An energumena Monialis debeat extra septa Monasteri exorcizari? Affirmat Barbosa in Collect. Apost. decis. collect. 509. num. 5. dummodo ad Ecclesiam eiusdem Monasterij deferatur stipata honestis personis consanguineis, aut alijs mulieribus provectæ ætatis, probæ conversationis, & Ecclesiæ ianua inclusa sit, donec exorcizatione completa ad Monasterium energumena reducatur. Et ad hoc confirmandum adducit ex N. Lezana tom. 3. verb. *Clausura*, num. 18. quoddam Congregation. Concilij decretum. ¶ Sed quidquid sit de hoc decreto, (quod forte pro Italia vnice fuit expeditum) vt certum tenendum est, nunquam licere Energumenam Monialem è Monasterio deducere, ad eam exorcizandam; sed ad crates ferreas adiuranda est. Et ratio huius est: quia, vt ait Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 5. *Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo probata, indultis quibuscumque, & privilegijs non obstantibus.* Quo decreto re-

no-

novat constitutionem Bonifacij VIII. in cap. *Periculosos*, *de statu regularium*, *in sexto*: & postea id ipsum confirmavit Pius V. in sua constitutione incipiente: *Circa pastoralis*, edita anno 1566. quarto Kalendas Iunij. Et in alia incipiente: *Decori*, *& honestati*, edita Kalendis Februarij, anno 1569. vbi sub excommunicatione sibi reservata exitum è Monasterio Monialibus prohibet, nisi ob causam incendi, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ, & quod hæc causa prius sit cognita, & approbata ab Ordinario. Sed nomine infirmitatis, lepræ, &c. nullus, quem viderim, assignat dœmonum obsessionem: quæ hæc proprie infirmitas non est: quare solum intelligunt Doctores nomine lepræ infirmitatem contagiosam, vt videre est in Man. Rodrig. Quæst. Regul. tom. 1. quæst. 16. art. 4. Sanchez lib. 6. *in Decalog.* cap. 15. num. 34. Suarez tom. 4. *de Religione*, tract. 8. lib. 1. cap. 9. num. 3. Palao tom. tract. 16. disp. 4 punct. 9. Bonac. *de Clausura*, quæst. 1. punct. 9. Barbosa *de Potestate Episcop.* allegat. 102. Diana part. 2. tract. 15. resol. 23. & part. 5. tract. 3. resol. 133. & alijs, & ad summum prædicti DD. has causas ad egressum è Monasterio extendunt, quando ratione belli Monialium honor, aut vita periclitatur, aut egredi necesse est ad regendum Monasterium aliquod, vel alio Monasterio recludi ad pœnitentiam faciendam opus sit; vt dicitur in cap. *Quoniam, de simonia*.

Roboratur.

80 Confirmatur deinde: Quia virtus Exorcismorum non dependet ex eo, quod Exorcista immediate energumenam tangat; quia, cum sit divina, potest optime agere indistans, & solum ad summum requirit indistantiam moralem; sed hæc indistantia datur, si energumena sit ad crates ferreas alijs Monialibus stipata, vt in necessitatibus occurrentibus ei subveniant: ergo sufficit, quod ad crates ferreas adiuretur, quin sit necessarium, quod è Monasterio ad Ecclesiam egrediatur. ¶ Deinde confirmatur secundò: Quia sic tenet praxis, quæ in Hispania viget, vbi Moniales energumenæ ad crates ferreas adiurantur, vt tenet Leander tract. 9. quæst. 90. & in nostra Discalceata Familia vidimus aliquoties ad praxim redactum; sed praxis Regni adeò Catholici sufficiens est ad legem faciendam, obligationem que inducendam, maxime cum in hoc honestati, & clausuræ Monialium valde prouideat: ergo ita faciendum est. ¶ Confirmatur tertiò ex satis gravibus inconvenientibus, quæ inde oriri quilibet cœcutiens videbit. Nam si ianua hæc vt licita ad egressum è Monasterio aperiretur, vix esset Monialis, quæ energumena non esset: vix esset infirmitas, aut animi deliquia ex his, quæ communiter eis eveniunt, quæ dœmonis obsessionem non suspicarent, imò & crederent. Deinde: si Monialis energumena ad Ecclesiam exorcizanda deferretur, quæ contentiones, quæ lites non orirentur inter eos, qui eam committarentur, & blaterones, qui eam videri inhiarent? Quod murmur inter cives non esset de re adeò nova, & famosa? Ergo, vt hæc, & alia inconvenientia vitentur, energumena Monialis debet ad crates ferreas adiurari.

PUNCT. VII.

An dœmones de ingressu in homines lætentur, & aliquod pœnarum levamen accipiant?

Videtur, quod dœmones ex ingressu in homines gaudium, & levamen accipiant.

81 HIc pulsat animum quæstio illa: An dœmones aliquam percipiant lætitiam, & pœnarum levamen ex ingressu hominum; aut ex eo, quod in Inferno non relegentur? Et ratio dubitandi est, pro parte affirmativa est: quia Lucæ 8. vers. 31. dicitur: *Rogabant illum* (id est Iesum) *ne imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum vt permitteret eis, in illos ingredi.* Sed ex consequtione rei optatæ oritur lætitia: ergo valde lætantur dœmones, ex quo in abyssum non detrudantur, & corpora animalium, aut hominum ingrediantur. Deinde: nam Matthæi 8. vers. 29. de quibusdam dœmoniacis legitur: *Et ecce clamaverunt dicentes: quid nobis, & tibi, Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos*: ergo signum est, quod tunc non torquebantur in Inferno, & consequenter levamen pœnarum, lætitiam que percipiebant. ¶ Præterea: D. August. tom. 1. lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 17. circa medium ait: *Diabolus potestatem habet in eos, qui Dei præcepta contemnunt, & de hac tam infœlici potestate lætantur*: ergo multo magis de potestate in obsessos, quæ maior est, lætabuntur. ¶ Et pro negativa sententia sic efformari potest. Dolor, & gaudium in eodem subiecto esse non possunt; sed dœmones summum dolorem ob inferni pœnas habent: ergo nequeunt de aliquo habere lætitiam.

Propria mês explicatur affirmative quo ad lætitiam ob ingressum in homines.

82 Sed his non obstantibus ad hanc quæstionem duplici conclusione respondendum est. Dicendum est ergo primò dœmones ex ingressu in homines aliquam lætitiam habere. Hæc conclusio est expressa Divi Thomæ 1. part. quæst. 64. art. 3. in corpore his verbis: *Dicendum, quod timor, dolor, gaudium, & huiusmodi secundum quod sunt passiones, in dœmones esse non possunt. Sic enim sunt propriæ appetitus sensitivi, qui est virtus in organo corporali: sed secundum quod nominavit simplices actus voluntatis sic possunt esse in dœmonibus.* Et idem docet ad 1. Sed, si aliquod gaudium, qui sit actus voluntatis, possunt percipere dœmones, est maxime ob ingressum in hominum corporibus: ergo ex tali ingressu gaudium, seu lætitiam dœmones percipiunt. Divi Thom. adhærent NN. Salmant. tract. 7. *de Angelis*, disp. 13. in explicatione dicti articuli, pag. 571. Abulensis in cap. 8. Matthæi, quæst. 131. & quæst. 128. Sed hic notandum venit; quod lætitia illa est adeò levis in comparatione ingentis tristitiæ, quam patiuntur ob amissam æternam Beatitudinem, vt, cum alias ex livore, & invidia contra homines oriatur, in maiores eorum cruciatus, & infœlicitatem cedat. ¶ Ad argumentum in fine numeri præcedentis contra hoc efforma-

matum ita respondet D. Thomas ad 1. *Ad primum ergo dicendum, quod gaudium, & dolor de eodem sunt opposita, non autem de diversis. Vnde nihil prohibet vnum simul dolere de vno, & gaudere de alio, & maxime secundum quod dolor, & gaudium important simplices voluntatis actus; quia non solum in diversis, sed in vna, & eadem re potest esse aliquid, quod volumus, & aliquid, quod nolumus.* Quod confirmari potest doctrina communi Theologorum, maxime NN. Salmant. tom. 10. tract. 21. disp. 17. dub. 4. num. 46. vbi componunt summum gaudium in Christo cum summa tristitia, quia non solum sunt circa diversa, sed etiam quia primum erat respectu partis superioris animæ, tristitia vero respectu inferioris.

Dæmones statim ac peccaverũt, igne infernali torquẽtur.

83 Dicendum est secundò: Dæmones ex ingressu in homines, aut animalium corpora nullum levamen pœnarum accipere. Sed antequam hanc assertionem probemus, notandum est; quod, licet aliqui Græci dixerint, nullam animam ante diem iudicij nec in infernum, nec in Cœlum ire; tamen hoc est error in fide ex fabulis Pitagoricis, & Poetarum desumptus, qui ponebant animas occisorum circuire sepulchrum vsque ad vindictam mortis, & iterum non redire ad comparem stellam ante completum periodum vitæ, quæ ante terminum in natura morte finita est. Insuper contrariatur illis verbis Lucæ 16. *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.* Et alijs Apocal. 20. vers. 9. vbi dicitur: *Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia, & pseudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.* Quare iam constans est Catholicorum sententia, quod omnes Angeli post lapsum statim ignis infernalis pœna torquentur.

Ante diem iudicij aliqui dæmones vagantur in aere.

84 Solum vero difficultas est: An omnes in carcere infernali, statim, ac peccaverint, detrusi sint? Et omissis aliorum placitis, nos cum Angelic. Doct. 1. part. quæst. 64. art. 4. & in 2. dist. 6. quæst. 2. art. 3. dicimus: quod non omnes dæmones patiuntur in inferno, sed eorum plures in aëre sunt incarcerati, & vagantur ad homines exercitandos, & impugnandos. Et ratio ex Divo Thoma 1. parc. quæst. 6. art. 4. desumpta hæc est: quia, sicut Angeli boni divina providentia sunt ad salutem hominum procurandam destinati, ita etiam alij Angeli sunt eadem providentia ordinati ad homines exercitandos, eos impugnando: ergo, sicut vsque ad finem mundi durabit Angelorum ministerium, & ad nos mittuntur ad salutem hominum omnibus modis procurandam, ita vsque ad iudicij diem exercitatio dæmonum durare debet, & ad hoc existere debent in hoc caliginoso aëre: & sicut aliqui boni Angeli sunt in Cœlo cum animabus iustis, quas ad Empireum promoverunt, ita & aliqui dæmones nunc sunt in Inferno ad torquendos eos, quos ad malum induxerunt. At post diem iudicij, quia prædictus finis cessabit, omnes mali, tam homines, quàm Angeli, torquendi ab igne infernali in infernum detrudentur; boni vero æterna gloria fruituri ad Cœlum evolabunt. Vnde constat, quod Angeli, qui energumenos exercent, esse ex eis, qui in hoc caliginosa aëre, vbi homines habitant, existunt, sed ex hoc non sequitur, quod pœna infernali non torqueantur: quia, sicut Angeli boni, ex quo ad nos mittuntur, non carent æterna beatitudine, & gloria, qua in Cœlis fruuntur, ita & Angeli mali non debent privari pœna æterna, & infernali igne, quo ob eorum demerita torrentur.

Modus, quo ignis infernj torquet dæmones apud nos existentes.

85 Qualiter vero hic infernalis ignis dæmones apud nos existentes torqueat? Hic labor, hoc opus est: est enim difficultas adeò implicata, vt Theologorum ingenia valde cruciet, &, vt credimus, hucusque perfecte non sit explicata: nos vero eam sic tradimus ex Angelic. Doct. 1. part. quæst. 64. art. 4. ad 3. vbi ait: *Vnde dicendum est, quod, sicut locus cœlestis pertinet ad gloriam Angelorum, tamen gloria eorum non minuitur, cum ad nos veniunt, quia considerant illum locum esse suum eo modo, quo dicitur honorem Episcopi non minui, dum actu non residet in Cathedra. Similiter dicendum est, quod dæmones, licet non actu alligentur gehennali igne, dum sunt in aere illo caliginoso, tamen ex hoc ipso, quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur. Vnde dicitur in quadam Glossa Iacobi 3. quod portant secum ignem gehennæ, quocumque vadant. Nec est contra hoc, quod rogaverunt dominum, vt non mitteret eos in abyssum, vt dicitur Lucæ 8. quia hoc petierunt reputantes sibi pœnam, si excluderentur à loco, in quo possunt hominibus nocere. Vnde Matthæi 8. dicitur, quod deprecabantur eum, ne expelleret eos extra regionem.* Hucusque Angelicus Doctor explicando modum, quo dæmones cruciantur ab igne Inferni, etiam si apud nos existant: & eodem modo loquitur quæst. de Anima, art. 21.

Ignis inferni alligat dæmones.

86 Sed pro verborum Divi Thomæ intelligentia nota primò: quod ignis Inferni, cum sit instrumentum divinæ virtutis ad torquendos dæmones, vt pluries repetit Angelic. Doctor quæst. 26. *de veritate*, art. 1. & *de Anima*, art. 21. & alijs locis videndis apud NN. Salmant. Scholast. tom. 4. tr. 13. disp. 18. dub. 2. à num. 28. in eos agit, producendo in illis aliquam qualitatem, vel formam realem, per quam eidem igni, aut alijs corporibus alligantur, vt est communis Thomistarum sententia, late que probant NN. Salmant. loc. cit. à num. 31. quæ qualitas talis virtutis est, vt teneat dæmonem subiectum igni, veluti vile mancipium domino; taliter, quod nec intelligere, nec velle possit nisi ea, ad quæ ignis illum applicat, neque valeat ad alia cogitatum divertere, nisi ex permissione ipsius ignis, ac veluti ab eo licentia intelligendi emendicata. Præterea: media prædicta forma frænum, & quasi catenam dæmonibus injicit, qua illos regit, & circumfert, per quæcumque spatia; vel cogit, vt sistant, & ab vno in alium locum pro suo libito non transeant, sed præcisè sint vbi, & quando talis alligatio permittit. Quapropter sive in operando, sive in non operando, sive sint in

in-

inferno, sive extra illud, est eorum libertas coartata, & emancipata, nihil que operantur, quod eorum naturæ, & inclinationi non sit repugnans.

Duplicitèr fieri potest hæc alligatio.

87 Nota secundò: quod ignis inferni potest dupliciter concurrere ad alligandos dæmones, vel active, & terminative simul; vel active tantum. Primò modo concurrit, quando producit formam, qua eos alligat, & simul ea media sibi ipsi tanquam termino, seu loco ligat, & coartat; & hoc modo torquet dæmones in inferno, eos non solum alligando, sed etiam sibi ipsi tanquam termino, seu loco coartando taliter, quod ibi tanquam in termino alligati detineantur. Secundò modo concurrit, quando taliter in dæmonibus efficit ignis, vt instrumentum divinæ virtutis, formam alligantem, vt non sibi ipsi alliget, sed alijs corporibus, seu locis, vbi detinentur, aut per quæ ligati ducuntur, aut vagantur contra inclinationem propriæ eorum voluntatis. Cæterum potior dæmoniorum pœna non oritur ex terminatione alligationis, sed ex alligatione activa, seu forma alligante, qua, cum hæc sit, quæ dæmones subijcit, eorum que libertatem comprimit, includit que diffinitionem applicativam ad determinatum locum, & determinatas operationes, hæc est, quæ potenter, & vere torquet, & de materiali est, quod eos aut sibi subijciat, vel huic, aut illi loco, verbi gratia, inferno, aut hui tenebroso aëri, quia, vbicumque sint, semper sunt ab igne inferni, tanquam instrumento divinæ virtutis, alligati, & ipsi tanquam rectori, catenam, seu frænum manu tenenti incedunt subiecti, eos que quoquo vult, dirigit, aut dum vult, recludit, quin vnquam possint ab eius subiectione expediri, & in hoc consistit gravissima dæmoniorum pœna, non vero quod huic, aut illi materiali loco sint ligati.

Ex maiori disconvenientia sequitur gravior dolor in dæmonibus.

88 Nota tertiò: quod intensio, aut remissio doloris oritur ex cognitione, aut apprehensione maioris, aut minoris disconvenientiæ: ita vt quo hæc disconvenientia fuerit maior, eo erit gravior dolor, qui in appetitu, aut voluntate generatur, vt experientia constat: ideo enim ignis corpori applicatus dolorem ita intensum causat, quia producit in eo calorem valde intensum, & disconvenientem harmoniæ tactus; quare vbi maxima disconvenientia sive in corporibus, sive in spiritualibus adest, inde necesse est etiam maximum dolorem oriri. Cum ergo nulla alia maior disconvenientia excogitari possit, quam quod creatura spiritualis omni perfectione naturali ornata, ab omni que corpore, & loco absolutissima, & omnino independens, cui iure naturæ omnia sublunaria subdita sunt, vice versa vilissimæ creaturæ tanquam mancipium quo ad omnia subdatur, & obediat; hinc est, quod, cum hanc disconvenientiam, & improportionem perfectissime dæmones percipiant, & cognoscant, potenter etiam torquentur, & acerviſsime cruciantur. Si enim ob excessum penes quatuor, aut quinque gradus caloris, ita ignis torquet, & cruciat corpus, cui applicatur; quomodo torquet, & cruciabit dæmones infinita fere distantia, quæ inter ipsos, & ignem intervenit? Calculet hæc, qui spirituales has creaturas, earum que superbiam alte cognoscit. Cum ergo alligationem illam activam dæmones vbicumque sint, secum portent, & eius disconvenientiam perfecte calleant; hinc est, quod semper, & vbicumque sint, acerbissime torquentur.

Applicatur doctrina tradita verbis D. Thomæ, & resolutioni quæstionis.

89 Ex quibus constat, qualiter iam intelligenda sint verba D. Thomæ, quibus hanc quæst. resolvit: nam, dum ait: pœnam dæmonum in hoc caliginoso loco existentium non minui ex quo actu non *alligentur gehennali igni, quia sciunt illam alligationem sibi deberi*: non loquitur de alligatione activa ignis inferni, quia hæc, vt vidimus num. 87. semper afficit dæmones, vbicumque existant, sed de alligatione terminativa, qua alligantur ipsi infernali igni, quæ alligatio eis debetur tunc, & post diem iudicij omnes dæmones in se patientur: in qua alligatione terminativa cum non consistat potior pœna infernalis, quam dæmones patiuntur, sed in alligatione activa ignis, vt supra diximus: ideo dixit Divus Thom. quod: *Et si actu non alligentur gehennali igni, dum sunt in aere isto caliginoso, eorum pœna non diminuitur.* Quia semper patiuntur aliam alligationem activam ignis inferni, qua alijs locis, seu corporibus subijciuntur, in quo consistit pœna æterna, & principalis dæmonum. Ex quibus constat; tum: quod semper verificatur doctrina D. Thomæ, & eius discipulorum asserentium ignem inferni semper dæmones torquere, imprimendo illis aliquam formam, qua alligantur aut sibi, aut alio corpori: tum etiam resolutio difficultatis supra num. 83. stabilitæ; nimirum, quod dæmones ex ingressu in hominum, aut animalium corpora, nullum pœnarum levamen percipiant, cum secum semper portent ignis inferni flammas, scilicet, formam illam, qua active ab infernali igne alligantur, & ipsi quo ad omnes eorum actiones, & passiones tanquam mancipia subduntur. Videatur D. Thomas in 2. dist. 6. quæst. 2. art. 3. ad 6. & Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 22.

PUNCT. VIII.

De egressu dæmonum à corpore obsessi.

DEnique ad exactam huius capitis decisionem restat agere de dæmonum egressu è hominum corporibus, & de signis ad hoc cognoscendum; in quo, quia non admodum difficiles quæstiones sunt, parum insudabimus. Pro quo

Quare dæmones difficile egrediuntur ex obsessis.

90 Rogabis primò: Quare dæmones, si nullum pœnarum levamen ex ingressu in homines accipiant, totis viribus renuunt egressum? Varij varias causas assignant: alij enim dicunt: hoc esse, ne in infernum, quem vehementer horrent, statim detrudantur: alij inquiunt: quia semel ex hominibus egressi ne-

neque ad eos, nec ad alios redire non possunt. Sed vtrumque falsum videtur: nam dæmones à Christo fugati ab eo rogabant, ne in infernum mitterentur; si ergo statim essent in infernum detrudendi, ad quid hæc exoptabant? Deinde Marci 9. Christus dæmoni egressuro præcepit, ne rursus hominem ingrederetur: ergo signum est posse ad eos iterum redire. Quare dicimus: egressum renuere ob libidinem, & liborem, quem in homines habent, & ob invidiam, qua tabescunt, videntes sedes in Cœlo occupaturos, quas ipsi dereliquerunt, & vt eos à tanta gloria avertant, inhiant, & exoptant diu in hominibus latitare, vt sic facilius ab illa æterna gloria eos semoveant, & ad tartara æternis cruciatibus distorquendos detrudant.

Dæmones lunatici difficilius eijciuntur.

91 Rogabis secundò: An sint aliqui dæmones, qui difficilius ab obsessis expellantur? Respondetur affirmative, loquendo tum de lunaticis, id est, qui tantum certis lunæ temporibus cruciant: tum de surdis, & mutis, non quia tales ipsi sint, sed quia facultate loquendi, & audiendi obsessos privant. Hæc conclusio constat, tum: ex sacra Pagina: nam Matthæi 17. Lucæ 9. Marci 9. legitur, quod, cum Apostoli alios dæmones obsidentes hominum corpora faciliter eiecissent, tamen dæmoniacum quemdam lunaticum, & simul surdum, & mutum fugare non potuerunt, sed postea eum curavit Dominus Iesus: & interrogantes discipuli eius: *Quare nos non potuimus eijcere illum?* Dixit illis Iesus: *Propter incredulitatem vestram. Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem, & ieiunium*: ergo signum est, quod lunatici, surdi, & muti, difficilius quam alij, eijciuntur. Tum etiam ex experientia quotidiana: videmus enim alios faciliter fugari, alios vero diutius obsidere, & difficillime ab obsessis arceri: ergo signum est aliquos dæmones difficilius alijs à corporibus expelli. ¶ Ratio autem, quare aliqui dæmones difficilius arceantur, est, non quia sunt superioris ordinis, cum ex plenitudine suæ potentiæ non agant in obsessos; nec quia diutius ibi latitant, quia hoc est de materiali; sed vnica causa est, quia à Deo maiorem accipiunt in obsessos potestatem, quam quidem, quia ex Dei permissu genus dæmoniorum, de quo Christus loquitur, accipiunt, ideo difficilius expelluntur: & idem dicendum est de quocumque sive inferioris, sive superioris ordinis, qui à Deo talem potestatem acciperet: cum ergo, vbi est maior potestas in energumenum, requiratur maior vis in adiurante, hinc est, quod aliqui difficilius expelluntur, & non fugantur nisi ab eo, cui Deus etiam ad hoc efficatiores vires contulerit. Ita Thyræus cap. 51. Torre 2. 2. quæst. 90. art. 2. disp. 9. num. 11. Leander quæst. 53. ¶ Qualiter autem hoc dæmoniorum genus non eijciatur nisi in oratione, & ieiunio diversimode explicant Expositores sacri: nos vero dicimus cum Abul. in cap. 17. Matthæi, quæst. 169. 171. & 172. Caiet. ibi & Torre loco citato, quod hoc vnice dependet ex divina voluntate, quæ, sicut gratiam eijciendi dæmonia confert, cui vult, sic etiam statuit, non conferre fidem, & gratiam necessariam ad eijciendos dæmones lunaticos, surdos, & mutos, nisi præcedant in Exorcistis oratio, & ieiunium. Et ideo dicitur in sacra Pag. *Hoc genus* (dæmoniorum) *non eijcitur nisi per orationem, & ieiunium.*

De signis egressus dæmoniorum ab obsessis.

92 Rogabis tertiò: Quæ sint signa egressus dæmonum, & omnimodæ libertatis obsessorum? Respondetur: quod, si quæras signa infallibilia, nulla sunt, quia ipsi non alijs rebus exire coguntur, nisi Dei voluntate; ac proinde cum dæmon sit mendacij pater, potest plura signa egressus Exorcistis promittere, vt ab eis torquendis abstineant, & minime ab obsessis egredi, sed in eis latitare. Quare probabilius signum, quod invenire potuimus est, si per aliquot annos, aut multos dies nullam obsessi patiantur molestiam ex his, quibus antea cruciabantur: licet enim dæmones non dubitemus posse aliquando in obsessis latitare, tamen diu ibi esse sine eo, quod aliquas molestias inferant, attenta earum invidia, & in homines libore, impossibile moraliter est. Nam vt dicitur Proverb. 6. *Nunquid potest quis celare ignem in sinu suo, ita vt vestimenta eius non ardeant?* ¶ Si autem quæstio sit de alijs signis probabiliter egressum manifestantibus, dicimus: quod hæc in primis sunt ipsorum spirituum confessio, qualis fuit illa, de qua scribit D. Marc. cap. 1. vers. 24. *Et clamavit dicens, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti ante tempus perdere nos.* Secundò: forma apparens alicuius hominis nigri, aut canis, vel hirci. Tertiò: animaculorum quorundam, vt muscæ, formicæ, aut araneæ, discessus. Quartò: ingens vomitus rerum putridarum, aut halidus quidam valde fœtidus. Quintò: ingentes clamores, aut eiulatus, vel belvarum voces: vt legitur Act. Apostolorum 8. vers. 7. his verbis: *Multi eorum, qui habebant spiritus immundos clamantes voce magna exibant.* Sextò: insolitus tumor in obsessorum corpore. Octavò: in terram collisio, & deiectio, ac si energumenus mortuus videatur, qualiter accidit illi, de quo Marci 9. dicitur, quod: *Exclamans, & multum discerpens eum exijt ab eo, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus est.* Hæc, & alia sunt signa, quibus dæmones egressum suum prodere probabiliter solent, & quibus vtcumque cognoscere possunt Exorcistæ, an egressi, nec ne, fuerint. Videantur Thyræus *de Dæmoniacis*, cap. 52. Torre advert. 17. loc. cit. pag. 850. Leand. quæst. 93. & alij.

Non sunt ab exorcistis petenda signa alicui nociva.

93 Sed hic cavere debent Exorcistæ, ne, quando ab obsessis petunt aliquod signum sui egressus, sint ex his, quæ energumenis nociva esse possunt: quare solum ab eis petere in signum egressus possunt, quod lampadem, aut candelam extinguant, vel vitreum vas disrumpant. Deinde advertere debent, quod, licet dæmones communiter sui discessus aliqua prodant signa, tamen aliquandò sine signis ab obsessis egrediuntur: quapropter parum in signis fidant, sed tantum in diuturna experientia de eo, quod per longum tempus obsessi nullis crucientur solitis tormentis. Legantur DD. relati.

Ro-

Qualiter liceat dæmonibus egressuris annuere.

94 Rogabis quartò: An liceat dæmonum votis, & petitioni connivere, quando egressuri à corpore aliquid petunt? Huic quæsito sub distinctione respondendum est. Nam vel petunt, ne eis malum inferant, verbi gratia, relegentur in infernum, aut novis cruciatibus afficiantur, eorum petitioni acquiescere possumus, quia non est cum eis amicitiam habere; sed curare, vt citius obsessos evacuent, quod licet. Vel petunt, ne priventur aliquo bono, verbi gratia, quod hic, aut alibi existant, & tunc si in hominum perniciem directe non cedant, audiri possunt, exemplo Christi, qui quosdam dæmoniacos rogantes eum, ne è regione Gerasenorum, quam possidebant, pellerentur, eorum votis annuit. ¶ Vel denique petunt, quod est contra Dei honorem, aut vtilitatem proximi, & tunc nullo modo annuendum illis est: tum: quia honor Dei omnibus alijs rebus præferendus est: tum etiam: charitate tenemur saluti proximi providere: ergo, quando cedit in Dei, & proximi damnum, connivere eorum votis non licet. Quare, si petant aliquem alium hominem vexare, aut ad alios transire, audiendi non sunt. ¶ Scimus aliquos DD. vt Thyræus cap. 58. Sanchez cap. 42. num. 36. & alios asserere, quod aliquando licebit eis annuere ingressum in alios homines, probant que ex eo, quod Iob 1. dæmoni exoptanti, eum affligere, Deus concesit. Et Christus Matthæi 8. permisit dæmones in gregem porcorum intrare, de quo late Abulensis à quæst. 125. ad 130. in cap. 8. Matthæi. Et similiter Div. Paulus 1. ad Corinth. 5. & 1. ad Timoth. 1. quendam Corinthum, & Alexandrum, Hymænum que dæmoni tradidit: ergo licitum hoc aliquando erit. ¶ Ad quod dicimus, quod si nunc essent tales, quibus Deus similem potestatem concesserit, tam super dæmones, quàm super homines, tunc posset dæmonum votis annuere: sed quia rarissime Deus similem potestatem concedit, & alias ad hæc licite facienda plures conditiones requiruntur, quæ moraliter inveniri nequeunt, ideo absolute negative resolvimus. Dicta tenent Thyræus, & Sanchez supra relati: & insuper Palaus tract. 14. disp. 4. punct. 4. num. 13. Bonac. disp. 4. *de Iuramento*, quæst. 1. puncto vltimo, num. 13. Leander tract. 9. disp. 5. quæst. 67. Trullench lib. 1. *Decal.* cap. 10. dub. 14. num. 13.

Communiter, vno dæmone expulso, alij expellũtur.

95 Vltimò rogabis: An vno dæmone expulso omnes simul expellantur? Huic dubio respondetur dicendo: quod regulariter loquendo, omnes, vno expulso, expelluntur. Et ratio est: quia efficatia Exorcismorum omnibus æqualiter est molesta: ergo, si vnus expellitur, & omnes expelli debent. Deinde: quia, quando plures dæmones in eodem corpore latitant, semper habent superiorem, ad quem Exorcista, præcepta, machinas spirituales, & vim exorcismorum curat dirigere; sed superiore expulso, alij eum sequuntur: ergo hoc expulso, alij etiam fugantur. Diximus, *regulariter loquendo*: quia, cum exorcismorum efficatia pendeat ex divina voluntate; & alias non omnes dæmones eandem in corpus obsessi potestatem habeant; hinc est, quod divina providentia potest iudicari expediens, quod aliquibus minoris potestatis expulsis, alij remaneant, qui superiori dominio in energumenos gaudent: sicut videmus, quod non omnes dæmones simul idem corpus subintrant, sed hi tantum, quibus hoc Deus permittit: ergo licet communiter vno dæmone expulso, alij etiam expellantur, tamen accidere potest, si Deo libuerit, quod aliqui in obsessi corpore permaneant. Sic docent Thyræus *de Dæmoniac.* cap. 55. Bonac. disp. 4. *de Iuramento*, quæst. 1. punct. vltimo, num. 15. Sanchez lib. 2. Sum. cap. 42. num. 8. Palaus tract. 14. disp. 4. punct. 4. num. 17. & alij.

PUNCT. IX.

An, & qui sint spiritus, qui spectris loca infestant, homines que terrificant: & qualiter ab illis sunt expellendi?

PRo plena huius materiæ intelligentia, & ne aliquid scitu dignum circa dæmonum adiurationem, pius desideret lector, necessarium in præsenti duximus hoc edissere dubium, in quo prius essentiam: & existentiam spirituum has terrificationes inferentium declarabimus; postea vero, quomodo licite expellendi sint, decidemus.

§. I.

An sint loca spectris infesta, & qui sunt, qui has terrificationes commovent?

Sunt loca spectris infesta.

96 ESSE loca spectris infesta, quibus homines terrificantur, est adeò evidenti experientia, & ocularibus testibus comprobatum, vt prorsus temerarium esset, eis prudentem negare fidem. Plurima de hoc possemus in medium proferre testimonia, tam, quæ in codibus legimus, quàm, quæ à doctis, & fidedignis audivimus, sed brevitatis gratia, sat erit transcribere, quæ D. August. lib. 22. *de Civit. Dei*, cap. 8. mihi, tom. 5. pag. 1485. his verbis refert: *Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, Zubedi appellatum: vbi cum afflictione animalium, & servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, vt aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit.* En vbi testimonio tanti Doctoris sunt spiritus immundi, qui spectris, & loca infestant, & homines terrificant. Qui plura alia exempla voluerit legat D. Greg.

lib. 4. *Dialog.* cap. 83. & Thyræum part. 1. *de Locis Infestis*, cap. 1. vbi pluribus testimonijs ex diversis Doctoribus collectis, nostram assertionem confirmat, & illustrat. Quare, hoc vt omnino certo, & experientijs quotidianis comprobato, stabilito, difficultas inter Doctores est; quinam sint spiritus, qui in domibus, & arcibus tempore maxime nocturno strepitus causant, iam catinos, & paropsides, quin confringantur, commovendo; iam scrupulos proijciendo; iam ad chartas, vel bacillos ludendo; aut iterdum homines diversis alijs modis ludificando? Sed ante omnia notandum est: quod Authores horum strepituum varijs nominibus, iuxta diversitatem Nationum, insignuntur. Nam apud Latinos dicuntur *Laruæ*, *Lemures*, & *Homunciones*; apud Hispanos *Duendes*, seu *Trasgos*; apud Gallos *Loups*, & *Garous*; apud Anglos *Fuyries*; apud Italos *Folletos*, sive *Empeduſas*; & denique apud Germanos *Cobalos*, seu *Cutelos*. De his ergo procedit præsens quæstio.

Sententia P. Fr. Antonij de Fuentelapeña circa laruarũ naturam.

97 Ad quam novissime respondet quidam Fr. Antonius de Fuentelapeña ex Sacra Capucinorum Familia (vtar verbis R. P. M. Fr. Emmanuelis Navarro Primariæ Cathedræ in Sacra Theologia in hac Salmanticensi Academia Moderatoris, tomo novissimo de Prologomenis, ad tract. *de Angelis*, prolog. 3. num. 32. pag. 257.) *in suo Entis Dilucidati singulari, an potius scenico opere*; dicendo sect. 3. per totam, à pag. 142. *Quod hi qui loca, & domus spectris infestant, homines que terrificant, & non semel ludificant, non esse spiritus, sive Angelicos, sive humanos, sed vnice esse quædam animalia irrationalia, & corporea, licet secundum quid invisibilia ex aere corrupto in tenebricosis, & obscuris locis, seu in domorum laquearibus genita.*

Vera sententia eligitur.

98 Sed hic singularis discurrendi modus omnibus Doctoribus visus est penitus improbabilis; quia fundamenta, quibus innititur, vt pote aërea, nullo impellente subito corruunt, & evanescunt. Quare longum tempus terere ad illum impugnandum, necesse non est; tantum ergo aliquas rationes contra eum breviter perstringam, quæ simul prædictam opinionem impugnent, & suadeant prædictos Lemures, seu Laruas esse *spiritus nequam*, seu dœmones, vt est communis Catholicorum sententia. Probatur ergo primò assumptum ex auctoritate Ritualis Romani, quod pagina mihi, 445. in Appendice inter alios affert exorcismum contra Laruam domum infestantem, vt patet ex eius titulo, qui sic se habet: *Exorcismus domus à dœmonio vexatæ*. In quo sæpissime cum talis infestationis auctore loquitur Ecclesia, eum iam *Dœmonem*, iam *Serpentem antiquum*, iam *Satam*, iam *Diabolum* nominando: ergo quia credit, Laruas domus infestantes, & homines terrificantes non esse illa animalia irrationalia ex aëre corrupto genita, & à prædicto Doctore conficta; sed dœmones illos, quos in hoc tenebricoso aëre ad homines exercitandos divina providentia reliquit.

Confirmatio

99 Confirmatur primò, & tacita præoccupatur evasio. Si Ecclesia crederet, esse vltra dœmones prædicta irrationalia animalia domus infestantia, absque dubio instituerent contra ea aliquem exorcismum, sicut contra omnia alia nociva animalia videmus instituisse: ergo si hoc non agit, sed tantum contra dœmones domus vexantes, absque dubio est, quia certo credit, Laruas domus infestantes non esse illa irrationalia animalia ex aëre tenebroso genita, & à prædicto auctore conficta, sed dœmonem, qui dolis instructus, & arte omnibus modis hominibus nocere intendit. ¶ Confirmatur secundò: omnes qui de exorcismis scripserunt, morem Ritualis Romani, vt par est, gerentes, hos Laruas domus infestantes, dœmones appellant, vt videre est in Cespedes fol. 23. pag. 2. Remigio *Pract. Exorcist.* part. 3. à pag. 222. ergo quia omnes sentiunt, hos Laruas esse spiritus malignos, qui in hoc tenebricoso aëre permanserunt, non vero illa animalia ex aëre corrupto genita, & ex cerebro conficta.

Secundum fundamentum à ratione.

100 Probatur secundò à ratione, & simul opposita fundamenta diluuntur. Nam prædicti Homunciones, seu Laruæ, vt adversarius fatetur, loquuntur voce humanæ simili; assumunt iam hac, iam illa corpora, videntur in hac, aut illa figura; pro libito que eorum apparent his, & non illis, permittunt que se videri potius ab infantibus, & equis, quam à viris, alijs que animalibus, vt experientia constat; deinde in ictu oculi commovent strepitus prope nos, & in superficie domus; sed hæc omnia non ab alijs, quam à dœmonibus fieri possunt, vt ex se constat: ergo prædicti Homunciones non sunt animalia corporea, & irrationalia, sed *spiritus nequam*, qui, vt est apud omnes inconcusum, aërea corpora sibi adaptare, & in eis apparere, & disparere subito possunt. ¶ Tertiò ostenditur nostra assertio. Quoniam licet equos strigili pectere, & sordes eorum defricare, videatur à dœmone alienum, quia in omnibus circuit quærens, quem devoret, nostram que intendit pernitiem; at alia agunt prædicti Laruæ, quæ directe in hominum damnum cedunt, qualia sunt tumultus nocturnos commovere, homines diversis spectris terrificare, & alijs rebus ludificare, ob quæ mortales vel forte exanimantur, vel ad minus plures noctes, dies que insomnes traducunt: ergo ex hoc capite non repugnat prædictos Laruas esse ex illis dœmonibus, qui in hoc tenebroso aëre ad homines exercitandos ex divina providentia permanent.

Tertia probatio.

101 Probatur tertiò: Nam si prædicti Homunciones, seu Laruæ essent animalia corporea, irrationalia, & secundum quid indivisibilia, vt confingit prædictus Doctor, necessario bibere, manducare, dormire, alia que necessaria naturæ opera agere deberent, vt in omnibus alijs animalibus ad eorum conservationem vt indispensabilia cernimus; sed dicere hæc omnia etiam Laruas agere, divinare est, nullo que nitens prudenti fundamento: ergo talis chymera vt ab hominum credibilitate omnino aliena, amandanda est.

Quarta probatio.

102 Vltimò probatur: Quia vt erudite probat Emin. Aguirre in *Lud. Salm.* lud. 1. ex curs. 2. à num. 25. Ethnici diviserunt dœmo-

nes

nes in bonos, & malos Angelos, hoc est in eos, qui aliquomodo videntur hominibus deservire, & in eos, qui semper mortalibus damna inferunt; sed dœmones, qui videntur hominibus deservire, & famulari, nulli alij esse possunt, nisi Laruæ, vt constat ex obsequijs, quæ supra diximus aliquando hominibus præstare: ergo prædictæ Laruæ sunt dœmones, qui ab Ethnicis boni reputabantur, & nullo modo animalia irrationalia à prædicto Doctore ex aëre, & vaporibus corruptis educta. Vnde nostram sententiam tenent D. August. loc. sup. relato. Thyræus *de Locis Infestis*, part. 1. cap. 1. 3. & 6. & *Libello de terrificat. nocturnis*, cap. 2. Rituale Rom. & quotquot de exorcismis scripserunt, vt sup. vidimus num. 98. & 99. & novissime, licet per transennam, R. Mag. Fr. Emman. Navarrus *in Prolog. ad tract. de Angel.* prolog. 3. num. 32. & 42. Bernardus Aldrete *in Thesauro Linguæ Castellanæ*, verb. *Duende*, & alij communiter.

Rationes contrariæ.

103 Argumenta, quibus nititur Pater Fuentelapeña suam singularem opinionem suadere, reducuntur ad hoc, quod ea, quæ exercent prædictæ Laruæ, v. g. catinos commovere, ad chartas ludere, equos mundare, &c. sunt indigna, vt dœmoni attribuantur, cum semper homines lædere intendat: ergo Laruæ non sunt dœmones. ¶ Sed huic, & similibus difficultatibus patet ex supra dictis; quia licet hæc opera primo aspectu videantur in hominum commodum cedere, tamen re ipsa in eorum pernitiem vergunt; tum: quia talium tumultuum commotione homines Larua terrificat, & cogit insomnes ducere noctes; tum etiam: quia his actionibus intendit suadere hominibus, in se esse aliquam divinitatem, & supremum dominium, saltem circa illam domum, posse que habitantibus in ea auxilium circa omnia, quæ ad transigendam vitam honestam necessaria sunt, præstare: vnde provenit, quod ex hac familiaritate cum Larua, ad illicita habitantes inducit: ergo obsequia prædicta, aliæ que eorum actiones primo aspectu ridiculæ, & futiles diriguntur à Larua, & denique vergunt in hominum, tam corporalem, quàm spiritualem pernitiem; & sic ex hoc capite nec indignum, nec à ratione alienum est, dicere prædictos Lemures, seu Laruas domus infestantes, esse dœmones aëreos, seu in hoc tenebroso aëre ad exercitandos homines divina providentia existentes. Alia argumenta prædicti Authoris inefficatia prorsus sunt, & ideo ab eis dissolvendis abstinemus, & ad alias difficultates huc expectantes calamum convertimus. Vnde

Quare aliqua loca præ alijs infestationes dæmonum patiantur?

104 Rogabis primò: An sint aliqua loca, quæ præ alijs Laruarum molestias patiantur? Respondetur, quod licet nulla sint loca, quæ has dœmonum infestationes pati non possint, tamen quædam præ alijs sunt magis infesta; & hæc sunt loca deserta, & paludosa, specus subterraneæ, altæ arces, campi ob exercituum congressus crudeli cæde clari, & denique vbi commorantur, qui quasi aquam bibunt iniquitatem, & innocentis sanguinis fuerunt homicidæ. Sed huius differentiæ efficax ratio nulla vtique est, nisi divina voluntas hæc præ alijs loca infestare permittens. Si vero rationes congruentes inquiramus, forte erunt, vel quia in illis locis gravia peccata, quæ dœmones valde delectant, patrata sunt, aut de facto committuntur; vel quia in eis homines religiosa opera exercent, à quibus Laruæ spectris, & terrificationibus removere conantur, vt in vita S. Antonij Abbatis, aliorum que Monachorum Ecclesiasticæ referunt historiæ. ¶ Sed licet hæc ita sint, notant tamen Doctores, quod qui his spectris frequentius infestantur non sunt religiosi homines, sed improbi, & scelesti, maxime impij erga parentes, oppressores pauperum, blasphemi, homicidæ, hæresiarchæ, & qui Diabolo se devoverunt; quia misericors Deus eorum conversionem intendens, vult vt oculis hi infelices videant, cui per peccata Deo serviunt, vt sic à culpis citius se retrahant, & ad verum Deum, qui Christus est, se convertant.

Laruæ potius noctu quam inter diu domus infestant.

105 Rogabis secundò: Quare Laruæ potius noctes, quam inter diu domus, alia que loca infestent? Respondetur, quod licet omni tempore, tam nocturno, quàm diurno possint Laruæ spectris domus infestare, tamen ideo noctu hæc peragunt, primò, quia vt ait Dominus Iesus Ioan. cap. 3. vers. 20. *Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Secundò: quia Apost. ad Ephes. 6. vers. 12. dœmones appellat: *Mundi rectores tenebrarum harum.* Ex quibus videtur inferri maius dominium in tenebris, quam in luce habere. Tertiò: quia his spectris Laruæ homines terrere desiderant; sed ad hoc oportunior, vt patet, est nox, quam dies, cum tenebræ ex se terrorem incutiant; ergo ideo potius noctu, quam diu spectris loca infestant, & homines terrificant, quia spectra cum noctis obscuritate coniuncta maiorem incutiunt terrorem, magis que mortales timore percellunt. Videatur Thyræus *de Locis Infest.* part. 1. cap. 18.

§. II.

Qualiter loca à Laruarum infestitione possint liberari?

Qualiter Laruæ à domibus sunt expellendæ?

106 BRebiter ab hac secunda huius puncti parte expediemus, quia ex dictis in hoc capite punct. 3. à num. 15. sufficienter manet decisa. Quapropter dicendum est; quod eisdem armis Ecclesiasticis, quibus loco relato statuimus, contra obsessos à dæmone belligerandum esse, & à corporibus fugari, etiam contra Laruas dimicandum est, & à domibus expellendi. Vnde efficatiora arma, quibus contra hunc fortem armatum, qui domum, & eius atria custodit belligerandum est, sunt Crucis Sanctæ signum, & vexillum, invocatio dulcissimi Nominis *Iesu*, & *Mariæ*, iugis ad Deum oratio, & appetitus mortificatio, rerum consecraturum vsus, lustralis aqua, & denique Ecclesiæ exorcismi ad hoc specialiter instituti, quibus domus, & loca spectris infesta adiuranda sunt, nam hæc omnia ex virtute Christi, Ecclesiæ que Sanctæ in-

institutione, vt loco relato testimonijs Scripturæ, & SS. Patrum probavimus, singularem vim ad dœmones fugandos habent; quare ne actum agamus ad ibi dicta, tam circa exorcismos, quàm exorcizandi modum, Lectorem remittimus. Videatur Rituale Romanum pag. 445. & Thyræus *de Locis Infestis*, 3. part. cap. 54. vnde solum hic aliqua adnotanda sunt, circa aliquos novos adiurandi modos, qui illiciti prorsus sunt.

Fabæ nigræ non habent vim Laruas fugandi.

107 Reijcitur ergo primò: vt superstitiosus modos Laruas adiurandi, quo vsi sunt aliquando Ethnici, scilicet proijciendo in domum quasdam fabas nigras, & interim aliquas preces fundendo. Et ratio huius est evidens: quia prædictæ fabæ nigræ, nullam indirectam virtutem habent contra prædictos Homunciones, Laruas, seu Lemures, sicut de alijs rebus naturalibus supra punct. 4. à num. 28. diximus: ergo dicere sic Laruas, & Lemures fugari, superstitiosum prorsus est. ¶ Confirmatur hoc ex circunstantijs, quibus prædictæ fabæ nigræ à Gentibus proijciebantur, quas sic refert Alexander ab Alexandro lib. 3. *Geniali. dierum*, cap. 12. *In Lemuribus fabam noctu iacere, vsurpatum est, Lemures se è domo eijcere clamantes; quam nigram esse convenit, ipsam que lotis manibus, & pede nudo per ora venare, & post terga reijcere, æris que tinnitum facere: vtque Lemures fabis redempti domo abirent, novies orare, id que Maio mense tribus vicibus fieri, donec solutis religione animis, manes expiatos ducerent.* Id ipsum canit Ovid. 5. fast. ex quibus cuilibet plane constat, quam superstitiosus sit hic modus Laruas adiurandi, & è domibus fugandi. Nam quid conducere naturaliter valet ad Laruas, seu Lemures fugandos, faba, quæ sit nigra præcisè, & non quæ est alba? Quid proiecta post tergum, prius tamen aliquoties in ore versa? Quid, quod proijcientis sint lotæ manus, & nudi pedes? Quid, quod dum proijcitur, fiat æris tinnitus? Denique quid, quod novies repetatur oratio, eaque tribus vicibus mense Maij? Nil certe: ergo talis per fabarum proiectionem modus fugandi Laruas, seu Lemures plene superstitiosus est, & à Catholicorum cordibus amandandus.

Larua nec armis, nec sanguine innocenti fugantur.

108 Reijcitur secundò: vt superstitiosum, imò vt erroneum, asserere hos Lemures, seu Laruas armis posse homines è domibus profligare; quia cum incorporei sint, armorum ictus excipere non valent. ¶ Reijcitur tertiò, & vltimò vt superstitiosum, & inhumanum, innocentum sanguinem fundere ad se, & domus liberandum à Laruarum, seu dœmonum molestis, vt de Hebræis docet Regius Vates id factitasse, vt constat ex Psal. 105. v. 38. his verbis: *Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarũ, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaam.* Et de Tamesinis refert Elianus lib. 8. *de Var. Hist.* Et ratio est: quia sanguis nec ex se, nec ex quo fit innocentium, virtutem vllam naturalẽ, ad Laruas, seu dœmones fugandos, habet, vt ex se constat: ergo si aliquando illo effuso, efficaciter Laruam expellit, absque dubio id provenit ex pacto cum dœmone, qui semper humanum sanguinem sitit, & inhiat, vt docet D. Ioannes cap. 8. *Ille*, idest Diabolus, *Homicida erat ab initio.* Et ob effusionem sanguinis eligit domum possessam relinquere. Et hæc sufficiant pro explicatione secundi Præcepti Decalogi.

)?(

TRACTATUS XXIII.

DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

Memento vt diem Sabbati sanctifices.

Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua:

Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, & servus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas.

Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum. Exod. 20. à v. 8. ad 11.

PROOE-

PROOEMIUM.

CUM Divinus Legislator per decem Decalogi præcepta homines bonos facere,& veros Dei adoptivos filios per ſanctificantem gratiam generare intenderet;& in qualibet generatione duo ſint attendenda ; primum quod contraria,& impedimenta tollantur. Sicut agricola primo purgat agrum , & poſtea proijcit ſemina iuxta illud Herem.4. *Novate vobis novale,& nolite ſerere ſuper ſpinas.* Secundum, quod prima pars primo conſtituatur, ſicut in generatione animalis primo generatur cor , & in domo primo ponitur fundamentum ; ideo primo curat impedimenta veræ religionis excludere , & ſecundo iacit quodam religionis fundamentum , per quam homo debite ordinatur in Deum , qui eſt vltimus finis humanæ voluntatis.

Quapropter, eſto affirmativa religionis præcepta videantur prius, quam negativa tradi , in præſenti debere ; cum affirmatio naturaliter ſit prior negatione; tamen , quia via generationis , negatio , qua impedimenta removentur , eſt affirmatione prior , & maxime in divinis , vbi, teſte Divo Dionyſio cap.2. cœleſtis hierarc. ob humanam inſufficientiam negationes affirmationibus præferuntur ; ideo Legifer noſter prius religionis præcepta negativa , quam affirmativa tradit , vt ſic homines , amotis veræ religionis periculis , in vera religione eos inſtrueret , & fundaret. Cum ergo veræ religioni oppoſita impedimenta duo ſint , vnum videlicet per exceſſum, quando cultus religioſus ſolo Deo debitus alteri indebite tribuitur, quod ad ſuperſtitionem attinet ; alterum per defectum reverentiæ , cum ſcilicet Deus contemnitur , quod ad vitium irreligioſitatis pertinet , ideo in Decalogo prius ponitur præceptum , quo ſuperſtitio prohibetur , & deinde traditur ſecundum legis mandatum , quo prohibetur periurium ad irreligioſitatem attinens.

Remotis ergo, ait Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 122. art. 4. impedimentis veræ religionis per primum ,& ſecundum præceptum Decalogi , conſequens fuit , vt tertium præceptum poneretur , per quod homines in vera religione fundarentur. Ad religionem autem pertinet, cultum Deo exhibere. Sicut autem Scriptura divina traditur nobis ſub aliquibus corporalium rerum ſimilitudinibus , ita cultus exterior Deo exhibitur per aliquod ſenſibile ſignum. Et quia ad interiorem cultum , qui conſiſtit in oratione ,& devotione magis inducitur homo ex interiori Spiritus Sancti inſtinctu, præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu ſecundum aliquod ſenſibile ſignum. Et quia præcepta Decalogi ſunt quaſi quædam prima ,& communia legis principia,

ideo

ideo in tertio præcepto Decalogi præcipitur, vt exterior Dei cultus sub signo communis beneficij, quod pertinet ad omnes, scilicet ad repræsentandum opus creationis mundi, à quo requieviſſe dicitur Dominus ſeptima die; in cuius ſignum dies ſeptima mandatur ſanctificanda, ideſt deputata ad vacandum Deo. Et ideo Exod. 20. præmiſſo præcepto de ſanctificatione Sabbati, aſsignatur ratio, quia ſex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & in ſeptima die requievit. Hucuſque Ang. Doctor.

Nec minus clarè loquitur Catechiſmus Romanus part. 3. cap. 4. de tertio præcepto, his verbis: *Hoc legis præcepto externus ille cultus, qui Deo à nobis debetur, recte atque ordine præſcribitur: eſt enim veluti quidam prioris præcepti fructus: quoniam quem intimis ſenſibus pie colimus fide, & ſpe adducti, quam in eo poſitam habemus, non poſſumus eum non externo cultu venerari, eidem que gratias agere. Et quoniam hæc ab his, qui humanarum rerum occupationibus detinentur, non facili præſtare poſſunt, certum tempus ſtatutum eſt, quo ea commode effici queant.* Ex quibus conſtat, quod religioſus, & divinus cultus, quem directe in hoc tertio Decalogi præcepto exhibere iuvemur, eſt externus, interno tamen cultui adiunctus, & de hoc in præſenti differendum eſt.

Cæterum, quia hoc tertium Decalogi præceptum, licet quo ad exhibitionem cultus, ſit divinum, tamen, quo ad determinationem eiuſdem cultus, & temporis quo conferendus eſt, eſt pure Eccleſiaticum; ideo communiter Moraliſtæ tractatum de quinque Eccleſiæ præceptis in præſenti inſerunt. Quorum veſtigijs inherentes, tum ne videamur ſingulariter procedere; tum, quia cum de tribus Eccleſiæ præceptis in præcedentibus huius Curſus tomis actum nobis ſit, pauca ſcitu digna deſiderantur, vt ad ea explicanda ſpeciali tractatu opus ſit; in præſenti de duobus Eccleſiæ deſideratis præceptis ſermonem inſtituemus, & ſic hunc tractatum XXIII. & tomum V. huius Curſus Salmanticenſis abſolvemus.

CAP. I.

De ſanctificandis Feſtis.

TRaditis à Divino Legislatore duobus primis Decalogi præceptis, quibus impedimenta veræ Religioni contraria amovet, & radicitus convellit, in tertio iubet, vt fideles diem Sabbati ſanctificent, & in eo à ſervilibus abſtineant, vt patet ex illis verbis Exodi 20. v. 8. *Memento vt diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, & ſervus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas.* Cæterum quia ſanctificatio Sabbati prudentiſsime ab Eccleſia in diem Dominicam, alias que Sanctorum feſtivitates translata eſt, ideo de his omnibus in hoc capite præcipuus erit nobis ſermo: in quo pro meritis explicavimus, tum multitudinem feſtivitatum, quas Eccleſia Romana obſervare præcipit; tum obligationem, quam reſpectu omnium fidelium inducunt: tum qualitatem actuum, & operationum, quibus adimplendæ ſunt; tum de-

denique cauſas, quibus ab huius præcepti tranſgreſsione fideles excuſantur. Deinde de obligatione abſtinendi à ſervilibus in feſtivis diebus agemus, vt ſic vtraque huius præcepti pars adæquate explicata maneat, & ſimul quæ ſint opera ſervilia in hoc præcepto prohibita. Quæ omnia, licet ob diverſitatem, & gravitatem quæſtionum ſufficientem materiam integro tractatui ſubminiſtrent, tamen ſolitæ brebitati ſtudentes, in hoc capite, diverſis tamen punctis comprehendimus, nihil intactum, nihil irreſolutum omittendo, ſed potius omnia pro meritis differendo.

Caput hoc continet quatuordecim Puncta.

Punct. I. *Quaeſtio: Qualiter præceptum de ſanctificatione Sabbati ad Decalogum pertineat?* num. 1.

Punct. II. *Ad quem Dei cultum ſanctificatio Sabbati obligat?* num. 8.

Punct. III. *Quando & quas perſonas præceptum de ſanctificatione Sabbati obligabat?* num. 21.

Punct. IV. *De translatione ſolemnitatis Sabbati in Dominicam diem.* n. 30.

Punct. V. *De alijs feſtivitatibus ex præcepto Eccleſiæ ſub mortali colendis.* num. 41.

§. I. *Tranſcribuntur Eccleſiæ decreta circa Chriſti, & Sanctorum dies feſtos colendos.* num. 42.

§. II. *De feſtis ad Chriſtum attinentibus.* num. 48.

§. III. *De feſtis Beatæ Virginis Mariæ.* num. 64.

§. IV. *Digreſsio circa feſtum Conceptionis Immaculatæ B. V. Mariæ.* n. 76.

§. V. *De diebus feſtis Dedicationis S. Michaelis, Nativitatis Ioannis Baptiſtæ, & Chriſti Apoſtolorum.* n. 86.

§. VI. *De alijs feſtis SS. Martyrum, & Confeſſorum.* num. 91.

§. VII. *De feſto Patroni principalis Regni, ſive Provinciæ, nec non Civitatis, aut Oppidi.* num. 102.

Punct. VI. *Quis poteſt dies feſtos inſtituere?* num. 110.

§. I. *An Epiſcopus poſsit pro ſua Diœceſi feſta indicere?* num. 111.

§. II. *Quid poſsint Principes Sæculares circa feſtorum inſtitutionem?* n. 124.

Punct. VII. *De tempore quo obligatio Diei feſti incipit, & finitur.* n. 130.

Punct. VIII. *Qualiter, & ad quid obliget præceptum ſervandi dies feſtos?* num. 134.

Punct. IX. *Qui teneantur ad dies feſtos obſervandos, qui pro vniverſali Eccleſia, aut pro aliqua Provincia indicuntur?* num. 151.

§. I. *Qui Chriſti fideles, & in qua ætate ad feſta ſanctificanda obligentur?* num. 151.

§. II. *De Peregrinis in ordine ad feſta proprij territorij.* num. 157.

§. III. *De Peregrinis in ordine ad feſta particularia Loci, in quo tranſeunter commorantur.* num. 166.

§. IV. *An Religioſi exempti teneantur ad obſervanda feſta ab Epiſcopo, ſeu Diœceſana Synodo indicta?* n. 184.

Punct. X. *De præcepto audiendi Sacrum.* num. 204.

Punct. XI. *De præcepto abſtinendi à ſervilibus diebus feſtis.* num. 218.

§. I. *Quid, & quotuplex ſit opus ſervile?* num. 218.

§. II. *De opere ſervili peccaminoſo; & an violet feſtum?* num. 223.

§. III. *De opere ſervili humano: & quæ actiones ſub eo comprehendantur?* num. 234.

§. IV. *De opere ſervili Religioſo.* n. 252.

Punct. XII. *An opera liberalia, vt docere, ſcribere & ſimilia, fiant ſervilia, & prohibita in feſto, ſi ob lucrum fiant?* num. 261.

Punct. XIII. *De Mercatu, & Placito, ſeu Iudicio Forenſi ab Eccleſia in diebus feſtis prohibitis.* num. 274.

§. I. *Quid nomine Mercati in die feſto prohibeatur?* num. 275.

§. II. *De Placito, & de his quæ ſub eius nomine in die feſto illicita ſunt.* numer. 287.

§. III. *Quæ Iudicum ſententiæ ſint in diebus feſtis illicitæ, & quæ validæ? & de cauſis ſtrepitum iudicialem his die-*

diebus honestantibus. num. 305.
Punct. XIV. *Quæ causæ laborantes in die festo excusent à præcepto abstinendi à servilibus?* num. 317.
§. I. *Qualiter parvitas materiæ, aut temporis excuset à peccato operantes servilia in die festo?* num. 318.
§. II. *Qualiter necessitas laborantes in die festo ab huius præcepti observatione excuset?* num. 329.
§. III. *Idem assumptum continuatur.* num. 340.
§. IV. *Qualiter pietas, & dispensatio honestent servilia in festo?* num. 356.

PUNCT. I.

Qualiter præceptum de sanctificatione Sabbati ad Decalogum pertineat?

Qualiter præceptum de sanctificatione Sabbati ad Decalogũ pertineat?

1 ANtequam difficultates, quas huius capitis titulus offert, decidere aggrediamur, cogimur resolvere: An hoc tertium de sanctificatione Sabbati præceptum sit recte in Decalogo positum? Pro parte negativa arguitur primò: Præcepta Decalogi, vt pote iuris naturalis, omnia in lege Evangelica observantur; sed in lege Evangelica Sabbatum non observatur: ergo inconvenienter inter præcepta Decalogi præceptum de sanctificatione Sabbati positum est. ¶ Secundò: Præceptum observationis Sabbati est cæremoniale; sed præcepta Decalogi non sunt cæremonialia, sed moralia: ergo præceptum de sanctificatione Sabbati non recte computatur inter præcepta Decalogi. ¶ Tertiò: Transgressio cuiuscumque præcepti Decalogi est mortalis; sed transgressio Sabbati in lege antiqua mortalis non erat: tum, quia citra culpam Hebræi die Sabbati pueros circumcidebant, si dies octavus nativitatis infantis in Sabbato forsam incidebat: tum etiam, quia Protoparens N. Elias, dum quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ambulavit vsque ad montem Dei Oreb, non cessavit etiam Sabbatis, absque vllo peccato iterfacere: ergo observatio Sabbati male in Decalogo numeratur.

Vera sententia proponitur, & probatur.

2 Sed his non obstantibus, vt omnino certum tenendum est, præceptum de sanctificatione Sabbati inter Decalogi mandata congruenter positum fuisse. Et prima ratio est testimonium Sacræ Scripturæ, quæ inter Decalogi præcepta sanctificationem Sabbati enumerat, vt patet ex illis verbis Exodi 20. v. 8. *Memento vt diem Sabbati sanctifices*: ergo vera est nostra assertio. ¶ Secunda vero est: quia, vt in Proœmio vidimus ex Divo Thoma, & Catechismo Romano, in institutione Religionis prius debuerunt impedimenta veræ Religionis, quæ sunt Idololatria, irreverentia, & irreligiositas, negativis præceptis radicitus convelli, quam traderetur præceptum, quo homines in vera Religione fundarentur, hoc est, quo tenerentur cultum Deo debitum præstare; sed impedimenta veræ Religionis, quæ sunt Idololatria, & irreverentia, seu irreligiositas, duobus primis præceptis negativis Decalogi radicitus convelluntur, vt explicatum manet in tract. 21. & 22. huius Cursus: ergo congruum erat, vt immediate in hoc tertio Decalogi præcepto exterior Dei cultus poneretur. ¶ Tertia denique ratio sic efformatur. Nam omnis creatura tria Deo exhibere debet, scilicet fidelitatem, reverentiam, & famulatum, ex quibus fidelitas sita est in eo, quod Principatus Deo debitus alteri non tribuatur; & hoc est quod in primo præcepto edocetur. Reverentia consistit in eo, quod nihil iniuriosum contra eum committamus; quod secundum præceptum iubet. Famulatus denique in eo, quod in memoriam, & compensationem beneficiorum, quæ à Deo accepimus, ipsi per exteriorem adorationem nos subijciamus, sed hoc in tertio præcepto facere compellimur; præcipit enim Deus, vt in memoriam creationis, quod est maximum beneficium, Sabbatum sanctificemus: ergo convenienter in hoc tertio Decalogi præcepto sanctificatio Sabbati iubetur. Hanc assertionem communiter tenent Doctores, maxime Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. Catechismus Romanus 3. part. in 3. præceptum Decalogi, Sotus de Iustit. & Iure, lib. 2. quæst. 4. art. 4. Sayr. in Clavi Regia, lib. 7. cap. 1. Azor tom. 2. Instit. Moral. lib. 1. q. 1. & 2. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 2. Palaus tom. 2. tract. 9. disput. vnica, punct. 1. Trullench in 3. Decal. præcept. lib. 3. cap. 1. dub. 1. Bonacina tom. 2. disput. 5. quæst. vnica, num. 1. Fagundez in Ecclesiæ præcepta, lib. 1. cap. 1. Abulensis in cap. 20. Exod. quæst. 11. Cornelius in cap. 5. Deuteronomij, & alij.

Qualiter præceptum de sanctificatione Sabbati sit naturale?

3 Vt ad argumenta supra posita respondeatur, notandum est: quod præceptum de sanctificatione Sabbati duo habet, scilicet, & esse morale, seu naturale, & esse cæremoniale. Habet enim primo esse morale, seu naturale, in quantum designat aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum exteriori Dei cultui; congruum enim, & iuxta iuris naturalis leges est, quod aliquod tempus in his, quæ ad Dei cultum attinent, impendamus; nam vt ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 1. *Inest homini naturalis inclinatio ad hoc quod cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & alijs huiusmodi. Vnde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur secundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputat homo. Et sic habere aliquod tempus ad vacandum divinis, cadit sub præcepto morali.* Eodem modo loquitur Catechismus Romanus loco citato num. 6. his verbis: *Est enim naturale homini, vt is certum quoddam tempus necessarijs rerum functionibus det, veluti cor-*

corporis quieti, somno, & alijs huiusmodi rebus: & quemadmodum corpori, ita eadem naturæ ratione factum est, vt menti etiam aliquid temporis is concederet, quo in Dei contemplatione se se reficeret: atque ita cum aliqua temporis pars esse debeat, quo res divinæ coluntur, cultus que Deo debitus tribuatur, hoc sane ad morum præcepta pertinet. Vnde videmus, quod nulla natio adeò barbara vnquam fuit, quæ statas quasdam ferias, eas que publicas, sacris, divinis que rebus obeundis consecratas non haberet, in quibus ab omni labore, & opere abstinentes, soli Deo erant vacantes, & intenti. Vt latius tradunt Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 7. Plutarch. lib. de Numin. & Feneſtel. de ritibus Roman. Ergo præceptum de sanctificatione Sabbati, pro vt aliquod tempus determinat ad vacandum Deo, est morale, & naturale, & ideo inter Decalogi præcepta merito numeratum, ad illud que omnes Gentes obligantur.

Qualiter hoc præceptum sit cæremoniale.

4 At vero si hoc ipsum præceptum consideretur, in quantum iubet, vt Deus in die Sabbati, magis quam in alia, colatur, est cæremoniale, & legale, & ratio desumitur ex Arist. 5. Ethycor. lect. 12. apud Divum Thomam, vbi postquam, loquendo de iure naturali, hæc dixerat: *Naturale quidem, quod vbique habet eandem potentiam, & non in videri, vel non.* Id est, vt explicat Divus Thomas: *Id est non oritur ex aliqua opinione humana, sed natura:::: quæ eadem est vbique apud omnes.* Dum immediate agit de iusto legali, seu cæremoniale sic ait: *Legale autem quod ex principio quidem nihil differt sic, vel aliter. Quando autem ponitur differt, puta mina redimi, vel capram sacrificare, sed non duas oves.* Hoc est, explicat Divus Thomas: *Quod ex principio quidem antequam lege statuatur, nihil differt, vtrum sic, vel aliter fiat, sed quando iam ponitur, id est statuitur lege, tunc differt, quia hoc servare est iustum, præterire iniustum.* Ex quibus constat præcipua differentia, quæ est inter præcepta naturalia, & cæremonialia, scilicet, quod naturalia eandem vim, & potentiam apud omnes habent, secus vero cæremonialia, quæ pro temporis, & gentium diversitate variantur; tunc sic; sed Deum colere in die Sabbati, non habet apud omnes gentes eandem vim, & potentiam, nec illud omnes gentes eodem modo observabant, imò mille aliæ nationes talem ritum colendi Deum non susceperunt, vt experientia constat: ergo colere Deum dedicando eius cultui diem determinate Sabbati, non est præceptum naturale, sed cæremoniale. ¶ Præterea: Ad cultum Dei nihil refert, quod in die Sabbati, aut in alia die prima, aut secunda hebdomadæ Deus veneretur; æqualiter enim venerari potest in vna die, ac in alia: ergo prædictus cultus, pro vt determinate in Sabbato exhibendus, non est invariabilis, seu naturalis, sed potius variabilis, ac proinde cæremonialis. Quæ omnia dilucide explicat Catechismus Romanus loco citato num. 4. dicens: *Hoc autem de Sabbati cultum præceptum, si statutum tempus spectatur, non fixum, & constans est, sed mutabile, neque ad omnes, sed ad cæremonias pertinet, neque naturale, quoniam non à natura ad id docti, aut instituti sumus, vt illo die potius, quam alio externum Deo cultum tribuamus, sed ex eo tempore quo populus Israeliticus à Pharaonis servitute est liberatus, diem Sabbati coluit.* Quam etiam doctrinam tradit Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 1. his verbis: *Sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est præceptum cæremoniale.* Ergo hoc præceptum de Sabbati sanctificatione, pro vt ad Dei cultum Sabbatum determinate designabat, est cæremoniale.

Quot modis fuit hoc præceptum cæremoniale.

5 Insuper etiam cæremoniale est prædictum præceptum, primò secundum significationem moralem, seu tropologice acceptum, pro vt significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo: sed, vt notat loco citato Angelicus Doctor, hoc modo sumptum, est quodammodo præceptum generale. De quo videantur Divus Hieronymus in cap. 59. Isaiæ. Sanctus Gregorius lib. 11. regist. epist. 3. & Divus Athan. Homil. in illud: *Omnia mihi tradita sunt.* ¶ Secundò fuit cæremoniale allegorice sumptum, hoc est pro vt erat typus quietis, qua Christus die septima quievit in sepulcro. ¶ Tertiò anagogice acceptum, pro vt Sabbatum significat, iusta Divum Paulum ad Heb. 4. v. 3. quietem fruitionis Dei, quæ erit in cœlis. ¶ Quartò fuit cæremoniale, quod solemnitas illa Sabbati per integras viginti quatuor horas iussa sit observari iuxta illud Levit. 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Æque enim cultui Dei satisfacere homines poterant, & si non totum diem, sed aliquas tantum horas ei dicarent.

Argumenti contrarijs respondetur.

6 Ex quibus iam constat ad primum, & secundum argumentum. Nam cum hoc præceptum & sit morale, seu naturale, & simul cæremoniale, optime potest inter Decalogi præcepta computari, non quatenus cæremoniale, sed vt naturale est, seu præcipit, quod aliquod anni tempus ad Deum colendum deputetur; & hoc modo acceptum observatur à Christianis, licet vt infra dicemus, ad diem Dominicam sit celebritas Sabbati iustis ex causis translata. *Vnde*, concludit Divus Thomas ad 1. *præceptum de sanctificatione Sabbati ponitur inter præcepta Decalogi, in quantum est præceptum morale, non in quantum est cæremoniale.* ¶ Ad tertium dicimus quod, cum in hoc tertio præcepto iubeat Deus, vt homo rebus divinis vacet, & ad hoc sit necessarium ab alijs operibus abstinere, ideo ex consequenti divinus Legislator vetat, quod homo in Sabbato quidquam operis faciat; & ideo qui opus à Deo prohibitum exequebatur in Sabbato, absque dubio mortaliter peccabat.

Quæ sint opera die Sabbati fieri prohibita.

7 At opus, quod Deus hoc præcepto prohibet, non est quodlibet opus, sed est tantum illud, quod proprie servile est. Vt constat ex illo Levit. 23. v. 7. *Nullum que servile opus facietis in eo.* Quare inter servilia minime computantur (vt latius infra dicemus) primo, quæ ad cultum Dei, & Sacramentorum vsum attinent; alias tale præceptum fini in observatione Sabbati intento esset contrarium.

rium. Vnde, etsi Iudæi infantes circuncide-rent in Sabbato, Sabbatum non credebant violare, vt contra eos arguit Christus Dominus Ioan. 7. v. 23. illis verbis: *Circunciſionem accipit homo in Sabbato, vt non ſolvatur lex Moyſi.* Et ſimiliter Sacerdotes operantes die Sabbati in templo, ſine culpa hæc age-bant, vt dicitur Matth. 12. v. 5. vbi Christus confutat verbis ipſius legis Phariſæos, qui accuſabant eius diſcipulos, quod die Sabbati ad manducandum vellerent ſpicas, dicens: *Aut non legiſtis in lege, quia Sabbatis Sacerdo-tes in templo Sabbatum violabant, & ſine cri-mine ſunt.* Similiter non eſt opus ſervile die Sabbati prohibitum, quod exequi neceſſa-rium eſt ad ſalutem propriam, aut proximo-rum conſervandam. Quare nec Machabæi peccarunt die Sabbati ad propriæ vitæ de-fenſionem pugnantes, vt legitur 1. Mach. cap. 2. Nec Parens noſter Elias culpam commiſ-ſit, fugiendo die Sabbati à facie Iezabel, vt mortem ſibi miniſtantem fugeret. 3. Reg. cap. 19. Nec ſimiliter Christus manum cuiuſdam hominis aridam in Sabbato ſanans. Matth. 12. v. 13. Nec David, & pueri eius pecca-runt, comedendo in extrema, aut gravi neceſ-ſitate panes propoſitionis. 1. Reg. 21. v. 3. & 6. Nec denique diſcipuli Chriſti in eadem neceſsitate evellentes ſpicas tritici ad manduc-candum. Vt bene arguit Christus Dominus contra Phariſæos dicens Matth. v. 3. *Non legi-ſtis, quid fecerit David, quando eſurijt, & qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non lice-bat ei edere, neque eis qui cum ipſo erant, niſi ſolis Sacerdotibus.* Et ratio omnium eſt: quia opera, quæ ſunt neceſſaria ad propriam, aut alienam ſalutem conſervandam, aut non ſunt proprie ſervilia, aut cultum Dei non impe-diunt; quin imò hæc ex motivo charitatis exequentes, in ſpiritu, & veritate Deum ado-ramus. Cæterum cum his compatitur, quod alia opera proprie ſervilia ſub mortali in di-cto præcepto Sabbati prohibeantur, maxime dum abique neceſsitate, & vrgenti cauſa fiunt, & ſic Sabbatum violant, eorum que exequ-tio gravis culpa, & Sabbati tranſgreſsio ſit. Sed de his latius infra.

PUNCT. II.

Ad quem Dei cultum ſanctificatio Sabba-ti obligat?

Sunt, qui ſentiat cul-tum inte-rioré in ter-tio manda-to præcipi.

8 STabilito iam, quod præceptum de ſanctificando Sabbato ad cultum Dei obligat; cum Dei cultus poſsit eſſe inte-rior, & exterior, dubitant Doctores, qualis ſit cultus, ad quem tale præceptum obligat? Circa quam quæſtionem Tabiena verbo *Cha-ritas*, num. 20. Angelus verbo *Feriæ*, n. 41. & Scotus in 3. ſent. diſt. 9. quæſt. 27. & 37. ſentiunt tantum cultum interiorem hic præci-pi, & ſic teneri ex vi huius præcepti ad eli-ciendos die Sabbati actus charitatis, ſeu di-lectionis Dei, & contritionis de peccatis. Et moventur primò. Quia Deus præcepto ſan-ctificationis Sabbati aliquam ſanctificationem iubet, vt ex eius verbis conſtat; ſed nulla alia aptior ſanctificatio aſsignari valet, quam Dei dilectio, aut de peccatis doloroſa, & perfe-cta contritio; cum per vtramque homo ſan-ctificetur: ergo dilectio Dei, & contritio de peccatis eſt ſanctificatio, & cultus, quem Deus in hoc tertio Decalogi mandato ei exhiberi, præcipit. ¶ Secundò: Etenim hoc præcep-tum eſt affirmativum, vt communior tenet ſententia: ergo obligat non ſolum ad abſti-nendum à ſervilibus, alias eſſet negativum, verum ad aliquem poſitivum cultum. Tunc ſic; ſed talis cultus non eſt exterior, cum eum verba non ſignificent: ergo neceſſario erit interior, ſeu actus interiores virtutum.

Verior eſt ſententia op-poſita.

9 Sed his non obſtantibus, tenenda eſt ſententia contraria, docens: vnice in hoc præ-cepto exteriorem Dei cultum præcipi. Et po-tiſsima ratio huius aſſertionis eſt auctoritas Divi Thomæ, qui 2. 2. quæſt. 122. art. 4. in corp. ſic ait: *Ad religionem autem pertinet cultum Deo exhibere. Sicut autem Scriptura traditur nobis ſub aliquibus comporalium re-rum ſimilitudinibus, ita cultus exterior Deo exhibetur per aliquod ſenſibile ſignum. Et quia ad interiorem cultum, qui conſiſtit in oratione, & devotione magis inducitur homo ex interiori Spiritus Sancti inſtintu, præcep-tum legis dandum fuit de exteriori cultu ſe-cundum aliquod ſenſibile ſignum. Et quia præ-cepta Decalogi ſunt quædam, & communia legis principia, ideo in tertio præcepto Decalo-gi præcipitur exterior Dei cultus ſub ſigno communis beneficij, quod pertinet ad omnes, ſcilicet ad repræſentandum opus creationis mundi, à quo requieviſſe dicitur Deus ſeptima die, in cuius ſignum dies ſeptima mandatur ſanctificanda, id eſt deputanda ad vacandum Deo. Et ideo Exod. 20. præmiſſo præcepto de ſanctificatione Sabbati aſsignatur ratio, quia ſex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & in ſeptima die requievit.* Hucuſque Angelicus Doctor. In quibus erudite docet, cultum Dei, qui hoc præcepto iubetur, non eſſe interio-rem, ſed exteriorem, quia ad interiorem, præ-ceptis non tam cogimur, quàm inſtintu Spiri-tus Sancti movemur; ſed actus charitatis, ſive contritionis, ſi eſt Dei cultus, eſt cultus inte-rior, & non exterior: ergo actus charitatis, ſeu contritionis in hoc mandato non præci-piuntur, ſed actus virtutis religionis, quo ex-ternum cultum Deo tribuimus.

Prima con-firmatio.

10 Confirmatur primò ex Catechiſmo Romano, qui 3. part. de tertio præcepto, n. 1. ſic ait: *Hoc legis præcepto externus ille cultus, qui Deo à nobis debetur, recte, atque ordine præſcribitur: Eſt enim hic veluti prioris præ-cepti fructus, quoniam quem intimis ſenſibus pie colimus fide, & ſpe adducti, quam in eo po-ſitam habemus, non poſſumus eum non externo cultu venerari, ei que gratias agere. Et quo-niam hæc ab his, qui humanarum rerum occu-pationibus detinentur, non facile præſtari poſ-ſunt, certum tempus ſtatutum eſt, quo ea com-mode effici queant.* Vbi, vt vides, aperte edo-

ce-

cetur, quod Deum, quem interne actibus fidei, & spei pie colimus, pro vt in primo, & secundo Decalogi præcepto iubemur, in tertio, cultu externo venerari debemus; sed actus charitatis, & contritionis non est exterior, sed interior Dei cultus: ergo sub hoc præcepto eorum obligatio non cadit.

Aliæ tres confirmationes.

11 Confirmatur secundò: Reliqua Decalogi præcepta præter nonum, & decimum, quibus concupiscientiæ nomen expressum est, externa tantum opera iubent: ergo idem dicendum est de tertio Decalogi præcepto, ac proinde non interior, sed exterior cultus in eo præcipitur. ¶ Confirmatur tertiò: Finis præcepti non cadit sub præcepto, vt est commune Theologorum proloquium, & docet Divus Dhomas 1. 2. quæst. 100. art. 9. Sed finis huius præcepti est divina dilectio, ideo enim Sabbatum sanctificare iubemur, vt Deum ardenter diligamus: ergo non cadit sub hoc Decalogi præcepto. ¶ Confirmatur quartò: Dilectio Dei, vt tract. 21. cap. 1. num. 9. vidimus, solum pertinet ad Decalogum, vt primum principium, & quasi quid præambulum ad illum in eius fronte præfigitur: ergo præceptum dilectionis Dei est quid distinctum à præceptis Decalogi, & consequenter sub nullo ex eis determinate continetur.

Vltimo confirmatur nostra sententia.

12 Confirmatur quintò: Tertium præceptum Decalogi de sanctificatione Sabbati, est de actibus virtutis religionis; sed dilectio Dei est actus charitatis, & contritio de peccatis est actus virtutis pœnitentiæ: ergo nec actus dilectionis Dei, nec contritionis de peccatis in hoc mandato præcipiuntur. ¶ Confirmatur sextò: In præsenti, vt ait Divus Thomas loco citato, non præcipiuntur interiores actus virtutis religionis, scilicet oratio, & devotio: ergo multo minus præcipiuntur Dei dilectio, & contritio, qui sunt actus interiores aliarum virtutum. ¶ Confirmatur vltimò: Si in hoc mandato actus interiores dilectionis Dei, & contritionis singulis Sabbatis præciperentur, esset hoc præceptum nimis arduum, & conscientias irretiret, & in artissimas angustias conijceret; cum difficilimum sit prædictos actus elicere, & multo magis toties repetere; sed hoc de Dei providentia dicendum non est: ergo nec etiam affirmandum est, prædictos interiores actus in Dei cultum præcipi, sed alios actus externos, faciles præstari, & exequi. Hanc sententiam tenent Divus Thomas, & Catechismus Romanus locis relatis, quibus adhærent Sotus de Iustitia, & Iure, lib. 2. quæst. 4. art. 4. concl. 2. dubit. 1. Lopez in Instruct. consc. lib. 1. cap. 52. Divus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 7. §. 4. Navarrus in Sum. cap. 13. num. 2. & 17. Silvester verb. *Dominica*, quæst. 6. Corduba lib. 1. quæst. 5. dub. 8. difficult. 3. studens Scotum à contraria sententia defendere. Bonacina disput. 5. circa tertium Decal. præcept. quæst. vnica, punct. 2. num. 2. Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 2. num. 2. & in Sum. lib. 2. cap. 35. n. 8. Filliucius tract. 27. cap. 8. quæst. 9. num. 137. Clavis Regia lib. 7. cap. 3. num. 5. Covarrubias lib. 4. variar. cap. 19. num. 11. Alcocer in Sum. cap. 17. & alij. Videantur insuper à nobis dicta tract. 21. cap. 6. num. 14. & infra dicenda punct. 8. num. 148.

Argumenti responde-tur.

13 Ad primum argumentum respondetur, quod sanctificatio Sabbati, quam hic Deus præcipit, non est medijs actibus internis charitatis, & contritionis, alias difficillima esset eius observatio; sed tantum præcipitur externus cultus, media virtute religionis, Deo exhibitus, sic enim homo præstat Deo famulatum ob tot beneficia debitum. Bene verum est, quod finis, quare Deus nobis sanctificationem præcipit, est vt eum cognoscentes tanquam primum principium, à quo omnia nobis proveniunt, ardenter diligamus; sed hinc non sequitur, quod Dei dilectio præcipiatur, sed potius infertur oppositum, quia, vt commune est proloquium, finis præcepti non cadit sub præcepto. Quare dilectio Dei, & contritio de peccatis solum erunt finis præcepti, non tamen materia eius, aut cultus, quem hic Deo exhibere iubemur. ¶ Ad secundum patebit ex immediate dicendis.

An sit hoc præceptũ affirmativũ, aut negativum?

14 Rogabis insuper: An hoc præceptum de sanctificatione Sabbati sit affirmativum, aut negativum? Circa hanc difficultatem satis ambigue video Doctores loqui. Nam Caietanus 2. 2. quæst. 122. art. 4. Leander tract. 1. disput. 1. quæst. 12. de præcept. Ecclesiæ, & Filliucius tom. 2. in 3. Decal. præcept. tract. 27. cap. 1. num. 8. docent, externum cultum Dei, qui in hoc mandato præcipitur, non esse constitutum à Deo in aliquo positivo actu, sed in carentia actus, scilicet in privatione ab operibus servilibus, & alienis à divino cultu: *Colebatur siquidem Deus* (ait Caietanus) *Sabbato in ipsa exteriori quiete ab operibus servilibus, quia quiescebant ad repræsentandam divinam quietem à creatione mundi.* Vnde tenentur, ex consequenti affirmare, hoc præceptum esse vere negativum. Vlterius confirmari potest hæc opinio. Quia si hoc præceptum esset affirmativum, debebat obligare ad exercendum positive aliquod opus in Dei cultum, sicut nunc præceptum Ecclesiasticum obligat ad dicendam, aut audiendam missam; sed ad nullum opus positive exercendum in Dei cultum hoc præceptum obligat; sed tantum ad vacandum à servilibus: ergo non est affirmativum, sed negativum.

Vera sententia eligitur.

15 Alij vero Doctores communiter, & probabilius tenent, hoc præceptum esse affirmativum. Et moventur primò: Quia Deus in hoc mandato positive præcipit sanctificationem Sabbati, vt patet ex illis verbis: *Memento, vt diem Sabbati sanctifices.* Ergo est præceptum affirmativum, & non negativum. ¶ Secundò: Quia Ecclesia hanc Sabbati sanctificationem ad diem Dominicam transferens, affirmativo præcepto id agit, vt omnes concedunt: ergo quia præceptum Sabbati affirmativum est. ¶ Tertiò: Quia præceptum naturale de tribuendo aliquando Deo cultum exteriorem, est affirmativum; sed Deus designavit Sabbatum ad adimpletionem huius præcepti, iubendo vt tanquam sibi dicatum colerent: ergo tale præceptum affirmativum est. ¶ Quartò: Præcepta negativa obligant semper, & pro semper; sed ser-

vare festum Sabbati, non semper obligabat, cum plures sint causæ ab eius observatione excusantes: ergo negativum non est. Sic tenent Suarez tom. 1. de Religion. lib. 2. cap. 1. n. 7. Palaus tom. 2. tract. 9. disp. 2. punct. 3. num. 2. Sanchez lib. 5. consil. cap. 2. dub. 3. num. 1. Fagundez lib. 1. de præcept. Ecclesiæ, cap. 3. num. 1. & Leander tom. 3. tract. 1. disput. 1. quæst. 12.

Aliquæ solutiones argumentorũ sententiæ cõtrariæ.

16 Solum restat argumentis respondere, & assignare cultum, quem sibi Deus tunc exhiberi præcipiebat. Ad quod primò Suarez ait num. 7. *Formaliter ergo nil illi præcipiebatur, nisi dedicatio illius temporis ad cultum Dei, quæ vocatur sanctificatio illius, vt ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3. Hæc autem dedicatio formaliter fit per cessationem ab opere, quæ pertinet ad externum cultum per signum negativum declaratum. Unde materialiter videtur esse illud præceptum negativum, formaliter vero, & in genere signi, ac cultus esse affirmativum.* ¶ Secundò alij dicunt, Sabbatum sanctificari, colendo tunc Deum positive, offerendo, & sanctificando panes propositionis, vt præcipitur Levit. 24. v. 8. Vel vt Numer. 28. vers. 9. dicitur. *Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, quæ ritè funduntur per singula Sabbata in holocaustum.* ¶ Tertiò alij asserunt, quod Sabbatis Deum colebant conveniendo in Synagogis ad lectionem scripturarum audiendam, vt colligitur ex pluribus locis Evangelistarum, & Actuum Apostolorum: ergo iam assignatur aliquis positivus cultus, quo Sabbatum sanctificabatur, & Deus à Iudæis colebatur; & consequenter nil deficit, vt hoc preceptum affirmativum esset.

Explodũtur vt insufficientes.

17 Sed omnes isti modi dicendi nobis insufficientes videntur. Primus quidem: quia præceptum de sanctificatione Sabbati est de tribuendo Deo externum cultum, vt ipse Suarez ibi tenet num. 4. sed præcisè dedicare tempus ad cultum Dei, non est positivè colere Deum: ergo vltra hoc quod est dedicare, seu sanctificare Sabbatum ad Dei cultum, debemus aliud positive designare, in quo tali die aliquis cultus exhibeatur Deo. Deinde, quia quando designatur aliquod tempus ad adimpletionem alicuius præcepti, tempus non præcepitur, nisi vt circunstantia illius actionis, per quam adimplendum est præceptum: vt patet in designatione Paschatis ad adimplendum præceptum sumendi Eucharistiam; tempus enim Paschatis solum est circunstantia actionis Corpus Christi recipiendi: ergo dedicatio Sabbati ad Dei cultum, tantum est circunstantia huius præcepti, non vero id ad quod, vt ad obiectum terminatur præceptum, hoc enim tantum est Dei cultus: quare vltra hoc assignanda est aliqua actio positiva, qua Deus positivecolatur.

Solutio Suarij vlterius impugnatur

18 Nec obest, quod addit Suarez, nimirum hunc cultum tribui Deo, ab omni opere cessando; nam si hoc ita esset, iam hoc præceptum esset vere negativum, & non affirmativum, vt iste Doctor tuetur; cum præciperet carentiam actus in cultum Dei ordinatam, quod omnino negativum hoc præceptum constitueret, & redderet. ¶ Tum etiam; quia cessare ab opere, non est positivè Deum externe colere, vt præceptu naturali tenemur; sed Deus per sanctificationem Sabbati designavit tempus ad adimplendum præceptum naturale colendi Deum, quod exigit aliquem positivum, & externum cultum, vt supra diximus: ergo hæc ab opere cessatio non est, quod in præsenti Deus iubet. ¶ Tum deinde: quia cessatio ab operibus servilibus non hic propter se præcipitur; sed quia impediebat cultum externum Dei, vt vidimus ex Cathechismo Romano num. 11. Et constat ex Divo Augustino Serm. 241. de tempore, vbi sic ait. *Sciendum est, fratres charissimi, quod ideo à Sanctis Patribus nostris constitutũ est Christianis, & mandatum, vt in solemnitatibus Sanctorum, & maxime in Dominicis diebus, otium haberent; & à terreno negotio vacarent, vt paratiores, & promptiores essent ad divinum cultum, cum non haberent, quod eos inde retardaret, incommodum; relinquerentque eo tempore terrenam solicitudinem, quo facilius possent Dei intendere voluntati: inde ipse Dominus per Prophetam dicit, vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* Psalm. 45. vers. 11. Hoc idem docet expresse Angelicus Doctor in 3. sent. dist. 27. artic. 5. quæstinc. 1. his verbis: *Præceptum de observatione Sabbati habuit aliquam causam moralem ex conditione eorum, quibus lex dabatur, qui propter avaritiam eis inditam, in tantum se, & sibi subditos operibus servilibus occupassent, quod omnino mens eorum à divinis subtraheretur. Et hanc causam tangit Dominus.* Similiter loquitur ad 1. *Dicendum, quod Sabbati tempus non amittitur, si hoc in Sabbato fiat, ad quod deputatum est, scilicet divinorum contemplatio; sed quia Iudæi omissis divinis, in Sabbatis magis inutilibus rebus vacabant. Ideo eos Seneca derisit, vt dicitur Thren. 2. Viderunt eam hostes, & derisserunt Sabbata eius.* Idem ait ad 2. & 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. Ergo per cessationem à divinis non colebatur in Sabbatis Deus, sed tantum tollebantur impedimenta, vt Iudæi Deum externe colerent: ergo non sanctificabatur Sabbatum per cessationem à servilibus, sed per alia opera in Dei cultum exhibita.

Alij modi dicendi reijciuntur.

19 Secundus dicendi modus etiam non satisfacit, quia prædictæ oblationes, & sacrificia, quæ in Sabbatis præcipiebantur, solum Sacerdotes, & non populum obligabant; & ideo purè erant cæremonialia. ¶ Tertius denique argumenta non solvit; nam vt ex Philo refert Eusebius in Præparat. Evang. cap. 2. Mos legendi in Sabbatis scripturas in Synagogis fuit, non ex lege, sed ex traditione, aut ordinatione Moysis introductus.

Respondetur sententiæ contrariæ.

20 Quare dicendum est: hoc præceptum obligasse Iudæos, ad colendum Deum in Sabbatis aliquo particulari actu, quo externum cultum Deo exhiberent; quis nam autem fuerit hic actus, ex lege non constat? quare credimus, eligendum esse ad libitum colentis. Sic tenent aliqui, quos supresso nomine refert Suarez num. 6. Et motivum huius assertionis desumitur primo ex Catechismo Romano 3. part.

part. de diei Domin. obſervat. vbi hæc habentur, num. 11. *Sanctificatio autem Sabbati ſacris in litteris, ceſſatio eſt, quæ fit à corporis laboribus, & à negotijs, vt aperte oſtendunt hæc, quæ ſequuntur, præcepti, verba: Non facies in eo quicquam operis. Neque vero id ſolum ſignificat, (aliter enim ſatis fuiſſet dicere, vt eſt in Deuteronomio, obſerva diem Sabbati) ſed cum eodem in loco addatur, vt ſanctifices eum, hoc verbo oſtenditur Sabbati diem religioſum eſſe, divinis que actionibus, ac ſanctis rerum officijs conſecratum. Ita que diem Sabbati tunc plene, & perfecte celebramus, cum pietatis, & religionis officia Deo præſtamus*: ergo iuxta mentem Catechiſmi ſanctificatio Sabbati debebat fieri aliquibus particularibus actionibus, licet indeterminatis, quibus Deo externus tribueretur cultus. Id ipſum colligitur ex cap. 16. *ieiunia, de conſecrat.* diſt. 3. ¶ Movemur ſecundò ad hanc aſſertionem amplectendam, quia omnes contrariorum dicendi modi ſunt inſufficientes, vt ex dictis conſtat. ¶ Tertiò, quia ſic ſalvatur, quod hoc præceptum ſit vere affirmativum. ¶ Quartò denique, quia non eſt poſsibile, vt Suarez, & alij contrarij fatentur, quod Iudæi religioſo modo ab operibus ceſſarent, quin ſigno aliquo externo, & poſitivo id oſtenderetur; ſed tale ſignum eſſet cultus externus Dei, quem nos aſsignamus: ergo actio aliqua poſitiva in cultum Dei exercita hic à Deo præcipiebatur. Vnde iam denique his rationibus moti Suarez, Filliucius, & alij concedunt, quod licet cultum poſitivum expreſſe medio aliquo actu Deus in præſenti non præceperit, bene autem implicite. Nos vero, & conſequentius, dicimus, quod non tantum implicite, verum & explicite talem poſitivum cultum præcepit, quando iuſsit, ſanctificari Sabbatum, quia vt ait Divus Thomas 2. 2. quæſt. 122. art. 4. ad 3. *Illa enim dicuntur ſanctificari in lege, quæ divino cultui applicantur.* Ergo in illo die præcipiebat, ſibi cultum poſitivum tribui; ergo non præcisè à ſervilibus ceſſare: & conſequenter ſalvatur optime, qualiter hoc præceptum ſit affirmativum, iubens, aliquam indiferenter actionem externam in die Sabbati à Iudæis ad cultum Dei exhiberi. Et ex his conſtat ad argumenta ſententiæ tontrariæ.

PUNCT. III.

Quando, & quas perſonas præceptum de ſanctificatione Sabbati obligabat?

PRo plena intelligentia huius præcepti de ſanctificatione Sabbati, reſtat decidere, quando, & quas Perſonas obligabat, quod in præſenti breviter reſolvemus. Vnde

Obſervationem Sabbati ab origine mundi obligare aliqui dicunt.

21 Rogabis: An præceptum de obſervatione Sabbati obligabat eos, qui ante legem Moyſi datam, ſub lege naturæ vixerunt? Affirmant non contemnendi Doctores, vt ſunt Catharinus, Cornelius in cap. 2. Geneſ. Ribera in cap. 4. Epiſt. ad Hebræ. Beyerlinch in Theatr. vit. hum. verb. *Sabbatum*, & Corduba lib. 1. qq. quæſt. 5. dub. 5. dicendo: Sabbatum fuiſſe feſtum ab origine mundi inſtitutum, quod Deus Adæ, & poſteris eius in poſterum obſervare præcepit. Et moventur: Quia Gen. 2. poſtquam creationem mundi Sacer textus refert, ſtatim v. 3. addit: *Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit Deus, vt faceret.* Ergo ab illo tempore Sabbatum ſanctificatum, & vt feſtum, ſancitum à Deo eſt: & conſequenter ab omnibus obſervari debuit. Quare Moyſes ſolum hanc obſervantiam, decurſu temporis, & captivitate, ſeu ſervitute populi Iſraelitici in Egypto obvolitam, & deletam, denuo præcepit, & ad praxim iterum reduxit, non vero fuit primus, qui per modum præcepti hominibus eam promulgavit.

Verior eſt oppoſita ſententia.

22 Negant, & verius, alij Doctores. Et moventur primò: nam Exod. 16. v. 23. & cap. 20. v. 9. Moyſes iuſſu Domini aperte iubet Iudæis Sabbatum, vt diem Domino ſanctificatum, cuſtodire: ergo ante id tempus talis feſtivitas inſtituta non fuit. ¶ Secundò: quia ſi hæc feſtivitas ab origine mundi obligaret, omnes homines, & nationes ad eam tenerentur, cum hoc præceptum non fuerit huic, præ alio populo datum; ſed aliæ nationes præter Iudæos Sabbatum non obſervabant, vt conſtabit ex dicendis num. 25. ſed per alias cæremonias, & ritus Deum colebant, & præceptorum naturalium obſervatione ſalvabantur: ergo feſtivitas Sabbati non habuit vim obligandi ab origine mundi. ¶ Tertiò, nam ſi ſententia contraria eſſet vera, Abraham, & alij Sancti Patriarchæ Sabbatum obſervarent, docerent que illud poſteros ſimiliter obſervare; ſed prædictos Patriarchas, nec eorum poſteros aliquando legimus Sabbatum obſervaſſe: ergo ab initio non obligabat ad eius obſervantiam. ¶ Quartò: Chriſtiani omnia præcepta Sanctæ Scripturæ exceptis cæremonialibus, & iudicialibus obſervamus; & tamen Sabbatum nullus Chriſtianus obſervat: ergo quia cæremoniale, aut iudiciale erat, ſolum que Iudæos, quibus per Moyſem promulgatum eſt, obligans. ¶ Denique: quia obligatio Sabbati non fuit neceſſaria ab initio mundi, vt homines ab exterioribus expediti, Deo vacarent; quia neceſſaria ad victum, & veſtimentum, pro quibus nunc eſt hominum continuus labor, vel ipſa natura libenter, & large propinabat, aut faciliter ab omnibus haberi poterant: ergo neceſſarium pro tunc non fuit præceptum de ſanctificatione Sabbati, & ceſſatione à ſervilibus, vt homines Deo divinum exhiberent cultum; & ſic homines ſub lege naturæ degentes non obligabat. Ita tenent Damaſc. lib. 4. Fid. Orthod. cap. 24. Euſebius lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. 4. Iræneus lib. 4. Adverſus Hæreſ. cap. 30. Abulenſis in Geneſ. cap. 2. q. 4. & Levit. quæſt. 3. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 1. quæſt. 3. Suarez de Religione, tom. 1. lib. 2. cap.

cap. 1. num. 3. Catechismus Romanus in 3. Decal. præcept. num. 4. Fagundez in præcept. Eccles. lib. 1. cap. 1. num. 3. & alij.

Sententiæ cõtrariæ fit satis.

23 Ad motivum sententiæ contrariæ respondetur: certum esse, ab origine mundi Deum sanctificasse iam tunc diem Sabbati; at hæc sanctificatio non fuit actu, & re ipsa, taliter quod tunc Adæ præcepisset, vt diem Sabbati ab alijs diebus segregaret, & ex tunc ab omni servili opere abstinendo, & gratias Deo pro creationis beneficio agendo, divino cultui diearet; sed talis sanctificatio fuit tantum ex decreto, & destinatione sua; quasi in illis verbis diceret: Quia Deus quievit die septimo ab omni opere creationis, quod faceret decreverat, ideo illum diem destinavit sibi quasi sacrum, vt postea à Moyse indiceretur festus colendus à Iudæis: *Ex eo tempore*, vt ait Catechismus Romanus num. 4. fine, *quo populus Israeliticus à Pharaonis servitute est liberatus.* Sic prædicta verba explicant Divus Hieronymus, Prado, Pereirus, Beda in cap. 20. Ezequiel. Suarez, & Fagundez locis relatis. Eodem fere modo loquitur Abulensis dicens: *Cùm autem dicitur, quod sanctificavit illum, non refertur ad tempus illud, ita quod tunc applicari fecerit ad cultum suum, sed ad tempus, quo Moyses ista scripsit, quod fuit in deserto; & sic Moyses intendebat dicere, quod Deus istum diem sanctificavit, scilicet nobis, vt nos ad eius cultum applicemus.* Sic Abulensis & optime. Quia in Scriptura plura invenimus, quæ sunt per anticipationem dicta; vnde inconveniens non est, de hoc textu affirmare, quod per anticipationem dictum est: *Et sanctificavit illum*; maxime cum videamus, postea hoc præceptum à Moyse cum omnibus eius circunstantijs fuisse Hebræis intimatum; & alias nunquam ante illud tempus ab aliquibus Israëlitis, esto viri valde religiosi essent, legimus talem diem vt sanctum fuisse observatum, divino que cultui dicatum.

Obseruatio Sabbati Christianos non obligat.

24 Ex quibus constat, quod obseruatio Sabbati, quantum ad determinationem huius diei ad Dei cultum, non obligat Christianos. Et ratio huius est: quia talis obseruatio quo ad determinationem diei, est præceptum non naturale, sed cæremoniale; sed præcepta cæremonialia, adveniente Christo, lege que Evangelica promulgata, mortua, & mortifera sunt: ergo Christianos nunc talis obseruatio non obligat; imò eos ad illud non obseruandum cogit: quia postquam ab Ecclesia solemnitas Sabbati translata est in Dominicam, iam Sabbati obseruatio est mortifera, cum semper redoleat Iudaismum. Quare in detestationem Iudaicæ cæcitatis id prohibet Ecclesia ex cap. *Pervenit*, de consecr. dist. 3. & Concilium Laodicense cap. 29. ait: *Quod non oporteat Christianos Iudaizare, & otiari in Sabbato, sed operari eos eodem die, præferentes autem in veneratione Dominicum diem, si vacare voluerint, vt Christiani hoc faciunt.* Idem habetur tit. *de consecrat. dist. 3. cap. Pervenit.* Et omnium ratio est: quia adveniente luce necesse erat, quod vmbræ eius tollantur; & typus cessat, adveniente eo, cuius similitudinem gerit; sed veteris legis cæremoniæ erant typicæ Christi figuræ, & mysticæ lucis, & veritatis imagines: ergo adveniente Christo, necesse est, quod cessarent, & mortiferæ essent. Vnde, qui iam cæremoniam Sabbati, etiam in memoriam creationis, servaret, graviter peccaret, & de Iudaismo merito esset suspectus. Sic communiter Catholici contra errorem Ebionitarum, qui contendebant Christianos servare debere diem Sabbati, & Dominici; quem errorem Gregorij Magni tempore, vt ipse scribit lib. 11. Registri, epist. 3. quidam suscitarunt.

Ob quam causam Deus præcepit Iudæis Sabbatum sanctificare?

25 Iterum rogabis: Quare Deus Iudæis præcipit Sabbatum, & non aliam diem custodire? In diversis diversa legi, & ideo, priusquam propriam aperiam mentem, singulorum opiniones brebiter referam. Primo aliqui Iudæi apud Abulensem quæst. 11. in cap. 20. Exod. dixerunt: ideo Deum præcepisse custodire Sabbatum ab omni externo opere cessando, quia ob influentiam Saturni, sub quo talis dies esse creditur, erat inauspicata, & infausta dies, & ideo minime in ea aliquid inchoare, erat expediens. Sed hæc positio falsa est; cum superstitiosa prorsus sit, invitans que Iudæos ad idolatrandum, seu Saturnum colendum, ne eius virtus eis noceret, à quo vitio idololatriæ maxime suis præceptis intendebat Deus Iudæos deviare, vt ex sacra pagina sæpissime constat. ¶ Secundò: Apion Grammaticus Alexandrinus apud Iosephum lib. 2. contra eundem, narrat Iudæos Egypto exeuntes laborasse vlceribus inguinum, quæ Egyptij *Sabbo* vocabant, ea que septimo die cessasse; & ideo vt sanctum in posterum celebrasse, & Sabbatum appellasse. Sed hæc Gentilium sunt commenta, & calumniæ. ¶ Tertiò: Plutarchus lib. 4. Symposiac. quæst. 5. censet, Iudæos in honorem Bacchi, qui *Sabbos* dictus est, Sabbatum coluisse. Sed hoc debaccare est, cum nunquam Iudæos talia fecisse, aut huic vinoso vitio deditos esse legamus. Vnde his opinionibus, vt à veritate alienis explosis,

Veræ causæ sanctificationis Sabbati designãtur.

26 Prima, & vera causa Sabbata celebrandi, fuit, quam refert Sacer textus, nimirum, vt creationis beneficium Iudæi recolerent; quod clare patet ex illo Exod. 20. v. 11. *Sex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum.* ¶ Secunda causa fuit, vt Israelitæ in Sabbato laboriosæ servitute Egyptiacæ, & ab ea liberationis memoriam recolerent. Vt patet ex Deut. 5. v. 15. vbi sic habetur: *Memento quod & ipse servieris in Egypto; & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcireo præcepit tibi, vt servares diem Sabbati.* ¶ Tertia fuit, vt obseruatio Sabbati in Iudæis signum esset electionis divinæ, qua Deus eos præ alijs gentibus sibi in populum adoptarit, & elegerit. Sicut dicitur Exod. 31. v. 13. his verbis: *Loquere filijs Israel, & dices ad eos. Videte, vt Sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris: vt sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos.* Quapropter Ovi-

Ovidius loquens de diversis gentibus, & more Poetarum cuilibet proprium adiectivum apponens, dixit de Iudæis lib. 1. de Arte Amandi, vers. 75. *Culta que Iudæo septima sacra viro.* Et versu 417. *Culta Palestino septima festa viro.* Non: *Terra Palestinæ septimo culta viro.* Vt ait Abulensis loc. cit. In quibus verbis distinguit Ovidius Iudæos ab alijs gentibus per adiectivum *Septima.* Quia septeno die, Sabbatum vt sacrum custodiebant. ¶ Quarta causa est naturalis, & traditur Deut. 5. v. 14. vt scilicet detur servis, & ancillis requies, ne nimio labore deficiant. ¶ Quinta est arismethica, quia septenarius, vt ait Philo lib. de Mundi Opificio, solus intra denarium nec gignit, nec gignitur, sine Patre est, & Matre: quapropter Phytagorici, vt refert Bungus de Numeris, num. 7. eum virginem vocant, Duci que, & Rectori omnium similem dicunt; nam quod neque procreat, nec procreatur immobile manet, Deo que est similimum.

Alia causa ex Divo Hieronymo.

27 Sextam causam sic describit Divus Hieronymus comment. in cap. 5. Amos, in princ. *Septenarium numerum esse sanctum, etiam Sabbatum probat, in quo requievit Deus ab omnibus operibus suis. Et iubet, nequid in eo operis servilis fiat, nisi ea tantum, quæ ad animam pertinent, & ne in eo opera portemus:::: Et septem hebdomades complent numerum Sanctæ Pentecostes; & iubileus annus remissionis, turbarum que clangentium hoc numero texitur. In septimo quoque mense figuntur tabernacula, & Hebræus cum sex annis servierit, anno septimo liberatur. Novit & hoc sæcularis Philosophia, & Medicorum libri, quorum Galenus disertissimus, atque doctissimus scripsit ternos libros, in quibus septenarij numeri ostendens potentiam, ardentissimas febres septimo dicit solvi die, aut si tanta huius humoris noxi, & pituitæ fuerit magnitudo, vt primæ hebdomadis nequaquam fervore consumpta sit, secundæ hebdomadis vltimus expectatur dies, ideſt quatuor decimus. Quod si hunc, vt iuxta Hippocratem loquar, vicerit, transeunt ad vigesimam primam diem, hoc est ad finem tertiæ hebdomadis. Ita ab initio mundi diebus conditis, vt omnes labores, & molestiæ septimo numero conquiescant.* En vbi Divus Hieronymus ait, ideo Deum Sabbatum sanctificasse, & ab omni opere quiescere homines præcepisse, quia naturaliter dies septimus requies naturæ vel ad vlteriorem vitam, aut ad mortem est. Vnde Cicero in Scipionis somno ait: septenarium numerum esse nodum, & plenitudinem omnium rerum. Et Marsil. Ficinus in Platonem de Repub. lib. 8. asserit: septenarium multa metiri, per annos quidem mutationes in vita, per dies autem mutationes in morbis maiores, per horas vero minores, tum in bonum, tum in malum. Sed hæc materia late à Medicis discutitur. Quapropter ad eos lectorem remittimus, nec falcem in messem alienam mittamus.

Quot modis in Scriptura accipiatur Sabbatum.

28 Denique rogabis: Quot modis Sabbatum in sacris litteris accipiatur? Hanc quæstionem in præsenti exitant aliqui Moralistæ; sed certe propriè ad Scripturæ Sacræ interpretes pertinet; ideo breviter tangemus, quæ aliquo modo necessaria sunt, ne Lector omnino ieiunus habeat. Primo ergo accipitur Sabbatum pro septimo die hebdomadæ, in quo Genes. 2. dicitur, Deum ab omni opere creationis quievisse, vt ex hucusque dictis satis constat. ¶ Secundò pro tota hebdomada per figuram synedochem, in qua pars pro toto accipitur. Et in hac acceptione dixit Pharisæus ille apud Lucam cap. 18. v. 12. *Ieiunio bis in Sabbato*, id est in hebdomada. ¶ Tertiò pro quolibet die festivo Iudæorum. Et in hoc sensu ait Levit. 23. v. 32. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.*

Vltima acceptio Sabbati.

29 Quartò sumitur pro qualibet die hebdomadæ. Et sic prima Sabbati est primus dies post Sabbatum; & secunda Sabbati, secundus dies, & sic de reliquis. Quare in Evangelistarum codicibus sæpe legimus prima, vel vna Sabbati, vt in Matth. cap. 28. v. 1. dicitur: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati.* Et Luc. 23. v. 1. *Vna autem Sabbati valde mane, &c.* Et idem habetur Ioann. 20. v. 1. Et in Actib. Apost. cap. 20. v. 7. & alibi. Vnde iam facile intelligitur textus ille Matth. 28. v. 1. nimirum: *Vespere autem Sabbati, quæ luscecit in prima Sabbati venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Nam idem valet ac dicere. *Vespere Sabbati*, id est, nocte Sabbati. *Quæ lucescit in prima Sabbati*; id est, appropinquante iam prima luce sequentis diei. Vel aliter accipiendo Sabbatum in primo loco pro septimo die, & in secundo pro hebdomada. *Vespere Sabbati*, id est in nocte Sabbati, *quæ luscecit* in prima Sabbati, id est ad auroram primi diei hebdomadæ.

PUNCT. IV.

De translatione solemnitatis Sabbati in Dominicam diem.

Dominicus dies observari vt festus, ab Ecclesia præcipitur.

30 Quod autem festivitas Sabbati sit translata ab Ecclesia Catholica in Dominicam diem, constat ex pluribus Sacrorum Canonum textibus. Nam cap. *Pronunciandum*, de consecr. dist. 3. dicitur: *Pronunciandum est Laicis, vt sciant tempora feriandi per annum, id est omnem Dominicam, à vespera vsque ad vesperam, ne iudaismo capiantur.* Vnde cap. *Pervenit* in eadem dist. hæc habentur: *Pervenit ad me, quosdam perversi spiritus homines prava inter vos aliqua, & sanctæ fidei adversa seminasse, ita vt die Sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud, nisi Antichristi prædicatores dixerim? Qui veniens diem Sabbatum, atque Dominicum ab omni faciet opere custodire.* Et in cap. *Sabbato* vt certum, & stabilitum supponit, omnem Dominicam ob resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, per singulos circulos hebdomadarum venerandam, vt diem festum esse. Idem habetur in cap. *Omnes;*

nes; & cap. *Conqueſtus*, de ferijs. ¶ His conſonant omnes Sancti Patres. Nam Divus Ignatius epiſt. 3. ad Magneſia, ait: *Pro ſabbathizatione diem feſtum celebret omnis Chriſtianus Dominicam reſurectionem.* Et Clemens lib. 7. Conſt. cap. 31. inquit: *Die Reſurectionis Domini, quem Dominicum dicimus convenite ſine vlla conventus intermiſsione ad agendas Deo gratias, &c.* Et Divus Auguſtinus Serm. 7. de Reſurect. ait: *Hæc eſt illa dies, in qua Synagoga finitur, & Eccleſia naſcitur; vniverſa enim Sabbati gratia, & antiqua illius populi feſtivitas Iudæorum in diei iſtius ſolemnitate mutata eſt.* Idem docent communiter alij Sancti Patres, quos ſuperfluum hic intexere videtur. Vnde in hoc difficultas nulla, aut prudens dubitatio adeſſe poteſt.

Idem ex ſcriptura oſtenditur.

31 Quam vero antiqua ſit hæc translatio ſolemnitatis Sabbati in Dominicam diem, conſtat tum ex illo Apocalipſ. 1. v. 10. vbi ait D. Ioannes: *Fui in ſpiritu in Dominica die, & audivi, &c.* Vbi iam dies Dominica ſumpta denominatione à Reſurectione, Dominica appellabatur, & vt feſtum colebatur. Quapropter, quia dicta dies iam apud Chriſtianos celebris erat, Ioannes, vt ſuam revelationem commendaret, eam Dominica die habuiſſe, notat. Nec minus clare conſtat ex Actib. Apoſt. cap. 20. v. 7. vbi dicitur: *Vna autem Sabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis.* Ibi enim ex pluribus Sanctis Patribus docent Cornelius, & N. Sylveira in Apocal. cap. 1. v. 10. q. 38. num. 281. ſignificare, tunc iam diem Dominicam obſervari vt feſtum, in qua conveniebant fideles ad ſumendam Euchariſtiam, & audiendam Miſſam, quam Apoſtolus celebrabat. Quem vtique primævum morem poſtea vniverſali præcepto Anacletus Papa, quartus à Sancto Petro, ab vniverſali Eccleſia obſervare præcepit, vt habetur in eius Decretis. 2. *quæſt.* 7. *cap. Laici.* Videatur etiam Suarez tom. 1. de Religione, lib. 2. cap. 4. à n. 1.

Negant aliqui convenientiã trãſlationis feſtivitatis Sabbati in diem Dominicã.

32 His ergo ſuppoſitis, difficultas eſt: An convenienter Eccleſia feſtivitatem Sabbati in diem Dominicam tranſtulerit? Negant aliqui Hæretici apud Epiphanium hæreſ. 75. & Petrobuſiani, & Uviclefiſtæ apud Bellarminum de Cultu Sanct. cap. 10. Et moventur primò: quia illicitum eſt poſt Evangelij promulgationem cæremonialia veteris legis obſervare; ſed feſtorum obſervatio hac die præ alia ad cæremonias attinet: ergo nunc illicita eſt. ¶ Secundò: Nam Apoſtolus ad Galat. 4. v. 10. ait: *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos; timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.* Et ad Coloſenſ. 2. v. 16. *Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum*: ergo Apoſtolus prohibet, ne denuo converſi fideles dies feſtos agant, & obſervent.

Convenientia huius translationis probatur.

33 E contra affirmant, & certius, omnes Catholici. Primò: Nam traditio antiquiſsima, ab Apoſtolorum tempore emanans, eſt hæc translatio feſtivitatis Sabbati in diem Dominicam, vt ſupra vidimus, docet que Catechiſmus Romanus 3. part. de Sabbati obſervant. num. 7. his verbis: *Quam ob cauſam Apoſtoli ex illis ſeptem diebus, eum qui primus eſt, ad divinum cultum conſecrare ſtatuerunt, quem & diem Dominicum dixere, &c.* Et num. 19. *Placuit Eccleſiæ Dei vt diei Sabbati cultus, & celebritas in Dominicam transferatur. Nam vt eo die primo lux orbi terrarum illuxit, ſic Redemptoris noſtri, qui ad vitam æternam nobis aditum patefecit reſurectione, quæ eo die fuit, è tenebris ad lucem vita noſtra revocata eſt. Vnde & Dominicum diem Apoſtoli dici voluerunt.* Ergo convenienter veſtigia Apoſtolorum ſequendo, hæc translatio ab Eccleſia facta eſt. ¶ Secundò: Nam valde conſentaneum rationi eſt, imò ex præcepto naturali neceſſarium, quod aliquod tempus aſsignetur, in quo ab exterioribus expediti ſoli Deo vacemus, & ob beneficia ab eo accepta debitum tribuamus cultum; ſed ad hoc nullus aptior dies aſsignari potuit ab Eccleſia, quam Dominicus: ergo convenienter Sabbati ſolemnitas, ſeu feſtivitas in Dominicam translata fuit.

Aſſumptum vlterius ſuadetur.

34 Minor pluribus probanda, oſtenditur primò: quia in die enim Dominica creata fuit lux, formata elementa, creati Angeli, & converſi ad Deum, vt ait Divus Auguſtinus Sermone 251. de Temp. & Divus Bonaventura in Compend. Theolog. verit. cap. 9. ¶ Secundò: In ipſa mare rubrum receſsit, & per eum Iſraelitæ ſicco pede tranſierunt; nec non Hebræis in Monte Oreb Lex eſt data; Manna pluit de cœlo, vt probat Origines ad cap. 16. Exodi. ¶ Tertiò: In hac die iuxta 6. Sinodum Can. 8. Chriſtus eſt natus, ſtella Magis apparuit: baptiſmum in Iordane à Ioanne ſuſcepit; in eo ipſe pius Redemptor humani generis ſponte pro ſalute noſtra à mortuis reſurexit. ¶ Quartò: In eo Spiritus Sanctus ſuper Diſcipulos venit. ¶ Quintò: In hac die Apoſtoli à Domino prædicandi omnibus gentibus evangelium onus, & munus accipiunt; in ipſa ianuis clauſis ingreſſus eſt ad Diſcipulos, vt dicitur Ioan. 28. eis que dedit poteſtatem remittendi peccata. ¶ Sextò; In hac die vinum de aqua in Cana Galilææ factum eſt ad nuptias: ſatiavit quinque panibus quinque millia hominum. Et denique in ea erit Iudicium finale, & reſurectio generalis, in qua Chriſtus reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Vnde merito Divus Leo Papa magnus, & refertur diſt. 75. cap. *Quod die Dominico* hanc diem his verbis encomiat: *Dominica dies tantis divinarum diſpenſationum myſterijs eſt conſecrata, vt quid quid à Domino eſt inſigniter inſtitutum, in huius diei dignitate ſit geſtum.* Ergo ob tot beneficia in hac die geſta, merito Eccleſia Spiritu Sancto edocta feſtivitatem Sabbati in Dominicam tranſtulit: maxime cum alia dies aſsignari nequeat, in quo à Deo mundus plura beneficia acceperit. Videatur ſexta Synodus generalis cap. 8. Divus Auguſtinus Serm. de Temp. 251. Divus Hilarius in Proœmio in Pſalm. Divus Bonaventura ſupra relatus. Origines Homil. 7. in Exod. Leo Papa Epiſt. 79. Divus Thomas 1. 2. quæſt. 103. art. 3. & alij Sancti Patres apud Sylveiram in Apocal. cap. 1. quæſt. 38.

Bel-

Bellarminus lib. 3. de Cultu Sanctorum, cap. 10. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 2. cap. 4. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 2. quæst. 3. & 4. Clavis Regia lib. 7. cap. 1. num. 6. Palaus tom. 2. tract. 9. disp. vnica, punct. 1. num. 2. Bonacina tom. 2. disp. 5. quæst. vnica, num. 3. Filliucius tract. 27. cap. 2. quæst. 3. num. 18. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 1. num. 1. & Leander tom. 3. tract. 1. disp. 1. quæst. 7. & 13.

Sententiæ cõtrariæ respondetur.

35 Ad primum argumentum sententiæ contrariæ constat ex dictis in hoc capite punct. 1. à num. 3. & ex ibidem dictis respondetur: quod cum in præcepto de observatione Sabbati sit aliquid morale, in quantum designat aliquod tempus, ad debitum exteriorem cultum Deo tribuendum; & aliquid cæremoniale, in quantum designat hunc diem, has cæremonias præ alijs, &c. ideo Ecclesia cupiens, vt Christiani à Iudæis distinguerentur, & vitarent cæremonialia antiquæ Legis, vt pote iam mortifera; elegit in hoc præcepto id quod naturale erat, scilicet, designare tempus determinatum ad Dei cultum; & omisit cæremonialia, nimirum, quod hic cultus fieret in die Sabbati, his cæremonijs, his horis, &c. & transtulit festivitatem Sabbati in Dominicam, ob longe maiora beneficia, quæ in hac die præ alijs fideles à Deo acceperunt. Vnde tam longe abest, vt in observatione festivitatis diei Dominicæ Christiani cum Iudæis conveniant, quod hæc translatio sit ratio, quare ab eis distinguantur, vt vidimus supra.

Fit satis argumento secundo.

36 Ad secundum argumentum dic: quod in cap. 4. v. 10. ad Galatas loquitur Apostolus de Iudaicis ritibus, & cæremonijs, quas aliqui in Ecclesiam introducere, & conservare cupiebant, vt patet ex sequentibus Divi Hieronymi verbis super dictum locum: *Nos enim*, ait, *non Azimorum Pascha celebramus, sed Resurrectionis, & crucis; Nec septem iuxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus Sancti veneramur adventum; & ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum pariter veniremus*: Ergo Apostolus non prohibet dies consecrare festivos, sed quod cæremonijs Iudaicis observentur. Videatur etiam Divus Augustinus Epist. 119. cap. 7. & Divus Thomas cap. 4. ad Galat. ¶ Ad alium textum desumptum ex Epist. ad Colos. cap. 2. v. 16. eodem modo respondetur; loquitur enim expresse Apostolus de observatione legalium, cum de eis immediate dicat, quod sunt vmbra futurorum, & Christi adventus; quare monet eos, ne timeant, & si aliquis eos reprehendat, quod sicut Iudæi, non discernant inter cibos mundos, & immundos, neque inter Sabbata, Neomenias, & alia festivitatum tempora, quæ nimis litteraliter, & scrupolose Hebræi observabant. Cum ergo Christianorum festa non sint vmbra futurorum, sed potius ipsum Christum, & eius mysteria repræsentent vt præterita, hinc est, quod illa præcautio Divi Pauli ad nostras festivitates non attinet, nec eas impugnat.

37 Sed rogabis hic: An observatio, & festivitas diei Dominici sit Iuris Divini, an vero tantum Ecclesiastici, seu Canonici? Abbas in cap. *Licet, de ferijs*. Butrio, Anchar. & Panormitanus cap. 3. de ferijs. Angelus verb. *Feriæ*, num. 3. & Auctor supplementi *ad Summam Pisanam*, verb. *Dominica* in additione, asserunt esse Iure Divino institutam. Et moventur primò: quia Sabbatum Iure Divino erat institutum ad Deo externum cultum tribuendum; sed Dominicus dies loco Sabbati successit: ergo necesse fuit, quod Christus hunc diem observari asignaret, cum ipse abrogaret legem antiquam, etiam quo ad obligationem servandi Sabbatum, & ita ex Iure Divino obliget. ¶ Secundò: Vt supra vidimus, observatio Dominici ab Apostolis ortum duxit: ergo verosimile est à Christo Domino eam accepisse. ¶ Tertiò: Si observatio Dominici esset de Iure Ecclesiastico, posset ab Ecclesia mutari in aliam diem, aut abrogari, vel consuetudine tolli; sed hæc observatio variari, mutari, aut abrogari nequit, vt docent Doctores ad cap. *Licet, de ferijs*, & ad cap. *Conquestus, de ferijs*; & constat tot annorum curriculo, in quibus ab Apostolorum tempore vsque ad præsens nunquam aliquam variationem passa est: ergo quia vnice est de Iure Divino, & non Ecclesiastico.

Aliqui dicunt, observationē Dominici esse de Iure Divino.

38 At longe probabilius est, festivitatem diei Dominici esse de Iure Ecclesiastico, & non de Iure Divino. Et probatur primò ex testimonio Catechismi Romani, qui 3. part. *in 3. Decal. præcept.* num. 19. ait: *Placuit autem Ecclesiæ Dei, vt diei Sabbati cultus, & celebritas in Dominicam transferatur diem.* Id ipsum habetur cap. *Sabbatum*, de consecrat. dist. 3. cap. *Pronunciandum*, eodem titulo, cap. *Quoniam*, cap. *Conquestus*, de ferijs: ergo talis festivitas est præceptum de Iure Ecclesiastico, non vero de Iure Divino. ¶ Secundò: Quia hæc assertio expresse edocetur à Divo Thoma 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 4. his verbis: *Ad quartum dicendum, quod observantia diei Dominicæ in nova lege succedit observantiæ Sabbati non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani*: ergo non est talis observantia de Iure Divino. ¶ Tertiò: Quia communiter omnes Theologi asserunt, quod Christus nulla alia præcepta divina nobis dedit, quam circa Fidem, Sacramenta, & Sacrificium; reliqua vero Ecclesiæ Pastori intimanda reliquit; sed festivitas diei Dominici nec ad Fidem, nec ad Sacramenta, nec ad Sacrificium attinet: ergo præceptum de festivitate, & cultu diei Dominici promulgandum ab Ecclesia reliquit. ¶ Quartò: Præcepta, quæ pro varietate temporum variationem accipere possunt, & dispensari possunt ab Ecclesia, ex se sunt Ecclesiastica, & non Divina; (vnice si excipias, quæ fundantur supra humanos actus) sed observantia Dominici variationem accipere potest ab Ecclesia, & cum aliquibus dispensari, vt experientia constat, & repugnantia aliqua non contradicit; posset enim absque ea Pontifex decernere, vt observantia Dominici duraret per aliquas horas tantum, & quod licita essent aliqua servilia opera, vt ex se constat;

Observatio Dominici est de Iure Ecclesiastico.

ſtat: ergo talis obſervantia non eſt de Iure Divino, ſed Eccleſiaſtico. Hanc aſſertionem tenent communiter Theologi ſequentes Divi Thomæ veſtigia, inter quos præcipue numerantur Caietanus 2. 2. quæſt. 122. art. 4. Sotus lib. 2. de Iuſtitia, quæſt. 4. art. 4. ad 2. Divus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 7. N. Vvaldenſis de Sacramental. tit. 17. cap. 140. Navarrus in Manual. cap. 13. num. 1. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 2. quæſt. 2. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 4. num. 8. Bonacina tom. 2. diſp. 5. in principio. Palaus tom. 2. tract. 9. diſp. vnica, punct. 1. num. 4. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 1. num. 3. Fagundez de Eccleſiæ præcept. lib. 1. cap. 2. num. 3. Baſſæus verb. *Feſtum* 1. num. 2. Corduba lib. 1. quæſt. 5. dub. 8. diffic. 2. Sanchez in Conſil. lib. 5. cap. 2. num. 3. Filliucius tract. 27. in 3. Decal. præcept. cap. 2. num. 16. quæſt. 2. & communiter Summiſtæ.

Primum, & ſecundũ argumentum ſolvuntur.

39 Ad primum argumentum ſententiæ contrariæ reſpondetur cum Corduba, Sanchez, Leandro tract. 1. diſp. 1. quæſt. 10. & alijs: verum eſſe, quod non ſolum eſt de Iure Naturali, & Divino, quod detur aliquod determinatum tempus ad vacandum Deo, ei que exteriorem cultum tribuendum, ſed etiam eſt de Iure Divino, quod deſignentur aliqui dies ad prædictum cultum. (quamvis qui, & quot eſſe debeant, arbitrio Eccleſiæ Chriſtus reliquit) Et ratio eſt: quia nunc adhuc perſeverat tertium Decalogi præceptum de ſanctificatione Sabbati, in quantum morale eſt; ſed morale eſt, quod ſit aliquis dies cultui divino dicatus; alias minime poſſet præceptum de colendo Deum ſervari ab omnibus, niſi vniverſaliter deſignarentur aliqui dies feſtivi ad vacandum Deo, & ſic non fuit, tam barbara natio, quæ non haberet dies determinatos ad colendum Deum: ergo quo ad hoc perſeverat præceptum divinum de ſanctificatione Sabbati, quin in hoc ab aliquo diſpenſari poſsit. Cæterum quod hi dies ſint Sabbatum, Dominicus, aut feria tertia, vel quinta, hoc non eſt de præcepto divino in lege Evangelica, ſicut fuit in lege antiqua, in qua Deus deſignavit Sabbatum; ſed id deſignare, diſpoſitioni Eccleſiæ reliquit Chriſtus Dominus, nolens hunc præ alio die deſignare, neque alia nobis intimare præcepta, niſi quæ ad Fidem, Sacramenta, & Sacrificium pertinent: quare dies Dominicus non ſuccedit in omnibus Sabbato, ſed vnice in eo, quod ſit dies determinatus ad colendum Deum. At vero, quod hæc determinatio ſit à Deo immediate, ſicut fuit Sabbatum, in hoc non ſuccedit, quia determinatio Dominici præ alio die ad vacandum Deo fuit; vt ait Div. Thom. *ex conſtitutione Eccleſiæ*, & *conſuetudine Populi Chriſtiani*. ¶ Per quod patet etiam ad ſecundum: Non enim omnia, quæ Apoſtoli inſtituerunt in principio naſcentis Eccleſiæ, à Chriſto Domino expreſſe acceperunt, ſed plura ex Spiritus Sancti inſpiratione decreverunt. Iuxta illud Act. Apoſt. cap. 15. v. 28. *Viſſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, &c.* Vel dici poteſt, quod licet Chriſtus hos dies feſtivos non deſignaverit, tamen Apoſtolis imperatum relinquit, vt ipſi pro temporum oportunitate, & vt ſibi magis expediens iudicaverint, deſignarent. Vnde ſemper ſequitur, feſtivos dies, nunc à fidelibus obſervatos, eſſe non de Iure Divino, ſed vnice Eccleſiaſtico.

Solvitur tertium.

40 Ad tertium dicimus: Obſervationem diei Dominici, vt pote ab Eccleſia præceptam, eſſe variabilem de potentia abſoluta Pontificis, at, de potentia ordinaria moraliter, & practice eſſe invariabilem, eſto talis obſervatio tantum præceptum Eccleſiaſticum ſit. Et ratio huius eſt: quia ſunt aliqua Eccleſiaſtica præcepta adeò conſuetudine Eccleſiæ obfirmata, divinis que, & naturalibus præceptis conformia, & affinia, vt de potentia ordinaria mutari, & diſpenſari non valeant, nec videatur, quod Spiritus Sanctus permiſſurus ſit, quod tam ſanctæ leges aliquando varientur, aut mutentur. Exemplum eſſe poteſt in lege de Quadrageſima, & in ſolemnitate votorum; licet enim obſervantia Quadrageſimæ ſit de Eccleſiaſtico præcepto, tamen de potentia ordinaria Eccleſiæ immutabilis eſt; ſimiliter eſto, vt late diximus tom. 4. tract. 5. cap. 1. punct. 3. à num. 31. votorum ſolemnitas ſit de Iure Eccleſiaſtico, & in eorum obligatione aliquando à Summo Pontifice diſpenſari queat, vt ibi docuimus n. 42. tamen quia ad hoc requiritur graviſsima cauſa, non facile obia; ideo talium votorum obligatio irrevocabilis dicitur; ad hoc enim, vt ibi diximus num. 37. ſufficit quod obligatio votorum non poſsit à Pontifice abſque vrgentiſsima cauſa relaxari, & quod in Religione authoritate Prælatorum nequeat abſolvi. Similiter ergo cum ſolemnitas Dominici diei abſque vrgentiſsima cauſa à Summo Pontifice mutari, aut variari non valeat, dici poteſt, eſto de Eccleſiæ præcepto inſtituta, immutabilis, & invariabilis. Et in hoc ſenſu loquuntur Doctores ad dictum cap. *Licet*, *de Ferijs*.

PUNCT. V.

De alijs feſtivitatibus ex præcepto Eccleſiæ ſub mortali colendis.

41 CUm ex ſacra pagina conſtet, Iudæos non ſolum Sabbatum, verum & alias ſolemnitates ex Dei præcepto coluiſſe, videndum reſtat, an ad inſtar hanc Hebræorum religionem, Eccleſia alias, præter Dominicam, feſtivitates à fidelibus obſervari præceperit; quod in hoc puncto diverſis tamen §§. videbimus.

§. I.

Transcribuntur Ecclesiæ decreta circa Christi, & Sanctorum dies festos colendos.

Ecclesiæ decreta circa Christi, & Sanctorum festivitates colendas.

42 NOn aliter melius scire possumus, quos dies Ecclesia, Spiritu Sancto edocta, à fidelibus observari præceperit, quam scribendo decreta huc vsque de hac materia edita, quod in hoc primo §. exequi curabimus. Concilium ergo Lugdunense relatum in cap. 1. *Pronunciandum*, de consecratione, dist. 3. sic ait: *Feriandi vero per annum isti sunt dies. Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Ioannis Evangelistæ, Innocentium, Sancti Sylvestri, Octavæ Domini, & Theophaniæ. Purificatio Sanctæ Mariæ, Sanctum Pascha cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus. Ascensio Domini. Sancti dies Pentecostes, Sancti Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, maxime tamen Sancti Petri, & Pauli, qui mundum sua prædicatione illuminaverunt. Sancti Laurentij, Assumptionis Sanctæ Mariæ, Nativitas Sanctæ Mariæ, Dedicatio Ecclesiæ. Sancti Michaelis Archangeli. Dedicatio cuiuscumque Oratorij, & omnium Sanctorum, & Sancti Martini, & illæ festivitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudaverint.* Huc vsque verba dicti capitis, quibus cum consonant alia similia in cap. *Conquestus*, de Ferijs, lib. 2. Decretal. quod solum differt à cap. *Pronunciandum*, quia cap. *Conquestus* expresse loquitur de diebus feriatis, in quibus iudiciorum strepitus conquiescere debent, & ideo vltra assignatos addit septem dies Dominicæ Passionis, & Resurectionis, & insuper omnium festivitatum Beatæ Virginis Mariæ. ¶ Verum enim vero esto forte antiquitus hæc omnia festa sub præcepto fideles observare tenerentur, his tamen temporibus ex decreto Summi Pontificis Vrbani VIII. solum observandi sunt sub præcepto, quos Summus Pontifex in sequenti Bulla, quæ incipit: *Vniversa per orbem.* Et habetur tom. 5. Bullarij Magni Ioannis Lantrescæ, excusso Romæ anno 1672. & est in ordine Bull. 291. designat, cuius aliqua verba, vt certiorem fidem omnibus faciant, & alias sint norma ad ea, quæ de diebus festivis dicenda à nobis sunt, hic ad vnguem transcribere decrevimus. Et omissis, quæ in §. 1. dictæ Bullæ habentur, vt pote quæ solum exponunt motivum huius decreti, scilicet, quia multitudine Festorum pauperes labore manuum suarum necessaria victui, & vestitui quærere non poterant, sic prosequitur in §. 2.

Bulla Vrbani VIII.

43 §. 2. *Nos itaque volentes ex debito pastoralis officij providere, & sanctificationis festorum certum deinceps firmare præceptum, antiquam Ecclesiæ in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos, pios que viros, quos ad hæc specialiter deputavimus, consultationibus, vt rei videtur gravitas postulare, motu proprio, & ex certa scientia, mera que deliberatione nostris, nec non de prædictæ Apostolicæ plenitudine potestatis, ac perpetuo valitura constitutione, de voto etiam venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Eminentissimorum Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, Apostolica auctoritate decernimus, & declaramus infrascriptos duntaxat dies pro festis ex præcepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel vniversalis Ecclesiæ probavit consuetudo, vel omnium gentium vnanimis pietas veneratur.*

Dies, qui ex præcepto observandi sunt.

44 *Dominicos scilicet dies totius anni; Nativitatis Domini nostri Iesu Christi; Circunciisionis; Epiphaniæ; Resurectionis cum duabus sequentibus ferijs; Ascensionis; Pentecostes cum duabus pariter sequentibus ferijs; Sanctæ Trinitatis; Solemnitatis Corporis Christi; & Inventionis Sanctæ Crucis: nec non festivitatum Purificationis; Annunciationis; Assumptionis; & Nativitatis Deiparæ Virginis: Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli; Nativitatis Sancti Ioannis Baptistæ; Sanctorum Petri, & Pauli; Sancti Andreæ; Sancti Iacobi; Sancti Ioannis; Sancti Thomæ; Sanctorum Philippi, & Iacobi; Sancti Bartholomæi; Sancti Matthæi; Sanctorum Simonis, & Iudæ; & Sancti Mathiæ Christi Domini Apostolorum. Item Sancti Stephani Protomartyris; Sanctorum Innocentium; Sancti Laurentij martyris; Sancti Sylvestri Papæ, & Confessoris; Sancti Iosephi etiam Confessoris, & Sanctæ Annæ Deiparæ respective Sponsi, ac genitricis; Solemnitatis omnium Sanctorum; atque vnius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Opido, vel Pago, vbi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.*

Cætera festa hic non assignata vocantur.

45 §. 3. *Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos hactenus, sive in vniversa Ecclesia, sive in quavis natione, aut Regno, Provincia, Diœcesi, aut loco quomodocumque, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi fideles tanquam festivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipsos teneri, dicta auctoritate, tenore præsentium perpetuo etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies festos à locorum Ordinarijs nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, vt ad Ecclesiasticam vbique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant abstinere. Vt vero ea, quæ superius expressa sunt, ferventiori, qua decet veneratione, ac devotione, colantur, eisdem Ordinarijs antiquorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus, in concedendis licentijs laborandi diebus festis; quæ quidem licentia non aliter, quam ad formam prædictorum Canonum, vt præmittitur, concedendæ non nisi gratis, libere, & sine vllo prorsus pretio, ac pacto, directe, vel indirecte concedantur sub pœnis etiam gravioribus nostro, successorum que nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram constitutionem dies feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu, & ter-*

minis, in quibus erant ante eiusdem promulgationem.

§. 4. *Mandantes præterea in virtute sanctæ obedientiæ, &c.* (*iubet ad vnguem dictam constitutionem observari; & denique concludit more solito*) *Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ* 1642. *Idibus Septembris, Pontificatus nostri anno* 20.

Per hanc constitutionem abrogantur festa ex voto colenda.

46 Huc vsque decretum Vrbani VIII. in quo solum observari iubet festa, quæ in eo expressa sunt, ac proinde, si quæ alia antiquitus observabantur, in conscientia nunc ad eorum cultum non obligant. Vnde bene infert Pasqualigus tom. 2. quæst. 49. nec dissentit Pellizar Manual. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 4. sect. 1. num. 3. per dictam constitutionem fuisse abrogata etiam festa ex voto obligantia. Et ratio est: quia cum Summus Pontifex dicat: *Apostolica auctoritate decernimus, & declaramus infrascriptos duntaxat dies pro festis ex præcepto colendos esse.* Dictio *Duntaxat* excludit alia festa ibi non enumerata, & expressa. *Leg.* 3. §. *Cum Titio, de adimendis legat. Leg.* 2. *Cod. de legibus, cap. Cum Ecclesia, de verb. signif. Clement.* 1. & ibi Zabarell. in princ. in 3. notab. de sequestr. possess. cap. *Statutum*, §. *In nullo. Leg.* 1. *ff. siquis ius dicenti non obtemp.* vbi Bart. tenent que plures Doctores apud Barb. tract. var. dictio *Duntaxat*, pag. 677. sed in dicta Bulla festa ex voto non enumerat: ergo ea excludit.

Vlterius id suadetur.

47 Deinde in §. 3. dictæ Bullæ enumeratis festis in particulari, & in communi, quæ ab omnibus sub præcepto observari vult, excludit alios dies: *Quos hactenus sive in vniversa Ecclesia, sive in quavis natione, aut Regno, aut Provincia, Diœcesi, aut loco, quomodocumque sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi fideles tanquam festivos celebrarunt*: ergo cum vtatur derogativa vniversali, & de quavis obligatione, censentur abrogata festa ex voto; cum vniversalia verba omnia comprehendant. ¶ Vlterius: quia communiter votum videtur ad modum legis obligare: ergo cum derogata sint festa obligantia ex lege, nisi quæ ibi specialiter expressa sunt, etiam obligantia ex voto censentur abrogata. Quapropter sola festa ab Vrbano VIII. designata debent fideles in conscientia observare, (quid quid in contrarium clamitet Caramuel in Theologia fundamentali, fundamento 52. num. 1079. in fine, pag. 498. dicens hoc Vrbani VIII. diplomate non iubari pauperes, *quia fuit mera festorum commutatio, quæ esse ablatio deberet*) Tum, quia dicta festa ab Vrbano VIII. designata non tot sunt, vt mechanici, si reliquis diebus laborent, rerum penuria graventur; vt experientia constat. Tum etiam, quia vt ait Divus Augustinus Epist. 118. ad Ianuar. *De eo quod tota per orbem frequentat Ecclesia disputare, an ita faciendum sit, insolentissimæ insaniæ est.* Tum denique: quia ex celebratione solemnitatum Sanctorum vberes fructus fideles colligunt, vt erudite edocet Divus Bernardus Serm. 2. in festo omnium Sanct.

omnino à tanto filio videndus.

§. II.

De festis ad Christum attinentibus.

De festo Natalis Domini.

48 His sic stabilitis extra chorum non erit, aliqua breviter hic circa harum solemnitatum institutionem, & antiquitatem dicere; & licet Incarnatio sit prima Christi solemnitas, tamen, quia cum Annuntiatione coincidit, & alias ne ordinem ab Vrbano VIII. assignatum invertamus, ideo à Christi Nativitate initium auspicamur. Festum ergo *Nativitatis* Christi adeò solemne est, & altas habens in Ecclesia defixas radices, vt ab Apostolis institutum esse, perpetua Ecclesiæ traditio sit. Vnde de eo meminit Clemens, lib. 8. constit. & alij antiqui Patres de eo, vt ab omnibus fidelibus iam venerato, loquuntur, maxime Isidorus, lib. 1. de offic. cap. 25. & Nicephorus, lib. 17. hist. cap. 28. ¶ Celebratur hæc festivitas ab Ecclesia octavo Kalendas, Ianuarias, hoc est, die 25. Decembris; quia eo die statim post mediam noctem in Bethleem Iudæ ex Maria Virgine natus est Vnigenitus Dei filius factus homo; vt contra aliquos hæreticos tenet communis Ecclesiæ traditio, satis que insinuatur in officio natalis Dominici, dum dicitur ex lib. Sapientiæ cap. 18. v. 14. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de cœlo à regalibus sedibus, venit.* Qua propter in huius rei signum Parens Noster, & Summus Ecclesiæ Pontifex Sanctus Telesphorus (vt legitur in officio Nostræ Religioni pro die 30. Ianuarij concesso) *ordinavit, vt Nativitate Domini tres Missæ ab vnoquoque Sacerdote celebrarentur. Prima media nocte, dum Christus in Bethleem natus est: altera illucescente aurora, quando in præsepio à pastoribus est adoratus: Tertia vero ipsa hora diei tertia, quando nobis dies redemptionis illuxit.* Vnde impugnata manet oponio aliquorum hæreticorum, qui teste Clemente, lib. 1. stromat. dixerunt, natum fuisse die 21. vel 25. Aprilis; & aliorum Novatorum, qui similiter asserunt, natum esse in mense Septembri, & in Æquinotio Autumali: quia contra eorum cabillationes sufficit tum auctoritas Ecclesiæ, tum etiam Divi Augustini in Psalm. 132. ad finem dicentis. *Ioannes natus est, sicut tradit Ecclesia octavo Kalendas Iulias, cum iam incipiunt dies minui. Et Christus octavo Kalendas Ianuarias, quando iam dies incipiunt crescere. Similiter loquitur sermone* 21. *de Sanctis.*

Quis dies fuerit Nativitatis Domini?

49 Sed rogabis: Quis dies fuit, in quo Christus natus est? Respondetur fuisse Dominicum, vt tenent Patres in Synodo 6. Generali, cap. 8. & alij communiter Doctores. ¶ Cur ergo, si hoc ita est, non in die Dominica, sicut festivitas Resurrectionis, & Pentecostes, semper celebratur? Ad hoc respondet Durandus, lib. 6. Rational. cap. 13. afferendo plures rationes, quas, quia ad nostrum institutum proprie non attinent, in præsenti omittimus. Sufficiat tamen sequentem ex Di-

vo

vo Augustino assignare, scilicet quia hoc festum pertinet ad memoriam tantum; vnde sufficit per illum memorare, quota dies mensis Christus natus fuit, & ideo semper eadem die mensis celebratur, licet feria varietur; alia festa pertinent ad memoriam, & Sacramentum. V.g. Christus passus est feria 6. vt hominem, qui in feria 6. ceciderat, redimeret, & sic de alijs. Videatur etiam idem Sanctus Doctor, epist. 119. cap. 1. & 2. Et à cap. 9. vsque ad 17. vbi de hac re copiose scribit.

De festo Circuncisionis.

50 Secunda festivitas est Circuncisionis, seu Octavæ Natalis Domini. Quando vero initium hæc solemnitas sumpserit, incertum est; sed dubitari, fas non est, esse satis antiquam, & à Sanctis Patribus observatam. Vnde notat Durandus lib. 6. Rational. offic. cap. 15. num. 16. hoc festum esse Christo, & Beatæ Virgini dicatum, & in eo duas Missas solitas esse celebrari, vnam de Beata Maria Virgine, & alteram de mysterio; quod à veritate non abhorret, cum videamus & nunc, quod licet prædictæ Missæ non dicantur, tamen plura sunt in officio huius diei, quæ ad Beatam Virginem attinent, vt illud sedulo recitantibus constabit.

De festo Epiphaniæ.

51 Tertia festivitas est Epiphaniæ, Theophaniæ, aut Bethphaniæ, quæ voces sunt Græcæ. Et dicitur primo *Epiphaniæ*, quia fuit facta Christi apparitio de supra, hoc est cœli signo, quando Christus media stella Magis apparuit. Secundo vocatur *Theophaniæ*, quia eodem die multis annis revolutis, scilicet cum Iesus esset incipiens quasi annorum triginta, mundo apparuit, quando à Ioanne baptizari voluit, & quia ibi, vt ait Clemens lib. 5. constitut. cap. 12. & lib. 8. cap. 33. & Isidorus lib. 1. de Divinis Offic. cap. 26. tota Trinitas manifestata est, Pater in voce, Filius in carne, & Spiritus Sanctus in columba, ideo dicitur *Theophaniæ*, idest apparitio Dei. Denique dicitur *Bethphaniæ*, quia similiter eodem die, pluribus postea annis elapsis, Christus mundo apparuit in nuptijs Canaa, convertens aquam in vinum, & quia hæc apparitio fuit in domo facta, dicitur *Bethphaniæ*. De his ergo tribus apparitionibus fit solemnitas in hac die, vt ex officio Canonico constat. De obligatione servandi sub præcepto has tres festivitates, præter quam quod constat ex traditione Apostolicæ, etiam patet ex capitibus *Pronunciandum* de consecr. dist. 3. Et ex cap. *Conquestus* de Ferijs. Videntur Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 5. num. 9. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 11. maxime quæst. 18. & 21. & Filliucius tract. 27. cap. 3. à num. 30. ad 32. q. 2. 3. & 4.

Quare in Epiphania non dicatur invitatorium.

52 Sed hic pulsat animum quæstio illa, quare in Epiphaniæ festo non dicitur in Officio Canonico Invitatorium, quod solet dici in alijs solemnitatibus? Ad quod respondetur ex Durando, hoc factum fuisse primo ad significandum, quod Ecclesia in primitijs suis venit de gentibus ad Dominum, non per præconem aliquem invitata, sed vnice stella duce vocata. Secundò, vt videamur detestari invitationem fraudulentam Herodis dicentis Magis. *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Matth. 2. v. 8. Tertiò, quia ipsa fides, significata per stellam, nos illuminat, & ducit in nocte huius sæculi ad adorandum Deum.

De Paschate Resurrectionis.

53 Quarta festivitas est Dominica Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus, quæ Sanctum Pascha citatis textibus nominatur; & quid quid sit, an hæc vox Pascha sit nomen Græcum, aut Hebræum, de quo videantur Divus Augustinus epist. 119. cap. 1. Durandus lib. 6. cap. 86. num. 2. Azor lib. 1. cap. 3. quæst. 1. & 2. Suarez tom. 2. de Relig. sect. 2. tamen Ecclasiæ vsu Pascha significat tres illos dies primos, in quibus Resurrectionem Christi à mortuis celebramus; dicitur que communiter solemnitas solemnitatum, eo quod alias Christi, & Sanctorum festivitates solemnitas hæc longe, late que excedit; ac proinde omnia in ea lætitiæ signa proponuntur, omnia mundantur, & dealbantur. *Candorem vestis*, ait Divus Gregorius, Homil. 21. in Evang. *Splendorem nostræ denunciat solemnitatis.* Vnde ad tantam solemnitatem ostendendam, non solum per dictos tres dies celebratur, sed omnes dies Dominicæ sunt Octavæ huius festivitatis, vt bene num. 6. notavit Durandus. Quod autem hæc festivitas sub præcepto ab omnibus sanctificari debeat, constat ex capitibus iuris Canonici iam relatis, & insuper patet, esse ab Apostolis institutam ex Clemente lib. 8. contit. cap. 33. & ex Canone 68. Apostolorum. Qua propter aliqui credunt, quod cum per anthonomasiam hæc dies sit, vt canit Ecclesia, *Quam fecit Dominus*, præceptum de eius sanctificatione non est de iure Ecclesiastico, seu Apostolorum, sed de iure divino; quia opinantur, quod non proprio arbitrio, sed Dei decreto, Apostoli illud festum ab Ecclesia observari præceperint. Sed hoc falsum est, cum de hac solemnitate idem sentiendum sit, ac de die Dominica, de qua supra probavimus esse de iure tantum Ecclesiastico.

Doctrina hic notanda.

54 Nota tamen hic, quod licet in dicto cap. *Pronunciandum* de consecr. dist. 3. & cap. *Conquestus* de Ferijs. Tota hebdomada Paschatis sanctificari, & observari iubeatur; tamen tres tantum primi dies observandi sub præcepto, vt festivi, sunt; reliquos vero, tantum quo ad iudiciorum strepitus, sanctificare debemus. Qui plures quæstiones de Pascha voluerit, consulat Suarez cap. 6. Durandum lib. 6. cap. 86. & 87. & Azor tom. 2. lib. 1. à cap. 3. ad 7. qui ait, quod ideo loco hymni in his diebus cantatur *Alleluia* propter spem, quam habemus de gloriosa resurrectione.

De festo Ascensionis.

55 Quinta festivitas est *Ascensionis*, de qua sic loquitur Clemens lib. 5. cap. 18. *Numeratis quadraginta diebus à primo Dominico die, celebrate festum Assumptionis Domini, &c.* Et lib. 8. cap. 33. inquit: *Die Assumptionis vacent, quod hic fuerit impositus finis æconomiæ Christi.* Ex quibus satis constat, quam antiquum originem ducat prædicta festivitas, vnde de ea Sancti Patres in suis sermonibus meminerunt. Videatur Div. Augustinus Serm. 174. & 176. de tempore. ¶ Nota tamen hic, quod licet in cap. *Pronunciandum* allegato, ante hoc festum ponantur tres antecedentes dies,

dies, quæ Rogationes dicuntur, & vt festivos obseruari, præcipiatur, ob solemnes Litanias, quæ his diebus processionaliter cantantur; tamen nunc iam tale præceptum, nisi solum quoad cessationem ab stripitu iudiciorum, non viget, vt notant Doctores, & ex praxi Ecclesiæ, decreto que Urbani VIII. constat. Qui plures quæstiones (licet proprie non morales) voluerit, consulat Azor tom. 2. lib. 1. cap. 12. & Filliucium tract. 27. cap. 3. quæst. 8. num. 39.

De festo Pétecostes.

56 Sexta festivitas est *Pentecostes* festum, & Pascha, quod apud Hebræos post quinque decades Paschæ ob memoriam legis diuinitus datæ celebrabatur, vt dicitur Levit. 23. Sed quia in hac die in linguis igneis Spititus Sanctus super Apostolos, & Discipulos Christi venit, ideo Christiani tribus diebus eius adventum celebrant, vt præcipitur in cap. *Conquestus*, de ferijs, & cap. *Pronunciandum*, de consecr. dist. 3. & licet in hoc capite non designentur dies determinati, sed vniversaliter dicatur. *Sancti dies Pentecostes*, at Vrbanus VIII. eos singulariter expressit dicendo: *Pentecostes cum duabus pariter sequentibus ferijs.* ¶ Nota tamen primò: quod licet hoc festum magis videatur pertinere ad Spiritum Sanctum, quam ad Christum, tamen iure optimo inter Christi festa computatur, tum: quia ipse Christus nobis hunc Spiritum Sanctum, qui nos doceret omnia, dum hic nobiscum vitam ageret, promisserat; tum etiam: quia hac die cæpit Christi fides publice in Ierusalem, & deinceps in vniverso orbe prædicari.

Obseruatio Pentecostes solũ ex Iure Ecclesiastico nunc obligat.

57 Nota secundò: quod licet festum Pentecostes, quod Iudæi obseruabant, eos ex Iure Divino obligaret; tamen nostrum Pentecostes Pascha ex Iure tantum Ecclesiastico obligat. Videtur que hoc non obscure colligi ex illo Pauli 1. Ad Corinth. 16. v. 9. *Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecostem.* Et Act. 20. v. 17. vbi dicitur de Divo Paulo: *Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Ierosolimis.* Vnde iuxta Epiphanium hæresi 75. & Divum Hieronymum in Proœmio ad Ephes. loquitur hic de Pentecostes festo eo modo, quo tunc Christiani ex Apostolorum præcepto iam obseruabant. Quem ritum postea obseruari præcepit Ecclesia decernens, vt non vno tantum die Dominico, sed etiam duobus sequentibus diebus Spiritus Sancti super Apostolos, & Discipulos descensus solemniter coleretur. De quo videantur Clemens Papa dicto lib. 8. Const. constit. 33. & lib. 5. cap. 18. Divus Isidorus de Divin. Offic. lib. 1. cap. 33. Iustinus Mart. quæst. 115. Origenes lib. 8. contra Cels. & alij Sancti Patres, quos refert, & sequitur Azor tom. 2. lib. 1. cap. 9. Filliucius tract. 27. cap. 3. quæst. 10. num. 44. & alij.

De festo Trinitatis.

58 Septima festivitas est festum Sanctissimæ Trinitatis, quod celebratur nunc ab Ecclesia in die Octava Pentecostes; at antiquitus nec in hac die, nec in Romana Ecclesia celebrabatur; & rationem sic tradit Alexander III. relatus in cap. *Quoniam*, de ferijs, his verbis: *Præterea festivitas Sanctæ Trinitatis secundum consuetudines diversarum Regionum à quibusdam consuevit in Octavis Pentecostes, ab alijs in Dominica prima ante adventum Domini celebrari; Ecclesia siquidem Romana in vsu non habet, quod in aliquo tempore huiusmodi celebret specialiter solemnitatem, cum singulis diebus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & cætera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.* Similiter dies Dominicus in Ecclesia Catholica specialiter intelligitur dicatus Sanctissimæ Trinitati; & ideo refert Micrologus de Ecclesiast. obseruat. cap. 60. olim præfationem Trinitatis in omnibus Dominicis fuisse decantatam; & nunc in Dominicis per annum recitatur vltimum responsorium de Trinitate, & ad Primam Symbolum Sancti Athanasij, quod Trinitatis mysterium late refert, & explicat: vnde patet, quod quia dies Dominicus, & aliæ officij Canonici partes erant in Trinitatis cultum specialiter destinatæ, ideo singularem diem, quo specialiter coleretur, ab initio Ecclesia Romana non instituit. ¶ Sed licet hæc ita sint, primo Ioannes XXII. & postea Vrbanus VIII. festum Sanctissimæ Trinitatis prima Dominica à festo Pentecostes ab omnibus celebrari præcipiunt, & merito quidem; quia postquam celebrata est festivitas Patris in Nativitate Filij (quia Nativitas Filij dicitur festivitas Patris, vt docet Durandus lib. 6. Ration. Divin. Offic. cap. 114.) & postquam celebratum est festum Filij in Pascha, & festum Spiritus Sancti in missione ipsius, consonum rationi erat, vt ad maiorem Trinitatis reverentiam expressior notitia huius mysterij & haberetur, & speciali die, & cultu ab vniversali Ecclesia veneraretur. Videantur Azor lib. 1. cap. 13. Durandus loco supra relato, Filliucius tract. 27. cap. 2. quæst. 5. num. 22. Summa Pisana verb. Feriæ, §. 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 4. num. 16. & 17. & alij.

De festo Corporis Christi.

59 Octava festivitas est de Sacrosancto Eucharistiæ mysterio, quod communiter festum *Corporis Christi* appellatur. Hæc ergo solemnitas ab initio nascentis Ecclesiæ instituta non fuit, sed postea ad confundendam hæreticorum perfidiam, vt ait Trident. sess. 13. cap. 5. debitas que Deo pro tam ineffabili beneficio exhibendas gratias, Vrbanus IV. celebrari ab omnibus feria quinta post Octavam Pentecostes pie, & religiose præcepit, edita insigni constitutione de hoc festo, quæ incipit: *Transiturus de hoc mundo ad Patrem Salvator noster, &c.* Quam postea confirmavit, & in iure posuit Clemens V. in lib. 3. *Clement. vnic. de Reliquijs, & venerat. Sanct.* vbi districte præcipitur, vt tam Clerici, quàm fidelium turbæ ipsa feria quinta post Pentecostem ad Ecclesiam affectuose concurrant, & gaudentes in cantica laudum surgant: tunc enim omnium corda, & vota, ora, & labia hymnos persolvant lætitiæ salutaris, tunc psallat fides, spes tripudiat, exultet charitas, devotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur: tunc singuli alacri animo, prona que voluntate conveniant, sua studia laudabiliter exequendo tanti festi solemnia celebrantes. Et vt ad devote tantum colendum Sacramentum fideles ex-

excitarentur, peculiares indulgentias omnibus hac octava divinis officijs assistentibus large concedit. Vnde tanta devotione hoc festum Christianus populus amplexus est, vt licet sit hæc festivitas alijs Christi celebritatibus multo recentior, tamen nulla est, quæ maiori cultu ab vniverso Christiano populo veneretur. Et quod pluris est, & non parum ad eius venerationem conducit, est officium canonicum huius solemnitatis ab vniversali Ecclesia gratanter receptum, & per totum orbem lætissime decantatum, quod ita commemorationem tanti beneficij nobis devote exprimit, vt in ea gaudium, simul & lachrymas cohibere non possimus; vnde cogimur huius dulcedine cantus, & congaudere lachrymantes, & lachrymare devote gaudentes, lætas stillando lachrymas, & lætitiam simul habendo lachrymantem. Sed quid huius dulcedinis demiramur effectus, si illud concinavit, & ad metrum reduxit iussu eiusdem Vrbani IV. Angelicus Magister Divus Thomas Aquinas huius mirifici Sacramenti dulcedine inebriatus? Quid enim Doctor Eucharisticus eructare poterat, nisi quod de Eucharistiæ fonte, aut potius Occeano, alte ebiberat, dulcissime degustaverat. ¶ Nota vero, quod si hæc festivitas incidat in Vigilia S. Ioannis Bapt. non est in ea ieiunandum, sed anticipandum ieiunium die antecedenti. Sic Vrban. VIII. Const. *Cum evenire*, 14. Octob. 1638.

De festo Inventionis Sanctæ Crucis.

60 Nona, & vltima festivitas, ad Christum aliquomodo attinens, est *Inventio Sanctæ Crucis*, quæ sub præcepto antiquitus coli iubetur in cap. *Crucis*, de consecrat. dist. 3. his verbis: *Crucis Domini nostri Iesu Christi, quæ nuper nobis gubernacula Sanctæ Ecclesiæ Romanæ tenentibus quinto nonas Maij inventa est, in prædicto Kalendarum die Inventionis festum vobis solemniter celebrare mandamus.* Sic Eusebius Papa relatus in dicto cap.

Referuntur opiniones circa relatum decretum Eusebij Papæ.

61 Sed an hæc historia vera sit, disputant Theologi. Et ratio pro parte negativa est: quia Sancta Helena Crucem, absoluto Concilio Niceno, invenit; sed tunc Ecclesiæ clavum tenebat Sylvester post Melchiadem, qui Eusebio successerat: ergo Eusebius nequit esse auctor illius Canonis, sed forte erit Sylvestri. Quare quidam Doctores asserunt, illud decretum non esse Eusebij, sed Sylvestri, ac proinde vitiatum fuisse à Typographo; ad quod asserendum ratione allegata moventur. ¶ Alij vero dicunt esse dictum decretum Eusebij, qui anno 4. 5. & 6. Imperatoris Constantini Petri Cathedram gubernavit, quare optime potuit tunc Sancta Helena immediate, ac Constantinus victoriam de Maxentio reportavit, Hierosolimam pergere, etiam non absoluto Concilio Niceno, & Christi Crucem invenire.

Prima sententia eligitur.

62 Sed certius est, vitiatum esse illud decretum, & pro Eusebio legendum esse Sylvestrum, tum ob rationem allatam; tum etiam: quia Eusebius ante victoriam à Maxentio reportatam, obijt, & sic eius tempore non potuit esse Crucis inventio, vt ait Baronius in Annalibus. Tum denique: quia vt Rufinus, & alij Historiographi tenent; hæc Sanctæ Crucis inventio accidit post Concilium Nicenum, & verosimilius est, quod hoc opus adeò arduum non aggressa fuerit Sancta Helena, nisi post conversionem filij sui Constantini, & eius auctoritate, & fide enixa; tunc sic sed hæc omnia evenerunt tempore Sylvestri, & non Eusebij: ergo tale decretum non Eusebij, sed Sylvestri est. Sic tenent Azor lib. 1. cap. 16. quæst. 10. Suarez supra relatus cap. 7. à num. 11. & Filliuc. tract. 27. cap. 3. q. 12. n. 47. ¶ Sed quid quid sit de hoc, dubitari nequit, quin fuerint alia motiva ad hoc festum instituendum: nam ad hoc sufficiunt beneficia, quæ ex hoc arbore generi humano emanarunt, vt in eorum gratiarum actionem festum institueretur. Quare Inventio Sanctæ Crucis absque dubio fuit tantum motivum extrinsecum, vt Ecclesia hanc festivitatem ab omnibus observari præceperit. Videatur Ord. Rom. Beda in Martyrologio, Angelus, Sylvester, Caietanus, & alij Summistæ, nec non Suarez, Azor, & Filliucius supra relati.

De Sanctæ Crucis exaltatione, & Transfiguratione Christi.

63 In fine huius §. Notandum est primò: quod aliud festum celebrat Ecclesia die 14. Septembris de exaltatione Sanctæ Crucis, quando eam à Cosdroa Rege Persarum iure belli Heraclius Imperator eripuit, & in Ierosolimitanum templum collocavit. Sed hæc festivitas sub præcepto ex nullo decreto sive novo, sive antiquo obligat; de qua qui plura voluerit, consulat Durandum lib. 7. Ration. Divin. Offic. cap. 29. ¶ Secundò notandum est: quod aliqui hic intexunt festum Transfigurationis Christi, sed licet ob insignem victoriam de Turcæ exercitu à Christianis eo die apud Belgradum reportatam, Callixtus III. hanc festivitatem instituerit, at ab vniversali Ecclesia observari, minime præcepit, & ideo nec supputatur in dictis textibus Iuris Canonici, nec ab Vrbano VIII. inter festa supra relata designatur, nec nobis de eo hic differere congruum visum est, cum de solis festis sub præcepto obligantibus, agamus.

§. III.

De festis Beatissimæ Virginis Mariæ.

Festa B. V. Mariæ.

64 POst festivitates, quæ ad Christum attinent, immediate succedunt, quæ ad Sanctos pertinent; cæterum, quia inter omnes Cœlicolas Beatissima Virgo Maria primatum obtinet, seorsim que ab alijs chorum excelsiorem, & sedem apud Christum tenet, ideo primo, & seorsim ab alijs de eius festivitatibus agendum in præsenti nobis est.

De festo Purificationis.

65 Prima ergo festivitas Beatæ Mariæ Virginis, quam refert Vrbanus VIII. in prædicta Bulla est Purificatio eiusdem Deiparæ Virginis; in qua vtique festivitate duplex solemnitas celebratur, prima quo ad partum, seu filium, quæ Græcè dicitur *Ypantis*, id est obiatio, quia Græcè *Ypanti* est idem, ac Latinè obiatio, & quia hac solemnitate Mariæ Virgini venienti præsentare, seu offerre filium suum in Templum, Simeon iustus, & Anna Prophetisa obiaverunt, ideo dicitur festum *Ypantis*. Secunda quo ad parientem, seu Dei-

param, & dicitur festum Purificationis, quia licet Beata Virgo Maria lege Purificationis non teneretur; cum concepto semine non pepererit; tamen præceptum legis, vt religiosa, adimplere voluit. Vnde hoc festum æque ad Christum, Beatam que Virginem attinet, & ob hanc rationem in cap. *Pronunciandum*, *de consecrat. dist.* 3. inter festa Christi immediate post Epiphaniam ponitur, & officium huius diei promiscue de Christo, & Beata Virgine loquitur, vt illud recitanti, & legenti constabit.

De tempore, quo hæc festivitas cæperit celebrari.

66 Quando vero hæc festivitas primo celebrari inceperit? variæ sunt Doctorum sententiæ. Nam Nicephorus lib. 17. cap. 28. scribit, sancitam esse Iustiniani Senioris constitutione; cum quo coincidit Sigibertus in Chronic. constituens hoc festum anno 542. Cedrenus vero ait à Iustino Iustiniani prædecessore fuisse institutum anno 527. Durandus in Ration. Divin. Offic. lib. 7. cap. 7. num. 11. inquid, quod *Tempore Iustiniani Imperatoris fuit magna mortalitas apud Constantinopolim, & ideo tunc constituta est solemnitas Purificationis Mariæ in reverentiam eius.* Beda in Martyrol. quinto Idus Septembris, Liber inscriptus Ordo Romanus, & Albinus Flaccus lib. de Divin. Offic. cap. de Purificat. dicunt Sergium Pontificem ad abolenda Lupercalia, seu Lustrandi consuetudinem, quam Romani à Gentilibus adhuc observabant, instituisse hanc solemnitatem, & processionem, quæ in ea, cereos accensos manibus portando, fit. De quo vide Durandum loco relato num. 14. & 15. Alexandrum ab Alex. lib. 5. Genial. cap. 27. Sed nihilominus Covarrubias in dicto cap. *Pronunciandum*, Azor lib. 1. de tertio Decal. præcept. cap. 18. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 5. num. 12. & Filliucius tract. 27. cap. 3. q. 5. num. 34. probabilius asserunt, hanc celebritatem antiquissimam esse, ab Apostolis que forte emanatam, & solum à Sergio Summo Pontifice auctam, vt ait Baronius anno 701. num. 3. Maxime cum antiqui Patres vt Nyssenus, Chrysostomus, Cyrillus, Hieronymus, & alij de hac festivitate homilias scriptas, & ad populum declamatas nobis reliquerint.

De festo Annunciationis, seu Incarnationis.

67 Secunda B. Mariæ Virginis festivitas sub præcepto servanda, est iuxta decretum Vrbani VIII. Annunciatio, scilicet quando Angelus Gabriel missus à Deo Beatæ Virgini Mariæ annunciavit Incarnationem, & partum filij Dei dicens: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, &c.* Cui annunciationi consensum præbente Beata Virgine statim Verbum caro factum est. Hæc ergo solemnitas, licet ab aliquibus festum Incarnationis appelletur, & inter Christi festa annumeretur, tamen Concilium Toletanum X. cap. 1. per antonomasiam festum Matris his verbis appellat: *Nam quod festum Matris est, nisi Incarnatio Verbi?* Quando ergo hanc solemnitatem fideles, & maxime Romana Ecclesia inceperint celebrare, aperte non constat; quia in cap. *Pronunciandum* hæc solemnitas inter Christi, aut Virginis festivitates non numeratur, & in cap. *Conquestus* solum in communi supputantur omnes solemnitates glorioſæ Virginis Mariæ. Sed licet hæc ita sint, tamen Panormitanus, Hostiensis, & alij in dicto cap. *Conquestus* docent, quod per solemnitates Beatæ Mariæ Virginis intelliguntur quatuor principales festivitates, quas in honorem eiusdem Virginis Mariæ Ecclesia concelebrat, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis, quas certum est ante Gregorium IX. qui est auctor illius capitis, ab vniversali Ecclesia coli, vt patet ex diversis homilijs antiquorum Patrum in his festis ad populum habitis. Et merito quidem, quia sicut omni tempore à Beatissima Virgine Maria homines beneficia quam plurima accipiunt, sic iustum erat, vt omni etiam tempore in eius cultum, & beneficiorum gratam memoriam festivos dies dicarent. Quapropter Annunciationem celebrant in vere, Assumptionem in æstate, Nativitatem in autumno, & denique Purificationem in hyeme, vt sicut paradysus quatuor fluminibus irrigatur, & fecundatur, sic omnia tempora Virginis cultu decorentur, & singulari eius patrocinio protegantur. Vnde quod hæc nostra Annunciationis festivitas sit in Ecclesia antiquitus celebrata constat tum ex Concilio Toletano X. Tum ex Divo Augustino Serm. 18. de Sanctis (quem aliqui credunt esse Divi Fulgentij) ex Divo Petro Chrysologo Serm. 140. & sequentibus. Beda tom. 7. & Guarrico Serm. 1. Tum denique ex decreto Vrbani VIII. in quo expresse ab omnibus Ecclesiæ fidelibus eam sub præcepto servari iubet die 25. Martij. In qua vtique die quod non solum Incarnationem Verbi, sed alia quam plurima Deus pro hominibus operatus sit, his egregijs versibus quidam apud Durandum lib. 7. Rational. Divin. Offic. cap. 9. breviter perstingit, vt sic clarius innotescat, quam iuste à fidelibus dicta dies in veneratione sit habenda.

Salve festa dies, quæ vulnera nostra coerces.
Angelus est missus, est passus & in Cruce Christus.
Est Adam factus, & eodem tempore lapsus.
Ob meritum decimæ cadit Abel fratris ab ense.
Offert Melchisedech. Isaac supponitur aris.
Est decollatus Christi Baptista beatus.
Est Petrus erectus, Iacob sub Herode peremptus.
Corpora Sanctorum Christo cum multa resurgunt.
Latro per Christum tam dulce suscipit Amen.

Qui plura mysteria huius mensis, & diei scire voluerit, & quare Verbum ad incarnandum hunc præ alio mense elegerit, legat Azor tom. 2. Instit. Moral. lib. 1. cap. 17. quæst. 2. 3. & 4.

Quid agendum dum Annunciationis festum in Sabbato

68 Sed circa hanc vero festivitatem nonnullæ versantur apud Doctores difficultates, & ideo rogabis primò: An si festum Annunciationis in die Sabbati maioris hebdomadæ venerit, tunc obliget præceptum de sanctifican-

maioris hebdomadæ venerit.

candis festis, & possint plures Missæ in ea die celebrari? Affirmant Petrus Ledesma in Sum. tom. 1. de Sacramento Euchar. cap. 19. concluſ. 5. Fernandez in Exam. Theol. Moral. part. 3. cap. 5. §. 5. num. 2. Sylvius in 3. part. quæſt. 73. art. 2. Molfeſ. in Sum. tom. 1. tract. 3. cap. 17. num. 41. Cruz in Direct. Conſc. part. 2. in Sacrif. Miſſ. quæſt. 2. dub. 2. concl. 1. referens ſic ad praxim redactum fuiſſe in Eccleſijs Diœceſis Toletanæ anno 1617. Diana part. 2. tract. 14. reſol. 21. Barboſa de officio, & poteſtate Parrochi, part. 1. cap. 11. num. 45. Et moventur primò: quia licet iura antiqua prohibuerint dicta die Miſſas celebrare, tamen hoc abrogatum eſt quo ad Sacrum ſolemne, vt experientia conſtat; ſed non eſt maior ratio de Miſſa publica, quam de privata: ergo ſi Miſſa publica permittitur, etiam privata. Minor ſuadetur. Ratio prohibitionis antiquæ erat, quia per totum diem Sabbati Eccleſia repræſentabat requiem Chriſti in ſepulchro, & ſuam ſolitudinem, & ideo erat quaſi in mærore poſita Chriſti Reſurectionem expectans, à Miſſæ que Sacrificio abſtinens; ſed hæc ratio iam ceſſavit, cum Eccleſia finito officio matutino Sabbati Sancti cum gaudio alacritate, & Miſſæ Sacrificio Reſurectionem Chriſti celebrare incipiat: ergo ratio, quæ probat poſſe tunc Sacrum ſolemne dici, probat etiam Miſſas privatas dici poſſe. Vnde Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 80. ſect. 2. in fine, licet aſſerat hanc opinionem eſſe practice ſecuram, tamen non audet eam conſulere, niſi in aliquo caſu cum cauſa, occaſione rationabili, & ſcandalum omne diligenter vitando. ¶ Notant tamen duo Ledeſma, & Diana, primò: quod Miſſa privata dici debet vel de Beata Virgine, vel de eo die, cum Introitu tamen Miſſæ Reſurectionis ſequentis diei. ¶ Secundò: quod graviter peccaret, qui Miſſam privatam eo die ante ſolemnem diceret; tum: quia vſque ad eam horam viget Eccleſiæ prohibitio: Tum etiam: quia tunc incipit feſtum Reſurectionis celebrari.

Non licet in Sabbato maioris hebdomadæ Miſſas privatas celebrare.

69 Sed tenenda eſt contraria ſententia, quæ docet, peccatum mortale eſſe, die Sabbati Sancti Miſſas privatas celebrare, & conſequenter tunc, ſi incidat feſtum Annunciationis, in alium diem transferendum eſſe. Quod primò oſtenditur ex cap. *Sabbatho, de conſecr. diſt.* 3. vbi eodem modo loquitur de die Paraſceves, ac Sabbati Sancti quo ad celebrandum Miſſæ Sacrificium, vt patet ex his verbis: *Nam vtique conſtat Apoſtolos biduo iſto, & in mærore fuiſſe, & propter metum Iudæorum ſe occuluiſſe. Quod vtique non dubium eſt, in tantum eos ieiunaſſe biduo memorato, vt traditio Eccleſiæ habeat, iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Sed Eccleſiæ traditio circa celebrationem Miſſæ in die Paraſceves ſub mortali obligat, vt omnes fatentur: ergo etiam in die Sabbati Sancti, ſeu maioris hebdomadæ, excepta Miſſa ſolemni, quæ ab Eccleſia poſtea introducta, & permiſſa eſt. ¶ Secundo: Nam in Miſſa illius diei nullus ponitur Introitus pro Miſsis privatis: ergo quia ſupponit Eccleſia non eſſe dicendas, ſine Introitu enim dici non licet. ¶ Confirmatur à paritate Vigiliæ Pentecoſtes, quæ officium ſolemne habet ſimile Sabbati Sancti officio; & tamen pro Miſsis privatis aſsignatur in fine Introitus: ergo in Sabbato Sancto ſi non aſsignatur, eſt quia cenſet Eccleſia non poſſe tunc licite dici. ¶ Tertiò: Quia conſuetudo Eccleſiæ ſolum derogavit ius antiquum ſupra relatum quo ad vnicam Miſſam ſolemnem in vnaquaque Parrochiali Eccleſia, nec quo ad privatas alicubi datur contraria conſuetudo: ergo quia illicitum eſt. ¶ Quartò: Quia vt ait Navarrus in Sum. cap. 25. num. 88. Miſſa ſolemnis, quæ in Sabbato Sancto dicitur, non eſt eiuſdem diei, ſed noctis Reſurectionis, vt ſignificat Collecta, quæ incipit: *Deus, qui hanc Sacratiſsimam noctem, &c.* Quamvis imbecillitas humana tanti ieiunij impatiens, qualis *in cap. ſupra* relato deſignatur, ad horam reliquarum retraxerit: ergo evidens ſignum eſt, quod pro hac die non eſt ab Eccleſia officium Miſſæ particulare deſignatum. Et ſic videtur illud confingere Ledeſma, & Diana.

Vlterius probatur.

70 Quintò ſuadetur à Villalobos ſic: *En el año de 1606. que cayò la Anunciacion en Sabado, conſultò el Obiſpo de Salamanca Letrados para eſte caſo, y reſolvieron, que no ſe dixeſſen;* (Miſſæ vtique privatæ) *y lo miſmo fue en Valladolid, donde eſtaba à la ſazon la Corte; y no ſabemos, que en parte ninguna ſe aya hecho lo contrario.* ¶ Sextò ſuadetur ex ſequenti decreto S. Congregat. Rit. ab Alexandro Papa VIII. confirmato. Cuius hic eſt tenor: *Cum Sabbato Sancto proxime futuro occurrat feſtum Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ, dubitatum fuit, an debeant celebrari Miſſæ privatæ ad effectum, vt Chriſti fideles commode ſatisfacere poſsint præcepto audiendi Miſſam? Et S. Rit. Congregatio ad relationem Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinalis Colloredi, re mature perpenſa, cenſuit prædictum feſtum Annunciationis vna cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus, in Eccleſia vniverſali transferri debere ad feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, protractis omnibus aliis feſtis, quæ non ſunt altioris ritus ad aliam diem iuxta Rubricas Breviarij Romani. Celebrationem quoque Miſſarum dicto die Sabbati Sancti omnino prohibendam in quibuſcumque Eccleſijs, & Oratorijs privatis, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium; & vnicam Miſſam conventualem vna cum officio eiuſdem Sabbati Sancti celebrandam fore præcepit, ſi Sanctiſsimo N. placuerit. Hac die 11. Februarij 1690. Et facto de prædictis per me Secretarium verbo cum Sanctiſsimo, Sanctitas ſua benigne annuit, ſenſum S. Congregationis approbavit, ac præſens decretum edi, & imprimi mandavit, hac die 12. Februarij 1690. A. Card. Cybo. Loco ſigilli Laurentius Fliſcus Secretarius.*

Concluditur præcedens doctrina.

71 En vbi feſtum Annunciationis non ſolum, ſi in die Sabbati Sancti venerit, transferri debere cenſuit Summus Pontifex, verum & Miſſas privatas eo die omnino dici prohibuit: ergo noſtra reſolutio poſt hoc decretum tenenda eſt. Et ex his ad rationem ſen-

tentiæ contrariæ iam liquet. Hanc sententiam tenent Navarrus in Sum. cap. 25. num. 88. Francolinus tract. de Temp. Hor. Canon. cap. 30. num. 2. Azor 1. part. lib. 10. cap. 24. q. 4. Gabantus in Rubric. Missal. part. 4. tit. 10. Vazquez in 3. part. tom. 3. disp. 122. cap. 2. num. 24. Villalobos loco supra citato. Reginaldus in Praxi Fori Pœnit. lib. 29. cap. 9. num. 170. & alij plures quos dedimus tom. 1. tr. 5. cap. 4. num. 6.

Si in die Parasceves Annunciationis festum inciderit omnino transferendũ est.

72 Rogabis secundò: An si incidat hoc festum in die Parasceves, teneantur fideles audire Sacrum? Respondetur negative; vnde ex auctoritate Apostolica, & non Episcopali, transferendum est in aliam diem. Ratio est: quia si quando in die Sabbati Sancti occurrit festum Annunciationis transfertur in aliam diem, quanto magis dum in Parasceves occurrit, in quo nulla Missa adhuc solemnis dicitur, sed tantum hostia antecedenti die consecrata consumitur? ergo, &c. Deinde teste Gabanto loc. cit. tit. 9. num. 24. S. Congregario die 19. Februarij 1622. vetuit Missam dici hac die, etiam in æde Lauretana, & ratione concursus populi, & festi titularis Ecclesiæ; sed dum non licet audire, aut dicere Sacrum, nec festi solemnitas obligat: ergo die Parasceves non tenentur fideles ad audiendum Sacrum, festum que servandum; sed ad aliam diem ex auctoritate Apostolica transferendum est: sic Barbosa de Offic. Parroch. part. 1. cap. 11. num. 47. Fagundez de præcept. Ecclesiæ, præcept. 1. lib. 3. cap. 4. n. 19. Sanchez in Select. disp. 32. num. 3. Molfesius in Theol. Moral. lib. 4. tract. 5. cap. 17. n. 40. ¶ Quibus addenda est alia novissima declaratio S. Congregationis Rit. 11. Martij 1690. approbata ab Alexandro Papa VIII. in qua transfert dictum festum, & officium Annunciationis ad feriam secundam post Dominicam in Albis.

Duo notanda.

73 Hic notantur duo à Barbosa, primò: quod, si dictum festum occurrat in alia die maioris hebdomadæ, etiam non licet, illud celebrare, ex decisione S. Congreg. Rit. 15. Martij 1614. ¶ Secundò: quod, si incidat in Dominica Quadragesimæ, transferendum est, nisi in Ecclesijs sub Annunciationis nomine dedicatis. Sic. S. Rit. Congreg. in Vlixbon. 2. Septembris 1612. censuit.

De festo Assumptionis.

74 Tertia Beatæ Mariæ festivitas est *Assumptionis*, quam ab omnibus sub præcepto observari debere, docent expresse Concilium Lugdun. in cap. *Pronunciandum*, *de consecr.* dist. 3. & Vrbanus VIII. in verbis Bullæ supra relatæ, & omnes Canonistæ in cap. *Conquestus*. Quando vero hoc festum incæperit dubia sententia est. Nam aliqui credunt, esse quasi Iuris Divini. Sic tenent Ioann. Andr. in cap. *Licet*, *de ferijs*, & Angelus verb. *Feriæ*, num. 3. Sed hoc ex supra dictis patet esse falsum: quare vt probabilius tenendum est, hanc festivitatem esse non ex Iure Divino, sed ex Ecclesiæ præcepto; est tamen adeò antiqua, vt vel ab Apostolis emanaverit, vel Ecclesiæ traditione ab immemorabili introducta, & postea lege Ecclesiastica firmata fuerit, vel denique post Concilium Ephesinum celebrari cæperit; cum ab eo tempore ob hæresim Nestorianam, Beatam Virginem Mariam omnes impensius colere studuerint. Videantur Divus Bernardus epist. 174. Nicephorus lib. 17. cap. 28. Andreas Cretensis. Damascenus Nat. 2. de dormit. Virginis, & alij Sancti Patres. Nec non Azor lib. 1. cap. 20. quæst. 1. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 8. num. 13. Filliucius tom. 2. tract. 25. cap. 4. quæst. 8. n. 57. Durandus lib. Ration. Offic. cap. 24.

De festo Nativitatis Virginis Mariæ.

75 Quarta festivitas Beatæ Virginis Mariæ sub præcepto servanda est eius Nativitas. Constat hoc ex cap. *Pronunciandum*, dist. 3. *de consecratione*, constat etiam ex Bulla relata Vrbani VIII. vbi expresse sic præcipitur. Quando vero hæc solemnitas inceperit celebrari, dubia quæstio est; & solum certo affirmare licet, esse satis antiquam, & multis in locis à mille annis iam coli. Nam liber, cui titulus *Ordo Romanus* de ea meminit, & processionem in ea fieri, Ecclesiam ordinasse, refert. Deinde Sanctus Ildephonsus in lib. de Virginit. Beatæ Mariæ huius festi mentionem facit, & idem videtur in Martyrologijs Adonis, Vsuardi, Bedæ, & denique in Romano sexto Idus Septembris: quæ omnia satis innuunt, quam per antiqua sit prædicta festivitas. Quapropter concludit Azor cap. 19. q. 1. sibi esse verisimile temporibus Ephesini, & Chalcedonensis Concilij natalem Deiparæ inter dies festos celebrari; sed rectius Suarez cap. 8. num. 10. ait: initium huius festivitatis esse incertum, & solum consuetudine in principio fuisse introductam, & tandem Iure Canonico vim huius præcepti declaratam.

§. IV.

Digressio circa festum Conceptionis Immaculatæ Beatæ Virginis Mariæ.

De Conceptione Immaculatæ Virginis Mariæ.

76 HIc solent aliqui annectere festivitatem Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, quorum morem gerentes, & quia, vt ait Divus Bernardus: *Non patitur nostra devotio, te, ô Virgo Sacratissima, silentio præterire*; de ea aliquid dicere oportunum iudicamus. De antiquitate ergo huius solemnitatis aliqui docent, quod celebrari hæc festivitas cæperit tempore Divi Bernardi circa annum 1145. in Ecclesia Lugdunensi, vt constat ex epistola eiusdem Divi Bernardi 175. vbi Canonicos Regulares reprehendit, quod absque decreto Romanæ Ecclesiæ festum Conceptionis prætextu cuiusdam supernæ revelationis celebrare conarentur. Alij vero dicunt: quod prius in Anglia auctoritate Sancti Anselmi celebrari cæperit: deinde in Ecclesia Lugdunense, & denique in Romana, licet non ex præcepto, sed ex devotione. At absque dubio hoc festum altius in nostra Hispania fixit radices: *A tempore Apostolorum*, ait Flavius Dexter, qui floruit anno 430. *celebratur in Hispania festum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ.* Et antea anno 308. inquit: *A Iacobi prædica-*

ca-

catione celebratur in Hiſpania feſtum Immaculatæ, & illibatæ Dei Genitricis. ¶ Sed quid quid ſit de hoc Sixtus IV. in Conſtitutione edita tertio Kalendas Martij ann. 1466. quæ incipit: *Cum præ excelſa*; & habetur inter extravagantes communes lib. 3. tit. *de reliquijs, & veneratione Sanct.* Miſſam, & officium Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis ordinavit, & ſtatuit, quod qui prædictum officium in die feſtivitatis Conceptionis Beatæ Virginis, & per Octavas recitaverint, aut horis canonicis ea die interfuerint, aut Miſſam celebraverint, eaſdem indulgentias lucrentur, ac pro die Corporis Chriſti Vrbanus IV. & Martinus V. conceſſere eis, qui Miſſam tunc celebrant, & divinis officijs interſunt. Et Conſtitutione ſequenti edita pridie nonas Septembris ann. 1483. quæ incipit: *Grave nimis.* Ipſo facto excommunicat Prædicatores aſſerentes, mortaliter peccare, & eſſe hæreticos, qui credunt Beatam Virginem in peccato originali non fuiſſe conceptam; & ſimiliter eos, qui docent, graviter peccare eiuſdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audientes que ſermones illorum, qui eam ſine huiuſmodi macula conceptam eſſe, affirmant. Et in hac Conſtitutione prius dicit Sixtus IV. *Cum Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemper que Virginis Mariæ Conceptione, publice feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc officium ordinaverit: Nonnulli, &c.* In quibus verbis ſupponit Summus Pontifex, hanc feſtivitatem longe antea ab Eccleſia Romana celebrari; vnde conſtat, hunc Pontificem Conceptionis feſtum celebrari præcipere, & ſimul indicat antea iam in Eccleſia Romana coli.

Eadem materia proſequitur.

77 Id ipſum ſupponit Gregorius XV. in Bulla, quæ incipit: *Sanctiſsimus Dominus noſter*, edita anno 1622. & habetur in Bullario Cherub. tom. 4. fol. mihi, 314. in qua, poſtquam confirmat Conſtitutiones Sixti IV. & Pauli V. ſuper Conceptione Beatæ Virginis Mariæ, & vlterius ampliat, addendo in dicta Bulla, quod nullus etiam in colloquijs privatis, audeat aſſerere Beatam Virginem Mariam in originali peccato conceptam eſſe, exceptis his, quibus à Sancta Sede fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum, (ſicut conſtitutione ſequenti, quæ incipit: *Eximij*, data Romæ die 28. Iulij ann. 1622. indulget fratribus Ordinis Prædicatorum, vt in privatis colloquijs, ſeu conferentijs inter ſe duntaxat, & non inter alios, aut cum alijs de materia Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ diſſerere, & tractare valeant.) §. 4. dictæ Bullæ mandat omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus: *Vt in Sacroſancti Miſſæ ſacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publice, quàm privatim, non alio, quam Conceptionis nomine vti debeant.* Inſuper, vt ait Nieremberg in lib. de Perpet. Obiect. Feſti Conceptionis, cap. 21. Pius V. feſtum Conceptionis in officio, & circunſtantia ritus feſto Nativitatis coæquavit. Et Leo X. feſto Aſſumptionis Conceptionem in exemptione Interdicti comparavit, & conceſsit Oppido de Molina, vt in die Conceptionis poſsint dici matutina officia ſicut in die Nativitatis Domini, & à media nocte Miſſas celebrare mutato nomine Nativitatis in Conceptionem. ¶ Denique Alexander VII. ſeptimo anno ſui Pontificatus die octava Decembris anno 1661. edidit conſtitutionem, quæ incipit *Solicitudo omnium Eccleſiarum*, & eſt apud Cherub. tom. 5. Bullar. pag. 346. vbi §. 4. hæc inter alia habet. *Conſtitutiones, & decreta à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & præcipue à Sixto IV. Paulo V. Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis animam Beatæ Mariæ Virginis, in ſui creatione, & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe, nec non in favorem feſti, & cultus Conceptionis eiuſdem Virginis Deiparæ, ſecundum piam iſtam ſententiam, vt præfertur, exhiberi innovamus, & ſub cenſuris, & pœnis, in eiſdem Conſtitutionibus contentis obſervari mandamus, &c.* Vnde conſtat, quam antiquitus feſtivitatem immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ ab omnibus celebrari decreverint Summi Pontifices, & Eccleſiæ Catholicæ Paſtores. Videatur Doctiſſimus N. Silveira opuſcul. 4. de Conceptione immaculata Virg. Mariæ, q. 11. vbi probat, hoc Conceptionis feſtum non ſolum celebratum eſſe ann. 730. 630. & 400. ex Martyrologio Bedæ, Kalendario Sancti Iſidori, & ex Oroſio epiſt. ad Euſtochium; verum etiam oſtendit ex Flavio Dextro, illibatam Dei Genitricis Conceptionem celebrari in Hiſpania à Sancti Iacobi Apoſtoli prædicatione. Ex quibus omnibus patet, quod licet incertum ſit, quo tempore cæperit in Eccleſia cultu publico hæc ſolemnitas venerari; tamen certiſsimum eſt, & præantiquam eſſe, & altas in fidelium cordibus fixas habere radices.

Quam antiqua ſit apud Carmelitas puriſsimæ Conceptionis ſolemnitas.

78 Sed licet Conceptio immaculata Beatæ Virginis Mariæ tam à Romana Eccleſia, quam ab alijs, ab antiquis temporibus celebrata ſit, longe tamen antiquius, & ſolemnius à N. Carmelitarum Religione, vt pote ab ipſa Beata Virgine inſtituta, & fundata, hæc feſtivitas venerata fuit. Nam in primis Protoparens N. Elias in illa nubecula parva, quam de mare aſcendentem conſpexit, non ſolum Beatam Virginem Mariam prophetice agnovit, verum & eius puriſsimam Conceptionem intellexit; cum contemplaretur eam de amaro huius ſæculi mare ſine amaritudine ortam, vt communiter Sacri Interpretes docent, ex hoc textu immaculatam Virginis Mariæ Conceptionem defendentes. De quo videantur Ioannes Hieroſolimitanus lib. de Inſtit. Monach. cap. 32. N. Silveir. tom. 1. in Evang. lib. 1. cap. 3. q. 1. n. 5. & opuſcul. 3. reſolut. 1. q. 3. Salazar ex Societate Ieſu tract. de Concept. cap. 39. argum. 9. num. 11. & cap. 12. argum. 12. & aliæ quam plurimi, quos longum nimis eſſe ſupputare, & hic intexere. Quare Sanctus Methodius homil. de Simeone, & Anna vocat Parentem N. Eliam *Deiparæ puritatis præſcium.* Hanc ergo puriſsimæ Conceptionis Deiparæ notitiam cælitus hauſtam Protoparens Elias Sancto Eliſeo manifeſtavit, & hic cæteris Prophetarum filijs (vt indicat idem Sanctus Methodius in eadem homil.) ex quibus

perpetua, & constans traditio ex tunc in hoc nostro Carmelitarum Ordine fuit, Deiparam ab omni Originalis peccati labe immunem tam in Conceptione, quam deinceps futuram esse; & ideo ab anno mundi termillesimo, centesimo, vigesimo, sexto, & ante Christum non gentesimo vigesimo septimo vsque ad hæc tempora Conceptio purissima Beatæ Virginis Carmeliticæ Religioni in honore, & cultu fuit; quare merito N. Doctissimus Ioannes Bacho, qui floruit circa annum 1200. potuit dicere in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 3. *Publica, & diuturna consuetudine celebratum est hoc festum in Curia Romana, etiam cum venerabili Congregatione Dominorum Cardinalium cum solemni Missa, & Sermone singulis annis in domo Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo: & hæc duraverunt tempore multorum Romanorum Pontificum vsque in præsens tempus.* Et Silveira docet loco citato cum pluribus Doctoribus, quos ibi allegat num. 5. Eliæ filios, eius traditione imbutos, anno post Christum 83. in Monte Carmelo in honorem immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ quandam Capellam instituisse. Qua propter Petrus Ojeda, & Ferdinandus Quirinus de Salazar Societatis Iesu nostro Ordini gratulantur, vt refert Daniel à Virgine p. 4. Speculi Carmelit. de festo Concept. num. 2637. pag. 768. quod à duobus millibus, quingentis, & amplius annis huius traditionis pro immaculata Virginis Conceptione testimonium proferre possit. Gaudeat ergo nostra Mariana Religio tanto illustrata fulgore, tanto Virginis decorata patrocinio, tanto que immaculata Conceptionis dealbata candore.

Hæc festivitas ab vniversali Eccle sia non colitur.

79 Ex huc vsque dictis constat antiquitas, & vniversalis cultus Solemnitatis Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ. Restat nunc videre, an sit præceptum obligans sub mortali ad talem diem, vt festivum observandum? Ad quod respondetur primo, quod si loquamur de Ecclesia vniversali, non datur præceptum ad talem diem vt festum observandum, sed solum tenentur Ecclesiastici ad Officium Divinum, prout pro Conceptione est institutum, recitandum. Primum constat ex Constitutionibus Summorum Pontificum, quas huc vsque retulimus, quia in nulla earum talis festivitas sub præcepto observari præcipitur. Secundum patet ex eisdem bullis, in quibus Officium Divinum de hac solemnitate recitari ab vniversis Ecclesiasticis præcipitur, & ideo iam in corpore Breviarij Romani collocatur.

Conceptionis festum ab Hispanis sub præcepto observatur.

80 Si autem sermo sit de aliquibus Provincijs, seu Regnis, dicendum est in nostra Hispania immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem vt diem festum sub præcepto obligans ab omnibus observari. Quod non aptius demonstrare possumus, quam transcribendo Bullam editam ab Innocentio X. ad instantiam nostri Catholicissimi Regis Philippi Quarti, quæ sic se habet.

*** *** *** *** *** ***
*** *** ***

INNOCENTIUS PAPA X.

AD futuram rei memoriam. In his quibus Beatissimæ Virginis Deiparæ Mariæ cultus, & veneratio promovetur in terris, auctoritatis nostræ partes propensis studijs interponimus, & piorum Regum id exponentium acta libenter exaudimus. Cum itaque in Constitutione pro observatione festorum à fœlicis recordationis Vrbano Papa VIII. prædecessore nostro edita, quæ incipit *Vniversa*, non ponatur inter festa de præcepto festum Conceptionis eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ, & tollantur contrariæ consuetudines; charissimus autem filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, sicut Nobis, illius nomine, expositum fuit per dilectum filium nobilem virum Ioannem de Velasco, & de la Cueba Comitem de Siruela, ipsius Philippi Regis ad Apostolicam Sedem Oratorem, cupiat in dominijs eiusdem Philippi Regis festum Conceptionis huiusmodi, aut de præcepto indici, aut ad antiquam eorum consuetudinem, & possessionem, vel quasi illud celebrandi, restitui.

Nos dicti Philippi Regis erga eandem Beatissimam Virginem devotionis affectum summopere in Domino comendare, ac eius desiderio huiusmodi favorabiliter annuere volentes, de Venerab. Fratr. nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, quoad festum Conceptionis prædictæ Deiparæ Virginis in Regnis Hispaniarum tantum, obstaculum dictæ Constitutionis nostri prædicti prædecessoris, Apostolica auctoritate tenore præsentium removemus. Non obstantibus prædictis, alijs que Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæteris que contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij Publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique habeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decima Novembris, millesimo, sexcentesimo, quadragesimo quarto. Pontificatus nostri anno primo.

Traditæ doctrinæ conclusio.

81 Ex quibus verbis aperte constat festum Conceptionis Beatæ Virginis in omnibus Hispaniæ Regnis sub gravi culpa ab omnibus observari debere: quia licet Summus Pontifex tantum dicat, quod obstaculum Constitutionis Vrbani VIII. quoad festum Conceptionis removet, tamen cum asserat quod vult favorabiliter annuere precibus Catholici Regis Philippi Quarti, & hic petivit, vt huiusmodi festum Conceptionis, vel sub præcepto indicatur, aut iuxta antiquam Hispanorum consuetudinem observetur. Et consuetudo Hispaniæ vim legis habet, & semper tanquam de præcepto dictum festum observarit; ideo quodcumque ex his duobus affirmetur, concessisse Summum Pontificem, sequitur sub mortali hoc festum Hispanos obligare.

Ma-

An hoc Conceptionis festũ ad omnia Dominia Hispani Regis extendatur?

82 Maior tamen difficultas est: An omnia Regna, quæ dictioni Regis Hispaniæ subiecta sunt, debeant sub præcepto festum Conceptionis servare? Et ratio dubitandi est, primò: quia præcepti obligatio est odiosa; sed odia sunt restringenda, aut saltem interpretanda iuxta proprium verborum sensum: ergo cum Summus Pontifex solum concedat huiusmodi festum sub præcepto observari in Hispaniæ regnis, pro his tantum intelligendum est; sed Hispaniæ regna in rigore accepta solum dicuntur, quæ in hac Peninsula continentur, non vero quæ in Italia, Indijs occidentalibus, & orientalibus, Belgio, &c. existunt: ergo pro illis tantum verba dictæ Bullæ intelligenda sunt. ¶ Secundò: Etenim Summus Pontifex expresse ait, quod dictum festum observetur *in Regnis Hispaniarum tantum*; sed hæc dictio *Tantum* est taxativa includens expressum, reliqua vero excludens: vt constat in leg. *Qui Sella*, §. *Qui actum*, *ff. de servitutib. rusticor. prædior.* Et leg. *Qui aliena*, §. *Libertos*, *ff. de negotijs gestis*, & notant communiter Doctores, vt Bart. in leg. 1. num. 1. Abbas consil. 51. lib. 1. Tiraquel. de Retractu Convent. §. 1. glossa 6. num. 2. & 8. & alij: ergo ad alia regna, quæ in rigore Cosmographo Hispaniæ non sunt, non extenditur dicta obligatio. ¶ Tertiò: Si alia regna sub hac obligatione vellet Summus Pontifex comprehendere, exprimeret vtique, sicut exprimit in Bulla Cruciatæ; sed ea non exprimit, imò expresse excludere per particulam *Tantum* videtur: ergo sub hac obligatione non comprehenduntur. ¶ Quartò: Consuetudo observandi Conceptionis festum in Hispania maxime antiquitus viguit: ergo cum Summus Pontifex hoc festum ad antiquam consuetudinem reducere hoc decreto velit, minime alia regna extra Hispaniam existentia obligare iutendere, credendum est.

Propria mẽs declaratur.

83 Sed his non obstantibus, tenendum est, Conceptionis festum post hanc Innocentij Bullam, servandum sub præcepto esse eo modo, quo in omnibus Regis Hispani dominijs antea observabatur; taliter quod si alicubi non obligabat sub præcepto, nec nunc etiam obligabit. Ad quod asserendum movemur primò: Quia in qualibet materia verba magis sunt intelligenda secundum communem vsum loquendi, quam secundum rigorosam verborum significationem. Ex l. *Labeo*, §. *Idem Tubero*, *ff. de supell. leg.* sed iuxta communem modum loquendi, Hispaniarum regna significant omnia regna, quæ Regi Hispaniæ subduntur: ergo illa verba dictæ Bullæ: *In Regnis Hispaniarum* omnia regna dictioni Regis Hispaniæ subiecta comprehendunt. Tum: quia vt docet Barbosa de Appellat. verb. Appellat. 95. vbi aliquid conceditur pro regnis Hispaniarum Regis, includitur Neapolis Regnum: ergo cum eadem ratio sit de alijs regnis extra Hispaniam existentibus, subiectis tamen Hispaniarum Regi, etiam ipsis concessum, credendum est. Tum etiam: quia quando Rex nostræ, v. g. Philippus Quintus, Hispaniarum Rex dicitur, appellatur sic ratione maioris dignitatis, & potestatis. Argum. leg. *Quæritur*, *ff. de statu homin.* & leg. *Cum in diversis*, *ff. de relig.* & *sumpt. funer.* Et ita fuit decisum in Rota apud Mant. decis. 59. & Barbosam loco allegato: ergo dum in hoc Pontificis decreto exprimuntur Regna Hispaniæ tantum, solum est ad excludenda aliorum Regum dominia, non vero cætera regna Regi Hispaniæ subiecta. ¶ Secundò: Quia Rescriptum Principis (maxime si gratiæ sit) intelligendum in dubio est iuxta narrativam petentis. Argum. leg. *Fluminum*, §. *Vitium. Vers. Idem Servius de damno infect.* leg. *Papinianus*, §. *vlt. ff. de inofficiosis testamentis.* Sed ex narrativa Bullæ allegatæ constat, Comitem de Siruela ab Innocentio X. petiviſſe, vt pro omnibus dominijs Hispaniarum Regis Conceptionem Beatissimæ Virginis coli sub præcepto iuberet: ergo sic in dicta Bulla asserendum est, concessisse.

Vlterius probatur.

84 Tertiò: Nam Summus Pontifex ait, quod *Desiderio Regis favorabiliter annuere volentes, quo ad festum Conceptionis prædictæ Deiparæ Virginis in Regnis Hispaniarum tantum obstaculum dictæ Constitutionis nostri prædecessoris Apostolica auctoritate tenore præsentium removemus.* Sed non favorabiliter, hoc est cum tota amplitudine, sed cum restrictione, & non iuxta Regis petitionem concederet, si ad solum dominia intra Hispaniam contenta dictum festum indiceret, vt constat: ergo cum iuxta axioma 61. de regulis iuris, in 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Et aliud axioma 15. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Dicendum est, Summum Pontificem iuxta Regis Desiderium pro omnibus suis dominijs festum Conceptionis instituisse. ¶ Vltimò: Quia licet dictio *Tantum* appositа in dicta Bulla sit taxativa, non propterea excludit casus similes, vt notant Glossa in leg. *Ob æs. Cod. de prædijs minorum*; & in leg. *Si mora*, verb. *Duntaxat*, *ff. soluto matrimonio*; docent que Bart. Tiraq. Jason. Ceval. & alij apud Barbosam de Dictionib. diction. 402. Ergo cum eadem ratio, & similitudo sit in Hispaniæ Regnis, ac in alijs Regi Hispaniarum dominijs, pro nullo, aut pro omnibus Summus Pontifex Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ festum indixit.

Rationibus in contrarium adductis fit satis.

85 Ad primam rationem dubitandi respondetur hoc præceptum non esse odiosum, sed potius animabus valde favorabile, in Beatissimæ que Virginis honorem cedens, ab omnibus que Christi fidelibus toto corde exoptatum; quare non restringi, sed potius illud ampliare debemus. Maxime cum hic Summus Pontifex novam non inducat obligationem, sed solum hanc festivitatem ad pristinum reducat statum: quare si antea in aliquibus Regis Hispaniarum dominijs vt festum non colebatur, nec post hanc Bullam ad illud colendum obligat. ¶ Ad secundam patet ex vltima ratiohe nostræ conclusionis probativa. ¶ Ad tertiam dicimus, quod in præsenti necessarium non fuit exprimere alia regna; tum: quia id virtualiter, & satis manifeste indigitat, dum ad instantiam, & Regis petitionem prædictum festum indicit; tum: quia vt vidimus

mus Hiſpaniarum nomine, alia regna Regi Hiſpaniæ ſubiecta apud omnes communiter intelliguntur. ¶ Ad quartam reſpondetur, quod licet Conceptionis Beatiſsimæ Virginis Mariæ cultus apud Hiſpanos antiquitus viguerit, tamen non minus devote ab Italis eidem puriſsimæ Virgini feſtiva ſolemnitas multis ab hinc annis dicata fuit, vt late comprobat Salazar de Concept. cap. 35. argum. 8. §. 6. num. 38. & 39. Quare cum in Italia Hiſpaniarum Rex plura dominia habeat, nec in hoc cultu impares Hiſpanis ſe credant Itali non eſt efficax ratio ad probandum, ex quorum ferventiori erga Deiparam devotioni Pontifex motus fuit ad hoc feſtum indicendum.

§. V.

De diebus feſtis Dedicationis Sancti Michaelis, Nativitatis Ioannis Baptiſtæ, & Chriſti Apoſtolorum.

Quædam ſupponuntur.

86 POſt Chriſti, & Beatæ Mariæ Virginis enumeratos dies feſtos, refert Vrbanus VIII. quos ad Sanctos particulares attinent, & primo loco ſupputat diem feſtum *Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli.* Sed antequam de eo diſeramus, ſupponendum eſt, vt fide certum, poſſe Eccleſiam, valde que rationi conſonum eſſe, aliquos dies feſtos in honorem Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum inſtituere. Quod conſtat: tum ex perpetua Eccleſiæ traditione, vt colligitur ex Tertuliano lib. de Corona Militum. Clemente lib. 8. Conſtit. cap. 33. Divo Cypriano Epiſt. 34. & 37. Divo Iſidoro lib. 1. de Divin. Officijs, cap. 34. Divo Auguſtino lib. 8. de Civit. Dei, cap. 27. & alijs Sanctis Patribus; tum etiam ratione. Nam Sacti digni ſunt, vt venerentur cultu religioſo, vt diximus tract. 21. cap. 10. punct. 4. à num. 26. & talem cultum deſignare, Eccleſiæ poteſtatem non excedit, vt conſtat; ſed feſtos dies inſtituere, eſt eos ſanctificare ad cultum religioſum tribuendum Sanctis, vel, vt melius dicam, ad Deum in Sanctis venerandum, externo que cultu colendum, cum Sancti ſint amici, & miniſtri Dei, & pro vt tales à fidelibus venerentur: ergo poteſt Eccleſia ſancte, & honeſte dies feſtos Deo in peculiarem aliquorum Sanctorum venerationem dicare. ¶ Deinde: quia vt ait Div. Auguſt. Serm. 47. de Sanct. *Ab ipſis enim Sanctorum Martyrum in veritate feſti vitatum gaudia celebrantur, qui ipſorum Martyrum exempla ſequuntur. Solemnitates enim Martyrum exortationes ſunt Martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Quapropter Sanctorum exemplis, & memoria eorum religioſæ vitæ, fides excitatur, ſpes erigitur, charitas augetur, labores, & erumnæ ſuaviter devorantur, & omnia adverſa ob Chriſtum dulci, alacri que animo deſiderantur, appetuntur, inhiantur, & ſufferuntur: ergo iuſtum, valde que vtile eſt has ſolemnitates inſtitui ab Eccleſia. Quapropter his rationibus moti Summi Pontifices aliquos dies feſtos in Sanctorum honorem Deo dicarunt. Vt patet ex cap. *Pronunciandum, de conſecrat. diſtinct. 3.* & cap. *Conqueſtus, de ferijs*; & denique ex decreto Vrbani VIII. ſupra relato. Hac ergo veritate, vt de fide, ſuppoſita adverſus hæreticos, qui contra hanc feſtorum obſervationem, ſicut & contra alia Eccleſiaſtica præcepta iniuſte, & ignoranter oblatrant, deſcendimus iam ad particulares Sanctorum feſtos dies explicandos eo ordine, quo ab Vrbano VIII. numerantur.

De feſto Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli.

87 Primum ergo Sanctorum feſtum eſt *Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli*, quod occaſione cuiuſdam Templi eidem Archangelo dicati die 29. Septembris ab vniverſali Eccleſia veneratur. Sed revera eo die non ſolum Sancti Michaelis, verum etiam omnium Angelorum memoriam Eccleſia concelebrat. Quando vero primò hoc feſtum inſtitutum ſit? dubiæ eſt reſolutionis; veroſimilius tamen eſt, hoc factum fuiſſe tempore Bonifacij II. vt notat Suarez cap. 9. num. 6. Quare falſum eſt, quod ait Azor lib. 1. cap. 25. ante 1. quæſt. hoc accidiſſe tempore Gelaſij Primi: quia huius Pontificis tempore fuit Apparitio in Monte Gargano, vt dicitur in eius legenda apud Brebiar. Roman. die 8. Maij, non autem dedicatio Eccleſiæ eidem Archangelo: quare forte erit in dicto Auctore Amanuenſis æquivocatio.

De feſtivitate Nativitatis Ioannis Baptiſtæ.

88 Secundum feſtum de Sanctis obſervandum ab omnibus ſub præcepto eſt dies Nativitatis Ioannis Baptiſtæ, vt patet tum ex cap. *Pronunciandum, de conſecrat.* diſtinct. 3. & cap. *Conqueſtus, de ferijs*; tum etiam ex Bulla Vrbani VIII. ſupra relata. Ex quibus conſtat etiam, quam antiqua ſit in Eccleſia hæc feſtivitas; maxime cum tempore Divi Auguſtini iam, vt ab immemorabili, coleretur, vt docet idem Sanctus Doctor Epiſt. 118. & 119. Ratio vero quare Eccleſia ſub præcepto obſervet diem Nativitatis Sancti Ioannis, non vero eius Decollationis, ſeu Martyrij, duplex eſſe potuit. Prima: quia ſic videtur innuiſſe Archangelus Gabriel, dum Lucæ 1. v. 14. dixit: *Et multi in Nativitate eius gaudebunt.* Volens his verbis, vt ab omnibus eius Nativitas feſtivis gaudijs, & iubilis celebraretur: tum ob eius ſanctificationem in vtero: tum denique ob miracula, quæ in eius Nativitate acciderunt. Sed quia alias Eccleſia ſolum de Chriſto, & Beata Maria Virgine ſolet plures dies feſtos inſtituere, non vero de alijs Sanctis; ideo tantum Divi Ioannis Nativitatem, non martyrium elegit, vt feſtum celebrandum. ¶ Secunda ratio eſt, vt ait Divus Auguſtinus Serm. 20. de Sanctis: *Quia per hunc* (ſcilicet Ioannem) *Dominus adventum ſuum, ne ſubito homines inſperatum non agnoſcerent, voluit eſſe teſtatum. Ioannes enim figura fuit veteris teſtamenti, & in ſe formam prætulit legis, & ideo Ioannes prænunciavit Salvatorem, ſicut lex gratiam præcucurrit.* Et hæc, inquit hic Sanctus Doctor fuit, abſque dubio cauſa, quare non martyrium, ſed Nativitas Baptiſtæ præ alijs Sanctis debeat celebrari. Idem repetit Serm. 21. Videantur Azor lib. 1. de tertio Decal. præcept. cap. 25. in princip. & Durand. lib. 7. Rat. Div. offic. cap. 14.

Ter-

De festo Apostolorũ Divi Petri, & Divi Pauli.

89 Tertium festum, sub præcepto ab omnibus obseruandum, est dies *Martyrij Apostolorum Petri, & Pauli*, vt constat ex iuris capitibus supra relatis, & ex Bulla Vrbani VIII. Et licet aliqui crediderint, quod esto eodem die Romæ hi Beatissimi Apostoli passi fuerint, non tamen eodem anno; veruntamen omnino certum est, quod eodem die, & anno, scilicet anno Christi sexagesimo nono, & Neronis Imperatoris decimo tertio, Divus Petrus, & Paulus tertio Kalendas Iulij martyrio Romæ coronati sunt: & ideo in hac die ab Ecclesia celebrantur. Quam vero antiqua sit hæc festivitas in Ecclesia, patet ex Clemente lib. 8. Apostolic. Constit. cap. 33. & 43. vbi vniversaliter de omnibus Apostolorum festivitatibus sic ait: *In diebus Apostolorum vacent, Magistri enim vestri fuerunt.* Et Divus Hieronymus Epist. ad Eustoch. ait: *Festus est dies, & Natalis Beati Petri festivius est solito condiendus.* Vnde dubium esse nequit, quod à die Martyrij statim ab vniversa Ecclesia hoc festum magna veneratione fuit celebratum. Videantur Durandus supra relatus cap. 15. & Azor cap. 24.

De festo aliorũ Apostolorum.

90 Quarto loco referuntur festivitates aliorum Apostolorum, scilicet Sancti Andreæ, Sancti Iacobi, Sancti Ioannis, Sancti Thomæ, Sanctorum Philippi, & Iacobi, Sancti Bartholomæi, Sancti Matthæi, Sanctorum Simonis, & Iudæ, & Sancti Mathiæ, circa quorum solemnitates nil peculiare nobis occurrit dicendum, nisi quod notat Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 6. num. 18. scilicet, quod licet festum Sancti Bartholomæi Romæ die 25. Augusti celebretur; tamen extra Romam celebratur, & sub præcepto obligat die 24. eiusdem mensis; vel quia sic est consuetudine introductum, vel quia fortasse die 25. corpus prædicti Apostoli Romam est delatum, & ideo vt festivum ibi celebrare Pontifices decreverunt, nolentes ob hoc aliarum Ecclesiarum consuetudinem deturbare. ¶ Præterea circa festum Divi Iacobi Maioris notandum est, quod est valde celebre apud Hispanos; tum: quia in Hispania decimo anno post Christi mortem Evangelium annunciavit, vt tenet communis Ecclesiarum Hispaniæ traditio, & consensus; tum etiam: quia licet Hyerosolimam remeans, ibi martyrium anno Christi quadragesimo tertio prope festum Paschæ decollatus fortiter subierit, tamen eius corpus à Christianis scaphæ impositum, Mediterraneo, & Occeano mari emensis in Galeciam Hispaniæ Provinciam appulit, & Iræ Flaviæ in saxo repositum, deinde que Compostellam translatum est, vbi vsque in hodiernum diem magna populi veneratione colitur; & quem ad modum Hyerosolimam ad sepulchrum Domini, & Romam ad Apostolorum limina, sic etiam Compostellam ad Sancti Iacobi reliquias vndique religionis, & voti causa ex toto orbe Christiano peregrini confluunt. Tum denique: quia plurima beneficia ab hoc Prothomartyre Apostolorum, & Hispaniæ nostræ Patrono, diversis temporibus nostri Reges, & Duces, maxime in bellis contra Sarracenos, & Gentiles receperunt, insignes ab eis eius ope reportantes victorias, quarum ecphrasim in vnum colligere, longum erit, de quo videantur Erze de Adventu S. Iacob. in Hispan. 1. part. tract. 6. cap. 7. à num. 6. Famaius in Martyrolog. Hispan. tom. 4. die 25. Iulij: ergo iure optimo ob tot beneficia eius festivitas debuit apud Hispanos celeberrima esse. At quia dies passionis nostri Apostoli fuit octavo Kalendas Aprilis, & eo tempore Quadragesimali, aut Paschali officio occupatur Ecclesia, ideo vt debito cultu noster honoraretur Apostolus, eius solemnitatem in diem 25. Iulij transtulit Ecclesia, & hac die etiam vt Patronum specialem nostra veneratur Hispania.

§. VI.

De alijs festis Sanctorum Martyrum, & Confessorum.

91 DEinde numerantur ab Vrbano VIII. tanquam festa sub præcepto obseruanda dies *Sancti Stephani Prothomartyris, Sanctorum Innocentium. Sancti Laurentij Martyris. Sancti Sylvestri Papæ, & Confessoris. Sancti Ioseph etiam Confessoris, & Sanctæ Annæ Deiparæ respective Sponsi, ac genitricis. Solemnitatis omnium Sanctorum.* De quibus hic etiam aliquid dicere opportunum duximus, eo ordine quo à Summo Pontifice numerantur.

De festo Sancti Stephani Prothomartyr.

92 Primo igitur loco ponitur à Summo Pontifice in verbis supra relatis dies festus Sancti Stephani Prothomartyris. Quæ festivitas quam antiqua in Ecclesia sit, constat tum ex cap. *Pronunciandum, de consecrat. distinct. 3.* & cap. *Conquestus, de ferijs*, vbi hic dies recensetur; tum, quia illius specialiter meminit Clemens lib. 8. Constit. cap. 33. & similiter alij Sancti Patres Fulgentius, Augustinus, & Nisenus de ea diversas ad populum conciones habuerunt. ¶ Quando vero Protomartyr Stephanus passus sit, non est vna Doctorum sententia. Aliqui enim asserunt, passum fuisse die tertia Augusti eiusdem anni, ac Christus crucifixus fuit; cæterum, postquam eius reliquiæ anno 415. inventæ sunt cum corporibus Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, dicta festivitas translata fuit in diem vigesimam sextam Decembris, quia hic fuit dies prædictæ inventionis. Sic Durandus in Rational. lib. 7. cap. 21. & 42. ¶ Sed hæc sententia falsa est. Tum: quia ante prædictum annum iam natalis Sancti Stephani in Ecclesia celebrari consueverat die vigesima sexta Decembris, vt ex Sermonibus Divi Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum constat. Tum etiam: quia Ecclesia die 26. Decembris martyrium Sancti Stephani, eius que in cœlum ascensum concelebrat, vt ex officio Ecclesiastico huius diei patet: ergo falsum est passum fuisse die tertia Augusti. ¶ Alij vero sentiunt passum esse die 26. Decembris eodem tamen anno, quo Christus ad cœlos ascendit. Sed hæc sententia etiam displicet ob immediate dicenda. Quare vt probabilius tenen-

nendum est, Sanctum Stephanum martyrium subisse die 26. Decembris anno secundo post Christi passionem. Et ad hoc movemur ex eo, quod Iulianus Archipresbyter Toletanus in Chronic. num. 16. fol. 13. ex Divo Ignatio Epist. ad Trallianos refert, Protomartyrem Stephanum in munere Diaconi Sancto Iacobo Hispaniæ Patrono, & Hyerosolimitano Episcopo deservisse. Idem tenent Tamaius tom. 4. Martyrol. Hispan. die 25. Iulij, pag. 240. Ex quo infert, & optime, Azor tom. 2. lib. 1. cap. 25. plus temporis, quam assignat secunda opinio, post Christi mortem vixisse. Vnde verius est, quod secundo anno post Christi passionem die 26. Decembris martyrio coronatus est; & ideo prædicta die eius festivitas solemniter celebratur.

De festo Sanctorũ Innocentium.

93 Secundo loco occurrit festum Sanctorum Innocentium, qui Christi nomen non loquendo, sed moriendo confessi sunt: cuius festivitatis antiquitas colligitur ex capitibus Iuris Canonici sæpius relatis, & ex Origine, qui Homil. 3. in diversos, de eis sic loquitur: *Horum memoria semper, vt dignum est, in Ecclesia celebratur, secundum integrum ordinem Sanctorum, vt primorum Martyrum pro Domino occisorum; & vt ipsa Bethleem primitias Domino Martyrum, in qua natus est ipse Salvator, obtulisse videatur.* Quare audiendus non est Caietanus in Sum. verb. *Festa*, qui sentire videtur hoc festum vbique non observari, & idem docent alij Doctores vt Filliucius tract. 27. num. 71. & Azor 2. part. lib. 1. cap. 25. quia dicti Doctores scripserunt ante decretum Vrbani VIII. & antiquitus dicta opinio suam probabilitatem habuit; at post dictum decretum, quid quid dicat Quintana-Dueñas tract. 1. singul. 2. falsa omnino est.

De festo Sancti Laurentij Martyris.

94 Tertio loco numeratur festivitas Sancti Laurentij Martyris, cuius solemnitas etiam constat ex cap. *Pronunciandum*, & cap. *Conquestus* iam supra citatis. Quam iure optimo lætabunda concelebrat Ecclesia, quia licet fuerit Apostolis in doctrina subpar, attamen in Dominicæ confessionis defensione haud impar extitit. Ignis enim Spiritus Sancti in corde eius adeò exarsit, vt non solum omnia Diaboli ferrea tormenta vicerit, verum & carbonum ardentium ignem superaverit, alacer que tyrannum exprobaverit, dum in craticula superpositus vreretur, dicens. Miser ecce vnam mei corporis assasti partem, regyra & alteram, ne ex ea insipidum tibi præpares cibum. Et dum carnifices iam defessi recessissent, tunc cœlum blando vultu aspiciens quarto Idus Augusti anno 261. Valerio, & Galieno Imperatoribus invictumSpiritum nobilis hic noster Celtiber ad cœlos emisit. Vnde merito vniversalis Ecclesia eodem die eius festivitatem sub præcepto, cum vigilia, & ieiunio concelebrat. In quibus præ alijs Martyribus prævilegiatus extat, cum solus ipse habeat ex institutione Ecclesiastica ieiuninum; vt optime notat Durandus in Rational. lib. 7. cap. 23. num. 5.

De festo Sancti Syl. vestri.

95 Quarto referuntur dies festi aliquorum Sanctorum Confessorum, & inter eos primum locum obtinet dies Sancti Sylvestri. De quo licet Azor part. 2. lib. 1. cap. 25. & Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 9. num. 20. dicant quod solum Romæ, vt dies festus observatur, quia alibi contraria consuetudine est abrogatus, tamen hi Doctores scripsere ante decretum Vrbani VIII. & sic nil mirum, quod hæc protulerint. At post dictum decretum, certum est ab vniversali Ecclesia, vt festum observari; quia de eo eodem modo loquitur Vrbanus VIII. ac de reliquis diebus festis; vnde licet ex cap. *Conquestus*, *de ferijs*, & cap. *Pronunciandum*, *de consecrat.* forte vt festus celebrari apud omnes non deberet, tamen iam nunc nullus de eo ambigendi locus remanet, quid quid scrupulose dicat Quintana-Dueñas ad 5. Eccles. præcept. tract. 1. singul. 2.

De festo Sancti Ioseph.

96 Secundo loco inter Sanctorum Confessorum festa connumeratur dies Patriarchæ, & castissimi Deiparæ Sponsi Sancti Ioseph, cuius festivitas in antiquis decretis non legitur, & solum Gavantus in Rubric. Brebiar. sect. 7. cap. 5. num. 19. de ea sic ait: *Ioseph. In Append. Gregor. cum titulo Nutritoris Domini. Renovavit festum Sixt. IV. Præcepit diem populo festum Gregorius XV. cum decreto S. Rit. Congregationis. 8. Maij 1621. Duplex in Brev. 1550. Pius V. mutavit officium, quod prius erat totum de eo propriss imum.* Ita ad vnguem Gavantus. Sed Barbosa de offic. & potest. Parrochi, part. 1. cap. 16. num. 17. affert verba dictæ Congregationis sub hac forma: *Sacra Congregatio Rituum S. D. Gregorio XV. approbante censuit diem festum Sancti Ioseph Sponsi Beatissimæ genitricis Dei Mariæ deinceps perpetuis futuris temporibus sub observantia, & præcepto comprehendi, cunctos que Christi fideles vbique terrarum ab omni opere servili eo die abstinere, & cessare debere. Vnde novissime S. Congregatio petenti concedi vt festo Sancti Ioseph in Diœcesi Angren. celebraretur de præcepto, respondit, festum Sancti Ioseph in toto orbe celebrari de præcepto, & eo die ab omni opere servili abstinendum esse, vt in Angren. 15. Decembris 1632. die 8. Maij 1621.* Huc vsque Barbosa, & idem ait in collect. 433. pag. mihi, 409. Cuius decreti mentionem etiam facit Cherub. tom. 3. in Constit. 24. Gregorij XV. pag. mihi, 310. Vnde sequitur: tum antiquitas huius solemnitatis; tum etiam: quod Vrbanus VIII. solum prædictum festum confirmaverit, non autem de novo indixerit.

Motiva institutionis dicti festi.

97 Quam vero iuste Ecclesia hoc festum in honorem castissimi Ioseph instituerit, cuilibet facile constat. Si enim vt ait Augustinus lib. 20. de Civit. Dei, cap. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur.* Quis, si Beatam Virginem Mariam excipias, cum Protoparente nostro Ioseph in hoc æquari poterit, cum in Deiparæ Sponsum, & Christi putativum Patrem à Deo electus fuerit? Quis immediatius à Christo omnium virtutum, & gratiarum fonte aquam in vitam æternam salien-

tem

tem ebibit? Cui denique Christus, cum in terris degeret, & nunc dum in cœlis regnat, se promptius subijcit nisi Beato Ioseph? Quapropter pie credimus, quod sicut ad illum antiquum Patriarcham Ioseph Populum, dum fame, & angustijs præmeretur, mittebat Pharao dicens: *Ite ad Ioseph, & quid quid ipse vobis dixerit, facite.* Sic ad nostrum Ioseph Christus nunc in cœlo regnans homines duris laboribus afflictos mittit, dicens: *Ite ad Ioseph, & quid quid ipse vobis dixerit, facite.* Ego enim sum Pharao supremus, absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in terra, & in cœlo. Sed ne videamur ex pia tantum devotione loqui, audi Seraphicam Matrem nostram de hoc Sanctissimo Patriarcha lib. suæ Vitæ, cap. 6. sic fantem: *A otros Santos parece les diò el Señor gracia en vna necesidad: à este glorioso Santo tengo por experiencia, que socorre en todas; y que quiere el Señor darnos à entender, que assi como le fue sujeto en la tierra, que como tenia nombre de Padre, siendo Ayo, le podia mandar, assi en el Cielo haze quanto le pide.* Si ergo Patriarcha noster Ioseph, & Deiparæ Sponsus, sic omnipotens vbique est, iustum, æquum que erat, vt eius dies festus ab vniversali Ecclesia ageretur.

Quid faciendu quando hoc festum incidit in feria quinta maioris hebdomadæ?

98 Sed hic rogabis: An si hoc festum incidat in feria quinta maioris hebdomadæ, debeat transferri non solum quo ad officium, verum etiam quo ad præceptum audiendi Sacrum, & à servilibus abstinendi? Cui difficultati respondetur ex decreto S. Rit. Congregationis edito die 13. Septembris anno 1692. quod licet debeat transferri quo ad officium, non tamen quo ad festivitatem, & ideo præcipit Episcopis, vt curent, quod aliquæ Missæ privatæ ante Conventualem dicantur, vt sic fideles commode præceptum audiendi Sacrum adimplere possint. Quod quidem vt fidem certiorem faciat, accipe decretum ad vnguem scriptum.

99 *Cum anno proxime venturo occurrat festum Sancti Ioseph in feria quinta maioris hebdomadæ, exortum fuit dubium attenta vniversali consuetudine Ecclesiæ celebrandi eo die vnam tantum Missam, an vna cum officio Sancti Ioseph transferri debeat anno prædicto etiam obligatio audiendi Missam, ac vacandi ab operibus servilibus? Dubio que huiusmodi in Sacrorum Rituum Congregatione proposito, eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi D. Card. Albani re mature discussa, censuit officium transferendum esse ad aliam diem iuxta rubricas Breviarij Romani, & decreta ipsius Congregationis; cæterum præceptum audiendi Missam, & vacandi ab operibus prædictis non esse transferendum, sed servandum esse in prædicta feria quinta maioris hebdomadæ; adeò que per Ordinarios locorum accurate providendum, vt eo die aliquæ quidem Missæ privatæ ante celebrationem solitæ Missæ Conventualis, celebrandæ pro præcepti adimplemento non desint, sed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missa solemni eius diei, quo Ecclesia Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti institutionem, & memoriam recolit, summa religione hactenus detentus, nullatenus omittatur, & ita declaravit, ac decretum huiusmodi publicari, & imprimi mandavit. Die 13. Septembris 1692. A. Episcop. Ostiens. Cardinal. Cibo. Loco ✠ Sigilli. Ioseph. Vallemanus Sac. Rit. Cong. Secret.*

De festo Sanctæ Annæ.

100 Tertio loco ponitur festum Sanctæ Annæ Deiparæ Genitricis, quod licet Hispani Gothi antiquitus festive coluerint, vt ait Iulianus Archipresbyter Toletanus in Adverf. n. 39. fol. 10. apud Tamaium tom. 4. Martyrol. Hispan. die 26. Iulij; tamen eius festivitatem pro eodem die 26. Iulij cum officio duplici ab vniversali Ecclesia celebrandum præcepit Gregorius XIII. Constit. 87. quæ incipit: *Sancta Mater Ecclesia*, edita die prima Maij anno 1584. apud Cherub. tom. 2. pag. mihi, 354. Et postea Gregorius XV. Constit. 24. quæ incipit: *Honor laudis*, edita anno 1624. die 23. Aprilis, apud Cherub. tom. 3. pag. 310. prædictum Sanctæ Annæ diem ab vniversali Ecclesia vt festum his verbis observari iussit: *Hæc nos nobiscum cogitantes, & peculiari etiam in Beatam Annam devotione incitati prædecessorum nostrorum quoque in eius augendo cultu religionem in Domino æmulantes, & gregis nobis à Domino crediti spirituali vtilitati consulere nostri pastoralis officij debito cupientes, Beatæ Annæ festum in vniversali Ecclesia Dei amplius honorandum censuimus. Ita que hac nostra perpetuo valitura Constitutione festum Sanctæ Annæ ab omnibus Christi fidelibus, sicut alia festa de præcepto celebrari, & observari, ab omni que illicito opere abstineri, & sub præcepto observationis festorum comprehendi volumus, præcipimus, & mandamus. In contrarium, &c.* Vnde constat tum antiquitas, tum obligatio prædicti festi pro die 26. Iulij, in qua vtique Beata Anna in Bethleem Iudæ in pace quievit, dum iam Beatissima Virgo Maria Christum Dominum in vtero gereret, vt adnotarunt Andricomius in Chron. Masseus in Chronic. lib. 8. & Gregorius Colvener in Kalendario Mariano tom. 2. die 26. Iulij, num. 9. fol. 67.

De festo omniũ Sanctorum.

101 Quarto loco annumeratur festum omnium Sanctorum, de quo fit etiam mentio in cap. *Pronunciandum*, 1. *de consecrat.* dist. 3. & cap. *Conquestus, de ferijs.* Vnde nullus est qui prudenter de eo dubitare valeat. Hæc ergo festivitas, licet ab aliquibus antiquior iudicetur, tamen iuxta communem sententiam celebrari cæpit tempore Bonifacij IV. qui Romæ Templum à Gentilibus Pantheon dictum, in honorem Beatæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum Martyrum (qui tunc tantum ab Ecclesia celebrabantur) dedicavit. Postea vero crescente fidelium devotione Gregorius IV. ante annum 835. decrevit, vt in honorem omnium Sanctorum, tam Martyrum, quàm Confessorum, tam Virginum, quàm non Virginum dies primus Novembris ab vniversali Ecclesia, vt festus sub præcepto ageretur; tum vt quid quid humana fragilitas per ignorantiam, aut negligentiam, vel per occupationem rei sæcularis in solemnitatibus Sanctorum minus recte peregisset, in

hac ſancta obſervatione perſolvatur. Tum etiam: vt multiplicatis interceſſoribus, facilius Deus quod ab eo exoramus, nobis miſericorditer largiatur. Ita Durandus in Rational. lib. 7. cap. 34. Azor lib. 1. Decal. cap. 25. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 2. cap. 9. num. 24.

§. VII.

De feſto Patroni principalioris Regni, ſive Provinciæ, nec non Civitatis, aut Oppidi.

De feſto Patroni principalioris.

102 VLtimo loco inter feſta de præcepto ſervanda aſsignat Vrbanus VIII. diem: *Vnius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago vbi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.* In quibus verbis clare conſtat, mentem Summi Pontificis eſſe, vnius tantum principalioris Patroni Regni, ſive Provinciæ, & alterius principalioris Civitatis, aut Oppidi dies feſtos ſub præcepto ſervari debere: quare ſi Regnum, aut Provincia, Civitas, vel Oppidum alios Patronos minus principales habeat, horum dies vt feſti à fidelibus obſervandi non ſunt. Sed licet hæc clare ex verbis dictæ Bullæ conſtent, nihilominus circa eius intelligentiam nonnullæ moventur difficultates, quæ ſolutionem merentur. Quare

Aliqui negãt eligi poſſe Patronum Provinciæ, ſi detur Regni Patronus.

103 Rogabis primò: An præter Regni, Civitatis, aut Oppidi Patronos, poſsit alius tertius Provinciæ, aut Diœceſis deſignari, cuius feſtum coli ſub præcepto debeat? Et ratio dubitandi eſt: quia Summus Pontifex dicit in præfacta Conſtitutione: *Vnius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive Provincia.* Sed particula *Sive* eſt disiunctiva, & eandem vim habet, ac *Seu*, vt ex multis probat Barboſa tract. Var. dict. 375. ergo disiungit verba dictæ clauſulæ, & conſequenter tantum concedit, quod poſsit dies feſtus agi aut de principaliori Patrono Regni, aut Provinciæ, non vero de vtroque. Quare cum in Hiſpania obſervetur feſtum Sancti Iacobi Apoſtoli, qui eſt Patronus Regni principalior, in nulla alia eius Provincia, aut Diœceſi poterit de alio principaliori Patrono dies feſtus agi. ¶ Vlterius: finis huius decreti Vrbani VIII. eſt feſtorum reformatio, vt ex eius verbis patet; ſed quando intentio, & mens legislatoris conſtat, dubia ex verbis legis emanantia iuxta eius intentionem reſolvenda ſunt: ergo cum dictio *Sive* ſaltem dubia ſit, an coniungat in præſenti, aut disiungat; iuxta intentionem legislatoris, quæ eſt feſta reſtringere, explicanda eſt: & ideo dicendum erit, duplex feſtum Summum Pontificem de principalioribus Patronis deſignaſſe: vnum de principaliori Patrono Regni, aut Provinciæ, & alterum de principaliori Patrono, Civitatis, aut Oppidi.

Verius eſt oppoſitum.

104 Sed probabilius tenendum eſt Summum Pontificem in dicta Bulla concedere, quod de tribus principalioribus Patronis feſtum agatur. Primò de principaliori Patrono Regni. Secundò Provinciæ, ſeu Diœceſis. Tertiò Civitatis, aut Oppidi. Hæc aſſertio oſtenditur primò: quia vt conſtat *ex leg. Si quis, ff. de auro, & argento legato*, notant que plures Doctores apud Barboſam loco ſupra citato, particula *Sive* in diſpoſitionibus maxime favorabilibus eſt augmentativa, & ampliativa: imò vt tenet Roſa deciſ. 275. n. 4. apud Farinatium in 1. collect. noviſſ. & Barboſa loco ſupra relato, ex natura ſua potius eſt ampliativa, quam reſtrictiva ex leg. *Cum quis decedens, ff. fin.* Ergo in præſenti caſu, qui eſt favorabilis, vt pote inducens plures Patronos, qui Regnum, & Provinciam à malis ingruentibus ſpecialiter defendant, debet potius ampliare, quam reſtringere. ¶ Secundò: Dicta particula *Sive* etiam denotat ordinem ſucceſsivum, vt probat Barboſa relatus ex leg. *Cum Pater*, §. *penul. ff. de legat. 2.* Et in leg. *Hæredes mei*, §. *penult. ff. ad Trebell.* notant que Ruin. conſil. 149. num. 13. lib. 2. & Octavian. Vulpell. *de præpoſit. & adverb. ſignificat. ſub dict. ſimul*, pag. 116. ergo per dictam particulam non excludit Summus Pontifex Patronum principaliorem Provinciæ, ſed potius ſecundum locum ei tribuit, concedens primum, vt pote digniori, Patrono Regni. ¶ Tertiò: Quia Divina Providentia non ſolum ſingulis hominibus deputat tutelares Angelos, verum etiam alios, & ſuperiores Angelos, deſtinat pro Communitatibus, Regnis, Provincijs, Civitatibus, Eccleſijs, Pontifice, Epiſcopis, Regibus, & Principibus iuxta illud Deuter. 32. *Conſtituit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei.* Et ſecundum illud Act. 12. vbi loquendo de Divo Petro dicitur: *Angelus eius eſt.* Idem colligitur Apoc. 3. & alijs Sacræ Scripturæ locis, tenent que expreſſe omnes Sancti Patres, maxime Divus Thomas 1. part. quæſt. 113. Divus Ambroſius lib. 1. Pœnit. cap. 21. & lib. 2. in Lucam, & alij quos ad longum referunt Suarez lib. 6. de Angelis, cap. 17. à num. 22. & Aguirre in Lud. Salmant. Lud. 2. ex Curſ. 3. Imò Angelicus Doctor 3. part. quæſt. 83. art. 4. ad 9. docet, quod Angelus aſsiſtit divinis officijs, maxime Sacrificio Miſſæ, vt *ſcilicet orationes Sacerdotis, & populi Angelus aſsiſtens divinis myſterijs Deo repræſentet, ſecundum illud Apoc. 8. Aſcendit fumus incenſorum de oblationibus Sanctorum de manu Angeli.* Ergo rationi conſonum eſt, quod Eccleſiæ Summus Pontifex etiam conſtituat Sanctos tutelares, & Patronos, qui non ſolum Regna, verum & Provincias, Diœceſis, Civitates, & Oppida defendant, & protegant: ergo in prædictæ Conſtitutionis verbis non ſolum loquitur de Patrono principaliori Regni, verum etiam, & Provinciæ, ſeu Diœceſis.

Vlterius probatur aſſumptum.

105 Quarto quia Gregorius XIII. ſupponit in Hiſpania non ſolum eſſe Divum Iacobum totius Regni Patronum, verum & alios etiam deſignatos eſſe pro ſingulis Eccleſijs, & Diœceſibus, quos colere tenemur, cum in Bulla, quæ incipit: *Paſtoralis officij cura*, edita die 30. Decembris anno 1573. & communiter

ter affigitur officijs Canonicis Sanctorum Hiſpanorum, dicat: *Vnam quamque Hiſpaniæ Eccleſiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non ſunt deſcripti, officia propria celebrare poſſe, qui vel illius Diœceſis ſunt naturales, vel eius Eccleſiæ, ſeu Diœceſis ſunt Patroni::: Et quo die celebrabitur feſtivitas Patroni vnius Diœceſis, Religiones omnes teneantur eodem die in ſuis Eccleſijs intra limites illius Diœceſis exiſtentibus, eandem feſtivitatem celebrare; & in hoc cum Eccleſia Matrice ſe conforment.* Ergo cum hoc privilegium ſit ex Iure Communi Hiſpanis conceſſum, non intelligendum eſt, novo Vrbani VIII. decreto abrogatum eſſe, maxime cum eius verbis valde ſe conformet. ¶ Vltimò: quia praxis communis in Hiſpania eſt, vt non ſolum colatur ſub præcepto dies Patroni principalioris Regni, verum etiam & Patroni principalioris Provinciæ, ſeu Diœceſis, vt facile demonſtrare poſſemus, niſi hoc iudicaremus inutile, & paginas tantum eſſet implere: ergo veriſimilius eſt iuxta talem praxim eſſe Pontificis mentem. ¶ Notandum tamen hic venit, quod ſi in aliquo Regno, Diœceſi, Civitate, &c. ſint duo Patroni æquales, debet deſignari vnus vt principalior, & huius tantum dies vt feſtus obſervandus eſt: quia in hac Conſtitutione ſolum permittitur, quod vnicus principalior Patronus Regni, Provinciæ, Diœceſis, Civitatis, aut Oppidi ſub præcepto colatur.

Rationibus dubitãdi reſpondetur.

106 Ad rationes dubitandi conſtat ex dictis. Nam ad primam iam vidimus, quod particula *Sive* ex natura ſua potius eſt ampliativa, quam reſtrictiva: quapropter in præſenti non disiungit extrema, ſed potius vnit, ordinem que ſucceſsivum, debitum que Patronis deſignat. ¶ Ad ſecundam reſpondetur Pontificis mentem eſſe abrogare quam plurima feſta, quæ ex conſuetudine, aut voto, vel de Patronis minus principalibus, aut pro partis victorijs colebantur, vt ſupra vidimus in huius Bullæ proœmio, & Caramuelis teſtimonio, qui finis minime impeditur, ex quo tres dies feſti obſerventur in anno, v. g. primus de Patrono principaliori Regni. Secundus de Patrono Provinciæ, aut Diœceſis, & tertius de Patrono Civitatis, aut Loci, vel Oppidi, in quo quis exiſtit. Et maxime quia communiter aliquis ex his tribus Patronis eſt Sanctus, cuius alias dies ex dignitate propria, & Summi Pontificis decreto ab vniverſali celebratur Eccleſia, vt in die Sancti Iacobi Hiſpaniarum Patroni accidit: ergo ex quo Bulla prædicta ampliative intelligatur, nihil contra Pontificis intentionem ſequitur.

Poſſunt de novo eligi Patroni etiá poſt Conſtitutionẽ Vrbani VIII.

107 Rogabis ſecundò: An poſt prædictam Bullam poſsit eligi Patronus, cuius dies vt feſtus colatur, ſi ante illam talis Patronus forte electus non erat? Et ratio dubitandi eſſe poteſt: Etenim dictæ Bullæ verba ſic ſe habent: *Vbi hos Patronos haberi, & venerari contigerit.* Ergo vbi hos Patronos haberi, & venerari prius non contigerit, nequeunt eligi, aut ſaltem de præcepto coli. ¶ Sed hoc non obſtante dicendum eſt, etiam poſt dictam Vrbani VIII. Conſtitutionem poſſe de novo eligi Patronum Regni, Provinciæ, ſeu Diœceſis, Civitatis, vel Oppidi, & ſub præcepto coli, etſi ante illam nec electus, nec veneratus ſit. Et ratio eſt: quia intentio Summi Pontificis eſt quod non multiplicentur feſta, obſervando de præcepto Patronos minus principales, ſed quod vnicuique ſive Regno, ſive Provinciæ, ſive Diœceſi, ſive Civitati, ſive Oppido vnicus principalior Patronus ſufficiat, cuius dies vt feſtivus de præcepto obſervetur: ergo ſi talis Patronus ante dictam Conſtitutionem non erat deſignatus, poterit de novo deſignari. Maxime cum talis electio ex Iure Communi ſit cuilibet Regno, Provinciæ, Diœceſi, Civitati, & Oppido conceſſa, quod abrogare Vrbanum VIII. dicendum non eſt, maxime cum de illo ſpecialis mentio non fiat, qualiter ad abrogandum privilegium iuris communis iuxta communem ſententiam requiritur, vt diximus tom. 4. tract. 18. cap. 2. punct. 4. num. 40.

Quomodo Sancti in Patronos eligendi ſunt?

108 Rogabis tertiò: Qualiter Patroni electio facienda eſt? Ad hoc dubium non aliter melius reſpondere poſſumus, quam tranſcribendo decretum à S. Rit. Congregatione die 23. Martij, anno 1630. emanatum, & ab Vrbano VIII. approbatum, quod ſub his verbis à Gavanto in Rubric. Brebiar. ſect. 3. cap. 12. num. 2. refertur: *Sacra Rituum Congregatio annuente Sanctiſsimo Domino noſtro in electione Patronorum mandavit infraſcripta in poſterum ſervari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla ſit ipſo iure. Primò quod eligi poſsint in Patronos ij ſolum, qui ab Eccleſia vniverſali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati duntaxat.* ¶ *Secundò quod de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia à populo mediante conſilio generali illius Civitatis, vel Loci, non autem ab Officialibus ſolum, & quod accedere debeat conſenſus Epiſcopi, & Cleri illius Loci. Idem que ſervari debet in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per ſecreta ſuffragia à populo ſingularum Civitatum Provinciæ. Et quod repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam, nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & vlterius interveniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Civitatum.* ¶ *Et tertiò, quod cauſæ electionis novorum Patronorum debeant in Sacr. Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum cauſa cognita ab eadem Congregatione approbari, & confirmari. Et ne præmiſſorum ignorantia vllo vnquam tempore poſsit allegari, eadem Sacra Rit. Congregatio ſupra dictum decretum imprimi, & publicari mandavit. Io. Bapt. Card. Detus. Loco ✠ ſigilli. T. Tegrimus Secret.*

Ad feſtum Patroni tenentur Regulares.

109 Rogabis quartò: An Regulares teneantur ad colendum de præcepto Patronum principaliorem Regni, Provinciæ, Diœceſis, Civitatis, aut Oppidi, in quo exiſtunt? Ad quam difficultatem reſpondetur affirmative. Et ratio eſt: primò: quia hoc feſtum inſtitutum eſt à Summo Pontifice pro omnibus fidelibus Regni, Provinciæ, Diœceſis, Civitatis, aut Oppidi: ergo Regulares compre-

hendit. ¶ Secundò: quia vt vidimus supra in hoc §. Gregorius XIII. expresse præcipit, quod Regulares debeant Patroni festivitatem celebrare, & in hoc cum Matrice se conformare: ergo cum à Matrice vt de præcepto observetur, etiam à Religiosis de præcepto observanda est. ¶ Tertiò: quia Vrbanus VIII. eodem modo hoc festum observari ab omnibus præcipit, sicut alia in dicta Bulla contenta; sed alia Regulares observare tenentur; ergo & istud. ¶ Quartò: quia expresse nobis hoc præcipitur in Rubricis Quinterni Sanctorum nostri Ordinis, vt patet in Rubrica 8. de Patronis Civitatis, vel Diœcesis, vbi hæc habentur; *De principali Patrono, seu Patronis Civitatis, vel Diœcesis tenentur ad festum, & officium solemne nostri Conventus, seu Religiosi commorantes ibi sub ritu duplicis primæ Classis, non tamen ad Octavas iuxta Bullam Gregorij XIII. die 30. Decembris 1573. & declarationem S. Rit. Congregationis 17. Maij 1628. Festum autem Sancti Iacobi Apostoli Hispaniarum Patroni cum Octava celebretur.* Ergo certum est teneri Regulares ad festum principalioris Patroni Regni, Provinciæ, Diœcesis, Civitatis, aut Oppidi. Quod quidem amplius, & vberius constabit ex infra dicendis punct. 9. num.

Conclusio doctrinæ in Bulla Vrbani traditæ.

110 Hæc ergo sunt festa, quæ observare sub præcepto Summus Pontifex iubet: *Ad reliquorum vero dierum observantiam* (concludit in dicta Constitutione) *quos hactenus, sive in vniversa Ecclesia, sive in quavis natione, aut Regno, Provincia, Diœcesi, aut Loco, quomodocumque sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi fideles tanquam festivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipsos teneri, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuo etiam decernimus, & declaramus.* Quare omnia festa, quæ ante dictam Bullam ex voto, aut devotione, vel consuetudine observabantur, nunc in conscientia non obligant, & ideo etsi fideles in eis nec Sacrum audiant, nec à labore abstineant, minime peccabunt. Hæc notare debent Confessarij, ne onera, quæ Ecclesia fidelibus non imponit, ipsi ob ignorantiam aggravent.

PUNCT. VI.

Quis potest dies festos instituere?

Certum est posse Summum Pontificem, & Concilium Generale festa instituere.

110 VT ad ea, quæ in hoc puncto difficultatem afferunt, expeditius accedamus, supponendum, vt omnino certum est, posse Summum Pontificem, & Concilium Generale rite congregatum, & à Summo Pontifice confirmatum, dies festos instituere; quia cum supra vniversalem Ecclesiam iurisdictionem habeant, leges que omnes fideles obligantes ferre possint, similiter poterunt dies festos instituere, & ab omnibus observari præcipere. Quare difficultas solum esse poterit circa alios Superiores Ecclesiasticos, vt Episcopos; nec non circa Principes Sæculares, vt Reges, Imperatores, Prætores, &c. Quapropter vt claritas in omnibus seruetur, duplici §. punctum dividemus, in quorum primò quid Prælati Ecclesiastici circa hoc possint agemus, in secundò vero, quid valeant Sæculares, decidemus.

§. I.

An Episcopus possit pro sua Diœcesi festa indicere?

Possint ne Episcopi festa instituere?

111 POsse Episcopos pro sua Diœcesi festa instituere, adeò antiquitus verum fuit, vt de eo prudenter nemo ambigere possit. Tum: quia id expresse constat ex cap. *Conquestus, de ferijs*, & cap. *Pronunciandum, de consecrat. distinct.* 3. sæpius in hoc cap. relatis. Tum etiam ex communi Ecclesiæ praxi, iuxta quam absque speciali Sedis Apostolicæ licentia festa pro suis Diœcesibus instituebant. Quare difficultas tantum in præsenti movetur ob Bullam Vrbani VIII. huc vsque relatam. Et ratio dubitandi est:

Rationes dubitandi proponuntur.

112 Primò, quia Summus Pontifex in dicta Bulla hæc habet: *Ne autem dies festos à Locorum Ordinarijs nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, vt ad Ecclesiasticam vbique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant abstinere.* Sed in Domino monere, videtur significare, eorum conscientias onerare, & ab indictione festorum abstinere, præcipere: ergo prohibet Summus Pontifex dictis verbis, ne Episcopi dicta festa deinceps instituant. ¶ Secundò: Quia si Episcopi, & populi valerent per se vovere, & instituere nova festa, intentio Pontificis in hac Constitutione limitandi dies festos esset frustranea, quia brevi tempore essent tot dies festi, sicut antea, imò & plures: ergo ne hoc sequatur absurdum, pauperes que ob festorum multitudinem graventur, ita vt necessaria victui, & vestitui sibi labore acquirere non valeant, dicendum est ab Episcopis, & populis hanc potestatem instituendi, aut vovendi deinceps festa sublatam esse.

Affirmativa sententia eligitur.

113 Sed opposita sententia, vt probabilior, tenenda est. Primò: quia Tridentinum sess. 25. de reformatione, cap. 12. Episcopis concedit facultatem instituendi festa, vt patet ex illis verbis: *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur.* Sed ad abrogandum Tridentini privilegium requiritur, quod de eo expressa mencio fiat, vt diximus tom. 4. tract. 18. num. 41. pluribus Doctoribus relatis: ergo per hanc Bullam dictum privilegium instituendi festa minime revocatur. ¶ Secundò: quia privilegia in corpore iuris inserta non revocantur per clausulas generales, vt ibi num. 40. diximus; sed ex cap. *Pronunciandum, de consecrat.* dist. 3. & cap. *Conquestus, de ferijs*, conceditur Episcopis facultas festa instituendi: ergo per clau-

clauſulas dictæ Bullæ hæc facultas non revocatur. ¶ Tertiò: quia omnia verba ſupra contra nos ponderata nil explicant, quod præceptum importet; nam verba illa *Monemus in Domino*; &, *Studeant abſtinere*, exortativa ſunt, non vero præceptiva: ergo ſine fundamento ſufficienti dicta facultas ab Epiſcopis aufertur. ¶ Quartò: quia quilibet eſt propriæ libertatis Dominus, ac proinde poteſt per votum, aut iuramentum ſe obligare ad feſta ſervanda: ergo ſi adſit Epiſcopi conſenſus, poterit Civitas, aut Reſpublica ſe obligare ad feſta ſervanda ſub præcepto. Sic docet Quintana-Dueñas ad 1. Eccleſ. præcept. tract. 1. ſingul. 8.

Ad motiva cõtraria reſpondetur.

114 Ex quibus patet ad contrariam ſententiam. Nam ad primum ex verbis Bullæ deſumptum reſpondetur, talia verba exortativa eſſe, non vero præceptiva; vnde per ea non eſt ablata Epiſcopis poteſtas inſtituendi feſta. Affirmamus tamen, quod abſque dubio peccabunt Epiſcopi, ſi facile populorum importunitate ad nova indicenda feſta moveantur; indictio tamen valida, & obligatoria erit. Quapropter ſine graviſsima, vrgentiſsima cauſa debent deinceps, vt loquitur Summus Pontifex, à novorum feſtorum indictione abſtinere: experientia enim conſtat, quod feſtorum multiplicatio eorum exactæ obſervationi impedimentum eſt: non enim valent pauperes tot feſta obſervare ſine notabili familiæ detrimento. Quare licet ab eis non ſit ablata poteſtas inſtituendi feſtos dies, tamen ſi de facili eos inſtituant, erunt occaſio, vt pauperes indebite, & irreverenter eos colant, ſervilia que in eis operentur. ¶ Ad ſecundum dicimus; tum, quod finis legis non cadit ſub lege: tum, quod intentio Pontificis tantum fuit plurima feſta, quæ varias ob cauſas introducta fuerant, abrogare, vt pauperes commodius victum quærere poſſent, non vero quæ de novo introducenda forent; ad hoc enim ſatis ſibi providiſſe, viſum eſt, conſcientias Epiſcoporum onerando, ne de facili deinceps feſta indicerent.

Sunt qui aſſerant Epiſcopum ſine populi, & Cleri conſenſu non poſſe feſta indicere.

115 Sed difficultas non levis eſt: An, vt Epiſcopus poſsit pro ſua Diœceſi aliquos dies feſtos inſtituere, requiratur Cleri, & Populi conſenſus? Affirmant plures Doctores. Et moventur ex eo: quia vt poſsit Epiſcopus dies feſtos pro ſua Diœceſi inſtituere requiritur ex Iure Canonico Cleri, & Populi conſenſus: ergo aliter fieri nequit. Antecedens probatur; nam in cap. *Pronunciandum*, *de conſecrat.* diſt. 3. dicitur: *Et illæ feſtivitates, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cum populo collaudaverint, quæ vicinis tantum circunmorantibus indicendæ ſunt, non generaliter omnibus.* Et in cap. *Conqueſtus, de ferijs*, hæc habentur: *Cæteris que ſolemnitatibus, quas ſinguli Epiſcopi ſuis Diœceſibus cum Clero, & Populo duxerint ſolemniter venerandas.* Ergo ex Iure Canonico vt dies feſtos pro ſua Diœceſi poſsit Epiſcopus inſtituere requiritur Cleri, & Populi conſenſus.

Tria notantur ab Auctoribus huius ſententiæ.

116 Nota tamen tria hæc ſententia. Primò: quod Cleri, & Populi conſenſus non requiritur, quaſi cum Epiſcopo per vota deciſiva Clerus, & Populus feſta inſtituere poſſint, ſed quia eſt conditio à iure requiſita, vt valeat Epiſcopus feſta inſtituere, ne Epiſcopi feſtorum præceptis Clerum, & Populum renuentes aggravent. ¶ Nota ſecundò: quod tunc adeſſe videtur prædictus conſenſus, dum ſciens Clerus, & Populus Epiſcopum aliquod feſtum inſtituere, non contradicit. ¶ Nota tertiò: quod licet Epiſcopus abſque prædicto conſenſu nequeat feſtos dies perpetuo inſtituere, bene autem pro vna, vel altera vice, quia ſic Populus non multo gravatur; & cum odioſa ſit illa reſtrictio poteſtatis Epiſcopi, ſufficit, ſi intelligatur de inſtitutione feſti perpetui, & per modum legis, & ſtatuti. Sic Azor part. 2. lib. 1. cap. 26. quæſt. 2. Covarrubias lib. 4. Var. cap. 19. Bonacina in 3. Decalog. præcept. diſp. 5. quæſt. vnic. punct. 1. num. 3. Trullench lib. 3. Decal. cap. 1. dub. 2. num. 2. Layman in Sum. lib. 4. tract. 7. cap. 1. num. 3. Sayrus in Clavi Reg. lib. 7. cap. 3. num. 16. referens Panormitanum, Angelum verb. *Feriæ*, num. 5. Tabienam eodem verbo, num. 10. Sà in Aphoriſm. verb. *Feſtum*. Tenent etiam Villalobos 2. part. tract. 32. diffic. 1. num. 3. Baſſæus verb. *Feſtum*, n. 3. Fagundez lib. 1. de præcept. Eccleſ. cap. 3. num. 11. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 11. num. 8. Barboſa de poteſt. Epiſc. 3. part. allegat. 105. num. 36. Palaus tom. 2. tract. 9. diſp. vnic. punct. 2. num. 5. & alij communiter.

Limitant concluſionem aliqui Doctores.

117 Ex quibus aliqui vt Azor, Bonacina, Trullench, Baſſæus, Suarez, Fagundez, Palaus, Barboſa num. 39. & inſuper Diana part. 4. tract. 4. reſol. 178. docent, quod licet ex Iure Communi non ſolum Cleri, verum etiam & Populi ad feſta inſtituenda requiratur conſenſus, tamen conſuetudine introductum iam eſt, quod ſolum Cleri conſenſus, licet non ſuffragium, ſit neceſſarius ad feſta perpetuo indicenda: & ſic Populo nec vocato, nec requiſito Epiſcopus cum Cleri, ſeu Capituli conſilio feſtos dies inſtituere valet: quæ vtique conſuetudo, vbi introducta fuerit, ſervanda eſt. Quare etſi maior pars Populi contradicat, aiunt hi Doctores, ſi tamen Epiſcopus cum Clero conſentiat, tunc diei feſti valida erit inſtitutio.

Hæc limitatio vt volũtaria reijcitur.

118 Sed vtique ignoramus, qua ratione cum conſenſu tantum Cleri, & non Populi poſsit Epiſcopus ex conſuetudine dies feſtos perpetuo inſtituere? Quia ſi ad iura relata attendamus, æque requirunt conſenſum Cleri, ac Populi; imò in cap. *Pronunciandum*, ſolum Populi fit mentio: ergo vel nullius, vel vtriuſque requiritur conſenſus. ¶ Deinde: quia ſicut Populus ſubditur Epiſcopo, ſic etiam & Clerus; ſed Epiſcopus per ſe ipſum poteſt leges ferre in ſubditos independenter ab eorum conſenſu; quia eius poteſtas, licet non ſit ſuprema, eſt tamen quaſi Monarchica in ſuo Epiſcopatu: ergo etiam poteſt feſta inſtituere independenter à Cleri, & Populi conſenſu. ¶ Vlterius: ſi iura æqualiter limitant Epiſcopi poteſtatem quo ad indicendos dies feſtos ſine Cleri, & Populi conſenſu, qua rationabili conſuetudine introductum eſt, quod debeat ad hoc expectari Cleri, & non Populi con-

consensus, cum vterque æqualiter subdatur Episcopo? Ergo vel nullius, vel vtriusque consensus, sicut iura præcipiunt, ad instituendos dies festos exigitur. ¶ Vltimò: quia ideo iura in præsenti casu limitant Episcopi iurisdictionem, ad hoc vt nequeat instituere dies festos sine Cleri, & Populi consensu, vt communiter docent Theologi, & Cononistæ apud Panormitanum in cap. *Novit.* quia quæ alijs præferre possunt præiudicium non possunt ab Episcopo præcipi absque approbatione eorum, quorum interst; maxime quando ipsorum adest rationabilis contradictio; sed in hac festorum indictione populus gravari potest, & ei potius quam Clero inferri præiudicium, cum à suis laboribus, & lucris impediatur: ergo non solum cum Cleri, verum, & potiori titulo, cum Populi consensu festorum designatio debet ab Episcopo fieri: ergo si maior pars, qualis est Populus, non consentiat, aut positive contradicat, præsumendum est iuxta de causa contradicere, & debet contra Episcopum prævalere.

Verior sententia eligitur, & probatur.

119 Sed quid quid sit de iure antiquo, dicendum est ex iure novo, seu ex Bulla Vrbani VIII. supra relata, posse Episcopos se solos, tam sine Cleri, quàm Populi consensu, festa perpetuo observanda indicere. Et ratio est: quia in prædicta Bulla in solis Episcopis supponitur potestatem adesse ad dies festos instituendos, vt patet ex illis verbis, quæ in §. 3. eiusdem Bullæ referuntur: *Ne autem dies festos à locorum Ordinarijs nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, vt ad Ecclesiasticam vbique servandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant abstinere.* Sed si ex iure esset limitata potestas Episcoporum, ita vt sine Populi, aut saltem Cleri consensu, non possent dies festos indicere, minime eis tantum prohiberetur in dicta Bulla festorum novorum indictio: ergo si eis tantum prohibetur, est quia sentit Summus Pontifex, quod absque Populi, & etiam Cleri consensu possunt Episcopi pro suis Diœcesibus dies festos perpetuo instituere. ¶ Deinde: quia si (vt num. anteced. arguebamus) esto iura antiqua adeò clare (vt aiunt communiter Doctores supra relati) ad festos dies indicendos exigant consensum Populi, & Cleri, docent nihilominus sufficere solum Cleri consensum, quia credunt consuetudine sic esse introductum; quare & nos videndo Summum Pontificem præcipere tantum Ordinarijs, vt ab indictione novorum festorum abstineant, non arguemus in eis tantum adesse plenam potestatem absque alia conditione eius limitativa ad dies festos sub præcepto instituendos; maxime cum Clerus, & Populus nullam habeant potestatem ad festa statuenda, sed vnice hæc sit in Episcopo? Vnde credimus, quod si antiqui Doctores hoc Vrbani VIII. decretum videre potuissent, nunc nobiscum sentirent. Sicut sentit Bordonius tom. 4. part. 3. resolut. 124. quæst. 7.

Vlterius suadetur conclusio.

120 Præterea: in cap. *Pronunciandum, de consecrat.* dist. 3. & in cap. *Conquestus, de ferijs*, solum exigitur ad festorum indictionem, vel quod Populus simul cum Episcopo festivitatem statutam collaudet; vel quod Episcopus cum Clero, & Populo eam ducat observandam; sed ad hæc non requiritur expressus consensus Populi, aut Cleri, sed tantum quod vel ei non contradicat, vel quod sit præsens, dum Episcopus diem festum instituit: ergo etiam ex iure antiquo talis consensus clare non exigitur: & cum alias in decreto novissimo solum Episcopi mentio fiat ad indicendos dies festos, dicendum erit nunc Episcopos posse absque Cleri, & Populi consensu dies festos sub præcepto perpetuo indicere. Et ex his manet solutum motivum sententiæ contrariæ.

Posse Episcopum instituere festa de Sancto Beatificato affirmant nonnulli.

121 Vlterius rogant Doctores hic: An Episcopus possit dies festos instituere non solum in honorem Sancti Canonizati, verum etiam & Beatificati? Affirmant Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 11. num. 5. Fagundez de Eccles. præcept. lib. 1. cap. 3. num. 14. & 15. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 2. n. 3. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 2. n. 2. Leander in præcept. Eccles. tract. 1. quæst. 7. & alij apud ipsum. Et moventur primò: quia hoc ipso quod Summus Pontifex beatificet aliquem Sanctum, de eo que Sacrificium Missæ ab aliqua Provincia, Religione ve, aut Civitate offerre permittat, vniversæ Ecclesiæ proponit talem Sanctum adorandum, & publico cultu venerandum: ergo (infert Palaus) tacite permittit, vt quolibet alio inferiori cultu celebretur; ac proinde permittit, vt in Cathalogum Sanctorum referatur, & in publicis Ecclesiæ precibus invocetur, templa, & aræ in eius memoriam extruantur, horæ canonicæ recitentur, eius imago cum diademate, & corona depingatur, & in altari adoranda collocetur, eius que Reliquiæ devote asserventur, & venerentur, ac tandem festa instituantur, quia omnes ij cultus inferiores sunt cultu per Sacrificium exhibito. ¶ Secundò: quia vt diximus tract. 21. cap. 10. punct. 6. num. 47. Canonizatio solum accidentaliter differt à Beatificatione, tanquam magis, & minus perfecta intra eandem speciem: ergo si Episcopi possunt de Sancto Canonizato festum instituere, etiam id de Sancto Beatificato facere valebunt. ¶ Tertiò: nam Doctores solum dicunt, quod Episcopus nequit, nisi de Sancto à Pontifice in Sanctorum numero relato, festum indicere; sed per Beatificationem Sanctus à Pontifice in Sanctorum numero refertur, vt diximus loco relato num. 48. ergo de eo potest festum instituere. ¶ Quartò: etenim, vt refert Trullench supra allegatus, in Diœcesi Valentina dies Sancti Thomæ Villanova, dum tantum à Pontifice erat Beatificatus, ex præcepto Archiepiscopi vt festus servabatur: ergo quia id agere licitum est.

Probabilior est sententia contraria.

122 Sed verius negant Bassæus verb. *Festum*, num. 3. Glossa in cap. *Pronunciandum*, 1. *de consecrat.* dist. 3. expresse requirens, quod Sancti sint Canonizati. Villalobos in Sum.

Sum. tom. 2. tract. 32. dub. 1. num. 3. Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 43. num. 9. & expresius in Consil. Moral. lib. 5. cap. 2. dub. 5. num. 6. Diana 3. part. tract. 5. Miscell. resolut. 9. Castellinus de Canonizat. Sanct. cap. 1. punct. 34. §. 7. Barbosa de potestat. Episcopi, part. 3. allegat. 105. num. 36. & apud ipsum Felix Conterol. in tract. de Canonizat. Sanct. cap. 4. num. 15. & in Collectan. in lib. 2. Decretal. tit. 9. cap. 5. num. 24. pag. 410. N. Lezana in Sum. qq. Regul. verb. *Festi dies*, num. 7. Quæ sententia probatur primò: quoniam Summus Pontifex, dum beatificat aliquem Sanctum, solum permittit alicui Regno, Provinciæ, aut Religioni de eo Sacrificium Missæ offerre, horas que canonicas recitare: ergo non permittit de eo diem festum à quolibet Episcopo instituere; alias eum vbique coli, & celebrare concederet, & sic à Canonizato non distingueret; cum præcipua differentia inter Beatificatum, & Canonizatum sit, quod hic vbique coli possit; ille vero solum celebrari permittitur in determinata Provincia, seu Regno. ¶ Secundò: nam vt refert Diana loco allegato, Respublica Veneta à Paulo V. petijt humiliter, vt festum Beati Salonij in eadem Civitate coleretur; & idem evenit tempore Gregorij XV. pro Beato Alberto Magno, id poposcente Archiepiscopo Ratisbonensi: ergo quia festum de Sanctis Beatificatis instituere, non pertinet ad Episcopos. ¶ Tertiò: quia Contelorius laudatus à Barbosa allegat. 105. relata, firmat cum Sacra Rota, solum Papam posse festum instituere in honorem non Canonizatorum; sed Beatus adhuc non est Canonizatus, vt constat, postquam isti gradus, & solemnitates sunt ab Ecclesia institutæ: ergo solum Pontifex, & non Episcopus potest festum de Beatificato instituere. ¶ Quartò: quia vt tract. 21. cap. 10. punct. 6. num. 49. diximus ex decreto S. Congregationis, Beatificatis tantum ille cultus tribui licet, qui eis explicite à Sancta Sede conceditur, aut in cultu concesso implicite continetur; vnde communiter tenent Doctores, quod in hac materia potius habenæ sunt restringendæ, quam laxandæ; sed cultus prædictus celebrandi eius diem festum, à Sede Apostolica expresse non conceditur, & alias nec in cultu concesso implicite continetur, vt constat: ergo dicendum est, Episcopis non licere diem festum de Beatificato instituere. ¶ Denique: quia communiter Iura, & Doctores tribuentes Episcopis facultatem instituendi dies sacros in honorem alicuius Sancti, loquuntur de Canonizato: ergo sic tenendum est; maxime dum Brebiar. Rom. in principio ex S. Congregationis decretis iubeat: *Vt de Beatis nondum Canonizatis nihil propria auctoritate constituatur, sed omnino consulatur Sacra Rit. Congregatio.*

Sententiæ cõtrariæ respondetur.

123 Ex quibus iam constat ad argumenta sententiæ contrariæ. Nam ad primum dicimus, quod ex eo quod Summus Pontifex de aliquo Beatificato Missam dicere, aut horas canonicas recitare alicui Provinciæ permittat, non sequitur, quod alios cultus, etsi minores, prædicto Beato tribuere toti Ecclesiæ concedat, nam vt ibi probavimus ex S. Congregationis decreto, solum expresse permissos à Sancta Sede eis tribui licet. Quapropter ibi etiam ostendimus, quod etsi sint inferiores cultus, tamen Sanctus Beatificatus nec in publicis Litanijs invocari debet, nec in eius honorem templa ædificari, vt falso supponit Palaus, de quo videantur à nobis dicta toto punto 6. supra relato, maxime à num. 59. ergo etsi sacrare diem festum Sancto Beatificato sit cultus inferior, quam Sacrificium Missæ offerre, non arguitur, quod hoc concesso à Sede Apostolica, ille etiam concedatur. ¶ Ad secundum patet ex quarta ratione pro nostra conclusione posita. Et insuper instatur, quia si illatio rationis Adversariorum valeret, sequeretur, quod omnis cultus, qui Canonizato tribuitur, posset etiam Beatificato tribui; sed sequela quam falsa sit, etiam adversarij fateri tenentur: ergo ex quo Beatificatio non distinguatur specie à Canonizatione, non infertur, quod si Episcopus valet Canonizato dies festos sacrare, possit etiam Beatificato. ¶ Ad tertium liquet ex vltimo motivo nostræ conclusionis. Nam communiter Iura, & Doctores, vt legenti constabit, dum in Sanctorum honorem asserunt Episcopos pro suis Diœcesibus posse dies festos instituere, loquuntur de Canonizatis, vt expresse fatentur Leander, & Fagundez ex cap. *Audivimus*, & ex cap. *Ex eo de Reliq. & venerat. Sanct.* & cap. *Venerab. de testib. & attestationib.* & ex Sylvestro verb. *Domina*, num. 1. Tabiena verb. *Canonizare*. Azor, & alijs supra relatis: ergo ex hoc potius confirmatur nostra sententia, & enervatur contraria. ¶ Ad quartum, & vltimum constat ex eo, quod, iuxta Dianam, à Republica Veneta, & Archiepiscopo Ratisbonensi practicatum est, quod vtique conformius est decretis Summorum Pontificum, quam id, quod ab Archiepiscopo Valentino factum dicitur.

§. II.

Quid possint Principes Sæculares circa festorum institutionem?

STabilito quid possint Episcopi circa festorum institutionem, restat decidere difficultatem circa Sæculares Principes. Pro quo

Sunt qui asserant Sæculares Principis posse per se instituere festa.

124 Rogabis primò: An Principes Sæculares possint absque approbatione, aut auctoritate Episcopi dies festos instituere, qui sub mortali suos subditos obligent? Prima sententia est affirmativa, quæ sic primò suadetur. Nam Princeps Sæcularis potest ob aliquam insignem victoriam, sive ob diem Natalis sui, aut alicuius filij, suis subditis præcipere, vt aliquo die à servilibus abstineant, aut diem festum agant: ergo tunc eos obligabit; cum iusta præcipiat. ¶ Secundò: Ideo Princeps Sæcularis non posset per se festa instituere, quia talis institutio est quid spirituale pertinens ad cultum Dei, & religionem; sed hoc non obstat: ergo. Probatur minor. Quia Prin-

Princeps Sæcularis potest subditis præcipere, vt idololatriam relinquant; & nihilominus hoc ad cultum Dei, & religionem pertinet: ergo etsi institutio festi ad religionem pertineat, poterit etiam Princeps Sæcularis suis subditis præcipere, vt eam obseruent. ¶ Tertiò: Quilibet potest voto se ligare ad aliquem diem festum seruandum: ergo & Rex poterit ad hoc festum sub præcepto colendum populum obligare; cum non sit minus efficax voluntas Regis ad subditos ligandos, quam propria vniuscuiusque voluntas ad sibi circa res spirituales legem imponendam. ¶ Quartò: Consuetudo Laicorum potest introducere diem festum sub mortali obligantem; sed consuetudo Laicorum mere Secularis est, & non Ecclesiastica: ergo si consuetudo Sæcularium habet vim ad introducendum diem festum sub mortali obligantem, etiam eandem habebit vim lex Principis Sæcularis. ¶ Quintò: Festum obseruatur, & sanctificatur per abstinentiam à seruilibus; sed hæc abstinentia ex se quid spirituale non est, sed indifferens ad spirituale, & temporale iuxta diuersos fines, ob quos fit; vt si fiat ob cultum Dei, erit spiritualis; si ob temporalem requiem, erit temporalis: ergo poterit præcipi à Sæculari Principe. Maxime quia Ecclesia non præcipit, vt diebus festis ab operibus cesses ob cultum Dei, licet hunc finem tali præcepto intendat, alias violares præceptum, si ob vanam gloriam, aut alios fines ab operibus cessares: ergo ex se quid spirituale non est. ¶ Sextò: Rex potest præcipere actus virtutum Iustitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, &c. ergo & actus religionis, vt audire Sacrum, & à seruilibus ob Dei cultum abstinere; & consequenter diem festum instituere valebit subditos ligantem sub præcepto. ¶ Septimò: Nam, vt constat ex iure Cæsario, Imperatores multa disposuerunt circa obseruationem festorum, & modum, quo à subditis debeant obseruari, vt patet ex lib. 2. Codic. tit. 12. & ex leg. vlt. de Ferijs, vbi sic habetur: *Dominicum diem ita semper honorabilem decernimus, ac venerandum, vt à cunctis executionibus excusetur.* Ergo Principes Sæculares habent potestatem ad festos dies instituendos. Ita tenent Saà verb. *Festum*, num. 1. licet neget, obligationem tunc adesse Missam audiendi. Sylvester verb. *Dominica*, num. 2. asserens quod Princeps Sæcularis, si statuat festum, solum potest obligare ad pœnam, & eam à populo iuxte exigere, non vero ad culpam, *quia ad hunc non pertinet festa præcipere.* Idem sentit Divus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 7. §. 1. ¶ Sayrus vero, licet à Palao, & Leandro referatur pro hac sententia, expresse tamen tenet contrarium lib. 7. cap. 3. num. 17. §. *Quinta propositio*, & solum concedit, quod possit Princeps obligare quo ad abstinentiam à seruilibus, non vero ad Sacrum audiendum. Quapropter nullus fere est Doctor, qui hanc sententiam absolute teneat ex his, quos pro ea referunt Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 2. num. 7. & Leander tract. 1. de obseruat. fest. disp. 2. quæst. 12. Sed quid quid sit de hoc

125 Secunda, & verior sententia est negativa, docens Principes Sæculares potestatem indicendi festos non habere, sed vnice ad Ecclesiæ Pastores pertinere, ac proinde sine eorum consensu nullus Princeps, aut Sæcularis Respublica potest festos dies præcipere. Hæc assertio communis est apud Doctores, & probatur primò ex cap. *Cum Laicis, de rebus Ecclesiæ non alienandis*; cap. *Decernimus, de Iudicib.* cap. *Bene quidem*; cap. *Satis euidenter*; cap. *In Scripturis*; cap. *Si Imperator*; & fere ex omnibus capitibus dist. *96.* primæ partis Decreti, ex illis enim constat, quod Principes Sæculares, profanæ que Respublicæ circa res Ecclesiasticas, & spirituales nullam habent iurisdictionem, præcipiendi ve auctoritatem; sed festorum obseruatio res spiritualis, & sacra est; cum directe ad bonum animæ, Dei que cultum ordinetur: ergo à nullo Principe Sæculari præcipi potest; vnde si aliter fiat, aut aliquis festa indicere attentaverit, nullum erit tale præceptum, nec in conscientia obligabit. ¶ Secundò: Nam laica potestas solum præcipere valet ea, quæ ad gubernationem politicam Reipublicæ attinent; sed Sacri auditio, & religiosa ab operibus seruilibus cessatio, qualiter ab Ecclesia præcipiuntur, & per quæ dies festus obseruatur, ad politicam Reipublicæ gubernationem non attinent: ergo à laica potestate præcipi non valent. ¶ Tertiò: Si Sæcularis Princeps per se posset festa præcipere, & indicere, posset etiam sine Pontificis, aut Episcopi consensu impedire, ne festa indicerentur, vel introducta abrogare, nam eadem est vtrobique ratio, & potestas; sed hoc est falsum, alias sequerentur schismata, & diuisiones in Ecclesia, rectus que gubernandi subditos ordo immutaretur, & confunderetur; cum potius subdi debeat Sæcularis potestas Ecclesiæ, quam è contra, vt satis innuit Gelasius Papa relatus in cap. *Duo sunt*, dist. *96.* iam allegata, dum Anastasium Imperatorem sic alloquitur: *Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas; in quibus tantum gravius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum, in diuino sunt reddituri examine rationem. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.* Ergo Sæcularis Princeps sine consensu Pontificis, aut Episcopi nequit dies festos indicere, aut obseruandos præcipere. ¶ Quartò: Nam in lib. 3. Decretal. tit. 13. *de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non*; cap. *Cum Laicis*, decernitur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 44. quod non solum alienatio rei Ecclesiasticæ sine legitimo Ecclesiasticorum assensu nulla est, etiam si per potestatem laicam lege aliqua approbetur, verum & quæcumque constitutio sæcularis facta de mortuarijs, & alijs, quæ iuri spirituali annexa videntur, est irrita, & nullius roboris: *Cum non constitutio* (verba sunt dicti capitis) *sed destitutio, vel destructio dici possit, nec non vsurpatio iurisdictionum*: Ergo potiori titulo Sæculares nequeunt de diebus festis sine Pontificis, aut Episcopi consensu dispone-

Probabilior est opposita sententia.

nere; cùm magis ad animarum profectum, cultum que divinum accedant. Dicta docent Azor 2. part. lib. 1. cap. 26. quæst. 5. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 12. num. 2. Fagundez de Eccles. præcept. lib. 1. cap. 5. n. 2. Divus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 7. §. 1. Sayrus lib. 7. cap. 3. num. 17. Bonacina disp. 5. de tertio Decal. præcept. quæst. vnic. punct. 1. num. 5. Sanchez in Consil. part. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 5. num. 7. & 8. Filliucius tract. 27. cap. 6. quæst. 7. num. 94. Bassæus verb. *Festum*, n. 5. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 2. num. 9. Leander tom. 3. de præcept. Eccles. tract. 1. disp. 2. quæst. 12. Trullench lib. 3. Decal. cap. 1. dub. 2. num. 3. Villalobos tract. 33. diffic. 1. num. 4. Barbosa 3. part. de potest. Episcop. alleg. 105. num. 38. referens Abbatem in cap. 2. num. 2. *de Ferijs*. Felicem Conterolium tract. 4. de Canonizat. Sanct. cap. 4. num. 16. & N. Lezana in Sum. verb. *Festi dies*, num. 7.

Primo argumẽto sententiæ contrariæ respondetur.

126 Ex quibus iam patet ad sententiæ contrariæ argumenta. Ad primum dicimus, Principem Sæcularem optime posse præcipere ob insignem aliquam partem victoriam, vel ob Natalem sui, aut Principis, & ob similes causas ab operibus servilibus populum feriari; at nunquam valebit; Sacrum audire, præcipere. Et ratio huius differentiæ constat ex eo, quod auditio Sacri ex se est res spiritualis ad cultum Dei ordinata; cum ergo circa res sacras nullam potestatem habeat, hinc est, quod nec circa eas præceptum, aut legem promulgare valet, & consequenter nec sanctificare festum, Sacrum audiendo, præcipere. Cæterum cessatio ab operibus servilibus ex se indifferens est, ad hoc vt sit materia cultus religiosi, aut cultus pure politici; nam si præcipiatur, ordinando eam in Dei cultum, sicut agit Ecclesia, dum sanctificare festum iubet cessando à servilibus; tunc est spiritualis; sed hoc modo à nullo Sæculari Principe præcipi potest. Si vero præcipiatur in signum lætitiæ ob partam victoriam, ob natalitium sui, aut filij, sive evectionem ad Regni fastigium; aut etiam ob commodam gubernationem in ordine ad subditorum requiem, corporum laboribus fessorum salutem; vel ad collectionem fructuum; tunc temporalis, & politica prorsus est, nec prætergrediens terminos iurisdictionis Regiæ, sive Sæcularis: quare hoc modo à Sæculari Principe præcipi valet, & subditi tenentur obedire sub pœna ab eo imposita, & peccabunt tantum venialiter contra obedientiam, & iustitiam legalem, aut debitam obedientiam, si à servilibus non abstineant, quia secluso scandalo, alijs que circunstantijs, non videtur hæc cessatio à servilibus Reipublicæ gubernationi valde conducens; vel forte non peccabunt, si dicamus cum Suario, & Fagundez hanc legem esse tunc pure pœnalem; nam istæ leges, vt latius probavimus tom. 3. tr. 11. cap. 2. punct. 3. à num. 51. ad culpam non obligant.

Fit satis secundo, &

127 Ad secundum concedimus, Sæculares Principes posse subditos obligare ad deserendam idololatriam; quia, cum hæc sit rationi naturali contraria, & alias Princeps debeat, subditos cogere ad observationem legis naturalis, quæ necessaria est ad Reipublicæ tranquilitatem, debet eos obligare ad idololatriam deserendam, & vni Deo serviendum; quod non accidit in festorum observatione, vt constat. Videantur à nobis dicta tract. 21. cap. 3. punct. 3. num. 17. & Azor tom. 1. Instit. Moral. lib. 8. cap. 24. q. 5.

tertio argumento.

¶ Ad tertium respondetur negando sequelam, quia votum non obligat in vi legis, cum lex non sit, nec iurisdictionis actus, sed in vi promissionis Deo factæ, cuius materia potest esse actus non solum Religionis, verum etiam charitatis, & cuiuscumque alterius virtutis; imò non solum earum actus exteriores, verum & interiores possunt sub voto cadere, quod non accidit in lege, quæ tantum exteriores actus præcipere valet, & eos, circa quos iurisdictionem habet: cum ergo Princeps Sæcularis iurisdictionem circa res spirituales non habeat, hinc est, quod nequeat eas lege præcipere, licet eas quis possit voto vovere. Dicitur autem votum lex particularis, quia à particulari persona nascitur eius obligatio, non quia vere sit iurisdictionis actus, seu lex. ¶ Qualiter autem votum Reipublicæ de festo servando obliget successores Cives, diximus tom. 4. tr. 17. cap. 1. punct. 4. num. 120. vbi docuimus, eos obligare vel in vi voti, aut contractus, & promissionis; vel ex consuetudine sufficiente ad vim legis introducendam; vel denique in vi legis ab ipso populo statutæ, & ab Episcopo approbatæ. Et hic vltimus dicendi modus nobis probabilior videtur. Vnde successores, si prædictum votum non adimpleant, peccabunt vtique contra talem legem, non vero contra votum à Republica à principio emissum. Videantur, vltra Doctores ibi relatos, Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 12. num. 4. in fine. Azor tom. 2. Instit. Moral. lib. 1. cap. 26. quæst. 7. Fagundez de præcept. Eccles. lib. 1. cap. 5. Sanchez lib. 4. Sum. cap. 15. à num. 14. Filliucius tract. 27. cap. 6. quæst. 9. num. 99. Ledesma 1. part. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 27. concluf. 14. pagina mihi, 148.

Occurritur cæteris argumentis.

128 Ad quartum respondetur: consuetudinem laicorum non habere ex se vim ad dies festos introducendos sine Episcopi consensu, sicut diximus tract. 11. cap. 6. punct. 3. §. 5. loquendo in communi de consuetudine, ibi enim late firmavimus, quod nunquam potest habere aliqua consuetudo vim legis, aut legem introductam abrogare sine Principis consensu: si ergo consuetudo vt dies festos inducat, exigit necessario Episcopi consensum, nil argumentum contra nos convincit; cum nos etiam concedamus, quod quilibet Princeps ex Episcopi consensu possit dies festos instituere. ¶ Ad quintum patet ex dictis ad secundum. Nunquam enim Sæculares Principes valent cessationem à servilibus præcipere, prout est ordinata ab Ecclesia ad Dei cultum, quia hoc excedit laicam iurisdictionem: cum hæc tantum respiciat externam pacem, & iustitiam Reipublicæ, non vero Dei cultum, & animarum salutem

per actus Religionis procurandam. Ecclesia vero (sic insertam obiectionem diluimus) dum præcipit cessationem à servilibus, intendit per eam cultum Dei ex fine operis; non vero præcisè ex fine operantis. Vnde provenit, quod quocumque fine quis Sacrum audiat, præceptum adimpleat. Princeps vero Sæcularis licet dum indiceret festum, posset ex parte ipsius, eam ordinare in Dei cultum, non tamen efficere valet, quod ipsa, ob rationem dictam, finem supernaturalem respiciat; quare solum respicit tunc finem supernaturalem ex parte operantis, seu præceptum imponentis, non vero ex fine operis, quod est necessarium, vt posset dies festos indicere. Quare si aliquando expediens sit in ordine ad temporalia Reipublicæ bona, aut pacem à Deo obtinendam, &c. processionem facere, aut diem festum indicere, tunc nequit Sæcularis Princeps id præcipere, sed Episcopum (qui eius desiderio, prout necessitas postulaverit, absque dubio satisfaciet) adire humiliter debet, vt ea indicat; quia hic solum ad Religionis finem, tam actus virtutum, quàm ipsam Reipublicæ pacem ordinare valet. ¶ Ex quibus liquet ad textum. Nam Sæcularis Princeps solum virtutum actus præcipere potest in ordine ad temporalem finem, seu tranquillitatem Reipublicæ, non vero in ordine ad finem spiritualem, & Dei cultum; quia hoc solum, maxime post Evangelicam legem, ad Ecclesiasticos Prælatos attinet, vt ex dictis constat. Cum ergo festorum observatio ex se tendat in Dei cultum, & animarum salutem, ideo non à Principe Sæculari, sed Ecclesiastico necessario præcipi valet.

Vltimo argumẽto respondetur.

129 Ad septimum, & vltimum dic: Imperatores nil de observatione festorum suis legibus disponere; sed suppositis Ecclesiasticis legibus præcipientibus talia festa servari, cum ipsi sint Ecclesiæ defensores, & conservatores, vt prædicta festa religiosius, & accuratius observentur, suis legibus contra transgressores pœnas imponunt, quod sæcularem potestatem non excedit. Vt probat Barbosa loco citat. num. 42. ex cap. *Irreligiosa, de consecrac. dist. 3. leg. 1. & tot. tit. Cod. de ferijs.* Vnde videmus, quod vltra pœnas ab Ecclesia impositas contra Blasphemos, Hæreticos, Vsurarios, Sodomitas, Bestializantes, &c. etiam Christiani Principes suis legibus pœnas gravissimas ferunt, vt eis homines deterriti, ab his peccatis se contineant. Vel dic: Quod si aliquid prædictis legibus circa festorum observationem Christiani Imperatores decreverunt, id absque dubio ex consensu Summorum Pontificum factitarunt; aut si aliter hoc factum est, per ignorantiam alienam iurisdictionem vsurparunt, & ita vim obligandi habere nequeunt.

***

PUNCT. VII.

De tempore, quo obligatio diei festi incipit, & finitur.

BReviter ab hoc puncto nos expediemus, quia in eo quæstiones decidendæ levem præseferunt difficultatem. Vnde

Iuxta aliquos dies festus incipit à vespera in vesperam.

130 Rogabis primò: An obligatio sanctificandi diem festum incipiat, v. g. à media nocte Sabbati, & finiatur media nocte diei Dominici? Negant apud Leandrum tract. 1. disp. 1. quæst. 17. Panormitanus in cap. 1. de *Ferijs*, Angelus verb. *Dies*, in principio. Sylvester verb. *Dominica*; & insuper Rosella verb. *Feriæ*, num. 5. docentes: quod quantum ad ieiunium, seu esum carnium incipit à termino diei præcedentis Vigiliam, qui terminus est media nox: quantum vero ad cessationem ab operibus servilibus regulariter incipit à vespera Vigiliæ, seu occasu solis, & terminatur in vespera sequenti. Quæ sententia probari potest primò ex cap. 1. de Ferijs, vbi sic dicitur: *Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere.* Et cap. 2. ait: *Festorum tamen principium, & finis iuxta eorum qualitatem, & diversarum Regionum consuetudinem debet attendi; & sicut magnitudo dierum exigit, prius incipere, & tardius terminari.* Et cap. 1. de Consecrat. dist. 3. sic habetur: *Pronunciandum est Laicis, vt sciant tempora feriandi per annum, idest omnem Dominicam à vespera vsque ad vesperam, ne Iudaismo capiantur.* Ergo obligatio festorum non à media in mediam noctem, sed à vespera in vesperam vrget.

A media in mediam nocté dies festus computandus est.

131 Affirmant vero, & probabilius, alij, docentes hanc festorum obligationem durare spacium viginti quatuor horarum, quæ computandæ sunt à media nocte ad aliam sequentem mediam noctem. Quæ conclusio probatur consuetudine, & vsu Romanæ Ecclesiæ, in Hispania, Gallia, Italia, Belgis, & alijs Ecclesiæ partibus recepta, quæ à media in mediam noctem dies festos colit; sed consuetudo legitime introducta, & ab omnibus recepta, habet vim legis: ergo nunc ita coli dies festus debet. ¶ Deinde: nam vt dicitur leg. *More Romano, ff. de Ferijs*, hic modus computandi dies naturales ab antiquis Romanis observatus est, & ita Romana Ecclesia retinuit, & ab illa, vt à capite ad alias dimanavit: ergo cum omnes fideles observare tenentur. ¶ Denique: quia hæc consuetudo facilior est ad festa observanda, & alias est etiam rationabilior; tum vt sic distinguamur à Iudæis, qui à vespera vsque ad vesperam observabant Sabbata sua. Tum etiam: vt sic totam diem Dominicam ab hora Resurectionis Christi observemus. Tum denique: quia ita omnes Doctores computant diem ieiunij, observando illud à media nocte vs-

que

que ad aliam mediam noctem: ergo sic etiam dies naturalis obseruationis festi colendus est, & in eo à seruilibus abstinendum. Vnde qui intra tempus viginti quatuor horarum vel Sacrum non audit, vel à seruilibus, iusta non interueniente causa, non abstinet, peccat mortaliter. ¶ Sed nota: quod licet hæc ita sint, tamen nullum est ius naturale, aut diuinum, quod prohibeat, quin aliquando Pontifex pro tota Ecclesia, aut Episcopus pro sua Diœcesi possit præcipere obseruantiam diei festi vsque ad meridiem, vel à meridie vsque ad noctem; quia cum hæc determinatio sit de iure Ecclesiastico, non est ratio quare, si necessitas exigat, variari non liceat. Sic docent Navarrus in Sum. cap. 13. num. 5. Couarrubias lib. 4. Var. cap. 19. num. 9. Suarez lib. 2. citat. cap. 21. num. 4. Azor 2. part. lib. 1. cap. 18. quæst. 9. Sayrus lib. 7. cap. 3. n. 13. Bonacina disp. 5. in 3. Decal. præcept. punct. 1. num. 7. Filliucius tract. 27. cap. 5. num. 78. & cap. 11. num. 206. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 3. num. 3. Trullench in præsenti lib. 3. cap. 1. dub. 2. num. 6.

Respondetur sententiæ contrariæ.

132 Ad argumentum desumptum ex varijs iuris Canonici textibus, variæ respondent Doctores apud Couarrubiam loco allegato. Aliqui enim asserunt, talia decreta esse Concilij Prouincialis, & consequenter non posse habere vim legis vniuersam Ecclesiam obligantis: at quia Gregorius IX. illa pro lege stabilivit, vim non habet dicta responsio. Alij & inter eos Glossa affirmant, intelligi de celebratione festi quo ad officium Ecclesiasticum: sed nec hæc responsio efficatior est, quam præcedens, cum expresse caput primum de Ferijs sup. cit. loquatur etiam de cessatione à seruilibus. Vnde his, & alijs solutionibus omissis, respondetur: prædicta decreta iuris Canonici vel esse consuetudine abrogata; vel nomine vesperæ intelligi noctem, sed non determinari noctis punctum, quia vult accipi iuxta communem Regionis, aut Regni consuetudinem.

Ad quid obliget festiuitas trãslata? vbi an transferantur indulgentiæ?

133 Rogabis secundò: An festum in diem impeditam cadens, transferatur in aliam diem, non solum quo ad Ecclesiasticum officium, verum etiam quo ad indulgentias pro eo à Pontifice concessas, & obligationem audiendi Sacrum, & à seruilibus abstinendi? Ad quod respondetur cum communi sententia negative. Primò: quia sic tenet communis Ecclesiæ praxis, solum tunc Ecclesiasticum officium transferens. ¶ Secundò: quia si ieiunium Vigiliæ Sancti Matthæi, aut Sancti Thomæ Apost. cum ieiunio quatuor temporum concurrat, tunc nullus dicet, quod teneamur in aliam diem transferre aliquod ex his ieiunijs, & hoc non alia ratione, nisi quia sunt onera, & præcepta determinato diei assignata; sed obseruatio festi, & indulgentiarum concessio sunt determinato diei à Summo Pontifice assignata, & pro eo determinate concessa: ergo pro illo tantum die vim habent. ¶ Tertiò: quia Innocentius X. in Bulla, quæ incipit: *Alias felicis recordationis, &c.* edita anno 1651. die 27. Octobris, & habetur tom. 5. Bullarij Magni, pag. mihi, 185. tam officium canonicum, quàm indulgentiam plenariam concessam à Gregorio XV. in festo Sancti Francisci Xaverij ad preces Procuratoris Generalis Societatis Iesu, transtulit ad feriam secundam, quando festiuitas dicti Sancti in primam Dominicam Aduentus inciderit: ergo signum est, quod si Summus Pontifex non hoc expresse decreuisset, indulgentia plenaria pro dicta festiuitate concessa, non posset in alium diem transferri, sed necessario diei secundæ Decembris esset alligata. ¶ Vltimò: quia S. Rit. Congregatio die 10. Iunij 1690. declaravit, quod translato festo, pro quo concessa est indulgentia, minime transfertur ipsa indulgentia. Quod intelligendum est, nisi aliud in contrarium Ecclesiæ, aut Religiones habeant priuilegium. Videatur etiam Constitutio Leonis X. quæ incipit: *Exposuit, &c.* die 23. Iulij 1518. expedita, & passim executioni mandata. Nostram assertionem defendunt Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 31. in fine. Azor 2. part. lib. 1. cap. 38. quæst. 8. Sayrus lib. 7. in Clavia Regia, cap. 3. num. 10. Tabiena verb. *Feriæ*, num. 15. Sylvester verb. *Dominica*, num. 4. Fagundez lib. 1. cap. 2. num. 10. Divus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 7. Leander de obseruat. Fest. tract. 1. disp. 1. quæst. 16.

PUNCT. VIII.

Qualiter, & ad quid obliget præceptum seruandi dies festos?

EX huc vsque dictis constat, Sabbatum, & alia Iudæorum festa conuenientissime fuisse ab Ecclesia translata in diem Dominicam, & alias, tam Christi, quàm Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum festiuitates, vt supra vidimus. Nunc vero restat scire, qualiter, & ad quid præceptum sanctificandi festa obliget.

Præceptum sanctificandi festa ex se sub mortali obligat.

134 Circa primam puncti partem dicendum est: hoc præceptum sanctificandi festa ex se sub mortali obligare. Quæ assertio patet primò ex eo, quod hoc præceptum est vnum ex Decalogi præceptis; sed omnia præcepta Decalogi obligant sub mortali, vt liquet: ergo & præceptum sanctificandi festa. ¶ Secundò: quia hoc præceprum sanctificandi Sabbatum, pro vt ab Ecclesia fuit in Dominicum, & alios dies festos mutatum, obligat, vt postea videbimus, ad Deum colendum per Sacri auditionem, & cessationem à seruilibus; sed hoc materia gravis est: ergo ex se obligat sub mortali. ¶ Tertiò: nam vt diximus tract. 11. cap. 2. punct. 1. num. 16. quando materia est gravis, & non constat de Legislatoris mente, tunc credendum est, voluisse graviter obligare; sed materia præcepti sanctificandi festa, grauissima

est, cum sit circa Dei cultum, cuius materia, vt diximus loco citato num. 23. gravis est, & præcepta de eo à Legislatoribus lata, ex genere suo sub mortali obligant: ergo ex genere suo obligat graviter præceptum sanctificandi festa. ¶ Quartò: etenim obligatio servandi festa à Deo olim determinata, fuit gravis, & sub mortali obligans, vt liquet ex pœnis mortis, & lapidationis contra transgressores latis, de quibus vide Exod. 31. & Numer. 15. Ergo idem dicendum est de diebus festis ab Ecclesia loco illorum subrogatis. ¶ Quintò: nam leges Ecclesiasticæ habent potestatem ad graviter obligandum, vt docet Divus Thomas 1. 2. quæst. 96. art. 4. Ergo cum materia legis observationis festorum gravis sit, nihil deficit, vt ex se, & omni extrinseca circunstantia contemptus, aut scandali secluſa, sub mortali obligent.

Sententiæ nostræ assertioni opposita nunc est damnata.

135 Vltimò patet assertio ex eo, quod iam nostram conclusionem definivit Innocentius XI. damnans propositionem 52. quæ sic se habet: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus.* Ergo ex se, & omni secluſa alia circunstantia extrinseca adveniente, hoc præceptum graviter obligat. Vnde contraria sententia, quam tenuerunt Angelus, Rosela, & alij, quos refert, nec impugnat Machado tom. 1. lib. 1. part. 4. tract. 1. document. 1. num. 3. manet iam improbabilis, tum ob dicta; tum: quia affinis est propositioni 23. damnatæ ab Alexandro VII. circa obligationem ieiunij; tum denique: quia favet Luthero dicenti lib. adversus Chatarinum: *Duodecima facies Antichristi est festorum dierum observatio; cum omnes dies sint liberi, & ad feriandum, & ad laborandum.* Quare parendum omnino est decreto Summi Ecclesiæ Pastoris, & dicendum cum Bellarmino lib. 3. de cultu Sanct. cap. 20. Iure Divino præcipitur, vt aliqui dies festi observentur; & tamen nulli sunt certi dies à Iure Divino determinati: ergo debuit esse in Ecclesia potestas determinandi certos dies, & obligandi, graviter vtique, ad eorum observationem, quia alioquin non servaretur ius divinum. Videantur Lastra, Theatrum Morale, Hozes, Torrecilla, & alij dictæ propositionis damnatæ Expositores. Tenent que communiter Doctores apud Fagundez lib. 2. cap. 1. num. 7.

Præceptum sanctificandi festa obligat ad Sacrũ audiendum.

136 Circa secundam puncti partem dicendum est, præceptum Ecclesiasticum sanctificandi festa obligare, tum ad audiendum Sacrum, tum ad abstinendum prædictis diebus ab operibus servilibus. Hæc assertio quo ad primam partem infertur primò ex Concilio Tridentino sess. 22. de Sacrificio Missæ, vbi loquendo de Parochis, ait: *Moneant etiam eundem populum, vt frequenter ad suas Parrochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis accedant.* Ad audiendum vtique Missam, vt Doctores communiter explicant. ¶ Secundò probatur ex Sixto IV. in cap. *Vice illius, de Treuga, & pace in Extravagant. communib.* vbi in concordia inter Fratres mendicantes, & Parochos iubet: *Quod que fratres non prædicent populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochijs diebus festivis, & Dominicis, cum iure cautum sit, illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia, nisi forsam ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.* In quibus verbis supponit obligationem, quam fideles habent audiendi Missam diebus festis, & insuper addit hoc fieri debere in propria Parrochia. (Licet quo ad hanc vltimam partem iam hoc decretum est consuetudine abrogatum, vt probat cum alijs pluribus Doctoribus Suarez 3. part. tom. 3. disp. 58. sectione 2.) Ergo fideles tenentur sanctificare festa Sacrum audiendo. ¶ Tertiò probatur ex cap. *Missas, de consecrat.* dist. 1. his verbis: *Missas die Dominico Sæculares totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi Populus non præsumat.* Et in cap. *Omnes*, eadem dist. sic habetur: *Omnes fideles, qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, & Scripturas Apostolorum, & Evangelium audiant, qui autem non perseverant in oratione vsque dum Missa peragatur, nec Sacram Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit Communione privari.* Idem colligitur ex cap. *Sacerdotes* ibi, vt communiter tenent Doctores, & explicat Glossa dicto cap. *Missas.* Id etiam expressius constat ex Catechismo Romano in 3. Decal. præcept. vbi num. 26. ait: *Neque vero Parochus illud prætermittere debet, vt diligenter doceat, quibus in operibus, atque actionibus Christiani homines diebus festis exercere se debeant. Illæ vero eiusmodi sunt, vt ad Dei templum accedamus, eo que loco pia, syncera que animi attentione Sacrosanctæ Missæ Sacrificio interssimus, &c.* Ergo præceptum sanctificandi festa obligat ad audiendum Sacrum omnibus diebus festis.

Quædam notanda.

137 Sed nota: quod licet ibi dictum cap. *Missas*, tantum mentionem faciat diei Dominici, & de Sæcularibus præcisè loquatur, tamen praxis Ecclesiæ, & communis Doctorum sententia, ad alia festa, & ad omnes Christi fideles prædictum præceptum extendit. Et ratio est: quia vbi est eadem ratio, eadem debet esse iuris dispositio; sed eadem ratio est circa alios dies festos, & alios fideles Ecclesiasticos, ac circa diem Dominicum, & fideles sæculares quo ad obligationem audiendi Sacrum, vt patet: ergo licet tale præceptum expresse tantum loquatur de die Dominico, & de Sæcularibus, tamen sub se comprehendit alios dies festos, & etiam fideles Ecclesiasticos quo ad obligationem servandi festa, Sacrum audiendo. ¶ Deinde: quia in antecedentibus capitibus dictæ dist. 1. sermo fit de obligatione Sacerdotum ad celebrandas Missas, & de tempore, quo eas dicere debent: ergo suppositia obligatione celebrandi Missas, necesse non fuit, hanc respectu Sacerdotum repetere, sed tantum eam pro Sæcularibus indicere. ¶ Præterea: Solemne est in iure, & apud Doctores, nomine diei Dominicæ intelligi omnes alios dies festos, vt probat Navarrus in Manuali, cap. 21. n. 11.

Ergo

Ergo idem est dicere diebus Dominicis, ac omnibus diebus festis.

Præcedens doctrina amplius roboratur.

138 Denique suadetur assumptum: quia licet dictum cap. tantum loquatur de diebus Dominicis, tamen alij Iuris Canonici textus expresse etiam alios dies festos comprehendunt, vt patet ex cap. *Siquis etiam*, eadem dist. 1. de consecrat. vbi ex Concilio Agatensi dicitur: *Siquis etiam extra Parrochias, in quibus legitimus est, ordinarius que Conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, vt ibi Missas audiat, propter familiæ fatigationem, iusta ordinatione permittimus. Pascha vero, Natali Domini, Epiphania, Ascensione, Pentecoste, & Natali Sancti Ioannis Baptistæ, & siqui maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in Civitatibus, aut in Parrochijs audiant.* En vbi licet permittatur in minoribus festivitatibus in Oratorijs privatis Missas audire, tamen in solemnioribus ad Parrochias debent fideles concurrere. Quod constat etiam ex cap. 2. *de Parrochis.* Et ratio est pro omnibus festivitatibus eadem. Nam ideo in diebus Dominicis Missam audire tenemur, quia est dies festus, hoc est, divino cultui dicatus; sed aliæ solemnitates sunt etiam dies festi, divino que cultui ab Ecclesia dicati: ergo etiam in eis tenet præceptum audiendi Sacrum: ergo præceptum sanctificandi festa obligat ad sacrum omnibus festis diebus, & non tantum Dominicis audiendum. Sic tenent vniversalis Ecclesiæ Catholicæ traditio, & Doctorum communis sententia. Videantur specialiter Clemens Roman. lib. 7. Const. cap. 31. Divus Augustinus Serm. 251. Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. Navarrus in Manual. cap. 25. num. 1. Sotus in 4 dist. 13. quæst. 2. art. 1. Suarez tom. 3. in 3. part. disp. vlt. & tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 15. Sylvester verb. *Missa*, Bassæus etiam verb. *Missa*, 8. num. 1. Fagundez de Eccles. præcept. lib. 2. cap. 2. num. 9. Azor 1. part. lib. 7. cap. 1. quæst. 1. & cap. 4. quæst. 1. Filliucius lib. 1. tract. 27. cap. 8. Sayrus in Clavi Reg. lib. 7. cap. 2. Palaus tom. 2. tract. 9. disp. vnic. punct. 3. num. 1. & punct. 4. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 4. Bonacina disp. 4. de Sacrificio Missæ, quæst. vlt. punct. 12. num. 2. Barbosa in part. 3. Decret. cap. *Missas, de consecrat. dist.* 1. num. 1. Ledesma 1. part. tract. de Eucharist. cap. 27. concluf. 14. Leander de Eccles. præcept. tr. 2. disp. 1. quæst. 4. Dicastillus de Sacrificio Missæ, tract. 5. disp. 1. à num. 2. ad 4. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 3. Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 2. Genettus tom. 6. tract. 4. cap. 2. quæst. 1. & alij, quos sequti sumus tom. 1. tract. 5. cap. 6. punct. 1.

Præceptum colendi dies festos obligat ad abstinendum à servilibus.

139 Aliud huius conclusionis membrum, scilicet, quod præceptum sanctificandi festa obliget prædictis diebus ad abstinendum à servilibus, constat ex illo Levit. 23. v. 7. *Nullum que servile opus facietis in eo.* Et Deut. 5. v. 14. *Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, &c.* Et Exod. 20. v. 10. *Non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, &c. Quibus verbis*, (ait Catechismus Romanus part. 3. de festor. observ. n. 22.) *ad id primum instruimur, vt quæcumque divinum cultum impedire possunt, omnino vitemus, facile enim perspici potest, omne servilis operis genus prohiberi, non quidem ea re, quod sua natura, aut turpe, aut malum sit, sed quoniam mentem nostram à divino cultu, qui finis præcepti est, abstrahit.* Id etiam constat ex cap. *Licet, de Ferijs.* Docent que Divus Thomas loco allegato, & alij Doctores supra relati. Sed quia de hoc latius infra, sufficiat nunc ea extremis digitis tetigisse. ¶ Hic vero duo notare oportet; primò: Hoc præceptum Ecclesiasticum servandi festa esse affirmativum, ex quo iubeat audire Missam; & negativum, ex quo simul præcipiat ab operibus cessare. Secundò: His duobus tantum adimpleri præceptum sanctificandi festa; quia ad aliam obligationem imponendam, non adest vllum fundamentum, cum non inveniatur tale præceptum, nec alias constet ex traditione, aut consuetudine Ecclesiæ, vt magis ex argumentorum solutione constabit.

Prima obiectio.

140 Sed contra dicta obijcies primò: Nam præter dicta in dicto cap. *Omnes, de consecrat. dist.* 1. quod desumptum est ex Canone 10. Apost. præcipitur, audire Evangelium, & Scripturas, nec non perseverare in oratione vsque dum Missa peragatur, & accipere Communionem, vt constat ex verbis dicti capitis supra pro nostra conclusione relatis: ergo non adimpletur hoc præceptum per solam auditionem Sacri, & cessationem à servilibus. ¶ Sed ad hoc facile respondetur, dicendo quod dictis verbis tantum præcipitur, quod fideles devote assistant Sacrificio Missæ; sed quia in Missa legitur Sacra Scriptura, & Christi Evangelium, & simul à Sacerdotes plures funduntur orationes pro Ecclesia, pro Principibus Catholicis, & Populo, ideo dicitur, quod prædicta audiant, & in orationibus persistant, attendendo his, quæ à Sacerdote peraguntur. Possunt tamen, si velint, alias orationes privatas tunc dicere, sed ad id minime obligantur. Ad illud vero, quod dicitur de Communione, ait bene Suarez cap. 16. lib. 2. sup. relat. quod est consuetudine contraria abrogatum, & solum in Resurectionis Pascha tale præceptum nunc obligat.

Secunda obiectio.

141 Obijcies secundò: Nam in cap. *Sacerdote*, dist. 1. de consecrat. desumpto ex Concilio Cartaginensi 4. cap. 24. dicitur: *Sacerdote verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio frerit, excommunicetur.* Ergo auditio concionum graviter obligat. Deinde Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 2. & sess. 24. de reformat. cap. 4. præcipit, quod Episcopi, & Parochi saltem diebus Dominicis, & solemnioribus festivitatibus Populo per se, aut per alios verbum Dei prædicent: ergo & fideles tenentur talem audire concionem. ¶ Ad hoc argumentum respondetur, fideles minime, ex præcepto sanctificandi festa, teneri ad audiendam concionem; tum: quia nullibi invenitur expresse talis obligatio; tum: quia sine dicta concione Deus per Missæ Sacrificium colitur, quod vnice in hoc præcepto iubetur. Neque aliud con-

convincitur ex cap. *Sacerdote.* Nam vt ibi explicat Gloſſa, ſolum loquitur de eo, qui ex contemptu concionem non vult audire. Præterea ibi, vt notat Suarez num. 8. non præcipitur fidelibus, vt audiant concionem, ſed vt Sacerdote concionante nemo egrediatur, quare qui antequam prædicet, egreditur, contra hunc Canonem non ageret.

Reſpondetur auctoritati Tridentini.

142 Ad id quod ex Concilio Tridentino additur, fatemur Epiſcopos, & Parochos teneri prædictis diebus populum inſtruere, & edocere, at ex hoc non infertur obligatio in alijs fidelibus ad audiendam concionem; & ratio conſtat: quia obligatio Paſtoris ad oves inſtruendas oritur ex neceſsitate populi; cum autem populus regulariter indigeat verbo Dei, quia ex eo communiter aliqui ſunt, qui myſteria fidei ignorant; ideo etiam regulariter tenentur Paſtores ad concionandum, populum que prædictis diebus inſtruendum. Obligatio autem fidelium ad concionem audiendam, naſcitur ex neceſsitate particulari vniuſcuiuſque; cum ergo nec quilibet ignoret myſteria fidei, ſeu neceſſaria ad ſalutem, vel ſi ignoret, poteſt alia via addiſcere, vel ex concione habita die profeſto, vel alijs adhibitis Magiſtris, hinc eſt, quod eſto Parochi regulariter diebus Dominicis teneantur ad verbum Dei populo prædicandum; at populus, ſeu fideles ex ſe ad illud audiendum non tenentur ex vi præcepti ſanctificandi feſta; & ſolum ipſos obligabit quoties ad ſui inſtructionem fuerit neceſſarium ſacras conciones audire.

Qualiter obliget Paſtores præceptum prædicandi.

143 Sed hic notare oportet, quod Suarez dict. cap. 16. num. 7. Bonacina diſp. 5. de tertio Decal. præcept. quæſt. vnic. punct. 2. in fine, & Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 4. num. 5. docent, non peccare graviter Parochos, qui interdum, vel etiam ſæpius verbum Dei prædicare omittunt. Et moventur: quia verba Concilij dicunt: *Si ita oportere duxerint... Et alias quotieſcumque id opportune fieri poſſe iudicaverint.* Ex quibus inferunt, quod pro ſingulis Dominicis, & feſtis non obligantur ſub rigoroſo præcepto ad verbum Dei prædicandum, cum eorum prudenti iudicio id remittat Sacra Synodus. ¶ Sed certe ſi ad verba Concilij attendamus, talis intelligentia eius menti adverſatur; nam abſolute præcipit Concilium diebus Dominicis, & feſtis verbum Dei prædicare; at tempore Adventus, & Quadrageſimæ *quotidie*, vel ſaltem *tribus in hebdomada diebus*, & tunc addit limitationem prædictam, *ſi ita oportere duxerint.* Ergo falſum eſt, quod talis limitatio cadat ſupra præceptum prædicandi verbum Dei diebus Dominicis, & feſtis; ſed potius dicendum eſt cadere circa prædicare tempore Adventus, aut Quadrageſimæ, *quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus.*

Verba Concilij Tridétini circa præſentem materiam.

144 Sed vt benignus Lector inter noſtram, & contrariam circa verba Concilij intelligentiam diiudicet, audiat ipſiuſmet verba ex ſeſſ. 24. cap. 4. de reformatione tranſcripta, quæ ſic ſe habent: *Prædicationis munus, quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens Sancta Synodus, quo frequentius poſsit ad ſalutem fidelium exerceri, Canones alias ſuper hoc editos ſub felic. recordat. Pauli III. aptius præſentium temporum vſui accomodando, mandat, vt in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut ſi legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus aſſument; in alijs autem Eccleſijs per Parrochos, ſive his impeditis, per alios ab Epiſcopo impenſis eorum, qui eas præſtare, vel tenentur, vel ſolent deputandos in Civitate, aut in quacumque parte Diœceſis cenſebunt expedire, ſaltem omnibus Dominicis, & ſolemnibus diebus feſtis; tempore autem ieiunorum Quadrageſimæ, & Adventus Domini quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportune duxerint, Sacras Scripturas, divinam que legem annuncient, & alias quotieſcumque id opportune fieri poſſe iudicaverint.* Huc vſque Sacroſancta, & Eucumenica Synodus. In quibus cuilibet, etiam pure Grammatico patebit, quam accomodata, & propria ſit noſtra circa hæc verba ſupra relata intelligentia. Et ideo cum Barboſa de officio, & poteſtate Parrochi, part. 1. cap. 15. num. 1. ſentimus, quod ex verbis Concilij Epiſcopus, & Parrochi per ſe, aut per alios à ſe deputatos, tenentur diebus Dominicis, & feſtis populum inſtruere, Sacras Scripturas annunciando. Et licet aliquibus in locis videamus, hoc præceptum eſſe contraria conſuetudine aliqualiter abrogatum, tamen in alijs audimus, ad vnguem obſervari, & ab Epiſcopis cenſuris, alijs que pœnis Parrochos ad huic muneri ſatisfaciendum cogi. Quapropter Bonacina, & Palaus vbi ſupra (& ſi noſtræ verborum Concilij intelligentiæ contrarij,) docent, quod ſi Paſtores vno integro menſe continuò omittant divinæ legis explicationem, aut tribus in vno anno, peccabunt mortaliter; quia grave damnum inferunt populo, ſi tanto tempore doctrina cœleſti privetur: nec præſumi poteſt, inſtructione illa populum, ſaltem ſecundum aliquos, non indigere.

Incidens evaſio præcluditur.

145 Sed ſi quis eos, qui aliter faciunt, à culpa liberare procuret, poterit reſpondere, quod tam frequens verbi Dei prædicatio ſolum pro illis temporibus fuit præcepta; quod vtique videtur aliqualiter colligi ex illis verbis Concilij: *Præſentium temporum vſui accomodando.* Sed ſi verum fateamur, non minus in illis, quam in noſtris temporibus fideles doctrinæ Chriſtianæ indigent explicatione. Quare ad eam tenentur Parrochi, & ſi ſæpius illam omittant, lætaliter peccabunt. Iudicamus tamen, quod ſi ob iuſtas cauſas aliquibus Dominicis omittant Parrochi explicare, & edocere doctrinam Chriſtianam, & alijs diebus, aut temporibus, v. g. Adventus, aut Quadrageſimæ, dies omiſſos repetant, nullo modo peccabunt. Tum: quia ſic neceſsitas colligendi fructus aliquando exigit, & praxis timoratorum tenet. Tum: quia Epiſcopi id etiam prudenter, non ignari, tolerant.

Tertia obiectio, & eius ſolutio.

146 Tertiò Obijcies: Quoniam in cap. *Omnis Chriſtianus, de conſecrat.* diſt. 1. dicitur: *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre, & ducere*

ad

ad memoriam, quod Deus per Moysem dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus. Ergo præter auditionem Sacri in diebus festis fideles ad oblationes tenentur. ¶ Respondetur primò: quod, vt ait Glossa, dictum caput intelligitur, quod nullus Christianus coram Deo bonis operibus vacuus appareat. Secundò: quod si loquatur de alijs oblationibus, talis textus nullam obligationem inducit, sed solum quandam admonitionem, & exortationem ad eas continet, cum dicat: *Omnis Christianus procuret.* Quapropter si datur obligatio de offerendis oblationibus, hoc non pertinet ad præceptum sanctificandi festa, sed ad aliud distinctum, de quo suo loco agemus.

Quarta, & vltima obiectio.

147 Quartò obijcies: Actibus charitatis, & contritionis in diebus festis necessario debet Deus coli: ergo non tantum obligamur ad auditionem Sacri. Antecedens patet quo ad charitatis actum; nam festa instituta sunt ad vacandum Deo, ipsum que colendum; sed non aliter melius coli potest quam actu charitatis: ergo ad illum tenemur. Quo ad actum contritionis etiam ostenditur maxime in his, qui mortali peccato gravantur. Etenim qui se mortali culpa gravatum agnoscit, quomodo Deum colere, & ei, cui est invisus, poterit vacare, sicut in hoc præcepto iubetur? ergo ad adimplendum festi præceptum, tenetur ad contritionem qui se culpa mortali gravatum agnoscit. ¶ Et confirmatur ex eo quod in die Sabbati præcipiebatur Iudæis Levit. 16. & 23. v. 27. *Affligetis animas vestras in eo.* Qui quidem textus de contritione intelligitur: ergo cum dies Sabbati in Dominicum fuerit quo ad Dei cultum ab Ecclesia translatus, nunc etiam ad contritionem de peccatis cultus festivitatis Dominici obligabit.

Fit satis vltimæ obiectioni.

148 Huic obiectioni plene satisfecimus supra punct. 2. à num. 8. ad 14. ex quibus nunc breviter dicimus, præceptum sanctificandi diem Dominicum nunc expresse esse de auditione Sacri, & cessatione à servilibus, ad quos actus exercendos, & eis honorandum Deum, minime necessarij sunt actus charitatis, & contritionis; cum auditio Sacri solum exigat attentionem religiosam nullis actionibus exterioribus impeditam, quam quilibet, & si in peccato mortali existens optime habere valet. Maxime quia sanctificatio festi, quam Deus, & Ecclesia diebus Dominicis præcipiunt, est per cultum externum; sed contritio, & Dei dilectio sunt actus interni: ergo non sunt actus, per quos Deus diebus festivis coli, & honorari à fidelibus iubet. Videantur Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 16. & Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 4. num. 6.

Duplex responsio ad confirmationem.

149 Ad confirmationem respondetur primò ex Iosepho lib. 3. cap. 10. quod modus, quo Iudæi celebrabant festum expiationis à peccatis, erat ieiunando tota illa die vsque ad vesperam. Abulensis vero quæst. 22. addit vltra hoc, quod tota illa die abstinebant se Iudæi à potu, vxore, & balneis, insuper que nudis pedibus incedebant. In quibus, vt patet, nulla mentio fit contritionis de peccatis, sicut argumentum intendit, ac proinde nec hinc argui potest, quod Christiani ad colendos dies festos media contritione teneantur. ¶ Sed si dicamus cum Cornelio, quod hodie Iudæi ex vi huius legis confitentur in festo Expiationis peccata sua, & pro eis sibi plagas, & verbera infligunt, sicut ab eis ipsis ipse Cornelius audisse testatur, vnde colligi videtur, actus contritionis elicere; respondetur secundò, vel quod etsi confiteantur peccata, actus contritionis non eliciunt, cum vnum ex alio non sequatur, maxime cum illa confessio præcisè materialis forte sit; vel quod cæremonia illa festi Expiationis non erat specialis pro cultu diei Sabbati, sed vnice ad solum particulare Expiationis festum attinebat; vel denique: quod lex illa Levitici iam cessavit, & siquid ei succesit in nova lege, est pœnitentia Sacramentalis, quæ tantum tempore annuæ confessionis, non vero diebus festis obligat. Videatur Divus Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 10. & quæst. 103. art. 3. ad 4.

Cõclusio doctrinæ hucvsque traditæ.

150 Ex quibus omnibus plane convincitur, quod præceptum sanctificandi dies festos solum obligat fideles ad Sacri auditionem, & cessationem ab operibus servilibus, quin ad eius adimpletionem religiosam alios virtutum actus elicere sit necesse. At quia circa auditionem Sacri, & cessationem à servilibus plurimæ, satis que graves Morales quæstiones versantur, ideo de eis seorsim in sequentibus punctis agendum nobis est.

PUNCT. IX.

Qui teneantur ad dies festos observandos, qui pro vniversali Ecclesia, aut pro aliqua Provincia indicuntur?

LIcet in præsenti agendum nobis esset de præcepto audiendi Missam diebus festis, & ab operibus servilibus feriandi, cum in his duobus tota huius tertij præcepti Decalogi claudatur obligatio; tamen prius dubia, quæ titulus offert, examinare oportunum duximus, quia plura, quæ ad Missæ præceptum attinent, ex his, quæ in præsenti dicemus, lucem accipient. Sed vt confusio vitetur, diversis §§. punctum secabimus; in quorum primò de omnibus fidelibus in communi circa obligationem servandi festa, & de tempore ad id requisito agemus: in secundò sermo erit de peregrinis in ordine ad festa particularia propriæ patriæ: in tertiò vero de eisdem peregrinis in ordine ad festa locorum, per quæ transeunt, loquemur: & in quartò denique differemus

mus de Religiosis, tam in ordine ad festa Diœcesana, seu ab Episcopis indicta, quàm ad alia, quæ populi observare vovent.

§. I.

Qui Christi fideles, & in qua ætate ad festa sanctificanda obligentur?

Omnes fideles rationis compotes ad observanda festa tenentur.

151 CIrca quam difficultatem dicendum est, omnes vtriusque sexus fideles, statim ac vsu rationis gaudent, teneri ad præceptum sanctificandi festa, quæ in vniversali Ecclesia observantur; ad ea vero, quæ in aliquo Oppido, Civitate, aut Provincia ex præcepto Episcopi coluntur, teneri cives, & incolas illius Civitatis, aut Provinciæ. Et ratio huius conclusionis est evidens. Nam omnis fidelis statim ac vsu rationis gaudet, (qui post septimum annum regulariter illucescere, & advenire creditur) est capax obligationis legis naturalis, & divinæ, cum tunc in Deum se convertere debeat, & omnia naturalia, & divina præcepta teneatur observare: ergo etiam est capax obligationis cuiuscumque legis Ecclesiasticæ, si hæc tempus pro eius obligatione non designat. (qualis est lex festa observandi) Tunc sic: sed lex servandi festa quo ad substantiam est naturalis, & divina, & quo ad designationem festorum est Ecclesiastica: ergo omnes vtriusque sexus fideles, capaces sunt obligationis huius legis naturalis, divinæ, & Ecclesiasticæ, & consequenter eos obligat, statim ac ad rationis vsum perveniunt. ¶ Confirmatur primò: Pueri dum ad rationis vsum perveniunt, sunt capaces doli, & rationis, vt constat: ergo & legis Ecclesiasticæ, quæ in ratione fundatur, mala que contraria prohibet. ¶ Confirmatur secundò: Nam in lib. 5. Decret. tit. 38. de pœnit. & remission. cap. *Omnis* dicitur: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, &c.* Ergo etiam tenebitur ad sanctificanda festa, v. g. audiendo Missam. Patet consequentia: cum plus requiratur ad bene se sacramentaliter confitendum, quam ad Sacrum devote audiendum: ergo si præceptum annuæ confessionis obligat omnes fideles, cum ad annos discretionis perveniunt, etiam præceptum servandi festa eos tunc obligabit. Sic docuimus, pluribus Doctoribus relatis, tract. 11. cap. 3. punct. 4. num. 52. & tenent communiter Auctores, & vltra ibi allegatos nostram conclusionem defendunt Divus Antoninus 2. part. Sum. tit. 9. cap. 10. §. 1. Sotus dist. 3. quæst. 2. art. 1. Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 88. sect. 4. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 3. n. 1. Rocafull. 3. part. Praxis Moral. lib. 1. de legib. cap. 4. num. 73. Filliucius tract. 27. num. 101. Leander tom. 3. tract. 1. disp. 3. quæst. 3. Dicastillus tract. 5. de Sacrif. Missæ, disp. 5. dub. 1. num. 9. Ledesma 1. part. tract. de Euchar. cap. 27. conclus. 13. & alij.

Quædam inferuntur ex dictis.

152 Ex quibus sequitur primò: quod si alicui ante septennium rationis perfectus vsus illuxerit, tunc tenebitur ad præceptum sanctificandi festa. Et ratio est: quia hoc præceptum apud omnes fere Doctores eodem tempore, ac præceptum annuæ confessionis obligat; sed hoc obligat, cum homo ad annos discretionis pervenit, quamvis sit ante septennium: ergo & illud. Sic Suarez 3. part. tom. 3. disp. 88. sect. 4. fine. Navarrus in Manual. cap. 21. num. 7. Azor tom. 1. Instit. Moral. lib. 7. cap. 2. quæst. 1. Fagundez lib. 2. primi Ecclesiæ præcept. cap. 2. num. 7. & tenere debent omnes, quos allegavimus tract. 6. cap. 7. punct. 1. num. 4. docentes: præceptum annuæ confessionis obligare pueros statim, dum vsum rationis perfecte attingunt. ¶ Nota vero, quod si septennio expleto, dubium sit, an vsus rationis advenerit, credendum est advenisse: quare præcepto audiendi Sacrum tunc pueri tenentur. Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 12. num. 13. Diana 4. part. tract. 3. resol. 52. Bonacina de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 6. num. 9. Si vero septennium non expleverint, & dubitetur de vsu rationis, ait Diana ibi quæst. 53. cum Villalobos tom. 1. tract. 9. difficult. 28. num. 3. & Layman lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 7. quod tunc debent pueri sub conditione absolvi: quia in dubio inclinandum est in favorem animæ. Et in ordine ad Sacrum audiendum, monet Suarez loco citato, quod dum adsunt signa probabilia discretionis, pueri cogendi sunt audire Sacrum. Et Divus Antoninus iustissime admonet, quod à tenera ætate pueri à Parentibus inducantur, & deferantur ad audiendam Missam, vt sic hanc legem assuescant observare. Sed hoc consilium tantum est, non vero præceptum.

Inferuntur alia.

153 Sequitur secundò: Infantes carentes vsu rationis, stultos que, & omnes illos, qui rationis compotes non sunt, non teneri præcepto sanctificationis diei festi. Et ratio est evidens: cum hi non sint capaces præcepti, nec legis, nec alias actum hac lege præceptum adimplere religiose possint. ¶ Sequitur tertiò: hoc præceptum infideles minime obligare. Tum: quia legibus Ecclesiasticis directe infideles obligari nequeunt; quoniam, vt ait Apostolus 1. ad Corinth. 5. v. 12. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare? Non ne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicavit.* Tum etiam: quia infideles, cum Ecclesiæ membra non sint, non sunt Sacrificij Missæ capaces, cum nec possint illud offerre, nec pro eis offerri possit quo ad fructum ex opere operato. Vnde oritur, quod nec etiam Cathecumeni hoc præcepto ligantur, cum etiam extra Ecclesiam sint: quare solum admittuntur ad Missam Cathecumenorum, hoc est vsque ad Offertorium, nec ad hoc proprie valent obligari; nam qui non obligantur ad substantiam actus Missæ, quæ in consecratione, & consumptione consistit, nec poterunt obligari ad ea, quæ accidentaria illi sunt. ¶ Sequi-

quitur quartò: Clericos, & Religiosos hoc præcepto etiam obligari. Tum ex dictis initio puncti antecedentis. Tum etiam: quia licet ex cap. *Missas*, videantur tuntum obligari Sæculares, tamen solemne est in iure, nomine Sæcularium intelligere etiam Clericos. Tum præterea: quia Religiosi, & Clerici magis ratione status ad divinum cultum obligantur. Tum denique: quia in cap. *Omnes fideles, &c.* cap. *Cum ad celebrandas, &c.* cap. *Qui die, &c. de consecrat. dist.* 1. clare dicitur, hoc præceptum generale esse, & sub eo omnes vtriusque sexus fideles comprehendi. Vnde inferunt Doctores, etiam Episcopos hoc præcepto ligari ad Sacrum diebus festis audiendum; imò & quotidie ad id teneri, tum ratione decentiæ; tum: quia sic habetur *cap. vltimo, de privilegijs, in 6.* De quo videantur Navarrus in dict. cap. & in Manual. cap. 21. & Ledesma 1. part. de Euchar. cap. 27. concluf. 13. pag. 147.

Sententia contraria, & eius argumenta.

154 Sed contra nostram conclusionem sentiunt Corduba in Sum. q. 160. Henriquez lib. 8. de Euchar. cap. 42. num. 4. Ostiensis, & Ancharranus in cap. *Omnes vtriusque sexus*, & alij. Arguunt que sic primò: Nam caput *Omnes vtriusque sexus, de pœnitentijs, & remissionibus*, eodem modo loquitur de præcepto confessionis annuæ, ac de præcepto Sacræ Communionis; sed ad Sacram Communionem non obligantur pueri, statim ac vsu rationis gaudent, sed vel vsque ad decimum, aut vndecimum annum; vel vsque dum ad annos pubertatis perveniunt, qui in fœminis dicitur duodecimus, & in viris quatuordecimus: ergo nec ad confessionem: ergo nec ad auditionem Sacri, cum Doctores eodem modo loquantur de præcepto confessionis, ac auditionis Sacri. ¶ Secundò: Nam Ecclesia non obligat pueros, vsque dum annos pubertatis attingunt, ad pœnas, v.g. Excommunicationis, quæ essent imposita contra violantes præceptum annuæ confessionis, etsi ipsi in Quadragesima non confiteantur, vt patet ex cap. *Extra*, de delictis puerorum: ergo quia credit ad dictum præceptum non teneri statim, ac rationis vsum attingunt; & consequenter nec ad præceptum sanctificandi festa, seu audiendi Sacrum.

Solvitur primum argumentum.

155 Ad primum argumentum negamus in dicto cap. *Omnes*, eodem modo loqui de præcepto confessionis, ac Communionis Eucharistiæ. Nam, vt vidimus in probatione nostræ conclusionis, expresse dicitur, quod omnes fideles statim ac ad discretionis annos perveniunt, tenentur ad præceptum annuæ confessionis; at de præcepto Communionis ita immediate loquitur: *Et iniunctam pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum.* En vbi tempus sumendi Eucharistiam discretioni Confessoris relinquit, quod vtique non facit, dum de præcepto confessionis agit. Et ratio differentiæ esse potest, quia cum maior reverentia debeatur Sacramento Eucharistiæ, quam confessionis; & alias cum non sit ita necessarium ad salutem, ideo iubet, vt præceptum confessionis obliget statim, ac possumus peccare; at Communionis duntaxat, quando arbitrio Confessoris sufficientem cognitionem de tanto Eucharistiæ mysterio pœnitens habere iudicetur. Videantur à nobis dicta tr. 4. cap. 8. punct. 1. & 2.

Secundum argumentũ solvitur.

156 Ad secundum constat ex dictis tract. 10. cap. 1. punct. 13. num. 168. & ex ibi stabilitis respondetur, quod pueri, dum ad annos discretionis perveniunt, possunt Ecclesiasticis censuris ligari; attamen de facto ab Ecclesia pueri non ligantur: tum: quia Ecclesiasticæ censuræ gravitatis perfectam cognitionem habere non possunt: tum: quia vt Mater pia convenientius credit, quod potius virgis, quam censuris pueri corrigendi sunt. Vnde in cap. de delictis puerorum dicitur: *In pueris relinqui solet invltum, quod in alijs progressioris ætatis humanæ leges dicunt severius puniendum.* Cæterum ex quo leges humanæ relevent ex benignitate pueros à censuris, alijs que pœnis, non sequitur, quod eos relevet à culpa, & ab obligatione earum; nam etiam leges Civiles, v. g. leg. *Iulia, ff. de adulterijs*, & leg. *Gracchus, eodem titulo*, relevant à pœnis eos, qui propria auctoritate occidunt adulteros cum proprijs vxoribus in fragranti compertos, & tamen leges Ecclesiasticæ à culpa eos non excussant, vt patet ex propositione 19. ab Alexandro VII. damnata, cuius thenor sic erat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem in adulterio deprehensam.* Et etiam constat ex dictis à nobis tom. 1. tract. 6. cap. 8. n. 86. & tom. 3. tract. 13. cap. 2. num. 14. & ex Divo Thoma in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 10. Ergo similiter ex quo pueros Ecclesia nolit ex benignitate gravi ferire censura ob violationem præcepti annuæ confessionis, non sequitur quod eos relevet à culpa, & ab obligatione dictæ legis. Quapropter non solum ad hanc legem pueri tenentur, verum etiam ad legem sanctificandi festa per auditionem Sacri; sicut etiam omnes concedunt, esse obligatos in ferijs sextis, vigilijs Sanctorum, & Quadragesimæ tempore præcepto abstinentiæ à carnibus, vt infra dicemus.

§. II.

De Peregrinis in ordine ad festa proprij Territorij.

POstquam in communi decisum manet, omnes Christi fideles teneri ad festa observanda; restat videre, qualiter peregrini ad ea obligentur? Et licet de hac, & sequenti quæstione aliqualiter actum nobis sit tr. 11. cap. 3. punct. 5. tamen quia hic propriam sedem habent, & aliqua scitu digna in eis desiderantur, ideo in præsenti ad examen iterum vocamus, & omnia, quæ hic dicturi sumus, conformiter ad ibi dicta, resolvemus.

Supponuntur aliqua.

157 Sed prius ſupponendum eſt, hic non loqui de Vagis; quia cum hi proprium domicilium non habeant, tenentur ad obſervanda feſta loci, vbi ſunt. Deinde nec loquimur de his, qui domicilium mutarunt; nam hi iam non ſunt peregrini, ſed ſubditi, & incoli loci, in quo habent domicilium, & ſic tenentur ad obſervanda feſta propria illius loci, Diœceſis, aut Parrochiæ. Dicuntur vero domicilium mutare, qui incipiunt alicubi habitare animo perpetuo manendi, vt conſtat ex leg. *Domicilium*, *ff. ad municipalem*. Nec denique loquimur de feſtis, quæ ab vniverſali Eccleſia ſervantur; nam ad hæc teneri, ſub lite non eſt. Quare difficultas præſens ſolum verſatur circa peregrinos, & viatores, quando per modum tranſitus extra proprium territorium exiſtunt: An videlicet teneantur ad feſta particularia propriæ patriæ, aut Diœceſis?

Peregrini ſecundũ aliquos tenentur ad feſta particularia ſui territorij.

158 Circa quam difficultatem bipartiti ſunt Doctores. Aliqui enim affirmant, teneri huiuſmodi peregrinos ad feſta patriæ ſervanda. Et moventur primò: quia prædicti peregrini, & ſi à patria per breve tempus diſcedant, ſunt membra illius, & ſubditi Epiſcopi Diœceſani: ergo tenentur ſe conformare cum alijs concivibus, & ſubijci legibus proprij Epiſcopi. ¶ Secundò: nam qui caſu, & per breve tempus à patria abeſt, non dicitur moraliter abeſſe, vt docet Bartholus leg. *Quæſitum*, 78. §. *finali*, *ff. de legatis*. Ergo tenetur legibus patriæ, qui per breve tempus extra eam exiſtit. ¶ Tertiò: quia alias prædicti peregrini ad nulla feſta particularia Diœceſis tenerentur: non ad feſta patriæ, vt tenet contraria ſententia; non ad feſta loci, vbi peregrinantur, vt poſtea dicemus: ergo ad nulla tenerentur: ſed hoc falſum eſt, tum ex regulla illa iuris in 6. *Qui ſentit commodum, debet ſentire incommodum*: tum etiam: quia contrariom patet exemplo Iudæorum, qui tenebantur ad legalia obſervanda, donec poſt Chriſti mortem cæperunt ad legem Evangelicam obligari: ergo peregrini vſque dum obligentur ad feſta loci, vbi ſunt, tenentur legibus, & præceptis patriæ. ¶ Quartò: quia ſi contraria ſententia teneret, poſſet quis facile hoc præceptum eludere, tranſeundo ad vicinum locum, vel ad aliam Parrochiam, aut Monaſterium, vbi præceptum non vrget, & ibi laborare; ſed hoc eſt inconveniens, cum nemini fraus debeat contra legem patrocinari: ergo tenetur ad feſta patriæ obſervanda. Hanc ſententiam docent Sylveſter verb. *Ieiunium*, quæſt. 2. diſt. 2. & ibi Roſella num. 16. Paludanus in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 3. num. 26. Divus Antoninus 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 2. & alij, quos referunt Sanchez de Matrimonio, lib. 3. diſp. 18. num. 17. & Salas de legib. diſp. 14. ſect. 5. num. 59.

Negativa ſententia amplectitur, & probatur.

159 Nihilominus dicendum eſt: peregrinos dum à proprio territorio abſunt, ad leges, & feſta patriæ minime teneri. Quæ concluſio probatur primò ex cap. *Vt animarum*, verſ. *Statuto Epiſcopi*, *de Conſtit. in 6.* vbi dicitur, quod furans extra propriam Diœceſim, non tenetur ad excommunicationem ab Epiſcopo contra furantes latam: ergo cum eadem ſit ratio de lege ab eo lata ad feriandum in die aliquo feſto, tenendum eſt, ad tale feſtum colendum non teneri. Antecedens conſtat ex verbis dicti capitis, in quo Bonifacius VIII. ſic ait: *Statuto Epiſcopi, quo in omnes, qui furtum commiſſerunt, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi eius extra eius Diœceſim exiſtentes, minime ligari noſcuntur, cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune.* Quam rationem ſumpſit Pontifex ex leg. vlt. *ff. de iuriſdict. Iudicum*, vbi Gloſſa explicat, quod extra territorium non parens, ad pœnas legis non tenetur: ergo nec etiam extra territorium exiſtens ad feſta propriæ patriæ tenebitur. ¶ Secundò. Nam Divus Auguſtinus epiſt. 118. ad Ianuarium, cap. 2. refertur cap. *Illa*, diſtinct. 12. ait, quod dubitante Matre eius Monica, an Mediolani Sabbathum ieiunare deberet, Divum Ambroſium conſuluiſſe, & ſic ei reſpondiſſe: *Cum Romam venio, Sabbatho ieiuno, cum Mediolani ſum, non ieiuno. Sic & tu ad quancumque Eccleſiam veneris, eius morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, aut quemquam tibi. Hoc cum Matri renunciaſſem, inquit Auguſtinus, libenter amplexa eſt; ego vero de hac ſententia, etiam, atque etiam cogitans, ita ſemper habui, tanquam eam cœleſti oraculo ſuſceperim.* Ergo ſentiunt Divus Ambroſius, & Divus Auguſtinus, quod leges, conſuetudines, & præcepta patriæ extra illam non obligant, & ſi quis domicilium non mutaverit. ¶ Tertiò probatur à ratione; quia conſuetudines locales, & ſtatuta directe, & per ſe reſpiciunt territorium, & ei ſunt affixa, cum ſint lata in bonum Communitatis illic degentis: ergo non obligant abſentes ab illo.

Duplex pro noſtra ſententia confirmatio.

160 Confirmatur primo: Quia præceptum de aliquo feſto colendo in aliquo particulari loco, determinate, & per ſe reſpicit cultum religioſum, pro vt in tali loco Deo tribuendus eſt à vicinis illius, vel in alicuius beneficij ſpecialis gratiarum actionem, vel ad ſibi ipſis aliud novum beneficium adquirendum: ergo tantum obligat homines pro vt in dicto loco exiſtentes. ¶ Confirmatur ſecundò. Nam, vt commune apud Doctores eſt, Navarri, & Luſitani per Caſtellam iteragentes poſſunt Sabbathis extrema, & viſcera animalium comedere, eſto in proprijs Provincijs id ſit illicitum: ergo ſimiliter poterunt laborare diebus feſtis proprijs ſuæ patriæ, qui in Caſtella non feriantur. Hanc ſententiam defendunt communiter Doctores tam Iuriſtæ, & Canoniſtæ, quàm Theologi, maxime Abbas cap. *A nobis* 1. *de ſententia excommunicationis*, num. 11. Covarrubias 4. variar. cap. 20. num. 8. Et in cap. *Alma*, 1. part. §. 10. num. 3. Navarrus in ſum. cap. 13. num. 5. & cap. 23. num. 120. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 13. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 30. fine. Leſsius de iuſtitia, & iure, lib. 4. cap. 2. dubitat. 8. Sayrus lib. 7. Clav. Reg. cap. 3. numer. 11. Petrus Ledeſma de Matrimon. quæſt. 45. punct. 3. dub. vltim. Sanch. de Matrimon. lib. 3. diſp. 18. num. 18. & 21. Ludovic. Lopez 1. part. inſtruct. cap. 52. §. *Nec peccant*,

Villa-

Villalobos tom. 1. ſumm. tract. 2. difficult. 34. num. 1. Palaus tom. 1. tract. 3. diſput. 1. punct. 24. §. 5. num. 1. Salas de legib. diſput. 14. ſect. 5. num. 62. Fagundez de primo Eccleſ. præcept. lib. 1. cap. 7. num. 3. Diana 1. part. tract. 9. reſol. 18. & tract. 10. reſolut. 14. Bonacina tom. 2. diſp. 1. de legib. quæſt. 1. punct. 6. num. 59. Leander de obſervat. feſt. tract. 1. diſp. 3. quæſt. 6. 7. & 8. Trullench lib. 3. in Decalog. cap. 1. dub. 3. num. 3.

Primo argumento ſententiæ contrariæ reſpondetur.

161 Ad primum argumentum ſententiæ contrariæ reſpondetur concedendo, prædictos peregrinos, etiam dum per breve tempus à patria abſunt, eſſe vere membra illius Communitatis, & ſubditos Epiſcopi; at ex hoc non ſequitur, quod teneantur ad feſta, quæ in proprio territorio obſervantur. Et ratio eſt: quia lex de obſervandis feſtis non fertur abſolute in ſubditos, ſed in ſubditus, prout exiſtunt in ſua Diœceſi, aut in determinato loco, vel, vt melius dicam, fertur in locum, & ratione exiſtentiæ in tali loco in ſubditos. Unde cum lex non obliget vltra intentionem legislatoris, nequit obligare abſentes ab eo, cum abſens nequeat feſtum in tali loco colere, & obſervare. Quare licet alibi exiſtentes illud non obſervent, non agunt contra obedientiam, & præceptum proprij Epiſcopi, nec contra materiam præcepti, cum non violent feſtum in loco, vbi ab Epiſcopo coli præcipitur.

Reſpondetur ſecundo argumento.

162 Ad ſecundum conſtat ex dictis. Nam ad hoc, vt patriæ legibus quis obligetur, non ſat eſt, quod ſit adhuc eius civis, ſed requiritur vltra hoc actualis habitatio. Et quamvis dicatur adeſſe moraliter in loco, à quo quis caſu abeſt, non tamen hoc intelligitur in odioſis, ſed in favorabilibus. Quare ex quo non mutaverit domicilium alibi tranſeunter exiſtens, licet profit, vt gaudeat patriæ privilegijs, ſecus verò vt præceptis oneroſis obligetur.

Tertij argumenti ſolutio.

163 Ad tertium reſpondetur, quod eſto peregrinus exiſtens extra proprium territorium, non teneatur legibus patriæ, nec legibus loci vbi exiſtit (de quo poſteà dicemus) tamen ex hoc nullum abſurdum ſequitur, cum vtatur iure ſuo, extrahens ſe à loco, vbi præceptum, ſeu lex obligat, quod vt ſæpius diximus tract. 11. de legib. licitum eſt. Neque abſolute vera eſt illa regula, quod qui ſentit commodum, debeat ſentire incommodum; quia hæc tantum tenet, dum incommodum eſt annexum commodo, qualis accidit in Beneficiarijs, qui, quia ſentiunt commodum fructuum beneficij, ſentire debent incommodum recitandi officium Canonicum, & alia onera illi annexa; non vero tenet, quando incommodum non eſt annexum; ſicut Novitius gaudet privilegijs Religioni conceſsis, eſto ad præcepta, & onera Religionis non teneatur: cum ergo non ſit annexum exiſtendi in aliquo loco tranſeunter, ſentire incommoda prædicti loci, nec ad eius leges teneri, non ſequitur, quod & ſi ſentiat commoda eximendi ſe ab obligatione legum proprij territorij, debeat ſentire incommodum abligandi ſe ad leges loci, vbi tunc tranſeunter exiſtit. ¶ Ad id, quod additur de Iudæis, reſpondetur: quod lex antiqua fuit populo Dei data non pro hoc, aut illo loco, ſed abſolute pro omni tempore vſque ad adventum Chriſti; quia cum eſſet vmbra, & figura Chriſti, legis que Evangelicæ, neceſſe fuit, quod ceſſaret vmbra adveniente luce, & figura patefacta iam veritate. At in noſtro caſu res aliter ſe habet, nam lex ſervandi feſta, data eſt tantum pro determinato loco, & vnice obligat homines in quantum ibi exiſtentes: ergo dum abſunt à tali loco, ab obligatione legis eximuntur.

Solutio quarti argumenti.

164 Ad quartum dicimus: nullum eſſe inconveniens, quod contrarij ex noſtra ſententia inferunt; quia vt diximus tract. 11. cap. 2. punct. 5. num. 63. & punct. vltim. num. 164. quilibet licite vti poteſt iure ſuo, & ſe extrahere à legis obligatione. Ille vero, qui die feſto aliena Parrochia, vbi non colitur talis feſtivitas, laborat, vtitur iure ſuo, & ſe extrahit ab obligatione legis. Unde quacumque intentione, & animo id faciat, contra eam non peccat. Et ratio eſt: quia licet qui ponit impedimentum adimpletioni legis, manendo tamen ſub lege, peccet, & illicite contra legem id faciat; tamen qui impedimentum ponit obligationi legis, eximendo ſe ab illa, etiam ſi animo eximendi ſe id faciat, non peccat. Et ratio eſt: quia quando impedimentum non eximit ab obligatione legis, adhuc lex obligat, & habet ſuam vim; at quando eximit, lex non obligat, nec habet vim contra eum, qui impedimentum appoſuit, cum ſolum obliget ſubditos, & talis tunc non ſit, qui à lege extrahitur. Et ſic diximus loco citato num. 163. quod ſi quis iter agat, aut fatigetur, vt non ieiunet, aut ſi infirmitatem voluntarie ſubeat, vt Sacrum omittat, aut à recitatione Officij Divini excuſetur, non peccat per has omiſsiones contra præcepta ieiunij, Sacri, & Officij Divini; quia talia impedimenta, & ſi alias ſint peccaminoſa, tamen vere eum, qui ea apponit, à legibus, & præceptis dictis eximunt. Unde & ſi contra ea operetur, non peccat contra obedientiam illis debitam.

Quid debeat agere, qui à loco, vbi feſtum obligat, exit ad alium, vbi non colitur.

165 Solum hic difficultas eſſe poteſt, an ſi die feſto exire velis à tuo loco ad alium, in quo feſtum non ſervatur, tenearis prius audire Sacrum? Sed de hac quæſtione pro meritis egimus tract. 11. cap. 3. num. 66. & 67. Ex quibus nunc breviter dicimus: quod ſi in tali loco ſit vnica Miſſa, & dicitur primo mane, ante quam ab eo exeas, teneris illam audire. At ſi ſint aliæ plures Miſſæ toto mane dicendæ, & vis exire, v. g. hora octava, non teneris ad eam audiendam. Et ratio primæ partis eſt: quia tunc iam obligat præceptum, & ad illam vnicam Miſſam audiendam tenentur omnes incolæ prædicti loci: ergo debes antequam exeas audire Sacrum. Ratio ſecundæ partis eſt: quoniam nullus tenetur expectare totum tempus, pro quo obligat præceptum: ergo ſi exis primo mane, non teneris ad Sacrum audiendum horam vndecimam expectare. Sic plures, quos ibi allegavimus, licet alij non pauci oppoſitum teneant, & vltra ibi pro noſtro modo dicendi relatos, eum de-

defendunt Læsius de Iustitia, & Iure, lib. 4. cap. 2. dubit. 8. num. 56. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 15. in fine. Sancius in Selectis, disp. 54. num. 29. Bonacina tom. 1. disp. 4. quæst. vlt. punct. 12. num. 5. Barbosa lib. 1. *de Iure Vniverso*, cap. 20. num. 52. Diana 1. part. tract. 10. resol. 14. Bassæus verb. *Festum*, 3. num. 6. & verb. *Missa*, 8. num. 10. Sanchez de Matrimonio, lib. 3. disp. 18. n. 21. & in Sum. lib. 1. cap. 12. num. 32.

§. III.

De Peregrinis in ordine ad festa particularia loci, in quo transeunter commorantur.

166 EGimus §. antecedenti de Peregrinis quo ad festa, quæ in propria patria coluntur, quapropter restat in præsenti agere de eisdem Peregrinis in ordine ad leges municipales, & festa particularia loci, in quo transeunter existunt. Vnde

Non tenentur Peregrini ad festa loci, per quē transeunt.

Rogabis: An siquis ad locum perveniat per modum transitus, & ibi per duos, aut tres dies, vel etiam per vnum vt hospes commoretur, teneatur ad festa particularia dicti loci? Hanc quæstionem negative resolvimus tom. 3. tract. 11. cap. 3. punct. 5. num. 58. & ideo hic tantum extremis digitis aliquas rationes pro ea tangemus. Probatur ergo dicta conclusio primò: Quia quod brevi tempore durat, quasi non esse censetur iuxta *caput Nam & ego, de verbor. significatione*, vbi ex Divo Hieronymo dicitur: Salomonem vocari vnigenitum, quia prior frater vterinus statim mortus est, & ideo quasi non natus censetur. Et in cap. *Ad audientiam*, iuncta Glossa verf. *Statim*, de Regularibus, habetur, quod *non dicitur factum, quod non durat*. Ergo qui brevi tempore, v. g. per duos, aut tres dies in aliqua Civitate commoratur, quasi non commorari dicitur, & consequenter neque ad eius festa particularia tenetur. ¶ Secundò ostenditur ratione loco citato ponderata. Quia solum ad festa particularia tenentur, qui sunt subditi Episcopi Diœcesani, & incolæ dicti loci; sed similes Peregrini non sunt subditi Episcopi, cum eos nequeat ordinare, aut confirmare, vel eorum vota dispensare; nec alias sunt vere incolæ dictæ Civitatis, cum ex habitatione in ea per minorem anni partem non acquiratur domicilium: ergo ad dicta festa non tenentur. Videantur ibi dicta, & Doctores allegati. Et vltra eos nostram tenent sententiam Glossa in cap. *Quæ contra*, dist. 8. verb. *Aut Peregrini*, & ibi Turrecremata. Insuper eam docent Paschalinus tract. de ieiunio, decis. 201. 202. & 203. referens Baldum, Angelum, Bartholum, Boetium, & alios Iuristas. Medina cap. de ieiunio, quæst. *Quando necesse est ieiunare*, & alij. Sed ex hac quæstione oritur alia non minus difficilis. Scilicet

Iuxta aliquorum sententiam nō

167 An Scholastici (& idem dicendum est de militibus, aulicis, mercenarijs, &c.) qui per maiorem anni partem in aliqua Civitate existunt, aut in hac Salmantina Vniversitate studijs vacant, teneantur ad observanda festa particularia huius Diœcesis, aut Civitatis? Negant Paschalinus tract. de ieiunio, decis. 188. & Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 3. referens Metinam Cod. de Ieiunio, quæst. *Quando necesse est ieiunare*, in principio. Ledesmam 2. 4. quæst. 17. art. 3. fol. 204. verf. *Tertio dico*. Sylvestrum verb. *Ieiunium*, quæst. 2. Divum Antoninum 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 2. sic ait: Vbi dicunt, quod consuetudo Sæcularium non ligat Clericos, nec Clericorum consuetudo Religiosos, nec consuetudo loci Vniversitatem, nec è contra; quia sunt diversi status, & diversis statutis, & consuetudinibus gubernantur. Imò Complutenses non comedunt aliquando carnes cives, & Scholastici comedunt, vt refert quidam doctus Neotericus. Huc vsque Sanchez. Sed idem est de præcepto festorum, ac ieiunij: ergo si ad ieiunia non tenentur, nec etiam ad observanda festa obligantur. ¶ Deinde: quia qui in aliquo loco cum animo recedendi habitat, & si per centum annos ibi existant, non contrahit domicilium; sed qui domicilium non contrahit, legibus particularibus loci, vbi existit, non subiacet: ergo cum Scholastici animo perpetuo manendi Salmanticæ, non existant, non contrahunt domicilium, nec legi particulari festorum subiacent. ¶ Vlterius: nam Glossa cap. *Quæ contra*, dist. 8. verf. *Aut Peregrini*, docet, non Scholares, sed tantum perpetuo habitantes teneri legibus Civitatis: ergo cum festum particulare colere, sit, vel votum, aut quasi lex Civitatis, Scholares ad id minime obligantur. Quod confirmari potest argumento leg. *Debitor, ff. de pignor.* vbi dicitur, quod soli perpetui habitatores legibus Civitatis obligantur: ergo Scholares ad festa particularia non tenentur, cum sine animo perpetuo ibi manendi ad Academias accedant.

tenēturScholares ad festa particularia Civitatis.

Probabilius est oppositum.

168 Sed probabilius dicendum est, Scholares (& idem est de mercatoribus, militibus, aulicis, causidicis, mercenarijs, & alijs, qui per maiorem anni partem in aliqua Civitate commorantur ad diversa negotia exercenda) teneri observare festa, quæ in Civitate, vbi studijs vacant, ab alijs civibus observantur. Quæ sententia probatur primò: Quia licet Scholares in aliqua Vniversitate maiori anni parte studijs vacantes, non acquirant proprie domicilium ex defectu animi perpetuo manendi, tamen fortiuntur forum, & quasi domicilium, taliter quod de alibi gestis ibi possint iudicari, vt patet ex *leg. 2. Codic. lib. 3. tit. 15. Vbi de criminibus agi oportet*; & leg. *Etiam*, 2. *Codic. eiusdem que lib. 3. tit. 24. Vbi Senatores*. Sed hoc sufficit, vt acquirant etiam forum in rebus spiritualibus, cum vterque forus æque iurisdictionem petat, & consequenter vt ad festa particularia observanda teneantur: ergo vere ad ea tenentur. Minor suadetur: nam habitatio constituens quasi domicilium, sufficit, vt quis sit Parrochianus, & subditus Parrochiæ, vbi habitat, vt liquet ex cap. *In nostra, de Sepulturis*; & cap. fin. de *Parroch.* Ergo etiam sufficiet, vt acqui-

quirat forum in rebus spiritualibus. Tunc fic: sed acquirens forum in rebus spiritualibus, & Parrochianus tenentur ad festa particularia Civitatis, & Parrochiæ: ergo cum Scholastici, per quasi domicilium, quod in Civitate, vbi studijs vacant, acquirunt, fiant Parrochiani Parrochiæ, vbi inhabitant, tenentur ad colenda festa particularia dictæ Parrochiæ, & consequenter Civitatis.

Vlterius roboratur cóclusio.

169 Probatur secundò: Nam Scholastici, qui animo vacandi studijs in aliqua Vniversitate commorantur ad tempus, possunt matrimonio coniungi à Parrocho Parrochiæ, vbi habitant: similiter ab eo debent recipere Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ-Unctionis; nec non in eius Parrochia sepeliri, vt concesit Eugenius IV. in *Compendio Privil. Mendic.* verb. *Absolutio*, 1. *quo ad Sæculares*, 5. Similiter ab Episcopo Diœcesano possunt eorum vota relaxari (licet non possint prima tonsura, & Ordinibus ob specialem rationem insigniri) vt diximus tract. 9. cap. 8. à num. 27. ad 31. & tract. 11. cap. 3. punct. 5. num. 55. tenent que communiter Doctores, maxime Læsius lib. 4. de Iustitia, & Iure, cap. 2. dubit. 7. num. 47. Sanchez de Matrimonio, lib. 3. disp. 23. num. 12. Fagundez lib. 1. cap. 8. num. 10. Suarez, & alij infra allegandi: ergo quia per hoc genus permanentis habitationis subijcitur Episcopo Diœcesano, & Parrocho: ergo multo magis erit subditus quo ad obligationem servandi festa, & alia loci statuta ad animarum salutem, & regimen præcipue pertinentia.

Insuper assertio nostra suadetur.

170 Tertiò probatur: Quia valde exorbitat à ratione, quod Civitas publicum festum observet, & quod Scholastici, causidici, aulici, milites, mercatores, & alij huius generis per maiorem anni partem ibi commorantes, illud non colant: ergo tenentur illud observare. ¶ Quartò: Quia in eo loco dicitur aliquis habitare, vbi maiori anni parte habitat, vt ex multis probat Tiraquellus de retract. linag. §. 9. gloss. 2. num. 6. sumitur que ex Bulla Gregorij XIII. de anno Iubilæi, tract. de Iubilæo, nota 32. vers. *Incolæ*, & ex Panormitano in cap. *Quod Clericis*, de foro competenti, num. 5. sed habitatores, & incolæ alicuius Civitatis obligantur ad eius particularia festa observanda, vt constat: ergo etiam Scholares, alij que per maiorem anni partem ibi habitantes, ad prædicta festa observanda tenentur. ¶ Quintò: Quia ex sola habitatione, si ad id conducatur domus, aut officina, quilibet contrahit quasi domicilium, & sortitur forum, vbi possit conveniri, vt ex multis docent, & probant Innocentius cap. *Ex parte*, num. 1. de foro competenti, & Abbas cap. *Quod Clerici*, num. 5. eodem tit. Ergo etiam acquirent quasi domicilium Scholastici, & forum in rebus spiritualibus sortientur, vt possint à Parrochis iudicari, & cogi ad spiritualia præcepta observanda, cum ipsi conducant domum, aut aliquam eius partem, vt studijs commodius vacent. ¶ Sextò: Nam in leg. *Hæres absens*, §. *Proinde*, ff. *de Iudicijs*, dicitur, mercatores sortiri forum per diuturnam permanentiam ad negotiandum, & si domicilium perpetuum ibi non figant: ergo etiam forum spirituale sortiuntur; sed eadem est ratio de Scholasticis, ac de mercatoribus: ergo hi omnes sortiuntur forum loci, vbi commorantur, & ad festa particularia tenentur. ¶ Vltimò probatur ex leg. 11. fin. tit. 23. part. 1. vbi dicitur: *Quando alguno fuesse à Escuelas, ò à Roma, ò à otro Lugar, se debe acordar en las buenas costumbres de aquellos con quien vive*: Ergo Scholastici debent se conformare civibus in festis particularibus colendis. Quare hanc sententiam docent Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 14. num. 2. & 4. Divus Antoninus 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 1. Villalobos tract. 2. difficult. 33. num. 6. Medina 1. 2. quæst. 96. art. 5. Basilius lib. 5. de Matrim. cap. 7. §. 1. num. 5. Felinus in cap. *Quod Clericis*, de foro competenti. Sylvester verb. *Domicilium*, num. 2. Navarrus de Iubilæo ad §. *In Levitico*, nota 32. §. *Incolæ*, num. 43. Fagundez in præcept. Eccles. lib. 1. cap. 8. à num. 7. Sanchez sibi contrarius lib. 3. de Matrim. disp. 18. num. 9. & disp. 23. n. 12. & 13. & in Sum. lib. 1. cap. 12. num. 41. & 42. Leander tract. 1. de observat. fest. disp. 3. quæst. 11. & Nos tom. 3. huius Cursus, tr. 11. cap. 3. num. 55.

Illatio notanda.

171 Ex qua conclusione inferunt Doctores relati, quod vt Scholares, aulici, mercatores, & alij huiusmodi teneantur ad festa loci colenda, non requiritur expectare, vt per maiorem anni partem in dicto loco, vel Civitate habitaverint; sed statim ac accedunt animo ibi habitandi per maiorem anni partem, tenentur ad festa observanda, alias que leges, & consuetudines loci adimplendas. Et ratio est: quia ad domicilium acquirendum, nulla temporis mora requiritur, sed tantum translatio actualis habitationis cum animo perpetuo ibi manendi, vt docent Sylvester, Navarrus, & alij communiter locis supra allegatis, maxime Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 23. num. 2. ex multis id comprobans: ergo idem dicendum est ad acquirendum quasi domicilium, & forum spirituale, ratione cuius ad festa loci observanda teneantur. ¶ Nec à prædictis legibus deobligantur, licet postea mutato animo, decernant, se brevi discessuros; quia domicilium non deperditur solo animo mutandi habitationem, sed opus est animo, & facto; cum istæ sint causæ, quibus constituitur, & omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvatur *cap. 1. de regulis iuris.* Ergo idem dicendum est de domicilio, aut quasi domicilio, quod Scholastici maiori anni parte in Vniversitate commorantes acquirunt, & cuius ratione diximus ad festa, ieiunia, & consuetudines loci teneri, hoc enim non deperditur solo animo habitandi alibi, sed actuali recessu à loco, in quo illud prius acquisierat. Sic Læsius num. 46. fine.

Respondetur primo argumento sententiæ contrariæ.

172 Ad primum sententiæ contrariæ argumentum, quod desumitur ex doctrina Sanchez, respondetur cum alia eiusdem Auctoris doctrina desumpta ex lib. 3. de Matrim. disp.

disp. 18. num. 9. vbi num. 8. referendo sententias eorum, qui docent: *Solos perpetuo habitantes, & non Scholares obligari legibus Civitatis*, postea immediate num. 9. sic ait: *Cæterum id non credo: valde enim rationi dissonat, Scholares, qui triennio in loco studij habitant, non teneri illius legibus, & consuetudinibus::: Vnde credo sufficire, vt aliquis teneatur legibus, & consuetudinibus alicuius Oppidi, vt maiori anni parte ibi sit habitaturus: hoc enim sufficiens est ad constituendum domicilium non simpliciter, sed quasi domicilium ad Sacramenta necessaria, vt optime docet Sylvester verb. Domicilium, num. 2. & ita idem videtur esse, vt adstringatur legibus, quæ ex necessitate obligant. Præterea, quia hoc etiam constituit quasi domicilium ad Sacramenta voluntaria, dempto Ordinis Sacramento, & vt Episcopus illius loci possit cum his Peregrinis dispensare.* Huc vsque Sanchez. In quibus evidenter constat tenere contrarium his, quæ loco relato in Consilijs docuit. Quare dicendum est, Scholares in aliqua Vniversitate studijs vacantes, teneri ad leges, sive ieiunij, sive festorum, quæ à civibus observantur; cum per diuturnam habitationem acquirant quasi domicilium, subdantur que iurisdictioni Episcopi Diœcesani, & Parrochi; quid quid dicat Neotericus ille de Scholasticis Complutensibus: quod an in dicta Vniversitate nunc observetur, ignoro. In nostra vero Salmanticensi recepta est nostra sententia, & de Conimbricensi audi Suarez tom. 1. de Relig. cap. 14. num. 2. sic scribentem: *Hæc vero sententia* (loquitur de ea quæ petit, vt Scholares animo perpetuo habitandi accedant, ad hoc vt legibus Civitatis adstringantur) *non potest convenienti ratione defendi, & ideo non censeo illam practice probabilem, nec enim sufficit multitudo Auctorum sine ratione, aut fundamento probabili, maxime in re, quæ multum potest vergere contra bonos mores. Quis enim dixat Scholares Conimbricenses, qui per magnam anni partem ibi morantur, non teneri ad audiendam Missam in diebus festis proprijs illius Episcopatus? Profecto est contra communem sensum, & contra omnem bonam gubernationem, est etiam contra rationem, vt statim videbimus.* Hæc hic pijssimus Doctor. Vnde constat, quantum à veritate aberrent illius Neoterici dictum, & Contrariorum sententia.

Reliqua argumeta solvuntur.

173 Ad secundum constat ex dictis in nostra conclusione. Quia vt quis sit subditus Episcopi Diœcesani ad festa servanda, non est necesse, quod domicilium acquirat, sed sat est, si quasi domicilium assequatur, quod vtique consequitur per diuturnam in Civitate habitationem, vt huc vsque probavimus. ¶ Ad id, quod dicitur de Glossa in cap. *Quæ contra*, respondetur primò cum Dominico in dict. cap. & Felino in cap. *Quod Clerici*, nihil ibi positive decidere, sed vnice argumenta, & leges pro vtraque sententia referre. Vel secundò dicimus, quod admitti non debet, dum in hoc æquiparat Scholares Peregrinis; quia diversa est ratio in vtrisque circa obligationem legum, & præceptorum Civitatis, & Diœcesis, vt ex supra dictis satis liquet. Videatur Felinus cap. *Quod Clerici*, de foro competenti. ¶ Ad confirmationem ex leg. *Debitor*, desumptam, dicimus, nihil contra nos convincere; quia species prædicti textus diversa est à præsenti quæstione. Nam casus dictæ legis est: *An quando in pignus datur prædium cum omnibus ibi importatis, inducticijs natis, &c.* intelligantur comprehensi servi, qui ad prædium colendum mittuntur? Et respondetur ibi: *Eos duntaxat comprehendi, qui hoc animo à Domino missi essent, vt ibi perpetuo essent.* Et exponit Glossa *Perpetuo* idest, quandiu ibi essent necessarij. Ex quibus nullum, vel apparens contra nostram resolutionem potest sumi argumentum: quia in dicta textus specie servi ad summum poterant comprehendi tanquam res accessoria, & conexa cum prædio, in quantum erant destinati prædij culturæ. Sed in casu nostræ quæstionis lex servandi festa absolute fertur ad totum territorium, & ad homines in eo habitantes; vnde hoc ipso quod ibi habitent, sub lege comprehenduntur: cum ergo Scholastici, dum studijs in aliqua Academia per magnam anni partem vacant, sint vere habitatores, ideo proprie sub lege existunt, & ad eius observantiam tenentur.

Qui minori anni parte in aliquo loco commoratur, etiam ad festa particularia talis loci tenetur.

174 Sed non levis difficultas hic examinanda se nobis offert, nimirum: an qui in aliquo loco commoratur, non per maiorem anni partem, vt diximus quæstione antecedenti, nec per aliquos breves dies, v.g. duos, aut tres, vt resolvimus quæst. 1. huius §. sed per octo, aut quindecim dies, vel tres, aut quatuor, sive quinque menses, teneatur ad leges, & festa dicti loci observanda? Ad quam difficultatem affirmative respondemus cum Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 14. à num. 6. ad 16. Læsio lib. 4. cap. 2. dubitat. 7. num. 50. Basilio Legion. lib. 5. de Matrim. cap. 7. num. 6. & 14. Fagundez lib. 1. cap. 8. num. 14. & 20. qui trium dierum moram solum requirit. Quam sententiam tenent etiam apud Ioannem Sanchez in Select. disp. 54. num. 32. Saa verb. *Ieiunium*, 1. Graffis 1. part. Decis. lib. 2. cap. 37. num. 34. Navarrus cap. 32. num. 120. & cap. 13. num. 5. Nec dissentit Tapia tom. 1. lib. 4. de Legib. quæst. 16. art. 3. num. 3. fine, & expressius Salas tract. 14. de Legib. disp. 14. sect. 4. num. 39. plures referens.

Suadetur cõclusio auctoritate Divi Augustini.

175 Probatur primò Divi Augustini testimonio lib. 3. Confess. cap. 8. relati in cap. *Quæ contra*, dist. 8. vbi sic ait: *Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, vt pactum inter se Civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur; turpis enim omnis pars est, suo universo non congruens.* In quo textu loquitur expresse Divus Augustinus de Peregrinis per paucos dies in aliqua Civitate commorantibus, cum eos annumeret ad cives: Peregrini enim, qui per maiorem anni partem ibi commorantur, sunt quasi cives, cum quasi domicilium acquirant: ergo Peregrini, qui per duos, aut tres menses in aliquo loco commoran-

rantur, iuxta Divum Augustinum ad leges dicti loci, & consequenter ad festa tenentur. ¶ Quod vtique confirmatur alio testimonio eiusdem Divi Augustini Epist. 118. cap. 1. relati in dist. 12. cap. *Illa*, vbi sic ait: *Nec disciplina vlla est in his melior gravi, prudenti que Christiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur; indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est. Mater mea Mediolanum me sequta invenit Ecclesiam Sabbato non ieiunantem; cæperat fluctuare, quid ageret. Tunc ego consulvi de hac re Beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. At ille ait: Cum Romam venio, ieiuno Sabbato; cum Mediolani sum, non ieiuno. Sic etiam tu ad quamcumque Ecclesiam veneris, eius morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum Matri retulissem, libenter amplexa est.* Huc vsque Divus Augustinus, in quibus clare loquitur de his, qui per aliquos dies alicuius negotij causa in Civitatibus commorantur, non vero de his, qui transeunter per vnum, aut alterum diem causa itineris hospitantur.

Probatur eadem conclusio ratione.

176 Secundò ostenditur à ratione. Nam omnes fideles, qui per dies aliquos alicubi manent, iudicant, sive docti, sive indocti sint, teneri in conscientia ad servanda festa, & ieiunia loci, quæ tunc forte occurrunt; sed consuetudo legitime introducta, qualis est ista (cum sit à maiori parte communitatis, & alias sit vtilis, & honesta, & à Principe Ecclesiastico tolerata, quæ sunt conditiones exactæ ad legitimam consuetudinem, vt diximus tom. 3. tract. 11. cap. 6. punct. 3. per totum, à num. 9. ad 34.) habet vim legis, obligat que in conscientia: ergo ex vi consuetudinis tenentur qui per aliquot dies alicubi manent ad festa, & ieiunia particularia loci, vbi existunt. ¶ Tertiò: Quia Episcopi solent iuste punire huiusmodi advenas talia festa, & ieiunia non servantes: ergo quia habent iurisdictionem super eos, qui talia festa, & ieiunia per aliquot dies in Episcopatu commorantes, violant. Antecedens præter quam quod conceditur à pluribus Canonistis, vt sunt Imola, & Bonifacius in Clement. 2. de celebrat. Miss. Archidiaconus in cap. *Quæ contra*, Abbas in cap. *A nobis*, 1. de sententia excommunicat. & Glossa in cap. *Consil.* de observat. ieiunij. Insuper ostenditur: quia Princeps Laicus habet potestatem ferendi leges, & puniendi etiam advenas illarum transgressores, quando sunt necessariæ ad bonum commune, iustitiam, & pacem Reipublicæ, vt omnes concedunt, docuimus que tract. citato, cap. 3. num. 60. vers. *Quinto*. Ergo & Princeps Ecclesiasticus, seu Episcopus. Tunc sic: sed quod advenæ per aliquot dies alicubi existentes, servent particularia festa, vel ieiunia, est necessarium ad bonum commune, & spirituale suarum ovium; nam si viderent prædictos advenas, neque Sacrum audientes, neque ieiunia servantes, magna daretur occasio, vt fideles dicta præcepta violarent, vt quotidiana experientia testatur: ergo Princeps Ecclesiasticus habet potestatem ad ferendas leges quo ad festa, & ieiunia, quæ advenas obligent.

Vlterius probatur assumptum.

177 Quartò probatur: Nam contrarij docent vt certum, quod si illud festum obligat in vtroque territorio domicilij scilicet, & præsentiæ, tunc tenentur advenæ illud observare, vt vidimus loco relato num. 59. & tenet Sanchez de Matrim. disp. 18. num. 3. sed in prædicto casu obligantur ex vi consuetudinis, aut legis dicti loci; cum nec obligentur ex lege generali Ecclesiæ, vt constat; nec ex lege proprij territorij, quia hæc, vt initio huius §. vidimus, extra territorium proprium non obligat: ergo tantum obligantur ex vi consuetudinis, aut legis municipalis loci, vbi actualiter advenæ commorantur. Tunc sic: sed si obligantur in dicto casu ad observandum festum territorij, vbi per aliquos dies commorantur, est quia ratione prædictæ habitationis fiunt subditi in ordine ad festa particularia servanda: ergo advenæ, qui in aliqua Civitate per aliquot dies commorantur, & si tale festum in propria patria non colatur, ad festa particularia loci tenentur. ¶ Quintò: Ideo Vagi tenentur iuxta omnes ad festa particularia loci, vbi existunt, quia hoc videtur necessarium ad bonum Reipublicæ, & eorum gubernationem; sed eadem ratio currit in alijs Peregrinis, qui per aliquot dies in aliqua Civitate commorantur, in ordine ad festa, & ieiunia particularia, alias essent occasio fraudum, & perturbationum: ergo si Vagi tenentur ad particularia festa, etiam ad ea advenæ per dies aliquot commorantes obligantur.

Vltimo probatur assertio.

178 Denique probatur conclusio. Quia licet ad recipienda Sacramenta Eucharistiæ, Matrimonij, & Pœnitentiæ, & ad Parrochiam acquirendam, requiratur habitatio saltem pro maiori anni parte, qua acquiratur quasi domicilium, vt supra diximus, tamen ad obligationem diei festi, & ieiunij, non videtur prudenter requiri tanta temporis duratio; durum quippe, & irrationale est, quod advena duos, tres, aut quinque, vel sex menses in aliqua Civitate manens, non teneatur ad ieiunia, & festa particularia ibi tunc occurrentia. Imò credimus, quod scandalosum etiam erit, videndo hominem tandiu manentem, & festa, & ieiunia loci non observantem: ergo ad hæc vitanda, poterit Episcopus ferre legem ieiunij, aut diei festi obligantem etiam advenas, quin hoc vniuscuiusque arbitrio relinquatur, an sequatur, nec ne scandalum ex non observatione festi, aut ieiunij; & an ob illud vitandum ad ea observanda ex charitate teneatur.

Proponitur sententia cõtraria.

179 Contrariam nihilominus sententiam tenent Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 12. n. 38. & de Matrim. lib. 3. disp. 18. num. 9. & Ioannes Sanchez in Select. num. 31. & 33. plurimos pro hac opinione referentes, sed an recte iudicet Lector; cum fere omnes loquantur de Peregrinis, & viatoribus per vnum, aut duos dies in locis commorantibus, vt eos perlegentibus constabit. Sed quid quid sit de hoc, pro

pro hac opinione arguitur primò ex leg. *Hæres*, §. *Proinde*, *ff. de iudicijs*; vbi probatur viatores non sortiri forum loci, per quem transeunt, nisi ibi modo stabili ad negotiandum commorentur, & redditur ratio: *Quia durissimum est, quot quot locis quis navigans, vel iterfaciens delatus est, tot locis se defendere*: Ergo durissimum est, quod advena alicubi per aliquos dies manens ad festa, & ieiunia particularia teneatur. ¶ Secundò: Quia ex habitatione per minorem anni partem advena non fit Episcopi subditus; sed Episcopus solum subditos ad festa particularia obligare potest: ergo non potest suis legibus advenas obligare. ¶ Tertiò: Quia ad Sacramenta recipienda, & acquirendam parœciam, seu Parochiam, requiritur habitatio per maiorem anni partem, vt supra diximus: ergo etiam ad obligationem servandi festa. ¶ Quartò: Consuetudo Populi nequit inducere obligationem legis Ecclesiasticæ; eiusdem enim potestatis est obligare consuetudine, ac obligare lege, & certum est, populum non posse ferre legem Ecclesiasticam se, aut alios ea obligantem: ergo advenæ ex vi consuetudinis introductæ nequeunt, & si per notabilem temporis durationem permaneant in aliquo loco, ad eius leges, & præcepta Ecclesiastica obligari. ¶ Quintò: Hæc consuetudo introducta est ex ignorantia fidelium, existimando se ad id teneri, dum nullam obligationem habeant; sed consuetudo orta ex ignorantia non obligat: ergo, &c. ¶ Vltimò: Nam hæc consuetudo, si introducta est, fuit ratione vitandi scandalum: ergo, scandalo secluso, obseruatio festi advenas non obligat.

180 Sed hæc non adeò difficilia sunt, vt à propria, & vera sententia recedere cogant. Ad primum enim respondetur: quod lex illa loquitur de illo, qui transeundo per aliquem locum ibi aliquid emit, aut vendidit; in quo casu postquam pertransit, certum est, quod ibi conueniri non potest, cum hac, vel illa actione forum dans ius ad conueniendum acquiri nequeat. Non tamen loquitur de eo, qui diu ibi permansit, qualis est casus nostræ quæstionis. An vero conueniri possit advena antequam discedat, si fraudem commisit? Est quæstio, quam affirmative dissolvunt Doctores, sed ratio non sumitur ex eo quod per breve, aut longum tempus negotiatores ibi permanserint; sed quia omnes, etiam advenæ, tenentur ad seruandas solemnitates contractuum, gabellas, pracmaticas, & leges, quæ in vtilitatem loci, vbi existunt, latæ sunt, vt diximus loco allegato ex tract. 11. tenent que communiter Doctores apud Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 18. à num. 10. ad 15. & Fagundez de primo Eccles. præcept. lib. 1. cap. 8. à num. 22. ad 25.

Primo argumẽto respondetur.

181 Ad secundum dicimus: quod licet advenæ per aliquot dies commorantes, non fiant subditi Episcopi quo ad alios effectus, bene autem quo ad obligationem diei festi, & ieiunij. Tum à priori: quia hæc subiectio est necessaria ad bonum regimen proprij gregis. Si enim Peregrini non audire Sacrum, & laborare in die festo valerent, aut tempore ieiunij carnibus vesci, possent, magna daretur occasio ea præcepta violandi his, qui causa hospitalitatis, aut amicitiæ cum eis conviuunt, vt quotidiana comprobat experientia. Tum à posteriori: quia vt supra vidimus, licite Episcopi advenas prædictos non seruantes festa punire possunt: ergo quia iurisdictionem directiuam, & coactiuam circa tales personas habent. ¶ Ad tertium constat ex dictis pro nostra conclusione. Etenim diuersimode concipiunt prudentes obligationem ad subdendum se Parrocho in ordine ad Sacramenta recipienda, quam ad dies festos colendos: prima enim ex se exigit stabilem habitationem, aut saltem quasi domicilium; secunda vero non ita, sed sat est, si tempore moraliter sufficienti eius obseruationi ibi assistant, cum tunc valeant conuenienter ei satisfacere.

Fit satis secundo, & tertio argumento.

182 Ad quartum dicimus: consuetudinem populi posse inducere obligationem ad festa seruanda, si adsit consensus expressus, aut tacitus Prælatorum Ecclesiæ, vt ait Diuus Thomas 1. 2. quæst. 97. art. 3. ad 3. Nos que diximus tract. 11. cap. 6. punct. 3. à num. 31. Et tunc Prælati Ecclesiastici intelliguntur dictum consensum præbere, quando videntes consuetudinem, ei non contradicunt. Cum ergo hæc nostra consuetudo introducta sit, Ecclesiasticis Prælatis videntibus, & ei non contradicentibus, absque dubio ex consensu eorum habet quid quid requiritur ad obligandum prædictos advenas. ¶ Si autem inquiras, à quo Ecclesiastico Prælato hæc consuetudo habeat vim ad obligandos advenas? Respondetur habere prædictam vim ex iure communi Christianorum, & ex communi consensu Pontificis, omnium que Pastorum, & Episcoporum totius Ecclesiæ. Quare ex vi huius generalis consuetudinis possunt Episcopi obligare suis præceptis, & legibus, non solum incolas, sed etiam omnes in suis Diœcesibus ad tempus habitantes, ad festa, & ieiunia obseruanda. Supposita ergo hac consuetudine vniuersali totius populi Christiani, obligatio seruandi festa est immediate ex consuetudine Ecclesiæ, mediate vero ex vi iurisdictionis Episcopi Diœcesani in advenas, qui per aliquot dies in eius Diœcesi commorantur.

Solutio quarti argumenti.

183 Ad quintum negatur maior: non enim ex ignorantia hæc consuetudo introducta est, sed ex certa scientia, praxique fere omnium fidelium, qui vere pij, religiosi, docti, & timoratæ conscientiæ sunt. Hi enim vim dictæ legis municipalis, & statuti Diœcesani alte considerantes, & inconvenientia ex eius violatione dimanantia attente contemplantes, recte existimarunt, se ad cultum festorum esse obligatos; quorum praxi, & opinioni indocti adhærentes advenæ, consuetudinem, tacite consentientibus Prælatis Ecclesiasticis, & Episcopis, seruandi prædictos dies festos introduxerunt. Vnde nunc omnia requisita ad posteros obligandos habet. ¶ Ad sextum, & vltimum respondetur, quod licet motiuum huius consuetudinis esset vitare scan-

Quinti, & sexti argumenti solutio.

scandalum, quod inde nasci facile poterat, tamen semel introducta hac consuetudine vniversali, iam per se solam, etiam deficiente scandalo, ad festa servanda obligat, cum vim legis habeat, & finis legis sub lege non cadat. Quare licet ante introductionem huius consuetudinis, quilibet ad vitandum scandalum, dies festos colere tantum ex charitate teneretur; nunc vero postquam iam est introducta, tenetur, tum ex charitate, tum ex vi huius consuetudinis legitime introductæ ad festa observanda. Vnde si festa violaret, alijs offensionem præbendo, contra charitatem, & simul contra religionem peccaret: si vero sine scandalo Sacri auditionem omitteret, tantum contra religionem ex vi dictæ consuetudinis legis Ecclesiasticæ iam vim habentis, delinqueret.

§. IV.

An Religiosi exempti teneantur ad observanda festa ab Episcopo, seu Diœcesana Synodo indicta?

Quædam supponuntur.

184 ANte propositæ difficultatis decisionem, supponendum est primò ex dictis tom. 4. huius Cursus, tract. 18. cap. 3. num. 2. Omnes Regulares esse nunc ex varijs Pontificum decretis à DD. Episcoporum iurisdictione omnino exemptos: exceptis aliquibus Monasterijs particularibus, quæ eorum dominio libere subduntur. Quapropter, quid quid antiquitus circa hoc observatum fuerit, his tamen temporibus solum eis subijciuntur quo ad aliquos determinatos casus, qui in iure sunt expressi, & à nobis sufficienter discussi loco citato à num. 10. & insuper latius explicat, & allegat Barbosa de officio, & potest. Episcopi, part. 3. alleg. 105. ¶ Secundò supponendum est ex dictis §. 1. huius puncti, Religiosos teneri ad observanda festa pro vniversali Ecclesia indicta; quia cum Pontificis decretum nullum Christi fidelem à festorum observatione eximat, etiam Religiosos, imò & potiori titulo comprehendit. ¶ Tertiò supponendum ex dictis supra punct. 5. §. 7. quæst. 5. quod Episcopi, adhuc post decretum Vrbani VIII. habent potestatem ad instituenda festa, quæ vel obligent Civitatem aliquam, aut Oppidum, vel totam Diœcesim. His ergo suppositis, difficultas inter Doctores est: an Religiosi teneantur ad festa ab Episcopo, sive pro aliqua Civitate, Oppido, Parrochia, aut Diœcesi indicta? Non vero hic dubitatur de festo Patroni principaliorisRegni, Provinciæ, Diœcesis, aut Oppidi, quia de his iam supra punct. 5. quæst. 3. decidimus, etiam Regulares teneri. Et licet ex dictis tom. 4. huius Curs. tract. 18. cap. 3. num. 30. aliqualiter constet huius difficultatis resolutio, tamen hic vt in proprio loco eam ad incudem vocare, & latius discutere, opportunum duximus.

Aliqui sentiunt Regulares ad festa populorum teneri.

185 Aliqui ergo Doctores, & non infimæ notæ, affirmant: Regulares exemptos teneri in conscientia ad omnia festa ab Episcopo, sive pro Diœcesi, sivè pro quocumque Oppido, aut Civitate indicta. Et moventur primò: quia, vt omnes concedunt, Religiosi tenentur ad observandas leges Civitatis, quæ prætia rerum assignant, & eas, quæ prohibent noctu arma portare: ergo etiam tenentur ad omnia festa, quæ Episcopus indicit, & à Civitate, seu Populo, in quo sunt, observantur. Patet consequentia: cum Religiosi non sint minus à Iudice Sæculari exempti, quam ab Episcopo Diœcesano. ¶ Secundò: Nam Religiosi sunt vicini, & partes Civitatis, vbi commorantur; sed vt supra ex Divo Augustino vidimus *turpis omnis pars est, suo vniverso non congruens*: Ergo. ¶ Tertiò: Lex naturalis dictat, quod pars non discordet à toto in his, quæ vergunt in communem omnium vtilitatem; sed prædicta festa semper ad Episcopis indicuntur ob causam, quæ in communem omnium vtilitatem vergit: ergo sicut aliæ communitatis partes ad ea tenentur, ita & Religiosi.

Tradita sententia probatur vlterius.

186 Quartò arguit Tapia: quia contraria sententia non reddit claram differentiam inter leges Synodales, & Civiles: & durum esset, quod si ferretur lex in Synodo ieiunandi, aut observandi aliquod festum, soli Religiosi non ieiunarent, aut festum non observarent. Et ratio huius, licet à prædicto Doctore non assignetur, forte erit; tum: quia vt diximus tract. 10. cap. 6. punct. 3. num. 31. loquendo de interdictis, quæ Religiosi observare tenentur, iustum est eos, qui statum perfectiorem profitentur, iustam, & veram censuram ab Ecclesia impositam observare, etiam si alij, qui tantæ perfectionis metam non attingunt, illam observare recusent: ergo potiori titulo festa ab alijs observata, debent Religiosi observare. Tum etiam: quia Religiosi sunt, qui pro populo orare, & Sacrificium, tam Corporis Christi, quàm proprij, se mortificando, & macerando, debent offerre Deo: ergo durum est, quod dum populus orat, Missam audit, & cilicijs se induit, vt à Deo veniam exoptet, Religiosi quieti, aut iocis se tradant. ¶ Quintò, & vltimò: Nam Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 12. ait: *Censuræ, & interdicta, ne dum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque serventur. Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus serventur.* Ergo cum non sit maior ratio pro festis à Diœcesi observatis, quam pro his, quæ à Civitate, vel Populo ex voto, aut consuetudine, ab Episcopo tamen approbatis, servantur, dicendum est ad hæc etiam Regulares exemptos teneri. Hanc sententiam docent Vazquez 1. 2. disp. 107. num. 33. Sanchez in Sum. lib. 4. cap. 15. num. 21. (non 22. vt ait Leander) Villalobos tract. 23. diffic. 5. num. 6. Azor lib. 7. cap. 30. quæst. 2. N. Lezana tom. 1. qq. Regular. cap. 11. de obligat. obediendi, num. 13. extendens dictam opinionem ad vota, & promissiones facta à locis, vbi commorantur. Becanus in Sum. Theolog. part. 2. tract. 3. cap. 6. q. 11.

num. 3. & Illust. Tapia in Catena Moral, lib. 4. quæst. 16. art. 8. num. 3.

Alia sententia opinans Religiosos ad festa ab Episcopo pro Diœcesi indicta, non teneri.

187 Secunda sententia, quam defendit Neotericus quidam apud Vazquez, & Sanchez locis citatis, ait: Religiosos non teneri ad servanda festa, quæ populi ex maiorum suorum voto servant, & si ab Episcopo pro tota Diœcesi sint approbata. Et moventur primò: Quia votorum obligatio est personalis; sed obligatio personalis ad successores non transit: ergo obligatio voti de festo colendo, & si ab Episcopo sit approbatum, non transit ad successores. ¶ Secundò: Quia Regulares ex diversis Summorum Pontificum decretis sunt exempti ab Ordinariorum potestate, vt diximus in hoc Cursu tom. 4. tract. 18. cap. 3. & latissime probat Bruno de privileg. Regul. tract. 2. per totum: ergo non possunt obligari ad observanda festa, alia que præcepta ab Episcopis, etiam pro tota Diœcesi, imposita.

Sententia nostra proponitur.

188 His tamen non obstantibus, diversis conclusionibus ad difficultatem propositam respondebimus. Dicimus ergo primò: Regulares exemptos teneri ad observanda festa, quæ pro tota Diœcesi Episcopi indicunt. Et movemur non rationibus primæ opinionis supra relatæ, sed quia iudicamus esse Concilij Tridentini expressam sententiam, vt patet ex sequentibus verbis allatis ab eo sess. 25. cap. 12. *Dies etiam festi* (ait Concilium) *quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus observentur.* Ergo vbi Tridentinum est receptum, tenentur omnes Regulares, quomodocumque exempti sint, ad obseruandos dies festos, quos Episcopus pro tota Diœcesi instituerit. ¶ Confirmatur: Licet Regulares ex dictis tract. 18. cap. 3. punct. 1. sint exempti ab Ordinariorum iurisdictione, tamen in aliquibus casibus à iure concessis eis subduntur, vt videri potest ibi à num. 10. & explicantur à Brunone tract. 2. allegato cap. 5. propositi. 1. & Barbosa de potestate Episc. part. 3. allegat. 105. sed præsens casus est expressus in Iure, seu Concilio Tridentino: ergo parere tenentur Episcopis quo ad festa, quæ pro tota Diœcesi statuunt: & consequenter graviter peccant, si eorum obseruantiam violent.

Secunda cõclusio.

189 Dicendum est secundò: quod si festa sint particularia ex voto, aut consuetudine alicuius Civitatis, aut Oppidi introducta, licet ab Episcopo sint approbata, ad ea Religiosi exempti non tenentur. Hæc assertio probatur primò: Quia vt communiter tenent Doctores, consuetudo Laicorum non ligat Clericos, nec Clericorum consuetudo Religiosos, cum sint status diversi, & diversis statutis gubernentur: ergo festa introducta ex voto, aut consuetudine populi, & si ab Episcopo approbata, Regulares exemptos non obligant. ¶ Secundò: Decretum Tridentini est odiosum, vt pote restrictivum immunitatis Ecclesiasticæ: ergo est intelligendum iuxta litteralem verborum sensum; sed litteralis sensus est quod Regulares tenentur ad festa pro Diœcesi ab Episcopo indicta: ergo ad alia particularia festa ex voto, aut consuetudine Civitatis introducta minime obligantur. ¶ Tertiò: In cap. *Nimis*, de excessibus Prælatorum, inter alia prohibetur Episcopis: *Quod suis constitutionibus subijcere cogunt Religiosos.* Et ex cap. 1. de Privilegijs, in 6. colligunt communiter Interpretes, quod Regulares exempti non tenentur obedire Episcoporum decretis, nisi in casibus in iure expressis: ergo cum nullus sit Iuris Canonici textus obligans Regulares ad festa particularia, quæ pro determinatis locis, aut Ecclesijs suo decreto statuit Episcopus, certum omnino est, ad ea non teneri. ¶ Quartò: Religiosi exempti sunt extra territorium Episcopi, argum. cap. 1. de Privileg. in 6. sed extra Episcopi territorium sua decreta non obligant: ergo nec decretum de servando aliquo festo particulari eos obligabit.

Amplius suadetur præcedens conclusio.

190 Quintò: Religiosi habent proprias leges, quibus singulis diebus auditio Sacri, ieiunia, & alia onera, quæ Sæculares non portant, eis præcipiuntur: ergo cum iugum Christi suave sit, & onus eius leve, dicendum est, ad alia præcepta particularia Sæcularium propria, non teneri: alias Religiosorum iugum valde durum eis esset, si proprijs obligationibus Sæcularium onera adiungerentur. ¶ Sextò: Status Religiosus est diversus à reliqui populi statu, & ideo Religiosi non sunt partes homogeneæ corporis politici Civitatis, sed heterogeneæ, vt ex se constat; sed pars heterogenea ex natura sua non postulat conformitatem cum reliquis corporis politici partibus in his, quæ sunt vniuscuiusque propria; sed in his tantum, quæ sunt toti corpori communia: v. g. in hoc quod omnes sint Christi membra, & legibus communibus Ecclesiæ teneantur: ergo ex natura sua, & conceptu partis heterogeneæ Civitatis, aut populi non tenentur Religiosi ad se cum eo conformandum in festis particularibus illius, sed in communibus, quæ totam Ecclesiam obligant. Tunc sic: sed casus quæstionis est de festis particularibus populi, cum ex voto, aut consuetudine obligantibus: ergo dicendum est, ad ea Religiosos non teneri. ¶ Vltimò: Ideo Summi Pontifices Religiosos ab Ordinariorum potestate omnino eximunt, ne, cum ratione proprij status satis dura onera, & obseruantias habeant, eos Episcopi ad alia pro suo libito obligent; & sic religiosum iugum importabile fiat: ergo certum est, Episcopos nunc non posse Regulares exemptos ad particularia Cleri, aut populi festa, alias ve obseruantias in conscientia obligare.

Tertia conclusio.

191 Dicendum est tertiò: quod si festum aliquod sit introductum non particulari alicuius partis populi, v. g. Cleri, consuetudine, sed vniversali potius consensu, v. g. tam Sæcularium, & Cleri, quàm omnium Regularium; tunc omnes Regulares etiam exempti tenentur. Et ratio est clara: quia vera, & vniversalis consuetudo omnes ligat; cum omnes ad eam consensum præbuerint; sed in præsenti casu supponimus consuetudinem esse veram, & vniversalem: ergo omnes, etiam Religiosos, ligat. ¶ Sed quia difficili-

limum est, hanc consuetudinem vniversalem respectu Religiosorum adesse, & alias adest decretum Eugenij IV. quod refert Rodriguez tom. 2. quæst. 62. artic. 1. concedens, quod Religiosi solum debeant observare illa festa, quæ ab vniversali Ecclesia coluntur, ideo rarissime ad festa particularia Religiosi tenentur.

Quarta conclusio.

192 Dicendum est quarto: quod si forte scandalum sequeretur in populo rudi, & ignoranti, ex quo viderent dies festos à Religiosis non observari, tunc ad eos tenerentur, non vtique ratione præcepti Episcopi, sed quia tunc vrgeret præceptum charitatis obligans ad vitandum scandalum. ¶ Nota: quod licet hucvsque dicta ita abs dubio sint, monent tamen Doctores, quod Religiosi ex decentia quadam recte agent (dum sine magno labore exequi valent) se in festis particularibus cum populo conformando. Hucvsque dicta tenent Suarez de Legib. lib. 4. cap. 20. num. 8. Felinus in cap. *Dilectus*. De officio Ordinarij. Erasmus à Cochier de iurisdict. Ordin. in exempt. part. 2. quæst. 45. num. 55. Perinus tom. 1. const. sui Ord. const. 28. Leon X. à num. 2. Tamburinus de iure Abb. tom. 2. disp. 12. quæsit. 3. & tom. 3. disp. 15. quæsit. 11. num. 54. Azor tom. 1. inst. moral. lib. 7. cap. 30. quæst. 2. Reginaldus in praxi lib. 4. numer. 135. Bonacina de præcept. disp. vltim. quæst. 1. punct. 6. num. 5. Barbosa de Potest. Episc. part. 3. allegat. 105. num. 33. & in Trident. sess. 25. cap. 12. num. 3. & 4. Salas de Legib. tract. 1. disp. 14. sect. 4. num. 41. & 43. Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 24. §. 6. num. 10. & 11. Diana 1. part. tract. 9. resol. 36. & tract. 10. resol. 11. referens Granadum, Lorcam, Portel, & alios. Fagundez de præcept. Eccles. præcept. 4. lib. 1. cap. 7. num. 3. & 4. Pellizar. tom. 1. tract. 5. cap. 4. quæst. 7. à num. 9. Sanch. (licet sibi contrarius) lib. 5. consil. cap. 1. dub. 14. num. 9. *Tertio nota*. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 5. num. 2. & dub. 6. num. 7. Leander tom. 1. disp. 3. q. 15. & alij.

Decretum Congregationis circa modum, quo à Regularibus festa Diœcesana sunt observanda.

193 Nota vero hic ex Barbosa, quod circa obligationem festi pro tota Diœcesi, adest sequens Sacræ Congregationis decretum: *Congregatio Concilij censuit, decretum cap. 12. vers. Dies etiam festi, sess. 25. de Regularib. ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis festis semper permaneant quo ad Missas celebrandas, & cætera divina officia tam publicæ, quàm privatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesijs persolvenda: nec circa hæc ab ipsis quo quomodo quicquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse; quod si de facto præceperint, Regulares neptiquam ipsis Episcopis obedire teneri.*

Respondetur primo argumento sententiæ contrariæ.

194 Argumenta sententiæ contrariæ licet nostram assertionem oppugnent, non tamen expugnant. Et ideo, esto ad ea fere ex dictis constet, tamen illis in particulari respondere necesse est. Primum ergo argumentum tangit gravissimam illam difficultatem, scilicet: an & qualiter Clerici, & Religiosi teneantur ad leges civiles, quæ eorum statum non dedecent, neque Ecclesiasticæ immuni-

tati contradicunt, quales sunt, pretia rerum servare, & arma noctu non deferre, & similes, de quibus (nisi aliqualiter actum nobis esset tract. 18. cap. 7. punct. 1. à num. 14. & tract. 14. cap. 2. punct. 9. num. 117. & 118.) in præsenti libenter, & latius, vt gravitas materiæ exigit, ageremus; sed ab hoc supersedemus, tum: ob rationem insinuatam, tum: quia in præsenti opportuna occasio minime se offert. Ex ibi ergo dictis respondetur primo: ideo Ecclesiasticos, & Religiosos dictas leges teneri in conscientia servare, non quia directe illis obligentur, & Principes sæculares in eos directam potestatem, & iurisdictionem habeant; sed quia iure naturæ tenentur servare iusta rerum pretia, & tranquilitati, & paci Reipublicæ providere; & alias Pontificiæ leges eis, prohibent arma noctu portare. At ad festa ab Episcopis indicta non tenentur lege naturali, nec alias aliqua lex Ecclesiastica id eis præcipit, aut iurisdictionem Episcopis in eos confert, sed potius omnes iam ab eorum iurisdictione omnino (nisi in casibus in iure expressis) illos eximunt: ergo licet ad dictas civiles leges teneantur, non vero ad festa particularia ex voto obligantia.

Tacita præoccupatur obiectio.

195 Nec refert (tacitam præoccupamus instantiam) quod lex naturalis dictet partem deberi cum toto conformari: ergo sicut quia lege naturali tenentur pretia rerum servare, tenentur etiam observare dictas leges; sic quia pars debet se iure naturæ cum toto conformare, tenebuntur Religiosi ad festa, quæ populus observat. ¶ Non ergo hoc vrget. Tum: quia hæc vniformitas inteligitur in partibus homogeneis, non heterogeneis corporis politici, seu Reipublicæ, quales sunt Religiosi, alij que Ecclesiastici. Tum etiam: quia hoc verificatur in rebus, quæ tranquilitatem, & bonum commune Reipublicæ directe non concernunt; qualia non sunt leges Synodales, aut ieiunia votiva. Tum & maxime: quia prædicta ratio non tenet in his, qui à Principe Superiori sunt ex privilegio à dictis legibus exempti. Non enim naturalis ratio dictat, quod omnes Reipublicæ partes eodem modo legibus illius ligentur, & in earum obligatione vnivocentur; quin imo potius exigit, quod in hoc sit aliqua varietas, & privilegium. Quapropter quod Equites, & Nobiles eadem onera, & tributa, quæ Plebeij, non solvant, est naturalis quædam conformitas, nulla que in hoc iuri naturali adest difformitas: ergo quod Religiosi in observantia legum Synodalium non conformentur cum alijs Civitatis, aut Diœcesis partibus, nil contra ius naturale sequitur, sed potius in hoc Ecclesiæ pulchritudo relucet.

Alia argumenti primi solutio.

196 Secundo responderi potest ex Suarez de legibus lib. 3. cap. 34. num. 13. quod ideo dictæ leges civiles Ecclesiasticos obligant, quia à Pontifice approbantur, & ad hunc effectum canonizantur. Ut patet ex cap. 1. de *Novi operis nuntiatione*. Et ex cap. *Innotuit*. de arbitr. Et cap. de Capitulis, dist. 10. vbi Leo Papa IV. ad Imperatorem scribens, ait se effecturum, vt constitutiones eius serventur, *quantum valuimus, & valemus*. Et Ni-

colaus Papa cap. 1. eiusdem dist. 10. ait: Legibus Imperatorum in aliquibus controversijs vtendum esse. Et reddit rationem. *Non quod Imperatorum leges, quibus sæpe Ecclesia vtitur, dicamus penitus renuendas, sed quod eis Evangelicis, Apostolicis, atque Canonicis decretis, quibus postponendæ sunt, nullum posse ferre præiudicium asseramus.* En quomodo Ecclesiasticos teneri ad civiles leges, docet Summus Pontifex, quando Sacris Canonibus, & Ecclesiasticæ immunitati non repugnant: ergo si leges civiles Ecclesiasticos obligant, est quia à Pontifice approbantur.

Præcedentis doctrinæ cõfirmatio.

197 Quod vlterius valet confirmari vniversali consuetudine, videntibus, & consentientibus Prælatis Ecclesiasticis; iuxta quam omnes Ecclesiastici leges civiles circa taxam rerum, & alia ad bonum commune Reipublicæ latas obseruant: ergo dictæ leges Ecclesiasticos obligant, non quia præcisè civiles sunt, sed quia à Prælatis Ecclesiasticis sunt expresse, aut tacite approbatæ. Tunc sic; sed particulares populorum leges, & festa ex voto cives obligantia, ex nulla approbatione Summi Pontificis habent, quod Religiosos obligent: ergo licet ad dictas leges civiles teneantur, non vero ad festa, quæ ab Episcopis feruntur. Cum ergo solum circa festa pro Diœcesi lata, sit expressa Tridentini Religiosos obligans, ad hanc vtique, non obstante eorum immunitate, tenentur, & minime ad festa particularia obligantur.

Fit satis secundo, & tertio argumento.

198 Ad secundum, & tertium patet ex dictis in conclusione, & responsione ad primum. Non enim est turpe, sed potius valde naturali rationi consonum, & Civitatis pulchritudini conforme, quod non omnis pars cuiuslibet politici corporis alijs conformetur, vt patet in Equitibus, & Nobilibus qui licet sint Civitatis partes, & membra, tamen onera, quæ Plebeij, non sustinent. Et similiter idem cernitur in Novitijs Religionum, qui licet communem vitam cum alijs Religiosis agant, non tenentur obseruare statuta, quæ alios Religiosos obligant. Quod etiam experimur omnes in corpore heterogeneo, in quo non est necessaria membrorum vniformitas, imò si hæc adesset, esset difforme: ergo ex quo Religiosi sint Civitatis, & loci, in quo commorantur, membra, non recte arguitur, quod debeant cum alijs concibibus in omnibus conformari. Maxime cum Religiosi sint partes heterogeneæ, ad alias que obseruantias, ad quas laici non obligantur, ex vi sui status teneantur. Unde sicut in corpore heterogeneo membra inter se conformitatem non exigunt, ita in corpore politico non est necessarium, quod eius partes heterogeneæ hanc vnivocationem habeant. Unde sequitur, quod ex naturali iure Religiosi non debent cum alijs concivibus vniformitatem in legibus particularibus habere, sed sat est, si in his, quæ communia sunt, vt in eo quod, v. g. sint Christiani, & Ecclesiæ membra vnivocentur. ¶ Ex quo patet ad id, quod dicitur de motivo ferendi particulares leges, & dictæ Civitatis proprius: quia non semper directe bonum illius comne respiciunt, sed tantum indirecte, cui vtique melius consulunt Religiosi per proprias obseruantias, & suæ Religionis statuta, quam per Sæcularium vota, & particularia festa; cum omnia spiritualia exercitia, quæ à Religiosis fiunt ad bonum commune Ecclesiæ, & Reipublicæ dirigantur.

Solutio quarti argumenti.

199 Ad quartum iam constat, ex dictis ad primum, differentia inter leges civiles, quas obseruare tenentur Religiosi, & Synodales, quibus non subijci dicimus; cum ad illas ius naturale, & Ecclesiasticum liget, ab his vero vtrumque ius eximat. Neque durum est, quod laicis ieiunantibus, aut festa particularia obseruantibus, soli Religiosi ea non obseruent, etsi ad metam perfectionis tendere debeant; quia ad id alijs obseruantijs Religiosi status proprijs, & non legibus particularibus Civitatis, tenentur conari, vt susupra dictum est. Quare argumentum ad summum convincere valet, decens esse, quod dum laici ob alicuius beneficij gratiarum actionem, aut ob eius desideratam consequtionem, orationes ad Deum fundunt, carnem que ieiunijs macerant, similiter & Religiosi orent, & ieiunent: nunquam vero convincere valet, quod in conscientia ad id teneantur.

Quinti argumenti solutio.

200 Ad quintum, & vltimum respondetur: quod Regulares ex quo ab Ordinariorum iurisdictione Summorum Pontificum decretis sunt exempti, non tenentur eis parere, nisi in casibus à iure expressis, vt dicitur in cap. 1. *de Privileg. in 6.* vbi postquam eos eximit ab Episcoporum potestate, hæc habentur: *Salvis nihilominus casibus alijs, in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonica præcipiunt instituta.* Sed instituta canonica non obligant Religiosos ad obseruanda festa, aut ieiunia particularia locorum, in quibus commorantur, vt patet ex Iure Canonico, & ex decreto Concilij Tridentini supra in hoc punct. num. 186. allegato, quod quidem tantum de festis pro tota Diœcesi institutis loquitur: ergo ad ea festa, & si forte similis ratio currat, Religiosi exempti minime tenentur.

Secundæ sententiæ motivis respõdetur.

201 Ad secundæ sententiæ motiva num. 187. relata, respondetur: quod si votum de festo aliquo seruando sit totius populi, & insuper ab Episcopo fuerit approbatum, & in Diœcesi obseruari præceptum, tunc debent Religiosi exempti illud obseruare. Et ratio est: quia hic casus est idem ac ille, de quo loquitur Tridentinum supra allegatum, & præcipit quod Religiosi exempti illud obseruent: ergo idem etiam tenendum est. At vero si votum sit particulare alicuius Civitatis, aut Oppidi Diœcesis, tunc iam, & si fuerit ab Episcopo approbatum, tale festum est particulare, & non pro Diœcesi indictum; & consequenter nec Religiosi ad illud tenentur; tum: quia ab Episcoporum iurisdictione sunt omnino exempti; tum etiam: quia hic casus non est, de quo loquitur Tridentinum sess. 25. cap. 12. dum præcipit, vt Regulares obseruent festa pro Diœcesi indicta.

202 Hic quæri solet: An Religiosi hospi-

Sententia asserens Religiosos peregrinos ad festa Diœcesana non teneri.

pites, & peregrini, ex vi decreti Concilij Tridentini supra allegati, teneantur ad observanda festa pro tota Diœcesi ab Episcopo indicta? Ad quam quæstionem Pellizar tom. 1. tract. 5. cap. 4. quæst. 7. num. 13. respondet dicendo: prædictos Religiosos minime ad ea festa teneri. Et movetur primò: ex eo quod peregrini Sæculares ad prædicta festa non obligantur: ergo nec obligandi sunt Religiosi peregrini hospites, & advenæ. ¶ Secundò: quia decretum Concilij Tridentini est, vt ex se constat, odiosum: ergo non debet taliter explicari, vt Religiosos peregrinos, & hospites obliget; alias non restringeretur vt odiosum, sed potius vt favorabile ampliaretur, si eodem modo Religiosos hospites comprehenderet, ac domicilium in Diœcesi, Civitate, aut Oppido habentes.

Mens nostra aperitur.

203 Sed cum hæc quæstio sit eadem ac illa, quam supra n. 166. de peregrinis resolvimus, eodem etiam modo ad eam respondendum est. Quapropter, sicut loco citato diximus, quod peregrini per vnum, aut duos dies in aliquo Oppido, aut Civitate commorantes, non tenentur ad festa particularia, & alias municipales leges dicti Oppidi, secus vero si plus temporis ibi inhabitent: sic etiam discurrimus de Religiosis peregrinis & hospitibus. Et movemur ad hoc primò: quia cum lex Tridentini sæpius allegata de omnibus absolute loquatur, omnes etiam Religiosos comprehendere debet, quia *vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, maxime in his, quæ ad bonum animæ expectant, vt est præceptum de audiendo Sacro. ¶ Secundò: quia Tridentinum generaliter loquitur *de exemptis omnibus, etiam Regularibus*; sed lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi: ergo de omnibus exemptis, & Religiosis, sive in colis, sive peregrinis Conventus generaliter accipiendum est; & consequenter omnes Regulares per aliquot dies ibi commorantes ad festa Diœcesana tenentur. ¶ Et ex his patet ad obiecta.

PUNCT. X.

De præcepto audiendi Sacrum.

Quid agendum sit in hoc puncto.

204 CUm ergo præceptum sanctificandi festa, duo præcipiat, scilicet audire diebus festis Sacrum, & à servilibus abstinere, favente que Deo, superatæ sint difficultates, quæ ad hæc quasi præambulæ sunt; iam nobis libera panditur via, vt ad eorum explicationem accedamus. Quare erit primò nobis sermo in hoc puncto de præcepto audiendi Sacrum, & qui ab eo excusentur. Deinde in sequenti puncto de præcepto abstinendi dictis diebus à servilibus agemus. Sed quia de præcepto audiendi Sacrum non per transennam, sed ex professo egimis tom. 1. huius Cursus, tract. 5. cap. 6. per quinque puncta, vbi in primo loquti sumus de obligatione præcepti audiendi Sacrum, & quæ pars omissa sit gravis, aut levis materia, nec non an simul duas partes Missæ audire possimus. ¶ In secundò vero puncto egimus de præsentia morali, & religiosa requisita ad Missam audiendam. ¶ In tertiò de intentione exacta, vt debite hoc adimpleatur præceptum. ¶ In quartò de attentione interna, & externa ad auditionem Sacri. ¶ In quintò denique de causis, quæ fideles excusant à dicto præcepto audiendi Sacrum. Ideo ne actum agamus, ad dicta remittimus Lectorem, & solum vnam, vel alteram quæstionem ibi desideratam discutiemus.

Sententia asserens, non satisfacere præcepto audiendi Missam eum, qui, dum Missam audit, ecstasim patitur.

205 Rogabis ergo primò: An adimpleat præceptum audiendi Sacrum, qui, dum Missæ interest, totus in Dei, & Divinorum contemplationem rapitur? Negant Luysius Turrianus in Select. part. 2. disp. 16. dub. 7. Lugo de Sacramento Eucharistiæ, disp. 22. sect. 2. num. 19. & Leander tract. 2. citat. disp. 1. quæst. 73. Et moventur primò: quia qui taliter extasim, ob Divinorum contemplationem, patitur, quod ab omni sensuum vsu alienatus est, non est præsens Missæ præsentia humana, & morali; cum ad hanc requiratur cognitio, & attentio ad ea, quæ in Sacrificio Missæ peraguntur; sed ad adimpletionem præcepti audiendi Sacrum requiritur, iuxta omnes Doctores, præsentia humana, & moralis: ergo qui, dum Missæ interest, extasim, ob Divinorum contemplationem, patitur, præcepto audiendi Sacrum non satisfacit. ¶ Secundò: Qui extasim patitur, libertate caret; sed sine libertate adimpleri nequit præceptum de audiendo Sacro, cum libertas ad omnium præceptorum adimpletionem requiratur: ergo qui extasim patitur, præceptum de audiendo Sacrum non adimplet. Maior constat: quia in extasim ligantur sensus, & sine operatione sensuum naturaliter libertas esse nequit, vt patet in somnientibus. ¶ Quæ vtique sententia confirmari videtur ex eo, quod de se refert Seraphyca Virgo, & Mater nostra Diva Theresia in cap. 33. suæ vitæ, per hæc verba: *Estando en estos mismos dias el de Nuestra Señora de la Assumpcion, en vn Monasterio de la Orden del glorioso Santo Domingo, estaba considerando los muchos pecados, que en tiempos passados avia en aquella Casa confessado, y cosas de mi ruin vida; vinome vn arrobamiento tan grande, que casi me sacò de mi. Sentème, y aun pareceme, que no pude vèr alzar, ni oìr Missa, que despues quedè con escrupulo de esto.* Ergo ex mente Sanctæ Theresiæ videtur dicendum eum, qui, dum Missæ assistit, extasim ob Divinorum contemplationem patitur, obligationi audiendi Sacrum non satisfacere.

Contraria sententia eligitur, & triplex attentio, quæ orationi vocali potest adhiberi, explicatur.

206 Sed vt omnino certum tenendum est, quod qui omnino in Deum absorptus, & raptus Missæ interst, præcepto de audiendo Missam perfectissime satisfacit. Sed antequam nostram assertionem probemus, notandum est ex Divo Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 13. in corpore: *Quod triplex est attentio, quæ orationi vocali potest adhiberi: vna quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret: secunda qua attenditur ad sensum verborum: ter-*

tertia qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur, quæ quidem est maxime necessaria. Et hanc etiam habere possunt idiotæ. Et quando que in tantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, vt etiam omnium aliorum mens obliviscatur, sicut dicit Hugo de Sancto Victore. In lib. scilicet, de modo orandi, cap. 2. à medio, tom. 2. In quibus verbis notant communiter Interpretes, & Theologi, quod ex triplici relata attentione, tertia est omnium perfectior, & melius, quam per reliquas, orationis vocalis præceptum adimpletur. Videantur à nobis dicta tom. 4. tract. 16. cap. 3. punct. 5. num. 25. & Caietanus super locum Divi Thomæ hic relatum.

Triplex attentio relata ad Missæ Sacrificium applicatur.

207 Quæ triplex attentio cum proportione applicari potest ad Sacrificium Missæ. Nam prima attentio potest esse ad ea, quæ Sacerdos dicit, aut facit, non vltra progrediendo, nec distincte ea intelligendo, sed solum attendendo ad illa, sicut ad quandam rem sacram. Secunda attentio est ad ea, quæ illis verbis, vel factis significantur. Tertia, & vltima attentio est ad Deum. Ex quibus prima attentio, & si omnium infima, est sufficiens ad adimpletionem præcepti audiendi Sacrum; quia prædicta attentio sat est, vt præsentia illa sit humana, moralis, & ex obiecto religiosa. Secunda attentio, quæ est perfectior prima, non solum sufficit ad præcepti substantiam, verum & valde accedit ad finem eius, qui est commemoratio beneficiorum Dei præsertim passionis Christi, generis que humani redemptionis. Sed hæc attentio ad præcepti adimpletionem necessaria non est; cum rudi populo fere impossibilis moraliter sit, qui nec verborum sensum, nec actionum significationem percipere valet. Tertia denique attentio, quæ est ad Deum, est suprema, & cæterarum finis, & hæc licet sit maxime consulenda, & procuranda, non tamen sub præcepto cadit, quia est difficillima; sed si quis eam haberet, certo certius est, quod perfectissime præceptum audiendi Sacrum impleret; tum: quia finem præcepti assequitur; tum: quia similis attentio in oratione non solum sufficit ad primum, & secundum effectum orationis, qui sunt mereri, & impetrare; verum ad tertium, qui est quædam spiritualis mentis refectio iuxta illud Psalm. 33. v. 9. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*, docet que Divus Thomas loco relato: & consequenter præceptum orationis perfectissime adimplet: ergo talis attentio in Sacrificio Missæ non solum sufficit ad percipiendos eius fructus, spiritualem dulcedinem, animæ que refectionem; verum etiam ad prædictum de Missæ Sacrificij auditione præceptum perfectissime implendum. Huc vsque dicta communiter docent Auctores, tam in tractatu de oratione vocali, seu horis canonicis, quàm de Missæ Sacrosancto Sacrificio: & solum inter eos est difficultas circa aliam minorem attentionem, scilicet externam præcisè. De quo videri possunt, quos allegavimus in hoc Cursu tom. 1. tr. 5. cap. 6. punct. 4. & tom. 4. tr. 16. cap. 3. punct. 5.

Probatur conclusio nostra.

208 Ex quibus sic efformatur ratio nostræ conclusionis probativa. Attentio ad Deum, dum quis orat, aut Sacrificij Missæ interest, est, iuxta omnes Theologos, perfectior modus adimplendi tum orationis, tum auditionis Missæ præceptum; sed qui, dum Missæ interest, ex divinorum contemplatione in extasim rapitur, ad Deum attendit, cum ei totaliter mens humana inhæreat, & in eius voluntatem sit absorta: ergo perfectissime adimplet præceptum auditionis Sacri. Consequentia est legitima. Maior à nullo negatur, nec negari potest. Minor est evidens: ergo conclusio nostra hac vnica ratione evidenter demonstratur.

Eadem conclusio multipliciter cõfirmatur.

209 Confirmatur primò: Qui finem præcepti assequitur aliquo actu, absque dubio præceptum adimplet; sed finis præcepti auditionis Sacri est, vt medio cultu Dei, & divinorum contemplatione eum assequamur, ei que mens nostra adhæreat: ergo si medio extasi, seu raptu anima id assequitur, absque dubio præceptum auditionis Sacri adimplet. ¶ Secundò: Qui libere se applicat ad audiendum Sacrum, & postea interius voluntarie distrahitur, conservat tamen attentionem tantum externam, tenent plurimi, quos tract. 5. cap. 6. num. 28. & tract. 16. cap. 3. num. 27. allegavimus, satisfacere dicto præcepto: ergo potiori titulo satisfacit, qui in extasim rapitur. ¶ Tertiò: Qui, dum Sacrum audit, recitat horas canonicas, examinat conscientiam, confessiones aliorum, saltem de venialibus, excipit, & se vestimentis induit, dicto præcepto satisfacit, vt pluribus relatis docet Leander à Sanctissimo (nobis contrarius) tr. 2. cit. disp. 1. à quæst. 67. ad 80. Ergo à fortiori satisfacit, qui tunc in extasim rapitur; cum maior sit illa distractio à fine, & obiecto præcepti, quam ista. ¶ Quartò: Idem Leander quæst. 67. ait: Vt quis attente Missam censeatur audire, sufficit, vel quod ad ea, quæ dicit, vel facit Sacerdos; vel ad Deum ipsum, cui Sacrificium offertur; vel ad divina arcana, quæ in Sacrificio Missæ significantur; vel ad divina beneficia, quæ per illud Sacrificium conferuntur; vel ad alias res divinas attendat. Et pro hoc dicendi modo Divum Thomam, Suarez, & alios refert. Tunc sic: sed qui extasim in auditione Missæ patitur, saltem ad Deum, res que divinas enixe attendit, vt nullus negat: ergo attente Missam audit, præceptum que adimplet.

Vlterius cõfirmatur, & libertatem in raptu conservari defenditur.

210 Confirmatur quintò: nam ideo contrarij asserunt in raptu præceptum Missæ adimpleri non posse, quia cum in eo ligentur sensus, nulla cognitio, seu attentio libera humana, & moralis ad Missam audiendam adesse potest; sed hoc est falsum, cum in raptu libertas conservetur: ergo vere tunc præceptum adimpletur. Minor difficilis suadetur primò: quia in raptu anima absque dubio meretur; alias raptus non esset gratia singularis à Deo animæ communicata; sed ad meritum requiritur libertas, vt communiter docent Theologi, & maxime NN. Salmanticens. Scholastici tom. 6. tract. 16. disp. 1. dub. 2. Ergo in raptu conservatur libertas. ¶ Secundo: nam

nam Divus Thomas 1. 2. quæſt. 113. art. 3. ad 2. loquendo de ſapientia, quæ Salomoni communicata eſt in ſomno, inquit: *Poteſt dici quod ille ſomnus non fuit naturalis, ſed propheticus, ſecundum quod dicitur Num. 12. Siquis fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. In quo caſu aliquis vſum liberi arbitrij habet*; ſed vſus liberi arbitrij eſſe nequit ſine libertate: ergo, &c. ¶ Tertiò: quia Adamus in illo ſopore, ſeu potius extaſi iuxta Divum Auguſtinum tract. 9. in Ioan. Abulenſem quæſt. 365. & 400. Cornelium cap. 2. Gen. v. 20. cognovit, & credidit myſterium Incarnationis, & everſionem mundi per ignem, & aquam, vt docet Divus Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 7. & 3. part. quæſt. 1. art. 3. ad 5. ſed actus fidei eſt liber, & meritorius, vt ait idem Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 2. art. 9. Ergo, &c.

Vltimo confirmatur.

211 Quartò: nam Divus Ambroſius lib. 2. de Spiritu Sancto, cap. 11. pag. 215. loquens de extaſi Divi Petri, in quo vidit vas illud velut linteum Act. 10. ſic ait: *Quoniam vocatus Petrus reſpondit, Domine. Et ideo ſecundum evidentius meruit oraculum, quia confeſſus eſt Dominum.* Ergo ſi meruit, libertatem in illo conſervabat. ¶ Quintò: quia ſolus Deus clare viſus neceſſitat libertatem; ſed in extaſi rariſsime clare videtur: ergo. ¶ Sextò: in raptu elevatur anima ad ſupernaturalia cognoſcenda per ſpecies infuſas independenter à ſenſibus: ergo non requiritur converſio ad phantaſmata, vt de eis perfectum iudicium efformetur, ſed ſufficiunt altius lumen, & principium, à quibus dicta contemplatio oritur. Videantur Divus Bernardus in Cant. toto Serm. 52. Diva Mater N. S. Thereſia manſ. 6. cap. 4. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 20. Caramuel in vita Dominici à Ieſu Maria, cap. 5. num. 306. N. Antonius ab Annunciatione Diſcept. Myſt. tract. 4. quæſt. 2. art. 9. ¶ Denique: nam N. Thomas à Ieſu de Contemplat. lib. 6. cap. 5. (contrariam ſententiam nervoſe defendens) admittit in fine, quod virtute præcedentis contemplationis poteſt in extaſi meritum reperiri, vt de ſomno Salomonis ex mente Divi Thomæ, & Divi Auguſtini refert: ergo quia adeſt aliqua libertas relicta ex quo dictæ contemplationi libere ſe applicuit; ſed in noſtro caſu voluntarie Diva Thereſia ad Sacrum audiendum ſe applicuit: ergo in extaſi illo conſervavit ſufficientem libertatem ad meritum, & ad præceptum Miſſæ adimplendum. Sic tenent Petrus Ledeſma 1. part. Sum. cap. 27. concl. 12. Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 88. ſect. 3. verſ. *Alijs vero.* Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 5. num. 14. N. Philippus à S. Trinit. part. 3. Theol. Myſticæ, tract. 3. diſcurſ. 2. art. 2. pag. 438. col. 2. N. Antonius ab Annunt. & Caramuel locis ſupra relatis.

Argumentis ſententiæ cõtrariæ fit ſatis.

212 Ex quibus patet ad argumentum primum. Nam qui extaſim patitur, eſt præſens Miſſæ Sacrificio præſentia perfectiſsime religioſa, & morali, vt pote Deo ſumme per amorem inhærens. ¶ Ad ſecundum reſpondetur: voluntatem in extaſi minime neceſſitari, ſicut neceſsitatur in ſomno; vt conſtat, tum ex dictis; tum: quia diverſa eſt ligatio ſenſuum in ſomno, & extaſi, vt docet Abulenſis in Gen. cap. 13. quæſt. 356. & 400. nam in ſomno ligatio incipit à viribus naturalibus, quæ quia occupatæ ſunt vaporum abundantia aſcendentium ad cerebrum, impediunt vſum phantaſmatum, & hinc oritur, quod ligentur rationales, ſeu intellectivæ vires, cum naturaliter ſine converſione ad phantaſmata nequeat eſſe intellectio, vt ait Philoſophus 3. de Anima, text. 39. E contra vero in extaſi ligatio incipit à viribus rationalibus, quæ quia vehementer Deo attendunt, & elevant ſe ſupra operationes ſenſuum, & conſequenter eos ligant, derelinquunt que, & à proprijs actibus ceſſare faciunt. Vnde ſtat quod intellectus, & voluntas in extaſi perfectiſsime, & libere intelligant, & ament, quin indigeant ad hoc operatione ſenſuum; at vero in ſomno hæc efficere ſine converſione ad phantaſmata non valeant: quia in primò caſu intellectio incipit à Deo animam, & eius potentias ad ſe rapiente: in ſecundò vero incipit à denudatione phantaſmatum à conditionibus individualibus, quod ligatis ſenſibus, libere perfici nequit.

Reſpondetur confirmationi.

213 Ad confirmationem ex verbis S. Matris N. Thereſiæ deſumptam etiam conſtat: quia Seraphyca Virgo non dixit ſe dubitare, an tunc præceptum Sacri adimpleverit, nec ne, ſed de hoc ſcrupulum habuiſſe, in quo innuit nullam, vel leviſsimam rationem eſſe ad id aſſerendum; cum ſcrupulus definiatur, quod *ſit innanis apprehenſio ex leviſsimo motivo orta.* Vnde eius verba, & ſcrupulus noſtram non impugnant, ſed potius confirmant ſententiam.

Antiqui Monachi ſolitudines habitantes nõ tenebantur ad audiendũ Sacrum.

214 Rogabis ſecundò: An Monachi antiqui in ſolitudinibus Egypti, Thebaidos, & Syriæ habitantes peccarent, Sacrum non audiendo? Et ratio dubitandi eſt: quia vt diximus punct. 9. hoc præceptum audiendi Sacrum obligat Religioſos, & omnes Chriſti fideles: ergo etiam obligabit Monachos ſolitudines habitantes. ¶ Confirmatur: quia ſi aliquis vellet nunc totum diem Dominicum orando conſumere, & ob id auditionem Miſſæ omitteret, abſque dubio mortaliter peccaret: ergo idem dicendum eſt de illis Monachis antiquis. ¶ Nihilominus dicendum eſt: excuſari à tranſgreſsione huius præcepti Monachos, qui primis Eccleſiæ temporibus deſerta incolentes Miſſam diebus feſtis non audiebant. Quod oſtenditur primò exemplo Divi Pauli, Divi Antoni, Divi Patris N. Hilarionis, & aliorum Sanctorum Anachoritarum, quorum ſolitaria vita, diuturna que ſolitudinis habitatio ab Eccleſia, vt ſancta, laudatur, & imitanda proponitur: ergo honeſte agebant deſerta habitando, & Sacri auditionem omittendo. ¶ Secundò: quia dicti Heremitæ, igne divini Spiritus ſuccenſi, auditionem Sacri in aliam graviorem obligationem, & Dei cultum altiorem, & difficiliorem commutabant; cum exiguum tempus in auditione Sacri impendatur, & ipſi die, ac nocte divinis laudibus, & contemplationi va-

vacarent: ergo honeſte, & ſine culpa vitam ſolitariam, igne Spiritus Sancti inflammati, degebant. ¶ Vltimò: nam præceptum audiendi Sacrum Eccleſiaſticum, & humanum eſt: ergo contra eum prævalere poteſt conſuetudo. Tunc ſic: ſed illis temporibus vigebat talis conſuetudo, eam tolerantibus, imò & laudantibus Summis Pontificibus: ergo tunc licita, & honeſta erat. Cum ergo nunc forte talis conſuetudo non detur, hinc oritur, quod nunc illicitum eſt, quod tunc ſanctum, & laudabile erat. Per quod patet ad rationes dubitandi.

Sententia tenens, audientes Miſſam in Vigilia Nativitatis ante horam duodecimã, non adimplere præceptum.

215 Rogabis tertiò: An qui audit Miſſam, quæ coram Pontifice ante mediam noctem Nativitatis Domini celebratur, ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam in die Natalis? Negat Paſchalinus in Deciſ. Moral. deciſ. 311. num. 7. Et movetur: quia præceptum Eccleſiaſticum audiendi Sacrum eſt de illo audiendo in die Nativitatis, & non de audienda Miſſa Nativitatis; ſed in dicto caſu non auditur Sacrum in die Nativitatis, licet audiatur Miſſa Nativitatis: ergo non adimpletur dictum præceptum. Cætera conſtant, & maior ſuadetur: nam ſi quis in die Nativitatis audiret Miſſam, licet hæc non eſſet ſolemnitatis Nativitatis, abſque dubio adimpleret præceptum Eccleſiaſticum audiendi Sacrum: ergo dictum præceptum eſt de audienda Miſſa in die Nativitatis, non vero de audienda Nativitatis Miſſa.

Verius eſt oppoſitum.

216 Dicendum tamen eſt: in caſu poſito, etiam ſi Miſſa finiatur ante mediam Nativitatis noctem, omnes ei aſſiſtentes adimplere Eccleſiaſticum præceptum audiendi Sacrum. Et ratio eſt: quia vel Pontifex anticipat initium diei Natalis, vt credit Lugo diſp. 15. de Sacramento Euch. ſect. 3. num. 55. ne concedat, aliquando diſpenſaſſe, vt quis non ieiunus celebret; vel non anticipat, ſed re ipſa illa Miſſa celebratur in fine diei Vigiliæ Nativitatis ex conceſsione Eccleſiæ, vt credit Dicaſtillus tract. 4. de Sacramento Euch. diſp. 9. dub. 17. à num. 393. late id contra Lugonem docens. Si primum dicatur, evidens eſt, quod qui illam Miſſam audit, adimplet Eccleſiaſticum præceptum; cum eam in die Nativitatis re ipſa audiat. Si ſecundum etiam adimplet dictum præceptum. Tum: quia cum hoc ſit Eccleſiaſticum, & alias Eccleſia dicta hora celebrare Miſſam diſpenſet, ex conſequenti credendum eſt, diſpenſare etiam in eo, quod tali Miſſa, & tali hora dicta, adimpleatur præceptum audiendi Sacrum in die Natalis Domini; maxime cum iam cæperit à veſperis dies Eccleſiaſticus Natalis. Tum etiam: quia ſi diſpenſat pro tota Eccleſia, vt prima Miſſa eo die media nocte dicatur, quid mirum, ſi diſpenſet, vt in ſuo tantum Sacello, duabus horis anteponatur: ergo ſicut adimpletur præceptum audiendo Miſſam media nocte dictam, etiam ei ſatisfiet audiendo Miſſam ante mediam noctem Nativitatis celebratam. Videantur relati Doctores. Et ex huc vſque dictis patet ad Paſchalini ſententiam.

Ponuntur duæ propoſitiones à Sede Apoſtolica damnatæ.

217 Pro coronide huius puncti reſtat hic adnotare propoſitiones, quæ circa hoc præceptum à Sede Apoſtolica ſunt iam damnatæ. Prima, quam defendebat Eſcobar tract. 1. exam. 11. num. 73. editionis Lugdonenſis, anni 1646. ſub his verbis traditur, & damnatur ab Innocentio XI. propoſit. 53. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui eius duas partes, imò quatuor, ſimul à diverſis celebrantibus audit.* Ex qua inferebat poſſe breviſsimo temporis interſtitio Miſſam audiri. Si quatuor, v. g. altaribus variæ Miſſæ proportionata temporis anterioritate ſic celebrentur, vt dum vna inchoatur, ſecunda ab Evangelio tunc in conſecrationem procedat; tertia à conſecratione in conſumptionem; quarta denique à conſumptione vſque ad terminum. Idem docet Leander tract. 2. diſp. 1. quæſt. 53. dum concedit à tribus, vel quatuor Sacerdotibus (& non à pluribus) tres, vel quatuor partes Miſſæ eodem tempore audiri poſſe, & ſic præcepto ſatisfieri. Sed circa hæc videantur à nobis dicta tom. 1. huius Curſus, tract. 5. cap. 6. punct. 1. à num. 8. ¶ Secunda eſt etiam damnata ab eodem Summo Pontifice, & in ordine eſt 52. ſub his verbis: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* Sed hanc late impugnavimus in hoc cap. 1. punct. 8. num. 134.

PUNCT. XI.

De præcepto abſtinendi à ſervilibus diebus feſtis.

SEcunda huius tertij Decalogi præcepti pars eſt negativa, ſcilicet, abſtinere diebus feſtis ab operibus ſervilibus, de qua quia in hoc Curſu huc vſque à nobis actum non eſt, ideo de ea hic ex profeſſo differere, vtile duximus, & neceſſarium. Sed quoniam ſub ſe plures, & ſatis graves complectitur quæſtiones, propterea in diverſos §§. punctum præſens, vt eis plene fiat ſatis, dividemus.

§. I.

Quid & quotuplex ſit opus ſervile?

Opera proprie ſervilia ſunt opera fieri prohibita in tertio Decalogi præcepto.

218 PRo reſolutione eorum, quæ deinceps dicenda ſunt, ſupponendum eſt primò: quod opera, quæ in hoc tertio Decalogi præcepto prohibentur, ſunt ea, quæ proprie ſervilia ſunt. Quod patet: tum ex dictis ſupra num. 7. tum ex illo Levit. cap. 23. v. 7. *Omne opus ſervile non facietis in eo.* Tum etiam ex cap. *Licet*, de ferijs, his verbis: *Et in his* (ſcilicet diebus feſtis) *ab omni opere ſervili ceſſandum.* Tum denique ex Concilio Aureliano, 3. cap. 27. vbi dicitur abſtinendum *ab opere rurali.* Ex Concilio Antiſid. cap. 16. & Maguntino ſub Carolo cap. 36. & 37. vbi opera ſervilia, & forenſia prohibentur. Quaprop-

propter non solum ex Iure Divino, verum etiam & Ecclesiastico constat, quod opus fieri prohibitum Exod. 20. in hoc tertio præcepto, est opus proprie servile.

Cessatio à servilibus aliter Christianis præcipitur, quã antea Iudæis iubebatur.

219 Secundò supponendum est: cessationem à servilibus aliter ab Ecclesia Christianis præcipi, ac antea ex præcepto divino Iudæis iubebatur. Nam in veteri Testamento, nec cibos in Sabbato parare Iudæis permittebatur; ac proinde omne opus servile etiam ad salutem, & sustentationem necessarium, credebant, sibi in Sabbato illicitum, vt constat ex cap. 16. & 35. Exod. Esto in alijs festivitatibus eis permittebatur accendere ignem, cibos parare, &c. vt patet ex cap. 12. Exod. At in lege gratiæ, seu Evangelica in omnibus festivitatibus sola servilia prohibentur, nisi necessarium hæc ad salutem exequi sit, permittitur etiam cibos parare, & facile à Superioribus conceditur licentia ad laborandum. Et ratio huius differentiæ est: nam Iudæis omnia in figura contingebant, & ideo ad repræsentandam quietem Dei in Sabbato, ab omnibus otiari eis præcipiebatur; quia figura in omnibus rei significatæ conformis esse debet. Observatio vero Dominici, licet in lege gratiæ observantiæ Sabbati succedat ex Ecclesiæ constitutione, tamen ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 4. *Nec huiusmodi observatio est figuralis, sicut fuit observatio Sabbati in veteri lege, & ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die Sabbati. Sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in nova, quam in veteri lege, quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Opera autem secundum se considerata immutari possunt pro loco, & tempore.* Huc vsque Angelicus Doctor apprime edocens rationem differentiæ inter festa veteris, & novæ legis; & quam rationabiliter non ita generaliter opera corporalia prohibeat.

Definitio operis servilis, tradita ab Abulensi, reijcitur.

220 His suppositis, quæres primò: Quid sit opus servile? Ad hoc varie respondent Doctores, inter quos Abulensis Exod. 12. q. 24. pag. mihi, 81. col. 3. sic opus servile definit: *Opus servile est operatio laboriosa organorum executivorum nulla vrgente causa ad humanam vitam non immediate sustentandam, aut fovendam.* Quam definitionem ibi late explicat. Sed quia facile à quolibet videri potest, & alias dicta definitio falsa, alijs que à definito convenit; cum scribere (quod ex se servile non est) sit operatio laboriosa organorum executivorum nulla vrgente causa ad humanam vitam non immediate sustentandam, aut fovendam; ideo hic dictam explicationem non transcribimus.

Vera operis servilis definitio traditur; & in quo differat opus servile à liberali declaratur.

221 Verius tamen Divus Thomas, quem sequuntur communiter Doctores, opus servile definit, aut describit: nam 2. 2. quæst. 122. art. 4. postquam ait ad 3. *Alia servitus est, qua homo servit homini. Est autem homo alterius servus non secundum mentem, sed secundum corpus, vt supra habitum est.* Ita inquit, & concludit: *Et ideo opera servilia secundum hoc dicuntur opera corporalia, in quibus vnus homo alteri servit.* Et in 3. dist. 37. art. 5. quæst. 2. ad 2. fere eadem profert his verbis: *Ad secundum dicendum, quod opera servilia mystice intelliguntur peccata; sed ad litteram opera servilia dicuntur, ad quorum exercitium servos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ contra liberales dividuntur.* Ex quibus verbis constat iam quid sit opus servile: nam ex quo ait Divus Thomas, quod debet esse opus corporale, in quo *vnus homo alteri servit*; infertur debere esse opus corporale, hoc est per organum corporale exercitum: & quod ex se, & ex sua natura ad corporis vtilitatem ordinetur; in hoc enim vnus homo alteri proprie servit, aut proprio commodo consulit; ad serviendum enim de materiali est, quod alteri, vel sibi serviat, si vere opera servilia exercet. Ex quo vero ait, quod servilia opera sunt illa: *In quibus debent artes mechanicæ dirigere; & ad quorum exercitium servos deputatos habemus*; datur intelligi, debere esse opera corporalia, ad quæ ex se deputatos servos, vel famulos, aut ministros habemus; seu quæ ex institutione sua per famulos, aut servos exerceri solent, qualia sunt omnia opera per artes mechanicas directa. ¶ Vnde iam constat differentia, quæ inter opus liberale, & servile est: nam opus servile est illud, quod licet ab anima, seu mente tanquam à principio proveniat, tamen & exercetur per organum corporale, & ex institutione sua pro fine respicit opus materiale, & corporeum, in corporis vtilitatem proxime cædens, vt conficere domos, vestes, calceos, & alia artefacta. Opus vero liberale, licet à mente proveniat, & forte medio organo corporeo fiat, tamen immediate ordinatur non ad corporis vtilitatem, sed ad finem spiritualem, scilicet ad illuminandum, vel instruendum intellectum proprium, vel alienum, vt docere, studere, legere, scribere, &c. Et hæc est proprie differentia, quæ inter opus servile, & liberale intercedit.

Quotuplex sit opus servile explicatur.

222 Quæres secundò: quotuplex sit opus servile? Ad hoc respondet Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3. dicendo: *Opus autem servile dicitur à servitute. Est autem triplex servitus. Vna quidem qua homo servit peccato secundum illud. Qui facit peccatum servus est peccati. Et secundum hoc omne opus peccati dicitur servile. Alia vero servitus est, qua homo servit homini. Est autem homo alterius servus non secundum mentem, sed secundum corpus, vt supra habitum est. Et ideo opera servilia secundum hoc dicuntur corporalia, in quibus vnus homo alteri servit. Tertia autem est servitus Dei. Et secundum hoc opus servile posset dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei servitium. Si autem sic intelligatur opus servile non prohibetur in die Sabbati, quia hoc esset contrarium observationi Sabbati.* Ex qua auctoritate infertur, triplex esse opus servile: peccaminosum, humanum, & religiosum: peccaminosum, quo servitur

peccato, seu Dœmoni; humanum, quo servitur homini: & denique religiosum, quo Deo servitur. Et licet de opere peccaminoso dicat Divus Thomas auctoritate supra allegata ex 3. sentent. dist. 37. art. 5. quæst. 2. ad 2. quod solum mystice est servile, tamen quia de eo est non levis difficultas, an etiam violet festi solemnitatem, ideo de illo hic differendum est, sicut etiam de alio duplici genere operum servilium. Et vt recto ordine procedamus, methodum Divi Thomæ sequemur. Quapropter quia opera peccaminosa inter servilia primò computat Angelicus Doctor, ideo de eo primò etiam disputandum est.

§. II.

De opere servili peccaminoso; & an violet festum?

Motiva asserentiũ, opus servile peccaminosum violare solemnitatem festi.

223 HUic quæstioni occasionem dedit Angelicus Doctor dum auctoritate §. antecedenti ex 2. 2. allegata, ait: *Et quia magis homo impeditur à rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Vnde Augustinus dicit in libro de decem chordis, cap. 3. Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quam si in Theatro seditiosus existeret. Et melius fœminæ eorum die Sabbati lanam facerent, quam quod tota die in Neomenijs suis impudice saltarent.* In quibus verbis videtur clare innuere, peccata lethalia (de his loquitur expresse ibi Divus Thomas) esse opera servilia observantiam diei festi principaliter violantia; & consequenter esse circunstantiam speciem peccati mutantem, & ideo in confessione explicandam. ¶ Quod quidem potest etiam multipliciter probari. Primò ex cap. *Omnes*, de ferijs, vbi dicitur: *Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere.* Sed peccatum mortale opus illicitum est: ergo prohibetur directe in die festo. ¶ Secundò ex cap. *Consideret*, de pœnitent. dist. 5. vbi ex Divo Augustino lib. de vera, & falsa pœnitentia, cap. 14. hæc habentur: *Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status, aut officij, & secundum modum meretricis, & in modo operis sui, & qualiter turpitudinem suam peregit, si in loco Sacro:: si in tempore orationi constituto, aut in festivitate Sanctorum, & in tempore ieiunij*: Ergo hic expresse iubet, quod circunstantia temporis festi in Pœnitentiæ Sacramento explicetur. Et his non parum favet Concilium Colonienſe anno 1536. tract. de Exteriori Pœnitent. vbi dicitur, quod bis peccat, qui diem Dominicum scortis, rixis, pugnis, & alijs obscœnis agit.

Alia sententiæ præcedentis motiva.

224 Tertiò: Fornicatio, aut furtum factum in loco Sacro, est circunstantia mutans speciem peccati ob irreverentiam loco Sacro factam, vt communis tenet sententia: ergo idem dicendum est, si talia peccata in die Sacro patrentur. Antecedens constat ex dictis tract. 6. cap. 8 à num. 102. Consequentia patet: quia vt dicitur in leg. *fin.* ff. *si certum petatur*; & leg. *Vinum*, ff. *si certum pet.* leg. *Ratio*, §. *Si per venditorem*; & ibi Bart. & alij Doctores apud Barbosam tract. Var. loc. 110. pag. 345. argumentum de loco ad tempus, & de tempore ad locum validum est. ¶ Quartò: Quia præceptum de die festo servando positum fuit, vt Deus tunc externe coleretur; sed peccatum opponitur cultui divino: ergo est contrarium prædicto præcepto, & in ordine ad illud illi accrescit circunstantia sacrilegij speciem peccati mutans. ¶ Quintò: Circunstantia diei festi in peccatis habet specialem repugnantiam cum ratione, quid enim rationi magis dissonum, quam quod tempus divino cultui dicatum in peccando consumas? Sed circunstantia, quæ specialem habet repugnantiam cum ratione, est circunstantia mutans speciem, & necessario confitenda, vt ait Navarrus in cap. *Consideret.* annotat. 1. Ergo talis est circunstantia diei festi in peccatis. ¶ Sextò, & vltimò: Quia vt cum Lugone, N. Antonio à Spiritu Sancto, & alijs, tenuimus tom. 1. huius Cursus, tract. 6. cap. 8. num. 114. in fine, in die Veneris Sancti Comœdias, aut alios ludos publicos exhibere, aut immediate ab altari, in quo Sacerdos celebravit, pergere ad peccandum cum concubina, esset circunstantia mutans speciem ob irreverentiam gravissimam, quæ irrogaretur Passioni Christi, & Eucharistiæ venerando Sacramento: ergo etiam est gravissima irreverentia in confessione detegenda, diem festum Deo dicatum, in peccatis terere. Hanc sententiam tenent Albertus Mag. in 3. dist. 37. & ibi Divus Bonaventura, Scotus, & Gabriel. Divus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 7. §. 3. Lyra cap. 20. Exod. Abulensis ibi quæst. 11. in fine, & quæst. 12. in principio. Medina Cod. de confessione, quæst. 10. & de oratione, quæst. 19. Catharinus contra Caietanum lib. 5. de Sacramento Conf. Turrecremata in cap. *Pronunciandum*, *de consecrat.* dist. 3. num. 4. Angelus verb. *Feriæ*, §. 36. & acriter Corduba lib. 1. Quæstionar. quæst. 6. pag. 92. Rodriguez in Sum. tom. 1. cap. 53. num. 12. Adrianus in 4. de Confessione, quæst. 4. Alensis 3. part. quæst. 32. memb. 5. art. 2. & alij apud Sanchez, & alios Doctores pro nostra sententia referendos.

Negativa sententia vt verior, & communior amplectitur, & probatur.

225 Probabilior tamen, & iam communior sententia est, peccatum commissum in die festi non violare tantæ solemnitatis observantiam; ac proinde non esse circunstantiam, quæ explicari in confessione debeat, nisi forte fiat in contemptum diei Sacri. Quæ sententia suadetur primò ex Divo Thoma in 4. dist. 32. art. 5. quæst. 2. vbi ait: *Ad secundam quæstionem dicendum, quod petere debitum in die festivo non est circunstantia trahens ad aliam speciem peccati: vnde non potest in infinitum aggravari: & ideo non peccat mortaliter vxor, vel vir, si in die festivo debitum petat.* Ergo circunstantia temporis festi non mutat spe-

speciem peccati, nec est in confessione aperienda. ¶ Secundò: Idem Angelicus Doctor in 3. dist. 37. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 2. ad 2. quod procedebat ex verbis Glossæ super illud Luc. 13. *Sex dies sunt, &c.* vbi sic ea explicat: *Lex in Sabbato non hominem curare, sed servilia opera facere, ideſt peccatis gravari, prohibet: ergo, &c.* Ad hoc argumentum sic respondet Divus Thomas: *Ad secundum dicendum quod opera servilia mystice intelliguntur peccata; sed ad litteram opera servilia dicuntur, ad quorum exercitium servos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ contra liberales dividuntur.* Tunc sic: per ea opera violatur dies festus, quæ præceptum de eo sanctificando prohibet; sed præceptum divinum de sanctificandis festis prohibet opera, quæ vere, & proprie servilia sunt, & diriguntur ab artis mechanicis, vt vidimus ex Divo Thoma, & tradit Scriptura Exod. 12. 20. 23. & Levit. 23. vbi nomine operis servilis prohibiti explicantur opera mechanica, seu corporalia exteriora, non vero ea, quæ mystici servilia dicuntur, qualia sunt peccata lethalia: ergo per illa, & non per ista violatur dies festus; & consequenter nec sunt circunstantiæ in confessione explicandæ.

Eadem sententia probatur vlterius.

226 Tertiò probatur ratione. Præceptum de observandis festis ex se non obligat ad non peccandum in die illo, sed solum obligat, in quantum est divinum, ad eo die externo cultu Deum colendum; & prout est Ecclesiasticum, talis cultus determinatur ad audiendum Sacrum, & ab operibus servilibus abstinendum, vt ex dictis in hoc toto capite constat; sed homo potest Deum externe colere, Sacrum audire, & à servilibus abstinere, & si in die festo aliquod peccatum committat, vt ex se constat: ergo de facto præceptum de festo sanctificando adimplet. Minor sola difficilis ostenditur: quia in vna parte diei potest quis peccare, & in alia Missam audire, imò dum Sacrum audit, peccare, si id faciat ex prava intentione; & alias toto die à servilibus abstinere: ergo etsi committat peccatum in die festo, potest adimplere, quæ pro eius observatione vtrumque præceptum exigit. ¶ Quartò: Si peccatum mortale, in quantum tale, esset opus servile violans observantiam diei festi, omne peccatum non solum exterius, verum etiam interius, hoc haberet, cum per vtrumque fiant homines servi Diaboli; sed peccatum interius non est opus servile, nec violat observantiam festi, vt etiam contrarij fatentur: ergo, &c. ¶ Quintò: Hoc præcepto solum ea opera fieri prohibentur, quæ alijs diebus profestis licite exequuntur; sed peccata nunquam nec diebus profestis licite exequuntur: ergo non sunt opera, quæ hoc præcepto prohibentur. ¶ Sextò: Quia finis extrinsecus præcepti non cadit sub præcepto, vt tradit Divus Thomas 1. 2. quæst. 96. art. 3. ad 2. & art. 9. ad 2. similiter quæst. 100. art. 9. & 2. 2. quæst. 44. art. 1. in corpore, & Covarrubias in cap. *Alma*, 1. part. §. 5. alias vnice esset præceptum charitatis, cum ad eam omnia alia præcepta, sicut ad finem ordinentur, iuxta Apostolum 1. ad Thimoth. sed finis extrinsecus præcepti de sanctificandis festis est, vt homines Deo per fidem, & charitatem inhæreant, & à peccatis se abstineant: ergo peccata sub hoc præcepto non cadunt, nec prohibentur. ¶ Septimò: Quia præceptum de sanctificandis festis non obligat arctius in lege gratiæ, quam in lege scripta; sed in hac non obligabat ad non peccandum in die festo, sed solum ad exteriorem aliquem cultum, & vacationem à servilibus, alias tenerentur ad contritionem, aut charitatis actus: ergo nec nunc ad non peccandum obligat. ¶ Vltimò: Quia è contra hoc præceptum de festis sanctificandis potius esset in ruinam, quam in ædificationem animarum; cum communiter peccata diebus festis committantur.

Referuntur huius sententiæ Patroni.

227 Tenent hanc sententiam Covarrubias cap. *Alma mater*, 1. part. §. 5. num. 3. & lib. 4. Var. cap. 19. Navarrus in Sum. cap. 6. num. 9. & in cap. *Consideret*. de Pœnitent. dist. 5. Caietanus 2. 2. quæst. 122. art. 4. & in 2. quodlib. quæst. 10. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 3. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. & lib. 2. de Iustit. quæst. 4. art. 4. Sylvester verb. *Dominica*, quæst. 8. dict. 4. & in Rosa aurea casu 63. vbi refert plures Doctores sui Ordinis, pro defensione Divi Thomæ specialiter congregatos, ita decreviſſe. Medina in Sum. lib. 1. cap. 9. §. 2. & 1. 2. quæst. 7. art. 3. Ledesma in Sum. de Pœnitent. cap. 19. Dicastillus tract. 8. de Pœnitent. disp. 9. dubit. 8. num. 722. Luysius quæst. 9. de Pœnitent. art. 2. dub. 3. Trullench lib. 6. in Decal. cap. 1. dub. 7. num. 11. Palaus tom. 2. tract. 9. disp. vnic. punct. 9. Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 3. Fagundez de præcept. Eccles. lib. 1. cap. 9. num. 2. Lugo de Pœnitent. disp. 16. sect. 12. num. 116. Leander de Pœnitent. tract. 5. disp. 8. §. 8. quæst. 2. Bonacina in Decal. disp. 5. quæst. vnic. punct. 2. num. 3. & de Sacramentis, disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. num. 29. Diana 1. part. tract. 7. de circunstantijs, resol. 32. & alij plures apud ipsos. Eam que nos etiam, licet breviter, amplexati sumus tom. 1. huius Cursus, tract. 6. cap. 8. punct. 5. numer. 114.

Solvuntur duo priora argumenta, & in primis auctoritas D Thom. explicatur.

228 Antequam ad argumenta sententiæ contrariæ respondeamus, necesse est auctoritatem Divi Thomæ explicare. Et licet ex alijs auctoritatibus pro nostra assertione allegatis clare constet, quæ sit eius mens; nihilominus vt clarius innotescat, ad testimonium obiectum dicimus ex Soto, & Caietano, quod cum finis huius præcepti de sanctificandis festis, sicut & cuiusvis alterius præcepti, sit duplex intrinsecus, & extrinsecus, prior ex cultus exterior, puta audire Sacrum; secundus est cultus interior, puta actus contritionis, & charitatis, quibus homo & peccata destruat, & Deo adhæreat: hinc est, quod cum Angelicus Doctor asserat peccata magis adversari observantiæ huius præcepti, quam quodlibet servile opus, non intelligit, quod hoc sit verum quantum ad substantiam, & finem intrinsecum præcepti, sed quantum ad fi-

finem extrinsecum. Ideo enim hoc præceptum datum fuit hominibus, vt per actus religionis, & abstinentiam à servilibus Deo inhærerent, & rebus divinis vacarent, cui fini pugnantius obsistit peccatum, quam quodlibet opus servile; & propterea peius est fornicari in die festo, quam cavare, aut lanam facere, vt ait Divus Augustinus lib. de decem chordis, cap. 3. ¶ Nunc ad primum argumentum desumptum ex cap. 1. *Omnes, de ferijs*, respondetur: loqui de opere illicito non absolute, sed de eo tantum, quod festa violat, vt patet ex sequentibus verbis dicti cap. in quibus doctrinam traditam explicat per hæc verba: *Vt in eis mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel pœnam iudicetur.* ¶ Ad secundum ex cap. *Consideret.* dicimus: plura, quæ ibi dicuntur, esse de consilio, non vero de præcepto, vt notant Glossa, Gutierrez lib. 1. de Quæst. Canonicis, cap. 31. num. 31. Navarrus num. 32. & Suarez num. 17. & aperte illud legenti constabit. Ad id, quod additur ex Concil. Colon. respondetur: non esse Generale, sed Provinciale; & sic nil mirum, quod sicut in materia de iustificatione erravit, vt optime ait Gutierrez loc. cit. sic & in hac materia deceptum sit.

Respondetur ad tertium argumentum.

229 Ad tertium dicimus: de loco ad tempus, & è contra, valere argumentum in his, quæ in vtroque prohibentur, aut quando eadem est in eis ratio, quod in præsenti non accidit. Tum: quia non omnia peccata in loco Sacro facta circunstantiam sacrilegij induunt, vt de internis peccatis est communis sententia: ergo ex exemplo adducto non erguitur, quod omnia peccata in die festo patrata vltra propriam malitiam addant esse sacrilegia. Tum etiam: quia est dispar ratio inter locum Sacrum, & diem festum, seu Deo sanctificatum. Nam quo dies sit sacer, non importat re ipsa & in communi æstimatione aliquam benedictionem, aut consecrationem, ex quibus aliquod morale accidens ei inhærere intelligamus, sed vnice dicit, quod pro tali die sit præceptum aliquid in honorem Dei agendi, aut omittendi, v.g. audiendi Missam, & à servilibus abstinendi, quæ si feceris, præstaris quid quid est materia cultus pro tali die. At locus dicitur sacer, quia speciali benedictione, aut consecratione ad divinum cultum in eo Deo tribuendum consecratur, ex quo intelligimus ei quoddam morale accidens inhærere, ratione cuius censetur sacratus, & quodam signaculo initiatus, ad ibi divina peragenda. Vnde oritur, quod si aliquod peccatum fiat in loco Sacro, quod directe sanctitati loci opponatur, tunc induit novam sacrilegij speciem; quia destruit, quantum est ex se, dicti loci sanctitatem, & contra venerationem ei debitam agit. Sed si in die festo peccatum committatur, non agit directe contra aliquam diei sanctitatem; cum nullam habeat, ex quo in eo præcipiatur aliqua Sacra actio fieri: sed solum tale peccatum erit contra præceptum illud prohibens, & ideo novam circunstantiam in confessione aperiendam ex parte diei non accipit.

Doctrina numero antecedenti tradita vlterius explicatur.

230 Quod explicari valet primò ex eo, quod accidit in voto, quo quis promittit hoc, vel illud ieiunium tali die observaturum, aut eleëmosynam elergiturum, aut perpetuo castitatem amplexurum: tunc enim ex prædicto voto nulla sanctitas creditur diei inhærere; nec ex quo tale votum non adimpleat, aliquis cordate iudicat, quod vltra peccatum contra votum commissum, aliud accrescat, ex quo in illo die peccaverit: ergo quia nec per votum, nec per quodcumque aliud præceptum de actione aliqua in Dei cultum determinato die exequenda, aliqua advenit tali diei moralis, & prudens sanctificatio. ¶ Secundò: Nam Divus Sylvester Papa, vt dicitur in eius legenda; Sabbati, & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine distinctos, vt iam ante in Ecclesia vocari cæperant, appellari voluit: quo significaretur, quotidie Clericos, abiecta cæterarum rerum cura, vni Deo prorsus vacare debere: quod Ecclesia determinavit ad preces, & laudes, quæ in officio canonico quotidie ab eisdem Deo solvuntur; sed ex quo Clerici aliquo die prædictas laudes omittant, aut furentur, fornicentur, aut quodlibet aliud peccatum committant, non peccant contra diei sanctitatem, sed vnice contra preceptum Ecclesiasticum, aut contra alia præcepta iuris naturæ dictam omissionem, aut actiones prohibentia: ergo nec fideles novum committent peccatum, ex quo die festivo, aut cultui Dei sacrato, furentur, fornicentur, aut quodcumque aliud peccatum perpetrent; & consequenter est satis lata disparitas inter peccata commissa in loco Sacro, & in die festo.

Solutio quarti, & quinti argumenti.

231 Ad quartum respondetur negando minorem: quia cum cultus sit actus religionis, & hæc virtus gratiam in subiecto necessario non exigat, potest homo eius actus elicere, & si in peccatis sit, imò etsi in ipso externo cultu peccet, vt si Missam ob vanam gloriam audiret. Quare ad summum verificatur, quod peccata fini huius præcepti, qui est cultus divinus, opponantur; non tamen quod medijs, quæ præcipiuntur in hoc mandato, contrarientur, quod necessarium erat, vt sacrilegij circunstantiam induerent. ¶ Ad quintum negamus habere specialem repugnantiam cum ratione, quod peccatum committatur in die festo, potius quam in die profesto; quia cum hoc non prohibeatur directe præcepto audiendi Sacrum, vt probatum est; hinc est, quod æqualiter Deus iniuriatur peccando die festo, ac die profesto: ac proinde nequit ex hoc illi adhærere circunstantia, quæ necessario in confessione aperiri debeat.

Vltimi argumenti solutio.

232 Ad vltimum fatemur tenuisse in dicto loco, esse circunstantias in confessione explicandas, comædias, & publica spectacula in die Veneris Sancti exhibere, & immediate ab altari ad peccandum cum concubina Sacerdotem pergere. Sed hoc non ideo diximus, quia tales actiones ratione temporis Sacri aliquam malitiam specie distinctam accipere iudicemus; sed quia, vt bene ait Dicastillus num. 732. ex natura sua dissonant

ra-

rationi, sunt que res impiæ, & contra reverentiam Passioni Christi, & Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento debitam. Si enim Ecclesia gravissimis pœnis punit Sacerdotem, qui immediate post auditam confessionem, pœnitentem ad turpia solicitat, reputans hoc esse contra Sacramentum Pœnitentiæ gravissimam irreverentiam, nonne gravior erit irreverentia contra venerandum, & tremendum Eucharistiæ Sacramentum, immediate post eius communionem ad fornicandum cum concubina pergere? Quid similiter magis contra rationem esse potest, quam quod dum Ecclesia, omnes que fideles, Christi acerbissimam Passionem devote recolunt, & lugendis, emmendandis que culpis, quas ignoranter egerunt, toto intendunt animo, alij, qui Christiani vocitantur, Choreis, Comædijs, ludricis que spectaculis sint voluptuose dediti? Ergo contra rationem, & naturam est, & consequenter circunstantia speciem mutans, quod tali tempore dictæ actiones exerceantur.

Decretũ Comædias prohibens tempore Quadragesimæ.

233 Præterquam quod non paucæ sunt leges Comædias, vel absolute, vel saltem tempore Quadragesimæ prohibentes: & licet plures afferre possem, tamen solum transcribam decretum, quod circa hoc ediderunt Theodosius, & Valentinianus Imperatores, & habetur lib. 13. tit. 5. Cod. *Theodosiani Imperatores*, quod que his verbis refert Rodriguez tom. 3. qq. Regul. quæst. 68. art. 6. *Quo tempore commemoratio Christi Passionis totius Christianitatis magistra à cunctis iure celebratur, omni Theatrorum voluptate per universas vrbes earundem populis denegata, vt totæ Christianorum, ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur, aliud est supplicationis tempus, aliud voluptatis.* Cui adiungere, nec inepte, possemus plurima decreta Concil. Provincial. quæ lato calamo novissime refert Genettus tom. 6. Theolog. Moral. tract. 4. cap. 2. quæst. 4. prohibentia diebus festis, & consequenter potiori titulo tempore Quadragesimæ, Comædias, tripudia, & Choreas: ergo saltem ex prædictis legibus tempore Quadragesimæ illicitus est ludorum, & scænarum vsus. Sed de his plura dicemus, dum de Comædijs ex professo agamus. Interim videantur Divus Thomas in 4. distinct. 16. q. 4. art. 2. quæstiunc. 1. & N. Iosephus à Iesu Maria 1. part. de Excellentijs Castitatis, lib. 4. cap. 16.

§. III.

De opere servili humano; & quæ actiones sub eo comprehendantur?

Quæ sint opera servilia humana, seu corporea.

234 SEcundum genus operis servilis, quod Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. assignat, est humanum, seu opus corporeum, in quo vnus homo alteri proprie servit, de quo sic loquitur Angelicus Doctor: *Alia servitus est, qua homo servit homini, est autem homo alterius servus non secundum mentem, sed secundum corpus, vt supra habitum est. Et ideo opera servilia secundum hoc dicuntur corporalia. In quibus vnus homo alteri servit.* Et in 3. dist. 37. q. 2. art. 5. ait: *Ad litteram opera servilia dicuntur, ad quorum exercitium servos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicæ dirigere, quæ contra liberales dividuntur.* Ex quibus plane constat, opera servilia, in hoc præcepto prohibita, esse opera corporalia, seu quæ per corporale instrumentum exercentur, ad vtilitatem corporis per se, & ex sua primæva institutione ordinata, quæ artes mechanicæ dirigunt. Quapropter Doctores communiter tenent, omnia opera, quæ artes mechanicæ dirigunt, observantiam diei festi violare.

Numerantur artes mechanicæ servilia opera dirigentes.

235 Artes ergo istæ mechanicæ, seu serviles (quæ vt ait Aristoteles 6. Ethicor. cap. 3. & 4. circa factibilia versantur, ad distinctionem liberalium, quæ circa agibilia exercentur) hoc versu, iuxta communem ab omnibus que receptam sententiam clauduntur.

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Rus significat agriculturam. *Nemus* venatoriam, & piscatoriam. *Arma* militarem, aut etiam armifactricem. *Rates* navalem, vel etiam mercatoriam. *Vulnera* chirurgicam, barbitonsoricam, & pharmacopoleam; sed si chirurgica scientifico modo procedat, erit scientia, pars que Medicinæ. *Lana* omnem artem acu, & filo, similibus que instrumentis vtentem. Vnde sub se comprehendit artem textoriam, sartoriam, coriariam, sutoriam, plumariam, seu acu pictoriam, & similes. *Faber* denique denotat omnem artem fabricatricem, & vtentem instrumentis dolantibus, & expolientibus, vt ascia, dolabro, serra, cælte, malleo, lima, &c. cuius materia debet esse ex se capax recipiendi figuras, sicut aurum, argentum, æs, ferrum, ebur, lapides, ligna, & similia. Vnde sub se continet artes argentariam, deauratricem, ferrariam, carpentariam, cæmentariam, scultricem, & iuxta aliquos propter affinitatem cum ea, pingendi artem, de qua infra.

Non sunt artes mechanicæ, secundum vsum communem loquèdi, Navalis, & Militaris.

236 Omnes ergo hæ artes serviles, & mechanicæ in rigore sunt; at communis loquendi vsus illas, quæ maioris dignitatis speciem præseferunt, vt Navalis, & Militaris, nec mechanicas, nec serviles vocat, sed vtrumque nomen tantum tribuit artibus inferioris notæ, vt textoriæ, sutoriæ, sartoriæ, &c. quod licet iuxta hominum acceptionem ita sit, tamen omnes enumeratæ ex se serviles, & mechanicæ sunt; ac proinde eorum opera violant diei festi obseruantiam, nisi necessitas, vel dispensatio, aut legitima consuetudo excuset, vt communiter tradunt Doctores. Verum enim vero licet hæc in communi ita sint, tamen quia circa aliquas actiones, tam harum artium, quàm aliarum sub eis comprehensarum, aliqua apud Doctores est difficultas, an secundum se, vel sub aliqua conceptæ conditione, sint proprie serviles, & diem festum violent, ideo eas in præsenti ad examen vocare necessarium duximus.

Sententia negans, prima

237 Rogabis ergo primò: An pingere sit opus servile in die festo prohibitum? Pri-

gere esse opus servile in die festo prohibitum.

ma sententia est negativa, pro qua arguitur primò: Nam pingere non est opus servile: ergo nec in die festo prohibitum. Probatur antecedens. Pingere non distinguitur ab scribere, cum pingere nihil aliud re ipsa sit, quam quasdam lineas penicillo ducere, & figuras coloribus exprimere, eo modo quo scribens etiam eas calamo, & atramento exprimit; sed scribere non est opus servile, sed liberale: ergo nec pingere. ¶ Secundò: Pingere, v. g. historiam, ad mentis, & memoriæ subsidium deservit, sicut eam scribere, aut transcribere: ergo ordinatur ad intellectum illuminandum, & sic liberale erit. ¶ Tertiò: Pingere, licet mechanicum opus sit, tamen est ita nobile, vt etiam à Nobilibus, & Principibus recreationis gratia iucunde exerceatur: ergo proprie servile non est. ¶ Quartò: Quia si esset opus servile, non liceret in die festo pingere etiam voluptatis causa, vel vt talem artem quis discat, delineando imaginem tanquam exemplar propositam; sed hoc plerique Doctores concedunt: ergo non est opus servile. Ita Lopez 1. part. Instruct. cap. 52. Medina in Instruct. pro Confessorib. lib. 1. cap. 14. §. 8. Angelus verb. *Feriæ*, num. 31. Sylvester verb. *Dominica*, quæst. 5. §. 5. Azor 2. part. lib. 1. cap. 27. quæst. 6. Sayrus in Clavi Reg. lib. 7. cap. 2. num. 16. Armilla verb. *Festum*, num. 21. Rosella verb. *Feriæ*, num. 13. Barbosa tom. 1. Collect. Doct. in lib. 2. Decretal. tit. 9. de Ferijs, cap. *Licet*, num. 4. & alij. Vnde Azor concludit, quod tuta conscientia faciunt ij iuvenes, qui huiusmodi artem discendi cupidi, in ea loca se abdunt in diebus festis, in quibus Sanctorum hominum imagines, aut Ducum, Imperatorum, Regum, & aliorum magnorum virorum effigies pulchre depictæ cernuntur, quas intentis oculis, & animis intuitu pingendi imitantur. Et Armilla id extendit ad puellas, quæ recamaturas faciunt, vt addiscant: & ad eos, qui de signant in chartis, quæ phantasia fingunt, vt postea illa perficiant, vel fabricentur.

Pingere esse opus servile in die festo prohibitum multipliciter probatur.

238 Sed probabilior est pars affirmativa, & ideo dicendum est: pingere, sive fiat recreationis, vel addiscendi gratia, esse opus servile, ac proinde in die festo prohibitum. Quæ conclusio probatur primò: quia ars pingendi, etiam iuxta adversarios, est mechanica: ergo actus eius quocumque fine fiant, serviles sunt. Patet consequentia: etenim vt ex Divo Thoma in 3. dist. 37. quæst. 2. art. 5. ad 2. supra vidimus, opera servilia proprie dicuntur ea, ad quorum exercitium servos deputatos habemus; & quæ, cum sint circa externam materiam, artes aliàs mechanicæ dirigunt: ergo si ars pingendi est mechanica, actus, & opera, quæ dirigit circa materiam externam, debent esse servilia. ¶ Secundò: Sculpere imaginem, vel effigiem, servile est: ergo & pingere. Patet consequentia: quia de materiali est, quod imago fiat penicillo, aut scalpro, vel cælte. ¶ Tertiò: Depingere acu servile est, vt communis tenet sententia: ergo etiam est servile, penicillo depingere. ¶ Quartò: Illa est actio liberalis, quæ per se tendit ad instruendam mentem; sed pingere per se non tendit ad mentem instruendam, sed solum ad assimilandam imaginem rei veræ, aut exemplari, quod imitandum proponit: ergo pingere actio liberalis non est. Quare si forte excitet memoriam rei repræsentatæ per illam artefactam imaginem, hoc de materiali, & per accidens est. ¶ Quintò: Ideo scribere est actio liberalis, quia ipsa ex se est expressio conceptuum, & loqutio exterior per signa scripta; sed pingere non est expressio conceptuum, sed rei repræsentatæ per mentis conceptum: ergo actio liberalis non est. Sic tenent Caietanus 2. 2. quæst. 222. art. 4. §. de Scriptura, vers. *Ad* 2. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 26. num. 4. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 5. num. 7. Fagundez de Eccles. præcept. lib. 1. cap. 11. num. 10. Gordon lib. 6. Theolog. Moral. quæst. 6. cap. 6. Filliucius tract. 27. cap. 9. num. 167. Turrianus in Select. cent. 4. dub. 59. & in Sum. part. 1. cap. 230. dub. 12. Bonacina disp. 5. de 3. Decal. præcept. quæst. vnic. punct. 2. num. 25. N. Lezana in Sum. verb. *Festi dies*, num. 8. pag. 275. Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 12. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 8. num. 7. Leander tract. 1. disp. 4. à quæst. 20. ad 23. Bassæus verb. *Festum*, 2. num. 9. & alij.

Quædam inferuntur ex dictis.

239 Vnde infertur primò: quod, & si fiat recreationis, aut addiscendi gratia, semper est illicitum, die festo pingere: quia quod ex se servile est, non fit liberale, nec in die festo licitum, quocumque fine exequatur, alias addiscendi, aut docendi, vel recreationis gratia liceret arare, terram fodere, domos edificare, vasa argentea facere, & similia: ergo si hoc est falsum, à nullo que admittitur, nec primum admitti debet. Vnde solum levitate materiæ excusari quis à peccato valet, vt si, v. g. brevi tempore die festo pingat, aut ex exemplaribus picturas transsumat. ¶ Infertur secundò contra non paucos Doctores, quos refert Leander quæst. 26. & 27. per se non licere ad otium vitandum puellas acu pingere; quia hoc opus servile est, & otium vitandum est per cultum Dei externum, aut honestas actiones ad id ordinatas, non vero per actiones prohibitas. Imò addimus, quod nec adhuc id liceret, & si ex otio timerentur peccata. Tum: quia ad hæc vitanda non est omnino necessaria dicta actio servilis. Tum etiam: quia dantur plura alia remedia, vt honestæ recreationes, librorum lectiones, ad ociositatem, & peccata inde pullulantia fugienda. ¶ Si vero fingas casum, quod vnicum remedium ad peccatum vitandum est operis servilis exercitium, tunc id erit licitum, imò & obligatorium; cum tunc cesset Ecclesiastica prohibitio, & vrgeat naturale præceptum occasiones peccati fugiendi.

Sententia contrariæ fundamenta facile diruuntur.

240 Ex quibus iam patet ad primum sententiæ contrariæ argumentum. Lata enim est differentia inter scribere, & pingere: primò: nam scribere procedit à mente ad eius conceptus exprimendos; pictura vero à mente procedit sicut quid exemplatum, aut quodlibet aliud artefactum, quod conformatur men-

mentis ideæ. Secundò: quia scriptura per se tendit, tanquam vera, licet scripta loquutio, ad instruendum intellectum, eius que conceptus exprimendos, & ideo per se est opus doctrinæ, seu disciplinæ: at, actio pingendi ex natura sua tantum ordinatur ad assimilandam imaginem vero exemplari, esto aliquando per accidens ad memoriam rei repræsentatæ deserviat. Vnde falso arguitur ex eo quod scribere sit liberale opus, quod pingere non sit servilis actio. ¶ Ad secundum patet ex immediate dictis, quin amplius addere sit necesse. ¶ Ad tertium negatur consequentia: quoniam & si Nobiles prædictam artem exerceant, tamen hoc efficiunt voluptatis, aut recreationis causa, qualiter etiam aliarum artium opera aliquando exercere solent, quin ex hoc arguatur talia opera liberalia esse. ¶ Ad quartum negamus, in die festo licere pingere, aut delineare pulchram, & venustam imaginem attente inspectam; quia addiscendi intentio nequit honestare actionem, quæ servilis est. Quare si ab aliquibus à culpa excusatur, est vel ob parvitatem materiæ, vel si fiat ad modicum tempus, vel ex consuetudine, aut interpretatione benigna præcepti cum quodam necessitatis colere: sive denique quia si sit vnice delineare, vt postea idolum dictæ imaginis perfecte efformet, hoc proprie non est pingere, sed memoriam iuvare, vt postea valeat imaginem conceptam ad vnguem exprimere, & depingere, quod vtique ad disciplinam liberalem, vt bene ait Suarez, videtur accedere.

Sententia docens, esse illicitũ die festo venari, aucupari, & piscari.

241 Rogabis secundò: An venatio, aucupatio, & piscatio sint opera servilia, & in festo prohibita? Affirmat prima sententia, maxime si fiant ex officio, & questus gratia. Et movetur primò: quia in cap. *Licet, de Feriis*, ait Alexander III. *Indulgemus, vt liceat Parrochianis vestris diebus Dominicis, & alijs festis* (præter quam in maioribus anni solemnitatibus) *si aleciæ terræ se inclinaverint, eorum captioni, ingruente necessitate, intendere.* Vbi advertunt Glossa, & Barbosa tom. 1. in lib. 2. Decretal. pag. 407. num. 5. quod propter necessitatem facilius indulgetur: ergo si ob necessitatem id indulget Summus Pontifex, signum est diebus festis ex se esse prohibitam piscationem, maxime ex officio. ¶ Secundò: nam ex Divo Ambrosio Homil. 33. Quadrag. alias 41. dicitur in cap. *An putatis*, distinct. 86. *An putatis, illum ieiunare fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non Beatorum Martyrum loca Sancta perquirit; sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus, sylvas que perlustrat?* Ex quibus verbis liquet, diebus ieiunij, seu Quadragesimæ, venationem esse prohibitam: ergo multo magis prohibita erit diebus Dominicis, & festivis. ¶ Tertiò: quia, vt docet Abulensis in Exod. cap. 12. quæst. 24. iterfacere ad venandum per vnam, vel duas leucas causa delectationis, est opus servile, tollens quietem Sabbati: ergo, &c. Quartò, & efficatius; quia ars venatoria, vt dicunt Complutenses Abbrebiati tom. 1. ad lib. Post. disp. 20. quæst. 3. num. 17. & constat ex illo Dialecticorum versic. *Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber*, est servilis: ergo & eius opera die festo prohibita. ¶ Quintò: quia venatio, & piscatio sunt opera corporalia, quæ vnice sistunt in materia, & effectu corporali, atque ad vtilitatem corporis directe pertinent, communia que sunt hominibus, & bestijs; cum hæ etiam venationi, piscationi, & aucupationi insistant, & forte non minori arte, & industria, quam homines: ergo nil dictis operibus deest, vt proprie servilia sint, & diebus festis prohibita. ¶ Vltimò: quoniam ad venationem, & piscationem plura sunt necessaria, quæ ex se servilia, & laboriosa sunt, vt retia parare, tendere, reficere, ac lavare; remigare, & præparare cibos, & iumenta ad huiusmodi venationes: ergo tam ex se, quàm ratione aliorum operum antecedentium, aut concomitantium sunt opera servilia, & consequenter in die festo ex se prohibita. Hanc sententiam tenent Sylvester verb. *Dominica*, quæst. 5. concl. 6. Rosella verb. *Feriæ*, num. 11. Angelus ibi, num. 26. Margarita Confess. 3. præcept. fol. 73. Gordon lib. 6. quæst. 7. cap. 6. Bassæus verb. *Festum*, 2. num. 12. Corella in Pract. tract. 16. cap. 9. §. 2.

Alia opinio docens, esse licitum die festo piscari, venari, & aucupari.

242 Secunda sententia negat, dictas actiones esse serviles, & in die festo illicitas, etiam si quæstus gratia fiant. Sic Navarrus in Sum. cap. 13. num. 11. §. *Sexto. Qui venatur diebus festis, &c.* Medina Instruct. pro Confess. lib. 1. cap. 14. Lopez 1. part. Instruct. Conscient. cap. 52. Palacios in Sum. verb. *Festorum violatio.* Toletus in Sum. lib. 4. cap. 24. Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 14. & 15. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 4. Ioannes à Cruce in Sum. præcept. 3. art. 1. num. 2. Rodriguez in Sum. cap. 122. num. 2. Granados 2. 2. controv. 3. tract. 12. disp. 4. sect. 7. num. 65. & alij. Et moventur primò: quia tales actiones non sunt proprie servorum, sed Nobilium, qui eis communiter recreantur: ergo non sunt opera servilia. ¶ Secundò: quia venari, aut piscari sunt opera ad minus communia servis, & liberis: ergo absolute servilia non sunt; & ideo in die festo licita. ¶ Tertiò: quia quod dicta opera exerceantur lucri, vel recreationis gratia, non arguit, quod fiant servilia, quæ libera sunt ex se, vt supra diximus: ergo si plures Doctores concedunt, ea licere, quando fiunt recreationis gratia, absque dubio id verum est, quia ex se liberalia sunt.

Propria mẽs aperitur.

243 Tertia sententia, quam vt probabiliorem amplectimur, docet venationem, aucupationem, & piscationem ex se esse opera servilia; attamen ea in die festo ex consuetudine, aut ob materiæ parvitatem licere. Duplicem partem continet conclusio, & prima quidem clare demonstratur rationibus probativis primæ opinionis. ¶ Secunda vero pars suadetur: quia scientibus, & patientibus Prælatis, diebus festis, audita tamen prius Missa, communiter fideles piscationi, & venationi insistunt; sed consuetudo tolerata vim legis abrogare valet: ergo ex consuetudine ea opera in die festo licita sunt.

Qua-

Quapropter piſcationes in fluminibus recreationis gratia, maxime ſi ſint moderatæ, & ſine magno labore miniſtrantium, ex conſuetudine tolerata omnibus licent. Et ſic videmus tuta conſcientia fideles, tam arundine, quàm rete aliqua parva in fluminibus, diebus feſtis, tam recreationis, quàm lucri cauſa piſcari. E contra vero nulla conſuetudine introductum eſt, quod diebus feſtis fideles retibus, & navigijs cum magno labore, tam lucri, quàm recreationis gratiâ in mari, aut in flumine (ſi cum eodem apparatu, & labore fiat) magna diei parte piſcationi inſiſtant; & ideo ſine diſpenſatione, aut neceſsitate talis piſcatio mortalis eſt. ¶ Dixi abſque diſpenſatione: quia, vt conſtat ex cap. *Licet*, de Ferijs, ſupra in hac quæſt. allegato, Summus Pontifex concedit, ſeu indulget, vt exceptis maioribus ſolemnitatibus, alijs feſtis liceat Halecias piſcari, ſi terræ ſe inclinaverint, ſub onere *quod poſt factam capturam Eccleſijs circumpoſitis, & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem*. Quia quaſi decimæ prædiales, explicat Gloſſa, eſſe cenſentur, vnde ſaltem pro decima parte eis ſolvant. Quam indulgentiam, & diſpenſationem recte extendunt Doctores ad Sardas, Thunos, & alia genera piſcium, quæ ſolum certo anni tempore apparent, & terræ ſe inclinant, aut flumina navigant, & hoc tranſacto profundo pelago ſe iterum committunt. Et ratio eſt: tum: quia vtriſque eadem eſt ratio. Tum etiam: quia Piſcatores, ſi diebus Dominicis non piſcarentur, magnum inde reportarent damnum, congrue que ſuſtentari non valerent. ¶ Aliam diſpenſationem affert N. Lezana in Sum. verb. *Feſti dies*, num. 13. in fine, datam 16. Novemb. 1646. in qua concedit S. Congregatio, vt Piſcatores Oppidi de Xabea diebus feſtis non ſolemnibus piſcari valeant, dummodo lucrum inde proveniens fabricæ cuiuſdam Eccleſiæ Patrum Minimorum applicetur: ergo ex his omnibus conſtat, quod licet venatio, aucupium, & piſcatio, quocunque fine fiant, ſint opera ſervilia, tamen ex conſuetudine, aut neceſsitate, vel diſpenſatione permittuntur; & ſic in hoc moribus Provinciarum ſtandum eſt.

Referuntur Doctores pro hoc modo dicendi.

244 Hanc ſententiam docent Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 28. à num. 3. Toletus lib. 1. cap. 24. Fagundez lib. de 1. Eccleſ. præcept. cap. 11. num. 16. referens Caietanum 2. 2. quæſt. 122. art. 4. §. in eodem art. 4. & Sotum lib. 2. de Iuſtitia, quæſt. 4. art. 4. ſed Sotus dicit, quod *animi gratia venatum ire, claret non eſſe ſervile opus*. Et ſolum docet, quod itineratio eſt licita ob morem aliquarum Provinciarum, vnde melius pro ſecunda ſententia allegari poteſt. Expreſſe tenent etiam noſtram aſſertionem Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 5. num. 9. Villalobos tract. 32. difficult. 2. num. 8. Trullench lib. 3. Decal. cap. 1. dub. 8. num. 8. Filliucius tract. 27. cap. 9. quæſt. 12. num. 173. Turrianus in Sum. part. 1. cap. 230. dub. 14. Leander tr. 1. de Obſervat. Feſt. diſp. 4. quæſt. 28. & reliquis vſque ad 34. Sanchez in Conſil. lib. 5. cap. 2. dub. 14. & 15. aſſerens ita ſentire plures alios Societatis doctos viros. Inſuper eam docere videtur Diana 4. part. tract. 4. reſol. 222.

Argumentis fit ſatis.

245 Ad primum argumentum ſententiæ contrariæ reſpondetur, quod ex quo prædictæ actiones communiter exerceantur à Nobilibus, & recreationis gratia, non poteſt argui eſſe liberales: quia operandi finis, & cauſa non variant eſſentiam operum ſervilium, aut liberalium; nec minus divites, & Nobiles in venatione, aut piſcatione laborant, quam pauperes, qui ex officio, & piſcationis lucro aluntur: ſi ergo quando à pauperibus dictæ actiones exercentur, ſunt ſerviles; quare non erunt, dum à divitibus exequuntur? ¶ Per quod patet ad ſecundum; nam ex quo dicta opera liberis, & ſervis communia dicantur, non tollit, quo minus ſervilia proprie ſint, & feſtum vere violent; cum ad hoc attendatur ad earum intrinſecam eſſentiam, non vero ad cauſas operantes, & fines extrinſecos, ob quos exercentur. ¶ Ad tertium reſpondetur: noſtri muneris non eſſe componere aliorum ſententias; nos vero dicimus, quod finis operantis non facit opera ſervilia eſſe libera, nec è contra; & ideo quia piſcari, venari, &c. ex ſe ſervilia ſunt, docuimus non poſſe fieri liberalia ex quo recreationis gratia fiant; ſicut nec erunt ſervilia opera ex ſe liberalia, vt docere, ſcribere, &c. ex quo ob queſtum, & mercedem exequantur. Quapropter qui dicunt licere dicta opera recreationis gratia, eſt, quia docent, hunc finem mutare ſervilia opera in libera: nos vero, quia ſolum ad rerum eſſentias attendimus, negamus ea diebus feſtis eſſe licita, quocumque fine fiant; quia illa ex propria eſſentia ſervilia eſſe credimus.

Sunt, qui ſentiunt, iter agere eſſe opus ſervile.

246 Rogabis tertiò: An ſit licitum, in die feſto iter agere, ſive equeſtrem, ſive pedeſtrem; & beſtias oneratas deferre? Bimembris eſt hæc quæſtio, & ideo etiam diviſive decidenda. Circa primam partem Abulenſis in cap. 12. Exod. quæſt. 24. docet, quod ambulare in feſtis per vnam, aut duas leucas, eſt peccatum mortale. ¶ Sylveſter verb. *Dominica*, quæſt. 3. Tabiena verb. *Feriæ*, num. 23. & alij docent, iter agere pedeſtrem, vel equeſtrem, eſſe die feſto prohibitum, ſi cum magna fatigatione fiat. ¶ Caietanus 2. 2. quæſt. 122. art. 4. §. in eodem art. 4. & Sotus de Iuſtitia, lib. 2. quæſt. 4. §. *Tertium genus*, pag. 146. aſſerunt, ex conſuetudine ſolum Provinciarum licitum eſſe; ac proinde ex ſe, & ex natura ſua eſſe ſervile. ¶ Abulenſis movetur, ex eo quod Iudæis ſolum permitteba-tur Sabbatis mille paſſum iter aggredi: ergo idem in præſenti tempore dicendum eſt. ¶ Alij forte moventur, quia iter agere eſt opus corporale, & ſatis laborioſum, ſervorum que proprium, ſi proprijs pedibus fiat; ſi vero fiat equitando, habet annexas plures actiones ſerviles: ergo ſervile ex ſe eſt.

Verius eſt, iter agere opus ſervile non eſſe.

247 Sed nihilominus tenendum eſt, prædictum opus ex ſe ſervile non eſſe, nec in die feſto prohibitum. Et ratio eſt: quia itinerari, nihil aliud eſt, quam naturalis corporis motus liberis, & ſervis communis: ergo non eſt opus

opus ſervile. ¶ Confirmatur : quoniam in lege veteri non abſolute prohibebatur Iudæis iterfacere , ſed potius id eis concedebatur intra certam diſtantiam , hoc eſt mille paſſum, quæ dicebatur *Sabbathi iter*: vt probat Abulenſis relatus ſupra ex cap. 1. Act. Apoſt. ergo quia iterfacere actio ſervilis non eſt; alias nec ob modicum tempus liceret ; cum temporis maior, aut minor continuatio non mutet actionem liberam in ſervilem. Sic Angelus verbo *Feriæ*, num. 15. Navarrus cap. 13. num. 6. Suarez lib. 2. de Relig. cap. 27. num. 2. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 27. quæſt. 8. Sanchez in conſil. lib. 5. cap. 2. dub. 7. num. 3. Villalob. 2. part. tract. 32. diffic. 2. num. 9. Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 5. num. 12. Diana 2. part. tract. 1. miſcel. reſolut. 36. & 4. part. tract. 4. reſol. 222. Fagundez lib. 1. cap. 11. num. 9. & alij communiter.

Ad motiva cõtraria reſpondetur.

248 Ad Abulenſis motivum reſpondetur: talem prohibitionem , ne Iudæi ambularent die Sabbathi vltra mille paſſus , non conſtare ex Sacro Textu , & licet conſtaret, nunc minime obligare Chriſtianos , ſicut nec obligat abſtinentia ab alijs operibus , v. g. ciborum præparatione , & alijs , ad quæ Iudæi die Sabbathi tenebantur: quia non eſt ita ſtrictum præceptum ſervandi nunc feſta, ſicut erat tunc obſervandi Sabbatha. ¶ Ad id , quod additur : dicimus , quod eſto pedeſter iter agere, ſit laborioſum , non tamen ex hoc cenſendum eſt ſervile, alias ſervile eſſet ſaltare, tripudiare, chorizare, & pila ludere; cum in his non minus homines fatigentur , ac fatigantur in itinerando: ergo ex labore , & defatigatione in operando, nequit inferri, an opera ſint, nec ne ſervilia, ſed ex natura eorum : cum ergo itinerare ex ſe ſervile non ſit , nec fiet ſervile , & ſi per totum diem , & cum labore continuetur. Unde ob hanc rationem excuſant Sanchez , Suarez, & alij ſupra relati Curſores pedeſtres, & equeſtres; quia quod iter conficiant in die feſto currendo, non variat actionis ſubſtantiam.

Referuntur variæ ſententiæ circa Muliones , ſeu Agaſones.

249 Circa ſecundam quæſtionis partem maior eſt inter Doctores difficultas. Nam Caietanus 2. 2. quæſt. 122. artic. 4. §. *His igitur.* Navarrus cap. 13. num. 6. Sylveſter verb. *Dominica* , quæſt. 3. Margarita 3. præcept. fol. 70. Divus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 7. §. vltim. Roſella verb. *Feriæ* , num. 22. & alij aſſerunt : quod deferre mercimonia , & alia onera rhedis , aut mulis , vel quibuſcumque alijs beſtijs , eſt revera die feſto prohibitum: quia hoc vere eſt opus ſervile. ¶ Layman vero lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 5. Caietanus loco citato. Barboſa in 1. lib. Decretal. cap. *Omnes dies* de Ferijs, n. 5. Filliucius tract. 27. cap. 11. num. 128. & alij ſentiunt : quod licet iter bona fide incæptum , poſsit continuari cum mulis , & curribus onuſtis ; non tamen licet illud die feſto incipere , nec in hoc facile admittenda eſt conſuetudo , quamvis aliqua alicubi videatur vigere : quia potius eſt abuſus, quam conſuetudo , vt aiunt Navarrus , & Caietanus. ¶ Palaus denique loco citato , & Bonacina diſp. 5. quæſt. vnic. punct. 2. numer. 25. dicunt : quod ſi Muliones iter agunt , deferendo beſtias onuſtas , taliter quod paſsim onera levanda , & imponenda ſint , tunc , niſi aliqua cauſa excuſentur , non poſſunt licite iter die feſto inchoare , aut incæptum continuare : quia tunc magna diei pars in operibus pure ſervilibus conſumeretur , quod nequit non feſti ſolemnitatem , & obſervantiam violare.

Licitum eſt Mulionibus, die feſto iter incipere, & incæptum continuare.

250 Nihilominus dicendum eſt : Mulionibus , ſeu Agaſſonibus licitum eſſe , non ſolum die feſto iter incæptum cum beſtijs onuſtis continuare , verum & inchoare. Prima huius concluſionis pars facile ſuadetur : quia hoc præceptum Eccleſiaſticum eſt , ſuaviter que ad eius obſervantiam obligans; ſed valde oneroſum eſſet Reipublicæ, & Mulionibus , ſi diebus feſtis iter incæptum interrumpere deberent ; cum tunc expenſæ eſſent longe maiores, & conſequenter merces carius venderentur : ergo poſſunt licite Muliones cum beſtijs onuſtis iter incæptum die feſto continuare. In hoc fere omnes Doctores conveniunt. ¶ Secunda vero pars etiam probatur. Tum, quia Muliones in oneribus levandis , mulis, alijs que beſtijs imponendis , tempus notabile non conſumunt. Tum etiam , quia & ſi notabile tempus conſumerent , hoc honeſtatur, vel propter evitandum grave damnum , quod ipſi Muliones paterentur , ſi diebus feſtis cogerentur conquieſcere ; vel propter vtilitatem publicam , ad quam neceſſarium ſæpe eſt , vt ſine mora hæc mercium tranſportatio fiat; vel denique quia his cauſis adiungitur omnium Provinciarum conſuetudo , ex qua eſt licita dicta mercium vecturæ in die feſto inchoatio. Sic docent Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 27. num. 3. Azor 2. part. lib. 1. cap. 27. quæſt. 2. Rodriguez cap. 121. num. 2. Saa verbo *Feſtum* , num. 5. Sanch. in conſil. lib. 5. cap. 2. dub. 7. num. 9. Palaus tract. 9. diſput. vnic. punct. 5. num. 12. Paſchalig. deciſ. 292. num. 10. Diana 1. part. tract. 15. reſol. 36. Trullench lib. 3. cap. 1. dub. 8. num. 2. Filliucius tract. 27. cap. 11. num. 228. Leander tract. 1. diſp. 4. quæſt. 52. & alij. Et ex dictis patet ad ſententiæ contrariæ motiva.

Quædam ſcitu digna notantur.

251 Sed hic aliqua notare oportet pro pleniori huius materiæ intelligentia. Notandum eſt primo : non poſſe admitti , quod ait Rodriguez , nimirum , excuſari Agaſones ab obligatione audiendi Sacrum , qui ad Eccleſiam accedere nolunt , ob commoditatem paſcendi beſtias in agro , & vitandi ſumptus in diverſorio. Quam doctrinam aprobat Trullench , ſi Agaſo ſit pauper , & maximi ſumptus in hoſpitio faciendi. Hæc ergo doctrina nobis diſplicet. Tum : quia liberam pandit viam , vt omnes Agaſones ab obligatione audiendi Sacrum , ſe exemptos iudicent ; cum omnes communiter pauperes ſint , & paſsim commoditatem paſcendi beſtias in agro inveniant. Tum etiam : quia prædicta opportunitas ob auditionem Sacri raro amittitur: ergo doctrina ita vniverſaliter excuſans Agaſones ab obligatione audiendi Sacrum , falſa eſt. ¶ Notandum eſt ſecundo : veram eſſe aliam doctrinam , quam communiter docent Doctores , nimirum , licere Agaſonibus , & Anteambulonibus præparare ea omnia , quæ neceſ-

necessaria sunt ad itineris vsum, vt ephodium, victum, vestes, &c. quia hæc accessoria, imò necessaria sunt ad iter agendum, quod, supra iam diximus, licite in festo aggredi posse, & accessorium naturam sequitur principalis. Sic Bonacina, Filliucius, Trullench, & alij relati. ¶ Concludit denique hanc materiam Sanchez loco allegato num. 10. citans Navarrum, & Rosellam, dicendo: non excusari à transgressione festi, qui vespere ante diem festum mittunt bestias, vt sequenti die onustæ accedant, nisi forte id excuset vrgens, gravisque necessitas, v.g. devehendi necessaria ad diem festum, quæ antea commode asportari non potuerunt.

§. IV.

De opere servili religioso.

Explicat D. Thom. quid sit opus servile religiosum.

252 DEsignando denique D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. tertium genus operis servilis, quod religiosum dicitur, sic ait: *Tertia autem est servitus Dei. Et secundum hoc opus servile potest dici opus Latriæ, quod pertinet ad Dei servitium. Si autem sic intelligatur opus servile, non prohibetur in die Sabbathi, quia hoc esset contrarium fini observationis Sabbathi. Homo enim ad hoc ab alijs operibus abstinet in die Sabbathi, vt vacet operibus Dei ad servitutem pertinentibus. Et inde est, quod sicut dicitur Ioan. 7. Circuncisionem homo accipit in Sabbatho, vt non solvatur lex Moysi. Inde etiam est, quod sicut dicitur Matth. 12. Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, idest corporaliter in Sabbathis operantur, & sine crimine sunt. Et sic etiam Sacerdotes in Sabbatho circunferentes arcam, non transgrediebantur præceptum de Sabbati observatione. Similiter etiam nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbathi, puta siquis doceat verbo, vel scripto. Vnde Num. 20. dicit Glossa quod fabri, & huiusmodi artifices otiantur in die Sabbathi. Lector divinæ legis, vel Doctor ab opere suo non desinit; nec tamen contaminatur Sabbathum: sicut Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt.* Huc vsque Angelicus Doctor explicans opera servilia, quæ ad Divinum cultum ordinantur.

Triplex gradus operum ad cultū Dei deservientium.

253 In quibus vtique verbis diversos gradus operum, quæ ad Divinum cultum ordinantur, refert: Nam in primo constituit spiritualia, quæ à Deo supernaturaliter nobis donantur, vt est Sacramentorum administratio, medijs quibus supernaturalis gratia nobis confertur. Et ideo iuxta Divum Thomam Iudæi circuncisionem accipiebant in Sabbatho, si octava nativitatis infantis tunc incidisset dies, vt non solveretur lex Moysis octavo die infantes circuncidere iubentis. Et Christiani nunc omnia administramus Sacramenta; & insuper quæ ad altaris ministerium attinent, exercemus: vnde prædicamus, oramus, legimus, & docemus, quæ ad meditationem Divinorum conferunt. ¶ In secundo gradu collocat opera illa corporalia, in quibus cultus Dei per se consistit, qualis erat antiquitus, Arcam Testamenti deferre, & modo Christi crucem gestare, aut Sanctorum statuas argenteas, vel aureas, aut ligneas in Processionibus vaiulare: organa, alia qne instrumenta musica ad divinas laudes designata, canere. ¶ Quibus addi potest alius tertius gradus eorum operum, quæ Sacrorum sunt præparatoria, & hæc sunt etiam in multiplici differentia. Nam quædam sunt cultui divino adeò propinqua, & simultanea, vt sine illis Deo tribui talis cultus non valeat; vt olim erat præparatio victimarum, eas mactando, excoriando, lavando, &c. & nunc est campanas ad Missam, & Vesperas pulsare. Alia sunt, quæ possunt præcedenti die fieri, vt ornare templum, mundare illud, conficere hostias pro Missis celebrandis. Denique alia sunt non per se, sed accidentarie ad divinum cultum expectantia, quia scilicet solum ex hoc expectant ad divinum cultum, quia ob Dei servitium fiunt, v.g. colere agros pauperculæ Ecclesiæ, vel ad eius structuram lapides vectare. Vnde de his omnibus in præsenti agendum nobis est, & decidendum, an sint opera diebus festis prohibita.

Per opera servilia religiosa primi, & secundi gradus non violatur observantia festi.

254 Et quidem loquendo de administratione Sacramentorum, & de alijs rebus immediate ad cultum Dei pertinenibus, certum est, festa per ea non violari. Et ratio, quam affert Divus Thomas, est evidens: quia finis huius præcepti est, vacare à servilibus, vt homo se totum cultui divino impendat: ergo ea, per quæ immediate cultus Deo tribuitur, non erunt contra observantiam dicti præcepti: & ideo circuncisionem accipiebant Iudæi in Sabbatho, quin crederent, se Sabbathum violare. ¶ Similiter loquendo de alijs rebus corporalibus, quas in secundo gradu collocavimus, v. g. gestare Sanctorum imagines, &c. dicendum est, festa per ea non violari; & ideo Matth. 12. dicitur: *An non legistis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt? Violant.* Hoc est quo ad quietem, & otium: *Sine crimine sunt.* Quia dicta opera, licet corporalia, tamen sunt intrinseca cultui divino, & ex illis quasi componitur, aut illis cultus Deo exhibetur; vnde ad servitium Dei proprie pertinent. Quapropter nec dici proprie servilia queunt, cum per ea non hominibus, sed Deo serviamus; nec in hoc præcepto prohibentur, cum sint pars divini cultus, & per ea finis præcepti consequatur, vt ait Angelicus Doctor. Quare potius dicenda sunt opera, quibus festum religiose à nobis celebrari, & sanctificari præcipitur, quam opera, quibus à transgressione præcepti excusamur. Et ideo non recte aliqui Doctores ea inter causas, quibus excusamur à transgressione præcepti, collocant. Vnde licite possunt fideles in festis organa, & cymbala pulsare, & alijs musicis instrumentis ad Dei cultum vti; deferre Crucem, & Sanctorum imagines in Processionibus gestare. Sic Caietanus 2. 2. quæst. 122. art. 4. §. *Ad hoc dicitur.* Sotus lib. 2. de Iustitia, quæst. 4. art. 4. ad 3. argum. Suarez de Relig. lib. 2. cap. 21. num. 9. Fagundez lib.

lib. 1. de Eccleſ. præcept. cap. 14. à num. 4. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 28. quæſt. 5. Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 9. num. 1. Bonacina diſp. 5. de 3. præcept. Decal. quæſt. vnic. punct. 3. num. 6. Sanchez in Conſil. lib. 5. cap. 2. dub. 22. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 10. num. 5.

Opera corporalia divino cultui propinqua cum cauſa licita ſunt in die feſto.

255 Quare tota difficultas eſt circa opera corporalia cultui divino propinqua, & Sacrorum præparatoria. Vnde rogabis primò: An coquere hoſtias, & altaria, aut tabulata ad ſolemnitatem neceſſaria erigere, Eccleſias tapetis ornare, ſeu templa, vel vias publicas ſcopis ad Proceſsionem mundare, ſint opera ſub mortali prohibita, quando abſque rationabili cauſa in die feſto exercentur? Supponit quæſtio, licere die feſto prædicta exequi, ſi adeſt rationabilis cauſa, qualis eſt, ſi antecedentibus diebus non potuerunt officiales, & artifices ea efficere, vel quia dies feſti continuo ſucceſſerunt, vel quia paramenta tempore opportuno non ſunt ſubminiſtrata: & idem dicendum eſt, ſi accidat, quod continuatis feſtis Eccleſiæ immundæ reddantur, nam tunc mundari poſſunt, ne immunditia inter ſolemnitates duret; vel denique ſi feſtum aliquod eveniret, v. g. in Sabbatho Sancto, tunc cum non deceat prius ornare templum propter luctum Paſſionis Domini, rationi conſonat, quod dicta eo die pro ſolemnitate Paſchatis parentur. In his, & ſimilibus caſibus conveniunt Doctores poſſe in die feſto opera Sacrorum præparatoria exequi. Quare ſolum inter eos verſatur quæſtio, dum nulla ex his cauſis adeſt.

Sine cauſa, iuxta primam ſententiam, tantú ſunt dicta opera peccatum veniale.

256 Circa quam prima ſententia, quam tenent Caietanus 2. 2. quæſt. 122. art. 4. §. *Ad hoc.* Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 21. num. 11. & alij docent: quod licet conſulendum ſit, vt dicta opera ante feſtum fiant, tum ob perturbationem vitandam, tum vt dies feſtus liber ad cultum Dei maneat; tamen ſi ſint ex his, quæ cultui divino ſunt valde vicina, vt ornare altaria, veſtes Sacras extrahere, &c. ſervilia non ſunt, nec tali die prohibita; ac proinde ſi ſimplici corde fiant, vt loquitur Caietanus; aut ex negligentia, vt ait Suarez, ſecluſo ſcandalo, ſunt tantum veniale peccatum. Quam doctrinam extendit hic Doctor ad actiones mundandi ſcopis templum, & ornandi periſtromatis, & tapetis parietes. Et rationem reddit; quia materia de ſe non eſt gravis, & fit levior ex coniunctione ad cultum Dei. Vnde ſi intercedat oblivio, vel inadvertentia præcedens, excuſari poterunt ab omni culpa: ſi tamen contingat, ex negligentia non exequi die antecedenti prædicta opera, poſtea iam erit caſus neceſsitatis, & conſequenter poterunt præfatæ actiones ſine novo peccato in feſto exequi. Idem docent Sanchez de Conſil. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 22. num. 4. in fine, & Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 10. num. 1. credens, has actiones ex coniunctione divini cultus maxima ex parte rationem ſervitutis exuere; & ideo earum labor ſolum culpam venialem conſtituere. Et refert pro hac ſententia Fagundez lib. 1. cap. 14. num. 4. Bonacinam tom. 2. de 3. præcept. Decal. diſp. 5. quæſt. vnic. punct. 3. num. 6. & Azor, ſed quo ad iſtum Doctorem non recte, cum nihil dicat, an ſit nec ne peccatum mortale, aut veniale, ſed potius abſolute aſſerat, talia opera proxime ante diem feſtum fieri debere: & ſolum concedit, quod ſi forte ob aliquod impedimentum, aut ſocordiam, & negligentiam prætermiſſa ſunt, tunc iure in die feſto fieri poſſunt; quod longe diverſum eſt à Palai, & Suarij ſententia.

Exequi præfata opera ſine cauſa in die feſto, eſt peccatum mortale iuxta ſecundam ſententiam.

257 Secunda ſententia, pro qua ſtant Conradus in Reſponſion. part. 2. quæſt. 233. & alij, quos ſuppreſſo nomine refert Diana 3. part. tract. 5. reſol. 9. tenet: quod qui abſque rationabili cauſa templa die feſto tapetis ornant, peccant mortaliter. Et ratio pro hac ſententia ſic efformari poteſt: nam prædicta opera ſunt proprie ſervilia, & communia ad domos, & loca ſæcularia; ſed opera proprie ſervilia abſque iuſta, & rationabili cauſa excuſante die feſto exequi, mortale eſt: ergo etiam eſt mortale templa, ſicut & ſæculares domos in feſtis tapetis ornare, & ſcopis mundare.

Probabilius eſt, nullum eſſe peccatum, dicta opera in feſto etiam ſine cauſa exequi.

258 Tertia denique ſententia, quam probabiliorem iudicamus, ait: prædicta opera Sacrorum præparatoria, & ſi die antecedenti præveniri poſſent, poſſe licite in die feſto exequi. Et movetur primò: quia conſuetudo, & praxis communis eſt, dicta opera diebus feſtis exercere, & hoc videntibus, & conſentientibus Epiſcopis, alijs que Eccleſiaſticis Prælatis: ergo quia credunt dictis actionibus feſtorum obſervantiam non violari. ¶ Secundò: Nam ſi dicta opera in feſto exequi, eſſet peccatum, vel eſſet mortale, vel veniale; ſed neutrum eſſe poteſt: ergo nullum. Probatur aſſumptum, & quidem quo ad primam partem, ſcilicet quod non ſit mortale, tenent communiter Doctores ſupra pro prima ſententia relati. Quo ad ſecundam vero, ſcilicet quod nec etiam veniale ſit, ſic oſtenditur. Nam hæc materia de ſe gravis eſt, & alias magnam diei partem conſumens: ergo ſi prohibetur in die feſto, talia opera exequi non erit peccatum veniale, ſed mortale: ergo ſi iuxta Adverſarios eſt tantum veniale, non erit, quia talia opera ſunt prohibita in die feſto, ſed ob alias circunſtantias extrinſecas talibus operibus; & conſequenter ſemper erit verum, quod ex ſe in die feſto non prohibentur, ſed licite tunc fieri poſſunt. ¶ Tertiò: Ideo pulſare campanas, organa, buccinam, alia que muſica inſtrumenta, eſt in die feſto licitum iuxta omnes Doctores, quia hæc omnia, licet ſervilia, non parum ordinantur ad cultum divinum, ſunt que interioris cultus ſigna; ſed templa ornare, ſcopis mundare, hoſtias coquere, altaria, & tabulata erigere ſatis proxime ordinantur ad cultum Dei, eius que maiorem ſolemnitatem, ſunt que ſigna interni Dei cultus: ergo ſunt etiam opera die feſto licita. Hanc ſententiam expreſſe tenent Diana loc. cit. Paſchalius deciſ. 287. à n. 3. Leander de præcept. Eccleſiæ, tr. 1. diſp. 6. q. 62. & alij apud ipſos.

Colere agros Ecclesiæ, iuxta aliquos, est in die festo licitum.

259 Rogabis secundò: An colere agros alicuius Ecclesiæ pauperculæ, vel Hospitalis; aut ad eorum ædificium lapides, ligna eloginquo vehere, sive aliquam templi partem ædificare, parietes dealbare, &c. sit in die festo licitum? Affirmant Angelus verb. *Feriæ*, num. 9. 28. & 32. Alcocer in Sum. cap. 17. Sylvester verb. *Dominica*, quæst. 5. Ioannes à Cruce 1. part. Sum. præcept. 3. art. 1. num. 4. Saa verb. *Festum*. Villalobos in Manual. Confess. cap. 22. num. 80. & alij apud Sanchez lib. 5. Consil. tom. 2. cap. 2. dub. 23. Et moventur: quia in cap. *Conquæstus*, de ferijs, dicitur, quod iudicialia in diebus festis exercenda non sunt, *nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat*. Ergo etiam servilia licita erunt, dum pietatis, aut necessitatis causa adest; sed in nostro casu semper adest causa pietatis, & communiter necessitas: ergo tunc erunt dicta opera in die festo licita.

Verius est oppositum, si necessitas non excusset.

260 Negant vero alij, dum solum causa pietatis intervenit, & abest necessitas. Et ratio est: nam prædicta opera ex se servilia sunt, & solum remote ad cultum Dei ordinantur; sed causa sola pietatis, nisi adsit necessitas, nequit dicta opera licita redere: ergo ex vi illius illicita erunt. Probatur minor: nam præceptum religionis prohibens servilia in die festo est superioris ordinis ad omnia opera pietatis: ergo præferendum est illis: & sic servilia ob solam pietatis causam in die festo non fiunt licita, & honesta, sed prorsus omittenda erunt. ¶ Confirmatur. Nam ideo in cap. *Conquæstus*, de ferijs, dicitur, quod causa pietatis reddit iudicialia licita, quia ex se non sunt proprie servilia; & ex se essent diebus festis licita, nisi prohiberentur ab Ecclesia; sed hæc ratio non currit in nostro casu, cum prædicta opera sint vere servilia, & iure divino in festis prohibita: ergo ex quo Ecclesia permittat, quod iudicialia, pietatis causa, non violent festorum solemnitatem, non inde arguitur, quod idem dicendum erit de operibus, quæ proprie servilia sunt. Vnde concludit hæc sententia, quod nisi vltra pietatem, adsit Prælati licentia, hæc exequi in festis, fas non est. ¶ Hanc igitur sententiam, quam tenent Doctores infra allegandi, nos etiam vt veram amplectimur. Quapropter si aliqua Ecclesia, aut Monasterium dives sit, non licet huiusmodi opera ex sola pietatis causa pro eis exercere. Cæterum quia fere omnes Ecclesiæ, & Monasteria iam his temporibus egestare laborant; ideo tam pro his, quàm pro alijs causis pijs (quales sunt Animarum, & Sanctorum Confraternitates) possunt licite agricolæ, alij que officiales suas operas diebus festis impendere, templa, v. g. extruendo, agros colendo, segetes metendo, terendo, &c. Sic tenent Caietanus 2.2. quæst. 122. art. 4. vers. *Ad hoc dicitur*. Sotus de Iust. & Iure, lib. 2. quæst. 4. art. 4. ad 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 21. num. 12. Navarrus in Sum. cap. 13. num. 4. Abulensis in Exod. cap. 12. quæst. 4. Lopez in Instruct. Conscient. lib. 1. cap. 52. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 2. dub. 23. Bonacina disp. 5. citata, punct. 3. num. 6. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 10. num. 1. Trullench lib. 3. Decal. cap. 1. dub. 10. num. 5. Fagundez lib. 1. de Eccles. præcept. cap. 14. num. 6. & alij apud ipsos. Ex dictis constat ad rationem primæ sententiæ.

PUNCT. XII.

An opera liberalia, vt docere, scribere, & similia fiant servilia; & prohibita in festo, si ob lucrum fiant?

Agendorum ratio.

261 HUc vsque actum est à nobis de triplici opere servili, quod ex mente D. Thomæ designavimus, nunc vero differendum nobis est de operibus liberalibus; & videndum, an vt vestita aliquibus circunstantijs, fiant servilia, & consequenter in die festo prohibita: specieliter tamen de scriptione, & transcriptione agemus, quia de eis est potior apud Doctores difficultas, sed quæ dicta fuerint de eis, cum proportione alijs actionibus liberalibus applicanda erunt.

Docere, & studere diebus festivis, secundum Abulensem, est opus servile, maxime quando fit ob lucrum.

262 Rogabis primò: An docere, studere, cantare, &c. si fiant lucri gratia sint opera servilia, & in festis prohibita? Affirmant graves Doctores, & hanc sententiam sic primo probat Abulensis Exod. 12. quæst. 26. quia licet docere, legere, ratiocinare, advocare, cantare, & similia sint actiones liberales, tamen quando ob lucrum, & mercedem exercentur, fiunt ex hoc fine serviles, vt de avaritia ait Divus Paulus ad Ephesios 5. v. 5. *Quod est Idolorum servitus*. Sed actiones serviles prohibentur fieri in die festo: ergo etiam actiones liberales, quando ob lucrum fiunt, in die festo fieri prohibentur. ¶ Secundò: Studium etiam S. Theologiæ, & si fiat sine intentione lucri, si tamen per totam, aut maiorem diei protrahatur, tollit quietem festivitatis: ergo in die festo est illicitum. ¶ Tertiò: Studere est aliquid ad finem; vacare autem Deo est aliquid, quod est pars ipsius finis: ergo dimittendum est studium propter vacationem ad Deum. Hæc sunt fere eadem verba, quibus suam sententiam comprobat Abulensis; & solum excusat à culpa die festo studere, quando necessarium esset ad die sequenti sermocinandum, & aliter sermonem memoria retinere concionator non posset. Idem etiam docet de Magistris, & Doctoribus Cathedras regentibus; esto addat, quod in his non est tanta excusatio, quia lucri, & pecuniarum causa eas moderantur, & lectiones suas legunt; & ideo sunt mercenarij facientes opera servilia. Similiter loquitur de Cantoribus, si pro diebus festis canere paciscantur determinate ob lucrum, secus vero quando pro toto anno, lucro que indeterminato canere paciscuntur, qualiter faciunt Sacristæ, Cathedralium que Cantores. Et ratio differentiæ est: quia quando conveniunt pro determinato die festo canere, tunc pro labore

diei

diei festi determinate datur pretium, & sic fit servile: quando vero est conventio pro toto anno, merces non datur determinate pro diebus festis, sed pro omnibus anni diebus, & sic talis operatio non evadit mecenaria, & servilis. Sic Illustrissimus Abulensis discurrit circa hanc materiam.

Vlterius ab alijs Doctoribus suadetur opinio præcedens.

263 Quartò ab alijs sic suadetur hæc opinio. Nam triplex opus servile distinguitur à Doctoribus, maxime huius sententiæ patronis, scilicet servile materialiter tantum, vt arare, & cavare, agros colere, &c. formaliter tantum, vt studere, scribere ob lucrum, & stipendium: & denique formaliter, & materialiter simul, vt agros colere, vel arare ob pretium, & mercedem: ergo scribere, licet ex se opus liberale sit, tamen ob lucrum factum formaliter servile est. ¶ Quintò: Nam piscari recreationis causa actio liberalis est, factum tamen ob lucrum servile est, & prohibitum in cap. *Licet*, de ferijs, & solum sub dispensatione, & necessitate ibi permissum: ergo idem dicendum est de studio, & scriptura, alijs que actionibus liberalibus. ¶ Vltimò: quia operari ob stipendium est proprium servorum: ergo esto ex se liberale aliquod opus sit, redditur tamen servile ob finem lucri propter quod fit. Hanc sententiam tenent Abulensis loco cit. & ad cap. 1. de ferijs Abbas num. 4. Antonius Burtius, & alij Canonistæ. Et ex Summistis Rosella verb. *Feriæ*, num. 12. Sylvester verb. *Dominica*, quæst. 5. Tabiena verb. *Feriæ*, num. 39. & 40. Astens. in Sum. lib. 1. tit. 22. art. 4. & tit. 23. art. 3. quæst. 5. Sotus lib. 2. quæst. 4. art. 4. Ricardus in 3. dist. 37. art. 2. quæst. 4. & Azor part. 2. lib. 1. cap. 27. quæst. 4. qui non movetur ex eo, quod opus alioqui liberale ex se, in servile transeat, cum fit ob lucrum; sed quia scribendi opus, v.g. fit quoddam genus, cuius sint duæ species, vna operis liberalis, altera operis servilis. Scribere causa sciendi, cognoscendi, docendi, discendi, liberale est opus; at quæstus causa, servile est.

Non esse opera servilia docere, scribere &c. licet fiant ob lucrum, multiplici ratione probatur.

264 Dicendum nihilominus est: docere, scribere, & alias actiones ex se liberales, esto fiant ob mercedem, & stipendium, minime serviles fieri, nec contra præceptum servandi festa esse. Et movemur primò: quia intentio operantis est extrinseca operi: ergo non variat intrinsece opus: ergo si opus ex se liberale est, nequit fieri servile, & si ob lucri intentione fiat. ¶ Secundò: Sicut docere ex se opus liberale est, sic est servile, agros colere; sed agros colere, ex intentione operantis nequit fieri liberale: ergo nec ex intentione operantis valet fieri servile, quod ex se liberale est. ¶ Tertiò: Ecclesia non prohibet operari propter mercedem in die festo, nisi in quantum prohibet opus: ergo si non prohibet in die festo opus in quantum tale, nec illud prohibebit, quod fiat hac, vel illa intentione, gratis, aut ex mercede; quia de hoc nihil curat: ergo si opus ex se est liberale, non prohibebit illud, etsi ob mercedem fiat. Et similiter licet opus alias sit servile, & de se prohibitum, si adsit causa illud in die festo permittendi, quamvis ob mercedem fiat, illud nec est prohibitum, nec festum violat. ¶ Vltimò: quia si vera esset contraria sententia, sequeretur esse servilia cantare, & musica instrumenta ob lucrum diebus festivis pulsare; sed hoc esse falsum clare videmus; cum in Ecclesijs hæc à ministris non aliter fiant nisi ob lucrum & mercedem, nec facile invenirentur, qui prædicta gratis facerent; & sic Ecclesia his ministris, & eorum ministerio privaretur, si violaretur festum, ex quo ob lucrum cantarent, aut pulsarent: ergo tenendum est, tam hæc, quàm alia opera liberalia, licet ob lucrum fiant, minime servilia reddi.

Nostræ sententiæ Patroni referuntur.

265 Hanc nostram sententiam docent Caietanus 2. 2. quæst. 122. art. 4. & in Sum. verb. *Festorum violatio*. Sotus lib. 2. de Iustitia, quæst. 4. art. 4. Navarrus in Manual. cap. 13. & in cap. *Ieiunia*, de consecrat. dist. 3. dicto 37. Sayrus in Clavi Reg. lib. 7. cap. 2. num. 13. Lopez in Instruct. 1. part. cap. 25. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 19. num. 6. Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 8. Barbosa tom. 1. Collect. Doct. in lib. 2. Decretal. tit. 9. de *Ferijs*, cap. *Licet*, num. 4. pag. mihi, 407. Fagundez de Eccles. præcept. lib. 1. cap. 10. num. 3. Palaus tom. 2. tract. 9. disp. vnic. punct. 5. num. 3. Leander part. 3. tract. 1. disp. 4. quæst. 5. 6. & 7. Sed pro omnibus sufficit Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3. vbi sic ait: *Similiter nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbathi: puta, si quis doceat verbo, vel scripto. Vnde Num. 28. dicit Glossa, quod fabri, & huiusmodi artifices otiantur in die Sabbathi. Lector autem divinæ legis, vel Doctor ab opere suo non desinit.* Et certum est, Divum Thomam non solum loqui de Doctoribus, qui gratis docent, sed potius de his, qui ex officio ad hoc tenentur, qui vtique non gratis, sed ob mercedem doctrinam publice tradunt.

Respondetur ad argumenta Abulensis.

266 Ex quibus non obscure constat ad argumenta sententiæ contrariæ. Nam ad primum iam diximus, quod opus ex se liberum nequit servile effici, ex quo ob stipendium fiat; cum intentio sit operi quid extrinsecum. ¶ Ad secundum respondetur: quod dummodo prius Sacrum audiatur, studium per totum diem non aufert festivitatis quietem; quia hæc quies est ab operibus servilibus, quæ mentem valde à divinis distrahunt, non autem à liberis, quæ cum spirituales sint, potius mentem ad Deum pertrahunt, vel saltem manuducunt. ¶ Ad tertium dic: quod studium non impedit vacare Deo, pro vt in hoc præcepto iubetur; quia audito Sacro, per quod vacatur Deo, potest quis reliquum tempus in studijs insumere. Ad id, quod additur de Cantoribus, respondetur: quod sive ob lucrum determinatum, sive ob indeterminatum Ecclesijs in his ministerijs inserviant etiam festivis diebus, nunquam dictæ actiones serviles sunt. Tum: quia ex natura sua vt liberales apud omnes habentur. Tum etiam: quia communiter in cultum, & servitium Dei, vt ait Divus Thomas, fiunt. Tum denique: quoniam de materiali est, vt serviles fiant, quod ob lucrum determinatum, aut indeter-

terminatum exerceantur; cum apud contrarios ratio formalis seruitutis sit, fieri ob lucrum, quod iuxta eos proprium seruorum est.

Aliorum Doctorũ arguméta solvuntur.

267 Ad quartum iam constat: nam certum est, quod operari ob lucrum, non est seruile, si alias opus ex se liberale est. Et sic videmus, quod Principes, Duces, Magistri, Lectores, & Ecclesiæ ministri ob mercedem operantur, & tamen eorum opera ex se liberalia sunt. Quare talis distinctio operis servilis vana est. ¶ Ad quintum de piscatione, an sit actio servilis, est lis apud Doctores, de quo supra num. 243. Ex quibus dicimus, quod piscari vtique retibus, est opus servile, vt non obscure tradit cap. *Licet*, de ferijs, cum id diebus festis præcisè ob necessitatem permittat, vt patet ex sequentibus verbis dicti cap. *Indulgemus, vt liceat Parochianis vestris diebus Dominicis, & alijs festis* (præterquam in maioribus anni solemnitatibus) *si aleciæ terræ se inclinaverint, eorum captione, ingruente necessitate, intendere. Ita quod post factam capturam Ecclesijs circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem.* ¶ Ad vltimum dicimus: quod operari ob mercedem, vt constat ex dictis, licet efficiat opus mercenarium, non tamen seruile. Et licet daremus, quod esset seruile, tamen esset tantum quo ad modum, & non quo ad substantiam operis. Ecclesia autem non prohibet modum operandi serviliter, sed opera ex se servilia. Vnde videmus, quod si Princeps in vinea propria terram foderet die festo, illud violaret, esto ob mercedem non operaretur; quia Ecclesia substantiam, non modum operationis respicit.

Sunt qui teneant, transcriptionem esse opus servile.

268 Maior tamen difficultas inter Doctores est: An transcribere ex se sit opus seruile? Diximus *ex se*, quia quod ob mercedem fiat, de materiali est; vt supra vidimus, nec reddere illud seruile valet. Affirmant Caietanus 2. 2. quæst. 122. art. 4. Navarrus in Manual. cap. 13. num. 14. Azor 2. part. lib. 1. cap. 27. quæst. 5. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 2. dub. 9. num. 4. & apud illum Sylvester verb. *Dominica*, quæst. 5. concl. 5. Margarita Confess. 3. præcept. fol. 70. & Pedraza 3. præcept. Et moventur: quia transcribere ex se opus mechanicum est, nec corporalis operis limen exit, vt ait Caietanus: ergo seruile est. Antecedens constat: quia transcribere non est opus mentis, neque artis liberalis, sed idem valet, ac pingere characteres eo modo, quo in originali continentur: ergo, &c. ¶ Secundò: nam librum imprimere, absque dubio est opus seruile, & mechanicum; sed transcribere est genus quoddam impressionis: ergo, &c. ¶ Tertiò: libros illuminare seruile est: ergo & transcribere. ¶ Quartò: plures transcribunt, quæ minime percipiunt; sed transcribere hoc modo, opus mentis, aut intellectus illustratio non est: ergo nec opus liberale. ¶ Quintò arguit Sanchez: Qui transcribit ob lucrum ex officio, non intendit aliquem finem liberum, aut spiritualem, sed tantum corporalem sustentationem, sicut accidit in alijs officijs mechanicis: ergo transcribere opus seruile moraliter iudicandum est.

Verius est oppositum.

269 His non obstantibus tenendum est, transcribere ex se, & quocumque fine fiat, esse opus liberale, & consequenter in die festo licitum. Et movemur primò: quia transcribere ex se ordinatur ad mentem illuminandam: ergo est opus liberale. Patet consequentia: cum non corpori, sed menti deserviat. ¶ Secundò: Loqui est opus liberale: ergo transcribere: cum transcribere idem sit, ac proprios, vel alienos conceptus permanenter declarare. ¶ Tertiò: Transcribere est scribere, quod alter per scripturam mihi loquitur; sed hoc seruile non est: ergo, &c. Minor patet à parietate: nam seruile non est, ea scribere, quæ, v. g. Magister verbo dictat: ergo nec scribere, quod dictat per suum scriptum; cum, vt contrarij tenent, idem sit loqui verbo, aut scripto. Tunc sic: sed scribere, quod per suum scriptum Magister dictat, est proprie transcribere: ergo transcribere seruile non est. Explicatur magis: scribere quæ Magister loquitur, & si ea scribens non intelligat, est liberale opus, & non seruile: ergo & transcribere eadem, & si ea transcribens intellectu non comprehendat. ¶ Quartò: Scribere est opus liberale: ergo transcribere. Patet consequentia: cum solum differant in eo, quod scribere est exprimere conceptus aure auditos; & transcribere est exprimere eosdem conceptus oculis perceptos, quæ vtique differentia prorsus materialis est.

Vlterius probatur.

270 Quintò: Qui ex libro transcribit ea, quæ in libro videt, seruile opus non facit: ergo nec etiam qui ex Quaternione manuscripto aliqua transcribit. Quid enim ad hoc refert transcribere ex libro scripto, aut impresso? ¶ Sextò: Qui transcribit, intendendo propriam mentis vtilitatem, iuxta aduersarios, liberale opus facit: ergo idem dicendum est de eo, qui vel ob lucrum, vel sine propriæ mentis profectu transcribit. Patet consequentia: quia opus liberale non attenditur ex fine operantis, sed ex fine operis: ergo si opus ex se est ordinatum ad mentis profectum, esto id non intendat operans, non ideo seruile erit; sed transcribere ex se ordinatur ad mentis profectum: ergo liberale erit, quocumque fine extrinseco ab operante fiat. Ita docent Suarez tom. 1. de Relig lib. 2. cap. 25. num. 2. Medina in Instruct. lib. 1. cap. 14. §. 8. Ludovicus Lopez in Instruct. cap. 52. Sayrus lib. 7. cap. 2. num. 14. & 15. Saa verb. *Festum*, Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 5. num. 4. Trullench lib. 3. Decal. cap. 1. dub. 8. num. 5. Fagundez lib. 1. de Eccles. præcept. cap. 1. num. 6. Bonacina de 3. præcept. disp. 5. quæst. vnic. punct. 2. num. 25. Barbosa in lib. 2. Decretal. tit. 9. de ferijs, cap. *Licet*, num. 4. pag. 407. Diana 1. part. tract. 15. resol. 35. Rodriguez in Sum. tom. 3. cap. 168. num. 3. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 3. Leander tract. 1. disp. 4. quæst. 12. & 13. Villalobos 2. part. tract. 32. difficult. 2. num. 4. & Bassæus num. 8. vers. *Transcribere*.

Primo, & secundo argumento fit satis.

271 Ad primum argumentum constat ex dictis. Etenim transcribere ex se ordinatur ad intellectum illuminandum, quin præcisè habeat, vt pingere, exprimere ad vnguem exem-

exemplaria; imò potius diverso, & pulchriori stylo, seu litteris in modo, & forma scribendi solet Amanuensis transcribere id, quod in exemplari est. Et ideo finis transcribentis non est imitari litteras exemplaris, sed conceptus propriæ, aut alienæ mentis taliter signo sensibili exprimere, vt possint intellectum instruere, & illuminare: quare imitatur exemplar non materialiter quo ad litteras, sed formaliter quo ad signa conceptuum; at pingere finis est solum imitari exemplar, & sic est diversitas inter pingere, ac transcribere. ¶ Ad secundum negatur minor: quia omnes actiones imprimendi serviles sunt, secus vero transcribendi. Etenim ad impressionem primo concurrit confectio litterarum per infusionem metalli liquefacti, quod valde servile est; cum terminetur in illo corporali artefacto. Secundò est compositio, & ordinatio litterarum, quæ actio etiam mechanica est; tum: quia ex se non est manifestativa conceptuum, sed solum extrinsice ei advenit, quod eos manifestet; posset enim dari similis compositio characterum, quin manifestarent conceptus, si vel non essent inter se coordinati, vel eis figura deesset, aut esset abolita. Tum etiam: quia in ea compositione non formantur litteræ, sicut in transcriptione, nec fit per modum loquutionis, aut mentis expressionis, sicut in scriptione, aut transcriptione: ergo ex se opus servile est litterarum compositio. Tertiò concurrit litteras compositas in papyro imprimere; quæ actio prorsus materialis est, sicut impressio sigilli in cera: ergo omnes actiones in impressione concurrentes serviles sunt. Et sic apud omnes ars imprimendi mechanica habetur; cum ergo è contra transcriptionis actio ex se liberalis sit, vt supra vidimus, absque dubio ex impressione ad transcriptionem nullum efformari valet efficax argumentum.

Reliquis argumétis respondetur.

272 Ad tertium respondetur: quod illuminare est idem ac pingere. Vnde, vt in primo argumento vidimus, nulla est ex eo paritas ad transcriptionem. ¶ Ad quartum dicitur: quod si forte transcribens non intelligit, quæ scribit, hoc de materiali, & per accidens est; & ideo non tollit, quominus transcriptio actio ex se liberalis sit, cum per se mentis, & intellectus sit illuminativa. ¶ Ad quintum respondetur: quod & si transcribens ex officio non intendat propriæ mentis illustrationem, sed vnice sustentationem corporalem, sicut alij officiales mechanici; attamen hoc non efficit, quod transcriptio sit opus servile; quia talis finis mercenarius est finis operantis, & non finis operis, sicut erat necessarium, vt esset servile: finis vero operantis, vt ex dictis supra constat, non reddit servile opus, quod est liberale ex fine operis, qualis est transcriptio.

Quædam inferuntur ex dictis.

273 Ex duplici conclusione præcedenti infertur primò: licere Theologo, Medico, Iurisperito in die festo studere, & scribere lectiones prælegendas, & conciones ad populum habendas, etiam si ad hoc dato pretio Amanuensi vtatur; quia sunt actiones spirituales, & in eis adiuvare est licitum. ¶ Secundò infertur: posse in die festo Causidicos per se, vel per ministrum scribere iuris informationes, supplicationes, scripturas, & alia huiusmodi. Item Procuratores, & Relatores processum in compendium redigere; quia hoc est necessarius labor ad Iudicem de veritate instruendum, & debite litem coram Senatoribus referendum. ¶ Tertiò infertur: posse eisdem diebus Pædotribas, seu puerorum Magistros facere exemplaria, vt pueri scribere discant, etiam pretium pro eis accipiendo; quia hæc omnia ad doctrinam ordinantur. ¶ Quartò infertur: posse Tabelliones, & eorum ministros in die festo transcribere scripturas, processus, & privilegia, etiam pretio accepto; quia actio liberalis est, & pretio servilis non redditur. ¶ Quintò infertur: non violare festum Archimagistros, qui in charta, quomodo ædificandum sit, advmbrant, & describunt; quia est opus doctrinæ ad instruendum ordinatum. ¶ Sextò infertur: non peccare, qui in die festo rationem faciunt, Hispane *toman quentas*. Quia actio reddendi rationem rei datæ, & acceptæ fit per scriptionem, aut transcriptionem dati, & accepti; sed istæ actiones liberales sunt: ergo, &c. Vnde id erit licitum, etsi ex officio id faciant, & pretio sibi dato; quia nec officium, nec pretium opus ex se liberale reddit servile. Et idem dicendum est de his, qui ex officio, aut pretio partitiones, Hispane *Partijas* faciunt; cum in eis eadem ac in præcedentibus vrgeat ratio. Dicta in hoc numero communiter docent Doctores pro duplici conclusione stabilita relati.

PUNCT. XIII.

De Mercatu, & Placito, seu Iudicio Forensi ab Ecclesia in diebus festis prohibitis.

Quid agendum sit in hoc puncto, declaratur.

274 PVnctum præsens antecedenti annectimus, quia actiones, de quibus in eo acturi sumus, ex se liberales sunt. Cæterum, quia specialiter in Iure Canonico diebus festis eas prohibitas invenimus, ideo illas recensere, ac exponere ad huius doctrinæ complementum, necessarium duximus. Claritatis tamen gratia punctum in triplicem paragraphum secavimus, in quorum primò de Mercatu, & illi annexis agemus: in secundò vero de Placito, seu Iudicio Forensi tractabimus: in tertiò denique de Iudicum sententia, & de causis, ob quas hæ actiones licite in festo exerceri possunt, differemus.

§. I.

Quid nomine Mercati in die festo prohibeatur?

Iure tam Canonico, quàm Civili diebus festis prohibitus est Mercatus.

275 QVia, quæ in hoc puncto dicenda sunt, vnice ex decisionibus Iuris Canonici pendent, ideo ante omnia eius verba scribere oportet. In cap. ergo *Omnes*, de ferijs, tit. 9. sic dicitur: *Om-*

Omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari, & ab omni illicito opere abſtinere: vt in eis mercatum minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec ſacramenta (niſi pro pace, vel alia neceſsitate) præſtentur. Et in eodem titulo cap. *Conquæſtus*, ait Gregorius IX. *Debet tamen iudicialis ſtrepitus diebus conquieſcere feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti.* Ex quibus verbis conſtat, quatuor eſſe ab Eccleſia diebus feſtis prohibita, ſcilicet Mercatum, Placitum, ſive ſententiam mortis, ſive alterius pœnæ civilis, & ſacramentum, hoc eſt, vt ait Gloſſa, iuramentum in iudicio interpoſitum. Id ipſum prohibet Concilium Matiſconenſe 2. cap. 1. dicens: *Nullus veſtrum litium fomitibus vacet, nullus cauſarum actiones exerceat.* ¶ Conſonat vero hæc prohibitio tum Iuri Civili antiquo, tum novo. Nam refert Cicero lib. 1. de Divin. & lib. 2. de Legib. iuxta leg. 12. Tabulæ, quod *Ferijs iurgia amoventur.* Et ideo voce præconis denunciabatur forenſium negotiorum, iurgiorum, & litium vacatio; & ſiquis præcepti negligens inveniretur, graviter multabatur. Similiter in leg. penult. ff. de Ferijs, dicitur: *Ferias dare vacationem à forenſibus negotijs.* Sub quibus verbis omnes actiones, quæ in foro communiter fiunt, comprehenduntur. Ratio vero quare dictæ actiones ab vtroque iure prohibentur, iuſtiſsima eſt: interdicuntur enim ob vitanda iurgia, diſſenſiones, diſtractionem à divinis, & inductionem ad peccandum; quia hæc omnia communiter dictæ actiones ſecum afferunt, & abſque dubio valde impediunt, ne mens humana divinis totaliter inhæreat, qualiter in feſtis præcipitur, & per vacationem ab omni opere legislator Divinus, & humanus intendit. Præter has actiones liberales non inveniuntur aliæ ſpecialiter in diebus feſtis prohibitæ, ac proinde de his vnice in præſenti puncto diſſerendum eſt.

Mercatus, & Nundinæ ex conſuetudine diebus feſtis licèt.

276 Primum ergo opus, quod in dictis textibus prohibetur, eſt *Mercatus.* Et ſub hoc nomine, vt docent communiter Doctores, non ſolum Nundinæ, quæ ſemel, aut bis in anno fieri ſolent, intelliguntur; verum etiam quæ celebrantur ſemel in vnaquaque hebdomada die determinato, quæ vulgo Mercati dicuntur. Sed licet ex Iure Communi hæc ita ſint, nihilominus conſuetudine iam introductum fere in toto orbe terrarum eſt, quod tam Nundinæ, quàm Mercatus in diebus feſtis fiant. Quapropter vbi talis conſuetudo introducta eſt, licite celebrantur; at vero vbi introducta non eſt, illicitæ ſunt. Quod vero conſuetudo honeſtare poſsit celebrare Nundinas, & Mercatus, facile ſuadetur; quia tota hæc feſtorum obſervatio eſt de lege humana; ſed hæc per conſuetudinem derogari valet, vt conſtat: ergo & feſtorum obſervatio quo ad præceptum ſaltem abſtinendi à Nundinis. ¶ Nec deeſt rationabilis cauſa ad hoc, vt Nundinæ, & Mercatus diebus feſtis fiant. Nam primo tunc permittuntur, vt commodius ex vicinis locis ad eos accedant ad emendum, & vendendum, ad quod conducit, quod fixum, & immutabilem diem habeant: ſi enim ob dies feſtos mutarentur, nec vendentes, nec ementes accederent, & ſic bonum Reipublicæ detrimentum pateretur. Secundò: quia ſic melius ruſtici, & pauperes, qui non poſſunt in profeſtis operas ſuas deſerere, Nundinas in feſtis adire valent. Tertiò: quia die feſto ſolet pietatis cauſa multitudo ad dictum locum concurrere, & ne cogatur illuc reverti, aut cum magno diſpendio detineri, Nundinæ in die feſto deſignantur: ergo ob hæc motiva rationabilis, & legitima eſt conſuetudo introducta celebrandi diebus feſtis Nundinas, & Mercatus.

Quædam obiectio, & eius ſolutio.

277 Nec refert ſi dicas cum Hoſtienſi, & Abbate in cap. 1. de Ferijs, nullam rationabilem conſuetudinem honeſtare poſſe in feſtis Nundinas, & Mercatus celebrare; quia vendere, & mercari ſunt actiones, quæ communiter ad peccatum pertrahunt, valde que mentem à divinis diſtrahunt. ¶ Hæc inquam, non referunt primò: quia ſi ex eo, quod hæ actiones obnoxiæ peccatis ſint, illicitæ diebus feſtis eſſent, etiam alijs diebus profeſtis honeſtari non poſſent: ergo ſi diebus profeſtis licent, etiam ex ſe diebus feſtis honeſtæ erunt. Secundò: quia attendere ad divina diebus feſtis, licet ſit motivum Legislatoris, feſta obſervare præcipientis, tamen non facit materiam legis adeò neceſſariam, vt contra eam conſuetudo prævalere non poſsit: ergo vbi adeſt iam introducta conſuetudo, videntibus, & permittentibus Eccleſiaſticis Prælatis, poterunt Nundinæ, & Mercatus diebus feſtis celebrari.

Duo notantur.

278 Nota vero primò: quod licet in Mercatibus, ſeu Nundinis menſtruis, aut Hebdomadarijs non videatur ita vniverſaliter prævaluiſſe conſuetudo, quia facile transferri poſſunt in diem ſequentem, ſive antecedentem profeſtum; tamen ſi adſit iam introducta conſuetudo, diebus feſtis has Nundinas celebrandi, abſque dubio eas honeſtavit; cum eadem ratio in vtriſque Nundinis anniculis, & hebdomadarijs, aut menſtruis clare vrgeat. Vnde videmus ex hac conſuetudine Peñarandæ, & Salmanticæ Mercatus die Iovis etiam Aſcenſionis, & Corporis Chriſti abſque ſcrupulo celebrari, vt antea notavit Sanchez loco infra citando. ¶ Nota ſecundò: nunquam poſſe dictam conſuetudinem ita introduci, vt Miſſa abſque aliqua ſpeciali neceſsitate licite ob Nundinas omitti valeat; quia hoc iam eſſet tollere diem feſtum, prout ab Eccleſia eſt inſtitutum, cui eſſentialiter Miſſæ auditio connectitur. Dicta tenent Caietanus 2. 2. quæſt. 122. art. 4. Navarrus in Sum. cap. 13. num. 8. Sotus lib. 2. de Iuſtitia, quæſt. 4. art. 4. ad 3. Sayrus in Clavi Reg. lib. 7. cap. 2. num. 18. Sylveſter verb. *Dominica*, num. 4. Villalobos tom. 2. tract. 22. diffic. 3. num. 2. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 29. à num. 2. ad 6. Bonacina diſp. 5. in 3. Decal. præcept. punct. 2. num. 9. Toletus lib. 4. cap. 24. num. 4. Azor tom. 2. Inſtit. lib. 1. cap. 27. quæſt. 10. Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 6. num. 5. Fagundez lib. 1. cap. 12. à num. 4. Sanchez in Conſil. lib. 5. cap. 2. dub. 25. plurimos referens. Baſſæus verb.

verb. *Festum*, 2. num.15. Layman lib.4.tract. 7. cap. 2. num. 6. Trullench lib. 3. in Decal. cap.1. dub.9. num.2.& alij apud ipsos.

Emptiones, & venditiones diebus festis illicitæ sunt, nisi adsit vendendi, & emendi consuetudo.

279 Rogabis hic primò: An sub nomine Mercatus intelligantur emptiones, & venditiones, quæ singulis diebus, præsentibus mercibus, apertis que ianuis celebrantur? Ad hanc quæstionem affirmative respondetur, & ideo peccant mortaliter, qui notabilem diei festi partem in his emptionibus consumunt. Et ratio est: quia exercere servilia per notabilem diei festi partem apud omnes mortale est; sed diebus festis emere, & vendere, tanquam opera servilia, & illicita reputantur, & vt talia prohibentur à Iure Canonico: ergo ea exercere per notabilem diei festi partem, mortale est. Sic Sylvester verb. *Dominica*, quæst.5. concl.2. Sanchez lib.5. Consil. cap.2. dub.25. num.3. Fagundez lib.1. cap.12.num.8. Leander de Observat. Fest. tract.1.disp.5. quæst.5. Hurtado de Iustit. & Iure, disp. 2. de empt. & vendit. diffic.17. ¶ Cæterum licet Fagundez affirmet, hanc prohibitionem esse in viridi observantia, & in hac Salmantina Civitate sit nunc sub excommunicatione prohibitum; tamen vbi fuerit consuetudo legitime introducta vendendi, & emendi diebus festis, vt ait Sanchez, excusabit à peccato; cum talis prohibitio sit de iure humano, contra quam prævalere potest legitima consuetudo.

In festo licet vendere sculenta, & poculenta.

280 Nota vero hic: quod licet hæc ita sint, tamen communiter ab hac generali conclusione aliquos casus Doctores excipiunt. Nam primo in die festo licet vendere, & emere vinum, carnes, fructus, & alia, quæ pro vsu, & victu sunt necessaria: quia vel hæc nunquam Ecclesia prohibere intendit, vel si fuerunt aliquando prohibita, vsu iam & consuetudine honestantur. Quod verum est, licet dicta sculenta, aut poculenta ad gulositatem vendantur; quia quod vni est gulositas, alteri solet esse necessitas. Ex quo infertur, quod ea, quæ hic diximus, posse die festo vendi, licent etiam die festo asportari mulis onustis ad locum, vbi vendenda sunt. Sic Caietanus in Sum. verb. *Festum violatio*; & 2.2. q. 122. art.4. Navarrus cap.13. num.6. Sanchez num.9. Bonacina num.10. Fagundez num.8. Trullench num. 2. Leander quæst.7. Graffis lib.2. Decis.cap.34. num.20. & alij. Vnde excusantur à peccato Tabernarij, Artocopi, Lanij, Pizicaroli, Stabularij, & similes vendentes vinum, carnes, artocreates, olera; dummodo ea non vendant tempore, vel hora ab Episcopo prohibitis.

Non violat festum vendere calceos, & vestes.

281 Secundò: licet in festo vendere calceos. Et ratio est: tum: quia, vt ait Sanchez num. 15. est executoria à Regibus D. Ferdinando. & D. Elisabeth anno 1518. concessa, vbi, ob inveteratam consuetudinem in Regnis Castellæ, & Beticæ, ex consensu Iudicis Ecclesiastici, & Sæcularis declaratur, licite posse calceos diebus festis vendi, dummodo fiat extra tempus, quo Missa dicitur, & vna ex duabus ianuis clausa. Et idem refert ex Synodo Granatensi coacta anno 1571. lib. 2. tit. de ferijs. Tum etiam: quia hæc Reipublicæ necessaria sunt, & alias Rustici non possunt commode alijs diebus ad vrbes ad emendos calceos venire, quin cum magno detrimento suas operas deserant. Tum denique, quia venditio, & præparatio calceorum modico tempore fiunt. Sic tenent Navarrus lib. 2. Consil. tit. *de ferijs*, consil.1. vers. *Sutores*, & vers. *Ad secundum*. Fagundez cap. 12. cit. num. 8. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 6. num. 5. Azor tom. 2. lib.1. cap.27.quæst.10. Rodriguez in Sum. 1. part. cap. 21. num. 4. Qui omnes eandem conclusionem extendunt ad Sartores, & Sacinatores, seu novas, aut veteres vestes vendentes, & alios similes officiales. Et ratio est: quia necessitas, temporis parvitas, & agricolarum vtilitas eos communiter à peccato excusant.

Candelas, & bona sub hasta die festo vendere, nó est prohibitum.

282 Tertiò: non peccat, qui vendit candelas, & alias similes res, in quibus de pretio non est conveniendum, quia vel iam æstimata sunt, vel cito æstimatio fit. Et ratio est: quia in his parum temporis consumitur. Sic Navarrus in Sum. cap. 13. num. 8. Angelus verb. *Feriæ*, num. 3. Sylvester verb. *Dominica*, q.5. concluf.2. Sanchez dub.25.cit.num.16. Leander quæst.13. disp.5. alleg. Et idem dicendum est de venditione bonorum Defuncti voce præconis; quia talis venditio sub hasta ex consuetudine à Prælatis toleratur; nam alijs diebus emptores non comparent, & sic vilissime res venderentur. Ita Sanchez num. 12. Leander quæst.8. Fagundez cap.12.num.8.

Quando venditio fit solis verbis, licita est in festo.

283 Quartò: licitum est die festo vendere, solis verbis, & confabulatione contrahendo, esto in hoc multum temporis impendatur; quia sic habet timoratorum consuetudo, qui solent consumere totum diei festi vesper in vendenda domo, equo, bobe, & in conveniendo de pretio, quin in hoc eos aliquis scrupulus pungat, nec à Prælatis puniantur. Et ratio est: quia præsentia domus, aut equi non est, quæ ab Ecclesia prohibetur in vendendis rebus, vt supra diximus, sed solum publicitas officinarum, in quibus præsentes merces venduntur, quia hoc iam causaret scandalum: ergo alia venditio, esto sit præsens merces, non tamen in publica officina, licita in festo est. Quare optime ait Sanchez num. 17. posse cives ad oppida die festo progredi ad emendum triticum, etsi tota dies consumatur in quærendo illud, & de pretio conveniendo: illicitum tamen erit, illud mensurare, & mulis imponere, quando notabilis diei pars in hoc consumitur; quia hæ actiones serviles sunt. Sic Navarrus, Sylvester locis allegatis. Fagundez num.8. Palaus num.5.

Locationes, & conductiones honeste fiunt in festis.

284 Rogabis secundò: An nomine Mercati intelligantur prohibitæ aliæ negotiationes, vt locationes, conductiones, & similes contractus? Affirmant Angelus verb. *Feriæ*, num. 20. Sylvester verb. *Dominica*, quæst. 5. concluf. 2. Tabiena num. 29. apud Sanchez dub. 26. Et solum excusant conducentes operarios, si alijs diebus inveniri nequeunt; & similiter, quod pluris est, excusant, quasi indigerent excusatione, exigentes diebus festis degerent excusatione, exigentes diebus festis debita à debitoribus, si alijs diebus eos invenire non valent. ¶ Sed probabilius negant Azor 2. part. lib.1. cap.27.quæst.10. Sanchez

lib. 5. Consil. cap. 2. dub. 26. num. 3. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 6. num. 5. Trullench lib. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 2. & Leander disp. 5. cit. quæst. 10. probant que primò: quia sic tenet communis timoratorum, & Sapientium consuetudo; passim enim videmus, redditus Cathedralium, Vniversitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, nec non particularium domos, & hæreditates in diebus festis locari, & in hoc communiter totum vesper insumi, quin suspicetur aliquis, se in hoc festum violare: ergo saltem ex consuetudine hæc licent. ¶ Secundò: nam si diebus profestis fieret locatio, nulli, aut pauci conductores adessent, & sic bona, & redditus Ecclesiarum vilescerent, & notabiliter minuerentur: ergo licite ob hanc causam diebus festivis locantur. ¶ Tertiò: quia irrationale est asserere, quod debita exigere est opus servile, seu contra festi observantiam, cum hoc solis verbis fiat: ergo id diebus festis licet. Et sic possunt fideles adire oppida, cursare domos, exigendo nummos, gallinas, & alias res minutas, imò & triticum, & si tunc mensurandum sit: quia communiter alijs diebus rustici absque iactura non modica operum suorum inveniri in locis non possunt. Et ideo ob hæc incommoda vitanda, si parva fuerit tritici quantitas, mensurari die festo poterit. Videantur Sanchez num. 3. Azor cap. 27. cit. q. 11. Trullench lib. 3. Decal. dub. 9. num. 4.

Pij V. & S. Rit. Cõgreg. decreta circa festorum observationem per abstinentiam à Nundinis, Ferijs, & Mercatu.

285 Nec contra hoc facit decretum Pij V. quod habetur tom. 2. Bullarij Cherubini, pag. 135. Constit. 5. quæ incipit: *Cum primum*, edita die 1. Aprilis 1566. cuius tenor in §. 7. dictæ Bullæ sic est: *Mandamus, vt omnes dies Dominici, & præcipue in honorem Dei, B. Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, divinis officijs devote intendant, ab omni illicito, & servili opere abstineant, Mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & iudiciorum strepitus conquiescant. Qui vero diebus præfatis opus aliquod illicitum feciſſe deprehensus fuerit, præter divinam vltionem, & amissionem animalium, quibus ad vecturam vtetur, etiam graves pœnas incurret arbitrio nostro, seu Vicarij nostri in Vrbe. In alijs autem locis arbitrio Ordinariorum.* Et postea id extendit ad illas etiam festivitates, quæ iuxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueverunt. Hæc ergo non obstant: quia tale decretum maiorem vim non habet, quam decreta supra ex Iure Canonico relata, quæ derogata sunt contraria consuetudine. ¶ Nec similiter nostras assertiones impugnat ob eandem rationem quædam S. Rit. Congregationis declaratio relata ab Stephano Gratian. Marchiæ decis. 71. & ex illo à Barbosa tom. 1. Collect. Doct. in lib. 2. Decretal. de Ferijs, tit. 9. cap. *Omnes dies*, num. 5. pag. 405. sub his verbis scripta: *Præceptum de Dominicis, & festivis diebus sanctificandis, & observandis sub prætextu Mercatuum, Nundinarum, Feriarum, nullatenus esse violandum.* Hæc inquam declaratio non obstat: quia cum Sacra Rit. Congregatio totam vim à Summi Pontificis auctoritate ebibat, si contra Pontificum decreta consuetudo prævalere potest, quanto magis contra S. Rit. Congregationis decisiones.

Aliæ decreti S. Congregationis Rit. decisiones.

286 Cæterum: quia nonnulla alia affert dictum S. Congregationis decretum, quæ huc vsque dicta, & decissa confirmant, ea hic intexere, vt maior nostris decisionibus vis addatur, duximus opportunum: *Cæterum his diebus, prosequitur dicta Sacræ Rit. Congregationis declaratio, licere Agasonibus, ac alijs iumentorum vectoribus, seu mercium conductoribus, baiulis, & alijs huiusmodi servientibus, ac ministris sarcinas, & onera Nundinarum causa exonerare, & deponere, incæptum que iter, Missa tamen prius audita, transeundo prosequi, & continuare: non autem debere sarcinas componere, & iumenta onerare ad iter de novo incipiendum. Neque mercatoribus, aut alijs civibus, & viatoribus his diebus, etiam clausis apothecis, merces vendere, emere, aut asportare licere, nisi tantum ad victum necessaria, aut alia minuscula, & modici momenti opera iam conflata, & elaborata pro transeuntium hospitum, advenarum, & exterorum vrgenti, & præsentanea necessitate, & opportunitate: in quo partes erunt Episcopi propositis edictis providere, vt in primis hi festi dies debita observatione colantur, simul que populorum confluentium necessitatibus, quantum sine divina offensione fieri potest, consulatur. Quo ad iudicia autem, quæ Dominicis, & festis silere debent, id observari poterit, quod iure communi permittitur in quibusdam vrgentibus casibus, qui moram, & dilationem non patiuntur. In quibus, & alijs iurisdictionem Consulum Nundinis præpositorum concernentibus, constitutiones, & Summorum Pontificum, si quæ habent privilegia, & allegatum Breve fœlic. record. Pij V. servanda esse statuit.* Huc vsque dicta declaratio, in qua supra stabilita non levem confirmationem accipiunt; cum hæ decisiones à Doctissimis, & gravissimis viris emanent.

§. II.

De Placito, & de his, quæ sub eius nomine in die festo illicita sunt.

287 SEcundum opus, quod in allegatis textibus fieri die festo prohibetur, est Placitum, vt patet ex illis verbis: *In eis Mercatus minime fiat, neque Placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec Sacramenta* (nisi pro pace, vel alia necessitate) *præstentur.* Sub quo nomine, vt docet Barbosa tom. 1. Collect. Doct. in lib. 2. Decretal. cap. *Omnes*, de ferijs, num. 6. pag. 405. quælibet lis, iurgium, & causa forensis intelligitur. Vel, vt in cap. *Conquæstus*, de ferijs, ait Gregorius IX. omnis iudicialis strepitus prohibetur, vt constat ex illis verbis: *Debet tamen iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur stabiliti.* Et in eodem cap. Paulo infrà: *Quibus vtique solemnibus ferijs* (nisi necessitas vr-

Quid nomine Placiti sit prohibitum, declaratur.

vrgeat, vel pietas suadeat) *vsque adeò conuenit ab huiusmodi abstinere, vt consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contigit diebus huiusmodi promulgari.* Vnde communiter inferunt Doctores, quod omnes actiones ad iudicium pertinentes, sive sit in causa criminali, sive civili, in his textibus prohibeantur. Cum ergo actiones ad iudicium specialiter attinentes, sint citatio partis, formatio processus, seu causæ cognitio, & sententiæ prolatio; ideo sub dicta Sacrorum Canonum prohibitione hæ actiones comprehenduntur. Sed quia de eis nonnullas quæstiones Doctores commovent, ideo sigillatim de illis in præsenti agendum est, & selectiores resolvendæ.

Citatio in die festo valida, & licita est, si fiat cum necessitate.

288 Primus actus iudicij est citatio partis, circa quod inquiritur: An huiusmodi citatio absque necessitate, aut pietatis causa, in die festo facta non solum sit illicita, verum etiam nulla? Non quærit quæstio de citatione, quando adest necessitas, aut pietas vrget, quia tunc, vt supponitur in allegato textu, non solum partis citatio, verum & alij iudiciales strepitus sunt liciti. Quapropter tempore belli, si necessitas, aut Reipublicæ pax vrgeat, potest ferri sententia: & similiter die festo contra furem insignem potest sententia capitis ferri, & in patibulo suspendi, si timeatur eius fuga, aut evasio: & etiam in causis pauperum, & illorum, qui sunt in vincula detrusi, licite possunt testes excipi, & actus forenses confici. Sic Navarrus in Manual. cap. 13. num. 13. & 14. Toletus lib. 4. Sum. cap. 24. num. 5. Maranta 6. part. *Ordin. Iudicial.* vbi de actorum edit. fol. 431. col. 1. Et constat ex leg. *Dies*, ff. de *Ferijs*, leg. *Custodias*, ff. de publicat. iudic. & leg. *Provinciarum*, Cod. de ferijs, & ibi Bartholus, & Baldus. Quare difficultas versatur, quando nulla ex dictis causis adest.

Citatio sine causa vrgenti in die festo facta, est illicita, & invalida.

289 Ad quam dicendum est: quod sive citatio sit facta in die festo, sive in die profesto, pro die tamen festo, non solum est illicita, verum & invalida. Et ratio primæ partis cõclusionis est: quia hæc citatio, si active sumatur, est emanatio decreti ex parte Iudicis, seu decretum ipsum citationis; si vero passive accipiatur, est intimatio decreti præcepti respectu rei; sed vtraque est invalida: ergo, &c. Probatur minor: nam in primis citatio active sumpta, seu decretum citationis, & si sit in die profesto reo intimandum, est actus iurisdictionis contentiosæ ex cognitione processus, & causæ procedens; &, vt ait Abbas in cap. *Conquæstus*, *de Ferijs*, continet quandam sententiam interloquutoriam; sed omnis processus, & strepitus iudicialis, nec non sententia in die festo lata, est nulla, vt patet ex illis verbis allegati textus: *Nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contigit diebus huiusmodi promulgari.* Ergo citatio active sumpta, seu decretum citationis in die festo emanatum, & si in die profesto reo sit intimandum, est nullum. Deinde citatio passive accepta, seu intimatio decreti Iudicis potest fieri dupliciter; vel ex vi decreti Iudicis, quia in ipso expresse præcipiebatur, in festo intimari, & sic est nulla ob assignatam rationem; nimirum: quia est actus iurisdictionis contentiosæ, & ad strepitum iudicialem pertinens; vel facta fuit intimatio in die festo per accidens ex ignorantia, aut malitia ministri, & hoc modo etiam est nulla; quia in allegatis textibus præcipitur ob reverentiam festi quies ab omni strepitu iudiciali, & irritatur quid quid in contrarium actum fuerit; sed hæc intimatio est pars non modica strepitus iudicialis, & contra festi quietem: ergo hoc modo citatio facta non solum illicita, verum & nulla est. ¶ Nota tamen, quod Iudicis decretum in hoc secundo casu validum manet; quia in se errorem non continuit, & ideo ex vi illius alio die poterit fieri prædicta partis citatio.

Citationem facta in die profesto, pro die tamen festo, esse etiam illicitam, & invalidam ostenditur, & cuidam obiectioni occurritur.

290 Si vero citatio sit in die profesto pro die tamen festo, etiam est invalida; quia directe est contra observantiam diei festi, cum in eo Iudex præcipiat, vt pars compareat, quod prohibetur in cap. *Conquæstus*, *de Ferijs*. ¶ Nec refert si cum Panormitano, Antonio, & alijs Canonistis respondeas, quod in dicto casu datur virtualiter duplex præceptum, vnum comparendi, & alterum comparendi tali die; & ideo licet hoc sit nullum ex vi textus allegati, non tamen illud, & sic tenetur ad comparendum alio die. ¶ Ad hoc enim respondetur: tale præceptum non esse duplex, sed vnicum iubens indistincte die festo comparere: cum ergo hoc præceptum nullum, & irritum sit, vt diximus, nullam obligationem comparendi alio die inducit.

Duo notantur, in quibus aliqui casus à doctrina generali excluduntur.

291 Notandum tamen est primò: quod si decretum citationis præcipiat, quod pars, v.g. intra octo dies compareat, etsi intra eos aliquod festum incidat, est validum, & tenetur comparere intra terminum præfixum. Et ratio est: quia datur sufficiens mora, & terminus habilis ad comparendum, nec obligatur pars à Iudice, vt die festo compareat, sed tempore habili: ergo nulla ratio est, vt dictum decretum nullum sit. Et idem dicendum est, etsi vltimus dies termini præfixi sit dies festus; quia præveniri potest terminus vltimus; vel saltem, vt aliqui volunt, comparere die proxime sequenti valet. Dicta docent communiter Canonistæ. Et insuper Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 3. Bonacina disp. 5. citat. punct. 2. num. 16. & 17. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 27. quæst. 16. Fagundez lib. 1. cap. 13. à num. 1. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 7. à num. 1. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 9. num. 11. Filliucius tract. 27. cap. 10. à num. 191. Sanchez tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 27. Angelus verb. *Feriæ*, Tabiena verb. *Citatio*. Ex quibus plures optime advertunt, quod dies festus, vt in eo sit nulla citatio, debet observari in loco, vbi reus citatur, & si in loco Iudicis talis dies non observetur, ad distinctionem præcepti, & sententiæ, quæ, quia à Iudice procedunt, debent respicere diem festum loci, in quo eam Iudex promulgat. ¶ Notandum est secundò cum Barbosa Collect. in lib. 2. Decretal. cap. *Conquæstus*, tit. 9. pag. 409. quod licet huc vsque dicta vera sint, & communiter teneant Doctores relati, & alij, quos ipse lato calamo alle-

allegat, tamen limitanda est dicti textus conclusio in dispensationibus, collationibus beneficiorum, transactionibus; & scripturis contractuum, in quibus ex generali consuetudine non procedit, & in actibus voluntariæ iurisdictionis, pro qua limitatione plures refert.

Nequeunt testes die festo examinari, si tali die iramẽtum sunt emissuri.

292 Secundus actus iudicij est processus formatio, circa quod inquirunt communiter Doctores: An in die festo possint testes examinari, & si in die profesto iuraverint de veritate dicenda? Supponit virtualiter quæstionis titulus, quod testes, si in die festo emissuri sunt iuramentum, licite examinari non possunt. Et ratio est evidens: tum: quia in festis prohibetur in cap. *Omnis*, *de Ferijs*, quod *Sacramenta* (hoc est iuramenta) *præstentur*, vt vidimus supra §. 1. num. 275. sed testes examinari non valent, nisi præcedente iuramento de veritate dicenda: ergo ex allegato textu hoc illicitum est. Tum etiam: quia examen testium est actus ad strepitum iudicialem attinens; sed omnis strepitus iudicialis in festo prohibetur ex allegato supra num. 275. cap. *Conquæstus*. Ergo illicita prorsus est testium examinatio, si die festo excipiendum, & præstandum est iuramentum. Sic docent communiter Canonistæ, & Theologi infra allegandi.

Sententia asserens testium examen licere in die festo, si iuramentum die pro festo fiat.

293 Quare difficultas est: An in die festo possint testes examinari, præmisso iuramento die antecedenti profesto? Cui difficultati affirmative respondent Glossa in Clement. vnic. de offic. deleg. verb. *Iudices*. Speculator, Ioannes Andræas, & alij Canonistæ, quos refert, & sequitur Abbas in dict. cap. 1. de Ferijs, prope finem, vbi concordare vult aliquorum Canonistarum sententias, & ideo docet, quod esto talis testium depositio sit valida, non tamen est licita, & si partes conveniant. Tenent etiam Maranta *de Ordine Iudic.* part. 6. tit. *Act. editio*, num. 40. Azor part. 2. lib. 1. cap. 27. quæst. 14. Villalobos tom. 2. tract. 32. diffic. 3. num. 3. & alij. Et moventur primò: quia illud examen, præmisso die profesto iuramento, non est iudiciale, sed extra iudiciale, & ideo fieri solet per merum executorem, nec persona Iudicis, necesse est, quod ibi assistat: ergo illicitum, aut invalidum non est. ¶ Secundò: quia prædictum examen testium retrotrahitur ad diem profesti, in quo emissum est iuramentum: ergo validum, & licitum est.

Contraria sententia, quia probabilior, admittitur, & multipliciter probatur.

294 Nihilominus dicendum est, nec licite, nec valide posse in die festo testes examinari, etsi in die profesto emisserint iuramentum. Quæ conclusio suadetur primò: quia retrotractio illa ficta est; cum examen prædictum in festo re ipsa fiat: nec facile retrotractio admittenda est, quando nec iuri consonat, nec observationi festorum favet: ergo falsum est, dictum examen ob id in festo licere. ¶ Secundò: nam iuramentum in die profesto elicitum, quando examinantur in festo testes, denuo renovatur, & confirmatur; sed iuramentum in die festo nullum est: ergo & eius renovatio, seu confirmatio. ¶ Tertiò: Actus ille eiusdem essentiæ est, si fiat in die festo, ac profesto; sed in die profesto tactus ad strepitum iudicialem pertinet: ergo etiam ad eum pertinebit factus in die festo; sed quilibet actus ad strepitum iudicialem pertinens iuxta allegatos textus illicitus, & nullus est, nisi necessitas, aut pietas excusset: ergo tale examen, cum nulla ex his causis excusetur, illicitum, & nullum est. ¶ Quartò: Omnis actus iudicialis, qui prohibetur à Iure Canonico in allegatis textibus, simul irritatur, vt patet ex supra relatis verbis: ergo si, vt ait Panormitanus, dictum examen testium prohibetur in dictis textibus, simul dicendum est, ab eis irritari, & annullari. ¶ Quintò: quia in leg. *Vt in die*, Cod. *de ferijs*, præcipitur, vt in diebus feriatis lites quiescant, his verbis: *Taceat apparitio præconis, horrida vox sileat.* Sed lites non quiescunt, sed progrediuntur, si testes examinentur: ergo, &c. Præterea: in dicta leg. in die festo prohibetur omnis executio iudicij: *Et ne vlla quemquam vrgeat admonitio*; hoc est, obliget. Et infra: *Sit ille dies à cognitione alienus.* Sed hæc omnia non observantur, si admittamus licere, testium examen posse in festis exerceri: ergo, &c. ¶ Vltimò: Panormitanus fatetur, testes non posse cogi ad respondendum: ergo quia nec possunt iuridice interrogari, alias si iuridice interrogarentur, tenerentur respondere, & actus ille consequenter esset iudicialis, qualiter à Iure Canonico prohibetur, & irritatur. Sic tenent Antonius in cap. *Omnes*, de ferijs, apud Panormitanum. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 6. Bonacina disp. 5. de 3. Decal. præcept. punct. 2. num. 21. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 7. num. 6. Fagundez de 5. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 13. num. 16. Filliucius tract. 27. cap. 11. quæst. 7. num. 194. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 9. num. 14. & alij.

Argumentis fit satis.

295 Vnde iam constat ad argumenta. Nam ad primum dicitur: quod licet dictum testium examen fieri possit per aliquam personam à Iudice deputatam, qui non sit proprie Iudex, sed merus executor; at, quia recipit testium depositionem ex auctoritate à Iudice accepta, ideo talis depositio est actus iudicialis, ad forum que contentiosum pertinens. ¶ Ad secundum respondetur: retroactionem illam esse absque fundamento confictam; tum: quia in iure nullum fundamentum habet; tum: quia est contra pietatem, & religionem, quæ Deo ab Ecclesia in festis exhiberi præcipitur.

Sunt, qui asserunt iuramentũ, etiã pro re spirituali emissum, violare festa.

296 Sed hic rogant primò Doctores: An pro causis spiritualibus, v. g. matrimonialibus, & similibus, licitum sit, iuramentum in die festo emittere? Negant Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 8. Palaus supra relatus num. 7. Fagundez cap. 13. num. 13. Bonacina num. 20. Leander tract. 1. disp. 5. quæst. 39. & Filliucius tract. 27. cap. 11. num. 195. Et moventur primò: quia prohibitio in dict. cap. *Omnes*, de Ferijs, est generalis ad omnia iudicia, & causas forenses: ergo comprehendit omnes causas, sive temporales, sive spirituales sint. ¶ Secundò: quia auctoritas, & ratio Divi Thomæ, quam contrarij allegant

gant pro ſua opinione, eodem modo valet applicari pro cauſis temporalibus, ac ſpiritualibus, cum æqualiter omnia iuramenta diei feſti quietem impediant. Et Divus Thomas ibi, ſi attente legatur, non loquitur determinate de iuramento iuridico, qualiter hic loquimur, ſed de iuramento in communi, ſeu privato, & extraiudiciali: ergo male pro contraria ſententia allegatur, & ſic huic opinioni non officit.

Probabilius eſt oppoſitum.

297 Affirmant vero, & probabilius, alij. Et moventur primò: quia iuxta communem ſententiam, iuramenta ſolemnia, & publica, quæ præſtantur Inquiſitoribus diebus ſolemnibus in Theatro publico, tam ab illis, qui reconciliantur ad fidem, quàm à reliquis circunſtantibus, licita ſunt, nec ſolemnitatem feſti violant; quia fiunt pro negotio ſpirituali, ſcilicet, defenſione fidei: ergo idem dicendum eſt de alijs iuramentis pro cauſis, & negotijs ſpiritualibus emiſsis. ¶ Moventur ſecundò auctoritate Divi Thomæ, qui 2. 2. quæſt. 89. art. 10. in corpore intendens probare, iuramentum perſonis magnæ dignitatis non convenire, id probat ex 2. part. decreti Gratiani, cauſa 2. quæſt. 5. cap. *Siquis Preſbyter.* vbi dicitur: *Sacerdotes ex levi cauſa iurare non debent.* Sed licet hæc ita ſint: *Tamen* (ait Divus Thomas) *pro aliqua neceſsitate, vel magna vtilitate, licitum eſt eis iurare, & præcipue pro ſpiritualibus negotijs, pro quibus etiam iuramenta competit præſtare in ſolemnibus diebus, quibus eſt ſpiritualibus rebus vacandum. Non autem ſunt iuramenta præſtanda pro rebus temporalibus, niſi pro magna neceſsitate.* Sed in his verbis loquitur Angelicus Doctor de iuramento iuridico, & non privato: ergo iuramentum iuridicum ab omnibus in die feſto pro cauſis ſpiritualibus emitti valet. Minor, in qua offendunt adverſarij, multipliciter poteſt oſtendi.

Præcedentem doctrinã eſſe iuxta mentem Divi Thomæ oſtenditur.

298 Primò quidem ex dicto cap. *Siquis Presbyter.* vbi agitur de lite moto inter Laicum, & Clericum coram Epiſcopo tanquam Iudice, & dicitur, quod quia lis non erat magni momenti, *Laicus per iuramentum (ſi neceſſe ſit) ſe expurget: Presbyter vero vice iuramenti per ſanctam conſecrationem interrogetur: quia Sacerdotes ex levi cauſa iurare non debent.* Sed ex hoc capite arguit Angelicus Doctor, licere Sacerdotibus in die feſto pro rebus ſpiritualibus iuramentum emittere: ergo loquitur de iuramento iuridico, ſeu in litibus facto: qui quidem lites, vt advertit ibi Gloſſa, determinabantur ab Eccleſia, ſeu Epiſcopis tantum, partibus coram ſe vocatis. ¶ Secundò: nam in eodem cap. *Siquis Presbyter.* poſtquam probatur ex verbis Chriſti præcipientis diſcipulis Matth. 5. *Nolite omnino iurare::: Sit autem ſermo veſter eſt eſt, non non.* Quod Sacerdotes ex levi cauſa iurare non poſſunt, ſic proſequitur: *Verum his auctoritatibus non omnimoda iuramenta prohibentur fieri à Sacerdotibus, ſed tantum incauta, & ea, quæ pro qualibet cauſa temporali offeruntur. Cum autem populari infamia Sacerdotes opprimuntur, tunc ad innocentiæ ſuæ aſſertionem iuramenta debent offerri.* Vbi addit Gloſſa: Ex cauſa iuſta Sacerdotes poſſunt iurare. Ioan. de Fant. & hoc probat quindecim teſtimonijs Sanctorum Patrum; ſed in his ius canonicum, vel loquitur expreſſe de iuramento iuridico, ſeu in publico lite facto, vel ſaltem vniverſaliter loquitur de omni iuramento, & in quacumque cauſa facto: ergo intelligendum eſt de iuramento iuridico; cum nulla ratio ſit ad reſtringenda dicta verba ad iuramentum privatum: quia lex vniverſaliter loquens, vt adverſarij docent, vniverſaliter intelligenda eſt, nec pro libito reſtringenda. Tum ſic: ſed Divus Thomas prædicta verba protulit in eodem ſenſu, in quo dictum cap. *Siquis Presbyter.* de iuramento loquebatur: ergo dum concedit, Sacerdotes pro cauſis ſpiritualibus iurare poſſe, de iuramento iuridico, & non de privato intelligendus eſt. ¶ Tertiò: Angelicus Doctor eodem modo concedit, poſſe in die feſto Sacerdotes iurare *pro ſpiritualibus negotijs*, ac concedit, poſſe iuramenta præſtare pro rebus temporalibus ex magna neceſsitate, vt liquet ex eius verbis ſupra relatis; ſed *pro rebus temporalibus* ex magna neceſsitate poteſt Sacerdos in die feſto iuramentum emittere, non ſolum privatum, ſed iuridicum, vt etiam contrarij admittunt: ergo etiam poterit Sacerdos in die feſto iuramentum iuridicum pro negotijs ſpiritualibus emittere: ergo ſi in ſecundo caſu magnæ neceſsitatis pro rebus temporalibus, nemo negat, poſſe Sacerdotem in die feſto iuridice iurare, & hoc non eſſe contra Divi Thomæ mentem, quare illam reſtringunt ad iuramentum privatum in primo caſu magnæ vtilitatis, aut neceſsitatis pro rebus ſpiritualibus? ¶ Quartò: iuramentum, quod ius canonicum, & eius Interpretes docent, feſta violare, non eſt privatum, & extraiudiciale, ſed iuramentum iuridicum, vt nemo ambigit; ſed de hoc iuramento, quod iuxta Canones feſtum violat, notat Divus Thomas pro ſpiritualibus negotijs in ſolemnibus diebus præcipue præſtare competere: ergo Angelicus Doctor non de iuramento privato, de quo non eſt difficultas, ſed de iuridico, quod indubitanter feſtum violat, concedit in die feſto, poſſe, præſtari, alias nihil ſpeciale ibi diceret, aut concederet. Divum Thomam ſequuntur Sylveſter verb. *Dominica*, quæſt. 3. & verb. *Iuramentum*, 2. quæſt. 4. Sotus de Iuſt. lib. 8. quæſt. 1. art. 10. concluſ. 4. Caietanus 2. 2. quæſt. 122. art. 4. verſ. *Secundum autem.* Armilla verb. *Feſtum*, num. 17. Sanchez tom. 2. Conſil. lib. 5. cap. 2. dub. 30. Trullench in Decal. lib. 3. cap. 1. dub. 9. num. 6. & alij.

Argumenta cõtraria ſolvuntur.

299 Ad primum argumentum ſententiæ contrariæ reſpondetur: quod allegatus textus ex cap. *Conquæſtus*, licet vniverſaliter loquatur annullando proceſſum, & ſententiam diebus feſtis datam; tamen cap. *Omnes*, vbi iuramenta prohibentur, non loquitur ita vniverſaliter, quin potius ea reſtringit ad cauſas determinatas, vt conſtat ex illis verbis: *Nec Sacramenta (niſi pro pace, vel alia neceſsitate) præſtentur.* Sub quibus neceſsitatibus credimus, rationibus noſtræ concluſionis moti, cau-

causas spirituales comprehendi. ¶ Deinde: non minus vniversaliter prohibentur in cap. *Conquæstus*, & cap. *Omnes*, causæ, & iudicia, ac iuramenta; & nihilominus omnes Doctores in hac parte nobis contrarij affirmant, non omnia iuramenta iudicialia, & extraiudicialia comprehendi, ac proinde ad determinata dictum textum restringunt, vt videre est in Palao punct. 8. num. 3. Suarez cap. 30. num. 17. & Fagundez cap. 13. num. 29. ergo licet concedamus, dictum textum loqui vniversaliter de omnibus iudicijs, possumus & nos, vrgentiori que ratione, aliqua iudicia excipere. ¶ Ad secundum respondetur: quod negotia spiritualia, hoc ipso quod talia contra observantiam festorum non sunt, ac proinde falsum est, quietem tali die præceptam impedire. Nec verius est id, quod additur de mente Divi Thomæ; nam vt in nostra conclusione probavimus, expresse in præallegato testimonio loquitur Angelicus Doctor de iuramento iuridico, non vero privato, & extraiudiciali.

Iuramenta pro pace, fide, &c licita sunt in festo.

300 Rogabis secundò: An iuramenta pro pace, fide, fama, pietate, alia que gravi necessitate licita sint in festis? Respondetur affirmative. Et ratio est: quia textus ex cap. *Omnes*, expresse excipit pacem, aliam que similem necessitatem, vt patet ex eius verbis: *Nec Sacramenta (nisi pro pace, vel alia necessitate) præstentur.* Sed sub ly *alia necessitate* nil commodius intelligi potest, quam fides, fama, pietas, & similia: ergo pro his in die festo licite iuramenta possunt emitti. ¶ Notant vero Glossa in cap. vlt. *de ferijs*, & Panormitanus ibi num. 14. quod pro pace communiter intelliguntur omnia, quæ concernunt ad iurgia removenda, & concordiam inter aliquos stabiliendam; & ideo pro his omnibus iuramenta in festo licent. Idem docent Doctores, maxime Suarez cap. 30. relato, n. 17. & Sanchez lib. 5. Consil. cap. 2. dub. 30. n. 1.

Sententia Panormitani circa iuramenta extraiudicialia.

301 Rogabis tertiò: An iuramentum extraiudiciale sit in die festo prohibitum? Affirmat Panormitanus cap. 1. *de Ferijs*, num. 1. & cap. *Conquæstus*, eodem titulo. Et movetur primò: quia sicut prohibentur mercatus, & iudicium, prohibetur iuramentum; sed mercatus, & iudicium, etiam particularia, prohibentur: ergo prohibentur etiam iuramenta privata, & extraiudicialia. ¶ Secundò: Si solum Pontifex iuramentum extraiudiciale prohibere non intenderet, non exprimeret *Sacramenta*, seu iuramenta; quia nomine *Placiti*, quod prius expresserat, iuramenta iudicialia includuntur: ergo si exprimit, est, quia etiam iuramenta extraiudicialia comprehendit. ¶ Tertiò: In dicto cap. *Omnes*, excipitur iuramentum pro pace, seu ad iurgia componenda; sed hoc iuramentum est privatum, & extraiudiciale: ergo prohibitio antecedens erat de iuramento extraiudiciali.

Sententia Suarez, & aliorum Sociorum circa idem.

302 Suarez autem tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 17. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 8. num. 3. & Fagundez lib. 1. cap. 13. num. 29. asserunt, etiam iuramenta extraiudiciali prohiberi, licet non omnia, sed tantum ea, quibus contractus, & conventiones firmantur. Primam partem suadent argumentis primæ sententiæ. Secundam vero sic: quia exceptio firmat regulam antea traditam; sed post prohibitos mercatus, & lites, seu iudicia, ponit iuramenta, quibus confirmari solent, & excipit: *Nisi pro pace*. Ergo comprehendit alia iuramenta non solum iudicialia, sed & privata, quibus mercatus, seu contractus inter homines firmantur.

Sententia Caietani amplectitur, & probatur.

303 Probabilius vero Caietanus asserit 2. 2. quæst. 122. art. 4. §. *Secundum*, prohibitionem iurandi in die festo, de qua loquitur dictum cap. *Omnes*, intelligi debere de solis iuramentis solemnibus, & iuridicis. Primò: quia textus debet loqui iuxta subiectam materiam; sed ibi loquitur de Placito, seu actionibus iudicialibus, & forensibus, vt ex se patet: ergo de iuramento iudiciali tantum debet intelligi. ¶ Secundò: quia durum est, affirmare omne iuramentum extraiudiciale, alioqui ex obiecto, fine, alijs que circunstantijs licitum, fieri illicitum, & mortale ex eo solum, quod in festo fiat, & ideo in confessione, vt distinctum peccatum contra festi observationem, explicandum, quæ certe dicere, est contra communem sensum, & vsum Ecclesiæ: ergo affirmandum potius est, iuramenta privata, & extraiudicialia in festo illicita non esse. ¶ Tertiò: quia nihil est in iuramento privato, quo quies in festis desiderata turbetur; tum: quia ipsum secundum se est actus virtutis religionis, cui totus dies dicatus est. Tum etiam: quia ex quo privatum, & extra iudiciale est, strepitum non commovet, quo festum turbetur: ergo nulla est ratio, vt affirmemus in dict. cap. *Omnes*, ab Ecclesia prohiberi.

Argumenta contraria diluuntur.

304 Ad primum argumentum Panormitani dicimus: quod cum post Placitum immediate subdat dictum cap. *Omnes*, iuramenti prohibitionem, cum illo debet iuramentum commensurari, & non cum mercatu. Vnde sicut Placitum comprehendit omnem causam criminalem, & civilem sub dicta prohibitione, ita iuramenti prohibitio solum extendi debet ad iuramentum in causa civili, & criminali, nec requirit extensionem ad iuramenta extraiudicialia. ¶ Ad secundum dicitur: Summum Pontificem claritatis gratia voluisse iuramenta exprimere, licet sub nomine Placiti essent comprehensa; sicut etiam ob eandem rationem expresit sententiam ad mortem, & ad pœnam, quæ sub nomine Placiti erant similiter comprehensa. ¶ Ad tertium respondetur: iuramentum pro pace ideo in dicto capite excipi, non quia necessarium esset, sed exempli gratia, vt sub eo omne iuramentum pium conferetur comprehensum. ¶ Ad Suarij, & aliorum sententiam dicendum est: in dicto cap. *Omnes*, excipi iuramenta *pro pace* non præcisè quia privata sunt, sed quia iudicialia esse solent: & quia circa hæc poterat esse aliqua difficultas, ideo ea licita in festo esse decernit. Vnde nequit sumi hinc argumentum ad dicendum, quod iuramenta extraiudicialia, quibus contractus, & conventiones firmantur, ibi prohibentur.

§. III.

§. III.

Quæ iudicum ſententiæ ſint in diebus feſtis illicitæ, & quæ validæ? & de cauſis ſtrepitum iudicialem his diebus honeſtantibus.

Quid ſentiant ius Canonicum, & Civile circa Iudicũ ſententias

305 LIcet ſub *Placiti* nomine Iudicis ſententia, vt diximus, comprehendatur, tamen quia §. antecedens nimis protraheretur, ſi de ea ſermo in illo eſſet; & quia etiam dicta capita Iuris Canonici, ſcilicet, cap. *Omnes*, & cap. *Conquæſtus*, tit. *de ferijs*, actum ſententiæ à *Placito* ſeperant, ideo de ea ſeorſim in hoc §. agere decernimus. Circa quod, vt certum ſupponendum eſt: ſententiam diebus feſtis latam invalidam eſſe, vt patet ex illis verbis in cap. *Conquæſtus*, de ferijs: *Vſque adeó convenit ab huiuſmodi abſtinere, vt conſentientibus etiam partibus, nec proceſſus habitus teneat, nec ſententia, quam contigit diebus huiuſmodi promulgari.* ¶ Nec diſſentit ius Civile lib. 2. Codic. tit. 12. de ferijs, leg. 2. vbi Theodoſius Imperator præcipit: *Vt in die emancipare, & manumittere liceat, reliquæ cauſæ, vel lites quieſcant: Sanctum quoque diem Paſchæ, & diem Natalis Domini, & Epiphaniæ, ſeptem qui præcedunt, & ſeptem qui ſequuntur, ſine ſtrepitu volumus obſervari, & quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.* Et leg. 10. eodem tit. ſic loquitur Leo Imperator: *Dies feſtos maieſtati altiſſimæ dicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nullis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus, & venerandum, vt à cunctis exequtionibus excuſent: nulla quemquam vrgeat admonitio, nulla fidei iuſsionis flagitet exactio, taceat apparitio, advocatio deliteſcat: ſit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox ſileat, reſpirent à controverſis litigantes, & habeant fœderis intervallum.*

Omnis ſententia, & eius exequtio in die feſto eſt nulla.

306 Vnde iam communis Auctorum doctrina eſt: omnem ſententiam criminalem, & civilem, quæ iudicialem ſtrepitum requirit, in die feſto, nullam, & irritam eſſe. Sic Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. à num. 9. Barboſa in lib. 2. Decretal. cap. *Omnes*, de Ferijs, num. 7. & cap. *Conquæſtus*, eodem tit. num. 32. Bonacina diſp. 5. quæſt. vnic. punct. 2. num. 22. Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 8. num. 12. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 27. quæſt. 12. Sanchez tom. 2. Conſil. lib. 5. cap. 2. dub. 29. Fagundez lib. de Eccleſ. præcept. cap. 13. num. 23. Trullench lib. 3. cap. 1. dub. 9. num. 9. & alij, qui omnes etiam docent, ex conſequenti prohiberi in die feſto executionem ſententiæ, quæ in die profeſto lata fuit. Et ratio eſt: quia talis exequtio eſt terminus iudicij contentioſi, & ex ea, iurgia, & contentiones inter partes excitantur: ergo ſi ius Canonicum ob hæc vitanda annullat ſtrepitus iudiciales, abſque dubio annullare debet ſententiæ executionem. Deinde: quia in leg. 10. civili ſupra relata expreſſe iubetur, *vt à cunctis executionibus excuſent, &c.* Ergo illicita eſt executio ſententiæ. Vnde conſtat, falſam eſſe Panormitani ſententiam cap. *vltimo, de Ferijs*, aſſerentis, licitam eſſe prædictam executionem, ex eo quod non tam ad Iudices, quàm ad eorum miniſtros attinet. Tum: quia ſi hæc ratio teneret, nulla miniſtrorum actio, v. g. Tabelionis, Notarij, &c. eſſet in die feſto prohibita. Tum etiam: quia talis executio ad Iudices pertinet, in quantum ſententiæ prolatæ eſt complementum, & terminus. Sed ab hac regula excipitur ſiquis fuerit publicus latro, vel maieſtatis læſor, aut notorius criminoſor, ſit que periculum fugæ, tunc enim in die feſto licet ſuſpendi, & mortis ſupplicio affici.

Sententia excommunicationis licita, & valida eſt in feſto.

307 Sed dubitant hic primò Doctores: An ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti lata in die feſto ſit illicita, & invalida? Affirmat Antonius Butrio in cap. vlt. de Ferijs. Et movetur ex verbis legis ſupra relatæ, vbi dicitur, quod omnia ad actus forenſes pertinentia in his diebus ſileant; ſed ſententia excommunicationis eſt quid ad actus forenſes attinens: ergo ſilere debet in die feſto. ¶ Negant, & verius, alij. Primò: quia ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. non requirit cognitionem cauſæ, & iudiciales ſtrepitus; ſed ſolæ ſententiæ, hæc exigentes, in dictis decretis annullantur: ergo non annullatur excommunicationis ſententia. ¶ Secundò: quia hæc ſententia non eſt punitiva, ſed medicinalis, & ad bonum animæ ordinata; ſed hoc ipſo in die feſto non prohibetur, cum dies feſtus ad id ſit ſpecialiter à Deo ordinatus: ergo, &c. ¶ Tertiò: Nam excommunicatio non tam eſt iuridice procedere, & iudicare, quàm veluti legem ferre, & præceptum ſub his pœnis imponere, quod non eſt actus iudicialis: ergo non eſt vox iudicis vt talis, hoc eſt, ſententiam ferentis, quæ in lege ab Antonio allegata his diebus ſilere præcipitur. ¶ Quartò: Quando Superior excommunicationem imponit, non indicat rei delicta, ſed potius eum à delictis removere intendit: ergo nihil habet hoc de iudiciali ſtrepitu, quem ab his diebus Sacri Canones amandare intendunt. Ex quibus clare patet ad Antonij fundamentum. Dicta docent Caietanus 2. 2. quæſt. 122. art. 4. §. *Secundum.* Suarez cap. 30. allegato, num. 9. Azor tom. 2. cap. 27. quæſt. 13. Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 7. num. 11. Sanchez in Conſil. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 27. num. 6. Villalobos tom. 2. tract. 32. diffic. 3. num. 4. Bonacina diſp. 5. quæſt. vnic. punct. 2. num. 12. Barboſa tom. 1. Collect. lib. 2. Decretal. tit. 9. de ferijs, cap. *Conquæſtus*, num. 34. Fagundez lib. 1. cap. 13. num. 22. & alij extendentes, & merito, traditam doctrinam ad abſolutionem ab excommunicatione; tum: quia de ea eadem procedit ratio; tum etiam: quia eſt animæ favorabilior, & per eam æternæ damnationis periculo ſubvenitur.

Omnes actus iuriſdictionis voluntariæ ſunt liciti in die feſto.

308 Ex dictis inferunt prædicti Doctores, quod omnes actus voluntariæ iuriſdictionis non ſunt in die feſto prohibiti. Tum: quia in lege 2. allegata expreſſe conceditur, eman-

emancipationes, & manumissiones licite in festis fieri posse. Tum etiam: quia in Iure Canonico soli strepitus iudiciales, & quæ ad eos attinent, prohibentur; sed actus voluntariæ iurisdictionis sine strepitu iudiciali fiunt: ergo in die festo non sunt prohibiti. Quapropter dispensationes, indulgentiæ, privilegia, provisiones beneficiorum, & alij actus voluntariæ iurisdictionis licite in festis exercentur. Sic citati Doctores, & Barbosa tom. 1. Collect. Doct. lib. 2. Decretal. tit. 9. de ferijs, num. 4. Azor tom. 2. lib. 1. cap. 28. quæst. 13. Rodriguez qq. Regular. tom. 2. quæst. 59. art. 2. Layman in Theolog. Moral. lib. 7. tit. 7. cap. 2. num. 7. & alij.

Quid dicendum sit de sententia Iudicis arbitri, & arbitratoris.

309 Dubitant secundò: An sententia Iudicis arbitri sit licita, & valida, si fiat in festo? Huic difficultati sub distinctione respondendum est. Nam si sermo sit de vero Iudice arbitro (qui talis dicitur, qui de consensu partium eligitur in Iudicem) dicendum est, in festo non posse sententiam ferre. Tum: quia sic deciditur in leg. 7. *Omnes dies*, *Cod. de ferijs*, vbi postquam refertur, dies festos, & Dominicos, quos ab omnibus cum omni reverentia vt sacros venerari, & observari deberi, additur: *Vt nec apud ipsos arbitros, vel à iudicibus flagitatos, vel sponte electos, vlla sit cognitio iurgiorum.* Ergo nulla est quæcumque sententia ab his Iudicibus arbitris lata. Tum etiam: quia, vt ait Panormitanus cap. *Conquæstus*, de Ferijs, & constat ex leg. 1. & leg. *Qualem*, ff. de arbitr. Iudex arbiter debet procedere modo iudiciali, facto processu, & iuris ordine servato, & ideo Iudici Ordinario æquiparatur; sed ob hæc aliorum Iudicum sententia in die festo annullatur: ergo etiam nulla erit sententia à Iudice arbitro in die festo lata. ¶ Si vero sermo sit de Iudice arbitratore, seu internuntio, dicendum est, similem sententiam validam esse. Et ratio est: quia hic Iudex solum est amicabilis fœderator, compositor, & mediator pacis, nec procedit iuridico ordine; tunc sic: sed fœdera, & similia pacta ad pacem conciliandam ordinata, non sunt illicita in die festo, cum sint opera charitatis: ergo nec sententia Iudicis arbitratoris in die festo illicita, aut nulla est. Sic Abbas loco cit. Suarez cap. 30. num. 15. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 9. num. 16. Filliucius tract. 27. num. 200. Sanchez tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 26. num. 7. Fagundez lib. 1. cap. 13. num. 26. Trullench lib. 3. in Decal. dub. 9. num. 9. & aiij.

Asserunt nõnulli, appellatione esse in festis illicitam, & invalidam.

310 Dubitant tertiò: An appellatio sit licita, & valida in die festo? Circa quod duplex militat sententia. Prima est negativa, & movetur primò: quia appellationem prosequi in die festo, iuxta omnes Doctores, est illicitum; prohibetur enim leg. 1. Codic. de ferijs, his verbis: *Verine charissime, rescribi placuit experientiæ tuæ, vt in causis provocationum iugiter, & sine additamento huiuscemodi dierum tempora scias obseruari debere, & supradictorum dierum obseruationi in appellationum causis minime fieri adiectionem.* Ergo potiori titulo prohibetur appellationem instituere. Patet consequentia: nam sicut prosecutio appellationis pertinet ad strepitum iudicij, sic & eius institutio: (maxime cum appellatio iurisdictionem in vno Iudice suspendat, & ad alium transferat) ergo si prosecutio appellationis est illicita, sic etiam erit illicita appellationis institutio. ¶ Secundò: Appellatio iudicialis est pars processus; sed omnis processus est illicitus, & nullus in die festo, vt constat ex dictis: ergo & appellatio. ¶ Tertiò: Non est necessarium in die festo appellationem proponere, cum iura ad id decem dies concedant, in quibus plures profesti absque dubio erunt: ergo absolute illicitum est. ¶ Quartò: Nullus Iuris Canonici textus permittit appellationem interponere in die festo; (nec Ius Ciuile id expresse permittit, & esto permitteret, deberet per Canones approbari) sed hæc materia ad ius Canonicum pertinet, cum sit circa cultum Deo tribuendum: ergo illicita est in die festo appellatio iuridica. ¶ Quintò: Cum interponitur appellatio, Iudex debet videre, an iusta, & legitima sit; sed hoc ad strepitum iudicialem pertinet: ergo in festis illicita, & invalida est similis appellatio. Hanc sententiam non obscure tradit Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 13. dum sic ait: *Quare licet non audeam id damnare, nec videatur excessus gravis, quia sine magno strepitu fieri potest, & est res favorabilis; nihilominus consulerem, vt in die profesto fiat, quoties commode possit.* Et Palaus loco citando asserit ex vi rationum sibi hanc sententiam probabiliorem videri, & solum ex communi sententia contrariam amplectitur.

Probabilius est, appellationem esse validam, & licitam in festis.

311 Secunda, & probabilior sententia est affirmativa. Et suadetur primò: nam ius naturale dictat, quolibet die, etiam festo, posse quemlibet se defendere; sed appellatio nihil aliud est, quam naturalis, & iusta sui defensio: ergo in die festo licita est. ¶ Secundò: nam appellatio proprie non est actus iudicialis, cum non sit exercitium iurisdictionis Iudicis, nec ab ipso proveniat, sed vnice à parte dimanet: ergo nulla est ratio, quare in festo non fiat. ¶ Tertiò: quia esto appellatio esset actus iudicialis, fit tamen sine strepitu; sed ob hunc strepitum iudiciales actus ab Ecclesia in festis prohibentur: ergo nihil obest, quominus licita, & valida in festo appellatio non sit. Sic tenent Glossa in cap. vlt. de ferijs, & ibi Panormitanus num. 12. Caietanus 2. 2. quæst. 122. art. 4. §. *Sed ad hoc.* Villalobos tom. 2. tract. 32. diffic. 3. num. 4. Fagundez cap. 13. cit. num. 24. Bonacina disp. 5. quæst. vnic. punct. 2. num. 13. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 7. num. 14. motus non rationibus huius sententiæ, sed potius Doctoribus eam communiter docentibus. Leander tract. 1. de obseruat. fest. disp. 5. quæst. 45. Sanchez tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 27. num. 4. referens Caietanum, Bartolum, Armillam, & Tabienam, Bassæus verb. *Festum* 2. num. 18. Filliucius tract. 27. cap. 11. quæst. 9. n. 198.

Primæ sententiæ fit satis.

312 Ad primum igitur argumentum, concesso antecedenti, negatur consequentia. Et disparitas stat in eo, quod prosequtio appellationis nunquam sine strepitu iudiciali fieri

fieri potest; secus vero appellatio, quæ secundum se tantum est declinatio à iudicio, & actus extraiudicialis, ac proinde in festo licitus, & honestus. Nec refert, quod per eam non fugiatur iudicium absolute, sed ad alterius Iudicis superioris iudicium recurratur: nam hoc ipso quod in propriam defensionem à prioris Iudicis sententia appelletur, & eius iudicium declinetur, sufficit, vt proprie extraiudicialis dicatur. ¶ Ad secundum concedimus, appellationem esse partem processus, sed hoc non arguit in die festo annullari, & prohiberi; quia solum pars illa processus à iure annullatur, quæ Iudicis auctoritatem requirit, quod in appellatione minime contingit. ¶ Ad tertium dicendum est: multoties posse moralem necessitatem occurrere, vel ratione absentiæ, vel ratione paupertatis, vt appellatio in festo fiat; & ideo ad hæc ius attendendo, eam in die festo permittit. ¶ Ad quartum respondetur: quod licet expresse à nullo iure appellatio in festo vt licita concedatur, bene tamen implicite; cum Glossa, & communiter Doctores ex leg. 1. de ferijs, supra allegata id colligant. ¶ Ad quintum dicendum: quod hoc ipso quod ius naturale in propriam defensionem honestet, appellationem in festis interponere, simul etiam cohonestat cognitionem Iudicis de legitima appellandi causa; cum concesso principali accessorium concedatur, & antecedenti concesso concedatur & consequens, vt docent leg. 1. §. 1. ff. *si vsus fruct. petit.* leg. 3. §. *Qui habet*, ff. *de servit. rustic. præd.* leg. *Reflexionis gratia.* Et ibi Glossa ff. *communia præd. l.* 2. Farinacius Fragment. Crimin. part. 1. litt. *E*, num. 228. & alij; sed cognitio causæ appellationis est quid consequens respectu antecedentis appellationis: ergo si ius naturale concedit, licite fieri posse appellationem in festo, ex consequenti concedere debet vt licitam talis appellationis causam.

Actus extraiudiciales, vt scribere, & Iudicem informare licent in festis.

313 Ex huc vsque dictis infertur, omnes actus extraiudiciales esse in festo licitos. Quapropter primò licitum est in diebus festis Notarijs, alijs que Curiæ Officialibus, domi privatim scribere, & transcribere; quia hi actus sine iudiciali strepitu fiunt, & ideo proprie extraiudiales sunt, & in Sacro Canone solum actus strepitum iudicialem commoventes prohibentur, & irritantur. ¶ Secundò ex consequenti etiam in festo licet Advocato, & Procuratori verbo, aut scripto Iudicem informare. Tum: quia hæc est Curiæ Romanæ praxis, in qua dum sequenti die profesto causa est videnda, & proponenda, die antecedenti, & si festus sit, de ea Iudex informatur. Tum etiam: quia dicta informatio non est actus servilis, sed spiritualis ordinatus ad Iudicis mentem illuminandam; alias nec etiam est iudicialis, cum absque strepitu fiat: ergo nihil habet, quare tali die sit illicita, & invalida, etiam si ob quæstum fiat. Ita Navarrus in Sum. cap. 13. num. 12. Lopez Instruct. Consc. lib. 1. cap. 52. Sotus lib. 2. de Iustitia, quæst. 4. art. 4. ad 3. causa 4. in fine. Caietanus 2. 2. q. 122. art. 4. §. *Secundum autem.* Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. num. 15. Bonacina disp. 5. quæst. vnic. punct. 2. num. 12. Sayrus lib. 7. cap. 2. num. 15. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 9. num. 4. & Filliucius tract. 27. cap. 11. quæst. 8. num. 197.

Necessitas & pietas iudicia in festis honestant.

314 Dubitant denique: An licet huc vsque dicta vera sint, dentur tamen aliquæ causæ, quæ dictos actus ad strepitum iudicialem pertinentes, in die festo cohonestent, ac proinde licitos, & validos reddant? Cui difficultati affirmative respondetur ex cap. *Conquæstus*, de Ferijs, sæpius allegato, vbi annullatis processu, & sententijs diebus festis latis, ab hac generali regula aliquos casus excipit: dicendo: *Nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat.* Quapropter quando necessitas vrget, vel pietas suadet, licite, & valide in diebus festis iuramenta excipiuntur, processus formantur, sententiæ feruntur, & denique omnes actus, & strepitus iudiciales ad hæc necessarij exercentur: sive sit hoc in causa criminali, sive civili, sive spirituali, sive temporali. Et ratio est evidens: quia cum lex indefinite, & generaliter loquatur, & alias favorabilis sit, vniversaliter intelligenda est talis exceptio. Sic communiter Doctores.

Quid nomine necessitatis intelligatur.

315 Et solum difficultas esse potest circa ea, quæ sub nomine *Necessitatis*, & *Pietatis* Sacri Canones intelligant. Ad quæ, alijs omissis, dicendum est primò: sub nomine *Necessitatis* comprehendi, tum proprium litigantium commodum, tum & vtilitatem publicam. Quapropter iudicium exerceri valet in festo. Primò: si res tempore peritura est, hoc est, si dilatio actionem sit peremptura. Ita ex leg. 1. §. *Sed excipiuntur*, ff. *de Ferijs.* ¶ Secundò: quando est debitor suspectus ne dilapidet, aut fugiat, aut res interim notabiliter damnificetur. ¶ Tertiò: si adsit periculum spiritualis nocumenti; quia spiritualia temporalibus præferenda sunt. ¶ Quartò: si latro sit suspectus de fuga, vel atrox delictum cum publico scandalo commissum in festo sit, tunc iudicari, & suspendi valet. ¶ Quintò: si alio tempore ad iudicium absque magno incommodo rustici accedere non valent, vel testis abesse vult. Et ideo in paruis oppidis solent similia iudicia in festis exerceri, quia tunc agrorum cultores ad ea accedunt. Sic tenent Glossa, & Doctores Canonistæ, & Legistæ supra relata loca. Et insuper ex Theologis, & Summistis Navarrus cap. 13. num. 13. Toletus lib. 4. Sum. cap. 24. num. 5. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 25. Azor 2. part. lib. 1. cap. 27. quæst. 12. Fagundez lib. 1. de Eccles. præcept. cap. 12. num. 12. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 7. num. 17. Barbosa tom. 1. Collect. Doct. in lib. 2. Decretal. tit. 9. à num. 26. & alij.

Quid significet Pietas.

316 Dicendum est secundò: sub nomine *Pietatis* Sacros Canones hic excipere causas, quæ concernunt, tum misericordiam in pauperes, & indigentes, miserabiles que personas; tum religionem in Deum; tum denique obseruantiam in Patriam, & Parentes. Quapropter agi in festo licet primò de causis miserabilium personarum, v. g. eorum, qui in carceribus detruduntur, ad quas etiam per-

tinet designatio Tutorum, & Curatorum iuxta illa verba leg. 2. ff. de Ferijs: *Vt Tutores, & Curatores dentur, alimenta constituantur, &c.* ¶ Secundò de causis pauperum, ne magnis graventur expensis. ¶ Tertiò de causis alicuius personæ Religiosæ, & Ecclesiæ, maxime si miserabiles, & pauperes sint; quia religionis titulus, si paupertati adiungitur, non minuit, sed potius huius indulgentiæ rationem auget. ¶ Quartò de causis Parentum, aut Patriæ, quibus, ne graventur pluribus expensis, maxime quando paupertate laborant, celeriter subvenire ratio pietatis expostulat. Quas omnes causas dilucide Glossa in cap. *Conquæstus*, verb. *Pietas*, his versibus complexa est.

Hæc faciunt causas festis tractare diebus:
Pax, scelus admissum, manumissio, res peritura:
Terminus expirans, mora testis abesse volentis:
Cumque potestatis patriæ tus filius exit.

Videantur Doctores supra relati, & quæ infra puncto sequenti §. 4. dicedemus.

PUNCT. XIV.

Quæ causæ laborantes in die festo excusent à præcepto abstinendi à servilibus?

Quid agendum sit in hoc puncto, declaratur.

317 NOn quærimus vniversaliter de causis excusantibus à festi observatione, quia sub hoc inquirendi modo comprehendebantur causæ ab auditione Sacri excusantes, & de his iam ex professo egimus tom. 1. huius Cursus, tract. 5. cap. 6. punct. 5. & eas hic repetere, tædium gigneret, & nausea Lectoribus esset. Quapropter solum de causis, à præcepto abstinendi à servilibus excusantibus, in præsenti differendum est. Varias igitur causas excusantes solent designare Doctores, sed nos omnes à quinque, scilicet Religionem, Parvitatem materiæ, aut temporis, Necessitatem, Pietatem, & Dispensationem reducimus; quæstiones que de eis difficultatem præseferentes diversis §§. decidemus. Cæterum, quia de Religione punct. 11. §. 4. abunde egimus, ibi Lectorem remittimus, & à parvitate materiæ initium auspicamur.

§. I.

Qualiter parvitas materiæ, aut temporis excuset à peccato operantes servilia in die festo?

Dari in hoc præcepto parvitatem materiæ, certũ est apud omnes.

318 SUpponit titulus, parvitatem materiæ, aut temporis excusare à festorum gravi violatione eos, qui servilia operantur; & recte vtique, quia hoc est commune omni præcepto positivo humano, quod graviter violari nequit ob parvitatem materiæ. Quapropter si Tonsor vnum, vel alterum in die festo radat; aut mulieres aliqua puncta consuant, communiter tenent Doctores ob parvitatem materiæ, & si nulla adsit causa ad id cogens, à gravi culpa excusari. Diximus excusare parvitatem materiæ à gravi culpa, quia levem culpam nunquam præcisè ob hanc causam effugere quis poterit, cum vere in materia levi præceptum infringat, quod sufficiens est ad veniale peccatum committendum. Quare solum est difficultas in assignando, quæ sit parvitas materiæ, aut temporis à peccato excusans? Circa quam variæ sunt sententiæ.

Referuntur aliquæ sententiæ circa tempus, quod est materiæ parvitas.

319 Prima igitur sententia est aliquorum Canonistarum apud Suarez cap. 31. qui asserunt: quod si labor non attingat ad tertiam diei partem, octo videlicet horas, non est materia gravis, quæ festum violare possit. ¶ Secunda sententia docet: non esse contra observantiam festi, si prædicta tertia pars non sit respectu totius diei festi, sed sit respectu temporis, quo operarij solent in diebus profestis laborare. Quare si in his tantum laborare solent per novem diei horas, exercere servilia per tres horas in die festo, materia gravis non erit. Sic Pasqualigus decis. 300. à num. 6. esto cum aliqua formidine. Et ad hoc movetur: quia illa pars temporis censenda est gravis, & contra festi observantiam, quæ efficit, vt dies non sit moraliter sanctificatus, & Deo sacratus; sed & si tres horæ consumantur in exercendis operibus servilibus, adhuc dies censetur moraliter sanctificatus, & Deo sacratus: ergo non est gravis materia. Idem fere sentit Marchantius in quæst. Pastor. cap. 3. quæst. 2. docens: trium horarum spacium esse materiam levem, & sic à gravi culpa excusare. ¶ Tertia sententia asserit: in festo vna integra hora laborare, esse materiam gravem, & ideo mortale peccatum. Sic aliqui, quos supresso nomine refert Suarez tom. 1. de Relig. cap. 31. num. 2. Expresse tamen eam tenent Azor tom. 2. lib. 1. cap. 28. quæst. 5. Villalobos tom. 2. tract. 32. diffic. 4. num. 1. A Cruce in Sum. part. 1. præcept. 3. art. 1. num. 4. Bonacina disp. 5. de 3. Decalogi præcept. quæst. vnic. punct. 3. num. 2. ¶ Quarta sententia docet: quod si labor excedat horam, & dimidium, aut vnum quadrantem, est materia gravis; quia in hoc tempore effici potest notabile, ac considerabile opus servile. ¶ Quinta sententia est Suarij: asserentis loco citato id arbitrio prudentis relinquendum esse, impugnata prius opinione affirmante esse materiam gravem integram horam laborare. Cui videtur non dissentire Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 3. num. 4. ¶ Sexta sententia affirmat: non esse materiam gravem per duas integras horas in die festo laborare; ac proinde nisi aliquantulum eas excedat, mortaliter non peccare. Sic Diana 1. part. tract. 15. & 1. Miscell. resol. 36. & part. 5. tract. 5. resol. 6. qui per hæc verba probat suam opinionem. Nam parvitas materiæ excusans à mortali, non absolute, & secundum se, sed respective ad totam materiam præceptam spectanda est, vt notat Suarez in Sum. lib. 1. cap. 4. num. 18.

at

at ſpacium duarum horarum, licet conſideratum ſecundum ſe videatur tempus notabile, & magnum, non ità tamen videtur reſpectivè, & in ordine ad totam materiam præceptam vnius diei: ergo qui per duas horas laboraret, ratione parvitatis materiæ graviter non peccabit. Idem etiam tenent Granados 2. 2. controv. 6. tract. 2. diſp. 2. ſect. 6. num. 54. Henriquez in Sum. cap. 7. num. 4. Baſſæus verb. *Feſtum* 3. num. 4. Leander de Obſerv. Feſt. tract. 1. diſp. 6. quæſt. 6. N. Valentin in Conſcient. Foro, tract. 2. cap. 5. num. 207. male referens Sanchez, & Filliucium, vt ſtatim patebit.

Probabilior ſententia pro ponitur, & eligitur.

320 Septima denique ſententia, & nobis probabilior, docet: quod licet laborare minus quam duas horas, non ſit mortale; at ſi duabus horis quis in feſto labori incumbat, abſque dubio mortaliter peccat. Sic Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 3. num. 4. affirmans nullum Doctorem Theologum claſsicum vidiſſe, qui latius tempus concedat. Trullench lib. 3. Decal. cap. 1. dub. 10. num. 2. Filliucius tract. 27. cap. 11. quæſt. 1. num. 205. Sanchez in Conſil. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 31. vbi relata opinione contraria aliquorum iuniorum aſſerentium laborare per duas horas non eſſe mortale, quia eſt duodecima pars diei naturalis, ſcilicet, viginti quatuor horarum, ſic proſequitur: *Exiſtimo tamen, minus quam duas horas non eſſe peccatum mortale, & hinc excuſari poſſunt à mortali Sutores circunſcindentes calceos in die feſto, & multi officiales.* Vnde à fortiori id etiam docent Doctores tertiæ, & quartæ ſententiæ ſupra relati.

Probatur cõcluſio ratione, & ſimul oſtenditur primam, & ſecundã ſententiam falſas eſſe.

321 Et ratio huius ſententiæ eſt: quia per duas horas ſervilia in feſto exercere, eſt pars notabilis reſpectu totius diei feſti: ergo ad mortale ſufficiens. Confirmatur inſuper dicta ratio ex impugnatione aliarum opinionum: quia in primis, prima ſententia eſt evidenter falſa; cum tertia pars materiæ cuiuſcumque rei præceptæ ſit materia gravis, & ideo qui omittit tertiam partem officij divini, aut Miſſæ, iuxta omnes peccat mortaliter: ergo & qui laborat per tertiam diei feſti partem. Vlterius: ſi hæc ſententia vera eſſet, poſſet quis per totum diem feſtum in hieme laborare abſque gravi culpa, cum tertia pars ſint octo horæ, & dies hiemales ad ſummum ad decem horas ab ortu ſolis vſque ad occaſum pertingunt; ſed ſequelam nullus concedit: ergo nec id ex quo legitimè infertur. ¶ Ex quibus etiam impugnata manet ſecunda ſententia: quia tertia pars, & ſi ſit reſpectu temporis, quo in profeſtis ſolent operarij laborare, eſt pars reipſa notabilis, cum contineat in ſe tres horas plus, minus ve: ergo & ſi tertia pars ſic accipiatur, eſt materia gravis, & conſequenter ad mortale ſufficiens, ſicut eſt tertia pars materiæ per quodcumque aliud præceptum prohibitæ. Nec verificari poteſt, quod, vt vult Paſqualigus, moraliter diceretur talis dies ſanctificatus; nam ad ſummum tunc verificaretur, quod per maiorem diei partem erat Deo ſanctificatus, quod non tollit, quod per notabilem eius partem eſſet illius ſolemnitas violata, & conſequenter gravis culpa committeretur: ergo hæ ſententiæ, vt pote nimis laxæ, obſervationi huius præcepti præiudicant, & ſic alia via parvitas materiæ explicanda eſt.

Vlterius probatur cõcluſio, & reliquæ ſententiæ contrariæ reijciuntur.

322 Deinde tertia, & quarta ſententia laborem vnius horæ pro materia gravi deſignantes, videntur ſtrictæ, nimis que conſcientias onerare; cum tale tempus finem huius præcepti, qui eſt Dei cultus, parum impedire videatur. ¶ Quinta ſententia Suarij id arbitrio prudentis relinquentis, eſt parum doctrinalis, vt pote incertam carpens viam, & pluribus laxitatibus obnoxiam; cum quilibet ſibi prudens videatur, faciliter que, experientia teſte, propriæ voluptati indulgeat. Quare hic procedendi modus potius eſt difficultatis evaſio, quam reſolutio; & ideo à morali doctrina amandandus. ¶ Denique ſexta Dianæ ſententia pro materia levi laborem duarum horarum deſignantis, eſt ſatis laxa; cum duæ horæ laboris ſint pars ſatis notabilis temporis dicati cultui Dei iuxta divinum præceptum, vt ſatis probatum eſt, & denuo confirmari poteſt: nam tempus deſignatum à præcepto divino, & eccleſiaſtico iubente die feſto Deum colere, & à ſervilibus abſtinere, non eſt omne illud, quod in comedendo, bibendo, & dormiendo homines inſumunt, ſed vnice illud, quod in Dei cultu, & abſtinentia à ſervilibus conſumi valet; ſed reſpectu temporis, quod in die naturali ad has actiones remanet, eſt materia ſatis notabilis, & gravis ſpacium duarum horarum: ergo die feſto duas horas in ſervilibus inſumere, eſt peccatum mortale, & contra feſti obſervantiam.

Sunt, qui aſſerũt, peccare mortaliter herũ, qui pluribus famulis iubet modicum in feſtis laborare.

323 Gravior tamen difficultas eſt: An mortaliter peccet herus, ſeu Dominus, qui iubet, vt plures famuli laborent in die feſto, ſed ſinguli per vnicam tantum horam? Et videtur quod ſic. Primò: quia ſi quis die feſto pluribus vicibus, licet ſingulis modico tempore, ſervilia exerceret, abſque dubio mortaliter peccaret, quia ratione eiuſdem diei continuantur inter ſe dictæ parvitates temporis, & inde conſurgit ſpacium temporis in ſervilibus conſumptum ſatis grave, & notabile, ſufficiens que ad diei ſacri violationem; ſed illa parva opera exercita à pluribus famulis, ſeu ſervis, licet diſcontinuentur ratione ſubiectorum, vniuntur tamen ratione temporis, & diei feſti: ergo ſi prima violant præceptum abſtinendi à ſervilibus, etiam ſecunda violare debent. ¶ Secundò: Sententia probabilis eſt, quam tenent Toletus in Sum. lib. 4. cap. 25. num. 2. & Fagundez de Eccleſ. præcept. cap. 14. num. 3. quod ſiquis Barbitonſor omnibus, aut aliquibus diebus feſtis continuatis vnius tantum hominis barbam radat, peccat mortaliter ratione continuationis materiæ: ergo cum opera ſervilia, licet à pluribus famulis exercita, in eodem die continuentur, efficient materiam gravem, ad mortale que ſufficientem. ¶ Tertiò: Si quis in die ieiunij pluribus vicibus materiam parvam comedat, ſi ex omnibus magna coaleſcat, iuxta omnes præceptum ieiunij frangit: ergo

ergo etiam festi præceptum infringit, qui iubet, vt famuli plura opera servilia exerceant, licet quilibet in eis modicum tempus consumat. ¶ Quartò: Siquis famulis iubeat, vt à pluribus templis parva singuli subripiant, quæ vnita materiam gravem constituant, quis negabit in hoc Dominum graviter non peccare? Cur ergo non peccabit mortaliter, qui similiter diversis famulis iniungit, vt singuli modicam partem temporis Deo consecratam profanent, quando omnes illæ in vnum collectæ notabile temporis sacri spacium conflant? ¶ Quintò: Saulus iuxta Divum Augustinum quia servabat vestimenta, vt Iudæi Sanctum Stephanum expeditius lapidarent, censetur eorum manibus etiam Prothomartyrem lapidasse: ergo multo magis herus toto die festo laboravit, cuius iussu, & auctoritate indicit, vt servi toto die serviliter diversis inter se horis laborent. Hanc sententiam, his duobus fundamentis vltimis motus, defendit Gonet tom. 3. Clypei Theologiæ dissert. Theolog. de opinion. probabilit. art. 5. num. 112. pag. 285.

Contrariũ, vt probabilius, amplectitur.

324 Nihilominus dicendum est: Dominum, qui præcipit, vt plures famuli per modicum tempus singuli in festo laborent, non peccare mortaliter. Et ratio prima est: quia servi sic laborantes non peccant mortaliter: ergo nec herus id eis præcipiens. Antecedens constat: cum supponamus brevi mora singulos servos laborare. Consequentia est evidens; tum: quia herus potest præcipere servis id, quod licite facere possunt; sed dicta opera possunt singuli licite facere, quia supponimus, hoc Dominum præcipere aliquali, & iusta vrgente causa: ergo id Dominus eis licite præcipere valet. Tum etiam: quia & si demus, quod Dominus, seu herus ad hoc iustam non habeat causam, tamen in hoc non aliter peccare potest, nisi eo modo quo servi peccant, talia servilia exercendo; sed servi non peccant mortaliter: ergo nec Dominus, aut herus. ¶ Secunda ratio sumitur à paritate ieiunij; nam, vt docet Sanchez lib. 1. Sum. cap. 4. num. 11. Si quis efficeret, vt diversi comederent in die ieiunij, parum tamen singuli, & si omnium quantitas esset notabilis, non peccaret mortaliter, quia deficit vnius modicæ materiæ cum alia continuatio; sed in quæstionis casu etiam deficit operum servilium continuatio, cum diversificentur ratione subiectorum, quibus impositum est sanctificandi festa præceptum per abstinentiam à servilibus: ergo non peccaret, qui efficeret, vt multi, licet singuli modico tempore, in die festo servilia operarentur. ¶ Tertia ratio formatur sic: præceptum sanctificandi festa ideo fideles obligat ad abstinendum à servilibus, vt his terrenis expediti Divino cultui vacent; sed ex quo Dominus servis præcipiat, vt singuli modicum tempus in festis servilia exercendo insumant, non impedit, quominus Divinino cultui possint die festo vacare: ergo talia præcipiendo mortaliter non peccat. ¶ Quarta ratio. Præceptum sanctificandi festa prohibet, ne aliquis fidelis servilia exerceat, & in qualibet persona, seu subiecto seorsim sumpto terminatur obligatio: ergo opera servilia ab vno exercita non continuantur cum operibus servilibus alterius: ergo si opera servilia vnius fidelis sunt venialia ob parvitatem materiæ, & si fiant in eodem die, ac alia opera alterius fidelis, non ob hanc simultatem fient mortalia, & consequenter nec Dominus ea servis, & famulis iubendo, peccabit mortaliter. ¶ Quinta ratio. Obligatio personalis non continuatur, nec augetur ob obligationem personalem alterius; alias non esset propria personæ; sed obligatio servilia non exercendi est personalis: ergo nec continuatur, nec augetur ob alterius obligationem: ergo si quis servilia exercens, non peccat lethaliter, nec peccabit ex quo alter fidelis eodem die servilia, & si in mora parva, exerceat: ergo nec etiam mortaliter peccabit Dominus famulis præcipiens, vt talia opera servilia faciant. Vnde hanc conclusionem docent Sanchez lib. 1. Sum. cap. 4. num. 12. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 10. num. 3. Bonacina disp. 5. quæst. vnic. punct. 3. num. 4. & de peccatis disp. 2. quæst. 3. punct. 5. num. 26. Oviedo 1. 2. tr. 6. controv. 3. punct. 8. num. 130. Diana 3. part. tract. 5. Miscell. resol. 8. §. *Notandum est etiam.* Pasqualigus decis. 301. & nos ipsi in hoc Cursu tom. 3. tract. 11. cap. 2. punct. 2. num. 31.

Solvitur primum argumentum.

325 Ad primam rationem dubitandi respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia obligatio servandi festa per abstinentiam à servilibus est personalis, & pro toto die festo perseverans; vnde ad violationem festi requiritur, quod eadem persona, & eodem die, ea servilia exerceat, quæ vel ratione sui, vel vt coniuncta cum alijs materiam gravem constituant: cum ergo qui servilia pluribus vicibus, licet singulis modico tempore, in eodem die festo exercet, habeat quid quid requiritur ratione identitatis, tam subiecti, quàm temporis, vt dicta servilia continuentur, materiam que notabilem efficiant, ideo licet secundum se seorsim sumpta sint tantum materia parva, & peccata venialia, tamen vt vnita, & continuata constituunt materiam gravem, & in opere, in quo hæc complentur, mortaliter delinquitur, sicut dicitur communiter de furtis levibus continuatis. At quia è contra in casu nostræ quæstionis servilia, à diversis famulis exercita, licet vniantur ratione eiusdem diei festi, discontinuantur tamen ratione subiecti, ideo nequeunt materiam gravem constituere, licet in eodem die fiant; videantur à nobis dicta tom. 3. tract. 13. cap. 5. punct. 2. num. 22.

Secundo, & tertio argumento respondetur.

326 Ad secundam dicimus: nullam agnoscere probabilitatem in opinione Toleti, & Fagundez; tum: quia contrarium docent communiter Sanchez in Sum. lib. 1. cap. 4. num. 12. & in tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 31. num. 5. Bonacina disp. 5. cit. punct. 3. num. 3. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 10. num. 3. Bassæus verb. *Festum* 3. num. 4. Oviedo supra allegatus num. 129. Diana 3. part. tract. 5. Miscell. resol. 8. & nos ipsi in hoc Cursu tom. 3. tract. 11. cap. 2. punct. 2. num.

num. 31. Et addunt dicti Auctores, hoc verum esse, & si quis haberet propositum in omnibus festis modicum temporis laborandi, sicut nec peccaret mortaliter (est Sanchez exemplum) contra ieiunij præceptum, qui haberet propositum comedendi vnicam passam omnibus diebus ieiunij: ergo ex dicta sententia contra nos paritas, aut argumentum sumi non valet. Tum etiam: quia obligatio non exercendi servilia in festo est alligata diei, & eius onus cum ipso die extinguitur; sed quando obligatio est alligata tali die, & onus eius in ipso die extinguitur, non continuatur cum alterius diei obligatione, vt loco cit. ex tom. 3. num. 32. probavimus: ergo sicut nec obligationes continuantur, nec etiam servilia à Barbitonsoribus, alijs que officialibus exercita ad grave constituendum peccatum continuabuntur. ¶ Ad tertiam patet ex dictis ad primam: nam obligatio ieiunij est alligata diei, & pro toto die perseverat; & ideo modicæ comestiones ratione temporis, & subiecti vniuntur.

Quarto, & primo argumẽto Gonet fit satis.

327 Ad quartam, & primam Gonet rationem respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et ratio disparitatis stat in eo, quod qui à pluribus per diversos ministros, & famulos pauca subripit, infert grave damnum proprio Domino, & Reipublicæ, peccat que mortaliter, & restituere tenetur, vt diximus tom. 3. tract. 13. cap. 5. punct. 2. à num. 18. Et ideo damnavit Innocentius XI. propositionem 38. quæ sic se habet. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Cum ergo alias certum sit, quod eo modo, quo executores alicuius pravi operis peccant, mortaliter, aut venialiter, peccet similiter mandans, & inducens, iuxta decretum eiusdem Innocentij XI. damnantis sequentem propositionem ordine 39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* (Quia vere est principalis causa damni illati, & omnis eius causa, vt docet Divus Thomas 2.2. q. 62. art. 7. ad restitutionem tenetur.) Hinc provenit, quod, cum Dominus sit principalis dux, & motor illius gravis damni per famulos illati, & peccet mortaliter, & omnium primus ad restitutionem teneatur, vt diximus tom. 3. tract. 13. cap. 1. punct. 5. à num. 147. & cap. 5. punct. 2. à num. 18. & tract. 21. cap. 8. punct. 3. num. 34. At vero cum Dominus, quando famulis præcipit, vt in die festo singuli per modicum temporis laborent, nulli tertio gravem faciat iniuriam, nec impediat finem præcepti, sanctificandi scilicet festa, hinc est, quod nulla est ratio, vt dicamus ex illis servilibus, per modicum tempus exercitis, gravem materiam contra dictum præceptum consurgere. Vnde Dominus ea præcipiens peccabit venialiter, sicut & ipsi famuli exequentes peccant.

Quintum in ordine, & secundam Gonet

328 Ad quintam, & secundam Gonet rationem dicimus, quod ideo Saulus graviter peccavit, quando Stephanus à Iudæis lapidatus est; quia *Saulus autem*; vt dicitur cap. 7. Act. Apost. v. 59. *Erat consentiens nec ci eius.* Ac proinde ob mutuum consensum, & conspirationem ad mortem Divo Stephano inferendam, licet proprijs manibus non lapidaret, tamen *Ab ipso*, ait Divus Augustinus Serm. 1. de Sanctis, *Omnium lapidantium vestimenta servabantur, vt tanquam in manibus omnium ipse lapidare videretur.* Et ideo communiter dicunt Sacri Interpretes, maxime Cornelius, & Sylveira, quod Saulus indigne ferens, Stephanum cognatum, & condiscipulum suum à se, sua que lege, & doctrinæ schola defeciſſe; & invidens se ab eo eloquentia, sapientia, & miraculis superari, fuit dux, & choragus dictæ lapidationis, servando Iudæorum vestimenta, seu pallia, vt expeditius in eum lapides vibrarent, & eiacularentur. Vnde quid mirum, si graviter peccavit ad crudelissimam necem commovendo. At in nostro casu Dominus servis per modicum temporis laborare præcipiens, non concurrit ad gravem, sed levem diei festi violationem, & sic tantum venialiter peccabit.

net argumẽtum solvitur

§. II.

Qualiter necessitas laborantes in festo ab huius præcepti observatione excuset?

329 TErtia, & præcipua causa excusans laborantes in festo ab observatione huius præcepti est *necessitas*, vt dicitur in cap. *Conquestus*, de ferijs. Illis verbis. *Nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat.* In quibus licet loquatur de iudiciali strepitu, tamen eadem ratio militat in alijs operibus servilibus, vt ex se constat, & sequens ratio demonstrat. Nam præceptum sanctificandi festa per abstinentiam à servilibus est præceptum humanum; sed ab omni præcepto humano necessitas excusat: ergo excusat necessitas à præcepto abstinendi à servilibus. Tunc sic, sed non minus servilia sunt opera mechanica, quam iudicialia: ergo si caput illud supra relatum excusat à culpa ob necessitatem exercendi iudicialia, etiam excusabit ob necessitatem exercendi mechanica. Quapropter vniversaliter dicitur in cap. *Quod non est*, de regulis iuris lib. 5. Decretal. tit. 41. regula 4. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & Sabbathum custodiri præceptum est. Machabæi tamen sine culpa sua in Sabbatho pugnabant.* Et similiter loquitur caput *Remissionum*, 39. causa 1. q. 1. *Necessitas non habet legem, sed ipsa sibi facit legem.* Cum ergo Ecclesia nequeat suis legibus subditos cum gravi incommodo obligare, hinc est, quod dum adest gravis aliqua necessitas, lex tunc vim non habet, & ideo ab eius transgressione contra eius præceptum operans excusatur. Hæc communia sunt.

Necessitas excusat laborantes in festo.

330 Sed restat nunc videre, quæ necessitas sit, quæ à legis transgressione excuset? Cui

Doctrina Divi Tho-

mæ circa necessitatem, quæ in festis laborantes excusat.

Cui difficultati consonum duxi respondere verbis Angelici Præceptoris, qui 2.2. quæst. 122. art. 4. ad 3. explicans causas, quæ ob necessitatem ab huius præcepti transgressione excusant. Sic ait: *Quilibet autem tam servus, quam liber tenetur in necessarijs providere non tantum sibi, sed etiam proximo, præcipue quidem in his, quæ ad salutem corporis pertinent, secundum illud Prover. 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Secundario autem etiam in rerum damno vitando, secundum illud Deuteronomij 22. Non videbis bobem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo. Et ideo opus corporale pertinens ad conservandam salutem proprij corporis non violat Sabbathum. Non enim est contra observantiam Sabbathi, quod aliquis comedat, & alia huiusmodi faciat, quibus salus corporis conservatur. Et propter hoc Machabæi non polluerunt Sabbatum, pugnantes ad sui defensionem die Sabbathi, vt legitur 1. Machab. cap. 2. Similiter etiam nec Helias fugiens à facie Iezabel in die Sabbati. Et propter hoc etiam Dominus Matth. 12. excusat discipulos suos, qui colligebant spicas in die Sabbathi propter necessitatem, quam patiebantur. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, non est contra observantiam Sabbathi. Vnde dicitur Ioan. 7. Mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in Sabbatho. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbathum. Vnde dicit Dominus Matth. 12. Quis erit ex vobis homo, qui habet vnam ovem, & si ceciderit Sabbatho in foveam, non ne tenebit, & levabit eam?* Huc vsque Angelicus Doctor, in quibus verbis edocet, triplicem necessitatem excusare, servilia exercere in die festo. Prima est propriæ salutis necessitas. Secunda necessitas salutis corporalis proximi. Et tertia denique necessitas vitandi imminens damnum rei exterioris: ac proinde de his omnibus hic differendum est, & quæstiones circa eas difficiles resolvendæ.

Necessitas propriæ salutis excusat laborantes in festo.

331 Prima ergo necessitas, quæ iuxta Divum Thomam excusat à culpa exercentes servilia in festo, est *necessitas propriæ salutis*; scilicet quando ad propriam salutem conservandam, opus est opera servilia efficere; & iure optimo tunc excusat, quia alias hoc præceptum esset moraliter impossibile, & difficiliter observaretur; cum esset contra naturæ, & prudentiæ regulas. ¶ Vnde primò excusantur milites, qui ad propriam salutem conservandam in festis dimicant, aggeres ad id necessarios construunt, tormenta bellica parant, muros, ac repagula ædificant, arbores succidunt, terram effodiunt, & alia servilia ad id efficiunt. ¶ Secundò excusantur artifices, & pauperes, qui aliter se, suam que familiam decenter sustentare non valent. Monent tamen Doctores, debere officialibus hæc permitti, tum in evidenti, & indubitata necessitate, & solum tempore ad eam sublevandam necessario, audito tamen prius Sacro. Tum: quod hæc fiant secreto, ob scandalum vitandum. Sic Villalobos tom. 2. tract. 32. difficult. 4. num. 2. & 6. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 32. num. 2. Sanchez tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 15. Fagundez lib. 1. de Eccles. præcept. cap. 14. num. 7. Palaus tom. 2. tract. 9. disp. vnic. punct. 10. num. 3. Azor 2. part. lib. 1. cap. 28. quæst. 4. Trullench lib 3. in Decal. cap. 1. dub. 10. num. 10. Bonacina disp. 5. de 3. præcepto Decalogli quæst. vnic. punct. 3. num. 3. & alij apud ipsos communiter.

Honestum est in festo cibos præparare, & coquere.

332 Sed difficultas inter Doctores est: An sit licitum in die festo cibos ad comedendum præparare? Ad quod, omissis aliorum placitis, dicendum est primò: licitum esse, in die festo præparare eos cibos, qui ad sustentationem vitæ necessarij sunt. Quod constat primò ex cap. 12. Exod. v. 16. vbi de prima, & septima die festivitatis Azimorum dicitur: *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.* Ergo si Iudæis permittebatur in aliquibus diebus festis cibos coquere, quanto magis id Christianis erit licitum, cum lex nova sit lex filiorum, vetus vero servorum? ¶ Secundò: nam discipuli Christi ob necessitatem sustentationis vitæ, in Sabbato licite colligebant, & evellebant spicas: ergo & quilibet alius absque peccato poterit cibos præparare. ¶ Tertiò: Sicut dicitur in Regulis Iuris in 6. Regula 42. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Sed cibos coquere est necessarium ad sustentationem vitæ: ergo si excusat à peccato laborare ad vitam sustentandam, etiam excusabit laborare coquendo, & præparando cibos, quibus sustentanda est. ¶ Quartò: nam id expresse docet Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 4. vbi assignans differentiam inter Iudæorum Sabbatum, & Christianorum Dominicam sic ait: *Et ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die Sabbathi; sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbathi prohibebantur, sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi.* Ergo ex mente Divi Thomæ decoctio ciborum, qui ad sustentandam vitam necessarij sunt, licita est in die Dominica. Quapropter communiter Doctores sequentes Divum Thomam tenent: quod licet decoctio, & præparatio ciborum sint actiones mechanicæ, tamen honeste fiunt in die festo, vel ex præsumpta Ecclesiæ intentione, vel ex consuetudine ab initio nascentis Ecclesiæ recepta, vel denique ob necessitatem ad vitæ sustentationem. Sic Suarez num. 4. Fagundez num. 20. Filliucius tract. 27. in 3. Decal. præcept. num. 151. & alij communiter supra relati.

Licet in festo animalia occidere, & excoriare.

333 Ex prædicta conclusione sequitur primò: licitas esse in festo alias actiones serviles ad ciborum præparationem necessarias, quales sunt animalia occidere, & excoriare. Sed hoc intelligendum est, si die antecedenti animalia commode præparari non possunt, vt in magnis Civitatibus ob multitudinem concurrentium accidere solet; & ideo in oppidulis id communiter permitti non valet; quia die antecedenti præparari possunt animalia ad

ad victum necessaria: poterit tamen aliquando id permitti æstivo tempore, vel dum plures dies festi concurrunt, vt, pluribus relatis, tenent Sanchez in Consil. tom.2. lib. 5. cap.2. dub. 18. num. 6. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct.10. num.3. & alij.

Artocopi valent in festo pastillos facere.

334 Sequitur secundò: Artocopos posse in diebus festis artocreates, seu pastillos facere. Tum: quia, vt testatur Sanchez num. 3. obtinent à Romano Pontifice Bullam, in qua, exceptis quibusdam diebus solemnioribus, pastillos in festis facere, eis conceditur. Tum etiam: quia hic victus iam est ad communem cibum necessarius. Tum denique ratione vtilitatis Reipublicæ, & consuetudinis legitime introductæ. Ita Sotus lib.2. de Iustit.quæst.4. art. 4. vers. *Quarta causa.* Trullench in Decal. lib.3. cap.1.dub.10.num.8.

Pistores pos. sunt in festis panes coquere.

335 Sequitur tertiò: excusari à peccato Pistores, seu Furnarios, Hispane *los Panaderos*, qui die festo panes coquunt. Tum: quia licet aliquando panis die profesto coqui posset, tamen vel non est ita ad victum aptus; vel coctus non est sufficiens; vel quia est valde ad victum communem necessarius, & quælibet, vel minima eius penuria tumultus populorum commovet; vel denique: quia adest Romæ consuetudo faciendi, & coquendi in die festo panes, vt testatur Leander tract. 1. disp. 6. quæst. 19. Et ideo licet in die festo panes facere, & coquere, & consequenter ad id necessaria parare, vt farinam cribare, triticum terere, vel mola aquatili, aut alata, (de alio vero instrumento equis moto, vulgo *Atahona*, negat Palaus, nisi necessitas vrgeat, quia gravem laborem continet.) Dicta tenent Saa verb. *Festum*, num. 5. Ortiz in Sum. de 3. præcet. fol. 102. Pasqualigus decis. 293. à num. 2. Palaus num. 3. Leander loco allegato. Azor 2.part. lib.1. cap. 27. quæst.2. Et re ipsa hanc sententiam tenent Bonacina disp. 5. quæst. vnic. punct. 3. num. 9. & Sanchez num. 3. dum exigunt in Furnarijs, vt licite panes in festo coquant, vel festorum concursum, vel supervenientium egentium pane multitudinem, vel necessitatem, aut Reipublicæ vtilitatem; cum certum sit, quod aliqua ex his causis semper adest.

Agricolæ tempore messis, & vindemiæ possunt laborare.

336 Sequitur quartò: excusari agricolas, qui in festis tempore messis, & vindemiæ segetes metunt, & triturant; aut flante vento purgant grana; vel fructus, aut vbas colligunt; sive in horrea congregant, & fœnum ex pratis ad locum securum deferunt. Tum: quia hæc omnia ad communem victum, & ad vtilitatem Reipublicæ necessaria sunt. Tum etiam: quia communiter in dictis temporibus imminent tempestates, & probabiliter timetur grave damnum, tam proprijs, quàm alienis rebus imminens, & ob id Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3. laborantes excusat. Angelicum Doctorem sequuntur Sanchez num.10. Fagundez lib.1. cap.14. num.11. Suarez de Relig. tom. 1. lib.2.cap.32.num.3. Palaus allegatus num. 3. Sotus lib. 2. de Iustitia, quæst. 4. art. 4. ad 3. Barbosa in 2. lib. Decretal. cap. *Licet*, de Ferijs, num. 6. vbi ex eo quod Alexander III. ibi concedat, in festis, ingruente necessitate, capere, infert, id etiam honestare, segetes colligere. Id etiam tenent Saytus in Clavi Reg. lib.7. cap.2. num. 10. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 10. num. 10. Filliucius tract. 27. cap. 11. num. 211. & alij communiter. Vnde consequenter excusant relati Doctores ob consuetudinem, & parvitatem materiæ hortulanos olera in die festo rigantes; & potiori titulo agricolas, vbi sata fluviali aqua irrigant. Similiter excusant Trullench, & Fagundez agricolas, qui autumi tempore, ne occasio amittatur, triticum, & alios fructus seminant. Sed hoc consuetudine introductum non video maxime in veteri Castella, vbi ob copiam tritici, quod seminatur, videbatur sic fieri debere; & insuper quia ad ita agendum communiter necessitas non vrget: at vero quia forte in alijs Provincijs id necessarium est, dictam sententiam non damnamus.

Quid dicãt Doctores circa præparationem cibi non necessarij ad communem victum.

337 Dicendum est secundò: quod si cibi necessarij non sint ad communem victum, sed potius ad delectationem deserviunt, quales communiter sunt, qui ex saccharo condiuntur, tunc docet Palaus num. 3. etiam posse in die festo parari; quia consuetudine sic introductum est. E contra vero Sanchez num. 5. ait: esse peccatum mortale facere in festo sacchoro condita, vt Hispane *Mazapanes, Alcorzas, Confites, Conservas*, & illa deaurare, &c. licet gratis fiant; & refert pro hoc dicendi modo Alcocer in Sum. cap.17.

Media seligitur sententia.

338 Sed nos mediam tenentes viam, dicimus: quod si cibi, qui ex saccharo condiuntur, sint ex illis, quibus communiter sani, & infirmi promiscue vtuntur, & illis iam sunt vel ob necessitatem, aut vtilitatem quasi diurnus victus, quales sunt sacchartes, vulgò *Vizcochos*, & similia, tunc de eis philosophandum eodem modo est, ac de pane vsuali, & dicendum, quod si die profesto præparati commodiores, aut saniores non sunt, tunc in festis decoqui possunt, tum ob necessitatem, tum etiam ob parvitatem temporis, quod in eis insumitur. Si vero sit de alijs cibis saccharo conditis, qui antea præparari valent, & præcisè voluptati deserviunt, tunc dicendum est cum Sanchez, eos parare esse contra diei festi observantiam: nec audivimus, in hoc contrariam consuetudinem aliquando introductam esse, vel si forte viguit, dicenda est laxonum abusus. Inficias tamen non ibimus, quod si aliquando repente alicui nuntium lætum advenerit, v. g. electio ad Cathedram, aut quid simile, in quo consuetudo est ei gratulari, & in vrbanitatis signum omnes adventantes ad bibendum invitare, vt mos est Salmanticæ, tunc si sacchartes necessarij desint, poterunt alij etiam in festis decoqui; quia similis necessitas communis videtur, & alias præveniri non potest, nec in alium diem differri: sicut communiter Doctores permittunt, posse licite ob eandem causam vestes profunere diebus festis Sartores perficere.

Comedere, bibere, vestiri, & lavari licent in festis.

339 Ex dictis sequitur: quod comedere, bibere, vestiri, & lavari sunt opera in die festo licita. Et ratio est: quia comedere, bibere,

re, & vestiri non sunt opera nec servilia, nec liberalia: quia opus servile, & liberale debet in quantum tale per artem dirigi, vt indicat Divus Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3. quod non convenit actionibus comedendi, bibendi, & vestiendi, vt constat; & ideo sunt opera naturalia, non ab arte, sed à natura vnice procedentia, ad eius que conservationem necessaria; sed sola opera servilia in festo prohibentur: ergo actiones relatæ sunt in festis licitæ. Quod expressis verbis tradit Angelicus Doctor loco allegato dicens: *Et ideo opus corporale pertinens ad conservandam salutem proprij corporis non violat Sabbathum. Non enim est contra observantiam Sabbathi, quod aliquis comedat, aut alia huiusmodi faciat, quibus salus corporis conservatur.* Similiter loquitur de opere se labandi Divus Gregorius lib. 11. Epist. 3. & 4. relatus in cap. *Pervenit*, de consecrat. dist. 3. vbi contra nonnullos Ecclesiasticos prædicantes, non liceret die Dominico lavari corpora, sic ait: *Et quidem si pro luxuria, & pro voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus; si autem propter necessitatem corporis, hoc nec die Dominico prohibemus.* Ergo omnes supra relatæ actiones, vt pote naturales, licite in festis exerceri valent. Sic communiter Doctores, maxime Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 21. num. 2. & Filliucius tract. 27. cap. 9. num. 150.

§. III.

Idem assumptum continuatur.

Necessitas salutis proximi excusat laborantes in festo.

340 SEcunda necessitas, quæ iuxta Divum Thomam excusat à culpa laborantes in festo, est necessitas salutis corporalis proximi, iuxta illud Ioan. 7. v. 23. *Si circuncisionem accipit homo in Sabbato, vt non solvatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in Sabbato?* Et ideo virtute huius necessitatis omnes actiones serviles, quæ necessariæ sunt ad salutem corporalem proximi honeste in festis fiunt. Quapropter cum Pharisæi Matth. 12. v. 11. interrogarent Christum: *Si licet Sabbatis curare?* vt accusarent eum. Iesus videns nequitiam, & pravam eorum intelligentiam circa præceptum de non laborando in Sabbato, sic eos arguit, & evidenter concludit: *Quis erit ex vobis homo, qui habet ovem vnam, & si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam? Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere.* Hoc est quando charitas, & necessitas proximi id postulant; quia iuxta illud Divi Bernardi: *Quæ pro charitate inducta sunt, non debent contra charitatem militare.* ¶ Vnde excusantur à trangressione huius præcepti primo Chirurgi, qui in festis venas scindunt. ¶ Secundò Tonsores tondentes aliquos causa salutis. ¶ Tertiò Pharmacopolæ, qui medicinas parant. ¶ Quartò qui excoriant animalia, vt calentibus, & tepentibus pellibus infirmorum dolores leniantur. ¶ Denique quot quot infirmos curant, eis que inserviunt. Ita Toletus lib. 4. cap. 25. num. 3. Navarrus in Sum. cap. 13. num. 7. Sanchez tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 8. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 32. num. 6. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 10. num. 3. Bonacina disp. 5. punct. 3. num. 10. & alij communiter.

Quid dicendū de Barbitonsoribus.

341 Cum ergo barbam tondere, sit vel ad salutem necessarium, vel saltem ad corporis pulchritudinem, & decentiam vtile, & conducens, rogabis hic: An Barbitonsores possint in die festo barbas tondere? Non loquimur, quando Agricolæ petunt ad locum, vbi est Barbitonsor; quia tunc certum est, posse illis barbam radi ob necessitatem, & quia alio die commode accedere non possunt, ne operas suas cogantur deserere. Nec loquimur, quando Barbitonsor solet è contra diebus festis accedere ad tondendos Agricolas ad locum, in quo ipsi resident; quia tunc adest eadem necessitatis causa. Si vero Barbitonsor resideat in loco, vbi Agricolæ habitant, licet Sanchez tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 21. num. 6. dubitare videatur, tamen credimus, posse eorum barbas radere; quia alijs diebus commode id fieri non potest, tum ob penuriam Barbitonsorum; tum: quia suas operas deserere cogendi ob id non sunt; tum: quia adest iam consuetudo legitime introducta. Sic Pasqualigus decis. 289. num. 9. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 10. num. 14. Nec loquimur, quando vnam, aut alteram barbam radunt, quia excusantur ob materiæ parvitatem. Nec quando tondunt aliquem itinerantem, aut Peregrinum, vel qui celebraturus est nuptias, vel ovium Pastores; quia adest necessitas, & alias materiæ parvitas datur. In his omnibus casibus ob rationes allegatas conveniunt Auctores, excusari Barbitonsores, & eos, qui ab eis barbam radere postulant.

Posse Barbitonsores omnium barbas in festis radere, tenent nonnulli.

342 Vnde difficultas est de alijs hominibus promiscue ad suam officinam accedentibus, vel de Parrochianis, quos iam diu eorum barbas radere consueverunt: An hos tondere in festis liceat, quamvis ad hoc necessarium sit maiorem diei partem consumere? Prima sententia est affirmativa: quia credit adesse consuetudinem legitime ad id introductam; sed consuetudo legitime introducta potest abrogare præceptum de abstinentia à servilibus, sicut & alia Ecclesiastica præcepta: ergo vbi adest talis consuetudo licite Barbitonsores possunt capillos, & barbam in diebus festis radere. Sic Reginaldus lib. 19. n. 51. & Leander à Sanctissimo Sacramento tract. 1. disp. 6. quæst. 37. qui male refert Sayrum, & Filliucium, vt eos legenti constabit.

Verius est oppositum.

343 E contra vero secunda, & verior sententia negat, dari talem consuetudinem, & sic ob eam minime Barbitonsores excusari Sic Sanchez in Consil. loco cit. dub. 21. num. 1. & apud ipsum Toletus in Sum. Caietanus 2. 2. quæst. 122. art. 4. & alij. Et movetur ex eo, quod talis consuetudo nullibi est recepta, quin potius semper est reprehensa à Prælatis, Confessarijs, & viris doctis, imò & timorati Barbitonsores peccatum mortale in festo barbas ra-

radere, credunt: ergo talis consuetudo eos excusare non valet. ¶ Scio tamen, Quintana-Dueñas ad 1. Eccles. præcept. tr. 1. singul. 13. afferre decreta, in quibus Ordinarij Episcopatus Cordubensis, & Hispalensis concedunt, vt Barbitonsores in omnibus festis, exceptis tribus solemnioribus Paschatis Nativitatis, Resurectionis, & Pentecostes, possint audita prius Missa, & clausa vna ex duabus ianuis barbas radere. Sed hoc tantum probat in dictis Civitatibus licere, si modo tale decretum abrogatum non est.

Quas vestes possint Sartores in festis perficere? & quid de Sutoribus.

344 Rogabis iterum: An Sartores possint similiter diebus festis vestes conficere? Respondetur, quod nisi vrgeat necessitas conficiendi vestes pro aliquo funere, nuptijs, aut simili instanti causa, cui diebus profestis satisfacere non valuerint, non possunt in festis laborare; quia in allegatis casibus est moralis necessitas ad conficiendum tales vestes, quæ absque aliquo dedecore omitti non possunt: ergo est iusta causa eos excusans. Quod extendi valet ad casum, in quo aliquis advena, vel quicumque alius adveniat ad vrbem, & decentes vestes non habeat ad exeundum, proprijs que negotijs vacandum; quia decentia status laborantes excusat. Ita Layman lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 2. Diana part. 4. tract. 4. resol. 62. Pasqualigus decis. 290. num. 2. & 3. & Trullench lib. 3. cap. 1. dub. 10. num. 10. ¶ Nota, quod id, quod dictum est de Sartoribus, applicandum est Sutoribus.

Necessitas fugiendi damnũ imminens excusat laborantes in festo.

345 Tertia denique necessitas, quæ iuxta Divum Thomam excusat laborantes in festo, est necessitas *vitandi imminens damnum rei exterioris*. Vnde opera servilia, quæ ad grave damnum proprium, aut alienum vitandum necessaria sunt, licite in festo fieri possunt. Et ideo in die festo licet laborare ad extinguendum ignem domus accensæ; ad colligendas segetes, ne à flumine rapiantur; ad congregandas oves, ne ab hostibus expilentur, & similia.

Quomodo coactio excuset servos laborantes in festo.

346 Sed inquires primò: An famuli, & servi, qui in die festo à Dominis compellantur laborare, ob eorum indignationem, aut aliud grave damnum vitandum, excusentur à culpa? Ad quod respondemus: quod si ex quo famuli non obediant Dominis, timerent grave incommodum, v. g. vel quod à famulatu removerentur, vel domo excluderentur, vel alium Dominum, cui inservirent, de facile non invenirent, tunc laborando in festo à culpa excusarentur; quia cum tanto incommodo Mater Ecclesia fideles cogere non intendit. Si vero famuli, aut servi à Dominis coguntur laborare in contemptum festi, tunc nullo modo, etiam si mors immineat, debent laborare; quia bonum fidei, & religionis excedit temporale vitæ damnum. Sic Azor part. 2. lib. 1. cap. 28. quæst. 5. Caietanus in Sum. verb. *Festorum violatio*. Navarrus in Sum. cap. 13. num. 7. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 32. num. 4. Bonacina disp. 5. quæst. vnic. punct. 3. n. 16. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 10. num. 3. Fagundez lib. 1. de 5. Eccles. præcept. cap. 14. num. 15. Leander tract. 1. disp. 6. quæst. 23. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 2. dub. 18. num. 16. & alij extendentes hanc doctrinam ad vxores, & filios respectu mariti, & parentum.

Nota circa famulos stipendiarios, & liberos.

347 Notandum vero est cum Sanchez num 18. quod si famuli, vel sint addiscentes, vel vsque ad determinatum tempus obligati famulari, non tenentur tunc deserere Dominos, qui eos laborare in festis cogunt; quia vere hij grave damnum paterentur; at finito tempore designato debent ab eis discedere. Si vero sint famuli liberi, nec obligati ad serviendum, & alias alios Dominos in eodem loco possunt reperire, debent statim eos deserere, nisi prudenter credant, Dominos habere aliquam iustam causam ad laborandum in festis, quam adesse communiter credendum est, maxime si Domini sint timoratæ conscientiæ.

Quid dicendum de coquentibus vitrum, saponem, calcem, &c.

348 Vnde sequitur: quod ob necessitatem vitandi damnum rei exterioris excusantur primò Agricolæ, & Hortulani, qui diebus festis messes congregant, aut olera rigant, de quibus supra iam diximus. ¶ Secundò excusantur decolantes ferrum, & coquentes vitrum, saponem, calcem, tegulas, ollas, &c. si in festis opus inchoatum continuent; quia alias ex interruptione, grave eis damnum sequeretur. Non tamen excusantur, qui in festo inchoant coctionem calcis, laterum, & ollarum; quia horum coctio non exigit nisi duos, vel tres dies, & ideo in festis eam inchoare necesse non est. At è contra quia decoctio vitri, saponis, & decolatio ferri requirit plurium dierum continuationem, ideo ob grave damnum vitandum, aliquando in festis inchoari licebit; quia alias, vt ait Sanchez num. 21. talis ars esset damnosa, & impossibilis. Sic Sotus lib. 2. de Iustitia, & Iure, quæst. 4. art. 4. ad 3. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 10. num. 10. Navarrus in Sum. cap. 13. num. 7. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 32. num. 3. Fagundez lib. 1. cap. 14. num. 15. & Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 10. num. 3.

Sunt qui doceant, amissionem magni lucri excusare laborantes in festo.

349 Inquires secundò: An occasio acquirendi magnum lucrum, sit causa honestans, exercere in festo servilia? Affirmat prima sententia. Primò: quia amissio magni lucri reputatur grave damnum; sed ob grave damnum vitandum, diximus supra in hoc punct. posse servilia exerceri in festo: ergo etiam licitum erit ob magnum lucrum acquirendum servilia in festo exercere. ¶ Secundò: quia, vt supra in hoc cap. punct. 11. n. 241. vidimus, Summus Pontifex Alexander III. dispensavit alecia capere diebus Dominicis, & alijs festis (exceptis maioribus anni solemnitatibus) sed hoc absque dubio fit, ne, cum dicti pisces certis tantum anni temporibus se inclinent, piscatores hoc lucro priventur: ergo ob acquirendum magnum lucrum licet in festis laborare. Ita docent Caietanus in Sum. verb. *Festorum violatio*. Alcocer in Sum. cap. 13. Palacios in Sum. verb. *Festum*. Angelus verb. *Feria*, num. 34. Rosella ibi. Armilla verb. *Festum*, num. 20. quos omnes refert, & sequitur Sanchez in Consil. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 19. Tenent etiam Bonacina disp. 5. de 3. Decal.

præcept. quæst. vnic. punct. 3. num. 15. Clavis Regia, lib. 7. cap. 2. num. 10. Filliucius tract. 27. cap. 11. num. 222. exemplificantes hanc doctrinam in piscatione Thynnorum, & Alecium.

Contraria, & verior sententia eligitur.

350 Secunda, & verior sententia est negativa, docens: quod ob vtilitatem privatæ personæ, notabile que lucrum ab ea acquirendum, non potest in festo laborari. Et movetur primò ab inconvenienti. Nam si vera esset contraria sententia, nullus esset, qui non laboraret licite in festis, cum quilibet crederet, non parum lucri amittere, si eo die non laboraret; sed hoc esset vim præcepti eludere: ergo dicendum est, ob lucrum acquirendum illicitum esse laborare. ¶ Secundò: nam non acquirere lucrum non est idem, ac pati notabile damnum; quia hoc supponit ius vel ad conservandam rem, quæ propria est, aut licite possideri speratur; vel quod dictum ius, aut res timeatur pati posse notabile damnum; at acquirere lucrum est res contingens, & solum ad illam conari possumus, quando licite, & servatis omnibus circunstantijs acquiri valet: ergo licet ob vitandum notabile damnum possint fideles laborare in festo, non tamen ob acquirendum lucrum. ¶ Tertiò: quia licet honestum sit, laborare in festo ad acquirendum lucrum publicum, seu quod cedit in bonum Reipublicæ, non tamen ad acquirendum lucrum privatum; quia in primo adest necessitas, & vtilitas Reipublicæ, non vero in secundo: ergo ex quo Pontifex in dict. cap. *Licet*, de Ferijs, concesserit alecias in festo piscari ob vitandum damnum publicum, hinc non licet sumi argumentum, ad probandum, posse laborari in festo ob damnum privatum vitandum. Ita Abulensis in cap. 12. Exod. quæst. 23. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 33. num. 9. Sylvester verb. *Dominica*, quæst. 4. Reginaldus lib. 19. cap. 3. num. 51. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 10. num. 3. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 10. num. 14. Filliucius tract. 27. cap. 11. num. 123. & alij.

Argumenta contraria dissolvuntur.

351 Ad primum argumentum respondetur ex dictis, quod amissio magni lucri privati non reputatur notabile damnum emergens, cum sit contingens, & ad illud nullum ius habeant in festo fideles, sicut habent ad vitandum damnum emergens contra res proprias, aut id, ad quod saltem ius ad rem habent: ergo ob tale lucrum vitandum nequit laborare in festo, honestari. ¶ Ad secundum dicimus primò, ex eo aperte nostram probari sententiam, nam in dicto cap. Summus Pontifex dispensat ad laborandum in festo pro Aleciarum captione, ne, vt dicunt adversarij, amittant fideles magnum lucrum: ergo sine dispensatione Pontificis erat illicitum. Secundò: Ratio quare Summus Pontifex id permittit, non est, quam assignant adversarij, vitandi scilicet privatum lucrum, sed ob necessitatem Reipublicæ, & bonum commune illius; quia dicti pisces certo tantum tempore apparent, quo elapso, eorum piscatione, & vtilitate privantur homines, vt clarius constat ex verbis dicti capitis, vbi sic dicitur: *Indulgemus, vt liceat Parrochianis vestris diebus Dominicis, & alijs festis (præter quam in maioribus anni solemnitatibus) si Aleciæ terræ se inclinaverint, eorum captioni, ingruente necessitate, intendere.* Ergo ob necessitatem publicam, & non ob vitandum privatum damnum, id Summus Pontifex indulget, & ad omnes scrupulos vitandos, dispensat.

Quædã inferuntur ex dictis.

352 Vnde explodenda, & penitus vt improbabilis profliganda est sententia Tamburini lib. 4. cap. 2. §. 2. num. 7. asserentis probabilem esse, & ideo in conscientia tutam, sententiam aliquorum, qui docent: *Missam omitti posse sine culpa in die festo propter lucrum, quod tunc cessaret, si quis Missæ adesset.* Similiter reprobanda est alia eiusdem Doctoris sententia, dum tutam in conscientia censet §. 3. num. 9. aliorum opinionem affirmantium, prævisionem carentiæ Missæ non obstare quominus, quis proficiscatur venatum ad locum desertum, vbi ob penuriam Sacerdotis nequibit die festo Missam audire; cum in hac vtraque opinione temporale lucrum, & oblectamentum cultui divino, & Ecclesiastico præcepto de modo illum Deo tribuendi præseferat.

Qualiter ferrantes equos possint in festis laborare.

353 Inquires tertiò: An excusentur à peccato, qui in festis equos ferrant? Ad hoc breviter dicendum est: quod si equi sint iteragentium, licite possunt ferrari; quia alias grave damnum eis sequeretur, si vsque ad diem profestum expectandum esset. Idem dicendum est de illis, qui die sequenti profesto summo mane iter acturi, aut in agrum ad laborandum egressuri sunt; cum his etiam notabile damnum ex dilatione sequatur. Ita communiter Doctores. Si vero equi non sint eorum, qui eo die, vel sequenti summo mane iter inchoaturi sunt, aut egressuri sunt in agrum, tunc dicendum est, non licere in festis eos ferrare; quia nulla adest necessitas, quæ dictam actionem, quæ vere servilis est, excuset. Ita Navarrus in Sum. cap. 13. num. 6. Sotus de Iustit. lib. 2. quæst. 4. art. 4. Sylvester verb. *Dominica*, quæst. 5. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 2. dub. 18. num. 14. Trullench lib. 3. Decal. cap. 1. dub. 10. num. 9. Ioannes à Cruce in Sum. 1. part. de 3. præcept. art. 1. concl. 3. Sed si equi sint agricolarum, qui ad extraneum oppidum ad eos ferrandos accedunt, tunc in festo ferrari possunt, cum alio die eos ad ferrandum cogere, grave nimis eis esset: Sicut ob eandem rationem excusantur fabriferrari, qui diebus festis fractos egricolarum vomeres reficiunt, vt sic citius mane diei sequentis ad laborandum expediti sint.

Necessitas Reipublicæ excusat laborantes in festo.

354 Hic agere solent Auctores de necessitate publica, & inquirunt: An hæc necessitas excuset laborantes in festo? Ad quod respondetur: quod si causa publica sit honesta, & ad Reipublicæ lætitiam conducens, alias que præveniri non potuit, tunc licet in festis laborare; tum: quia necessitas particularis excusat: ergo & publica. Tum etiam: quia sic tenet vniversalis consuetudo à Prælatis tolerata: ergo licitum est. Vnde licite in festis laborare possunt officiales, & artifices, vestes, in-

instrumenta lætitiæ, publica artificia, Theatra, arcus quos triumphales vocant, & tabulata perficiendo, tum ob adventum Principis, vel eius ortum. Tum ob notitiam alicuius insignis victoriæ, ad quam festive celebrandam Torneamenta præparantur. Quam doctrinam extendit Sanchez lib. 5. Consil. cap. 2. dub. 18. num. 27. ad casum quando in festo recitanda est comædia, & apparatus ad illam commode præveniri non potuerunt. Idem docent Toletus in Sum. Trullench lib. 3. cap. 1. dub. 10. num. 9. & Paschaligus decis. 291. Et à fortiori extendere debent ad Taurorum agitationem, qui in nostra Hispania in signum cuiuscumque communis lætitiæ magno apparatu agitantur. Tum: quia signa vniversalis lætitiæ sunt Reipublicæ ad eius recreationem moraliter necessaria. Tum etiam: quia hæc sola frequenter in his Provincijs, semoto omni scrupulo, conscientiæ que remorsu vsitantur: nec alijs iucundius recreantur, & oblectantur Hispani. Principalem assertionem docent præter relatos Azor 2. part. lib. 1. cap. 28. quæst. 5. Bonacina disp. 5. punct. 3. num. 12. Fagundez lib. 1. de Eccles. præcept. cap. 14. num. 23. Trullench in Decal. lib. 3. cap. 1. dub. 10. num. 9. & Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 10. num. 3. Ex quibus aliqui optime docent, ad tollendos scrupulos, salubrius esse in his necessitatibus publicis, dispensationem ab Episcopo, si commode fieri potest, postulare.

Duo inferũtur ex dictis.

355 Ex hac conclusione sequitur excusari primò reficientes in festis fontes, & pontes, vias publicas, & alia huiusmodi, modo sine gravi incommodo differri non possit. ¶ Secundò excusantur qui laborant in providendo Rempublicam de necessarijs ad victum pro die festo quo ad eas res, quæ antea præveniri non possunt, vt Lanij, Artocopi, Furnarij, & similes, de quibus supra à num. 332. ad 335. inclusive.

§. IV.

Qualiter Pietas, & Dispensatio honestent servilia in festo.

Opera pietatis per se talia non violant festum.

356 QUartam causam, quam huius puncti initio diximus excusare à culpa laborantes in festo, est *pietas*, quæ quia potest esse vel pietas in Deum, vel in proximum, ideo de ea nonnulla egimus punct. 11. §. 4. dum de opere servili religioso differuimus, quare tantum ibi desiderata subijciemus. Huius causæ meminit Gregorius IX. in cap. *Conquæstus*, de Ferijs, vbi enumerans dies, in quibus strepitus iudiciales conquiescere debent, excipit duplicem causam dicens: *Nisi necessitas vrgeat, aut pietas suadeat.* Et explicans Glossa, quid nomine Pietatis ibi intelligatur, ait: *Puta causa debilium, & miserabilium personarum; quia in operibus misericordiæ dierum distinctio non est habenda. Argument. 76. dist. cap. Vtinam, & de consecrat. dist. 5. cap. Nunquam.* Et esto ibi, vt diximus punct. 13. §. 3. loquatur quo ad abstinentiam ab strepitu iudiciali, Doctores id extendunt ad opera vere servilia, & laboriosa, cum vtrobique eadem vrgeat ratio. Quaproter ob pietatem in proximum, excusantur sepelientes mortuos, vestientes nudos, curantus infirmos, & quæcumque alia opera ex se pia exercentes.

Opera pietatis per accidens, seclusa necessitate, festũ violant.

357 Dixi opera *ex se pia*, quia si solum sint pia per accidens, & ex ordinatione operantis, & alias per se sunt servilia, ea in festo exercere ex solo titulo pietatis non licet. Et ideo festum violant primo artifices, qui in festo operantur, vt inde eleëmosynas pauperibus erogent. ¶ Secundò, qui sola pietatis causa moti pro loco pio congregant lapides, & ligna. ¶ Tertiò, qui vias publicas pro viatoribus sternunt. ¶ Quartò, qui pro pauperibus vestes consuunt. Quapropter si vltra pietatis causam non adsit vlterius necessitas, hæc omnia servilia in festo exercere non licet. Et ratio omnium est: tum: quia in iure allegato solum conceditur, licere in festo opus iudiciale circa miserabilium causas, quod ex se servile non est, sed solum quia ab Ecclesia prohibebatur: vnde extendi non valet ad alia opera pietatis, si ex se sunt servilia. Tum etiam: quia cessante necessitate, omne opus religionis, vt pote superioris ordinis, est omni pietatis operi præferendum; sed abstinere à servilibus, provt hoc præcepto mandatur, est opus religionis: ergo cessante necessitatis causa, omni pietatis operi præferendum est. Tum denique: quia alias omnes artifices Reipublicæ possent laborare in die festo, vt ex lucro facerent eleëmosynam, quæ opus pietatis est; sed hoc est absurdum, & contra communem Ecclesiæ consuetudinem: ergo ex sola pietatis causa opera servilia exercere non licet. Quapropter tunc solum in festis licent opera misericordiæ, quæ ex se sunt servilia, quando eis pauperes, & infirmi in festo actu indigent; vel quando ita indigent, vt licet ex parte necessitatis satis illis esset, quod in die profesto provideretur, nihilominus si in die festo ea in eorum gratiam non fiant, sine remedio, & subsidio relinquerentur; quia nemò postea invenietur, qui in die profesto eis gratis subveniat, & ipsi stipendium non valent solvere alijs, qui mercede talia opera in diebus profestis exequi solent: quando ergo opera pietatis, & si servilia, sunt huiusmodi, licite in festo fiunt. Prædicta docent Sotus lib. 2. de Iustit. quæst. 4. art. 4. ad 3. Abulensis cap. 12. Exod. quæst. 4. Navarrus in Sum. cap. 13. num. 4. & 20. Azor 2. part. lib. 1. cap. 28. quæst. 4. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 27. num. 14. & 15. Lopez 1. part. instruct. cap. 52. Palaus tract. 9. disp. vnic. punct. 10. num. 2. referens Rodriguez, Caietanum, & Reginaldum. Idem tenent Sanchez tom. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 23. num. 3. Bonacina disp. in 3. Decalog. præcept. punct. 3. num. 7. Diana part. 4. tract. 4. resol. 177. & alij communiter, vno, vel altero excepto.

Dispensatio Superioris excusat laborantes in festis.

358 Quinta, & vltima causa excusans à culpa operantes servilia in festo, est legitima Superiorum dispensatio; quia cum hæc sit, vt tract. 11. cap. 5. punct. 1. num. 1. huius cursus diffinitur, *Iuris alicuius relaxatio ab ha-*

bente legitimam poteſtatem facta. Hoc ipſo quod detur, liberat à legis obligatione circa illam actionem, ad quam datur talis diſpenſatio. Hæc communia ſunt, & ſi quæ alia circa diviſionem, & conditionem diſpenſationis velit ſcire Lector, conſulat hunc Curſum cap. 5. allegato.

In quibus Superioribus adſit poteſtas diſpenſandi.

359 Solum difficultas in præſenti eſt, in quibus Superioribus adſit poteſtas ad diſpenſandum in præcepto abſtinendi in feſtis à ſervilibus? Ad quam dicendum eſt, ex dictis tract. 11. cap. 5. punct. 4. n. 30. quod poteſtas diſpenſandi in feſtis adeſt primo in Summo Pontifice, quia cum ſit Supremus Eccleſiæ Paſtor, & Legislator in omnibus legibus Canonicis, & Eccleſiaſticis diſpenſare poteſt, & conſequenter in omnibus feſtivitatibus, ſive ex iure Synodali, ſive communi, & pro tota Eccleſia latis valet diſpenſare, licentiam concedendo, vt in eis ſervilia fideles operari valeant. Secundò reſidet dicta poteſtas in Epiſcopis non ſolum in ordine ad feſta Synodalia, vt conſtat, verum etiam in ordine ad feſta generalia, & vniverſalis Eccleſiæ. Et ratio eſt: quia hæc poteſtas eſt moraliter neceſſaria ad ordinarium regimen animarum pro caſibus repentinis, & extraordinarie occurrentibus, in quibus Superiorem adire fideles non poſſunt: ergo de facto à Summo Pontifice talem poteſtatem habent. ¶ Nota tamen primò iuxta dicta tract. 11. cap. 5. punct. 6. §. 2. à num. 70. quod ſi Epiſcopus ſine iuſta cauſa diſpenſat in feſtis iure communi latis, peccat, & diſpenſatio eſt nulla; at vero ſi diſpenſet in feſtis Synodalibus, eſt valida, & ſine mortali culpa. Videantur ibi dicta n. 66. ¶ Nota ſecundò: quod nomine Epiſcopi intelliguntur omnes Prælati Regulares, v. g. Generales, Provinciales, Priores, Abbates, Miniſtri, &c. & Capitulum Sede vacante, qui omnes non ſolum cum Religioſis ſibi ſubditis, ſed etiam cum eorum domeſticis diſpenſare poſſunt, vt in feſtis laborent. ¶ Reſidet tertiò dicta poteſtas in Parrocho, & Paſtore loci, quando vrget caſus, & Superior Epiſcopus adiri non poteſt; quia hoc ad bonum Eccleſiæ regimen neceſſario requiritur. ¶ Nota tamen: quod Parrochus hanc diſpenſationem ſolum concedere valet pro aliquo particulari caſu, & ad tempus; ſi enim neceſſaria eſſet diuturna, & ſtabilis facultas, Epiſcopus conſulendus eſt. Dicta tenent Caietanus 2. 2. quæſt. 122. art. 4. verſ. *In ſeptimo caſu.* Sotus lib. 2. de Iuſt. quæſt. 4. art. 4. Navarrus cap. 13. num. 8. Sanchez tom. 2. Conſil. lib. 5. cap. 2. dub. 20. num. 6. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 33. num. 2. Palaus tract. 9. diſp. vnic. punct. 10. num. 5. Fagundez lib. 1. de 1. Eccleſ. præcept. cap. 14. num. 27. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 1. dub. 10. num. 12. & Azor 2. part. lib. 1. cap. 28. quæſt. 5. & 6. ¶ De cauſis ſufficientibus ad diſpenſandum egimus tom. 3. huius Curſus, tract. 11. cap. 5. punct. 6. à num. 73. videantur ibi dicta, quæ facile huic materiæ applicari valent.

Conſuetudo excuſat laborantes in feſto.

360 Aliam cauſam excuſantem à culpa ſolent hic aſsignare aliqui Doctores, nempe conſuetudinem legitime introductam, ſed de hac nulla poteſt eſſe controverſia iuxta communem doctrinam ſtabilitam tract. 11. de legib. cap. 5. punct. 4. num. 39. vbi diximus, effectum ſecundarium conſuetudinis eſſe legem humanam præexiſtentem contrariam abrogare; ſed ſi alias leges conſuetudo valet abrogare, nulla eſt ratio, quare hanc legem de abſtinentia à ſervilibus conſuetudo contraria abrogare non poſsit: ergo legitima conſuetudine abrogari poteſt. Vnde ob hanc conſuetudinem Piſcatores, Venatores, Pictores, & Barbitonſores ſolent in aliquibus locis excuſari à peccato, & ſi in feſto laborent, vt iam ſupra dictum eſt. Videantur Caietanus in Sum. verb. *Feſtorum violatio.* Sotus de Iuſt. lib. 2. quæſt. 4. art. 4. Navarrus cap. 13. num. 8. Divus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 7. §. 1. & Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 33. num. 12.

CAP. II.

De Ieiunio.

Dicendorum ratio.

CUm tertium Decalogi præceptum ſit quo ad temporis, & cultus determinationem abſolute Eccleſiaſticum, vt cap. præcedenti vidimus, ideo ſolent Doctores hic agere de alijs quatuor Eccleſiæ præceptis: quorum morem & nos gerentes, hic etiam de eis differere eligimus, tum ne maiorum veſtigia prætermittamus; tum etiam: quia cum de eis iam plura in hoc noſtro Morali Curſu dixerimus, ea, quæ deſiderantur, nequeunt ſufficientem præbere materiam, vt ſeorſim in diverſo Tomo explicentur; quare hic ea inſerere, oportunum, imò & neceſſarium duximus. Cæterum: quia de primò Eccleſiæ præcepto, ſcilicet *de audiendo Miſſam diebus feſtis*, egimus cap. antecedenti, & tom. 1. tract. 5. cap. 6. Et de ſecundò nempe *de annua confeſsione*, tractavimus abunde tom. 1. tract. 6. cap. 6. vſque ad 14. incluſive. Et de tertiò nimirum *de ſumenda Euchariſtia in Paſchate*, diſſeruimus in eodem tom. 1. tract. 4. maxime cap. 8. hic ſolum reſtat explicare quartum, & quintum Eccleſiæ præceptum, ſcilicet *de Ieiunio*, & *Decimis*, quod duobus ſequentibus capitibus perficere curabimus.

Caput hoc continet ſeptem puncta.

Cap. II. DE *Ieiunio.*

Punct. I. *De eſſentia, diviſione, & obligatione præcepti ieunij Eccleſiaſtici*, num. 1.

PUN-

Punct. II. *De abstinentia à carnibus, & & lacticinijs*, num. 14.
§. I. *Qui cibi sub nomine abstinentiæ à carnibus ab Ecclesia prohibeantur: & qualiter peccent eas comedentes?* num. 14.
§. II. *De abstinentia à lacticinijs.* num. 32.
Punct. III. *De vnica refectione; vbi de Collatione serotina*, num. 42.
§. I. *Qualiter vnica refectio ad ieiunij formam requiratur?* num. 42.
§. II. *An potus ieiunium solvat?* n. 55.
§. III. *De Collatione serotina, seu Cænula*, num. 70.
Punct. IV. *De hora refectioni in die ieiunij destinata*, num. 84.
Punct. V. *Quibus diebus obliget præceptum ieiunij Ecclesiastici, & abstinentiæ à carnibus? Vbi de hora, qua incipit, & finitur dies ieiunij.* n. 91.
§. I. *Assignantur dies, in quibus fideles ieiunare tenentur*, num. 91.
§. II. *Quando sola abstinentia à carnibus obligat?* num. 100.
§. III. *Qua hora incipiat, & finiatur obligatio ieiunij, & abstinentiæ?* num. 111.
Punct. VI. *Qui teneantur ad ieiunij præceptum?* num. 117.
Punct. VII. *Qui à præcepto ieiunij Ecclesiastici liberentur?* num. 124.
§. I. *Qualiter impotentia fideles à ieiunij Ecclesiastici obligatione eximat?* num. 124.
§. II. *Quos labor corporalis à ieiunio excuset?* num. 134.
§. III. *Qui ex motivo pietatis à ieiunio excusentur?* num. 142.
§. IV. *Quomodo dispensatio à ieiunio deobliget? Vbi de privilegijs Regularium circa hanc materiam.* n. 154.

PUNCT. I.

De essentia, divisione, & obligatione præcepti Ieiunij Ecclesiastici.

Quotuplex sit ieiunium declaratur.

1 IEiunium iuxta Panormitanum in *Rubric. de observat. ieiunij*, & Sylvestrum, verbo *Ieiunium*, dicitur à quodam intestino sic vocato, eo quod vt plurimum vacuum, & exinanitum sit: cum ergo ieiunium ex se viscera vacua, & exinanita relinquat, nil mirum, si inde nomen acceperit. Quadruplex ieiunium distinguunt Doctores. Primum est *Spirituale*: hoc est, abstinere à vitijs, iuxta illud Isaiæ 58. *Non ne magis hoc est ieiunium, quod elegi. Dissolve colligationes impietatis.* Et in hoc sensu dixit Divus Hieronymus cap. 17. in Matth. *Ieiunium est non solum ab escis, sed à cunctis illecebris abstinere.* Et licet à Divo Augustino relato in cap. *Ieiunium de Consecrat. dist* 5. appelletur *Ieiunium magnum*; tamen metaphoricum est, & improprium. ¶ Secundum est ieiunium *Naturæ*, scilicet abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu, quod iuxta Augustinum epist. 118. Spiritu Sancti instintu præcipitur sumpturis Dominicum corpus; & de eo egimus, tom. 1. tract. 4. cap. 7. punct. 4. à num. 65. ¶ Tertium est ieiunium *Virtutis*, seu *Morale*, nimirum abstinentia à cibo, & potu iuxta temperantiæ regulas: nam cum sint variæ hominum complexiones, variæ que locorum, & ciborum diversitates, nequit temperantiæ virtus determinare certum pondus in cibo, & potu ad hoc ieiunium necessarijs, sed admittit in se quamdam latitudinem, cum id, quod ad debitam vnius valetudinem, & vitam est sufficiens, ad valetudinem alterius insufficiens sit. Quare dum conformiter ad vniuscuiusque naturam cibus, & potus sumuntur, & si id pluries in die fiat, dummodo temperantiæ meta non transgrediatur, dicitur ieiunium *virtutis*, seu *morale*.

Quid sit ieiunium Ecclesiasticum ostenditur.

2 Quartum, & vltimum ieiunium dicitur *Ecclesiasticum*, & de hoc communiter vox ieiunij accipitur, definitur que dicendo, quod est *Parsimonia victus, abstinentia que ciborum iuxta formam ab Ecclesia præscriptam.* Sic colligitur ex Divo Isidoro relato à Divo Thoma 2. 2. quæst. 147. art. 2. in argument. *Sed contra.* Et ex eodem Angelico Doctore ibi, & art. 3. in corpore. Et de hoc ieiunio in præsenti agendum est. Vnde.

Ieiunium est actus virtutis abstinentiæ, magni que meriti apud Deum.

3 Rogabis primò: An hoc *Ecclesiasticum ieiunium* sit virtutis abstinentiæ actus, & consequenter quid honestum, & magni meriti apud Deum? Respondetur affirmative cum communi Catholicorom sententia. Et ratio est: quia omnis actus virtuosus ad eam virtutem pertinet, quæ ponit medium in materia talis actus; sed in materia ciborum, circa quam versatur ieiunium, ponit medium abstinentia: ergo est huius virtutis actus. Tum sic: sed actus virtutis est quid honestum, magni

que

que meriti apud Deum: ergo talis est actus ieiunij. Quæ ratio est adeò efficax, vt contrarium solum teneant hi, qui proprijs indulgent vitijs. ¶ Deinde ostendi potest nostra conclusio exemplis S. Paginæ. Quid enim tres Hebræorum pueros de fornace ignis, & Danielem de ore Leonum victores reddit, nisi ieiunij virtus? Daniel. 3. & 10. Quid autem Eliam ad Paradysum curru igneo evexit, nisi dierum quadraginta abstinentia? 3. Reg. 17. Deinde Ana Prophetisa laudatur à Divo Luca cap. 2. quod non discedebat de templo ieiunijs, & obsecrationibus serviens die, ac nocte. Et quoddam Dœmoniorum genus, docet Christus Matth. 17. quod non ejicitur nisi in oratione, & ieiunio. Et denique, vt probat Divus Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 1. ieiunium habet vim primò ad concupiscentias carnis reprimendas, iuxta illud Divi Hieronymi lib. 2. contra Iovinianum: *Sine Cerere, & Baccho friget Venus.* Secundò ad divina contemplanda: vnde Daniel 10. post ieiunium trium Hebdomadarum revelationem accepit à Deo. Tertiò ad satisfaciendum pro peccatis, iuxta illud Ioel 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, in fletu, & planctu.* Ergo est quid honestum, & actus virtutis, magni que apud Deum meriti. Ita Divus Hieronymus lib. 2. contra Iovinianum. Divus Ambrosius lib. de Elia, & Ieiunio. Divus Thomas loco cit. quem omnes Catholici sequuntur.

Contraria Hæretico-rum argumenta.

4 Sed contra dicta oblatrant Iovinianus, Vvaldenses, Vbiclephistæ, Luterani, alij que Hæretici docentes, delectum ciborum, & Ecclesiasticum ieiunium inutile, nullius que meriti apud Deum esse. Et suadere hoc conantur primò: nam, vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est*: Ergo & ciborum abstinentia. ¶ Secundò: quia, vt ait Christus Matth. 15. v. 11. *Non quod intrat per os coinquinat hominem.* ¶ Tertiò: etenim iuxta Apostolum 1. ad Corinth. cap. 10. v. 25. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*: Ergo, &c. ¶ Quartò: idem Apostolus 1. ad Timoth. cap. 4. v. 1. docet: quod *in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dœmoniorum... prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs, qui cognoverunt veritatem.* Ergo hæreticum est ieiunare ab aliquibus cibis. ¶ Quintò: nam Catholici instituunt ieiunium ad refrænandas carnis concupiscentias; sed ad hoc magis conducit abstinentia tum à vino, quia Proverb. 20. v. 1. dicitur: *Luxuriosa res, vinum.* Tum ab aliquibus piscibus laute præparatis, qui valde appetitum excitant: tum denique à lacte, & ovis, quam ab aliquibus carnibus, maxime vilibus, fumo que exsiccatis: ergo ridiculum est, ieiunia instituere, & observare.

Argumentorum solutio.

5 Sed hæc non impugnant, quin potius Catholicam confirmant sententiam. Vnde ad primum respondetur: quod vel non loquitur Apostolus de exercitatione corporali ieiunij, vt sentit Theophilatus; vel si de ea loquitur, solum vult dicere, vt ex contextu patet, quod deficiente pietate, ad modicum vtilis est talis mortificatio. Sic Divus Ambrosius. ¶ Ad secundum dicimus: Christum Dominum solum velle impugnare illis verbis stultitiam Pharisæorum existimantium, tum aliquos cibos ex natura sua esse immundos; tum alios animam coinquinare, si non lotis manibus manducentur. Minime vero approbat, quod si cibi, iuste à Superiore vetiti, comedantur, aut non veritis homo ingurgitetur, eius anima non coinquinetur, cum tunc operetur contra virtutem obedientiæ, aut temperantiæ. ¶ Ad tertium respondetur: quod Apostolus tantum præcipit, vt fideles absque scrupulo comedant carnes, quæ in macello communiter, & promiscue veneunt, & si forte sint ex his, quæ Idolis fuerunt consecratæ. Et hoc Apostoli decretum secuti sunt Antiocheni, dum Iulianus Apostata eos per Idolothyta ad idololatriam quasi cogere voluit, sacrificans prius Idolis omnia esculenta, & poculenta, quæ in macello, & foro emenda exponebantur, vt refert Theodoretus lib. 1. cap. 14. ¶ Ad quartum dicimus: quod loquitur Apostolus contra Saturninum, Ebionem, & alios Hæreticos contendentes nuptias, vinum, carnes, &c. non esse à Deo bono, sed à malo, scilicet à Diabolo, creata, ac proinde esse mala à natura, eorum que esu coinquinari homines. Loquitur etiam contra Manichæos prohibentes carnes edere, quia credebant, animalium animas simul occidere, & comedere, reos que esse animæcidij, vt refert Epiphanius hæres. 66. Quæ omnia longe distant à motivo observationis ieiunij, quod Catholici instituerunt. ¶ Ad quintum sic respondet Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 147. art. 8. *Ad 1. ergo dicendum, quod ad actum generationis tria concurrunt, scilicet calor, spiritus, & humor. Ad calorem quidem maxime cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus. Ad spiritum videntur cooperari insuflativa, sed ad humorem maxime cooperatur esus carnium, ex quibus multum de alimento generatur. Alteratio autem caloris, & multiplicatio spirituum cito transit, sed substantia humoris diu manet. Et ideo magis interdicitur ieiunantibus esus carnium, quam vini, vel leguminum, quæ sunt insuflativa.* Sic Divus Thomas, quid quid in contrarium doceat Caramuel 1. part. Theolog. Fundament. fundamento 17. num. 469. pag. mihi, 225. ¶ Ad id, quod additur, respondetur ex eodem Angelico Magistro ad 2. quod Ecclesia ieiunium instituens attendit, quod communiter accidit, non vero ad ea, quæ fiunt per accidens; caro vero communiter delectabilior est omni esu piscium, & ideo ab Ecclesia in diebus ieiunij prohibetur.

Datur præceptum de Ecclesiastico ieiunio observando.

6 Rogabis secundò: An detur Ecclesiæ præceptum, & sit licitum, de ieiunio in aliquo anni tempore observando? Aerius, Erasmus, & alij hæretici, licet credant ieiunium honestum esse, virtutis que actum, negant tamen posse licite aliqua lege, seu præcepto fideles ad

ad illud certo tempore compelli, sed id vniuscuiusque arbitrio relinquendum esse : *Quia tristia sunt ieiunia* (ait Erasmus) *quæ præscribit lex, & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem datorem.* ¶ Sed contra hunc errorem stant in primis & immediate dicta, & auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ in diversis Iuris Canonici textibus sub præcepto ieiunium certis anni temporibus indicit, vt infra punct. 5. §. 1. num. 91. agentes de tempore, in quo Ecclesiastica ieiunia obligant, dicemus. ¶ Vlterius : quia, vt dicitur 1. Reg. cap. 15. v. 22. *Melior est enim obedientia, quam victimæ.* Ergo melius est ieiunium ex obedientia, quam ex propria voluntate. Patet consequentia: quia qui sponte ieiunat, solum ieiunij meritum habet, qui vero ex legis præcepto ieiunat, habet vlterius obedientiæ meritum : ergo melius est ieiunare ex legis præcepto, quam ex propria voluntate. ¶ Præterea : quia si Erasmi cabillus teneret, everteret, & inutilem redderet auctoritatem Superiorum omnium ad leges condendas, cum non essent de re meliori. ¶ Deinde : quia, vt probavimus tom. 4. tract. 17. cap. 1. punct. 2. num. 32. res aliàs præcepta potest licite iterum præcipi, & esse materia voti : ergo quia melius est operari, & ieiunare ex præcepto Ecclesiæ, quam ex proprio vniuscuiusque arbitrio. ¶ Denique : quoniam sicut ad sæculares Principes pertinet tradere præcepta necessaria ad bonum commune Reipublicæ, ita ad Ecclesiasticos Principes attinet, tradere præcepta de his, quæ necessaria sunt ad subditorum spiritualem salutem ; sed ieiunium est necessarium ad salutem spiritualem subditorum, vt supra vidimus, & insuper tradit Divus Augustinus tom. 10. Serm. 230. de Tempore, fol. mihi, 375. his verbis : *Ieiunium purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit. Ieiunium verbositatem non amat, divitias superfluitatem iudicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, &c.* Ergo licite præcipi debet, & de facto ab Ecclesia certis anni temporibus præcipitur, vt infra patebit. Huc vsque dicta docent Divus Thomas locis allegatis. Covarrubias lib. 4. Var. cap. 20. num. 15. Castro lib. 4. adversus Hæreses, verb. *Cibus*, pag. 151. Azor 1. part. lib. 7. cap. 10. quæst. 1. Bellarminus tom. 4. lib. 2. de bonis Operib. cap. 7. Ricardus in 4. dist. 15. art. 3. quæst. 5. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 2. num. 2. Barbosa Collect. Doct. in 1. part. Decret. dist. 4. cap. *Statuimus*, num. 3. & cap. *Denique*, num. 1. Medina de Ieiunio, quæst. 2. Læsius de Iust. & Iure, lib. 4. cap. 2. dubit. 10. & 11.

Præceptum ieiunij est principaliter affirmativum, & secũdario negativum.

7 Rogabis tertiò : An ieiunij præceptum sit affirmativum ? Negant Maior in 4. dist. 15. quæst. 6. Montesinos 1. 2. art. 2. quæst. 4. num. 47. Sylvester verb. *Ieiunium*, num. 22. Navarra de Restitut. cap. 1. num. 25. & moventur : quia ieiunium importat negationem vescendi carnibus, & non comedendi nisi semel in die, nec ante horam designatam : ergo est negativum. ¶ Affirmant vero, & probabilius Bassæus verb. *Ieiunium*, 1. num. 10. Fagundez in 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 4. num. 5. & 6. Bonacina de Eccles. præcept. disp. vlt. quæst. 1. punct. 3. num. 7. Trullench in Decal. lib. 3. cap. 1. dub. 10. num. 4. & alij infra allegandi num. 29. Et ratio est : quia præceptum ieiunij præcipit primo, & per se victus parsimoniam, vnicam comestionem, & ciborum delectum ; sed hæc positiva sunt: ergo est affirmativum. Cæterum, quia ex consequenti præcipit negationes supra à Contrarijs relatas, ideo secundum quid negativum dici valet, & in hoc sensu forte loquuntur Doctores allegati. Videantur infra dicenda num. 29. & in hac acceptione diximus tract. 13. huius Cursus, cap. 1. num. 5. hoc præceptum esse negativum.

Tria requiruntur ad formam ieiunij ; abstinétia à carnibus, vnica refectio, & tempus refectioni determinatũ.

8 Rogabis quartò : Quæ requirantur ex præcepto Ecclesiæ ad formam observandam ieiunij Ecclesiastici ? Respondetur quod ad formam ieiunij Ecclesiastici iuxta Ecclesiæ præceptum tria requiruntur : primò abstinentia à carnibus, & insuper in Quadragesima ab ovis, & lacticinijs ; secundò vnica refectio ; & tertiò tempus refectioni determinatum. ¶ Primum colligitur tum ex cap. de *Esu carnium*, dist. 3. *de Consecrat.* vbi cum quæsitum esset à Leone Papa IV. quibus diebus abstinendum esset à carnibus ? Respondet : quod iuxta vetustissimam, & non improbandam traditionem, ieiunandum, & abstinendum à carnibus feria quarta, & sexta ab initio noctis præcedentis vsque in sequentem diem. Tum ex cap. *Satuimus*, dist. 4. vbi præcipitur: *Vt septem hebdomadas plenas ante Sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne ieiunent.* Tum denique ex cap. *Denique*, eadem dist. 4. vbi Gregorius I. scribens Augustino Anglorum Episcopo, sic ait : *Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis, &c. Cæterum piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium.* Verum hæc à lacticinijs abstinentia iam solum in Quadragesima observatur. ¶ Secundum, scilicet vnica comestio, constat ex consuetudine populi Christiani, vt punct. 3. §. 1. dicemus. ¶ Tertium denique, videlicet tempus refectioni determinatum, colligitur ex cap. *Solent plures*, de Consecrat. dist. 1. in quo licet hora nona, idest tertia post meridiem, ad ieiunium solvendum assignetur, vt dicunt Divus Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 7. Barbosa ad dict. cap. *Solent*, Covarrubias lib. 4. Var. cap. 20. num. 14. & Azor part. 1. lib. 7. cap. 4. quæst. 2. tamen iam contraria consuetudine hora sexta fit, idest paulò post meridiem, vt prædicti Doctores sentiunt.

Qualiter prædicta ad formã ieiunij concurrant.

9 Sed hic insurgit non levis difficultas: An hæc tria, quæ ad formam ieiunij Ecclesiastici exigit Ecclesia, sint de essentia ieiunij ; an vero aliquod eorum accidentaliter ei conveniat ? Ad quod dicimus : duo priora, scilicet abstinentiam à carnibus, & vnicam comestionem, esse de essentia ieiunij ; determina-

nationem vero horæ refectionis esse quid accidentale. ¶ Prima pars constat: nam illud est de essentia ieiunij Ecclesiastici, quo ablato, non manet ieiunium; sed ablata abstinentia à carnibus, aut vnica refectione, non manet ieiunium Ecclesiasticum: ergo vtrumque est de illius essentia. Sed licet hæc ita sint, tamen abstinentia à carnibus est principalis pars ieiunij; vnica vero comestio est minus principalis, vt advertunt Doctores; quia illa magis conducit ad inordinatas concupiscentias refrænandas, mentem que in Deum elevandam. Sic Azor 1. part. lib. 7. cap. 9. quæst. 1. & 3. Sanchez tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 28. num. 2. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 7. Fagundez de 4. præcept. Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 3. Villalobos part. 1. tract. 23. difficult. 1. Ledesma 2. part. tract. 27. cap. 2. Diana 1. part. tract. 9. resol. 1. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 2. & 5. ¶ Secunda pars etiam liquet: quia hora solvendi ieiunium magnam habuit in Ecclesia variationem, cum antiquitus esset hora nona, & nunc sit hora sexta: ergo non est de essentia ieiunij; quia variatis his, quæ sunt de essentia alicuius rei, necessarium est, quod varietur eius essentia.

Quædã obiectio, & eius solutio.

10 Sed contra hoc obijcies: quia in cap. *Solent*, supra relato dicitur: *Nullatenus ieiunare credendi sunt, qui ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium.* Ergo determinatio temporis ad refectionem in die ieiunij est de essentia ipsius. Deinde Divus Thomas in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 4. quæstiuncul. 3. sic ait: *Sicut dictum est, ille ieiunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat. Vnde cum Ecclesia instituit certum tempus comedendi ieiunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, ieiunium solvit.* Ergo iuxta Divum Thomam notabilis mutatio temporis refectioni designati est contra essentiam ieiunij. ¶ Sed ad hæc respondet Layman: quod licet tempore Divi Thomæ, quando adhuc observabatur illud decretum Concilij Calcedonensis relatum in cap. *Solent*, esset contra substantiam ieiunij, & consequenter peccatum mortale, notabiliter anticipare horam designatam ad ieiunium solvendum; at postquam Ecclesiæ consuetudo horam nonam in sextam commutavit, non iam pertinet ad ieiunij substantiam hora ad prandendum determinata, sed censenda est quid accidentale; ac proinde eius anticipatio tantum culpa venialis erit. Et pro hoc dicendi modo refert Ricardum in 4. dub. 15. art. 3. quæst. 8. & Vivaldum cap. 25. de Quadrages. Ieiun. num. 59.

Præceptum de observandis Ecclesiasticis ieiunijs obligat sub mortali.

11 Rogabis quintò: Qualiter obliget præceptum de ieiunio Ecclesiastico servando? Respondetur cum iam omnino certa sententia: quod obligat graviter, & si non frangatur dictum præceptum ex motivo inobedientiæ. Quod suadetur primò: quia est vnum ex præceptis Ecclesiæ, quæ iuxta omnes graviter obligant. ¶ Secundò: quia materia illius ex se gravis est, valde que ad spiritualem animæ profectum conducens. ¶ Tertiò: quia Concilium Gangrense ante annos 1200. Can. 19. ait: *Siquis ieiunia, quæ communiter ab Ecclesia custodiuntur, dissolvat, anathema sit.* Vnde Divus Ambrosius Serm. 25. ait: *Si ignorans Ionathas indictum à Patre ieiunium, quia resolverit, morti addicitur, qui sciens à Christo indictum resolvit, quid meretur.* ¶ Quartò: quoniam ita definitur ab Alexandro VII. in propositione 23. ab ipso damnata, quæ ita se habet: *Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult, se subijcere præcepto.* Ergo contrarius dicendi modus iam nullatenus defendi potest. Dicta tenent Angelicus Doctor 2.2. quæst. 147. art. 3. Sotus de Iust. lib. 1. quæst. 6. art. 4. Medina C. de Ieiun. quæst. 7. vers. *Iam ad id.* Navarrus in Manual. cap. 21. num. 11. Villalobos tom. 1. Sum. tract. 23. diffic. 2. num. 1. Azor 1. part. lib. 7. cap. 8. quæst. 2. Fagundez lib. 1. de 4. præcept. Eccles. cap. 3. num. 7. Prado tom. 2. Theolog. Moral. cap. 33. quæst. 3. §. 5. num. 31. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 1. num. 5. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 5. num. 3. Bonacina de præcept. Eccles. disp. vlt. punct. 5. num. 3. Covarrubias lib. 4. Var. cap. 20. num. 10. Petrus Ledesma 2. part. tract. 27. cap. 2. conclus. 3. Læsius lib. 4. cap. 2. dubit. 5. num. 33. Leander part. 3. de præcept. Eccles. tract. 5. disp. 1. quæst. 7. & Gordonius tom. 2. lib. 6. quæst. 18. cap. 5. num. 9.

Non obligare sub mortali dictum præceptum tenuerũt aliqui antiqui.

12 Contrariam sententiam tenuerunt aliqui antiqui, vt Cardinalis cap. 2. de observat. ieiunij. Angelus in Sum. verb. *Ieiunium*, & alij, quos referunt Læsius, & Leander. Nec forte dissentire videtur Illustrissimus Caramuel apud Prado tom. 2. cap. 33. quæst. 3. num. 27. asserendo: tantum peccare venialiter, qui Ecclesiæ ieiunia frangit, si ieiunijs nullam corporis mortificationem experitur; quia nimirum in tali homine deficit finis præcepti, & medium abstinentiæ leviter in eo conducit ad consequendum finem mortificationis ab Ecclesia institutæ. Sed hanc sententiam forte docuit in prima impressione Theologiæ fundamentalis, nam in impressione Romana anno 1656. n. 669. pag. 225. cum communi sententia contrarium tenuit: quia, ait Caramuel & bene, quod & si forte in tali homine cesset finis inadæquatus legis, non tamen finis totalis, & consequenter nec præcepti ieiunij obligatio. Quapropter iam dicta qualiscumque opinio post decretum Alexandri VII. omnino falsa, & scandalosa est.

PUNCT. II.

De abstinentia à carnibus, & lacticinijs.

Proponitur quid agendum sit in hoc puncto.

CUm ex dictis constet, abstinentiam à carnibus esse partem principalem essentiæ, & formæ ieiunij Ecclesiastici, ideo

ideo de ea primo agendum nobis est. Cæterum, quia quando Ecclesia præcipit abstinere in ieiunijs totius anni à carnibus, vlterius addit abstinentiam à lacticinijs in Quadragesima, ideo vtramque sub eodem puncto, licet sub diversis §§. comprehendimus.

§. I.

Qui cibi sub nomine abstinentiæ à carnibus ab Ecclesia prohibeantur: & qualiter peccent eas comedentes?

Quid nomine carnium intelligatur.

13 Dicendum ergo est, sub nomine carnium, quæ in diebus ieiunij prohibentur, comprehendi omnes illas, quæ iuxta communem Ecclesiæ vsum, & Medicorum iudicium à piscibus contra distinguntur. Sed si de eis oriatur dubium consulendi sunt Medici periti, & eorum iudicio standum. ¶ Notant vero Doctores, quod dum adest dubium, signum evidentius, ad discernendas veras carnes à piscibus, est, si animalia diu extra aquam vivere valent; si enim hoc verificatur, tunc non pisces, sed veræ carnes credendæ sunt, & ab eis in diebus ieiunij abstinendum. Ita Maior in 4. dist. 15. quæst. 3. col. 3. Bonacina disp. vltima, quæst. 1. punct. 2. num. 1. Azor 1. part. lib. 7. cap. 10. quæst. 6. fine. Fagundez lib. 1. de 4. Eccles. præcept. cap. 2. num. 9. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 2. Bassæus verb. *Ieiunium*, 1. num. 3.

Limaces, Ranæ, & Testudines nó veniunt intelligẽdi nomine carnium, secus autem Corvi marini, Fulicæ, &c.

14 Vnde sequitur primò: Limaces, Testudines, Ranas, Conchas, Locustas licite in diebus ieiunij comedi posse; quia communiter vt pisces habentur. De Lutra vero, vulgo *Nutria*, apud nullum disputatum vidi: an sit vere piscis, an animal terrestre? Verosimilius tenemus esse piscem, cum semper in aqua inhabitet. ¶ Sequitur secundò: Corvos marinos, Fulicas, Lontras, & alias aves, quæ vel nutriuntur in aquis, vel in eis cibum quærunt, quamvis forte saporem piscium habeant, esse in diebus ieiunij prohibitas; quia vere carnes sunt. Et idem dicendum est de Camaleone.

Sub carniũ nomine prohibentur olera cũ carnibus cocta; itẽ lardum, sanguis, &c. non vero ova, & lacticinia.

15 Sequitur tertiò: Sub nomine carnium comprehendi olera cum carnibus cocta, & ius ipsius carnis; quia licet hæc vere carnes non sint, tamen substantiam carnis imbibunt. Sic non obscure traditur in cap. *Siquis Presbyter*. dist. 30. & tenent Sanchez lib. 4. Sum. cap. 11. num. 48. Bonacina disp. 4. circa 2. præcept. Decal. quæst. 2. punct. 6. num. 23. & Pasqualigus decis. 57. num. 1. Vnde potiori titulo in diebus ieiunij prohibentur lardum, sanguis, & sagimen; cum vere substantiam carnis participent, & ab eis dimanent. Sic sentiunt Henriquez lib. 7. Sum. cap. 13. num. 11. Medina in Sum. cap. 14. §. 10. Rodriguez in Bullam, §. 6. num. 1. Ludovicus à Cruce etiam in Bullam, disp. 1. cap. 5. dub. 16. num. 4. Trullench item in Bullam lib. 1. §. 4. dub. 3. num. 11. vers. *An autem*, & alij apud Leandrum de observat. ieiun. tract. 5. disp. 2. quæst. 35. ¶ Sed ex his inferte non licet, prohiberi similiter ova, & lacticinia; quia licet sementinam à carne trahant, tamen solum in Quadragesima prohibentur, & in alijs ieiunijs absque scrupulo ab omnibus comeduntur; tum ex Ecclesiæ consuetudine; tum etiam: quia nullibi in iure Canonico est expressa talis prohibitio: ergo in alijs diebus ieiunij à Quadragesima, licet lardo, & sanguine vesci non valeamus, tamen ova, & lacticinia comedere possumus.

Non peccat mortaliter, qui in diebus ieiunij sumit parvam quantitatem carnis.

16 Has ergo carnes absolute Ecclesia in omni ieiunio prohibet. Vnde absque dubio peccaret mortaliter, qui eis in magna, gravi ve quantitate vesceretur; & venialiter, si illarum parvam quantitatem sumeret. Ita communiter Doctores quo ad primam partem. Quo ad secundam vero probatur: quia nulla est ratio, quare in præcepto naturali negativo non furandi detur parvitas materiæ, & negetur in præcepto Ecclesiastico abstinendi à carnium esu: ergo, &c. Ita docent Sanchez lib. 2. Decal. cap. 8. num. 17. Bonacina disp. vlt. de præcept. Eccles. quæst. 1. punct. 2. num. 3. Tannerus in 2. 2. disp. 3. dub. 5. num. 93. Merolla tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 7. num. 111. Bassæus verb. *Ieiunium*, 1. num. 8. & alij plures. Videatur Leander tract. 5. disp. 2. supra cit. quæst. 11.

Explicatur quænã quãtitas carnis sumi valeat in diebus ieiunij.

17 Solum ergo difficultas est: Quæ sit dicenda parva quantitas carnis in Ecclesiasticis ieiunijs? Pasqualigus in Praxi Ieiunij, decis. 42. ait: quod dimidia circiter vncia carnis est parva quantitas; cum parum nutrimenti afferre possit. Trullench vero lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 2. num. 5. & Bonacina de præcept. Eccles. disp. vlt. quæst. 1. punct. 2. num. 2. in fine pro parvitate materiæ assignant valde exiguum carnis frustulum. Merolla tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 7. num. 111. & Hurtado de Mendoza de Fide, 1. part. disp. 83. sect. 3. §. 21. particulam minimam carnis. Antonius de Leon tract. de *Chocolate*, p. 3. num. 8. & Diana part. 5. tract. 5. resol. 32. particulam, quam solent Coqui, & Pincernæ ad prægustandos cibos sumere. Sed prima Pasqualigi sententia nimis laxa videtur, cum dimidia carnis vncia non parum nutriat, quia ex genere suo carnes plusquam alij cibi corpus reficiunt. Quare aliorum Doctorum opinioni standum est: & ita intelligendum est exiguum carnis frustulum, & octavam partem vnciæ non excedat. Ita Leander tract. 5. cit. disp. 2. quæst. 13. ¶ Norant tamen & recte Trullench, Bonacina, Diana, & alij, quod etsi esset alicubi peccatum reservatum comestio carnis in diebus ieiunij, dictam reservationem non incurreret, qui parvam materiam illius comederet: nam reservatio semper cadit supra peccatum mortale.

Coqui, Pincernæ, & qui infimis inserviunt, possunt licite

18 Ex dictis inferunt primò Doctores: Posse Coquos, & Pincernas ex necessitate servitij, scilicet gustandi cibos, faciendi que credentiam, quando eos Dominis ministrant, carnes in die ieiunij gustare; quia hoc licite

carnes gustare in diebus ieiunij.

fit officij causa, & pro Principum servitute. Vnde in cæteris ieiunare debent, à carnibus que abstinere. Sic Navarrus cap. 21. num. 13. Caietanus 2.2. quæst. 147. art. 3. circa finem. Antonius de Leon loco cit. Sylvester verb. *Ieiunium*, quæst. 3. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 22. num. 9. Diana part. 5. tract. 5. resol. 32. Azor lib. 7. tom. 1. cap. 9. quæst. 1. Fagundez de 4. Eccles. præcept. cap. 4. n. 2. ¶ Inferunt secundò: similiter posse eos, qui infirmis inserviunt, comedere aliquid carnis, dum id iudicatur expediens ad infirmorum excitandum appetitum; cum hoc exigat charitas, quæ prior est omni Ecclesiæ præcepto. Ita Navarrus, Sanchez vbi supra num. 10. quos sequitur Diana part. 5. cit. resol. 32. in fine. Azor, & Fagundez locis citatis.

Si per plures dies durat inedia ciborũ, possunt fideles carnibus vesci.

19 Inferunt tertiò: posse in diebus prohibitis vesci carnibus, qui alium cibum non habet, aut tantum habet panem, dummodo per plures dies duret inedia. Primum constat ex eo: quod lex Ecclesiastica nequit obligare in extrema necessitate, & cum salutis magno detrimento. Secundum patet: quia per plures dies in solo pane ieiunare, est nimis grave, & onerosum; & Ecclesia, dum ieiunia indicit, solum moderatam abstinentiam intendit. Ita Sanchez tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 19. num. 7. Angles in Florib. 1. part. mat. de Ieiunio, quæst. 9. difficult. 4. Vega 1. part. Sum. cap. 14. casu 28. ¶ Inferunt quartò: Fideles transeuntes per Hæreticorum, aut Infidelium Provincias posse vesci carnibus in diebus prohibitis, si grave vitæ periculum immineat; quia leges Ecclesiasticæ cum tanto periculo non ligant: & alias esus carnium per se non est infidelitatis, aut hæresis professio. Secluso tamen periculo, si cibi suppetant quadragesimales, debent à carnibus diebus prohibitis abstinere. Ita Azor 1. part. lib. 8. cap. 27. q. 3. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 9. num. 11. Pasqualigus decis. 52. extendentes dictam doctrinam ad remigantes in Infidelium, & Hæreticorum triremibus: tum: quia alijs cibis nequeunt debitum laborem præstare: tum: quia communiter grave damnum vitæ imminet. Excipe casum, in quo ad carnes edendas in Ecclesiæ contemptum cogantur; nam tunc vrget divinum præceptum vitam pro fide exponendi. Videantur à nobis dicta tract. 21. cap. 11. num. 130.

Licite pueris, & amentibus carnes ministrari possunt.

20 Inferunt quintò: carnes posse etiam ministrari perpetuo amentibus, & pueris ante septennium. Vtraque pars constat: quia perpetuo amentes, & pueri ante septennium sunt incapaces obligationis legis, cum rationis vsu careant: ergo nullum est peccatum, eis carnes ministrare. Ita Panormitanus in Rubric. de Observat. Ieiun. Sanchez lib. 1. Sum. cap. 12. num. 6. & 16. Fagundez lib. 1. de 4. præcept. cap. 8. num. 8. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 2. num. 11. Bonacina quæst. 1. de legib. punct. 6. num. 5. Diana 1. part. tr. 9. resol. 42. & alij, quos dedimus tom. 3. tr. 11. cap. 3. num. 52. Qui optime notant, eas ebris ministrari non licere: tum: quia ebrietas non est morbus, sicut amentia, his cibis indigens: tum: quia est brevis privatio vsus rationis, ac proinde non extrahens à legis obligatione. ¶ Sed quid dicendum de pueris, si ante septennium eis vsus rationis affulgeat? Respondetur ex dictis tr. cit. neque ipsos posse vesci carnibus; & consequenter neque eis illas ministrari. Et ratio est: quia pueri post rationis vsum ad leges Ecclesiasticas, quæ terminum ætatis non determinant, tenentur: ergo si vsus rationis ante septennium eis affulget, tenentur ad abstinentiam à carnibus, quæ iuxta Ecclesiasticas leges terminum ætatis determinatum non postulat. Sic loco cit. aliquibus relatis, docuimus. Et insuper id tenent Azor part. 1. lib. 7. cap. 17. aliàs 28. quæst. 2. in fine. Villalobos 1. part. Sum. tract. 23. difficult. 8. num. 7. Diana 1. part. tract. 9. resol. 42. Trullench in Bullam lib. 1. §. 4. dub. 2. num. 4. & lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 2. num. 11. Bonacina de Legib. tom. 2. disp. 1. quæst. 2. punct. 6. num. 5. Sanchez 1. part. Sum. lib. 1. cap. 12. num. 6. Filliucius tract. 27. cap. 3. quæst. 7. num. 57. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 36. sect. 2. num. 3. Qui optime notant, quod septennio expleto credendum est, vsum rationis advenisse; imò etsi de eius adventu dubitetur, iudicandum est advenisse, & consequenter lege abstinentiæ à carnibus, alijs que cibis prohibitis, ligari.

Dispensatus ad carnes potest comedere omnes carnes, & pisces.

21 Inferunt sextò: quod qui dispensatus est ad carnes, potest comedere omnes carnes, etiam suinam, seu porcinam; quia vere caro est. Sed si ei noceat, peccabit contra præceptum naturale temperantiæ, non vero contra præceptum abstinendi à carnibus. Sanchez lib. 1. Sum. lib. 4. cap. 11. num. 59. Villalobos tract. 23. difficult. 8. num. 11. Diana 1. part. tract. 9. resol. 47. Ioannes Sanchez in Select. disp. 51. num. 20. Machado lib. 2. Sum. part. 4. tract. 3. docum. 2. num. 5. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 2. num. 9. ¶ Inferunt septimò: quod potiori titulo dispensatus ad carnes, potest simul & pisces comedere; quia dispensatio ad carnes non prohibet esum piscium, sed hic in quocumque die licitus est: ergo licite potest simul carnibus vesci. Ita Trullench loco alleg. num. 10. N. Lezana verb. *Ieiunium*, num. 11. Villalobos num. 10. Azor 1. part. lib. 7. cap. 10. quæst. 5. loquendo de dispensato ad lacticinia, docet posse etiam pisces comedere. ¶ Nec refert, si cum Navarro tom. 1. Consil. de observat. Ieiun. consil. 5. dicas. Quod vel pisces ei nocent, vel non? Si secundum, nulla est dispensatio, cum iusta causa deficiat. Si nocent, talis comestio est peccaminosa: ergo illicita tunc est. ¶ Respondetur: quod si pisces nocent, peccat tantum contra temperantiam: si non nocent, tunc vtitur iure suo, nec contra legem ieiunij peccat; quia ad dispensandum adest iusta causa, scilicet, quod pisces, si soli, & continuo comederentur, tunc nocerent; non vero quando cum carne, aut ovis miscentur; quia his defectus nutrimenti piscium supplet-tur, & excitant appetitum ad salubriores cibos comedendos.

Prima sententia asse-

22 Sed rogabis primò, & satis difficul-ter: An qui in die ieiunij dispensatus est ad co-rens, quod

dispensatus ad carnes, non est dispensatus ad duas comestiones.

comedendas carnes, sit etiam dispensatus ad duas comestiones, seu ad non ieiunandum? In huius difficultatis resolutione tripartiti sunt Doctores. Aliqui enim asserunt, quod ex quo quis sit ad carnes dispensatus, non est dispensatus ad duas comestiones. Et moventur primò: nam dispensatus ad lacticinia, non est ab hora comedendi, & à lege ieiunij omnino solutus: ergo nec est absolutus ab obligatione vnicæ comestionis, qui est dispensatus ad carnes. ¶ Secundò: quia præceptum Ecclesiasticum, quod servari in totum nequit, debet servari quo ad partem possibilem, vt probat Textus in cap. *Cum dilecti de dolo, & contumacia.* Ergo si servari nequit quo ad abstinentiam à carnibus, servandum saltem est quo ad vnicam comestionem. ¶ Tertiò: quia, vt diximus tom. 4. tract. 16. cap. 3. punct. 6. num. 48. in fine ex propositione 54. ab Innocentio XI. damnata, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem ad reliquas horas, ad eas tenetur: ergo qui non potest ad abstinendum à carnibus in diebus ieiunij, potest tamen ad vnicam comestionem, ad id tenetur. Quod confirmari valet exemplo illius debitoris, qui si non potest solvere centum, ad quod tenetur; potest tamen decem, ad id vtique obligatur. Et in eadem materia ieiunij, si quis non potest omnibus diebus Quadragesimæ ieiunare, tenetur ad eos, quibus ieiunare valet: ergo similiter in nostro casu, qui ob necessitatem non potest observare abstinentiam à carnibus, debet, si potest, observare abstinentiam à duplici comestione. ¶ Quartò: non est præsumendum, velle Ecclesiam privare merito ieiunij eos, qui ob infirmitatem abstinere à carnibus non valent, possunt tamen vnicam comestionem observare: ergo dicendum est, ad id teneri, & sic meritum ieiunij debere adipisci saltem quo ad aliquam eius partem. Sic Metina C. de ieiunio, quæst. de his, qui ad ieiunia tenentur, §. *de infirmis.* Corduba Sum. quæst. 143. & 167. Pedraza in Sum. 3. præcept. §. 14. & ex Caietano Navarrus in Manual. cap. 21. num. 22. Gomez in Bulla, claus. 7. num. 5. Graffis lib. 2. Decis. cap. 37. num. 58. Azor 1. part. lib. 7. cap. 10. quæst. 3. vers. *Arbitor igitur.* Villalobos tract. 23. de ieiun. difficult. 8. num. 8. Bonacina tom. 2. disp. vlt. de præcept. Eccles. quæst. 1. punct. 2. num. 3. & Rodriguez in Bulla, §. 6. num. 4. nec dissentit Filliucius tract. 27. p. 2. cap. 3. num. 53. & 63.

Alia sententia id ipsum sub distinctione docens.

23 Alij dicunt, quod si est dispensatus non ob præsentem necessitatem, sed ob futuram, quæ timetur ob cibos Quadragesimales, qui ex se valetudini sunt nocivi; qualiter Principes, & Magnati solent esse dispensati, tunc tenentur ad vnicam comestionem, & consequenter licite cœnare non possunt; quia debent observare præceptum ieiunij saltem quo ad partem sibi possibilem. Secus vero si sint dispensati ob præsentem infirmitatem; quia est absoluta dispensatio, & clara necessitas; & ideo eximit ab omni parte ieiunij. Ita Victoria 2. 2. quæst. 147. art. 4. Vega tom. 1. Sum. cap. 14. casu 3. Valentia 2. 2. disp. 9. quæst. 2. punct. 5. Rodriguez in Sum. 1. part. cap. 24. num. 27. Lopez 2. part. Instruct. de Ieiun. cap. 111. Saa in Sum. verb. *Ieiunium.* Reginaldus lib. 4. num. 168. Læsius lib. 4. de Iust. cap. 2. dubit. 6. num. 45. in fine.

Tertia sententia affirmans, quod dispensatus ad carnes, manet omnino absolutus ab obligatione ieiunij.

24 Alij denique docent, dispensatum ad edendas carnes, à præcepto ieiunij omnino manere absolutum, & sic ad vnicam comestionem non teneri, sed posse comedere pluries in die carnes, ova, & alios cibos sibi vtiles, & iucundos. Et ratio eorum est: quia sine propria essentia ieiunium persistere non potest, nec eius obligatio vim habet; sed abstinentia à carnibus est de essentia ieiunij, vt diximus: ergo sine hac abstinentia nec ieiunium, nec eius obligatio persistere valent. ¶ Confirmatur primò: quia magis est de essentia ieiunij abstinentia à carnibus, quam vnica comestio; sed dispensatus in vnica comestione non tenetur ieiunare, cum ieiunium vnicam comestionem exigat: ergo dispensatus in abstinentia à carnibus, ieiunare non debet. ¶ Confirmatur secundò: quia qui excusatur à parte præcipua, & substantiali præcepti, excusatur à toto præcepto; sed præcipua pars, & substantialis præcepti ieiunij est abstinentia à carnibus: ergo qui per dispensationem ab hac excusatur, excusatur etiam ab vnica comestione, quæ est pars minus principalis, & si substantialis dicti præcepti. Ita Caietanus 2. 2. quæst. 147. art. 8. §. *Ad hoc dicitur.* Honcala Opusc. de Ieiun. Metina lib. 1. Instruct. cap. 14. §. 10. Palacios in 4. dist. 15. disp. 8. fol. 125. §. 6. *Conclusio.* Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 13. num. 13. quos omnes refert, & sequitur Sanchez tom. 2. Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 29. num. 3. Insuper eam tenent Fagundez in lib. 1. de 4. Eccles. præcept. cap. 2. num. 5. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 7. Diana tract. 11. resol. 4. & tract. 9. resol. 25. & alij.

Propria mens explicatur.

25 Circa huius quæstionis resolutionem diu anceps steti, & quo me verterem, nesciebam: tandem primam, & secundam sententiam eligere aliquo modo decrevi. Primò ob propositionem 54. damnatam ab Innocentio XI. cuius est sequens tenor: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes; potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.* In qua propositione docetur, quod quia præceptum recitationis officij divini est de se divisibile, & habet partes principaliores, & minus principales, qui non potest recitare partes principaliores, tenetur ad minus principales, si ad has est potens. Tunc sic: sed præceptum ieiunandi est præceptum ex se divisibile, & habet partes principales, qualis est abstinentia à carnibus, & minus principales, scilicet vnica comestio: ergo qui non potest adimplere præceptum ieiunij quo ad abstinentiam à carnibus, & ob id ab ea est dispensatus, tenetur ad aliam partem minus principalem, scilicet vnicam comestionem. ¶ Secundò: quia, vt fatetur Sanchez, licet abstinentia à carnibus sit de essentia ieiunij principaliter, etiam vnica comestio est de eius essentia licet minus principaliter: ergo essentia ieiunij non est indivisi-

bilis,sed divisibilis moraliter:sed quando præceptum est divisibile,maior pars non trahit ad se minorem,vt aiebat propositio damnata,sed vtraque impleri debet,si commode potest: ergo qui non potest ieiunare abstinendo se à carnibus, & ob id est dispensatus, tenetur ieiunare abstinendo se à multiplici comestione, ad quod potest, nec rationabiliter potest intelligi ab hoc dispensatus. ¶ Tertiò: Licet præceptum ieiunij sit vnicum, moraliter tamen est multiplex; cum in se sit simul negativum præcipiens abstinentiam à carnibus,& affirmativum vnicam comestionem iubens; sed quando præceptum est in se affirmativum, simul & negativum, seu virtualiter multiplex, ex quo quis sit dispensatus quo ad vnam partem præcepti, non intelligitur dispensatus quo ad aliam: ergo ex quo quis sit dispensatus quo ad abstinentiam à carnibus, non censetur dispensatus quo ad vnicam comestionem. Minor, in qua est difficultas, suadetur exemplo præcepti sanctificandi festa, quod simul est affirmativum, & negativum: nam ex quo quis dispensetur in abstinendo à servilibus in diebus festis, quod est negativum, non censetur dispensatus in audiendo Sacrum, quod est affirmativum: ergo ex quo quis dispensetur in abstinendo à carnibus, quod est negativum, nequit censeri dispensatus in vnica comestione, quod est affirmativum. ¶ Quartò: Quando partes alicuius præcepti possunt seorsim, & divisim dispensari, vna non dependet ab alia in dispensatione; nec vna dispensata censetur alia dispensari; sed abstinentia à carnibus, & vnica comestio taliter sunt partes præcepti ieiunij, vt vna possit dispensari alia non dispensata; cum dispensari possit quis in vnica comestione, & non in abstinentia à carnibus: ergo dispensatio ab vnica comestione non dependet à dispensatione ab abstinentia à carnibus, & consequenter nec ex quo quis dispensatur in vnica comestione, sequitur, quod maneat dispensatus in abstinentia à carnibus: ergo similiter è contra, nec ex quo quis dispensetur in abstinentia à carnibus, debet censeri dispensatus in vnica comestione; cum vtrobique par debeat esse ratio, sicut est in dependentia.

Motivum electionis dictæ sententiæ, & sensus, in quo defenditur.

26 Huic modo dicendi adhæremus, quia credimus conformiorem menti Summi Pontificis Innocentij XI. damnantis propositionem 54. supra relatam. Et si Doctores pro tertia sententia allegati nunc scriberent, idem forte nobiscum tenerent; quia antiquitus communior erat sententia ibi damnata, quam modo est ea, quam ipsi de dispensato in abstinentia à carnibus defendunt; sed hoc non obstante illam Summus Pontifex damnavit: ergo cum sententia nostri casus sit conformis, & similis sententiæ antiquæ, iam nunc damnatæ, ab eis etiam reprobari nunc deberet. ¶ Sed hic notandum est cum secunda sententia supra relata, nostram resolutionem solum procedere, quando aliquis dispensatur in abstinentia à carnibus non ob actualem infirmitatem, aut summam, vel gravem debilitatem virium, vti est in convalescentia; quia tunc proprie non indiget dispensatione, sed est omnino à lege ieiunij ob necessitatem extractus, & sic potest sæpius comedere. Sed quando dispensatur, quia esus quadragesimalis est illi graviter nocivus, tunc enim dicimus, debere observare ieiunij formam quo ad vnicam comestionem; quia sic succurrit propriæ necessitati, & alias ieiunij præcepto, quo ad partem sibi possibilem obtemperat. Post hæc scripta legi Vvigandt, qui in Tribunali Confess. tract. 5. examine 9. num. 100. idem nobiscum novissime tenet.

Sententia contraria dissolvitur.

27 Ad argumentum sententiæ contrariæ patet ex dictis. Nam essentia præcepti ieiunij non est metaphysice, sed moraliter accipienda, & ita sumpta ex duplici parte essentiali constat, scilicet abstinentia à carnibus, & vnica comestione, licet hæc sit minus principalis, quam illa. Quare licet quando aliquis dispensatur quo ad abstinentiam à carnibus, deficiat ieiunij præceptum, & eius obligatio quo ad principalem partem illius, non tamen quo ad minus principalem, sed ad eam obligat, sicut diximus de præceptis sanctificandi festa, & recitandi officium canonicum, quæ licet aliquando vel ob dispensationem, vel ob impotentiam, quo ad partem principalem eorum non obligent, tamen obligant quo ad minus principalem, quando commode adimpleri potest, nec in eis vniversaliter verificatur, quod maior pars trahit ad se minorem, & maiori dispensata, minor etiam dispensetur. Ex quibus constat ad primam, & secundam confirmationem.

Dispensatus ad carnes potest ova, & lacticinia comedere.

28 Rogabis secundò: An qui dispensatus est ad vescendum in diebus ieiunij carnibus, ex consequenti sit dispensatus ad ova, & lacticinia comedenda? Respondetur affirmative: quia cui conceditur maius, etiam minus concedi intelligitur: ergo si concedantur carnes, quod est maius, etiam intelliguntur concedi ova, & lacticinia, quæ sunt minus, & à carnibus dimanantia. Vnde sequitur, posse etiam tunc comedere pisces; quia isti sunt conformiores præcepto ieiunij: quare si in hoc cibo tunc sit aliqua culpa, erit tantum contra temperantiam; quia ipsi poterunt esse nocivi, non vero contra ieiunij præceptum. Sic Filliucius cap.3. alleg.num.55.Azor quæst.4.& 5. Sanchez, & alij apud Bonacinam punct. 2. num.4. ¶ Nota vero, quod si sit excommunicatio lata contra comedentes in diebus ieiunij simul pisces, & carnes, qualis est in Diœcesi Toletana, vt testatur Leander de Observat. Ieiun. tract.5. disp.2. quæst.30. tunc si sit in magna quantitate, ita vt salus lædatur graviter, & committitur grave peccatum, & simul incurritur maior excommunicatio; quia hæc solum contra graviter peccantes in materia temperantiæ vim habere potest. Quapropter si solum comedantur pisces non nocivi, aut in parva quantitate, nec peccatur, nec consequenter incurritur excommunicatio; quia cum talis comestio deservire soleat ad excitandum appetitum, licita est, & rationi conformis; & ideo nec sub præcepto, aut excommunicatione cadere potest. Videatur etiam Villalobos tom.1.tract.23.difficult.8. num. 10.

Ro-

Toties peccat quis, quoties in ieiunij die cibos vetitos comedit.

29 Rogabis tertiò: An toties quis peccatum grave committat, quoties in die ieiunij comedit carnes, & alios cibos vetitos? Respondetur affirmative. Et ratio est: quia præceptum abstinendi à cibis vetitis est negativum: ergo obligat pro semper, & toto die; & ideo in qualibet comestione peccat mortaliter. Ita Caietanus 2. 2. quæst. 147. art. 8. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 7. num. 2. Fagundez lib. 1. de 4. Eccles. præcept. cap. 4. num. 6. Diana 1. part. tract. 9. resol. 37. & 45. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 3. num. 4. Sanctius in Select. disp. 41. num. 26. qui optime notat, quod qui simul cum carnibus comederet ova in ieiunio quadragesimali novum peccatum committeret, & toties peccaret, quoties ova comederet. Ratio est eadem ac præcedens, quia præceptum non comedendi ova est distinctum à præcepto abstinendi à carnibus, & alias est etiam negativum. Vnde qua parte est distinctum, distinctum etiam peccatum committeret, qui illum frangeret; & qua parte est negativum, multiplicantur peccata, quoties ova comeduntur.

Vovens non comedere carnes in aliqua die, peccat quoties eis vescitur.

30 Rogabis quartò: An si quis vovet pro aliqua die determinata carnes, aut ova non comedere, toties peccet, quoties carnes, aut ova comedit? Negant Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 4. num. 39. & 40. Divus Antoninus 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 2. Pasqualigus decis. 66. à num. 3. Tabiena verb. *Votum*, 3. quæst. 8. num. 9. loquendo de voto non *bibendi vinum*, quia votum non comedendi carnes pro aliqua die emissum est sicut indulgentia pro die determinata concessa; sed hæc non nisi semel in die lucratur: ergo nec votum non nisi semel frangitur, & semel fracto iam vlterius non obligat. ¶ Sed verius affirmant Navarrus in Manuali, cap. 21. num. 53. Azor 1. part. lib. 11. cap. 20. quæst. 8. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 7. num. 12. Sanchez lib. 4. Sum. cap. 11. num. 41. Palacios 4. dist. 38. disp. 1. post 5. concluf. & alij apud ipsum. Et probatur: quia tale votum est ad modum præcepti negativi; sed præceptum negativum obligat pro toto tempore, pro quo datur: ergo cum pro toto die emittatur votum non comedendi carnes, toto die obligabit. ¶ Ad motivum contrarium negatur paritas: nam concessio indulgentiæ est quid affirmativum, & ideo non distribuit concessionem, sicut quod est negativum distribuit pro toto die, quod prohibet, aut negat. ¶ Notant tamen Sanchez n. 42. Diana 1. part. tract. 9. resol. 45. & Pasqualigus decis. 65. num. 2. contra Azor, & Suarez, quod qui vovit ieiunare, solum peccat prima vice, qua carnes comedit, non vero quando pluries eas dicto die edit; quia tunc abstinentia à carnibus non directe vovetur, sed indirecte ratione ieiunij; vnde cum per primam carnium comestionem violetur ieiunium, quod est principale, & circa illud cesset obligatio, etiam debet circa esum carnium cessare, ac proinde & si pluries deinceps quis carnes edat, nullum peccatum committet.

Vbi deficit oleum, licitus est sagiminis vsus.

31 Vltimò rogabis: An in Regnis, in quibus non est oleum, liceat vti sagimine in diebus, in quibus esus carnium est prohibitus? Respondetur affirmative; maxime si alij cibi præter legumina, & olera non suppetunt; quia necessitas olei vsum sagiminis licitum facit, alias valde difficulter necessarius cibus possit præparari. Sic Layman tract. 7. cap. 1. num. 5. Leander tract. 5. disp. 6. quæst. 37. Graffius 1. part. Decis. Aur. lib. 2. cap. 35. num. 11. & à fortiori Azor lib. 7. cap. 10. quæst. vlt. vbi pluribus relatis tenet, quod quando conceditur vsus ovorum, & lacticinorum, licet etiam vesci sagimine, seu lardo; & ex Hostiensi in Sum. de Observat. Ieiun. refert, quod sic vtuntur Cluniacenses Monachi, esto Cistercienses, & quidam alij Religiosi contrarium servent. Ita etiam Abbas in cap. *Consuluit*, de iud. & Sylvester verb. *Ieiunium*, quæst. 5. num. 16. Sed hæc credimus, intelligenda esse non vniversaliter, sed quia ibi adest olei penuria. ¶ Contra nostram vero sententiam supresso nomine allegat, nec improbat, Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 19. num. 7. quosdam doctos iuniores non audentes excusare agricolas, qui causa paupertatis in locis, vbi non est oleum, præparant herbas lardo in diebus, in quibus carnium, & lardi esus est prohibitus: sed nostra sententia benignior, & probabilior est.

§. II.

De abstinentia à Lacticinijs.

Decreta prohibentia vesci ovis, & lacticinijs in Quadragesima.

32 QUod in ieiunijs Quadragesimæ sit prohibitum comedere lac, butyrum, caseum, & ova, colligitur ex cap. *Denique*, dist. 4. vbi cum Augustinus Anglorum Episcopus quæreret à Divo Gregorio: an in ieiunijs Quadragesimæ sit abstinendum ab ovis, caseo, & lacte? Respondet affirmative, vt docet Glossa, & rationem his verbis tradit: *Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis. Cæterum piscium esus ita Christiano relinquitur, vt hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium.* Idem, & clarius tradit sexta Synodus Constantinopolitana sub Imperatore Iustiniano celebrata in Trullo, Can. 56. (à nemine, ait Covarrubias tom. 2. Variar. cap. 20. num. 15. hac in quæstione citatus) *Accepimus*, verba sunt dicti Concilij, *in Armeniorum regione, & in alijs locis in Sabbatis, & Dominicis Sanctæ Quadragesimæ quosdam caseum, & ova comedere: visum est ergo, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniverso terrarum orbe, vnum ordinem sequens, ieiunium perficiat: & abstineant simul ab omni mactabili; sic & ab ovis, & caseo, quæ quidem sunt fructus, & fætus eorum, à quibus abstinemus. Si autem hoc non servaverint, si sunt Clerici deponantur, si Laici segregentur.* Et licet aliqui vt Sotus lib. 5. de Locis, cap. vlt. ad 5. Turrianus lib. de Canonibus sextæ Synodi, & alij asserant, dictum canonem non esse sextæ Synodi, sed aliquorum Episcoporum particularium, tamen Covarrubias, Azor tom. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 1. col.

col.728. Trullench lib. 1. Bullæ, §. 4. dub.3. num.3. & in Decal. lib.3. dub.2. num.2. Sanchez lib.5. Consil. dub.19. num. 1. Bonacina de Eccles. præcept. disp. vltima, quæst. 1. punct. 2. num. 2. Gratianus in cap. *Placuit*, dist. 16. cap. *Quoniam*, dist. 31. cap. *Siquis*, dist.32.& alibi, probant, & supponunt vt certum esse dicti Concilij : & consequenter ex eo infertur, iam ab illis temporibus lac, caseum, & ova esse in ieiunijs Quadragesimæ prohibita.

Motivum dictæ prohibitionis ex Angelico Doctore.

33 Quapropter Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 147. art. 8. probat, quod quia carnes, & lacticinia magis delectant, conferunt que ad humani corporis nutrimentum, & ex eis plus superfluit, vt vertatur in materiam seminis, cuius multiplicatio est maximum excitativum luxuriæ, quam ieiuniorum præcepto sedare Ecclesia intendit : *Ideo*, concludit Divus Thomas in fine corporis dicti articuli, *ab his cibis præcipue ieiunantibus Ecclesia statuit esse abstinendum.* Et assignans motivum, quare Ecclesia ea potius in ieiunijs Quadragesimæ, quam in alijs prohibeat, ait ad 3. *Similiter etiam inter alia ieiunia solemnius est quadragesimale ieiunium : tum : quia observatur ad imitationem Christi ; tum etiam : quia per ipsum disponimur ad redemptionis nostræ mysteria devote celebranda, & ideo in quolibet ieiunio interdicitur esus carnium ; in ieiunio autem quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova, & lacticinia. Circa quorum abstinentiam in alijs ieiunijs diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum inter quos conversatur.* Ex quibus constat dari in Ecclesia præceptum abstinendi in Quadragesima ab ovis, & lacticinijs ; in alijs vero ieiunijs non dari, observandas tamen esse laudabiles consuetudines, quæ circa hoc in diversis Provincijs dantur. In nostra vero Hispania, quid quid antiquitus forte observatum sit, nunc autem certissimum est, non esse consuetudinem in ieiunijs extraquadragesimalibus abstinendi ab ovis, sed tuto, & licite eis, & alijs lacticinijs vescimur, quid quid in contrarium dicat Barbosa tom. 5. ad Decret. Gratiani in Addit. ad cap. *Denique*, pag.430. Nobiscum sentiunt Sanchez in Consil. lib.5. cap.1. dub. 21. Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 13. num.9. Manuel 1.tom. Sum. cap. 29. fine. Concilium Toletanum Provinciale anno 1583. Et addit Sanchez in Synodo Granatensi facta anno 1568. post magnam diligentiam adhibitam repertum fuisse, non esse talem consuetudinem in Archiepiscopatu Granatensi, atque ita tanquam certum posse hoc iam haberi in Hispania.

Abstinentia à lacticinijs obligat sub mortali.

34 Difficultas gravis est : An dicta abstinentia à lacticinijs obliget sub mortali? Negat Fagundez de 4. Eccles.præcept.lib.1. cap.2. à num.11. quatenus asserit, quod nec ex vi præcepti, nec ex vi consuetudinis abstinentiam à lacticinijs in Quadragesima sub mortali obligare. Sed hæc opinio falsissima est, & improbatur breviter,sed efficacissime. Primò : quia eodem verborum tenore in cap. *Denique*,prohibetur in Quadragesima abstinentia à carnibus, sicut à lacticinijs, vt illud legenti constat ; sed abstinentia à carnibus ex vi præcepti, & ratione gravitatis materiæ obligat sub mortali : ergo obligat sub mortali abstinentia à lacticinijs. ¶ Secundò: Alexander VII. damnavit sequentem propositionem, quæ ordine est 32. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.* Ergo evidens est, talem consuetudinem obligare ; sed etiam evidens est obligare sub mortali, tum ob decreta Iuris Canonici, & Concilij Constantinopolitani; cum pœnam depositionis, excommunicationis que Concilium imponat, quæ culpam gravem requirit. Tum : quia consuetudo legitime introducta, & in materia gravi obligat sub mortali, vt tenet communis Doctorum sententia, & docuimus tract.11. cap.5.punct. 4. §. 1. Ergo cum hæc materia sit, vt constat, satis gravis, dicendum est absque dubio sub mortali obligare. Quam resolutionem confirmat, tum communis fidelium praxis, qui sub mortali dictam abstinentiam obligare credunt : tum etiam vnanimis Doctorum, tam Canonistarum, quàm Theologorum sententia. Videantur specialiter Divus Thomas loc. cit. Covarrubias tom.2. Variar. cap.20.n.15. Navarrus in Manual.cap.21.num.15.Hostiensis in Sum. in Rubric.de Observat.Ieiun.num. 2. Inn. in eadem Rubric. num.15. Bellamera, & Barbosa in dict. cap. *Denique*, Caietanus in Sum. verb. *Ieiunium*, cap.1. Suarez tom.2.de Relig. cap. 13. num. 3. Azor 1. part. lib. 7. cap. 10. quæst. 1. dicens esse commune. Sanchez lib.4. Sum. cap. 11. num.53.& in Consil. lib.5. cap.1. dub.19. num.1. Læsius lib. 4. de Iust. cap. 2. dubit.2. num.8. Palaus tom.7. de Iust. & Iure, tract.1. disp.3. punct. 2. num. 6. Layman tract. 8. cap. 1. num. 3. Villalobos Sum. tract. 23. difficult. 2. num. 7. Bonacina de præcept. Eccles. disp. vlt. quæst.1.punct.2. num. 2. Trullench in Decal.cap.2.dub.2. n.3. Diana part. 2. tract. 6. Miscell. resol. 80. & 3.part. tract.6. resol.80. Et quos vidimus explicantes propositionem ab Alexandro VII. damnatam, maxime Moya in Select. tract. 5. decis.3. quæst.2.num.6. Lastra num.68.Theatrum Morale, Torrecilla, Lucerna Moralis, N. Valentin in Foro Conscient. Filguera, Correila num. 199. ¶ Aliqua argumenta ponit Fagundez, sed quia post condemnationem dictæ propositionis 32. nullam vim habent, nec merentur solutionem, ideo ab eis enodandis abstinemus. Qui eorum solutionem videre voluerit adeat Palaum loco allegato.

Aliqui tenent posse absque Bulla vesci ovis, & lacticinijs diebus Dominicis Quadragesimæ.

35 Maior tamen difficultas nunc est : An in Dominicis Quadragesimæ,sicut in alijs diebus abstinentia ab ovis, & lacticinijs obliget? Negant plures Doctores, & moventur primò : quia in dicto cap. *Denique*, solum prohibentur ova, & lacticinia in diebus ieiunij, de his enim quæsierat Augustinus Episcopus à Divo Gregorio, vt refert Glossa ibi ; sed dies Dominici Quadragesimæ non sunt dies ieiunij : ergo in dicto cap. sub præcepto abstinentiæ à lacticinijs non comprehenduntur. ¶ Secundò : quia in dicto cap. permittit Pontifex in diebus Dominicis carnibus vesci : ergo mul-

multo melius lacticinijs. ¶ Tertiò: quia vbi expresse lacticinia prohiberi videntur, est in Canone 56. Concilij Constantinopolitani supra num. 32. relato; sed plures graves Doctores negant, dictum Canonem esse prædicti Concilij: ergo ex vi illius non prohibentur. ¶ Quartò: quia consuetudo abstinendi ab ovis, & lacticinijs in diebus Dominicis non constat esse introductam animo se obligandi ad mortale: ergo, &c. Sic Pasqualigus in Praxi Ieiunij, decis. 72. referens Gomez in Bull. Cruc. clausul. 1. num. 7. Llamas 3. part. Metho. cap. 5. §. 26. Cordubam, licet male, in quæst. 168. Fagundez lib. 1. de 4. Eccles. præcept. cap. 2. num. 44. in edit. Lugdunensi anno 1632. sed in edit. Lugdunensi anno 1626. qua vtor, id tenet num. 12. docent etiam Mendo in Bullam, disp. 18. num. 29. Machadus tom. 1. lib. 2. part. 7. tract. 3. docum. 4. num. 4. & Martinus à S. Ioseph. in Monit. Confessor. tom. 1. lib. 2. de Ieiun. tract. 4.

Probabilior est opposita sententia.

36 Affirmant, & verius, alij. Et probatur primò hæc sententia: nam in dicto cap. *Denique* dicitur: *Par autem est, vt quibus diebus, à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis.* Sed in diebus Dominicis Quadragesimæ abstinemus à carne animalium ex præcepto dicti cap. ergo ex eodem præcepto debemus etiam diebus Dominicis à lacticinijs abstinere. ¶ Secundò: Ibi præcipitur, vt diebus Quadragesimæ ab ovis, & lacticinijs abstineamus; sed Dominici dies sunt dies Quadragesimæ, vt dicitur in cap. *Quadragesima, de consecrat. dist.* 5. vbi iubetur ieiunare diebus omnibus Quadragesimæ exceptis Dominicis, alias inepta esset exceptio prædicta: ergo diebus Dominicis, vt pote dies Quadragesimæ, præcipitur, vt ab ovis, & lacticinijs abstineamus. ¶ Tertiò: nam in Canone 6. Synodi Constantinopolitanæ præcipitur expresse sub excommunicationis pœna, abstinere diebus Dominicis ab ovis, & caseo: ergo dicta abstinentia graviter obligat. ¶ Quartò: quia, vt denotat prædictus canon, in vniversali Ecclesia erat consuetudo abstinendi ab ovis, & lacticinijs in Dominicis Quadragesimæ: ergo sub mortali obligat, cum sit de re gravi, & legitime introducta. ¶ Quintò: quia Summus Pontifex Alexander VII. in propositione 32. supra damnata, definit, evidens esse, obligare consuetudinem non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima; sed dies Dominici sunt dies Quadragesimæ: ergo in his obligare videtur dicta consuetudo. Dixi, *videtur*, quia oppositam sententiam non intendimus asserere, sub dicta prohibitione comprehendi, sed credimus adhuc in sua probabilitate manere, vt tenent Moya tract. 5. disp. 3. & Lastra in dicta propos. num. 69. ¶ Sextò: quia, vt testatur Diana part. 10. tract. 11. resol. 46. S. Congregationes S. Officij, & Indicis mandarunt, hanc sententiam à quodam libro eo tempore deleri, sicut & factum est: ergo est parum tuta. ¶ Notandum tamen est: quod si alicubi, vt accidit in aliquibus Hispaniæ Provincijs, hæc consuetudo introducta non est, vel per contrarium vsum abrogata, tunc non obligat sub mortali; cum consuetudo legem Ecclesiasticam abrogare valeat, vt diximus tract. 11. cap. 6. num. 39. principalem assertionem defendunt Caietanus 2. 2. quæst. 147. art. 6. §. *Et primi*, & art. 8. in fine. Covarrubias lib. 4. Variar. cap. 20. num. 11. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 19. num. 3. Villalobos tract. 23. difficult. 8. n. 1. Corduba in Sum. quæst. 168. Metina C. de Ieiun. quæst. 1. Palacios in 4. dist. 15. disp. 8. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 3. & in Bullam lib. 1. §. 4. dub. 7. num. 1. Diana 1. part. tract. 11. resol. 5. & 3. part. tract. 6. resol. 80. Barbosa tom. 5. in Decretal. in addit. ad dist. 4. cap. *Denique*, pag. mihi, 430. referens Emmanuelem in Bullam §. 6. num. 8. Henriquez in Sum. lib. 7. cap. 13. §. 10. Vegam 1. part. cap. 14. casu 29. Ioannem Sanctium in Select. disp. 42. num. 25. Villalobos, & Sanchez supra allegatos. Id ipsum tenent N. Lezana in Sum. verb. *Ieiunium*, num. 3. Bardi in Bull. part. 2. tract. 3. cap. 2. sect. 5. & alij.

Argumenta cótraria soluuntur.

37 Ad primum argumentum sententiæ contrariæ respondetur: quòd licet expresse non prohibeantur ova, & lacticinia in cap. *Denique*, bene autem implicite, vt diximus in prima ratione pro nostra sententia expensa. Præterquam quod nobis sufficit, prædicta prohiberi expresse in Canone 56. sextæ Synodi, vt falsa sit contraria sententia. ¶ Ad secundum negatur antecedens: quia solum carnibus vesci permittit ibi Summus Pontifex die Dominica carnis privij, vt ibi explicat Glossa, & ratio huius permissionis est: quia tunc ieiunia Quadragesimæ à Dominica Quinquagesimæ inchoabant, vt dicitur in dicto cap. ¶ Ad tertium constat ex dictis num. vbi docuimus, longe probabilius esse, dictum Canonem esse Concilij Constantinopolitani: & ex pœna à dicto Canone contra transgressores imposita satis constat, consuetudinem abstinendi ab ovis, & lacticinijs diebus Dominicis Quadragesimæ introductam à fidelibus esse animo se ad mortale obligandi. Per quod constat etiam ad quartum argumentum.

Licitum est Regularibus, & Presbyteris sæcularibus ratione Bullæ Cruciatæ vesci ovis, & lacticinijs diebus Dominicis Quadragesimæ.

38 Ex dictis habetur, omnes vtriusque sexus fideles, tam Sæculares, quàm Regulares teneri omnibus diebus Quadragesimæ, etiam Dominicis, abstinere ab ovis, & lacticinijs, nisi per Bullam, aut Pontificis privilegium à dicta obligatione excusentur, qualiter excusantur fideles Sæculares Bullam Sanctæ Cruciatæ recipientes, vt patet ex verbis dictæ Bullæ. Et solum difficultas est: An Regulares, & Presbyteri Sæculares possint ex vi dictæ Bullæ diebus saltem Dominicis vesci dictis cibis? Respondetur affirmative primò: quia in dicta Bulla dicitur: *Vt liceat dicto anno durante in omnibus, & singulis regnis, insulis, locis, terris, oppidis, & dominijs prædictis, temporibus ieiuniorum totius anni, etiam quadragesimalibus vesci pro libito ovis, & lacticinijs; ita quod qui carnes non comederint, servata in cæteris ieiunij Ecclesiastici forma, dicto ieiunio satisfeciisse censeantur, Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ovis, & la-*

lacticinijs comprehenduntur omnes vtriusque militiæ Regulares. Patriarchis vero, Archiepiscopis, & Episcopis alijs que inferioribus Prælatis, nec non alijs personis Regularibus, & qui in ordine presbyteratus fuerint, sæcularibus id minime conceditur, nisi sexagenarij fuerint. En vbi Regularibus, & sæcularibus Presbyteris tantum prohibetur per Bullam S. Cruciatæ vesci ovis, & lacticinijs in ieiunijs Quadragesimæ: ergo in diebus Dominicis id ex privilegio dictæ Bullæ licebit. ¶ Secundò: quia, vt fatetur Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 10. propter dicta verba Bullæ Latinæ ita declaratum est à quodam Commissario: ergo, &c. ¶ Tertiò: quia in dicta Bulla conceditur in ieiunijs extra Quadragesimam vesci ovis, & lacticinijs: ergo multo melius in Dominicis Quadragesimæ, quod minus est, cum dies ieiunij non sint. Sic docent Corduba in Sum. cas. 168. Villalobos tom. 1. tract. 27. claus. 6. num. 11. Llamas 3. part. cap. 5. §. 26. A Cruce in Bullam disp. 1. cap. 5. dub. 18. num. 5. Pasqualigus decis. 73. à num. 4. Trullench lib. 1. in Bullam, §. 4. dub. 7. num. 2. Diana 1. part. tract. 11. resol. 5. Gomez in Bullam, claus. 7. num. 7. Fernandez in Exam. Theol. Moral. part. 3. cap. 9. §. 5. num. 5. Moya in Select. tract. 5. disp. 3. quæst. 3. Lastra tom. 1. in Decret. in exposit. propos. 32. ab Alexandro VII. damnatæ.

Contrariæ sententiæ argumenta, & eorum solutio.

39 Sed pro contraria sententia, quam tenent Angles in Florib. quæst. 9. de ieiun. art. 1. diffic. 6. Vega in Sum. tom. 1. cap. 14. casu 29. Ortiz in Sum. cap. 19. num. 4. Leander de Murcia quæst. 10. in cap. 3. Regul. D. Francisci. Emmanuel Rodriguez apud Dianam vbi supra. Villalobos tom. 1. tract. 27. claus. 6. n. 11. arguitur primò: quia, vt testatur Rodriguez, ita respondit Summus Pontifex de hoc à quodam Commissario interrogatus: ergo Regulares, & Presbyteri sæculares nequeunt diebus Dominicis Quadragesimæ virtute Bullæ vesci lacticinijs. ¶ Secundò: quia in Bulla Sanctæ Cruciatæ in sermonem Hispanum translata expresse prohibetur, ne Religiosi, & Presbyteri sæculares in diebus Quadragesimæ ova, & lacticinia comedant; sed dies Dominici sunt dies Quadragesimæ: ergo ex vi Bullæ Sanctæ Cruciatæ dictis cibis in Dominicis vesci non licet. ¶ Sed hæc levia sunt: nam ad primum dicimus, talem declarationem Summi Pontificis nobis authentice non constare, vnde nullam vim habere potest. ¶ Ad secundum respondetur: in præsenti Bulla ad verba Latina, & non Hispana attendendum esse; maxime cum Commissarius non habeat facultatem ad substantiam Bullæ, & eius verborum mutandam. Vnde credendum est, ibi loqui iuxta tenorem Bullæ Latinæ, hoc est in diebus ieiunij, non in diebus Quadragesimæ absolute loquendo.

Licite possunt operarij pauperes vesci ovis in Quadragesima absque Bullæ privilegio.

40 Rogabis hic primò: An Officiales, & operarij pauperes, dum ad manus non habent pisces, possint sine Bullæ privilegio vesci ovis, & lacticinijs? Non loquimur de pauperibus ostiatim mendicantibus, quia sine dubio, cum aliunde non habeant, vnde sustententur, licite possunt comedere frustra ovorum eis donata ratione necessitatis, habet enim secum necessitas magna privilegia. Ita Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 19. num. 5. Rodriguez tom. 1. Sum. cap. 23. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 7. num. 6. Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 9. & alij communiter. Vnde de alijs pauperibus loquimur, qui labore quotidiano victum sibi, & filijs comparant. Ad quod etiam respondetur affirmative. Et ratio est: quia Ecclesiæ ieiunium suave est; sed tale non esset, sed valde onerosum, si in locis, vbi deficiunt pisces, cogerentur pauperes officiales, & agricolæ solo pane vesci: ergo possunt simul ova, & lacticinia comedere. ¶ Nec obstat: quod alimentum ex pane, herbis, leguminibus, aut fructibus agricolis, maxime in Montanis habitantibus, sufficiens ad vitæ sustentationem videtur. Quia licet hoc forte ita esset pro vno, vel altero die, & pluries dictis cibis vescendo, non tamen pro tota Quadragesima, cum ad hoc maiores vires requirantur, & prædicti cibi insufficiens alimentum sint ad vires reparandas, & ad continuum dictorum pauperum laborem sufferendum: ergo ad hoc cogendi non sunt, sed possunt edere ova, & lacticinia, quæ vel forte domi habent, aut facile vbique inveniuntur. Ita Sanchez loc. cit. num. 4. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 7. num. 6. Pasqualigus decis. 80. Machado tom. 2. Sum. lib. 6. part. 8. tract. 9. docum. 2. n. 3. ¶ Vnde addit primò Sanchez, quod eadem causa, & necessitate existente, possunt præbere ova, & lacticinia suis domesticis, operarijs, messoribus, & putatoribus diebus vetitis; quia prædicta piscium penuria eorum esum licitum sine Bulla reddit. Secundò addit: idem dicendum esse de iter agentibus, licet divites sint, dum pisces non inveniunt, quos emant; quia alij cibi sufficientes non sunt, vel ad iter agendum, vel ad ieiunandum, quando itineratio à ieiunio non excusat. Ita Sanchez num. 6. Pasqualigus decis. 84. Leander de Murcia in cap. 3. Regul. Divi Francisci, quæst. 11. num. 4. loquendo de sui Ordinis Religiosis. Trullench dub. 7. alleg. num. 6.

In ieiunijs Quadragesimæ non licet in notabili quantitate panem biscotú comedere.

41 Rogabis secundò: An in ieiunijs Quadragesimæ liceat comedere in quacumque quantitate panem biscotum, vulgo *Vizcochos*? Affirmant Pasqualigus decis. 85. num. 3. & alij apud Rodriguez. Et moventur: quia quantitas ovi, quæ in dicto pane miscetur, licet secundum se esset sufficiens ad mortale, si seorsim acciperetur, tamen immixta pani, ita absorbitur ab eius substantia, vt non censeatur quis ovis vesci, sed pane; sicut apparet in iure, vbi non censetur comedere carnem, qui iure vescitur. ¶ Sed vt omnino certum tenendum est, nullo modo posse in diebus Quadragesimæ vesci biscoto pane, si id in magna quantitate fiat. Primò: quia substantia ovorum non deperditur, ex quo misceatur farinæ; alias maneret panis visualis, qui posset consecrationi deservire: ergo quia ibi remanet substantia ovorum. ¶ Secundò: quia si ex quo ova farinæ miscerentur, propriam substantiam deperderent, etiam cibum album, vulgo *Manjar blanco*, confectum ex carne, & farina pos-

sent

set in diebus prohibitis quilibet comedere; sed hoc est absurdum: ergo & illud. ¶ Tertiò: quia ova absolute prohibentur: ergo & si sint mixta cum alia substantia manent prohibita. Vnde communiter Doctores solum admittunt posse sine ieiunij fractione edi tantum duos biscotos. Sic Ledesma 2.part.tract. 27. de Abstin. cap.2.diffic.5. pag. mihi, 741. Rodriguez 1. part. Sum. cap. 23. ante 1.concluſ. Villalobos tom. 1. tract. 23. difficult. 7. num. 3. Trullench lib. 3. Decal. cap.2.dub.3. num.8. Diana 1.part.tract.9.resol.31.Ioannes à Cruce in Direct. Consc. part. 1. præcept. 3. art.4. dub.8. concluſ.4.

PUNCT. III.

De vnica refectione, vbi de Collatione serotina.

SEcundum, quod, vt punct. 1. num. 8. vidimus, requiritur ad formam ieiunij Ecclesiastici, est vnica comestio; & ideo secundò etiam loco de ea in hoc 3. puncto agendum est.

§. I.

Qualiter vnica refectio ad ieiunij formam requiratur?

Requiri essentialiter ad ieiunium vnicam comestionem, Populi consuetudine introductum est.

42 QUod autem vnica refectio requiratur, vt quid essentiale, licet minus principaliter, ad essentiam ieiunij, tenent communiter Doctores, quos supra dedimus punct.1. num.9. Quo vero iure id præcipiatur, non est vna Doctorum sententia. Nam Caietanus 2. 2. quæst.147. art.6. & Panormitanus in Rubric. de Observat. Ieiun. docent: id esse cautum in cap. *Quadragesima, de consecrat. dist.* 5. Cæterum probabilius Divus Thomas 2.2.quæst.147.art.6.in argum. *Sed contra*, docet, ex communi consuetudine populi Christiani, quæ vim legis habet, id introductum esse. Cum Angelico Doctore conveniunt Innocentius in cap. 1. de Observat. Ieiunior. Sylvester verb. *Ieiunium*, quæst. 3. Covarrubias lib.4. Variar. cap. 20. num. 11. Fagundez de 4. Eccles. præcept.num.1.& alij, quia nullus allegari potest Iuris Canonici textus, qui id clare præcipiat. Quare vero id communi Ecclesiæ consuetudine introductum sit, docet Angelicus Doctor in corpore art.6. cit. his verbis: *Dicendum, quod ieiunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refrænandam, ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur vnica comestio, per quam homo potest, & naturæ satisfacere, & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vices. Et ideo Ecclesiæ moderatione statutum est, vt semel in die à ieiunantibus comedatur.*

43 Rogabis primò: An qui in die ieiunij semel comedit; sed tot cibarijs, & condimentis in illo vnico prandio vtitur, vt se ingurgitet, nullam que carnis afflictionem sentiat, quin potius gulam, & libidinem irritet, satisfaciat præcepto Ecclesiastico de ieiunio? Prima sententia est negativa. Primò: quia medijs ieiunijs intendit Ecclesia corpora castigare, illicitos motus reprimere, vt mens sit aptior ad divina contemplanda; sed hic finis minime assequitur, si ieiunans cibos vsque ad ingluviem edit in vnico prandio: ergo non satisfacit ieiunij præcepto. ¶ Secundò: Vnica refectio, si immoderata, & intemperata modo descripto est, eodem modo contrariatur fini humano legis ieiunij, sicut plures refectiones; sed qui pluries comedit, non adimplet Ecclesiastici ieiunij præceptum, vt omnes tenent: ergo nec qui semel immoderate comedit. ¶ Tertiò: quia si in casu posito semel comedens intemperate satisfaceret ieiunij præcepto, sequeretur, quod virtutis præceptum adimpleretur per contrarium eius, quod præcipitur, quod nullus affirmabit; sed qui vnica refectione se ingurgitat, exercet gulam, quæ contraria est abstinentiæ lege ieiunij præceptæ: ergo adimplet legem ieiunij, exercendo contrarium eius, quod per illam præcipitur. ¶ Quartò: nam Divus Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 3. ad 2. ait: *Cuius auctoritatem* (loquitur de legislatore) *si aliquis transgrediendo statutum, contemnat, vel hoc modo transgrediatur, vt impediatur finis, quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor.* Sed in præsenti casu impeditur finis legislatoris, scilicet abstinentia ciborum, & corporis maceratio: ergo peccat mortaliter, transgrediendo dictum ieiunij præceptum. Sic Maior in 4. dist. 15. quæst. 3. Martinus Ayala Episcopus Guadixiens.lib.3.de Tradit.Eccles. cap.1. de Ieiun. Covarrubias lib.4. Var. cap. 20. num. 12. & alij apud Innocentium in Rubric. de Observat.Ieiun. num.3.

Vnica refectio, si sit vsque ad ingluviem, nó satisfacit iuxta aliquos præcepto ieiunij.

44 Probabilior tamen est contraria sententia, affirmans, quod etsi tunc ita comedens peccet contra temperantiæ virtutem, non tamen contra legem Ecclesiastici ieiunij. Et ratio prima est: nam Ecclesia licet præcipiat vnicam refectionem, & ciborum qualitatem, non tamen assignat ciborum quantitatem; nec, vt bene dicit Divus Thomas 2.2. quæst.147.art.6.ad 1.eam potest taxare propter diversas corporum complexiones, ratione quarum vnus maiori, alter minori cibo indiget: ergo dummodo ieiunans observet vnicam refectionem, & ciborum qualitatem, etsi in quantitate excedat, peccabit contra temperantiam, non vero contra legem ieiunij. ¶ Secunda est: quia Divus Thomas ostendens 2. 2. quæst. 146. art.6. ad 2. qualiter non frangat ieiunium, etsi pluries quis bibat, addit: *Si autem quis immoderate potu vtatur, potest peccare, & meritum ieiunij perdere, sicut etiam si immoderate cibum in vna comestione assumat.* Sed qui immoderate bibit, non peccat contra legem ieiunij, sed contra legem temperantiæ: ergo immoderate edens non peccat contra præceptum ieiunij, sed contra temperantiæ virtutem. Videa-

Probabilius est oppositum.

tur etiam in 4.dist.15. q.3. art.4.quæstiunc.3. ad 2. vbi docet, quod qui nimis comedit quo ad quantitatem, licet forte meritum ieiunij amittat, non tamen statutum Ecclesiæ transgreditur; quia ea, in quibus non potest accipi certa mensura, non cadunt sub determinatione Legislatoris. ¶ Tertia est: quoniam finis extrinsecus præcepti non cadit sub præcepto; sed mortificatio corporis, & appetituum sensualium, cœlestium que contemplatio est finis extrinsecus Legislatoris legem ieiunij Ecclesiastici ferentis: ergo etsi, qui immoderate, & laute vsque ad ingluviem vescitur, huic fini extrinseco impedimentum apponat, non tamen peccat contra finem intrinsecum ieiunij, scilicet abstinentiam à certis cibis, & carnibus, quod erat necesse, vt præceptum ieiunij violaretur, vt diximus tract.11. cap.4. punct.1. ¶ Quarta est: nam existens in peccato mortali, ponit impedimentum, vt possit libere mentem in Deum erigere, & cælestia contemplari, qualiter intendit Ecclesia medio ieiunio; & tamen si observet formam ieiunij Ecclesiastici, vere adimplet præceptum ieiunij, vt omnes fatentur: ergo licet intemperate semel comedens ponat impedimentum fini extrinseco ab Ecclesia intento medio ieiunio, si tamen formam ieiunij observet, vere illius præceptum adimplet. Ita Medina in 4. Sent. tract. de Ieiun. C. de numero refectionum. Innocentius in *Rubric. de Observat. Ieiun.* num. 4. Caietanus 2.2.quæst. 147. art. 3. Ledesma part.2.tract. 27. cap. 2. difficult. 2. Villalobos tract. 23. diffic.8. num.13.Palaus tom.7.tract.1.disp.3. §.2. num.1. in fine. Abulensis in cap.6.Matth. quæst. 166. Læsius lib.4.cap.2. dubit.2. n.10. Reginaldus lib. 4. cap.14.num.163.Bonacina disp.vlt. de præcept.Eccles. quæst. 1. punct.2. num. 7. Bassæus verb. *Ieiuntum*, num. 6. Pasqualigus decis. 120. & alij apud ipsum.

Argumenta solvuntur.

45 Ex quibus patet ad argumenta. Nam ad primum dicitur: quod per immoderatam comestionem non impeditur finis intrinsecus præcepti, scilicet abstinentia à certis cibis, sed finis extrinsecus, qui non requiritur ad adimplctionem præcepti. ¶ Ad secundum respondetur: plures refectiones esse contra finem intrinsecum præcepti ieiunij, cum sit contra essentiam ipsius, quod non accidit in vnica comestione, etsi immoderata. ¶ Ad tertium negatur sequela: nam abstinentia, quæ in ieiunio præcipitur, non est absoluta, hoc est ab omni cibo, sed tantum à carnibus, & alijs determinatis esculentis; huic non contrariatur gula in cibis quadragesimalibus, v. g. cum ea posita, adhuc abstinentia dicta salvetur. Vnde non adimpletur præceptum per actum contrarium ei, quod præcipitur. ¶ Ad quartum negatur minor: quia Divus Thomas loquitur de fine intrinseco legis, non vero extrinseco, & ille salvatur, dummodo ieiunans à carnibus, alijs que cibis prohibitis abstineat, & semel in die, licet immoderate, comedat.

Sententia docens, toties quis pec care, quoties post primã comestionẽ in die ieiunij edit.

46 Rogabis secundò: An comedens pluries in die ieiunij, licet non sit qualitas cibi prohibita, pluries etiam graviter pecet? Affirmant aliqui. Primò: quia præceptum ieiunij est negativum: ergo & si per primam comestionem violetur, adhuc poterit per secundam violari, sicut supra num. 29. diximus de præcepto abstinendi à cibis vetitis. ¶ Secundò: quia esto, supposita prima comestione, ieiunare perfecte non possit, potest tamen imperfecte ieiunare, cum pro tota die sit posita lex ieiunij, & qui non potest servare totam legem, tenetur ad partem: ergo si iterum comedat, peccabit iterum contra ieiunij legem. ¶ Tertiò: nam præcipere, vt semel tantum quis in die comedat, idem est, ac prohibere, ne sæpius quam semel comedat; sed præcepta hoc modo lata semper servari debent: ergo sicut peccat non solum qui primum furtum facit, sed etiam qui secundum, ita peccat, & legem ieiunij perfringit, qui secundo, & tertio comedit. ¶ Quartò: qui vovet castitatem, toties peccat, quoties fornicatur, aut castitatem violat: ergo qui ieiunat, toties peccat, quoties post primam comestionem edit. Ita Maior in 4. dist. 15. quæst. 6. Medina C. de ieiun. quæst. 5. vers. *Ego tamen.* Covarrubias lib.4. Var. cap. 20. num. 13. & apud ipsum Ioannes de Neapoli. Montesinos 1. 2. quæst. 73. art.2. disp.5. quæst.4. num.47. Silvius 2.2. quæst.147. art.6.quæst.3.

Probabilior est sententia contraria.

47 Sed verius alij negant. Primò: quia ieiunium in secunda comestione fuit fractum: ergo nequit frangi in tertia, & quarta. Tum sic: sed si tunc peccatum committeretur, esset quia frangitur ieiunium: ergo si non frangitur in tertia, & quarta, minime in his comestionibus peccatur. ¶ Secundò: ablata forma ieiunij, nequit eius essentia, & obligatio deinceps manere; sed vnica comestio pertinet ad essentiam, & formam ieiunij Ecclesiastici, & hæc violatur, & destruitur per secundam comestionem: ergo post hanc nequit essentia, forma, & obligatio ieiunij persistere, quæ per tertiam, aut quartam comestionem destruatur. ¶ Tertiò: si alicui præcipiatur, ne vas aliquod frangeret, si semel vas fregit, de materiali est, quod in paucas, aut in multas partes dividat, cum iam integrum servare nequeat: ergo similiter qui semel ieiunium per secundam comestionem fregit, de materiali est, & non contra præceptum, quod deinceps per alias minimas partes frangat, cum post secundam comestionem iam illæsum servare non possit. ¶ Quartò: quia hanc sententiam comprobat praxis fidelium, qui in confessione solum fatentur, se fregisse ieiunium, non vero se toties in die ieiunij comedisse: ergo quia aliæ comestiones præter secundam peccata contra præceptum ieiunij minime existimantur. Sic Durandus in 4.dist.15. quæst.11. num.9. Caietanus 2. 2. quæst.147. art.8. Navarrus cap. 21. num. 15. Ledesma 2. part. tract. 27. cap. 2. concluf. 3. difficult. 4. Azor 1. part. lib.7. cap. 9. Suarez tom.2. de Relig. lib. 4. cap. 7. num. 12. Læsius lib. 4. cap. 2. dubit.3. num.15. Villalobos part.1. tract.23. difficult.6. num.5. Bonacina disp. vlt. de præcept.Eccles. quæst.1.punct.3.num.7.Trullench lib.3. Decal. cap. 2. dub. 3. num. 3. Leander tract.5. disp.9.quæst.2. Fagundez de 4.Eccles.

præ-

præcept. lib. 1. cap. 4. num. 5. Gordonius tom. 2. lib. 6. quæst. 18 cap. 5. num. 9. Diana part. 1. tract. 9. resol. 44. & alij apud ipsum.

Sententiæ contrariæ argumẽtis respondetur.

48 Ad primum argumentum sententiæ contrariæ respondetur primò negando antecedens ex dictis punct. 1. num. 7. quia ieiunij præceptum primo, & per se est affirmativum, & quasi secundario negativum. Et ratio est: nam primo, & per se præcipit parsimoniam victus, & moderationem in cibis; at quia hoc assequi intendit per abstinentiam carnis, & vnicam in die comestionem, ideo consequenter ea iubet, vnde est principaliter affirmativum, & secundario negativum. Vnde nihil contra nos. ¶ Vel secundò respondetur: admittendo esse negativum, sed hinc non sequitur, quod omnes comestiones prohibeat; quia non est negativum absolute, sicut præceptum abstinendi à carnibus, sed finite, & determinate; cum præcipiat, ne bis comedamus: & hæc præcepta negativa non omnes, sed determinatos actus prohibent. ¶ Ad secundum constat ex immediate dictis; quia dictum præceptum non est divisibile, sed vnicam tantum comestionem præcipit. ¶ Ad tertium negatur antecedens: quia præcepta, cum sint odiosa, in rigorosa significatione intelligenda sunt; in præsenti autem casu solum præcipitur vnica comestio: ergo ad alias extendendum non est. Nec obstat exemplum præcepti de non furando; quia hoc est absolute negativum, & ideo omnia furta prohibet. ¶ Ad quartum concesso antecedenti, negatur consequentia: nam votum castitatis est absolutum, & pro tota vita obligans, affert que negationem absolutam cuiuscumque obscœni, turpis, & castitati contrarij; quam absolutam negationem non comedendi minime importat ieiunij præceptum. Vnde non est inter hos casus vlla paritas.

Illationes notãdæ circa interruptionem refectionis.

49 Ex quibus infertur primò: quod in tertia, & quarta comestione nec venialiter, vt aliqui volunt, peccatum committitur; cum ex præcepto ieiunij minime dictæ comestiones prohibeantur. Sic Villalobos, Trullench vbi supra, & Diana 1. part. tract. 9. resol. 33. ¶ Infertur secundò: quod qui è mensa surgit, animo statim revertendi, & refectionem continuandi, non violat ieiunium; quia moraliter est vnica refectio cum prima continuata. Ita Navarrus cap. 21. num. 15. Caietanus in Sum. verb. *Ieiunium*, Azor 1. part. lib. 7. cap. 9. qq̃st. 2. Fagundez cap. 4. cit. num. 3. Villalobos tract. 23. difficult. 6. num. 2. Palaus tom. 7. tract. 1. num. 2. & alij communiter, Ioannes Sanchez in Select. disp. 52. num. 4. qui extendit hoc, quamvis duarum horarum spacium interceſſerit; sed hæc est nimia interruptio, quare moraliter arbitrio prudentium distantia metienda est, taliter quod tot temporis non intercedat, vt diversa refectio censeatur. Vnde spacium dimidiæ horæ, causa alicuius negotij expediendi, comestionem non interrumpere, cum Bonacina num. 10. Trullench n. 13. Villalobos num. 2. credimus. Imò Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 24. num. 1. cum alijs addit, non esse habendum scrupulum, etiam si per dimidiam, aut vnam horam prandium interrumpatur: & ita Officialis, qui descendit ad officinam ad tradendas merces, quas emptor tunc petebat, potest adhuc prosequi prandium.

Aliæ duæ illationes.

50 Infertur tertiò: quod si è mensa quis surgit animo iam amplius non comedendi, tunc si iterum comedat, frangit ieiunium; quia est diversa comestio cum prima non continuata moraliter. Sic Navarrus num. 14. Villalobos n. 2. sed limitant Læsius lib. 4. cap. 2. dubit. 2. Villalobos num. 2. Bonacina n. 10. Trullench num. 13. nisi forte prandium duret adhuc, tunc enim si mutata intentione rediret ad convivas, à quibus recesserat, non censetur bis prandere; quia adhuc perseverat incæptum prandium, quod vtique satis probabile est: probabilius tamen cum Villalobos tenemus, non violare ieiunium, qui credens prandium finitum esse, involuit mappulas, sed postea alio appositio ferculo, eo vescitur; quia vnicum prandium est, & ex ignorantia non amplius comedere quasi statuerat. Sanchez num. 5. ¶ Inferunt quartò Navarrus num. 21. Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 5. Sylvester verb. *Ieiunium*, num. 21. quod qui die ieiunij sive culpabiliter, sive inculpabiliter, v. g. profectionis causa, ientaculum sumpsit, etiam si contingat non proficisci, non teneri eo die ieiunare. Cæterum hoc absolute falsum est, & solum concedendum, quando illa sola comestione non posset reliquo die commode ieiunare. Sic Læsius lib. 4. cap. 2. dubit. 3. num. 18. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 2. num. 24. Trullench num. 5. & Bonacina num. 8.

Lectores, & ministri mẽsæ possunt aliquid sumere antequã legant, aut ministrent.

51 Infertur quintò: non frangere ieiunium Lectores, & ministros mensæ in monasterijs aliquid cibi præsumentes. Tum: quia id faciunt, ne vires notabiliter debilitentur; tum: quia est inchoatio quædam prandij, & temporis divisio iusta de causa fit. Divus Benedictus in Regul. cap. 38. Abulensis in cap. 6. Matth. quæst. 145. Caietanus verb. *Ieiunium*, cap. 1. Læsius dubit. 2. num. 11. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 24. num. 2. Bonacina num. 10. Azor lib. 7. cap. 9. quæst. 1. Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. §. 2. num. 3. Et extendit Sanchez num. 3. ad famulos, qui mensæ dominorum inserviunt, & si gulose comedant ex his, quæ de mensa tollunt, si statim post dominos sunt ipsi comesturi; quia totum hoc vnica comestio reputatur, & possunt illo modo incipere comestionem. Cui assentitur Trullench. ¶ Idem dicendum est de coquo, & alijs, qui cibum prægustant, ne dominus torre toxico pereat; sive prægustatio fiat mane, sive prandij tempore; sive res gustata sint carnes, ova, aut pisces; quia Ecclesia solum vetat eam refectionem, quæ instituta est ad reficiendum corpus; hæc vero instituta est causa obsequij erga dominos. Sic Navarrus cap. 21. num. 13. Sylvester verb. *Ieiunium*, §. 9. Filliucius tr. 27. cap. 2. quæst. 9. num. 36. Abulensis loc. cit. quæst. 165. & 171. Trullench lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 10. Bonacina punct. 3. allegat. num. 10. Villalobos difficult. 6. allegat. num. 3. Reginaldus lib. 4. num. 166. Azor dicta q. 1. Palaus num. 3. allegat. addens cum Azor,

Toleto, Saa, Navarro, & alijs, quod si prandium tibi differendum est vltra communem horam, potes aliquid cibi sumere, vt vires non deficiant, nec stomachi dolore præmaris; quia tunc per modum medicinæ sumitur.

Electuaria non violant ieiuniũ, nisi in fraudem assumantur.

52 Infertur sextò: non violare ieiunium, qui sumit electuaria ægritudini medendæ, aut probabiliter præcabendæ necessaria; quia tunc medicamenta sunt, non vero alimenta. *Nisi forte aliquis* (verba sunt Divi Thomæ 2. 2. quæst. 147. art. 6. ad 3.) *in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Et ratio est: quia electuarium in quantum tale, & per modum medicinæ, in parva quantitate debet sumi; si vero in magna quantitate sumatur, iam non est electuarium, sed cibus ad nutriendum ordinatus, & non ad ciborum digestionem, vnde fraudulenter tunc dicitur electuarium. Divum Thomam sequuntur Caietanus ibi. Læsius dub. 2. num. 10. Navarrus cap. 21. num. 12. Abulensis quæst. 178. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 7. Palaus num. 3. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 3. num. 12. & alij communiter. Vnde, ne potus tibi, ad extinguendam sitim necessario sumendus, noceat, poteris frustulum panis, aut cibi sumere; quia hoc est per modum medicinæ. Sic Navarrus num. 13. Azor lib. 7. cap. 10. quæst. 7. Sancius in Select. disp. 51. num. 3. Palaus loc. cit. Sylvester verb. *Ieiunium*. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 2. num. 20.

Et si ob delectationem sumantur electuaria, nó solvunt ieiunium.

53 Gravior tamen difficultas est: An electuaria ob solam delectationem sumpta, ieiunium frangant? Affirmat Leander tract. 5. disp. 5. quæst. 15. quia dicta electuaria, cum ex sacharo condiantur, habent rationem cibi nutritivi: ergo illorum sumptio ieiunium frangit. Idem tenent Innocentius in Rubric. de Observat. Ieiun. num. 5. & alij, quos suppresso nomine allegat Divus Thomas in 4. dist. 15. quæst. 3. (non 4. vt ait Leander) art. 4. quæstiunc. 1. ad 3. ¶ Sed probabilius cum Angelico Doctore loco proxime citato, Sylvestro verb. *Ieiunium*, quæst. 3. num. 9. in fine. Abulensi in cap. 6. Matth. quæst. 169. in fine, & alijs, dicendum est, quod etsi ob delectationem electuaria sumantur, minime ieiunium infringunt. Et ratio Divi Thomæ est: quia lex positiva non attendit ad intentionem observantis, sed ad ipsum actum secundum se, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti; sed electuaria secundum se non prohibentur lege ieiunij, quia licet aliquomodo nutriant, non tamen principaliter sunt instituta, nec sumuntur ad nutriendum, sed ad digestionem ciborum, vt ait Angelicus Doctor, tam ibi, quàm 2. 2. quæst. 147. art. 6. ad 3. Ergo licet ob delectationem sumantur, non infringunt ieiunium. Vlterius: vinum vere nutrit, & magis quam electuaria; & tamen quia institutum non est ad nutriendum, sed ad extinguendam sitim, esto ob delectationem sumatur, ieiunium non solvit: ergo idem dicendum est de electuarijs. ¶ Ad motivum contrarium constat ex dictis, quod electuaria rationem cibi principaliter non habent, sed ad digestionem ciborum ex se ordinari. Vnde ieiunium frangere non valent.

Rogatus ab amico nequit licite aliquid sumere.

54 Infertur septimò: eum, qui rogatus ab amico aliquid sumit, ne inurbanus videatur, peccare contra ieiunij legem; quia petitio illa iniqua est, cum vera vrbanitas contraria nequeat esse Ecclesiasticis præceptis; & potius parendum est Deo, quam amico; nam, vt ait commune proloquium, *Amicus vsque ad aras.* Sic Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 2. Divus Antoninus 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 6. Caietanus 2. 2. quæst. 147. art. 3. Sylvester verb. *Ieiunium*, quæst. 3. Navarrus cap. 21. num. 13. Azor lib. 7. cap. 9. quæst. 1. dictos referens, & asserens, peccare pro qualitate, & quantitate cibi hac sola de causa sumpti. Idem docet Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 2. §. 2. num. 3. in fine contra Medinam lib. 1. cap. 14. §. 10. Fagundez lib. 1. de 4. Ecclesiæ præcept. cap. 4. num. 3. fine.

§. II.

An potus ieiunium solvat?

PLura se offerunt in præsenti sub nomine potus tractanda, de quibus apud Doctores est non modica lis, an, nec ne solvant ieiunium, sed in præsenti difficiliora resolvemus. Vnde

Vinum iuxta aliquos in fraudem ieiunij sumptum ieiuniũ frangit.

55 Rogabis primò: An vinum, adhuc in fraudem ieiunij sumptum ad sedandam famem, violet ieiunium, si pluries extra comestionem permissam sumatur? Affirmasse videtur Divus Thomas in 4. sent. dist. 5. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 1. ad 1. adhærendo forte opinioni Patrum, qui antiquitus hoc docuerunt, vt Clemens Romanus lib. 5. Const. Apost. cap. 17. Origenes lib. 3. in Iob. Cyrillus Hyerosolimitanus Catechesi 4. Divus Basilius Homil. 1. de Ieiun. Divus Augustinus Serm. 64. de Tempore. Hieronymus lib. 2. contra Iovinianum, qui omnes referunt, consueta veterum Christianorum ieiunia carnium, & vini potu caruisse. Quos plures Theologi postea sequuti sunt, maxime quando sumitur in fraudem ieiunij. Ita tenent Rosella verb. *Ieiunium*, num. 5. Ricardus in 4. dist. 15. quæst. 7. art. 3. Divus Antoninus 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 9. Metina C. de ieiun. quæst. *Per quæ ieiunium Ecclesiæ solvitur.* Sylvester quæst. 3. dict. 1. Abulensis in cap. 6. Matth. quæst. 164. Reginaldus lib. 4. cap. 13. num. 153. & alij. Et ratio est: quia fraus nemini patrocinari debet: ergo legem ieiunij violat, qui in fraudem illius vinum pluries ebibit.

Oppositum nunc est probabilius.

56 Sed iam concors Canonistarum, & Theologorum sententia est, vinum, quocumque fine sumatur, ieiunium frangere non posse. Et ratio est: quia, vt ait ipse Angelicus Doctor loc. cit. ad 3. *Statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, sed est finis præcepti.* Sed actus bibendi vinum, cum vere sit potus, ieiunium ex se non frangit: ergo nec frangere debet, & si ad nutritionem in fraudem ieiunij sumatur. ¶ Secundò: Intentio sumentis nequit

quit mutare rerum naturam, & facere, quod sit cibus, id quod ex se potus est; sed ex se vinum est potus, & primo & per se ordinatur ad extinguendam sitim, ad bonam que dispositionem eorum, quæ nutriunt, vt scilicet per membra deducantur, & in stomacho non comburantur: ergo & si ex intentione sumentis ordinetur ad famem extinguendam, & secundario ad id conducat, non ideo desinit esse potus, vnde ieiunium frangere nequit. ¶ Tertiò: quia Ecclesia solum prohibet id, quod ex sua institutione est cibus, seu alimentum; sed vinum ex sua institutione est potus, & non cibus: ergo, &c. ¶ Quartò: quia communis fidelium consuetudo, & praxis ita tenet: ergo quid quid antiquitus obseruatum fuerit, nunc iam vini vsus ieiunium non frangit. Per quod patet ad rationem contrariam. Nostram vero assertionem videtur docere Angelicus Doctor 2.2. quæst.147 art.6.ad 2. & expresse eam tenent Navarrus in Sum. Latina, cap.21. num. 13. Durandus in 4.dist.15. quæst. 9. Turrecremata cap. *Non oportet*, de consecrat. dist. 3. Toletus in Sum. Sanchez lib. 5. Consil. cap.1. dub.23. num. 3. Santius in Select. disp. 51. num.2. Filliucius tract.27. part.2. cap.2. num.42. Leander tract.5. disp. 5. quæst. 3. Fagundez in 4. Eccles. præcept. lib.1. cap.2. num.19. Azor tom.1. lib.7. cap. 10. quæst.7. v. *Certe negari non potest*. Villalobos tract. 23. difficult. 8. num. 14. Læsius lib.4. cap. 2. dubit.2. num.10. Layman lib.4. Sum. tract. 8. cap. 1. num. 7. Palaus tom. 7. lib.1. disp.3. punct.2. §. 2. num. 4. Diana 1. part. tract.9. resol. 23. N. Lezana verb. *Ieiunium*, num. 2. Trullench lib.3. Decal. cap.2. dub.1. num.3. Bonacina disp.vlt.de 1. Eccles. præcept. quæst. 1. punct. 1. num. 6. Thomàs Hurtado part. 2. tract. 10. cap. 1. num. 5. & alij communiter.

Quid dicendum de alijs artificialibus potubus.

57 Vnde infertur primò: quod ieiunium minime solvit potus Cervisiæ, Aloxiæ, aquæ sacharo mixtæ, & aliarum aquarum, quæ ex cinnamomo, cerasis acribus, hordeo, & alijs rebus quotidie adinveniuntur, & gustui aptantur; quia sacharum, mel, cinnamomum, aut aliæ res, quæ cum prædictis aquis admiscentur, licet secundum se habeant rationem cibi, tamen infunduntur in parva quantitate, & adeò liquantur, vt propriam naturam amittant. Cæterum si parum aquæ cum magna harũ rerum quantitate misceretur, tunc absque dubio ieiunium frangeret; quia iam esset cibus, & alimentum, minime vero verus potus. Sic communiter Doctores. ¶ Infertur secundò: quod aliqua liquida, quæ per se habent rationem cibi, vt lac, ius, & similia solvunt ieiunium; quia ordinantur ex se ad nutriendum. Ita Abulensis quæst. 173. in cap. 6. Matth. Sanchez lib.5. Consil. cap.1. dub.23. num.1. & alij apud ipsum. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 15. N. Lezana verb. *Ieiunium*, num. 2. Fagundez lib. 1. cit. cap. 4. num. 14. Rosella verb. *Ieiunium*, n.3. Tabiena eodem verbo, num. 24. Pasqualigus de Ieiun. decis. 116. & alij.

Sensus quæstionis de Chocolato.

58 Vnde, & satis difficulter, rogabis secundò: An potio Chocolatica solvat ieiunium, & ideo illicitum sit, toties quoties in prædictis ieiunij diebus eam sumere? Non loquimur de Chocolato antequam liquefiat; quia hoc modo sumptum est vere cibus. Vnde sicut manducans poma, ex quibus fit Cirvisia, frangit ieiunium, sic similiter frangit, qui manducat Chocolatum nondum liquatum. Similiter ieiunium frangit, si illud sumat quis lacte, ovis, aut farina liquatum, aut mixtum; quia, cum prædicta rationem cibi per se habeant, illud tunc à ratione potus vere extrahunt. Quare de illo in præsenti solum agimus eo modo, quo communiter in Hispania, Indijs que occidentalibus ab omnibus sumi solet.

Prima sententia asserens potionem Chocolaticam, etiã in magna quantitate sumptã, ieiuniũ non solvere.

59 Circa quam difficultatem prima sententia est negativa, & consequenter toties quoties quis voluerit, poterit Chocolatum licite in diebus ieiunij sumere. Et probant primò: nam iuxta Divum Thomam in 4.dist.15. quæst.3. art. 4. quæstiunc.1. *Si autem aliqua sumantur, quæ ad manducandum de se ordinata non sunt, sed ad alium vsum, qui vsus communiter manducatio non vocatur, talis cibi, vel potus sumptio præter manducationem vnam ante, vel post, non facit esse binam manducationem; & ideo talis sumptio ieiunium non solvit.* Sed sumptio Chocolatica aqua diluta nõ ordinatur de se ad manducandum, sed ad bibendum, sitim extinguendam, cibos que digerendos: ergo & si bis, aut pluries sumatur, ieiunium non frangit. ¶ Secundò: Vinum, & si satis nutriat, ieiunium non solvit: ergo nec Chocolatum, & si nutritivum sit, cum vtrumque per modum potus sumatur. ¶ Tertiò: Aqua cocta melle, & speciebus aromaticis, vulgo *Aloxa*, & aqua mixta sacharo, & malo citreo, vulgo *Agua de limon*, ieiunium non frangunt; quia licet ex rebus comestibilibus, & nutritivis componantur, tamen ex sua primaria institutione sunt potus; sed Chocolatum ex primaria institutione per modum potus sumptum est, & ad sedandam sitim ordinatum: ergo licet ex rebus comestibilibus, & nutritivis componatur, ieiunium non frangit. ¶ Quartò: Electuaria, etiam in magna quantitate, pluries in die ieiunij sumi possunt iuxta doctrinam Divi Thomæ num. 52. & 53. traditam; quia etiam si aliquomodo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum, vt ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 147. art.6. ad 3. sed potio Chocolatica, & si aliquomodo nutriat, non tamen principaliter assumitur ad nutriendum, sed ad digestionem ciborum: ergo, &c. ¶ Quintò: Vsus specierum aromaticorum in potione, ieiunium non solvit; quia licet nutriat, ordinatur tamen principaliter ad corporis alterationem, & ciborum digestionem; sed ad idem ordinatur potio Chocolatica: ergo, &c. ¶ Sextò: quia Pius V. Gregorius XIII. & Paulus V. vt refert Thomàs Hurtado part. 2. tract. 10. cap. 5. à num. 98. & in Appendice ad dict. tract. cap. 5. à num. 74. declararunt, potionem Chocolaticam ieiunium non frangere: ergo ita dicendum est. ¶ Septimò: quia omnes viri docti, tam Religiosi, quam Sæculares

in

in Hiſpania vtuntur in diebus ieiunij dicta potione: ergo ex conſuetudine licita eſt. Sic Thomàs Hurtado part.2. tract. 10. & in Appendice ad illum referens num.69. Antolinum poſtea Archiepiſcopum Compoſtelanum, Baſilium, & alios Magiſtros huius Salmantinæ Academiæ Religionis Sancti Bernardi, Divi Franciſci, & Societatis Ieſu, & Doctorem Ramirez in Vniverſitate Hiſpalenſi primarium Medicinæ Cathedræ moderatorem, Ioſephum Pellizer Hiſtoriographum in libello de Phœnice, diatrice 7. Auguſtinum de Padilla Archiepiſcopum Hiſpaniolæ Inſulæ, Eſcobar in Exam. Confeſſorum, tract. 1. cap. 5. nec videtur diſſentire N. Antonius à Spiritu Sancto conſult. 95. num. 13.

Verius eſt, Chocolatũ in magna quantitate ſumptum ieiunium frangere.

60 Secunda, & probabilior ſententia eſt affirmativa, docens potionem Chocolaticam ex ſe ieiunium frangere, ſi toties quoties libuerit, ſumatur; ac proinde ſolum excuſare poſſe à tranſgreſsione præcepti ieiunij materiæ parvitatem. Primò: quia Chocolatum eo modo, quo ſumitur communiter, non ordinatur nec ex ſe, nec ex ſumentium intentione ad ſedandam ſitim, ſed ad famem pellendam, vt conſtat: ergo non eſt potus, ſed verus cibus, & conſequenter pluries acceptum ieiunium ſolvit. ¶ Secundò: nam licet fateamur, quod ea, quæ ex ſe habent rationem cibi, poſsint ita aqua liquefieri, vt propriam ſubſtantiam amittant, fiat que ex eis aliquis artificialis potus ieiunium non frangens, vt accidit in melle, ſpeciebus aromaticis, ſacharo, & ſimilibus, ex quibus aliqui potus communiter fiunt, tamen ingredientia, ex quibus Chocolatum conficitur, non ſic aqua diluuntur, vt propriam ſubſtantiam cibativam, & nutritivam amittant, cum maneant ſatis ſpiſſa, & condenſata, vt parum ab ipſis, pro vt in maſſa Chocolatica exiſtentibus, diſtinguantur: ergo falſum omnino eſt, quod ita confectum ſit verus potus, & non potius cibus ieiunium frangens. Tum ſic: ſed Chocolatum communiter ſatis ſpiſſum, & condenſatum ſumitur: ergo hoc modo ieiunium frangit, ſi toties quoties libuerit, ſumatur. ¶ Tertiò: nam ſiquis piſces comminueret, ſacharo que commiſceret, & poſtea aqua liquefaceret dictam maſſam, & biberet eo modo, ſpiſsitudine, & quantitate, qua Chocolatum ſumitur, abſque dubio ieiunium frangeret; ſed non minus cibativa eſt maſſa Chocolati, ac maſſa ex comminutis piſcibus confecta: ergo ſi in primo caſu potio illa ieiunium frangeret, etiam in ſecundo. ¶ Quartò: ius, lac, & ſimilia, & ſi modo potabili ſumantur, ieiunium ſolvunt: ergo & Chocolatum, cum eodem modo ſicut illa poſsit extinguere ſitim, & magis nutriat. ¶ Quintò: nam potus, vt ex Divo Thoma locis cit. num. 53. & 59. vidimus, ordinatur ad alterationem corporis, & digeſtionem cibi; rarificat enim cibum, ne calore induretur, & rarefactum facile conquoquatur, partes que corporis penetret; ſed potio Chocolatica ad id ex ſe non ordinatur, ſed ad nutrimentum: ergo potus non eſt, ſed verus cibus, eo modo quo in Hiſpania communiter ſumitur.

Auctores huius ſententiæ.

61 Quare nobiſcum ſentiunt Diana part. 4. tract. 4. reſol. 194. & part. 5. tract. 5. reſ. 11. Sanchez in Conſil. tract. 5. cap. 1. dub. 23. num. 1. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 2. num. 15. Palaus tom. 7. tract. 1. diſp. 3. punct. 2. §. 2. num. 4. Ioannes à S. Thoma in explicat. Doctrinæ Chriſt. part. de 4. Eccleſ. præcept. Villalobos in Sum. 1. part. tract. 28. difficult. 8. num. 15. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 10. quæſt. 7. Antonius de Leone quæſt. de *Chocolate*, p. 3. num. 20. Solorzanus in Polit. Indianar. lib. 2. cap. 10. pag. 119. Paſqualigus Tract. de Ieiun. deciſ. 141. à num. 2. Leander de Murcia quæſt. 15. in cap. 3. Reg. D. Franc. Leander à Sanctiſſ. Sacræm. part. 3. tract. 5. quæſt. 5. N. Lezana in Sum. qq. Regul. tom. 2. verb. *Ieiunium*, n. 2. vbi Chocolatum lacti, & iuri comparat, Turrianus in Sum. 1. part. cap. 256. dub. 24. concluſ. 4. & 7. Corella in Pract. Confeſſ. tract. 3. cap. 3. num. 30. & alij.

Argumentis contrarij, fit ſatis.

62 Ad primum argumentum ſententiæ contrariæ patet ex dictis, ex his enim conſtat, qualiter potio Chocolatica eo modo, quo ſumitur communiter, non ordinatur ad extinguendam ſitim, ſed ad famem ſedandam. Si vero ſumatur non ita ſpiſſa, ſed ita rara, ſicut aliæ potiones artificiales, quæ ex diverſis ſpeciebus aromaticis, & ſacharo conficiuntur, & quibus communiter vtuntur homines, tunc fatemur ieiunium non frangere, ſed in hoc ſenſu non procedit ſententia contraria. ¶ Ad ſecundum negatur conſequentia. Et diſparitas ſtat in eo, quod vinum ex ſua primæva inſtitutione eſt potus vſualis, & ad extinguendam ſitim, alimenti que decoctionem ordinatum, & eſt per accidens, quod nutriat ſimul; contrarium vero accidit in Chocolato, per ſe enim ordinatur ad nutriendum, & per accidens ad extinguendam ſitim. Ex quibus etiam conſtat ad tertium. ¶ Ad quartum reſpondetur: quod ſi Chocolatum ſumatur per modum medicinæ, & ſicut ſumuntur electuaria ex Medicorum diſpoſitione, tunc non franget ieiunium; quia non eſt ſumptio cibi, ſed medicinæ, at hoc modo non procedit præſens quæſtio; quia per modum medicinæ, nec neceſſe, nec ſalubre eſt, toties quoties illud ſumere, ſicut vult opinio contraria. Quapropter dixit Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 147. art. 6. ad 3. *Vnde electuaria ieiunium non ſolvunt, ſicut nec aliarum medicinarum aſſumptio, niſi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate aſſumat per modum cibi.* Vbi nota ex Divo Thoma, quod electuaria, dum in magna quantitate ſumuntur, deſinunt eſſe electuaria, de quorum ratione eſt ſumi moderate, & iuxta medicinæ regulas, & tranſeunt ad eſſe cibi. ¶ Ad quintum negatur minor: nam tales ſpecies aromaticæ ita diſſolvuntur, vt in aquæ ſubſtantiam convertantur, ſecus vero Chocolatum, vt communiter ſumitur. ¶ Ad ſextum plurimi Doctores negant dictas declarationes Summorum Pontificum; quia nulla earum authentica oſtenditur. Sed clarius reſponderi poteſt, quod Summi Pontifices ſolum declararunt, Chocolatum modo ſatis raro conditum, ſeu valde liquatum non frangere ieiunium ob parvitatem ma-

materiæ ; ſecus vero Chocolatum quod tantam quantitatem cibi habet, ſicut communiter homines vtuntur. ¶ Ad ſeptimum negatur adeſſe conſuetudinem ſumendi Chocolatum cum magna ingredientium quantitate, & ſolum conceditur, dum in parva quantitate ſumitur. Sic enim ſemel tantum in die ieiunij timorati dicto potu vtuntur, & non aliter, vt à Religioſis perſonis accepimus.

Quæ Chocolati quantitas ſit materia parva.

63 Sed difficultas non levis eſt : Quæ Chocolati quantitas ſit materia parva, quam, iuſta exiſtente cauſa, liceat abſque peccato in die ieiunij ſumere ? Pinellus in quæſt. de Chocolate, punct. 2. fundam. 1. num. 17. part. 3. apud Thomam Hurtado num. 159. tenet materiam parvam eſſe vnciam cum dimidia Paſtæ Chocolati. Antonius de Leon in quæſt. de Chocolate, part. 3. num. 20. apud Dianam part. 5. tract. 5. reſol. 11. deſignat dimidiam vnciam Chocolati cum ſachoro ſufficienti. Eſcobar in Exam. Confeſſ. tract. 3. cap. 5. admittit vnicam vnciam. Leander quæſt. 5. cit. §. 4. in fine defendit eſſe materiam parvam duas vncias Chocolati. Sed hæc ſententia laxa mihi videtur : tum: quia nullus Doctor pro materiæ parvitate in die ieiunij duas vncias piſcium, ovorum, & ſimilis cibi admittit, ſed qui magis laxe loquitur, dictam quantitatem, ſi ſit de rebus, quas edere in collatione ſerotina licet, amplectitur ; ſed potio Chocolatica magis nutritiva eſt in dicta quantitate ſumpta, quam duæ vnciæ piſcium, ovorum, &c. vt experientia teſtatur : ergo ſi has nullus admittit, neque duas vncias Chocolati. Quare vnicam vnciam paſtæ Chocolati poterit ieiunans ex rationabili cauſa, v. g. debilitatis ſtomachi, aut continuati ſtudij ſumere, dum modo ex alia materia alia notabilis cibi quantitas non ſuper addatur: ita vt tam paſta Chocolati, quàm ſacharum, quo diſſolvitur, ſeu diluitur, ad duas vncias nunquam perveniat.

Mala citrea, poma, &c. ieiuniũ frangunt.

64 Ex quibus ſequitur primò : nullum poſſe in die ieiunij in magna quantitate ſumere mala citrea, pyra, aut poma ad extinguendam ſitim ; quia hæc omnia per ſe, & ratione ſui ſunt cibus, & ex ſe ad nutriendum ſunt ordinata : ergo & ſi à ſumente ordinentur ad ſitim extinguendam, ſemper erunt vere cibus. Vnde ſolum ratione parvitatis materiæ permittitur vt licita alicuius pomi ſumptio. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 2. n. 43. Trullench lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 13. in fine. Eagundez in 4. præcept. Eccleſ. lib. 1. cap. 4. num. 15. Bonacina de præcept. Eccleſ. diſp. vlt. quæſt. 1. punct. 1. num. 7. ¶ Nec ſimiliter id licitum eſt, & ſi ex pomis dentibus contritis, ſolum eorum ſuccum deglutias; quia impoſsibile eſt, quod tunc aliquam ſubſtantiam, quæ vere cibus eſt, non ſumas, vt experientia liquet.

Vvæ comeſtio eſt contra ieiunij præceptum, ſi in magna fiat quantitate.

65 Sequitur ſecundò : ſimiliter ieiunium frangere, recentes vvas, toties quoties libuerit, ad extinguendam ſitim, ſumere. Tum: quia vva non eſt potus, ſed cibus, & ideo in ea non licet conſecrare, vt diximus tom. 1. tract. 4. cap. 4. punct. 2. num. 29. Tum etiam: quia cibus eſt, qui maſticatione indiget, vt deglutiatur, & ad nutritionem ordinatur, vt docent Divus Iſidorus lib. 20. cap. 2. & Lauretus in Silva Allegor. verb. *Cibus*. Sed vva, vt deglutiatur, indiget maſticatione, vt patet, & alias, teſte Galeno lib. 2. de Aliment. Facult. cap. 9. eſt ad nutriendum ordinata, & inter cibos nutritivos inferiorem non obtinet locum, vt experientia hominum fructum vinearum cuſtodientium conſtat, qui ſolis vvis aluntur : ergo eſt vere cibus, & nullo modo potus. Tum denique : quia vva non ſolum habet ſuccum, ſed etiam quandam ſubſtantiam craſſam venulis immixtam : ergo eſt vere cibus. Sic Abulenſis in cap. 6. Matth. quæſt. 165. docens granum vvæ ob parvitatem materiæ non frangere ieiunium, & Doctores num. antec. relati, & alij communiter contra Paſqualigum deciſ. 136. qui timide contrarium probabiliter ſequitur, & meliori iudicio examinandum relinquit, ductus tantum ex eo quod credit, vvam nil aliud eſſe, quam muſtum, & ſuccum quendam, qui ſola compreſſione dentium ex ea exprimitur. Sed hoc motivum experientia improbatur, dum ex vvis ſuccum, & comeſtibilem aliam ſubſtantiam percipimus.

Comedere aliquid cibi, quoties bibitur, iuxta aliquos ieiunium non frangit.

66 Rogabis tertiò : An liceat ſine fractione ieiunij ſumere aliquid cibi, toties quoties libuerit, ne potus noceat, & ſi modicæ illæ comeſtiones notabilem quantitatem cibi efficiant ? Affirmant conſequenter Caramuel in Theolog. Regul. num. 916. & Salas 1. 2. tract. 13. diſp. 16. ſect. 26. quatenus docent, poſſe ſine peccato mortali quempiam in die ieiunij pluries comedere modicam quantitatem, ſi non habeat actum voluntatis dictas comeſtiones coniungentem ; quia ex ſe non vniuntur : vnde ſolum erunt diverſa peccata venialia contra ieiunij præceptum. Magis directe, & in caſu quæſtionis id affirmant, dummodo in fraudem ieiunij non fiat, Viguerius de Inſtit. Theolog. cap. 7. de Temperant. §. 3. v. 1. Fagundez de 4. Eccleſ. præcept. lib. 1. cap. 4. num. 15. Diana 1. part. tract. 9. reſ. 24. Paſqualigus deciſ. 119. & Leander tract. 5. diſp. 5. quæſt. 10. referens Divum Thomam in 4. diſt. 15. cit. Sylveſtrum, Abulenſem, Sanchez, Layman, Villalobos, Bonacinam, & alios, ſed non recte, nam Divus Thomas nihil ibi agit de præſenti quæſtione ; alij vero Doctores ſolum docent, poſſe ſumi aliquid cibi, dum quis bibit, ne potus noceat ; nunquam tamen aſſerunt, quod hoc poteſt fieri, toties quoties bibitur, quin potius aliqui exprimunt, dum mane bibitur, quod vtique diverſum eſt à terminis præſentis quæſtionis. Sed quid quid ſit de hoc ; motivum vero dictæ ſententiæ eſt, nam Eccleſia in ieiunijs permittit bibere quoties libuerit : ergo permittit quid quid neceſſarium eſt, ne potus noceat ; ſed ſumere aliquid cibi eſt neceſſarium, ne potus noceat : ergo dummodo id non fiat in fraudem ieiunij, poterit quis comedere aliquid cibi, quoties in die ieiunij bibere libuerit. Deinde: per modum medicinæ poſſunt pluries electuaria ſumi; ſed in dicto caſu prædictum parum cibi eſſet per modum medicinæ : ergo poſſet pluries ſumi.

Quæ

Quæ cibi quãtitas poteſt ſumi, ne potus noceat.

67 Quæ vero quantitas, aut qualitas cibi eſſe debeat, variant Doctores. Sanchez lib. 5. cap. 1. dub. 22. num. 3. aſsignat bellaria ex ſacharo confecta, dummodo ſit in parva quantitate. Abulenſis in cap. 6. Matth. quæſt. 169. & 170. aliquid electuarij. Azor lib. 7. cap. 10. quæſt. 7. verſ. *Certe negari non poteſt*, in fine, parum cibi, dummodo non ſit panis, herba, arboris fructus, ſed exigua medicamenti portio, ſive fruſtrum. Villalobos tom. 1. tract. 23. difficult. 8. num. 14. ſex vvas ſiccas, aut quid ſimile. Diana 1. part. tract. 9. reſol. 24. quinque, vel ſex amygdalas ſacharo incruſtatas. Bonacina de præcept. Eccleſ. diſp. vlt. quæſt. 1. punct. 3. num. 4. duos ficus. Paſqualigus' deciſ. 119. num. 6. cibum infra quantitatem vnicæ vnciæ. Leander quæſt. 22. quantitatem cibi infra dimidiam vnciam, ſive ſit panis, fructus, aut quid ſimile. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. n. 7. pauxilum panis.

Sententia contraria eſt probabilior.

68 Sed tenendum eſt cum Caietano 2. 2. quæſt. 147. art 6. fine. Abulenſi, Sanchez, Villalobos, Bonacina, Layman, & alijs locis ſupra citatis, quod licet ſit licitum, ne potus noceat, aut quando probabiliter creditur nociturus, dum ad ſitim ſedandam veſpere ſumitur, aliquid cibi, etiam panis ſumere; non tamen id licet ſumere, toties quoties bibere in die ieiunij libuerit. Primò: nam vt ſupra ex Divo Thoma num. 62. vidimus, electuaria, & ſi per modum medicinæ ſumantur, ſi ſit hoc in magna quantitate, ieiunium ſolvunt, quia tunc iam habent rationem cibi in magna quantitate ſumpti; ſed qui aliquid cibi ſumeret, quoties bibere libuerit, ſi pluries bibat in die ieiunij, magnam cibi quantitatem ſumeret: ergo ieiunium ſolveret. ¶ Secundò: quia Alexander VII. damnavit ſequentem propoſitionem ordine 29. *In die ieiunij, qui ſæpius modicum quid comedit, & ſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.* Sed qui pluries bibendo, aliquid comedit, *ſæpius modicum quid comedit, & notabilem quantitatem in diei fine comedit*: Ergo frangit ieiunium, & contrariam ſententiam in hac propoſitione à SummoPontifice damnari, tenent Corella, & Lucerna moralis ibi contra Torrecillam, & Theatrum morale. ¶ Tertiò: qui in die feſto pluribus vicibus, licet ſingulis modico tempore, ſervilia exercet, peccat mortaliter contra obſervantiam diei feſti; quia licet omnia illa opera ſervilia ſeorſim ſumpta leviter eam violent, tamen ratione diei vniuntur ad materiam gravem conſtituendam, & conſequenter graviter feſtum violant: ergo ſimiliter plures comeſtiones, licet ex ſe graviter ieiunium non frangant; tamen ratione diei vniuntur ad materiam gravem conſtituendam, & ideo, licet fiant ratione potus, ieiunium frangunt. Videantur dicta à nobis tract. 11. cap. 2. punct. 2. num. 30. ¶ Quartò: quia ſi quoties quis bibit, poteſt ſumere quantitates cibi, quas numero antecedenti ex diverſis Auctorum placitis tranſcripſimus, breviter ad magnam quantitatem deveniret, & ſic ieiunij obſervantiam faciliter, & ſine aliquo labore adimpleret, finique ieiunij illuderet: ergo falſa eſt dicta opinio. ¶ Quintò: quia ſi Eccleſia concederet comedere, quid quid neceſſarium eſt, ne multiplicatus potus noceat, ſequeretur, quod quo quis magis biberet, maiorem quantitatem requireret, ne potus noceret; ſed hoc eſt falſum: ergo falſum eſt etiam Eccleſiam concedere, quod poſsit quis tot cibi, & quoties ſumere, quod, & quoties neceſſarium eſt, ne potus noceat. ¶ Sextò: quia Auctores ſolum concedunt, poſſe aliquid cibi ſumi, quando neceſſum eſt bibere ad ſitim extinguendam; ſed ad hoc ſufficit, ſemel veſpere bibere: ergo ſemel veſpere id concedunt, & non quoties appetitus æffrenis aliquorum poſtulare videtur. ¶ Vltimò: quia hoc eſt contra fidelium praxim, qui non quoties bibunt, ſed ſemel ad ſummum, ne potus noceat, aliquid cibi aſſumunt: ergo falſum eſt, imò ſatis veroſimiliter damnatum in dicta propoſitione 29. quod liceat in die ieiunij aliquid cibi, toties quoties libuerit, ſumere.

Rationes cõtrariæ diſſuuntur.

69 Ad motivum Caramuelis conſtat ex tertia ratione probativa noſtræ concluſionis, & ex his, quæ late diximus tract. 11. cap. 2. punct. 2. toto §. 3. à num. 29. vbi docuimus, qualiter materiæ ex ſe parvæ, ſi inter ſe vniantur moraliter ratione loci, temporis, præcepti, aut eiuſdem finis intenti, gravem materiam efficiunt. Et num. 30. exemplum poſſuimus in eo, qui in die ieiunij pluries parum cibi ſumit, qui abſque dubio materiam gravem contra ieiunij obſervantiam comedit. ¶ Ad primam aliorum Doctorum rationem dicendum eſt, Eccleſiam in die ieiunij non prohibere pluries bibere, bene vero prohibet comedere præter quam ſemel in die: cum ergo qui parum cibi pluries ſumit, non ſemel, ſed bis, aut ter comedat, hinc eſt, quod licet non prohibeat pluries bibere, prohibet tamen pluries ratione potus comedere, aut tot parvas comeſtiones facere, vt magnam cibi quantitatem efficiant. ¶ Ad ſecundam conſtat ex dictis, qualiter electuaria habeant rationem medicinæ, nimirum ſi in parva quantitate ſumantur, ſi vero in magna accipiantur quantitate, tunc iam habent rationem cibi, & non medicinæ, vnde idem dicendum eſt de alijs cibis ſumptis, ne potus noceat.

§. III.

De collatiuncula ſerotina, ſeu cœnula.

Collatiuncula ſerotina conſuetudine introducta fuit.

70 CUm ex dictis conſtet, eſſentiam ieiunij in vnica comeſtione conſiſtere, videndum reſtat, quo iure introducta ſit cœnula, ſeu collatio ſerotina? Ad quod reſpondetur, introductam eſſe conſuetudine fidelium ab Eccleſiæ Prælatis tolerata. Et motivum huius conſuetudinis fuit, tum vt neceſſarium ſomnum capi poſſet; tum ne ieiunantium vires deficerent. Vnde iam nunc licitum eſt, dictam collationem ſumere. Sic Navarrus in Sum. cap. 21. n. 12. Caietanus 2. 2. quæſt. 147. art. 8. Covarrubias lib. 4. Var. cap. 29. n. 11. Divus Antoninus 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 9. Villalobos tract. 23. difficult. 7. num. 1. Azor lib. 7. cap. 8. quæſt. 4. Filliucius tract. 27. cap. 2. num.

num.25.Fagundez de 4.Eccleſ.præcept.cap.4. num.12.Palaus tom.7.tract.1.diſp.3.punct.2. §.2. n.5. Sanchez lib.5. Conſil.cap.1.dub.25. num.2. Sylveſter verb. *Ieiunium*,quæſt.3. partic.3. & alij.

Auctorum placita circa collationis quantitatem.

71 Vnde rogabis primò: Quæ quantitas in hac collatione licite abſque ieiunij fractione ſumi poteſt? Circa hanc quæſtionem varie loquuntur Doctores. Nam Sanchez ex Sylveſtro docet, ſumi poſſe quadrantem panis cum paucis vvis paſsis, vel herbis. ¶ Graffius 1.part. Deciſ. lib. 2. cap. 37. num. 29. & Antonius de Leone quæſt. de Chocolate,part. 3. cap.36. num.25. ſolum permittunt tres vncias cibi. ¶ Alij apud Filliucium, Palaum, & Vvigrandt tract.5. exam.4. num. 99. prudentum iudicio relinquunt, concedentes plus Nobilibus, aut continuo ſtudio litterarum deditis, vel Provincias frigidas habitantibus,quam Plebeijs, aut otio deditis, vel in Regionibus temperatis degentibus. ¶ Layman lib. 4. Sum. tract.8. cap.1. num.9. Reginaldus tom. 2. Prax. lib.4. num. 185. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 2. num. 33. Villalobos num.4. deſignant pro collatione quartam, vel quintam partem eorum, quæ pro refectione vnica permiſſa in die ieiunij ſufficerent. Sed hæc regula obſcura valde eſt, & ſcrupulis, & relaxationibus expoſita; cum pro vnica refectione diverſa quantitas iuxta diverſas hominum complexiones ſit neceſſaria, plus enim indigent robuſtiores, quam debiles; plus edaces, quam abſtemij. ¶ N. vero Lezana Sum. qq. Regular. verb. *Ieiunium*, num.4.Azor 1.part. lib. 7. cap. 8. quæſt. 8. & alij ſolum quatuor vncias admittunt. ¶ Alij ſolum ſex vncias concedunt, vt Molfeſius in Sum. tract.10.cap. 3. num.7. & tenere videtur Villalobos, & alij apud Filliucium. ¶ Bonacina denique de præcept. Eccleſ. diſp. vlt. quæſt. 1. punct. 3. num.2. docet, quod cum conſuetudine fuerit collatio introducta, conſuetudini legitime receptæ etiam ſtandum eſt.

Licitum eſt pro collatione ſerotina ſumere octo vncias cibi.

72 Sed probabilior, magis que iam communis ſententia docet; poſſe pro collatione ſumi octo vnciarum quantitatem. Tum: quia tota hæc cibi quantitas neceſſaria eſt ad ſomnum debitum capiendum, ad ſublevandas que naturæ vires, ne ieiunijs nimis graventur. Tum etiam: quia ſic tenet communis fidelium, & timoratorum praxis, nec non Sacrarum Religionum, vt de Societatis Ieſu familia ex doctrina Suarez teſtatur Fagundez; & in noſtra Diſcalceatorum Carmelitarum reformatione iam conſuetudo obtinuit. Sic expreſſe tenent etiam Villalobos tract.23.difficult.7. num. 4. Ledeſma 2.part. tract.27. concluſ.4. difficult.1. num.4. Ioannes Sanchez in Select. diſp. 52. num. 7. Turrianus in Sum. 1. part. cap. 256. dub. 38. concluſ. 1. Palaus tom. 7. tract. 1. diſp. 3. §. 2. num. 7. Diana 1. part. tract. 9. reſol. 1. Trullench lib. 3. in Decal. cap.2. dub. 3. num. 9. Paſqualigus Tract. de Ieiun.deciſ.91.num.4. Leander tract.5.diſp.4. quæſt.13. nec diſſentit Thomàs Sanchez dub. 25. cit. num. 3. Qui num. 5. notat optime, quod licet eſſet aliquantulo maior iuſto collatio, non ſtatim committitur mortale, niſi ſit excеſſus notabilis. Vnde qui excederet per vnam, aut duas vncias quantitatem à nobis præfixam, maxime ſi eo die aliam materiam parvam non ſumpſit, aut ob debilitatem, vel ſomnum capiendum indiget dicto exceſſu, non franget ieiunium; cum hic exceſſus non ſit notabilis quantitas. Sanchez ſequuntur alter Sanchez num. 7. Paſqualigus deciſ. 105. n. 2. Leander quæſt.14. & alij.

Quæ collationis quantitas in pervigilio Nativitatis ſumi poteſt.

73 Rogabis ſecundò: An in pervigilio Nativitatis liceat ſumere maiorem collationem, quam in alijs diebus? Reſpondetur: quod circa hanc quæſtionem conveniunt Doctores in eo quod ſumi licite poteſt de fructibus, herbis, &c. (non vero de pane) duplo, aut triplo maior collatio, quam alijs diebus; quia ſic tenet praxis, & vſus timoratorum, vt teſtantur Sanchez lib.5. Conſil. cap.1.dub.26. Fagundez de 4.præcept. lib.1. cap.4.num.19. Azor lib.7. Inſtit. Moral. cap.8.quæſt.8. Villalobos tract. 23. diffic. 7. num.5. Turrianus in Sum. 1.part. cap.256. dub. 38. concluſ. 3. Trullench lib.3.Decal. cap.2. dub. 3. num.9. N. Lezana verb. *Ieiunium*, num. 4. Diana 1. part. tract.9. reſol.35. Sancius in Select. diſp. 52. num.10. Barboſa tom.2. in lib.3. Decret. cap. *Ex parte*, de Obſervat. Ieiun. num. 3. Quare ſolum inter eos eſt difficultas: An ex fructibus ſumi poſsit, quantum libuerit? Negant Navarrus in Sum. cap.22. num. 14. Angles Floribus 1. part. Mat. de Ieiun. Manuel tom. 1. Sum. cap. 23. num. 8. Et moventur: quia vſus timoratorum id non habet, ſed laxonum corruptela: ergo illicitum eſt. ¶ Sed probabilius affirmant Medina in 1. part. Inſtruct. cap.14. §. 10. Llamas part.3.Method. cap.5. §.25. Sancius in Select. diſp. 52. n.10. Ledeſma 2. part. tract. 27. cap. 2. concluſ.4. fine. Lopez 2.part.Inſtruct. cap.112. Thomàs Sanchez lib.5. Conſil. cap.1. dub. 26. num.6. Fagundez de 4. Eccleſ. præcept. lib. 1. cap. 4. num. 19. Barboſa loco cit. plures referens. Antonius de Leon quæſt. de Chocolate, part. 2. fundam. 5. §. 1. num.9. Et ratio eſt: quia ſic obtinuit conſuetudo ab omnibus recepta, videntibus, & conſentientibus Prælatis Eccleſiæ, imò & hoc ipſis facientibus, quia in eorum menſis dicto pervigilio opulentæ collationes fructuum, & rerum ex ſacharo confectarum miniſtrantur: ergo talis conſuetudo legitime introducta eſt. Nec mirum, quod Eccleſia tunc id permittat: tum: quia antiquitus omnes in Eccleſia ea nocte vigilabant, & Divinis officijs intererant: tum ob excelentiam tanti feſti, & ideo Miſſa hora duodecima canitur, & ſi incidat in feria ſexta, permittitur carnes comedere; non tamen licet in dicta nocte pluries facere collationem, nec antequam adveniat nox; quia hoc non eſt in vſu. Ita Sanchez, & alij.

Quid dicendum, dum Nativitas incidit feria ſecundat

74 Sed quid dicendum: Dum pervigilium Nativitatis incidit in Sabbatum, & Nativitas Chriſti Domini in feria ſecunda? Affirmat Sanchez dub.26. cit. num.3. poſſe ſumi collationem ex fructibus, quantum libuerit, vt conſtat ex ſequentibus verbis: *Nota idem dicendum eſſe, licet Nativitas accidat feria ſecunda, & ſic Vigilia ſit in Sabbato: imò licet in*

illo Sabbato occurrat simul ieiunium quatuor temporum, quia adhuc est Vigilia Nativitatis, & id, quod dignius est, trahit ad se minus dignum. Sic multi viri docti re late disputata. Idem docet Leander asserens quæst. 17. idem tenere omnes fere Theologos vtriusque Vniversitatis Salmanticensis, & Complutensis à se consultos; refert etiam Sancium in editione Lugdunensi disp. 52. num. 10. (sed hoc non habet in editione Matritensi anno 1624.) Turrianum in Sum. 1. part. cap. 256. dub. 38. concluſ. 4. Pasqualigum decis. 92. num. 7. Dianam part. 5. tract. 14. resol. 12. Ausonium in Sum. Dianæ verb. *Ieiunium*, num. 61. & Machado tom. 1. lib. 2. part. 4. tract. 3. document. 7. num. 4. Et id approbat Quintana-Dueñas tract. 8. singul. 14. num. 3. Quæ sententia vlterius confirmatur ex praxi observata hoc anno 1713. in Salmantica Civitate ex consilio Doctorum huius Vniversitatis; qui de hoc consulti, responderunt: posse sumi eam collationis quantitatem, & qualitatem in Sabbato, ac in alijs pervigilijs Nativitatis, licet Nativitas Christi Domini in feria secunda præsenti anno incidat; non alia ratione nisi: quia hoc est verum pervigilium Nativitatis, & pro vero pervigilio Nativitatis adest introducta consuetudo sumendi collationem ex fructibus, & alijs rebus ex sacharo confectis triplo maiorem, quam in alijs Ecclesiæ ieiunijs. ¶ E contra vero negant Bosius sect. 4. de Iubileo, casu 18. num. 156. Ioannes à S. Thom. in explicat. Doctrinæ Christ. part. 2. de 4. præcept. Eccles. quia licet sit Vigilia Nativitatis, tamen adhuc eius festivitas in Sabbato non incipit; sed ob festivitatem Nativitatis Christi dictam maiorem quantitatem in collatione consuetudo introduxit, & permittit Ecclesia, vt omnes fatentur: ergo si hæc non adhuc incæpit, nec permitti debet talis consuetudo. ¶ Sed ad hoc constat ex dictis; cum talis dies sit proprie pervigilium Nativitatis, & in eo permittatur maior collatio; & finis, seu motivum legis, aut consuetudinis sub lege non cadat. ¶ Notat hic Sanchez, quod si quis ieiunare in dicta Vigilia Nativitatis vovit, adimplet votum sumendo collationem iuxta fidelium praxim; quia nisi habeat aliam expressam intentionem, credendum est, voviſſe ieiunium, sicut ab alijs observatur. Et idem dicendum est, si ex pœnitentia ad ieiunium teneatur.

De collatione in Vigilia Resurrectionis, & Pentecostes.

75 Nota vero, quod Azor lib. 7. cap. 8. quæst. 8. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 2. n. 34. Fagundez de 4. Eccles. præcept. cap. 4. num. 20. & alij extendunt doctrinam traditam de duplo maiori collatione sumenda ad pervigilium Resurrectionis, vbi talis consuetudo fuerit recepta. Imò Leander part. 3. tract. 5. disp. 4. quæst. 18. Lublinus in Sum. verb. *Ieiunium*, num. 4. & Pasqualigus decis. 93. n. 2. absolute docent, posse collationem sumi duplo maiorem in Vigilia Resurrectionis, sicut in pervigilio Nativitatis: tum ob rationem tantæ solemnitatis, quæ absolute ab Ecclesia solemnitas solemnitatum prædicatur; tum ad ostendendam lætitiam ob victoriam de Inferno reportatam, mortis que vincula Christi passione, & glorioſa Resurrectione solutas. ¶ Sed hoc motivum licet satis congruens sit, vt sicut in Vigilia Nativitatis, ita & Resurrectionis id fieri possit, & maxime vbi talis consuetudo fuerit introducta: at: quia in nostra maxime Hispania ignoramus, talem vsum vigere, ideo id approbare non audemus, licet negare non possimus auctoritatem dictæ sententiæ, quæ deservire ad minus potest, ne in Resurrectionis Vigilia circa collationem serotinam scrupulose procedamus. ¶ Idem dicendum est, iuxta Quintana-Dueñas sing. 15. in Vigilia Pentecostes; tum ob eandem rationem: tum: quia hoc ieiunium non est ex Iure Canonico, sed potius contra illud, cum toto tempore Paschali ieiunia prohibeantur in cap. *Scire debet*, dist. 76. vnde sola consuetudine est introductum, vt infra docemus. Quare forte motivum ex hoc oritur, vt tunc collatio decem, aut vndecim vnciarum sine scrupulo ab omnibus sumi possit, vt tenet satis probabiliter Leander quæst. 23.

De collatione in Vigilia Nativitatis S. Ioanni Baptistæ.

76 Circa Vigiliam Nativitatis Sancti Ioannis Baptistæ nullam reperio in Ecclesia consuetudinem sumendi collationem plus solito maiorem. Basilius vero Pontius lib. 5. Matrim. cap. 8. num. 2. cui adhæret Quintana-Dueñas tract. 8. singul. 14. num. 5. docet apud Granatenses adesse consuetudinem sumendi in Vigilia Nativitatis Sancti Ioannis Baptistæ collationem, sicut in Vigilia Nativitatis Domini. Contrarium testatur Sancius in Select. disp. 52. num. 10. dicens, minime dictam consuetudinem adesse. Sed quid quid sit de hoc, dicimus, quod si adest, est licita maior collatio, secus vero si non adest.

De qualitate ciborum, qui in collatione sumi possunt.

77 Rogabis tertiò: Qui cibi possunt in collatione sumi? Respondetur sumi primò posse panem, poma, arborum fructus, amygdalas, vvas recentes, & siccas, oleas, nuces, pyra, herbas crudas, & coctas, & oleo aliquo immixtas, insalata, dulciaria, & alia bellaria. Sic communiter Doctores. Tum: quia prædicti cibi non sunt ex his, qui ordinantur ad sustentandam naturam, & nutriendum. Tum etiam: quia sic iam obtinuit consuetudo. Navarrus cap. 21. à num. 13. Caietanus in Sum. verb. *Ieiunium*, §. 1. Bonacina disp. vlt. cit. quæst. 1. punct. 3. num. 3. Fagundez cap. 4. cit. num. 13. Villalobos tract. 23. difficult. 7. num. 3. Azor 1. part. lib. 7. cap. 8. quæst. 8. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 8. Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 2. §. 2. num. 6. N. Lezana in Sum. qq. Regul. verb. *Ieiunium*, num. 4. & alij communiter, addentes etiam iusculum ex prædictis sumi posse; quia res, quæ impermixtæ, & incoctæ sumi possunt, ex sola permixtione, & coctione collationi inutiles nequeunt reddi; cum coctio nihil eis substantiæ addat, sed solum eorum cruditatem mitigans, digestioni aptiores efficiat. Videantur etiam Pasqualigus decis. 109. Diana 1. part. tract. 9. resol. 34. & part. 10. tract. 14. resol. 58. Leander tract. 5. disp. 4. quæst. 38. Trullench lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 8. qui octo vncias panis cocti cum aqua, sale, & oleo, vulgo *Migas*, pro materia licita collationis admittunt. ¶ Sed alij, & rectius, con-

dem-

demnant non dictam collationis qualitatem, sed quantitatem, quæ satis notabilis est. Vnde quinque vncias panis modo dicto cocti, credimus non excedere notabiliter quantitatem communi collationi debitam. Legantur Azor quæst. 7. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 2. num. 30. Trullench dub. 3. cit. num. 8. Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 14. num. 185. & Villalobos tract. 23. difficult. 7. num. 3. qui cum Leandro de Murcia cap. 2. num. 35. in cap. 3. Reg. D. Francisci. Rodriguez tom. 1. cap. 23. ante 1. conclus. Ledesma tom. 2. Sum. tract. 27. cap. 2. difficult. 5. & alijs, vnum, aut duos biscotos in collatione admittit; quia licet ex saccharo, & ovis conficiantur, tamen ovorum quantitas parva est in illis. Quare reprobamus cum Palao tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 2. num. 6. & Rodriguez in Sum. cap. 23. opinionem Ioannis Sanchez in Select. disp. 52. num. 7. affirmantis integram mediam libram ex placentis saccharo, & ovis conditis, vulgo *Vizcochos*, sumi in collatiuncula posse: quia in tanta quantitate magna ovorum pars ingreditur, & ideo collationi est inepta.

Legumina, maxime cõdita, nequeunt pro collatione adhiberi.

78 Dicendum est secundò: non esse collationis materiam legumina, v. g. cicera, fabas, lentes, orizam, &c. cocta, seu condita cum insculo, vulgo *Potages*: quia consuetudo est in contrarium, & Doctores herbas tantum coctas admittunt, nomine autem herbarum non veniunt legumina cocta, vt constat. Deinde: quia legumina sic condita sunt cibi ad nutriendum ordinati: ergo nequeunt esse collationis materia. Sic Villalobos difficult. 7. n. 3. Fagundez num. 20. N. Lezana n. 4. Trullench num. 8. Layman num. 9. Diana 1. part. tract. 9. resol. 1. Leander quæst. 39. Azor quæst. 8. & alij communiter. Sed non damnamus cicera assa igne, aut oleo tosta.

Affirmant aliqui, pisciculos parvos esse materiam collationis.

79 Maior difficultas est: An pisciculi parvi, v. g. Ostræ, Camarones, & Acediæ sint collationis materia. Affirmant Bonacina de Eccles. præcept. disp. vlt. quæst. 1. punct. 3. num. 3. his verbis: *Potest etiam comedi pisciculus, aut exigua pars piscis maioris.* Pasqualigus decis. 113. num. 2. Bizozerus part. 4. Sum. de 3. præcept. cap. vlt. memb. 2. num. 9. Nec dissentit N. Antonius consult. 95. num. 16. alios referens. Azor quæst. 7. concedit pisciculum parvum, & quæst. 8. ait, quod comedere in collatione pisces, est corruptela. Layman tract. 8. cap. 1. num. 9. cum Azor videtur approbare, quod sit licita materia collationis pisciculus parvulus fumo siccatus, aut aceto maceratus. Et probabilem iudicat hanc opinionem Quintana-Dueñas tract. 8. singul. 13. num. 3. Et probant, quia pisces sunt exigui nutrimenti, & minus nutriunt, quam alij cibi pro collatione concessi, v. g. panis, nuces, caseus, &c. Ergo si hi licent, etiam erunt liciti pisciculi.

Negativa sententia eligitur.

80 Sed communis Doctorum sententia docet, non esse materiam collationis pisciculos parvos, sive recentes sint, sive fummo siccati; quia cum collatio serotina consuetudine sit introducta, etiam consuetudini standum est circa cibos, qui eius materia esse possunt; sed nullibi est consuetudo introducta sumendi in ea pisciculos parvos, vt testantur Villalobos, Azor, Palaus, & alij intra citandi: ergo eos sumere non licet. ¶ Vlterius: nam pisces ex se ordinati sunt ad nutriendam, & sustentandam naturam: ergo eis non licet vti in collatione serotina. Sic Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 25. num. 4. Ledesma tract. 27. cap. 2. vers. *A esta duda.* Trullench in Decal. lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 8. Villalobos tr. 23. diffic. 7. num. 3. Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 2. §. 2. n. 6. N. Lezana verb. *Ieiunium*, num. 4. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 4. num. 18. Diana part. 1. tract. 9. resol. 1. & part. 4. resol. 117. & alij. ¶ Ad rationem dubitandi respondetur: quod licet panis sit nutritivus, tamen non ideo sumitur in collatione quia nutritivus, sed quia est cibus ita communis, & necessarius, vt alij cibi, & potus non officiant stomacho, quod sine illo nec pisces, nec carnes prodessent saluti, vt experientia liquet. Vel, vt ait Vega lib. 2. de Arte Medendi, cap. 4. pag. mihi, 242. fine, quia est veluti materies omnium ciborum; & ideo sicut quia cera omnibus medicamentis miscetur, dicitur à Galeno materia medicamentosa, ita quia panis omnibus alimentis miscetur, dicitur iure optimo materia alimentosa. Quæ vtique ratio cum in piscibus non militet, nil mirum, si Doctores panem in collatione admittentes, ne potus sumendus noceat, pisces pro ea reprobent.

Nec ova, nec lacticinia possunt in collatione edi.

81 Vnde inferunt primò Doctores allegati: ova non esse materiam collationis; cum in eis eadem militet ratio, ac in piscibus. Videantur Turrianus in Sum. 1. part. cap. 256. dub. 37. & Diana 1. part. tract. 9. resol. 1. oppositam sententiam appellantes scandalosam, temerariam, & improbabilem. ¶ Secundò: In collatione illicitum esse edere lacticinia, etiam in diebus, in quibus eis vesci permittitur: tum: quia consuetudo ita obtinuit. Tum etiam: quia sunt vere fercula, ad nutriendum ex se ordinata. Ita Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 25. num. 4. extendens doctrinam ad cremorem amygdalinum, & triticeum, vulgo *Almendrada*, y *Almidon*. Licet bene addat, quod non sunt damnandi, qui his rebus faciunt collationem; quia vel nihil aliud habent, vel vt somnium capiant, &c. Diana 1. part. loc. cit. & part. 5. tract. 14. resol. 12. num. 1. & alij contra Turrianum in Sum. 1. part. cap. 256. dub. 37. concl. 2. Pasqualigum decis. 114. & alios. ¶ Improbabile tamen non est, vt docet Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 9. vers. *Id porro*, quod in Septentrionalibus Regionibus, vbi fructuum inopia est, possint ieiunantes modico caseo cum pane in collatione vesci: tum: quia necessitas excusat; tum: quia parvitas materiæ, & consuetudo id honestant. Sicut de placentis, vulgo *Vizcochos*, diximus supra num 77. Et de his, quæ lacte, & butyro fiunt, docet Palaus loc. alleg. num. 6. fine.

Cum causa potest collatiuncula mane, aut meridie sumi.

82 Rogabis quartò: An liceat collationem summo mane, aut meridie sumere, & differre prandium in noctem? Respondetur: quod interveniente iusta causa, v. g. negotij vr-

vrgentis, sermonis, iteneris, studij, & debilitatis, id licet; si vero talis, aut similis causa deficiat, erit peccatum veniale. Ratio primæ partis est: quia iusta causa potest excusare à ieiunio: ergo multo melius à circunstantia ieiunij, qualis est hora determinata vescendi: ergo cum in præsenti serventur refectiones ab Ecclesia ordinatæ pro ieiunij substantia, & alias eius mutatio fiat ex iusta causa, nullum erit peccatum. ¶ Secunda vero pars facile ostenditur; nam collatio serotina ex consuetudine introducta est; sed non introducta est, quod fiat mane, aut meridie: ergo solum licita erit tempore, quo introducta est: ergo si fiat mane, aut meridie erit illicita, non graviter, cum non sit contra substantiam ieiunij: ergo saltem leviter, si non adest aliqua iusta causa illam cohonestans. Ita Læsius lib. 4. cap. 2. dubit. 2. num. 11. Toletus lib. 6. Sum. cap. 2. num. 28. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 8. quæst. 6. Navarrus cap. 21. num. 14. Caietanus 2. 2. quæst. 147. art. 6. & in Sum. verb. *Ieiunium*, Llamas part. 2. cap. 5. num. 16. & 26. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 27. Fagundez de 4. Eccles. præcept. cap. 4. num. 16. Filliucius tom. 2. tract. 27. part. 2. num. 28. Pasqualigus decis. 112. num. 3. Quintana-Dueñas tr. 8. singul. 16. num. 1. & 2. Leander tract. 5. disp. 5. quæst. 39. referens cum Fagundez inter alias causas id cohonestantes, venationem, & piscationem, etiam ob relaxationem animi.

Breviter aliquæ quæstiones cica collationem resolvuntur.

83 Nota vero primò: quod nullo modo peccabit, qui, omissa omni refectiuncula, & transacto toto die sine cibo, nocte pranderet; quia sic melius ieiunij mortificationem sentiret, & solveret ieiunij pensum vltra debitum, quod boni debitoris est, vt docet Glossa in cap. *Solent*, de consecrat. dist. 1. Sic Azor lib. 7. cap. 12. quæst. 15. Caietanus loc. cit. art. 7. Sylvester verb. *Ieiunium*, quæst. 4. Fagundez cap. 4. num. 17. & alij. ¶ Nota secundò cum Sanchez n. 4. Quintana-Dueñas tract. 8. singul. 17. num. 2. & alijs, quod qui ieiunare nequit, nisi mane collatiunculam sumendo, debet hoc modo ieiunare; quia moralia præcepta morali modo sunt interpretranda, & modo congruentiori exequenda. ¶ Nota tertiò cum eodem, & Villalobos n. 2. fine, quod Religiosi itinerantes, etiam equestres, habent privilegium, vt possint mane collationem sumere. ¶ Nota quartò cum Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 26. num. 6. quod siquis in Vigilia Nativitatis vellet ex iusta causa mane, aut meridie collationem sumere, & differre prandium vsque ad noctem, non posset sumere maiorem quantitatem collationis, quam ea, quæ alijs diebus ieiunij sumi solet. Ratio est: quia collatio licita est iuxta consuetudinem introductam; sed solum est introducta collatio solito maior in nocte Vigiliæ Nativitatis: ergo illicita erit summo mane, aut meridie. Et contrarium est improbabile, quid quid dicat Quintana-Dueñas tr. 8. singul. 16. n. 4.

PUNCT. IV.

De hora refectioni in die ieiunij destinata.

Quæ sit solutionis ieiunij hora, declaratur.

84 SUperatis difficultatibus, quæ versantur circa partes essentiales Ecclesiastici ieiunij, abstinentiam scilicet à carnibus, vnicam que comestionem, restat agere de tertia eius parte, nimirum de tempore refectioni vnicæ determinato, & præfixo, quod, vt supra num. 9. diximus, licet ad formam ieiunij requiratur ex Ecclesiæ præcepto, tamen accidentaliter ei convenit. Hoc ergo tempus, (quid quid Iudæi, & primitivi Christiani obseruaverint, de quo videantur Azor lib. 7. Instit. cap. 11. quæst. 1. & Abulensis in cap. 6. Matth. quæst. 163.) fuit antiquitus horæ nonæ præfixum, hoc est horæ tertiæ post meridiem, vt colligitur ex cap. *Solent plures, de consecrat. dist.* 1. vbi reprehendens Concilium Cabilonense eos, qui in Quadragesima statim ac signum ad horam nonam audiunt, comedere, & ieiunium solvere incipiebant, ait: *Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium.* Quod vtique, vt notat Divus Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 7. in argumento *Sed contra*, tempore quadragesimali post nonam dicitur. Et prædicti decreti motivum tradit Angelicus Doctor, quia scilicet convenit ista hora mysterio passionis Christi, quæ completa fuit hora nona, quando inclinato capite tradidit spiritum. At nunc ex communi Ecclesiæ consuetudine ob hominum imbecillitatem, in meridie, aut circa meridiem, etiam in Quadragesima, ieiunium solvitur, cui consuetudini standum est, vt communiter docent Doctores, qui post Divum Thomam scripserunt. Caietanus 2. 2. q. 147. art. 7. Abulensis in cap. 6. Matth. quæst. 163. Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 28. num. 1. Azor lib. 7. cap. 11. quæst. 1. Covarrubias lib. 4. Var. cap. 20. num. 14. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 4. num. 67. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 3. num. 3. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 4. num. 2. Bonacina disp. vlt. de præcept. Eccles. quæst. 1. punct. 4. num. 1.

Non est dicta hora cõputanda astronomice, sed moraliter.

85 Notandum vero est, quod dum dicimus, quod meridies est hora ad solvendum ieiunium præfixa, non est computanda modo astronomico, & mathematico, sed morali; vel, vt verbis Divi Thomæ loquar loc. cit. ad 2. *Non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam æstimationem.* Vnde qui hora vndecima ante meridiem ieiunium solvit, recte agit: tum: quia prope meridiem solvit: tum: quia apud fideles iam hæc invaluit consuetudo. Et hæc grossa horæ computatio maxime obseruanda est, vbi non est solare horologium. Quapropter optime dixit Azor, quod Sæculares ieiunium solvunt hyeme vna ante meridiem hora, æstate vero dua-

duabus fere horis ante meridiem. Monachi autem, & cæteri Religiosi hyeme, aut semi hora ante meridiem, aut in meridie, aut etiam hora ante meridiem; æstate vero vna hora integra, aut etiam vna, & simi hora ante meridiem, & refert pro hoc modo dicendi Ricardum, Durandum, Sylvestrum, Angelum, Caietanum, & alios. Similiter loquitur Pasqualigus decis. 143. num. 6. docens, Veronenses, maxime æstate, duabus horis ante meridiem ieiunium solvere. Villalobos tract. 23. diffic. 9. num. 1. vndecimam horam ex communi consuetudine ab omnibus recepta designat pro ieiunij solutione. Idem tenent Fagundez num. 3. Palaus tom. 7. disp. 3. punct. 2. §. 3. num. 2. Leander tract. 5. disp. 6. quæst. 12. Ludovicus à Sancto Ioanne quæst. de Ieiun. art. 13. diffic. 1. concluſ. 2.

Horam consuetam refectionis notabiliter anticipare, iuxta aliquos est læthale.

86 Difficultas ergo in hac quæstione gravis est: An antevertens notabiliter sine causa huiusmodi horam, v.g. ante meridiem per tres, aut duas horas, graviter contra ieiunij præceptum peccaret? Prima sententia est affirmativa, & probatur primò: quia sicut datur præceptum de vnica comestione in die ieiunij, ita etiam datur de comestionis tempore, scilicet hora nona, quæ ex consuetudine Ecclesiæ translata est ad horam sextam, seu meridiem: ergo sicut qui notabiliter præceptum de vnica comestione frangit, graviter peccat, etiam peccabit graviter, qui horam ab Ecclesia pro solutione ieiunij præfixam notabiliter transgreditur, & anticipat. ¶ Secundò: nam licet hora refectionis non sit de essentia ieiunij, at est circunstantia ita annexa ieiunio, vt ex solo illius præcepto iiuncta sit, & ideo est quasi ieiunio intrinseca: ergo cum sit materia ex se gravis, eius violatio erit materia gravis, & consequenter læthalis culpa. ¶ Tertiò: in communi hominum existimatione creditur ieiunium violare, qui summo mane absque causa comedit: ergo quia graviter peccat, horam refectionis notabiliter anticipando. ¶ Quartò: quia hora refectionis præfixa multum conducit ad mortificationem carnis, & ieiunij meritum: ergo eam notabiliter invertere gravis culpa est. Ita tenent Abulensis in cap. 6. Matth. quæst. 172. Navarrus cap. 21. num. 27. Covarrubias lib. 4. Var. cap. 20. num. 14. Ledesma tom. 2. Sum. tract. 27. cap. 2. dub. 4. Sylvester verb. *Ieiunium*, num. 13. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 11. (aliàs 22.) quæst. 4. Sanchez lib. 4. Sum. cap. 11. num. 51. & in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 28. num. 4. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 3. num. 4. Ioannes à Cruce in Sum. 1. part. præcept. 4. art. 4. dub. 8. concluſ. 2.

Probabilius est oppositum.

87 Secunda, & probabilior sententia est negativa, concedens anticipantem sine causa refectionis horam, solum venialiter peccare. Et movetur primò: nam hora præfixa refectionis non est de essentia ieiunij, vt supra diximus, & non negant adversarij, sed tantum est quædam illius conditio, & circunstantia: ergo licet hæc mutetur, vel anticipetur notabiliter per duas, aut vnicam horam, non variatur essentia ieiunij, & consequenter nec graviter violatur. ¶ Secundò: postponere per duas, aut tres horas tempus refectionis non est mutatio notabilis præcepti ieiunij, & consequenter nec illius gravis transgressio, vt omnes fatentur: ergo nec anticipatio per simile tempus. ¶ Tertiò: nam prædicta refectionis anticipatio non adversatur mortificationi carnalis concupiscentiæ, aliorum que appetituum, quod est finis in ieiunij præcepto intentus; nam ad hoc de materiali est, quod abstinentia sit diuturnior ante, vel post meridiem, cum intra viginti quatuor diei horas semel tantum vescatur: ergo notabilis anticipatio non graviter adversatur fini præcepti ieiunij. ¶ Quartò: iuxta communem sententiam, ad licitam refectionis anticipationem leves causæ sufficiunt, v.g. itinerari, concionari, docere, ad mensam legere, hospitibus inservire, amicis se vrbanum ostendere, vt ex Sylvestro, Paludano, & Navarro refert Azor: ergo quia levis etiam est obligatio solvendi ieiunium hora ex consuetudine præfixa. ¶ Vltimò: quia ex præcepto Ecclesiastico præfigitur tempus ad quamlibet horam canonicam recitandam, vt constat ex cap. 1. cap. *Dolentes*, Clement. 1. de celebrat. Missar. & tamen non est gravis culpa, sed venialis, quod notabiliter dictum tempus invertatur, aut anticipetur, aut postponatur in recitatione particulari, vt diximus tract. 16. cap. 3. punct. 3. num. 15. Ergo idem dicendum est de anticipacione notabili temporis refectioni præfixi. Sic Innocentius in Rubric. de Observat. Ieiun. cap. 1. Archidiaconus in cap. *Vnum orarium*, verb. *Ieiunantibus*, dist. 25. Ricardus in 4. dist. 15. art. 3. quæst. 8. in fine, nec dissentit Villalobos tract. 23. difficult. 9. num. 3. Læsius lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 13. Toletus lib. 6. Instruct. cap. 2. Palacios in Sum. Caietanus verb. *Ieiunium*, §. 1. Rodriguez tom. 1. cap. 23. num. 3. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 4. num. 72. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 4. num. 3. Bonacina disp. vlt. de præcept. Eccles. quæst. 1. punct. 4. num. 3. Diana 1. part. tract. 9. resol. 27. Leander tract. 5. disp. 6. q. 8. Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 2. §. 3. num. 3. N. Lezana verb. *Ieiunium*, num. 5. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 11. Antonius de Leon quæst. de Chocolate, part. 2. fundam. 5. §. 1. num. 3. & alij apud relatos Auctores.

Sententia contraria diluitur.

88 Ad primum argumentum sententiæ contrariæ, concesso, vel admisso antecedenti, negatur consequentia. Nam præceptum de vnica comestione est de ieiunij substantia, at præceptum de hora prandij est de re accidentali advenienti prædictæ substantiæ: qui notabiliter destruit substantiam, frangit ieiunium, quod sine propria essentia consistere nequit, cuius contrarium accidit in destructione, seu mutatione rei accidentaliter substantiæ ieiunij, seu alterius rei advenientis, vt constat in præcepto designante tempus præfixum ad officij divini recitationem, quod graviter violatur, si aliquid notabile officij divini omittatur, secus vero si tempus recitandi illud invertatur, & si vtrumque eodem præcepto mandetur. ¶ Per quod patet ad secundum. ¶ Ad tertium respondetur negando an-

antecedens; nam Auctores noſtræ ſententiæ, qui pauci non ſunt id minime exiſtimant. Et ad quartum conſtat ex dictis in tertia probatione noſtræ concluſionis. Ad afflitionem enim corporis, & ieiunij difficultatem, ſi ſemel tantum ieiunans reficitur, de materiali eſt, quod refectio ſit ante, aut poſt meridiem.

Quædam replica, & illius ſolutio.

89 Sed dices: iuxta dicta à nobis in hoc Curſu tom.4.tract.16.cap.1.punct.2.num.11. mortaliter peccat Prælatus, qui abſque vrgenti cauſa permittit, ordinem horarum canonicarum frequenter inverti, aut notabiliter anticipari, vel poſtponi, vel cum magno intervallo in communi recitatione interrumpi: ergo peccat etiam mortaliter, qui notabiliter ieiunij ſolutionis horam antevertit. ¶ Reſpondetur: quod reſolutio noſtra in loco nobis obiecto, magis procedit de notabili horarum canonicarum inverſione, v. g. ſi quatuor minores horæ recitarentur ante matutinum, aut poſt veſperas, quam de anticipatione earum, vt legenti conſtabit; quia in illo eſt magna deformitas, & contra ſignificationem myſticam myſteriorum Paſsionis Chriſti, vt docet Gloſſa in cap. 1. *de celebrat. Miſſarum*, vt ibi num. 7. diximus; quod ſecus accidit in anticipatione temporis recitationis, cum horarum canonicarum tempus magnam apud diverſas Eccleſias, & Religiones variationem nunc licite admittat: quæ vtique deformitas minime adeſt in anticipatione temporis horæ reficiendi, vt conſtat. Præterquam quod ibi docuimus, quod anticipatio vnius horæ erat materia levis: ergo potiori titulo erit levis anticipatio refectionis in die ieiunij per vnam horam; ſed adverſarij contendunt eſſe grave, & peccatum læthale contra præceptum ieiunij præfixum tempus per horam anticipare: ergo in conſequenter loquuntur. ¶ Vltra: quia ibi loquimur de recitatione publica, cuius anticipatio notabilis, & frequens magnam parit confuſionem, & deformitatem, & aliquando ſcandalum, vt experientia liquet; quod non accidit nec in recitatione privata, nec in anticipatione horæ ſolutionis ieiunij, etiam reſpectu alicuius communitatis: ergo licet notabile ſit, publicam recitationem frequenter, & notabiliter ſine cauſa antevertere, non tamen erit horam refectionis notabiliter in die ieiunij anticipare.

Nonnullæ illationes circa anticipationem refectionis.

90 Ex quibus ſequitur primò: quod, iuſta exiſtente anticipationis cauſa, nullum peccatum etiam veniale committitur; at deficiente ea committitur ſaltem veniale, cum quo ad aliquam conditionem ieiunij præceptum violetur. Sic Doctores ſupra relati. Cauſæ autem iuſtæ huius anticipationis ſunt; ſiquis lecturus eſt admenſam; ſi concionem ad populum habiturus eſt; ſi iterfacit; ſi hoſpites recipit; ſi ad piſcationem, aut venationem recreationis cauſa iturus eſt; ſi poſt meridiem ſtatim acturus eſt negotia, magnam mentis atentionem exigentia, vt Advocati, Procuratores, & &c. & alij, qui debent cum Principibus de negotijs gravibus tractare. Et ſimiles. Sic Azor cap.11. cit. quæſt.10. Navarrus cap. 21. num. 7. Fagundez cap. 4. relato, num. 10. Palaus num. 6. Leander quæſt. 15. Paſqualigus deciſ. 149. à num. 6. & alij communiter. ¶ Infertur ſecundò: quod, ſive ex cauſa iuſta, ſive iniuſta, aliquis refectionem anticipat, tenetur, à ſecundò prandio abſtinere. Quia lex ieiunij non ſolum præcipit, ne antevertatur hora, ſed etiam & principaliter, quod vna tantum refectio fiat: ergo licet prima pars obſervari nequeat, tenetur ad ſecundam, quam poteſt implere: ſicut qui nequit vnicam tantum refectionem ſumere, tenetur ad carnis abſtinentiam, quæ lege ieiunij etiam præcipitur. Ita Villalobos difficult. 6. num. 7. Azor 1.part. lib. 7. cap. 11. quæſt.7. Læſius lib.4. cap.2. dubit.3.num.18. Fagundez de 4.Eccleſ.præcepto, cap. 3. n.10. Palaus tom.7. tract.1. diſp. 3. punct. 2. §. 3. num. 5. Leander tract. 5. diſp. 6. quæſt. 9. & alij ſupra relati, contra Ioannem Sancium in Select. diſp. 53. num. 5. ¶ Infertur tertiò: quod doctrina de anticipatione refectionis tenet in ieiunijs etiam Quadrageſimæ; cum de his etiam conſuetudo invaluerit, illam prope meridiem ſolvere. Sic Doctores citati, & alij, quos lato calamo ſupra initio huius puncti allegavimus num. 84. ¶ Infertur quartò: poſſe ſine cauſa ieiunij ſolutionem vſque ad noctem ſine culpa differri; quia in hoc melius ieiunij finis; ſcilicet corporis maceratio, impletur; excipe, niſi talis dilatio ex ſuperſtione fiat. Azor quæſt. 5. Fagundez num.5. Bonacina diſp.vltima Eccleſ. præceptorum, quæſt. 1. num. 1. punct. 4. Sanchez in Conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 28. num. 6. & alij communiter.

PUNCT. V.

Quibus diebus obliget præceptum ieiunij Eccleſiaſtici, & abſtinentiæ à carnibus? Vbi de hora, qua incipit, & finitur dies ieiunij.

TRiplicem partem titulus puncti promittit diſcutiendam; cæterum, quia quælibet earum plures affert difficultates ſolutione dignas, ideo triplici etiam §. eas enodare curabimus.

§. I.

Aſsignantur dies, in quibus fideles ieiunare tenentur.

De ieiunio Quadrageſimæ.

91 NOn loquimur in præſenti de ieiunijs privatis, & particularibus, ſed de communibus à tota Eccleſia obſervandis, & quæ nunc omnes obligant, inter quæ primatum obtinet ieiunium quadrageſimale, quod ad Chriſti imitationem diverſis iuris Canonici decretis indixit Eccleſia. Nam in primis illud præcipit in cap. *Non licet, de conſecratione, diſt. 3.* & eodem titulo, & diſtinctio-

ctione cap. *Non oportet*; & cap. *Placuit*, & alijs capitibus, vnde eorum verbis omissis solum transcribam verba capitis *Quadragesima*, *de consecratione*, *dist.* 1. vbi redditur ratio omnium, quæ de hoc ieiunio quadragesimali scire oportet: *Quadragesima* (verba sunt dicti capitis ex Gregorio magno desumpta) *summa observatione est observanda, vt ieiunium in ea (præter dies Dominicos, qui de abstinentia substracti sunt) nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus solvatur. A prima igitur Dominica Quadragesimæ, vsque in Pascha Domini sex hebdomadæ computantur: quarum videlicet, dies quadraginta, & duo fiunt. Ex quibus dum sex Dominici dies abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta, & sex dies remanent; V. g. si per 365. dies annus voluitur, & per 36. dies affligimur, quasi anni decimas Deo damus. Sed vt sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Salvator noster suo sacro ieiunio consecravit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum quadraginta dierum tolluntur, ideſt quarta feria, quæ caput Ieiunij subnotatur, & quinta feria sequens, & sexta, & Sabbatum. Nisi enim istos dies quatuor superioribus, triginta sex adiunxerimus, quadraginta dies in abstinentia non habemus. Iubemur etiam ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare.* Hucusque dictum caput, quibus nil addere necesse est.

Quædam notanda circa dictum Quadragesimæ ieiunium.

92 Notandum tamen primò est: quod licet vniversalis Ecclesia hos 40. ieiunij dies, & eo modo, quo à D. Gregorio supputantur, observet; at Mediolani contraria consuetudine primi quatuor ieiunij dies respectu Populi, & Cleri (licet non respectu fere omnium Religiosorum, vt testatur Bordonius tom. 2. part. 1. resol. 18. num. 1.) scilicet à feria 4. Cinerum vsque ad Dominicam primam Quadragesimæ, sunt abrogati, vt testantur Paschal. quæst. de Ieiunio, decis. 36. à num. 3. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 3. n. 7. & Leander tract. 5. disp. 1. q. 11. qui addit, in quibusdam Germaniæ locis consuetudine esse introductum, vt singulis hebdomadibus ter tantum ieiunent. ¶ Notandum est secundò: quod licet D. Augustinus Epist. 119. dicat: *Quadragesimæ ieiunium habet auctoritatem, & in veteribus libris, & ex Evangelio; quia totidem diebus Dominus ieiunavit.* In quibus videtur innuere, hoc ieiunium esse ex Divino præcepto; at verius est, obligare tantum ex præcepto Ecclesiastico, licet ab Apostolis emanato; vt tradit Divus Hieronym. Epist. ad Marcellum his verbis: *Nos vnam quadragesimam ex Apostolorum traditione congruo tempore ieiunamus.* Ita tenent Azor part. 1. lib. 7. cap. 23. quæst. 1. Covarrub. lib. 4. Var. cap. 20. n. 4. Sylvester verb. *Ieiunium*, quæst. 1. Navarr. in Manuali, cap. 21. num. 12. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 5. num. 5. Barbosa in cap. *Statuimus*, dist. 4. n. 2. Paschal. decis. 165. Trullench in Decal. lib. 3. cap. 2. dub. 5. num. 1. & alij apud relatos.

De ieiunio in Apostolorum Vigilijs.

93 Secundò loco succedit ieiunium in Vigilijs Apostolorum, quod his verbis præcipit Innocentius III. relatus in cap. *Consilium*, de observatione ieiunorum: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod omnium Apostolorum Vigiliæ sunt in observatione ieiunij celebrandæ, præter Vigilias Apostolorum Philippi, & Iacobi; & Beati Ioannis Evangelistæ, quorum ipsorum solemnitas intra solemnitatem paschalem, istius autem intra natalem Domini celebratur.* Et addit doctrinam vtilem pro omnium Sanctorum Vigilijs dicens: *Sanctorum quoque Vigiliæ, quorum festivitates oportet secunda feria celebrari, in præcedenti sunt Sabbato ieiunandæ.* Cæterum, quia antiquitus de Vigilia S. Mathiæ fuit aliqua difficultas, an in ea esset ieiunandum, respondet idem Summus Pontifex ibidem in cap. *Ex parte*, quod Beati *Mathiæ Apostoli debet Vigilia ieiunari.* ¶ Notandum vero hic est decretum quoddam S. Rit. Congreg. cuius sequens est tenor. Quæsitum est à S. Rit. Congregatione declarari: an Vigilia S. Mathiæ Apostoli, occurrens hoc anno in feria tertia post Dominicam Quinquagesimæ possit ratione Carnis privij anticipari cum ieiunio? Et eadem S. Congregatio respondit negative, & ieiunium prædicta feria tertia servandum. Die 23. Ianuarij 1694. A. Cardin. Cibo. Loco ✠ sigilli. B. Inghiramus S. Rit. Congregat. Secret. ¶ Ex quibus omnibus constat; tum: quod in omnibus Apostorum Vigilijs, exceptis S. Philippi, Iacobi, & Ioannis Evangelistæ ob solemnitatem paschalem, esse ieiunandum; tum: quod, si solemnitas cuiuscumque Sancti cum Vigilia celebrandi, venerit feria secunda, debet in præcedenti Sabbato ieiunari. Tum denique: quod Vigilia S. Matthæi, & si in feria tertia Carnis privij venerij, ieiunanda est, etiam vbi quadragesimale ieiunium incipit à feria quarta Cinerum. Sic communiter Doctores supra relati.

rum Vigiliis.

De ieiunio Nativitatis Christi Domini, & Assumptionis B. V. Mariæ.

94 Tertiò loco præcipitur ieiunium in Vigilijs Nativitatis Christi Domini, & Assumptionis B. V. Mariæ, quod patet ex dicto cap. *Ex parte*, vbi tanquam certum supponitur dictum ieiunium iure communi inductum. Sic tenent Azor lib. 7. cap. 24. aliàs 13. quæst. 1. Barbosa in dict. cap. tom. 2. Collect. Decretal. pag. 428. num. 2. Sylvester verb. *Ieiunium*, num. 5. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 5. num. 8. & Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. num. 18. notans recte num. 4. quod excepta Vigilia Assumptionis B. Mariæ Virginis, nulla alia eiusdem Virginis Vigilia obligat ad ieiunandum, cum solum de dicta Vigilia fiat mentio in dicto capite *Ex parte*. Quare si communiter omnis populus alias B. V. Mariæ Vigilias ieiunat, id fit ex devotione tantum.

De ieiunio quatuor temporum.

95 Quartò præcipitur observari ieiunium quatuor temporum. Quod constat primò ex cap. *Ieiunium*, dist. 76. vbi Calixtus primus temporibus Apostolorum vicinus; sic ait: *Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, sic & nos quaternum solemne agamus ieiunium per anni quatuor tempora.* Constat secundò ex capite sequenti vbi ex Concilio Moguntino I. cap. 34. di-

dicitur : *Constituimus vt quatuor tempora anni ab omnibus communi ieiunio observentur, ideſt in menſe Martio hebdomada prima; in Iunio ſecunda : in Septembri tertia, in Decembri quarta.*

96 Denique Vrbanus II. relatus in cap. *Statuimus, eadem diſt. 76.* ſic ait : *Statuimus vt ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur : primum in initio Quadrageſimæ, ſecundum in hebdomada Pentecoſtes : tertium vero in Septembri, quartum in Decembri more ſolito fiat.* Quæ vtique ieiunorum tempora, & dies ne memoria exciderint his verſibus comprehendit.

Vult Crux, & Lucia, cinis, & chariſmata dia,
Vt ieiunetur quarta ſequens feria.

Ideſt ieiunium quatuor temporum celebretur prima quarta feria, quæ ſequitur poſt feſtum Sanctæ Crucis de menſe Septembris, poſt feſtum Sanctæ Luciæ, Cinerum, & Pentecoſtes. Quæ omnia Navarrus in Manuali, cap. 21. num. 11. brevius expreſsit dicens : *Poſt Pent. Cruc. Luc. Cine.* Ideſt poſt Pentecoſtem, Sanctam Crucem, Luciam, & Cinerem. Huius ieiunij inſtitutionis cauſas varias refert Bellarminus tom. 4. controv. vltima, lib. 2. cap. 19. pag. mihi, 1128. Sed præſius his verbis eas inſinuat D. Thom. 2. 2. quæſt. 147. art. 5. in corpore fin. *Singula vero ieiunia quatuor temporum tribus diebus continentur proter numerum menſium, qui competit cuilibet tempori : vel propter numerum ſacrorum ordinum, qui in his temporibus conferuntur.* Videantur vltra ſupra relatos in num. 92. Læſius lib. 4. cap. 2. dub. 9. num. 67. Villalobos tract. 23. diffic. 2. num. 4. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 2. num. 5. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 98. Bonacina diſp. vlt. de præcept. Eccleſ. quæſt. 1. punct. 5. num. 3. & Leander à Sanctiſ. diſp. 6. tract. 5. quæſt. 7.

De ieiunio Vigiliæ Pentecoſtes.

97 Quintò loco adeſt ieiunium in Vigilia Pentecoſtes. Sed nota, quod hoc ieiunium non obligat ex aliquo iuris Canonici decreto, ſed vnice ex fidelium recepta conſuetudine. Primum patet ex cap. *Sciri debet, diſt. 76.* vbi ex D. Ambroſio habetur, quod quinquaginta dies, qui ſunt à Reſurrectionis Paſcha vſque ad Pentecoſtem reputantur velut dies Dominici, aut Reſurrectionis, & ideo in eis gaudendum, & minime ieiunandum. Quare concludit Gratianus dictum caput : *Et ſuſcipimus advenientem in nos gratiam Spiritus Sancti die Pentecoſtes, vacante ieiunio, laus dicitur Deo, Alleluia cantatur.* Nec diſſentit Angelic. Doctor 2. 2. quæſt. 147. art. 5. ad 3. dum ex eo, quod ieiunia ex Eccleſiæ præcepto ſint magis afflictionis, quam exultationis, infert : *Propter quod non eſt ieiunium ab Eccleſia inſtitutum in toto Paſchali tempore*: cum ergo Vigilia Pentecoſtes ſit in Paſchali tempore, dicendum eſt, quod eius ieiunium non eſt ex Eccleſiæ præcepto. Vnde conſtat ſecunda pars, ſcilicet obligare ex legitima fidelium conſuetudine ; quæ, vt fatetur Navarrus concluſ. 1. de Obſervat. Ieiun. in omnibus Eccleſiæ Catholicæ Provincijs ab omnibus obſervatur : cum ergo conſuetudo legitime introducta vim legis habeat, & obliget ſub mortali ; dum eſt circa materiam gravem, dicendum eſt, hoc ieiunium ex conſuetudine graviter obligare. Ita docent Sylveſter verb. *Ieiunium*, quæſt. 1. Caiet. 2. 2. quæſt. 147. art. 5. Sanchez tom. 2. Conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 18. num. 1. Azor 1. part. lib. 7. cap. 13. quæſt. 2. Fagundez de 4. Eccleſ. præcept. lib. 1. cap. 5. num. 9. Læſius lib. 4. cap. 2. dubit. 9. num. 66. Navarrus loco citato. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 5. num. 16. Filliuc. tract. 27. part. 2. cap. 5. num. 101. quæſt. 10. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 2. num. 6. & Barboſa in cap. *Scire debet*, diſt. 76.

De ieiunio in Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ, S. Laurentij, & feſtivitatis omnium Sanctorum.

98 Vltimò loco ſub mortali obligat ieiunium in Vigilijs Sancti Ioannis Baptiſtæ, S. Laurentij, & feſtivitatis omnium Sanctorum: cæterum hæc obligatio non oritur ex aliquo decreto iuris Canonici, cum nullum extet, ſed vnice ex vniverſali Eccleſiæ conſuetudine ea ieiunia obſervante, vt communiter Doctores ſupra allegati, & alij docent. ¶ Obſervandum tamen hic eſt, quod ſi Vigilia Sancti Ioannis Baptiſtæ in feſtivitate Corporis Chriſti incidat, tunc anticipandum eſt ieiunium feria quarta, vt præcipit Leo X. in quodam Brevi miſſo ad Hiſpaniæ Legatum ; pro vt teſtatur Navarrus in Manuali, cap. 21. n. 1. & noviſsime conſtat ex quadam declaratione S. Rit. Congregat. approbata ab Vrbano VIII. in Bulla, quæ incipit : *Cum evenire*, edita 13. Octobris 1638. quam ſupra tranſcripſimus.

Cætera ieiunia aliquando obſervata iam non obligant.

99 Hæc ergo ſunt ieiunia, quæ aut ex Eccleſiæ præcepto, aut ex legitima fidelium conſuetudine ſub culpa mortali nunc ab omnibus obſervanda ſunt : quare, ſi quæ alia antiquitus obſervabantur, vt in feria quarta, & ſexta, ex cap. *Ieiunia, diſt. 3. de conſecratione*, & Sabbato, ex *cap. Sabbato, eadem diſtinctione.* Et in Adventu, vt patet ex cap. *Concilium, de Obſervat. Ieiun.* Tamen hæc omnia, & ſi quæ alia, in diſuetudinem abierunt, & minime nunc vniverſam Chriſti Eccleſiam obligant. Vt docent communiter Doctores. Videantur Azor lib. 7. cap. 26. & 27. Covarrubias lib. 4. Var. cap. 20. num. 8. Barboſa in dicta capita, alij que Auctores ſupra relati.

§. II.

Quando ſola abſtinentia à carnibus obligat?

De abſtinentia in triduo rogationũ.

10 HUcuſque actum eſt de diebus, in quibus ex præcepto, aut legitima Eccleſiæ conſuetudine ieiunium ſub præcepto obligat : nunc videndum reſtat, quando ex eiuſdem Eccleſiæ præcepto, aut conſuetudine ſola abſtinentia carnium obliget ? Ad quod dicendum eſt primò : in triduo Rogationum ante Domini Aſcenſionem, ſervandam tantum eſſe abſtinentiam à carnibus, & minime tunc ieiunium obligare. Vtraque pars concluſionis conſtat ex Conc. Aurelianenſi 1. Can. 29. relato in cap. *Rogationes*, de conſecrat. diſt. 3. his verbis : *Rogationes, ideſt Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebra-*

brari; *ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis solemnitate solvatur::: quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.* Et licet his verbis sub præcepto indicit ieiunium videatur, tamen vt ibi observat Glossa, non *præcipitur, sed suadetur.* Quod etiam constat: tum ex eo, quod in fine dicti capitis abstinentia præcipitur: ergo si prius ieiunium fuisset sub præcepto indictum, frustra postea abstinentiam præciperet; cum hæc sit de ratione ieiunij Ecclesiastici. Tum etiam: quia in cap. *Scire, dist.* 37. dicitur, quod à Resurrectione ad Pentecostem non est ieiunandum; sed hoc verum non esset si Rogationum ieiunium ex præcepto obligaret: ergo non obligat, sed tantum ex consilio est indictum. Vnde oritur, quod nec vsus cibi quadragesimalis tunc præcipiatur; cum hic ieiunij obligationem sequatur. ¶ Harum Rogationum principium ortum duxit à Mamberlo Episcopo Vienensi in Gallia, qui cum dicta Civitas immanitate Luporum, Vrsorum, & aliarum ferarum premeretur, & ipsius Oppidi ædificia assiduis terremotibus quaterentur, has publicas Rogationes, & ieiunia indixit; vt Dei ira placaretur. Quem morem postea vniversalis suscepit Ecclesia, vt gemmantes flores, & erumpentes fructus Deus ab aëris intemperie, & gelu indemnes conservet. Videantur Concil. Tolet. 4. cap. *Quando Presbyt.* 38. Durandus in Rational. Divin. lib. 6. cap. 105. num. 7. Sylvester in Sum. verb. *Ieiunium*, num. 5. Azor 1. part. lib. 7. cap. 15. aliàs 26. quæst. 4. pag. 750. Fagundez 4. præcept. lib. 1. cap. 6. num. 8. Villalobos 1. part. tract. 23. diffic. 2. num. 8. Filliucius tract. 27. 2. part. cap. 5. num. 102. Covarrubias lib. 4. Var. cap. 20. num. 26. & Barbosa Collect. Doct. part. 3. tom. 5. dist. 3. *de consecratione, cap. Rogationes*, pag. 422. alios referens.

Quid circa Rogationes ex consuetudine observetur.

101 Hæc sunt quæ de iure Communi circa Rogationes scripta legimus; at vt bene ait Villalobos part. 1. tract. 23. diffic. 2. num. 8. consuetudo Provinciæ in hoc sequenda est, quæ pro diversitate Provinciarum est diversa. Nam in aliquibus, in his tribus diebus à carnibus abstinetur. In alijs, feria secunda, & quarta ieiunatur: in alijs, tantum ieiunatur in Vigilia Ascensionis, in alijs denique, omnibus his tribus diebus carnibus vescitur. Sic Villalobos Ludovicus à Cruce in Bull. Cruciat. disp. 1. cap. 5. dub. 15. num. 3. At vt testatur Barbosa in cap. *Rogationes* in Lusitania huiusmodi triduanuum ieiunium non in disuetudinem abit, sed pro quodam Religionis studio colitur, & observatur maxime in Pervigilio Ascensionis Domini; & in alijs duobus diebus à carnibus abstinetur, quod de aliquibus Provincijs Hispaniæ, Galliæ, & Germaniæ attestatur Azor Instit. Moral. part. 1. lib. 7. cap. 15. quæst. 4. Hucusque Barbosa. ¶ Sed in alijs Hispaniæ Regnis solum mos est, in Vigilia Ascensionis sine ieiunio à carnibus abstinere. Quapropter dicendum est, vnumquenque in hoc Patriæ morem servare debere. Videatur Quintana-Dueñas tract. 9. singul. 30. vbi num. 2. affert decretum Synodi Hispalensis *tit de Ferijs, cap.* 2. quod præcipit, vt feria secunda solum edantur cibi in Sabbato liciti; & feria quarta, qui permittuntur in diebus ieiunij: & num. 3. refert verba Concil. Granat. *tit. de Observatione Ieiunorum, num.* 3. vbi feria secunda, & quarta Rogationum carnes prohibentur.

De abstinentia in feria sexta.

102 Dicendum est secundò: quod licet antiquitus feria quarta, sexta, & Sabbato, nec non toto Adventu ieiunium observaretur, vt supra vidimus, & consequenter ab esu carnium tunc erat abstinendum; tamen nunc id nullibi observatur, imò nec feria quarta, & Adventu à carnibus abstinetur. Quare solum difficultas esse potest circa abstinentiam à carnibus in feria sexta, & Sabbato? Ad quam duplici conclusione respondendum est. Dicimus ergo primò: quod omnibus ferijs sextis à carnibus abstinendum est, nisi in aliqua earum incidat dies Natalis Domini: Prima pars constat ex vniversali Ecclesiæ consuetudine, quæ ieiunium antiquitus observatum in abstinentiam commutavit. ¶ Secunda vero pars patet ex cap. *Explicari de Observatione Ieiunorum*, vbi sic ait Honorius III. *Explicari per Sedem Apostolicam postulasti, &c. Respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in feria sexta, si festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt qui ob devotionem voluerint abstinere.* Ex quibus constat, quod licet quando Vigilia Nativitatis incidit in feria sexta, possimus carnibus, & cibis quadragesimalibus vesci, tamen ad hos comedendos non tenemur, nisi aliàs ex voto, aut regulari observantia ad id obligati simus. Sic Azor lib. 7. cap. 26. quæst. 3. Villalobos part. 1. tract. 23. difficult. 2. num. 6. Fagundez lib. 1. de 4. Eccles. præcept. cap. 6. num. 5. & 6. Covarrubias lib. 4. cap. 20. num. 8. Barbosa in cap. *Ieiunia, de consecrat.* & cap. *Explicari*, tit. 46. *de Observatione Ieiunorum*, num. 1. & alij.

Sunt, qui asserant, voventem abstinere à carnibus ferijs sextis, ad id non teneri, si incidat dies Nativitatis in aliqua earum.

103 Sed licet hæc ita sint, adhuc movent Doctores quæstionem: An qui vovit à carnibus abstinere, seu ieiunare omnibus ferijs sextis, teneatur ad ieiunium, seu abstinentiam, quando in tali feria incidit Natalis Domini? Circa quam supponendum est primò: quod, si dum emittit votum, expresse exclusit, dum Natalis Domini in feria sexta venit, aut expresse inclusit; tunc votum obligat, aut de obligat iuxta intentionem voventis, nec in hoc esse potest aliqua difficultas. ¶ Secundò supponendum est: tale votum esse validum; quia licet Ecclesia in dicto textu permittat, tali feria sexta carnes comedere, non tamen ab eis prohibet abstinere: ergo non est de re illicita, sed de licita, & consequenter validum. Quare difficultas est, dum absolute quis vovit, ferijs sextis ieiunare, aut à carnibus abstinere? Ad quam prima sententia tenet, non obligari in tali casu ad ieiunium. Primò: quia sub generali promissione non veniunt illa, quæ si essent specialiter proposita, vero similiter non essent intenta; sed si dies Nati-

vitatis ſpecialiter voventi ieiunare abſolute, aut abſtinere à carnibus ferijs ſextis proponeretur, veroſimiliter illum non intenderet comprehendere ſub tali promiſsione : ergo ſub tali voto, dicendum eſt, non comprehendi. ¶ Secundò : quia nemo credendus eſt, velle eſſe oneroſus familiæ, dum ferijs ſextis vovit à carnibus abſtinere; ſed eſſet oneroſus ſi tali die Nativitatis ipſe ſolus ex familia abſtineret à carnibus : ergo non eſt præſumendum, id vovere voluiſſe. ¶ Tertiò : votum interpretandum eſt ſtrictè, vt tollatur omnis occaſio illud violandi, & præcidatur omne peccati periculum : ergo votum in præſenti caſu ſtrictè, & non comprehendendo diem Nativitatis interpretandum eſt. Ita Molina tom. 2. de Iuſt. diſp. 272. col. 2. verſ. *Exempla ſunt*. Azor 1. part. Inſtit. Moral. lib. 11. cap. 20. quæſt. 3. Ioannes Andræas cap. vlt. *de Obſervat. Ieiun.* Zoechus in tract. de Ieiunio, num. 76. & Fagundez de 4. Eccleſ. præcept. lib. 1. cap. 6. Nec diſſentit Diana 1. part. tract. 9. reſol. 22.

Verius eſt oppoſitum.

104 Dicendum tamen eſt, teneri ſic ventem eo die à carnibus abſtinere, ſeu ieiunare. Et ratio prima eſt : quia textus ſupra allegatus abſolute docet, teneri à carnibus abſtinere etiam feria ſexta, in qua Nativitas Chriſti incidit, qui voverit ferijs ſextis abſtinere : ergo cum textus indiſtincte loquatur, non eſt cur reſtringatur ad eſum carnium, aliàs feria ſexta interdictum. ¶ Secundò: quia ad eximendum voventem ab obligatione, non eſt attendendum ad id, quod vovens promitteret, ſi meminiſſet, ſed quid actu promiſsit; atqui actu promiſsit omnibus ferijs ſextis à carnibus abſtinere, ſeu ieiunare : ergo ad id tenetur. ¶ Tertiò : quia in hoc voto non eſt error in ſubſtantia rei promiſſæ, ſed in circunſtantia occurſus Natalis Domini, quæ eſt omnino accidentaria actioni vovendi; ſed quando error non eſt in ſubſtantia rei promiſſæ, ſed in aliqua extrinſeca circunſtantia, validum eſt, vt diximus tom. 4. tract. 17. cap. 1. punct. 6. à num. 155. Ergo ita tenendum eſt. ¶ Quartò : qui voveret ieiunare die Dominica, validum, & obligatorium eſſet tale votum; vt docuimus loco cit. num. 64. & nihilominus oneroſus eſſet familiæ, quæ carnibus veſceretur : ergo & ſi oneroſus eſſet familiæ, validum eſt votum abſtinendi carnibus omnibus ferijs ſextis, etiam quando in ea incidit Nativitas Chriſti. ¶ Quintò : votum abſtinendi à carnibus omnibus ferijs ſextis eſt certum; ſed alias ius commune relevans ab aſtinentia à carnibus alios fideles in die Nativitatis, expreſſe excipit eos, qui voto, aut regulari obſervantia ſunt adſtricti: ergo iſti non gaudent dicto ieiuuij privilegio, ſed potius manent ſub eadem voti obligatione. Hanc ſententiam docent Sylveſter verb. *Ieiunium* 9. num. 10. Corduba in ſuo Quæſt. quæſt. 169. Paludanus in 4. diſt. 38. quæſt. 3. art. 4. num. 26. Navarrus in Sum. Hiſpana, cap. 28. addit ad num. 27. cap. 21. Vazquez 1. 2. quæſt. 7. art. 4. diſp. 30. cap. 4. num. 26. Suarez de Religione, tom. 2. lib. 4. cap. 20. num. 7. Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 23. difficult. 2. num. 6. Sayrus in Clavi Regia, lib. 6. cap. 8. num. 11. Sanchez in Decal. tom. 1. lib. 4. cap. 11. num. 61. Rodriguez qq. Regul. tom. 3. quæſt. 45. art. 3. & Barboſa Collect. Decret. tom. 2. in cap. *Explicari*, num. 2. tit. 46. de Obſervatione Ieiunorum, pag. 430.

Ad argumenta reſpondetur.

105 Ad primum argumentum ſententiæ contrariæ conſtat ex ſecunda ratione concluſionis. Nam vt diximus tract. 17. allegato, num. 156. ſi votum remaneret invalidum ob circunſtantias poſtea occurrentes, quæ ſi præviderentur à principio, votum non emitteretur, nullum votum valeret, ſed omnia breviter caſarentur : ergo ex quo vovens abſtinere, v. g. omnibus ferijs ſextis, ſi prævideret, quod Nativitas Chriſti in aliqua earum inciderit, non illam ſub tali voto comprehenderet, nequit argui, quod votum tali die non obligat. ¶ Ad ſecundum conſtat ex quinta ratione probativa. Et inſuper dicimus, tale onus non eſſe adeò grave, vt ob id obligationem voti negemus, cum faciliter ſuperari à quolibet poſsit. ¶ Ad tertium fatemur ex dictis tract. 17. cap. 1. num. 148. vota interpretanda eſſe ſtrictè, & pro vt verba ſonant; at vero, cum verba dicti voti in propria ſignificatione, & iuxta grammaticalem ſenſum accepta, omnes ferias ſextas comprehendant, nihil nos vrget, vt aliter ea accipiamus; ac proinde aſſerendum eſt, tale votum, etiam in die Nativitatis, quando in feria ſexta venerit, valere.

Quid dicendum de Religioſis ad abſtinendum à carnibus obligatis?

106 Sed licet hucuſque dicta probent, teneri Regulares à carnibus abſtinere in die Nativitatis, quando in feria ſexta venerit, ſi alias ex regulari obſervantia ad id ſunt adſtricti, cum textus allegatus num. 102. eodem modo loquatur, de his, qui ex voto, aut ex regulari obſervantia tenentur: attamen advertendum eſt, quod ſi Religioſus ad id ex regula obligatus, abſtinentiam, aut ieiunium frangeret, ſolum peccaret contra obligationem regulæ. Et ratio eſt : quia Pontifex in dicto capite declarat, legem abſtinentiæ à carnibus eſſe ex conſuetudine contraria totius Eccleſiæ derogatam, & ſolum relinquit obligationem regularis obſervantiæ : ergo ſi hæc tantum ad veniale (ſicut apud nos Carmelitas intra Conventum) obligat, ſolum venialiter peccabit, qui carnes dicta feria ſexta comederet. ¶ Ex quo ſequitur primò : quod poterit tunc Prælatus in hoc diſpenſare, ſicut in alijs regularibus obſervantijs iuxta facultatem ſibi à Religione conceſſam; & tunc iam omnino licitum erit, carnibus dicta feria ſexta veſci. Ita Rodriguez loco alleg. art. 3. ver. 3. Sanchez num. 63. verb. *Ieianium*, num. 64. ¶ Sequitur ſecundò : quod in Religionibus, in quibus ex regulari obſervantia illicitum eſt, in Sabbato veſci animalium extremitatibus, ſeu inteſtinis, non poſſunt Religioſi eas comedere, dum Nativitas Chriſti in Sabbato venerit. Quia & ſi textus loquatur de feria ſexta, attamen eadem ratio militat, quando incidit Nativitas in feria ſexta, ac in Sabbato. Et colligitur ex cap. *Quia dies*, *de conſecrat. diſt.* 5. vbi prohibetur, in Sabbato car-

carnibus vesci, nisi magna interveniente solemnitate ; & nulla alia maior esse potest, quam Christi Nativitas. Ita Rodriguez quæst. 45. art. 4. & Sanchez num. 59.

Religiosus Episcopus potest feria 6. in qua incidit Christi Nativitas vesci carnibus, & si voto Religionis causa prohibeatur.

107 Sequitur tertiò : quod si Religiosus factus sit Episcopus, tunc, & si ex regula, aut quarto voto substantialibus annexo, ad abstinentiam omnibus ferijs sextis teneretur, ad eam non obligatur, dum Christi Nativitas in aliqua earum venerit. Et ratio est: quia manet ex vi status,& dignitatis Episcopalis absolutus ab omnibus regulæ observantijs,exceptis tantum tribus votis substantialibus : ergo poterit sicut alij fideles, vti privilegio Iuris Canonici ad vescendas carnes. Sic docuimus pluribus relatis tom. 4. tract. 15. cap. 5. punct. 2. num. 36. Et insuper tenent alij, quos refert, & sequitur Barbosa loco allegato in cap. *Explicari*, tit. 46. *de Observantia Ieiunorum*, num. 4. pag. mihi, 430.

De abstinentia Sabbati.

108 His sic circa abstinentiam à carnibus in feria sexta stabilitis, restat alteram partem difficultatis circa Sabbatum decidere. Pro qua supponendum est, quod ex cap. *Vtinam*, dist. 76. & cap. *Sabbatho*, *de consecratione*, dist. 3. ob reverentiam sepulturæ Dominicæ Sabbato fideles ieiunare debent ; & ita observasse Romanam Ecclesiam, testatur D. August. Epist. 118. ad Ianuarium. Nicephorus id etiam tenet lib. 12. Eccles. Hist. cap. 34. & de Hispania tradunt D. Hieronym. Epist. ad Lucinium ; & Concilium Elibertinum Canone 26. & denique de Galliarum Ecclesijs docet Concilium Agatens. Can. 12. relatum in cap. *Placuit*, *de consecratione*, *dist.* 3. sed licet antiquitus hæc observata fuerint ; tamen dicendum est secundò, quod nunc apud nullam Ecclesiam id observatur ; & solum apud aliquas imperfectum ieiunium, hoc est abstinentia à carnibus, in praxi est. Ita communiter Doctores. Sed hoc vt certo stabilito.

Vbi est consuetudo Sabbatis abstinendi à carnibus, obligat sub mortali.

109 Difficultas est : An hæc in Sabbatho à carnibus abstinentia omnes, aut saltem eos, apud quos in vsu est, sub mortali obliget? Negat Glossa in cap. *Quia dies*, *de consecratione*, dist. 5. & movetur : quia in dicto cap. Gregorius VII. non vtitur verbis præceptum explicantibus, sed tantum ad monitionem inuentibus ; cum vtatur verb. *Admonemus*, quod iuxta *leg. Idem*, §. *Si quis ea quæ*, *ff. mandati*, & Barbosam *de Dictionibus vsu frequent. dict.* 12. *pag.* 64. non inducit mandatum: ergo vbi consuetudo non est, solum obligat sub consilio, & non sub præcepto. ¶ Sed hoc non obstante tenendum est, abstinentiam in die Sabbati tantum obligare sub mortali eos, apud quos talis abstinentiæ consuetudo viget. Quæ conclusio ostenditur ex cap. allegato, vbi sic dicitur : *Quia dies Sabbathi apud Sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorundem auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, vt quicumque se Christianæ Religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die (nisi maiori festivitate interveniente, vel infirmitate impediente) abstineat* : ergo cum materia gravis sit, & alias esse participem Christianæ Religionis, sit vtilissimum ; dicendum est, talem abstinentiam sub læthali obligare eos ; apud quos contraria consuetudo hanc legem non abrogavit. Sic Sylvester verb. *Ieiunium*, quæst. 10. n. 28. Azor lib. 7. cit. cap. 26. quæst. 2. pag. mihi, 748. Covarrubias lib. 4. Var. cap. 20. num. 8. Fagundez de 4. præcept. Eccles. lib. 1. cap. 6. num. 4. & alij. Qui communiter docent, in hoc vniuscuiusque Provinciæ consuetudinem servandam esse. Quapropter Galli, & Belgij carnibus vescuntur Sabbatis à Natali Domini ad Purificationem, vt testantur Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 4. col. 5. Covarrubias loco allegato, & Beyerlinck in Theatro Vitæ Humanæ, verb. *Ieiunium*, pag. 13. col. 1. appellans hanc consuetudinem piam, quia introducta est videntibus Prælatis ob bonorum puerperij Beatæ Virg. Mariæ, quod omnibus sordibus, & secundinis caruit ; cuius aliquando contrarium quidam hæretici, B. V. Mariæ partui, & puritati detrahentes, asserere non erubuerunt. Similiter Hispani vna, vel altera Provincia excepta, omnibus Sabbathis, præterquam in Quadragesima, Vigilijs, & quatuor temporibus, licet vniversi carnibus non vescantur, tamen animantium extremitatibus, intestinis, ac visceribus vescuntur. Quare in his, loci consuetudo tenenda est.

Sententiæ cõtrariæ motivo fit satis.

110 Ad argumentum respondetur primò: S. Pontificem in prædicto textu loqui de quibusdam locis, vbi prædicta abstinentia erat consuetudine contraria abrogata, & ideo vtitur verbis illis *salubriter admonemus*. ¶ Secundò, & clarius respondetur verba *illa salubriter admonemus*, non appellare supra abstinẽtiam à carnibus, sed supra observantiam talis præcepti, commonentes fideles, vt curent, illud observare, ne grave peccatum per eius transgressionem committant, & à participatione Christianæ Religionis fructuum se abdicent.

§. III.

Qua hora incipiat, & finiatur obligatio ieiunij, & abstinentiæ?

Obligatio ieiunij incipit à media nocte, & terminatur in media nocte sequenti.

111 SIne dubio aliquo docent Auctores, ieiunij Ecclesiastici obligationem à puncto mediæ noctis incipere, & finiri eodem puncto mediæ noctis sequentis : & ratio huius est. Nam ieiunium Ecclesiasticum observari præcipitur pro integro die ; sed dies incipit ob vna media nocte, & terminatum ad alteram mediam noctem sequentem : ergo obligatio ieiunij incipit à media nocte, & in puncto alterius mediæ noctis sequentis terminatur. Ita Sylvest. verb. *Ieiunium*, num. 28. Navarrus cap. 21. num. 11. Azor lib. 7. cap. 15. aliàs 26. quæst. 6. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 10. & alij apud ipsum. Paschaligus decis. 148. num. 1. ¶ Notandum tamen, quod media nox inceptionis, & terminationis diei ieiunij, vbi Horologium non est, nequit computari mathematice, sed moraliter, iuxta communem habitantium in loco æstimationem; aliàs id esset diversis scrupulis expositum ; cum mathematica computatio mediæ noctis à paucis, vel nullo, sine

Horologio artificiali, aut cognitione ſtellarum, quæ Polum in ſpatio viginti quatuor horarum gyrant, haberi poſsit. Cæterum in loco vbi eſt horologium, illi mathematice ſtandum eſt; niſi clare per diem innotuerit, à Solis curſu diſcordare.

Quid agendum dum dubitas de auditione duodecimæ horæ noctis.

112 Difficultas ergo prima in hac materia eſt, vtrum dubitans: An duodecima hora noctis audita ſit, vel ſit media nox, poſsit comedere, aut cœnare? Ad quod ſub diſtinctione reſpondendum eſt: & dicendum primò: quod ſi dies futura ſit ieiunij, & quis dubitat, an hora mediæ noctis audita ſit, tunc cœnare, & carnes comedere poteſt. Et ratio eſt: quia in dubijs melior eſt conditio poſsidentis; ſed in caſu poſito poſsidet libertas ad eo die cœnandum, & non ieiunium, cum illius obligationis inceptio dubia ſit: ergo cœnare poteſt. ¶ Excipe tamen, ſi die ſequenti Euchariſtiam vellit ſumere, quia vt diximus tract. 4. cap. 7. num. 69. & tract. 11. cap. 2. n. 121. tunc cœnare in tali dubio non debet, quia non poſsidet tunc libertas, ſed lex de ſumenda Euchariſtia in ieiunio naturali, cum dicta lex non pro die determinata ſit lata, ſed pro omnibus generaliter, in quibus, quis ad Euchariſtiam accedere vult. ¶ Dicendum eſt ſecundò: quod ſi in die, in qua dubitas de horæ duodecimæ auditione, ſub præcepto obligat ieiunium, tunc comedere, aut cœnare non vales; quia cum ſit certa obligatio ieiunij, & dubia libertatis poſſeſsio, tunc poſsidet ieiunij præceptum, & non libertas. Ita pluribus allegatis docuimus tract. 11. citato, cap. 2. à num. 120. & inſuper tenent Fagundez de 4. Eccleſ. præcept. lib. 1. cap. 10. num. 2. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 4. n. 8. Sotus lib. 2. de Iuſtitia, quæſt. 3. art. 2. docum. 2. poſt 4. concluſionem.

Si ſint duo horologia, poteſt vtrũlibet ſequi, eo modo, quo opinio probabilis.

113 Nota tamen primò: quod ſi ſint duo horologia; & alicuius ſonuerit hora duodecima, & aliquorum adhuc non ſonuerit, ait Sanchez lib. 2. de Matrim. diſp. 41. num. 40. & ſequitur Fagundez num. 3. quod poteſt, qui tunc ſolvit ieiunium naturale, communicare die ſequenti, & cœnare, aut carnes edere eadem nocte; quia cum duo horologia ſint duæ opiniones probabiles, poteſt cui maluerit adhærere: quod vt probabile admiſsimus tract. 4. cap. 7. num. 69. ſi de errore alicuius horologi non conſtet. ¶ Nota ſecundò ex ibidem dictis; quod ſiquis comedat vſque ad vltimam pulſationem horæ duodecimæ, poteſt ſequenti die communicare, quia omnes ictus moraliter vnum dicuntur, & vnam horam complent. Licet contrarium ſatis probabiliter teneant Sanchez loco immediato allegato, num. 40. Lugo de Euchariſtia, diſp. 15. num. 37. Villalobos tom. 1. tract. 1. diffic. 21. num. 8. Fagundez num. 3. Sanctius in Select. diſp. 42. num. 19. quia cum primus pulſus horæ ſonat iam eſt hora completa, & horologium tantum eſt teſtis id indicans; & quod diverſi pulſus ſint, id evenit, quia nequit vno pulſu hora duodecima indicari, ſicut indicatur hora prima.

Qui die ſequenti debet ieiunare, iuxta aliquos poteſt continuare cœnam poſt mediam noctem.

114 Secunda difficultas eſt: An ſiquis, in loco vbi eſt tantum vnicum horologium, dum cœnat, audiat pulſus deſignantes mediam noctem, debeat à cœna ceſſare, ſi die ſequenti ieiunare teneatur? Negat Paſchaligus deciſ. 160. referens multos graves recentiores, quos ſe conſuluiſſe teſtatur. Et movetur primò: quia quando cauſa tempore licito eſt cæpta, acquiritur ius ad eam finiendam etiam tempore aliàs illicito; ac proinde diximus cum pluribus tract. 6. cap. 11. punct. 4. à num. 69. quod qui ex iuriſdictione delegata, aut ex aliquo privilegio Bullæ habet poteſtatem abſolvendi, ſi confeſsio cæpta eſt, poteſt eam proſequi, & ſi tempus delegationis, aut Bullæ finiatur; ſed in caſu præſenti cœna tempore licito cæpta eſt: ergo poterit finiri poſtquam tempus licitum finitum eſt, & dies ſequens advenerit. ¶ Secundò: quia id videtur deduci ex Eccleſiæ benignitate, quæ non vult gravare homines, pluſquam ieiunij eſſentia ſecundum ſe importat; ſed non parum gravaret, ſi ſubſtraheret in præſenti caſu cœnam, quæ ad prædictum diem attinet: ergo dicendum eſt, ex benignitate Eccleſiæ poſſe, adhuc duodecima hora noctis audita, eam finire. ¶ Tertiò: quia tempus, quod inſumere poſſet quis interminando cœnam poſt auditam horam duodecimam, eſſet materia parva reſpectu totius die ieiunij: ergo ſaltem graviter ieiunium non frangeret. Huic ſententiæ adhæret Illuſt. Caramuel in Regula D. Benedicti diſp. 101. num. 1328. aſſerens, poſſe communicare mane, qui vno quadrante, & amplius poſt duodecimam horam aliquid ſumpſit.

Probabilius eſt oppoſitum.

115 Nihilominus omnino certa eſt contraria ſententia docens, teneri ceſſare à cœna, ſaltem dum audierit vltimum pulſum horæ duodecimæ. Primò: quia vt docuimus tom. 4. tract. 16. cap. 3. punct. 3. num. 17. non ſatisfacit præcepto recitandi officium divinum, qui illud ante mediam noctem inchoat, & poſt illam terminat: ergo nec ſatisfacit præcepto ieiunij, qui incipit ante mediam noctem cœnare; & poſt illam terminat cœnam. Patet conſequentia, cum vtrumque præceptum à puncto mediæ noctis incipiat, & ad aliam mediam noctem finiatur. ¶ Secundò: nam ex oppoſita ſententia ſequeretur, quod poſſet quis in die ieiunij carnes abſque culpa comedere, v.g. incipiendo eas cœnare paulò ante mediam noctem, in qua dies ieiunij incipit; ſed hoc eſt abſolute falſum: ergo, &c. ¶ Tertiò: quia à puncto mediæ noctis incipit ieiunij obligatio: ergo incipit prohibitio edendi bis in dicto die; ſed ſi poſſet continuari cœna incæpta, bis in die comederetur: ergo falſum eſt, quod data hora duodecima noctis poſſet licite continuari cœna incæpta. ¶ Quartò: quoniam, vt probat Baldus *in leg. Siquis cum*, §. 1. *num. 3. ff. de vulg. & pup.* actus non tribuitur tempori, in quo inchoatur, ſed in quo perficitur; ſed cœna perficitur in die ieiunij: ergo tribui debet diei ieiunij; ſed in die ieiunij eſt illicita: ergo tunc fieri non valet. Noſtram ſententiam docet Thomas Sanchez de Matrim. diſp. 41. num. 40. alter Sanchez in Select. diſp. 42. num. 19. & maxime 20. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 4. n. 8. Villalobos 1. part.

Sum.

Sum.tract.1.diffic.21. num.7. & 8. Fagundez 4. Eccles præcept. lib. 1. cap. 10. n. 3. Diana 3.part. tract.4. resol.36. quatenus omnes docent, quod data hora duodecima incipit dies ieiunij obligare. Expresse eam tenet Leander à Sanctis. part.3. tract.5. disp.6.quæst.29.

Argumentis cõtrarijs respondetur.

116 Ad primum argumentum respondetur, maiorem esse veram, dum vel iura, vel consuetudo causæ prosecutionem concedunt, aut non datur lex, aut præceptum in contrarium, qualiter accidit in casu confessionis ibi relato; at in præsenti datur lex, & præceptum in contrarium, scilicet ieiunij, quod incipit à media nocte prohibere, ne bis in dicto die comedatur, vnde nequit ius acquiri, ad prosequendam cæptam cœnam. ¶ Ad secundum dicimus, minime Ecclesiam gravare ieiunantes, prohibendo illis cœnam antecedentis diei; sed cœna, quam prohibet, est diei ieiunij tantum, quod incipit à media nocte diei antecedentis, vnde nil tollit de his, quæ sumi die ieiunij licent. ¶ Ad tertium respondetur, quod licet omnes Auctores concedant parvitatem materiæ ex parte cibi, & aliqui ex parte temporis, v. g. à prima pulsatione vsque ad vltimam horæ duodecimæ; nullus tamen dicere potest, esse parvam materiam temporis, quam assignat Paschaligus, scilicet fere per horam, & Caramuel per quadrantem, & amplius: qnia licet secundum se esset prædictum spatium forte respectu totius diei materia parva, non tamen in ordine ad prosecutionem cœnæ, cum in illo tempore possit perfectam, & opiparam cœnam quilibet epulari, vel ad minus cibum notabilem, & sufficientem ad ieiunium frangendum edere.

PUNCT. VI.

Qui teneantur ad ieiunij præceptum?

Omnes vtriusque sexus fideles ex pleto vigesimo primo anno ad ieiunia tenentur.

117 LIcet constans Catholicorum sententia sit, omnes vtriusque sexus fideles, doli capaces, ad ieiunia Ecclesiastica teneri, vt docet Angelicus Doctor 2.2.quæst. 147. art.4. in corpore; tamen non est vna omnium sententia, in qua ætate ad ea obligentur. Nam Durandus in 4. dist. 15. quæst. 10. num.4. ait, iuvenes robustos ante tertium septennium ad ieiunium teneri. ¶ Innocent. *in Rubric. de Observat.Ieiun.* statim ac peccare possunt, alijs que præceptis ligantur. Alij teste Angelo verb. *Ieiunium*, expleto decimo sexto ætatis anno, aut decimo octavo. Sic Abulensis 4.part. quæst.102. memb. 2. art.3. Alij apudFagundez de 4.Eccles.præcept.lib.1. cap. 8. num. 2. anno vigesimo, alij vigesimo quinto. Denique Rodriguez apud Ledesmam 2.part. tract. 27. cap. 2. concluf. 5. diffic. 1. & Manuel tom.1. cap.23.num.4. docet, quod iuvenes, qui vigesimum primum annum non attigerunt, licet ad omnia Ecclesiastica ieiunia non teneantur; tamen tenentur ad aliqua secundum maiorem, aut minorem ætatem, seu secundum quod magis, aut minus ad vigesimum primum annum appropinquant. ¶ His tamen non obstantibus communis sententia est, præceptum ieiunij Ecclesiastici non obligare omnes fideles; nisi vigesimo primo anno expleto. Quæ conclusio constat primò ex generali, & ab omnibus Doctoribus recepta, Ecclesiæ consuetudine, quæ sic tenet. ¶ Secundò ratione, quam his verbis tradit D. Thom. loco citato ad secundum: *In pueris maxime est evidens causa non ieiunandi: tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit, quod indigent frequenti cibo, & non multo simul assumpto: tum etiam: quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti. Et ideo, quandiu sunt in statu augmenti, quod est (vt in pluribus) vsque ad finem tertij septennij, non tenentur ad Ecclesiastica ieiunia observanda. Conveniens tamen est, vt etiam in hoc tempore se ad ieiunandum exerceant plus, vel minus, secundum modum suæ ætatis.* Hucusque Angelic.Doctor, quibus aliquid addere, inutile est. Sequuntur D. Thom. Caietanus ibi, Navarrus in Sum. cap.21. num. 15. D.Antoninus 2.part.tit.6. cap. 2. §.4. Sylvester verb. *Ieiunium*, quæst.6. Tabiena ibi quæst. 16. Ledesma, & Fagundez locis citatis, Palaus tom. 7. disp. 3. punct. 2. §. 5. num. 2. Sanchez in Sum. lib.1. cap.12.num.6. de Matrim. lib. 2. disp.24. num.23. in Consil.lib.5.cap.1.dub.2. num.4. Trullench lib.3. Decal. cap.2. dub.6. num.1. Azor 1.part. lib.7. cap. 17. aliàs 27. Villalobos 1.part.tract.23. diffic.4. Bonacina disp.vltima de præcept.Eccles. quæst.1.punct. 6. num. 1. Leander 3.part. tract. 5. disp. 8. quæst.2. N. Lezana in Sum. verb. *Ieiunium*, num. 6. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 6. num.110.

Quædam notanda.

118 Notant vero hic Doctores relati, primò, quod licet ante vigesimum annum expletum adolescentes ad ieiunij Ecclesiastici præceptum non teneantur, possunt tamen maxime decimo quarto ætatis anno ad id obligari ex voto, pœnitentia, & quando ab Ecclesiæ Prælatis ob maximam necessitatem ieiunia inducuntur, quod D. Thom. his verbis loco citato expresit: *Quando que tamen magna tribulatione imminente in signum pœnitentiæ arctioris; etiam pueris ieiunia indicuntur, sicut etiam de iumentis legitur Ionæ 3.* ¶ Notant secundò: aliquando etiam ex iure naturali teneri homines ad aliquam abstinentiam, vt si per alia media non possunt tentationibus resistere. Angles, Floribus 1. part. Mat. de Ieiun. quæst. 6. dub. Sanchez in Consilijs cit.dub.2.num.5.& 6. & alij supra relati. ¶ Notant tertiò: quod licet pueri ante vigesimum primum annum ad ieiunium non teneantur, tenentur tamen ad abstinentiam à carnibus, alijs que cibis vetitis statim, ac sunt doli capaces, quod communiter septennio expleto accidit, & ideo peccant mortaliter, qui illis eas subministrant in diebus ieiunij. Azor quæst.2. Fagundez num. 8. Palaus n. 1. Sanchez lib.1. Sum. cap.12. num.6. Trullench lib.3.in Decal. cap.2. dub.6. num. 1. ¶ Notant quartò: quod adolescentes ante vigesimum primum annum minime obligantur ad ie-

ieiunia votiva Communitatis, seu Reipublicæ; vel Synodi. Et ratio est: quia si ob defectum ætatis præcepto Ecclesiæ non ligantur, quod est maius, & vniversalius, potiori titulo eximendi sunt præcepto, seu particulari voto, Sanchez in Consil. num. 7. Trullench num. 1. & alij.

Expleto vigesimo primo anno statim ad ieiunia Ecclesiastica tenentur.

119 Notant quintò: quod statim, ac iuvenes vigesimum primum annum complent, tenentur ad ieiunia, ac proinde eo expleto, immediate die sequenti ieiunare debent. Et ratio est: quia dicta ætate expleta tenentur ad ieiunandum: ergo si dies sequens est ieiunij, illum ieiunare debent. Vnde male dixerunt aliqui, quos supresso nomine refert Sanchez in Consil. num. 8. quod siquis cæpta iam Quadragesima vigesimum primum annum explevit, non tenetur ad reliqua Quadragesimæ ieiunia, moti ex eo, quod credunt, ieiunij præceptum dari de tota Quadragesima, & non de singulis eius partibus. ¶ Sed hæc doctrina omnino falsa est; nam Quadragesimæ præceptum non est indivisibile, sed integrale compositum ex pluribus partibus, scilicet quadraginta diebus ieiunij: ergo ieiunium qualibet die quadragesimæ obligat; & ideo, qui non potest totam ieiunare, tenetur ad partem, imò ad vnicum ieiunij diem, si hunc tantum observare valet. Sic Caiet. verb. *Ieiunium*, cap. 4. N. Lezana num. 6. Sanchez n. 8. Trullench num. 1. illat. 3. Filliuc. num. 111. & alij.

An die, quo quis explet vigesimum primum annum, ad ieiuniū obligetur?

120 Maior tamen difficultas est: An si quis complet mane hora, v.g. nona, aut decima, vigesimum primum annum, teneatur eo die ieiunare, si nondum ieiunium fregit? Negant Sanctius in Select. disp. 54. num. 4. Leander tr. 5. disp. 8. q. 12. Paschaligus decis. 252. num. 2. neque improbant Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 6. num. 1. & Diana 1. part. tract. 9. resol. 49. & moventur: quia præceptum ieiunij totum diem integrum, vt vnicum obiectum, respicit, non enim præcipit dimidium diei, aut quartam partem ieiunare, sed totum diem: ergo qui per aliquam diei partem exemptus fuit à dicto præcepto, totaliter illo die liberatur ab onere ieiunij. ¶ Probabilius tamen affirmant Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 24. num. 23. Bonacina disp. vltima de Eccles. præcept. punct. vltimo, num. 7. Portel in Dub. Regular, verb. *Ieiunium*, in addit. num. 1. N. Lezana verb. *Ætas*, num. 8. & alij. Et ratio est: quia ieiunij præceptum obligat expleto vigesimo primo anno; sed in casu posito hora, v.g. decima, expletus est vigesimus primus annus: ergo tunc obligat ieiunij præceptum, si servari potest: ergo cum possit servari, vt supponitur: ergo ad id tenetur. ¶ Secundò: tempus requisitum ad ordines, Noviciatum, professionem Religiosam, & matrimonium computatur à momento ad momentum à Nativitatis puncto, vt suis locis diximus: ergo etiam tempus ad obligationem ieiunij requisitum: ergo tali tempore expleto, statim ieiunij obligatio incipit. ¶ Tertiò: qui die ieiunij discedit à loco, vbi non est præceptum ieiunij; si perveniat ad locum proprium vbi ieiunium obligat, tenetur ieiunare, modo plures refectiones non sumpserit antea, & si has sumpsit tenetur ad abstinentiam à carnibus: (& circa præceptum auditionis sacri diximus supra, quod exiens à proprio loco, vbi obligat dictum præceptum, tenetur adimplere illud, & si in loco ad quem venturus est, non sit obligatio auditionis sacri) ergo similiter, qui ratione ætatis est exemptus à ieiunij obligatione, tenetur ieiunare statim, ac pervenit ad tempus, in quo præceptum ieiunij obligat. Et ex his constat ad motivum sententiæ contrariæ.

Religiosi professi ante vigesimū primum annum ad regulæ ieiunia tenentur, non vero ad ea, quæ sunt de Ecclesiæ præcepto.

121 Rogabis hic: An Religiosi professi ante vigesimum primum annum teneantur ad ieiunia Ecclesiæ, & regulæ? Circa primam partem quæstionis; scilicet Ecclesiæ ieiunia, concors Doctorum sententia est: minime dictos Religiosos teneri; quia eadem est de Sæcularibus, ac Religiosis in hoc ratio. Circa secundam vero partem, licet Medina lib. 1. Sum. cap. 14. §. 10. Graffius 1. part. Decis. lib. 2. cap. 37. Tamburinus tom. 2 de Iure Abbat. disp. 12. q. 4. quos refert, & videtur sequi Paschaligus decis. 254. negent, teneri Religiosos professos ante adimpletionem vigesimi primi anni, servare ieiunia, quæ regula præcipit; quia videtur, quod regula non aliter ieiunia potest præcipere, ac Ecclesia vniversalis: ergo si hæc ante vigesimum primum annum non obligat, nec illa. ¶ Cæterum communis sententia docet, dictos Religiosos debere ieiunia regulæ servare sub eo peccato mortali, aut veniali, ad quod vniuscuiusque regula obligat. Et ratio est: nam quilibet ante vigesimum primum annum potest se ex voto obligare ad servanda ieiunia, vt nemo negat: ergo potest se obligare ex voto, quo alicuius Religionis regulam promittit observare; sed qui profitetur in aliqua Religione, se obligat ex voto obedientiæ servari id, quod regula præcipit, & sub ea culpa sub qua, regula præcipit: ergo tenetur observare leges, constitutiones, & ieiunia, quæ in dicta regula præcipiuntur sub ea culpa, sub qua talis regula ad ea servanda obligat. Ita Azor lib. 7. cap. 27. quæst. 3. Ledesma 2. part. tract. 27. cap. 2. concl. 5. diffic. 2. vocans contrariam opinionem improbabilem. Sanchez in Sum. lib. 7. cap. 11. num. 56. plurimos referens. Villalobos tract. 23. diffic. 4. n. 5. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 8. num. 6. N. Lezana verb. *Ieiunium*, num. 6. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 2. num. 1. & alij communiter apud Dianam 1. part. tract. 9. resol. 16. vers. *Nota*, & Leandrum tract. 5. disp. 6. quæst. 9. & N. Antonius in Direct. Regul. 2. part. tract. 3. disp. 6. §. 12. num. 401.

Illatio notanda circa Religiosos Minores, & Carmelitas.

122 Vnde quia regula Divi Francisci obligat sub mortali ad ieiunandum à festo omnium Sanctorum, vsque ad Nativitatem Christi Domini, & insuper omnibus ferijs sextis totius anni, vt ait Villalobos; & primitiva Carmelitarum regula, quam Discalceati in toto rigore observamus, ieiunare præcipit à festo Exaltationis Sanctæ Crucis vsque ad Dominicam Resurectionis, (exceptis Dominicis) cuius obligatio solum sub veniali est, vt Constitutiones nostræ explicant (nisi quando

do vlterius adeſt Eccleſ. præceptum) ideò Religioſi profeſsi Franciſcani, & ſi annum vigeſimum primum non attingerint, tenentur ſub mortali ad dicta ieiunia, & noſtri Diſcalceati ſub veniali ad præfacta ieiunia ex regula ſimiliter obligantur. Videatur N. Anton. loc. cit. num.405. ¶ Ex dictis ad rationem contrariæ ſententiæ patet, cum regulæ obligatio ex propria oriatur voluntate, quam ſponte profitens amplectitur; ſecus vero accidit in obligatione præcepti Eccleſiæ, quod omnes comprehendit; & ideo deſignat tempus, in quo omnes, & non tantum animæ, & corporis virtute pollentes adimplere poſsint.

Quid dicendum de Peregrinis, & Religioſis circa ieiunia particularia locorum.

123 Hic diſſerendum erat, qualiter peregrini, & vagij ad ieiunia particularia proprij, & alieni territorij obligentur. Cæterum quia de his egimus, tam tract. 11. cap. 3. punct. 5. quàm in hoc tract. cap. 1. punct. 9. §. 2. & 3. ideo ab eo ſuperſedemus, & quæ ibi circa alias municipales leges reſolvimus ieiunio applicandum eſt. Conſulatur Læſius lib. 4. cap. 2. dub. 7. Similiter diſſerendum erat de Religioſis: an teneantur ad ieiunia particularia locorum, vbi habent monaſteria? Sed quia ad hæc teneri, communis ſententia negat; cum ſint omnino exempti ab Epiſcoporum iuriſdictione; ideo vlteriorem diſcuſionem omittimus. Videantur dicta cap. 1. punct. 9. §. 4. circa obſervationem feſtorum: & inſuper Sanchez in Conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 3. plurimos referens.

PUNCT. VII.

Qui à præcepto ieiunij Eccleſiaſtici liberentur?

LAtam provintiam titulus offert, in qua aliqui ſatis diffuſe ſpatiantur; nos vno proprio obedientes methodo, ſolum diſcuſione digna ediſſeremus, reliqua extremis digitis tangentes. Quatuor communiter cauſas deſignant Doctores, ob quas fideles à ieiunij obligatione eximuntur, ſcilicet impotentiam, laborem, pietatem, & diſpenſationem; ſed quia circa quamlibet ex his plura dicenda ſe offerunt; ideo totidem §§. eodem ordine explicanda ſunt.

§. I.

Qualiter impotentia fideles à ieiunij Eccleſiaſtici obligatione eximat?

Infirmi, & convaleſcentes à ieiunio deobligantur.

124 CUm nulla lex impoſsibilia præcipiat, certum omnino eſt omnem impotentiam, tam phyſicam, quàm moralem, hoc eſt quando fieri nequit abſque notabili detrimento, à ieiunij obligatione eximere. Vnde excuſantur primo infirmi, v. g. tertianarij, & qui aliam quancumque febrem patiuntur; convaleſcentes, valetudinarij; & ſimiles; & non ſolum à ieiunio, verum etiam ab abſtinentia carnium. Quia vtraque abſtinentia petit ſufficientes, & robuſtas vires, quibus infirmi carent. ¶ Nota primò: quod ſi infirmitas nec ita certa, nec gravis eſt, conſulatur medicus, & eius iudicio ſtandum eſt. ¶ Nota ſecundò: quod noſtra concluſio non ſolum procedit de infirmitate accidentaliter eveniente; ſed etiam de ea, quæ propria culpa contrahitur: quia ad eximendum à ieiunio, non attenditur ad cauſam impotentiæ, ſed ad veram impotentiam, quæ ſervare ieiunium non valet. Dicta docent Covarrubias 2. 2. quæſt. 147. art. 4. & in Sum. verb. *Ieiunium*. Navarrus in Sum. cap. 21. num. 16. Ledeſma part. 2. tract. 27. cap. 2. concl. 5. diffin. 3. Azor 1. part. lib. 7. cap. 27. quæſt. 2. Læſius lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 40. Bonacina diſp. vltim. de Eccleſ. præcept. lib. 1. cap. 8. num. 13. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 7. num. 4. Sanchez in Conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 14. Palaus tom. 7. tract. 1. diſp. 3. punct. 2. §. 5. num. 4. & alij communiter.

Eximuntur à ieiunio, qui vertigium capitis patiuntur, non vero, qui cauteria, vulgo *fuentes*, habent.

125 Vnde excuſantur ſecundò à ieiunio, qui vacuo ſtomacho vertiginem capitis patiuntur; quia cum tanto incommodo Eccleſia obligare ad ieiunium non intendit. Sanchez in Conſil. dub. 14. citat. num. 10. Fagundez de Eccleſ. præcept. 4. lib. 1. cap. 8. num. 13. Villalobos tract. 23. diffic. 4. num. 2. & alij ſupra relati, qui idem docent de illis, qui fere per totam noctem calefieri, aut dormire ob ieiunium non poſſunt. ¶ Advertere hic licet, quod Sanctius in Select. diſp. 54. num. 17. excuſat à ieiunio, qui duo cauteria, vulgo *Fuentes* habet; quia his maxime debilis redditur. Nec diſſentit Quintana-Dueñas tract. 9. ſingul. 6. & addit, poſſe ſine ſcrupulo eis concedi eſum carnium ex privilegio Bullæ Cruciatæ; quia ſaltem eſt dubium de ſufficientia cauſæ. ¶ Sed probabilius cum Paſchaligo deciſ. 266. & Leandro à Sanctiſ. tract. 5. diſp. 8. quæſt. 31. dicendum eſt, ex hac præcisè cauſa; niſi alias concurrant alia motiva, & cauſæ certo excuſantes, minime à ieiunij obligatione liberari. Quia dicta cauteria non debilitant, ſed potius per ea humores maligni purgantur; & exoneratur natura abſque violentia ab his, quæ ſibi obeſſe poſſent: ergo aptior redditur ad ieiunandum ob prædictam evacuationem, qui tali remedio vtitur.

A ieiunio liberantur prægnantes, & lactentis, & ſi robuſtæ ſint.

126 Excuſantur tertiò à ieiunio prægnantes, & lactentes, & ſi robuſtæ ſint; quia plurimo, & frequenti indigent alimento, ſibi, & infanti neceſſario; & licet vnica refectione ad id ſufficientem ſumere valerent cibum, tamen adhuc non tenentur; tum: quia lex ad id quod communiter accidit, attendit: ergo cum prægnantes communiter ieiunare non poſsint, omnes eo favore vti debent; tum: quia moraliter loquendo, ieiunando imminet grave periculum fœtus, & lactentis ſaluti. Ita communiter Doctores relati, & alij apud Trullench num. 5. & Leandrum quæſt. 54. & 55. ¶ Imò addunt Trullench ex Navarro num. 15. & Paſchalius deciſ. 286. prægnantes peccare mortaliter ieiunando, maxime ſi pluries fiat, & ſi robuſtæ ſint; quia nunquam ſe-

ſecuræ eſſe poſſunt, quod id infantulis nocere non poſsit. Cæterum tenentur à carnibus abſtinere, vt bene dicunt Bonacina num. 3. Trullench num. 5. contra nonnullos id negantes; quia diverſum eſt præceptum ieiunandi, & abſtinendi à carnibus, & ex quo à primo abſolvantur, non tamen à ſecundo; maxime cum hoc commode obſervare poſsint. ¶ Si vero, dicunt Azor quæſt. 6. Filliucius n. 114. & Bonacina num. 3. vehementer prægnantes appetant carnes; tunc poſſunt eas comedere: nam ſolet eſſe ita vehemens appetitus, vt niſi illum expleant, periculum ſit fœtum extra tempus eijciendi. Et addit Leander quæſt. 57. poſſe mulieres lactentes veſci carnibus, ſi ipſæ ſint debiles, aut infantulus infirmus; quia ex abſtinentia à carnibus poſſet infantulus periculum ſalutis ſubire. Quod vtique ſatis probabile eſt, & ad tollendos ſcrupulos, conſulantur medici, & confeſſores, qui facile cum eis diſpenſare poſſunt ad comedendas carnes; quia ſemper eſt periculum, quod ex tali abſtinentia infantuli detrimentum ſalutis patiantur; cum eis bona nutritio ſubtrahatur.

Cauſæ ob quas mulieres nuptæ, aut proximè nubendæ excuſari à ieiunio valent.

127 Excuſantur quartò mulieres à ieiunio, ſi ob hoc reddere debitum non poſſunt, (& idem dicimus de marito) quia præceptum reddendi debitum obligat ex iuſtitia, quod fortius eſt, quam præceptum Eccleſiæ. Sanchez lib. 9. de Matrim. diſp. 3. num. 10. Navarrus in Sum. cap. 21. num. 16. Læſius lib. 4. cap. 2. num. 44. Fagundez cap. 8. citat. n. 18. & alij apud ipſum; qui extendunt, & bene, ad caſum, in quo, ob ieiunia mulier redderetur debilis, & minus placens marito, & ob deformitatem ab eo deſpiceretur, vel eſſet illi occaſio incontinentiæ. Videantur Doctores relati maxime Sanchez num. 11. & 12. & in Conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 15. num. 5. Idem docent Villalobos tract. 23. diffic. 4. num. 13. Bonacina num. 14. Sanchez num. 3. Navarrus num. 19. Paſchaligus deciſ. 282. & 283. de muliere, cui id maritus, etiam hæreticus, præciperet, & alias ob id inter eos orirentur diſcordiæ. Quod intelligendum eſt, modo in contemptum fidei non prohiberet illi ieiunare. ¶ Præterea Sanchez num. 12. Fagundez num. 18. & alij apud Paſchaligum deciſ. 285. excuſant virgines, quæ ieiunando formam deperdunt taliter, quod commode nubere non valeant. Sed hoc, licet ab aliquibus ieiunijs continuatis excuſet, non tamen ab omnibus; quia ſemel, aut iterum in hebdomada ieiunare, notabilem deformitatem cauſare nequit; & in hoc ſenſu admittimus prædictam ſententiam.

Excuſantur ſenes à præcepto ieiunij.

128 Excuſantur quintò ſenes à ieiunando; quia *ſenectus ipſa eſt morbus*, vt ait Cicero de *ſenectute*, & habetur in cap. *Magnæ de Voto*; ſed morbus excuſat, vt ſupra diximus: ergo & ſenectus. ¶ Deinde: quia ſenes frequenti indigent cibo ad ſe ſuſtentandos; ſed nequeunt multum cibum ſimul ſumere, cum illum ob caloris debilitatem digerere non valeant: ergo neceſſe eſt, quod frequenter illum ſumant pluribus refectionibus, & ideo ieiunare non poſſunt. In hoc conveniunt Doctores. Cæterum, quia hucuſque Eccleſia non determinavit, nec definiri facile poteſt, in qua ætate, & anno ſenes ob debilitatem eximantur à ieiunij obligatione, ideo non conveniunt Doctores in deſignando tempus, in quo ſenes à ieiunio deobligantur.

Qua ætate liberatur ſenes à ieiunio.

129 Nam, vt ait Caietanus in Sum. verb. *Ieiunium*, ex medicorum doctrina, in aliquibus prima ſenectus incipit circa annum quinquageſimum, in alijs circa quadrageſimum quintum, imò circa quadrageſimum, & trigeſimum. ¶ Alij, vt Sylveſter verb. *Ieiunium*, quæſt. 6. dicto 2. Bonacina loco cit. punct. vlt. num. 4. Læſius lib. 4. cap. 2. dubit. 6. n. 41. Toletus lib. 6. Sum. cap. 4. num. 12. Lopez 2. part. Inſtruct. tract. de Pœnit. cap. 111. & Tabiena verb. *Ieiunium*, quæſt. 17. num. 18. docent, ſolos ſeptuagenarios à ieiunio excuſari. Tum: quia hoc videtur innuere David Pſalm. 89. illis verbis: *Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* Tum: quia in ea ætate ſenes in Iure Civili excuſantur ab oneribus perſonalibus, leg. *Vnicum*, cap. *Qui ætate*, *lib.* 10. ſed ieiunium eſt onus perſonale: ergo cum leges Eccleſiaſticæ mitiores ſint, quam civiles, hac ætate fideles à ieiunio debent excuſari. ¶ Alij docent, nullam certam poſſe præſcribi ætatem, in qua ſenes à lege ieiunij liberentur, ſed vnice attendendum eſt ad robur, & vires vniuſcuiuſque; cum ſæpius videamus, aliquos ſeptuagenarios, & ſexagenarios robuſtioris complexionis, quam alij quinquagenarij, quos abſque detrimento ſalutis poſſe ieiunare abſque dubio eſt. Vnde hoc arbitrio prudentis relinquendum eſt; qui iuxta vniuſcuiuſque vires de præcepto ieiunij iudicare debet. Ita D. Antoninus 2. part. tit. 6. §. 7. verſ. 7. Ledeſma 2. 4. quæſt. 17. art. 3. col. 3. Medina cap. de Ieiunio, *quæſt. de his, qui ad ieiunia tenentur*, col. 2. verſ. *Deinde ſenibus.* Manuel Rodriguez in expoſitione Bullæ Cruc. §. 6. dub. 2. Vega tom. 1. Sum. cap. 14. dub. 5. & Fagundez de 4. Eccleſ. præcept. cap. 8. num. 9. in fine.

Omnes ſexagenarij, & ſi robuſti à ieiunio eximuntur.

130 Tertia denique ſententia, quam probabiliorem iudicamus, docet, quod iam hac noſtra ætate ſenes ſexagenarij, & ſi robuſti ſint, à ieiunio liberantur. Primò: quia Pius V. anno 1570. de hoc interrogatus, viva voce reſpondit, eſſe excuſatos, vt teſtatur Llamas 3. part. Meth. cap. 5. §. 20. ergo ita tenendum eſt. ¶ Secundò: nam adoleſcentes, & ſi robuſti ſint, non tenentur ante vigeſimum primum annum: ergo ſimiliter excuſantur ſenes poſt annum ſexageſimum; quia tunc iam vires communiter deficiunt. ¶ Tertiò: nam licet ſexagenarij aliqui robuſti videantur, tamen certum eſt, in eis iam vires deficere, langueſcere, ad interitum que properare; cum ſicut ex Pſalmiſta vidimus numero antecedenti, dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni ſint, & deinde non eſt vita, ſed mors: ergo qui ſexagenarius eſt, iam eſt prope naturalem mortem, & ideo viribus ad ieiunandum neceſſarijs caret. ¶ Quartò: nam idem Pius V. & eorum ſucceſſores prohibentes Clericis, & Religioſis in Bulla Cruciatæ edere ova, & lacticinia in ieiunijs Quadrageſimæ, immedia-

diate excipiunt ſexagenarios: ergo quia credunt ob defectum virium, nec ad abſtinentiam à cibis quadrageſimalibus, nec ad ieiunia teneri. ¶ Quintò: infirmitas à ieiunio liberat: ergo & ſenectus; cum hæc irreparabilis, & immedicabilis ſit morbus. Vnde Galenus lib. 5. de Senectute Tuenda, de ſenibus ait: *Simili ratione hi, qui ex morbo convaleſcunt, eſſe in victu curandos.* ¶ Sextò: quia ſcrupulis multis expoſitum eſt, videre, an ſexagenarius ſit robuſtus, aut debilis; cum quiſque de hoc ſemper dubitare valeat: ergo cum hæc per hanc ſententiam vitentur, illi ſtandum eſt. Ita docent Angles in Floribus quæſt. 9. de Ieiunio, diffic. 6. concl. vnica, Llamas 3. part. Meth. cap. 5. §. 20. Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 32. num. 17. & in Conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 4. num. 7. referens ſupreſſo nomine aliquos Recentiores. Saa verb. *Ieiunium*, num. 1. Sanctius in Select. diſp. 54. num. 8. Portel in Dub. Regul. verb. *Ieiunium*, num. 5. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 7. num. 3. Villalobos tract. 23. diffic. 4. num. 6. referens Caiet. Armill. Navarrum. Palaus tom. 7. tract. 1. diſp. 3. punct. 2. §. 5. num. 6. Diana 1. part. tract. 9. reſol. 20. Paſchaligus deciſ. 256. & Leander à Sanctiſsimo tract. 5. diſp. 8. quæſt. 17. alios referens.

Sententijs contrarijs fit ſatis.

¶ Ex quibus patet ad ſententias ſupra relatas. Nam quæ ſolos ſeptuagenarios excuſat, nimis ſtricta eſt, cum vere ante illam ætatem vires ad ieiunandum ſufficientes deficiant. ¶ Ad primam, & ſecundam reſpondetur, concedendo eſſe aliquos, qui ſenes ſunt ante ſexageſimum annum, & ideo exemptos à ieiunij lege; at negamus, ſexagenarios, & ſi robuſtos, non eſſe à ieiunio excuſatos, cum lex ad id, quod communiter contingit, attendat, non vero ad caſum extraordinarium. Leg. *Nam ad ea, ff. de legibus.* Ergo omnes ſexagenarij ſunt vere à ieiunio exempti. ¶ Præterquam quod ſalus ſexagenarij hominis nequit eſſe adeò fortis, vt ieiunia poſsit abſque magno diſpendio tolerare: ergo ex pietate Eccleſiæ ad ieiunia cum tanto incommodo non obligari, credendum eſt.

Fœminæ ſexagenariæ à lege ieiunij liberantur.

131 Ex his infert Sanchez in Conſil. n. 6. cit. fœminas quinquagenarias deobligari à ieiunio, & refert Caietanum, & Pedrazam, alios que iuniores ſupreſſo nomine. Sed lib. 7. de Matrim. diſp. 32. poſtquam hinc inde aliquas rationes pro parte affirmativa, & negativa proponit, tandem in fine ſic concludit. *At dum aliud non apparuerit clarius convincens, tanquam probabiliorem eligo opinionem, quæ ſuſtinet, indiſcriminatim de ætate viri, & fœminæ, ad excuſandum à ieiunijs, loquendum eſſe.* Idem tenet Fagundez cap. 8. cit. num. 11. Sanctius in Select. diſp. 54. n. 11. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 2. Paſchaligus deciſ. 257. nobis que etiam hic dicendi modus probabilior apparet. Tum: quia nemo eas obligat ante vigeſimum primum annum: ergo ſicut viri ante ſexageſimum deobligandæ non ſunt. Tum etiam: nam experientia teſte, mulieres facilius, quam viri ieiunia ferunt, ob maiorem phlegmatum copiam, in quibus nativus calor depaſcitur, & ob vitam quietam, quam agunt, nullis duris laboribus corporis ſe exercentes: ergo, &c. Tum denique: quia Pius V. & alij SS. Pontifices indulgentes virtute Cruciatæ lacticinia Religioſis ſexagenarijs, fœminas Religioſas non excludunt: ergo quia credunt, nullum eſſe diſcrimen inter vtriuſque ſexus religioſas perſonas quo ad ieiunij, & abſtinentiæ obligationem. ¶ Contrariam nihilominus ſententiam defendit Leander quæſt. 19. & pro ea refert Narbonam, & Machado; movetur que ex eo, quod fœminæ ex natura ſua ſunt debiliores, & citius ſeneſcunt, quam viri: ergo citius ſunt à ieiunio deobligandæ. ¶ Sed ad hæc conſtat ex dictis. Nam fœminarum natura paucis contenta eſt, nec ita frequenti indigent cibo fœminæ quinquagenariæ, ſicut ſexagenarij viri: vnde debilitas, & ſenectus, ocyus adveniens in fœminis, compenſatur cum minori ciborum indigentia, & corporalis laboris defectu.

Religioſi ſexagenarij vtriuſque ſexus ad ieiunia regulæ tenentur.

132 Rogabis hic: An Religioſi, aut Religioſæ ſexagenarij à ieiunijs regulæ excuſentur? Affirmat Sanctius in Select. diſp. 54. num. 8. Tamburinus tom. 2. de Iure Abbat. diſp. 12. quæſt. 5. num. 7. Rodriguez in Compendio qq. Regul. reſol. 75. num. 10. & Paſchaligus deciſ. 259. num. 3. & moventur ex eo, quod præceptum regulæ obligat modo, quo Eccleſiaſticum; ſed Eccleſiaſticum non obligat ſenes ſexagenarios: ergo nec regulæ præceptum. ¶ Sed tenendum eſt, quod niſi alia cauſa, præter ætatem, adſit, tenentur ad regulæ ieiunia. Primò: quia vt ſupra diximus Religioſi profeſsi tenentur ad regulæ ieiunia ante vigeſimum primum annum: ergo etiam tenentur poſt ſexageſimum. ¶ Secundò: promiſsio obſervationis regulæ fuit voluntaria, & perpetua, hoc eſt ſine mitigatione vſque ad mortem, ſicut promittimus Carmeliti Diſcalceati: ergo quandiu vires ſuppetunt, ad regulæ ieiunia tenentur, alias peccabunt iuxta vniuſcuiuſque regulæ obligationem. ¶ Diximus niſi alia adſit cauſa excuſans. Nam ſi Religioſus ſit ratione ætatis, aut alterius morbi nimis debilis, certum eſt non teneri, cum ſine manifeſto vitæ periculo obſervare ea non valeat. Sic Ludovicus à Sanct. Ioan. 1. part. Sum. tract. de Ieiunio, art. 6. Bordonius in Reſol. Regul. tom. 2. part. 1. reſol. 18. num. 6. N. Antonius in Direct. Regul. part. 2. tract. 3. diſp. 6. §. 12. num. 404. N. Franciſcus à S. Elia in Regul. Carmel. de Ieiunio, num. 6. ¶ Ad fundamentum contrarium conſtat ex dictis; quia cum promiſsio regulæ ſit voluntaria, & particularis, diverſo modo obligat, ac Eccleſiæ præcepta, quæ omnes fideles ligant.

Excuſatur à ieiunio pauperes, qui vnicam ſufficientem refectionem ſumere non valent.

133 Excuſantur ſextò: qui paupertate premuntur taliter, quod vnam ſufficientem refectionem ſimul ſumere non valeant. Div. Thom. 2. 2. quæſt. 147. art. 4. ad 4. Navarrus num. 16. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 27. quæſt. 7. Palaus num. 9. Fagundez num. 12. & alij communiter. Quapropter oſtiatim mendicantes ab omnibus à ieiunio eximuntur, niſi alias habeant ſufficientem cibum ad vnicam refectionem, aut quantitatem pecuniæ ad illum emen-

emendum : aliquoties vidi, ostiatim mendicantes plures aureos servatos secum habere; quibus decentem refectionem possunt emere: ergo ex causa præcisa paupertatis dicti mendicantes à ieiunio non deobligantur. Ita citati supra, & insuper Læsius lib.4. cap.2.num. 40. & alij, quos referunt, & sequuntur Paschaligus decis. 275. num. 2. & Trullench lib. 3. Decal.cap.2.dub.7. num.6. qui optime addit, quod veri pauperes mendicantes valent, si alium cibum invenire non possunt, vesci in Quadragesima fructis ovium, casei, & aliorum lacticiniorum, imò & carnium, quia cum tanto incommodo Ecclesia ad ieiunium fideles obligare non vult. Idem tenent Azor quæst.7. Bonacina num.5. & Fagundez n.12.

Excusantur à ieiunio, qui sufficientes, & ordinarios cibos ad vnicam refectionem non habent.

133 Excusantur etiam septimò à ieiunio, qui solum habent ad vescendum panem, fructus, cepas, & alia huiusmodi, & si hæc soleant tantum comedere. Quia prædicti cibi ex se non sunt sufficientes ad vnicam refectionem, quæ laborem ieiunij ferre, maxime pluribus diebus, possit: ergo excusantur à ieiunio. ¶ Nec refert quod in aliquibus locis communiter his tantum cibis vtantur homines pauperes, & agricolæ, & consequenter ex illis refectionem totalem faciant. ¶ Quia licet hoc admittamus, tamen non vnicam refectionem, qualis ad ieiunij essentiam requiritur, ex dictis cibis faciunt, sed plures,& congruas decenti sustentationi: ergo minime obligandi sunt his parum nutritivis cibis ieiunia observare, semel tantum in die comedendo. ¶ Præterquam quod leges Ecclesiasticæ benignæ satis sunt; sed non essent benignæ, sed potius duræ, si pauperes cogerent, ieiunare cum solo alimento panis, fructus, cepæ, & similium semel sumpto; cum vix ad sustentandam vtcumque vitam sufficiat; etiam pluries repetitum: ergo dicendum est, cum simili cibo ieiunare pauperes, & agricolas non teneri. Videantur supra dicta num.19. Sic Angles quæst.6. de Ieiunio, diffic.9. append.3. Sanchez lib.5. Consil. cap.1. dub.15. num.3. Leander de Murcia in cap.3. Regulæ D.Francisci, cap.2. §.2. num.38. Paschaligus decis. 275. & 279. quid quid in contrarium dicat Leander à Sanctissimo 3.part. tract.5.disp.8. quæst.42. & 43. cuius motiva levia satis sunt, & ex dictis facile solvuntur, vnde ea transcribere, necessum non est.

§. II.

Quos labor corporalis à ieiunio excuset?

Decreta Pótificum circa præsentem materiam.

134 CIrca huius puncti materiam duo sunt Sum. Pontificum decreta, quæ lucem ad plures difficultates vincendas submministrant. Primum est quoddam Eugenij IV. vivæ vocis oraculum anno 1440.quod in Compendio Privilegior. Fratrum Minorum verb. *Ieiunium*, num. 2. his verbis refertur: *Idem Eugenius declaravit, quod artifices laboriosas artes exercitantes, & rustici, sive divites sint, sive pauperes, non tenentur ieiunare sub præcepto peccati mortalis. Et quod absolvi possunt, & induci ad eleemosynas, & alia bona facienda.* Cuius oraculi meminerunt Metina, Navarrus, Sylvester,& alij apud Sanchez in Consil. lib.5. cap.1. dub.7.num.4.

Decretum Alexandri VII.

135 Secundum est Alexandri VII.qui die 18. Martij *1666.* inter alias propositiones sequentem, quæ est trigesima, damnavit: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.* In quibus constat; tum: quod artifices, & rustici laboriosas artes exercentes, cuius labor est incompatibilis moraliter cum ieiunio, excusantur ab eius obligatione; tum: quod non omnes officiales Reipublicæ, ex eo, quod corporaliter laborent, sunt deobligati à ieiunij præcepto; sed necessum prius est, videre, an dicta opera sint cum eo incompatibilia. Cæterum, quia hæc licet vera, in communi dicta sunt, oportet in particulari decidere, quæ opera sint cum ieiunio incompatibilia?

Opera laboriosa diu exercentes à ieiunio liberantur.

136 Vnde dicendum est primò: Agricolas, fabros ferrarios, lignarios, lapidicinas, tunsores, coriarios, cæmentarios, scultores, argentarios, figulos, textores, fullones, lanarios, furnarios, pictores, typografos, prælium versantes (non typos colligentes) sutores conficientes calceos, (non vero tantum materiam præparantes, seu scindentes) molitores, coquos pluribus personis fercula parantes, Nautas remigantes, & tractantes vela, baiulos, & similes, qui opera exercent laboriosa pro magna diei parte, non teneri ad ieiunium, sive ea exerceant pauperes, sive divites ex officio. Et ratio est: tum quoniam Eugenius IV. de vtrisque declaravit, ob talia laboriosa opera esse à ieiunio deobligatos. Tum etiam: quia non minus incompatibile est cum ieiunio aliquod ex dictis operibus laboriosis, ex quo fiat à divite, quam si fiat à paupere: ergo si hunc labor excusat, etiam illum. Ita Navarrus in Sum. cap.21.num.16. Caietan. in Sum.verb.*Ieiunium*, Abul. in cap. 6. Matth. quæst. 143. Villalobos tract. 23. diffic. 4. n. 7. Sylvester verb.*Ieiunium*, quæst. 9. Metina cap. de Ieiunio, quæst. *de his, qui ad ieiunia tenentur*. Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 7. num. 4. Læsius lib. 4. cap. 2. dub. 42. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 118. Azor tom.1.lib.7.cap.27.quæst.8. Trullench lib. 3. Decal. cap.2. dub.7.num.8. Bonacina disp. vlt. de Eccles. præcept. punct. vlt. num. 8. Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct.2.§.5. num. 10. Leander à Sanctissimo tract.5. disp.8. à quæst. 40. Paschaligus decis. 290. & alij. Qui bene notant, etiam excusari à ieiunio, quando operarij vno, vel altero die propter festum ocurrens, cessant à labore; secus vero si pluribus diebus cessent. Et ratio primæ partis est: quia ratione laboris antecedentis sunt fatigati, & debiles: ergo ieiunare non possunt. Ratio secundæ partis patet: nam primo die transacto iam cessat fatigatio: ergo ad ieiunium tenentur. Videatur Sanchez n.10. qui etiam notat num. 5. quod si Confessor ignoret alicuius artis laborem, de eo interroget pœnitentem, & si ipse dixerit, tantum habere laborem, sicut faber lignarius, aut simi-

milis, diiudicet, esse à ieiunio deobligatum.

Qui pedestres incedunt à ieiunij obligatione eximuntur.

137 Dicendum est secundò: excusari à ieiunio iterfacientes pedestres per magnam diei partem, quia est labor non parum debilitans, maxime si esset per quatuor, aut quinque leucas. Si enim iter est breve, vt per vnam, aut duas leucas, (nisi alias ratione complexionis debilis contraheret tantam lassitudinem, sicut alius magnum percurrens iter, vt solet accidere Religiosis parum itineri assuetis) non excusabitur pedester incedens à ieiunij lege: poterit tamen aliquando deobligari ratione viæ arduæ, montuosæ luto que obistæ; aut temporis gelu, nive, aqua ve asperi, & per frigidi, esto iter sit breve. Sic Navarrus num. 16. Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 10. num. 3. Filliucius num. 119. Fagundez num. 17. Trullench num. 12. Bonacina num. 11. Læsius lib. 4. cap. 2. num. 43. Paschaligus in Praxi Ieiunij, decis. 313. & alij. Vnde primò deobligantur Muliones, & Agasones, qui pedestres bestias ducunt, & comitantur, cum præter itineris laborem inducendis bestijs fatigentur. ¶ Secundò cursores, tam pedestres, quàm equestres, tam ex officio, quàm pro aliquo negotio conducti, tam si vno die, quàm pluribus continuatis currant, ad ieiunij legem non tenentur: quia talis labor valde fatigat, est que moraliter cum ieiunio incompossibilis. Sanchez num. 6. Toletus lib. 6. cap. 4. num. 2. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 3. Trullench num. 12. Paschaligus decis. 315. Fagundez num. 17. Leander tract. 5. disp. 8. quæst. 99. & Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 2. §. 5. num. 10.

Qui equester iter vnius diei conficit, non liberatur à ieiunio.

138 Difficultas est: An iterfacientes equis à ieiunio liberentur? Conveniunt Doctores in eo, quod si iter est longum, & per plures dietas, equitantes à ieiunio excusantur, etiam à primo die itineris; quia nimis tunc homines defatigantur, & debet attendi ad statum præsentem, & futurum. Vnde difficultas est de itinere vnius diei, si in eo decem, aut octo leucas conficiant. Affirmant Ortiz in Sum. cap. 19. num. 7. & 10. Diana part. 8. tract. 7. resol. 40. Machado tom. 2. lib. 6. part. 6. tract. 6. docum. 3. num. 1. & Leander q. 161. & 102. & probant sic primò: qui quatuor leucas pedester conficit, liberatur eo die à ieiunio: ergo qui equester decem, aut octo peragit. Antecedens admittitur communiter, & consequentia patet; quia non minus defatigatur, qui vnico die equitando decem leucas conficit, ac qui pedester quatuor iterfacit; ergo si primum admittitur, etiam secundum admitti debet. ¶ Sed hæc sententia communiter improbatur. Nam vnius diei iter, si non adsit alia causa incommoditatis, non multum fatigat, aut debilitat, maxime si equs sit placidus, gressu facilis, & sine agitatione incedens, vt experientia constat: ergo non est labor secundum se cum ieiunio incompossibilis. Diximus *secundum se*, quia ratione debilis complexionis, v. g. aut ratione congrui alimenti carentiæ, vel ardui itineris, seu nivis, frigoris, &c. potest quis ita defatigari, vt à ieiunio excusetur. Vnde contrariam sententiam in ea vniversalitate, qua loquitur, damnat Alexander VII. in propositione 31. ab ipso prohibita, sub hac forma: *Excusantur absolute à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant; etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter vnius diei conficiant.* Sic tenent nunc Expositores dictæ propositionis, maxime Lastra, Theatrum Moral. Corella, Torrecilla, & alij, & ante dictam condemnationem, id docuerunt Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 10. num. 4. Azor lib. 7. cap. 27. quæst. 9. Toletus lib. 6. cap. 4. num. 5. Fagundez cap. 8. cit. num. 17. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 7. num. 12. Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 122. & Bonacina disp. vltim. de Eccles. præcept. quæst. 1. punct. vltim. num. 11. vnde infertur, idem dicendum esse, & potiori titulo, quando curru, aut lectica iter peragitur; cum minori labore iter conficiatur.



Sartores, & Barbitonsores communiter à ieiunio non deobligantur.

139 Dicendum est tertiò: Sartores, & Barbitonsores non excusari à ieiunio ex vi præcise officij. Et ratio est: quia horum labor non est tantus, vt vires debilitet, ita, quod sit incompossibilis cum ieiunio: ergo eximendi ab eo non sunt. Ita Abulens. in cap. 6. Matth. quæst. 143. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 27. quæst. 8. in fine. Villalobos tract. 23. diffic. 4. num. 7. Læsius lib. 4. cap. 2. dubit. 6. num. 43. Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 7. num. 7. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 3. Bonacina de Eccles. præcept. disp. vltima, quæst. 1. punct. vltimo, num. 12. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 7. num. 9. Sanctius disp. 54. num. 16. Paschaligus decis. 305. Bassæus verb. *Ieiunium*, 2. num. 8. & alij apud relatos. ¶ Contra Ledesmam 2. tom. Sum. cap. 4. quæst. 17. art. 3. Palaum tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 2. §. 5. num. 10. Fagundez lib. 1. de 4. Eccles. præcept. cap. 8. num. 15. & Leandrum à Sanctissimo quæst. 69. & 70. qui docent prædictos officiales non teneri, si fere per integrum diem suam exerceant artem. Tum: quia de omnibus officialibus videtur, id affirmasse Eugenius IV. Tum etiam: quia prædicti officiales communiter sunt pauperes, nec habent sufficientem cibum ad se, suam que familiam alendam; tum denique: etenim licet labor sit exiguus ratione durationis reputandus est magnus: ergo, &c. ¶ Sed hæc levia sunt. Nam ad primum constat ex verbis Eugenij IV. qui solum loquitur de exercentibus laboriosas artes. ¶ Secundum solum probat ratione necessitatis excusari. ¶ Tertium nil convincit, cum duratio parum augeat laborem, vt incompossibilis sit cum ieiunio. Fatemur tamen, quod si Sartores plus solito vestes farciendo tempus consumant, v. g. quando ad aliquas festivitates publicas necesse est, vestes consuere, quas prævenire non potuerunt ob subitam earum notitiam. Tunc ratione extraordinarij laboris excusantur à ieiunio; solent enim tunc noctem, diem que suendo consumere.

Pictores, Scribæ Notarij Iurisperiti, & Procuratores commu-

140 Dicendum est quartò: Pictores, Scribas, Principum que Secretarios à ieiunio non excusari. Quia licet aliquam mentis attentionem eorum opera requirant, tamen labor satis debilis est, & cum ieiunio compatibilis. Ita Azor 1. part. lib. 7. cap. 27. q. 8. Trullench num.

niter à ieiunio non eximuntur.

num. 9. Villalobos num. 7. Sanchez num. 7. & alij pro antecedenti conclusione relati, Henriquez in Sum. sect. 16. quæst. 69. Machado lib. 2. part. 4. tract. 4. docum. 1. num. 2. Paschaligum decis. 335. Leandrum quæst. 123. & 124. qui eos deobligatos à ieiunio credunt, ex eo quod, vt vulgariter dicitur: *Scribere, qui nesciunt, nullum putant laborem; tres digiti scribunt, cætera membra dolent.* Sed hoc proloquium non verificatur communiter, sed raro, v.g. si totum diem consumant inscribendo: at si per quinque, aut sex horas tantum scribatur, non est tantus labor, vt ieiunando ferri non possit. ¶ De Iurisperitis, ait Sanchez num. 1. quod à ieiunio excusantur, quando nequeunt patrocinari; si obseruent illud; quia studium necessarium ad debite patrocinandum, libros evoluendo, scripturas legendo, Iudices informando, &c. est cum ieiunio incompossibile; si per plures horas perduret. Et idem videtur dicendum de Procuratoribus, & Iudicibus, vt tenent alter Sanctius in Select. disp. 54. num. 17. Diana 1. part. tract. 9. resol. 12. Ortiz in Sum. cap. 19. mandat. 2. num. 15. Leander tract. 5. disp. 8. quæst. 122. contra Ledesmam tract. 27. cap. 2. concluf. 5. diffic. 3. Ioan. à Cruce in Sum. 1. part. præcept. 3. art. 4. dub. 9. concl. 2. & alios, credentes horum laborem valde exiguum esse, & minime cum ieiunio incompatibilem. ¶ Sed de his idem dicendum est, ac infra de Magistris, & Lectoribus. Vnde quando eorum studium est continuum, improbus que labor, dicendum est cum prima sententia excusari. Videatur Paschaligus decis. 334.

Milites ieiunare non tenentur.

141 Dicendum est quintò: milites, sive sint in castris, sive in munitionibus, sive etiam in hospitijs esse à lege ieiunij excusatos. Et ratio est: quia quando sunt in castris, magnos patiuntur labores, cibum certum non habent, & proximi ad prælium sunt, ad quod necesse est, quod non ieiunij, non debiles, sed fortes, & robusti inveniantur, vt sic acrius cum hoste dimicent: ergo cum hoc ad bonum Reipublicæ valde conducat, certo à ieiunio deobligati sunt. Vnde sequitur, nec etiam teneri ad ieiunium, quando sunt in munitionibus, & hospitijs. Tum: quia ibi proximi sunt vt ad bella procedant; tum etiam: quia si ibi quiescunt, est, vt collapsas vires ob prioris conflictus labores in pristinum statum restituant. Sic Paschaligus decis. 311. Leander 3. part. tract. 5. disp. 8. quæst. 91. & alij. ¶ An ex Sum. Pontificis privilegio Regis Hispaniarum milites possint etiam, diebus ieiunij, & abstinentiæ, à carnibus abstinere? Resolvere non audemus, quia in nullo Doctore transcriptum vidimus, licet adesse, ab aliquibus audiamus.

§. III.

Quiex motivo pietatis à ieiunio excusentur?

Opera Pietatis, & Misericordiæ

142 TErtia causa ob quam fideles solent à ieiuuij obligatione excusari, est pietas; vnde ratione huius excusantur omnes exercentes opera Pietatis, Charitatis, vel Misericordiæ, aut Religionis, sive corporalia, sive spiritualia sint; quando commode cum ieiunio componi nequeunt. Et ratio est: quia præceptum ieiunij, seu abstinentiæ nequit obligare, quando est impeditivum maioris boni; sed maius bonum est exercere opera Charitatis, & Misericordiæ, quam abstinentiæ: ergo si hæc componi nequit cum illis, nequit esse materia præcepti, nec fideles ad id obligari. Vnde D. Hieronymus relatus in cap. *Mediocriter, de consecratione, dist. 5.* & à D. Thoma 2. 2. quæst. 147. art. 1. ad 2. sic ait: *Rationabilis homo dignitatem amittit, qui ieiunium Charitati, vel vigilias sensus integritati præfert.* In hoc conveniunt Doctores, & solum inter eos difficultas est: an excusentur, qui talia opera faciunt ex propria voluntate, & non ex officio, aut obedientia? Negant Navarrus in Sum. cap. 2. num. 16. Caietan. in Sum. verb. *Ieiunium*, Sylvester ibi quæst. 9. & alij apud Sanchez, si ex propria voluntate fiant, & non ex officio, aut obedientia, vel ob communem vtilitatem. ¶ Sed probabilius affirmant Villalobos tract. 23. diffic. 4. num. 15. & 16. & Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 17. num. 2. referens Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 1. Armill. & Palacios. Et videtur esse D. Thomæ, qui in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. sic ait: *Si enim sit tanta abstinentia, quod homo ab operibus vtilioribus impediatur, quamvis ad ea de necessitate non teneatur, indiscretum est ieiunium, & si non sit illicitum.* Ergo voluntaria opera Charitatis licite quis exequi valet, & si ob id commode ieiunare non possit.

excusant à ieiunio.

Excusantur à ieiunio infirmis assistentes, & peregrinantes ad loca sancta.

143 Vnde excusantur primò à ieiunio, qui pluribus infirmis inserviunt in Hospitalibus, & Monasterijs; quia hæc non parum laborem secum afferunt. Ita Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 2. §. 5. num. 11. Bonacina de præcept. Eccles. disp. vltim. quæst. 1. punct. vltimo, num. 13. Ledesma 2. part. tract. 27. cap. 2. dub. 3. post 5. concl. vers. *La tercera causa.* Et Paschaligus decis. 339. qui cum Ledesma, de eo, qui per totam noctem infirmo assistit, idem dicit; quia talis assistentia ratione vigiliæ, & privationis somni magnam debilitatem causat, ita vt summo cum labore die sequenti ieiunetur. ¶ Solvere etiam possunt ieiunium infirmarij consolandi infirmi causa, aut eum ad comedendum provocandi; quia magis vrget Charitas, quam abstinentia. Trullench num. 17. Sed ad hoc raro erit necessarium, tantum cibi sumere, vt opus sit, ieiunium frangere.

Deobligantur à ieiunio peregrini.

144 Excusantur secundò à ieiunio voluntarij peregrini, quando commode ieiunare non valent, nec peregrinatio differri potest; ne amittit socios itineris; & alias peregrinatio est animæ valde vtilis, v. g. quia est ad Ecclesiam, vbi plures conceduntur indulgentiæ. Et rationem tradit Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 147. art. 4. ad 3. his verbis: *Quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis ieiunia, vt per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas.* Sed peregrinatio cum his circunstantijs est maius animæ bonum, quam ieiunium:

nium : ergo quando commode ſervari nequit, ab eo liberat. D. Thomam ſequuntur Metina Cod. de *Ieiunio*, quæſt. de *his*, *qui ad ieiunia non tenentur*. § *Secunda cauſa*. Sylveſter verb. *Ieiunium*, quæſt. 9. Abul. quæſt. 140. in cap. 6. Matth. Navarrus cap. 21. num. 17. Caietan. verb. *Ieiun.* Sanchez in Conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 11. num. 4. & 5. Palaus tom. 7. tr. 1. diſp. 3. punct. 2. §. 5. num 11. & tom. 1. tract. 3. diſp. 1. num. 1. & 4. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 5. Villalobos tract. 23. diffic. 4. num. 16. Sanctius in Select. diſp. 54. num. 21. & Diana part. 1. tract. 9. reſol. 46.

Iuxta aliquos à ieiunio non excuſantur ſe publice in feria 5. in Cœna Domini flagellantes.

145 Sed hic rogabis : An ſumentes diſciplinam publicam in feria 5. maioris hebdomadæ, licete agant, ita vt à ieiunio excuſentur? Negant Palacios in 4. diſt. 15. diſp. 8. pag. 119. in medio, & alius doctus Recentior, vt teſtatur Sanchez ; & apud Paſchaligum, & Quintana-Dueñas, Fernandez part. 2. Exam. cap. 8. §. 2. num. 12. & Trullench num. 15. cit. (ſed hic Doctor ſolum loquitur, quando flagellantur in fraudem ieiunij.) Probatur ergo primò opinio dicta : Quia publica flagellatio non eſt introducta, vt ieiunium ſolvat ; nec requiritur, vt ſit exceſsiva, multum *effundens* ſanguinem, ſed quod ſit temperata : nam hoc modo conſuetudine, & Eccleſiæ fini fit ſatis: ergo exceſsiva flagellatio, quæ ſolutionem ieiunij exigat, eſt abuſus. ¶ Secundò : *quia melior eſt obedientia, quam victima* : Ergo melius eſt ieiunare ex præcepto, quam ex libito ſe flagellare.

Probabilius eſt oppoſitum.

146 Probabilius tamen affirmant alij docendo, hanc flagellationem eſſe licitam, & quando cum ieiunio compati nequit, ab eo excuſare. Et ratio eſt : quia flagellatio publica, eo modo, quo fit in Hiſpania, eſt actus pietatis, pœnitentiæ, & religionis ; cum ſit contritionis peccatorum manifeſtatio, afflictio corporis, ſacræ Paſsionis Chriſti cultus, & imitatio, proximorum ædificatio, & doctrina, hæreticorum confuſio, fidei Chriſtianæ proteſtatio, & culparum ſatisfactio : ergo perfectioris virtutis actus eſt, quam ieiunium: ergo indiſcretum eſſet ieiunium, vt vidimus ex D. Thoma, ſi ab his vtilioribus operibus impediret fideles. ¶ Deinde ieiunium inſtitutum ab Eccleſia eſt ad corpora caſtiganda, & paſsiones reveles mortificandas, & compeſcendas, vt mens in Deum elevetur; ſed vnica tantum flagellatione publica, plus maceratur corpus, & paſsiones mortificantur, & conſequenter mens in Deum elevatur, quam pluribus ieiunijs, vt conſtat : ergo hæc omitti valent, quando ob publicam macerationem ſervari non poſſunt. Et per hæc patet ad argumenta. ¶ Ad primum dicitur, quod flagellatio eo modo, quo introducta eſt, non eſt temperata, ſicut Religioſi ſe flagellare ſolent, ſed ſatis rigida copioſum profundens ſanguinem : ergo ſi vnica venæ ſciſsio à ieiunio ſolvit, quanto magis tanta ſanguinis emiſsio. ¶ Ad ſecundum negatur, adeſſe tunc præceptum ieiunij impediens flagellationem, cum ea ſit opus perfectioris virtutis; ſicut nec etiam obligat, quando adeſt opus Charitatis incompoſsibile cum ieiunio. Noſtram ſententiam tenent Sanchez in Conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 12. Sanctius in Select. diſp. 54. num. 2. Trullench num. 15. Palaus tom. 1. tract. 3. diſp. 1. punct. 21. num. 4. Filliucius tract. 28. part. 2. cap. 6. num. 123. Quintana-Dueñas tract. 4. ad 4. Eccleſ. præcept. ſingul. 9. & 10. Paſchaligus deciſ. 340. & alij. ¶ Nota, quod idem dicendum eſt, & propter idem motivum, de alijs flagellationibus in proceſsionibus publicis fieri ſolitis, ad impetrandam pluviam, & pacem, peſtem que ſedandam. Ita Quintana-Dueñas num. 8. & ſimiliter loquitur ſingul. 11. num. 1. de his, qui in his proceſsionibus cruces nimis graves geſtant, qui ferreis catenis, & funibus circundati, aut brachijs ſuper enſem, aut lignis extenſis procedunt. Sed hæc non ita in vſu ſunt ſicut publica flagellatio.

Excuſantur, qui magnũ ſtudij, & ingenij laborem patiuntur.

147 Excuſantur tertiò ab obligatione ieiunij, qui operibus ſpiritualibus Pietatis, & Miſericordiæ vacant, alios inſtruendo, & edocendo, quando cum ieiunio componi non poſſunt. Et ratio eſt: quia ſi labor magnus corporalis à ieiunio excuſat; quia debilitat vires; quanto magis excuſabit labor ingenij, & ſtudij, qui dum continuus eſt, ſalutem penitus deſtruit? Cum enim ſtudium nobiliores ſpiritus conſummat, naturalis calor minuitur ; vnde cibus conquoqui nequit, humores concreſcunt, fluxus capitis generantur, & ſomnus fugit; quare breviter actum eſt de ſalute : contrarium tamen accidit in agricolis, & officialibus ; quia labore fiunt viribus robuſti, colore que vivido rubeſcentes, & integra valetudine longam ducunt vitam : ergo evidens ſignum eſt, quod eſt maior labor ingenij, & ſpiritualis, quam labor corporalis omnium mechanicarum artium. ¶ Vnde excuſantur à ieiunio Lectores, & Cathedratici Theologiæ, & aliarum ſcientiarum, quando ad lectiones diſcipulis dictandas, magno indigent ſtudio, & improbo labore; ſecus vero quando dictant lectiones prius iam diu ordinatas, aut ſæpius repetitas, quia tunc levis certe eſt eorum labor. Ita Navarrus cap. 21. num. 16. Villalobos tract. 23. diffic. 4. num. 15. Caietanus 2. 2. quæſt. 147. art. 13. §. Ad hoc dicitur. Toletus lib. 6. Sum. cap. 4. num. 4. Azor 1. part. lib. 7. cap. 29. quæſt. 1. Sanctius in Select. diſp. 54. num. 17. Læſius lib. 4. cap. 2. dub. 6. num. 43. Fagundez de 4. Eccleſ. præcept. cap. 8. n. 19. Diana 1. part. tract. 9. reſol. 10. Paſqualigus deciſ. 327. & alij.

Excuſantur oppoſitores ad Cathedras, non vero concluſionibus publicis præſidentes, nec grammaticæ Magiſtri.

148 Vnde potiori tit. 4. excuſantur à ieiunio, qui lectionem oppoſitionis cum viginti quatuor horarum termino ad Cathedram facit, & dictat ; quia toto hoc tempore certe ingens eſt ſtudij labor, & continuus in ſpeculando conatus, magna que ſpirituum conſumptio, ita vt ſatis vires debilitentur, vt continuo audivimus, oculis que perſpicimus in oppoſitoribus ad Cathedras in hac Salmantina Vniverſitate. Ita Paſqualigus deciſ. 330. & qui concionatores excuſant, idem ſentire debent. ¶ Aliqui etiam ab obligatione à ieiunij excuſant Lectores eo die, quo publicis concluſionibus præſident, vbi alij Loctores arguunt. Sic Paſchaligus deciſ. 327. & Leander quæſt. 117. ſed certe non video communi-

niter, tunc ad esse magnum laborem, vt cum ieiunio sit incompossibilis, maxime cum prius dictæ conclusiones sæpius sint defensatæ, & probatæ. ¶ Nec similiter excusantur Scholastici à ieiunio, quia eorum labor modicus est, & vt ait Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 13. num. 8. potius Scholasticus indiget modico cibo. Videantur Trullench dub. 7. num. 9. Bonacina num. 12. Azor cap. 27. quæst. 8. idem docentes. ¶ Nec similiter excusantur Lectores grammaticæ, & si quotidie quatuor lectiones legant, quia eorum labor non est proprie ingenij, & alias præcisè est materialis, rationem de lectione ab Scholasticis inquirendo, & aliqua circa eam ab eis scisitando, quod certe non est ita ingens labor, sicut clamat Sanchez num. 7. dicendo, quod & si sint valde fortes, & robusti, qui eam in Societate communiter docent, tamen ita intra paucos annos fatigantur, *vt vix possint vltra progredi ieiunando nec paucis diebus.* Et quod magis mirandum est, quod excusando Lectores grammaticæ à ieiunio, Lectores Theologiæ, vtriusque iuris, & medicinæ non excusset. Nam certe studium vnius Theologiæ lectionis maior labor est, quam plures grammaticæ. Et certe quidem si verum fatendum est; ego à Patribus Societatis grammaticam Villagartiæ didici, vbi maiori diligentia præ cæteris orbis partibus edocetur, & nihilominus nunquam credidi, esse simile magisterium cum ieiunio incompossibile; nec à dictis Magistris, nec tunc, nec postea ab eisdem Pinciæ Philosophiam, & Theologiam audiendo, similem doctrinam didici; quin imò contrarium accepi. Vnde miror, tantum Doctorem prædicta sine vllo scrupulo, & limitatione tradere. Crediderim tamen temporibus Sanchez studio grammaticæ maiori cum labore, & intensione Patres Societatis, quam nunc incumbere; & ideo talia protulisse, sicut & profert Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 3. §. 5. num. 11.

Prædicatores qualiter à ieiunio liberentur.

149 Excusantur quintò à ieiunio eo die, quo Prædicatores concionantur, si aut ter, aut quater in hebdomada concionentur. Nam cuilibet patet, actionem, toties concionandi, esse vtique valde laboriosam, tum ob vehementem animi attentionem, corporis que agitationem, tum & maxime ob studium ad id necessarium. Sic Toletus lib. 6. cap. 4. num. 4. Navarrus cap. 21. num. 16. Caietanus 2. 2. quæst. 147. art. 3. Trullench dub. 8. cit. num. 15. N. Antonius à Spiritu Sancto in Direct. Regul. part. 2. tract. 2. disp. 2. num. 146. Villalobos tract. 23. difficult. 3. num. 15. & alij communiter apud Pasqualigum decis. 326. qui excusant absolute Prædicatores, quando commode ieiunare non valent, & certe in casu quæstionis commode non valent. Leander quæst. 112. Paschalig. decis. citata, & alij, cum Sanchez lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 13. num. 6. qui eos excusat à ieiunio per totam Quadragesimam, si ter, aut quater prædicent; maxime, si cum fervore concionentur; similiter eum, qui per annum frequenter concionatur, in vigilia concionis, & in ipso die à ieiunio excusat. Et rationem sic tradidit: *Quia hoc videtur requisitum ad robur necessarium ad bene, & fructuose concionandum; quia (vt viri docti dicunt) qui debet officium exercere, non tantum debet attendere, an possit in hac Quadragesima, vel in hoc die simul ieiunare, & prædicare, sed etiam, vt conserventur vires, & possit plures dies, & Quadragesimas prædicare. Sic docti Iuniores.* Hucusque Sanchez, cui adhærent Henriquez in Sum. sect. 16. quæst. 30. Trullench num. 15. Paschalig. decis. 326. num. 6. sed in hac materia prudentis iudicio standum est, an commode possit ieiunare eo die, quo prædicat, & antecedenti; si enim ob continuum studium, fervorem que concionis, stomachi que debilitatem ieiunare non potest, ab eius obligatione eximitur, & ad scrupulos tollendos Superiorem adeat, vt in ieiunio dispenset, sufficiens enim ad hoc adest causa, vt ait Sanchez num. 8. Crediderim eos, qui plures sermones prædicant, v. g. feria quinta, & sexta maioris hebdomadæ, esse excusatos à ieiunio, ingens enim tunc adest in eis labor, quem pauci, vel nullus sufferre valet, quin plures refectiones sumat. Scio, hucusque dicta ab aliquibus concedi tantum Prædicatori concionanti ex officio, obedientia, seu voto, non vero ob lucrum principaliter; sed hæc differentia in ordine ad laborem, & vt à ieiunio excusentur, de materiali est, cum ex quocumque motivo fiat, idem sit labor. Ita Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 124. Læsius lib. 4. cap. 1. dub. 6. num. 44. Bonacina punct. vltimo, cit. num. 13. Diana 1. part. tr. 9. resol. 11. Paschaligus decis. 326. Sanchez num. 3. & alij supra relati, qui Prædicatores (præscindendo à motivo concionandi) à ieiunio excusant.

Confessarij raro à ieiunio deobligantur.

150 Confessarij vero raro excusari debent à ieiunio, quia eorum labor communiter cum eo incompossibilis non est. Cæterum, qui per totum diem frequenter confessiones excipiunt, si ieiunium observare non possunt, non sunt à confessionario retrahendi; tum: quia magis obligat Charitatis præceptum, quam ieiunij; tum: quia labor non parvus est. Ita Sanchez in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 13. num. 11. vbi ait, quod in dubio ad tollendum omnem scrupulum, dispensset Superior. Bonacina de Eccles. præcept. lib. 1. cap. 8. num. 19. Palaus tom. 7. tract. 1. disp. 3. punct. 2. §. 5. num. 11. Pasqualigus decis. 331. & alij.

Aliquando excusantur à ieiunio Cãtores.

151 Excusantur sextò ab obligatione ieiunij Cantores; quando adest periculum amissionis vocis; tum: quia cum hæc ad Deo laudes decantandas conducat, respicit Religionis virtutem, quæ potior est abstinentia; tum etiam: quia inde non parum detrimentum ad vitam decenter sustentandam patiuntur. Ita Trullench tract. 27. part. 2. num. 124. Sanctius in Select. disp. 54. num. 18. Pasqualigus decis. 338. qui ait raro ob ieiunium vocem amitti, eam cibo mediocri potius conservetur.

Ob receptionem hospitum licite ieiunium nequit solvi.

152 Non tamen excusatur à dicta ieiunij lege ob hospitem, etiam si Princeps sit, casu advenientem, is qui prius collationem sumpserat. Quia ad hoc cogi nequit nec Pietas, nec Charitas; cum necessitati hospitis satisfieri possit sine fractione ieiunij, & cum maiori exem-

exemplo. Et licet Azor lib.7. cap. 29. aliqua exempla ex antiquis Patribus in contrarium ex Niceforo, & Gerſone afferat, tamen, vt ipſe ait, dicta ieiunia non erant neceſſaria ex præcepto; ſed tantum voluntaria, aut ex conſilio. Sic Fagundez de 4.Eccleſ.præcept.lib.1. cap.10. num.12. Silem 2.2. quæſt.147. art.4. Leander quæſt. 151. & Trullench in Decal. lib.3. cap.2. dub.7. num.16.

Quid dicendum de eo, qui ex intentione ponit media incõpatibilia cũ ieiunio.

153 Hic ſolent Doctores inquirire: An ſi quis animo non ieiunandi, ponit media licita, vel illicita cum ieiunio incompatibilia; v. g. ſumit potionem, qua infirmus fiat ex fine, vt à ieiunio excuſetur, tunc peccet contra ieiunij legem, in illo pravo animo, & ieiuniorum omiſsionibus? De hoc egimus in hoc Curſu tom.3. tract.11.cap.3. à num.163. & negativam partem ibi tenuimus cum NN. Salmant. Scholaſticis, tom.4. tract.13.diſp.5. dub.6. à num. 103. & alijs Doctoribus, & inſuper eam tenent Medina in Sum. lib. 1. cap.14. §. 10. Petrus Ledeſma in Sum. tract. 27. cap.2. in fine, diffic.5. verſ. *Digo lo ſegundo*. Llamas 3.part. Method.cap.5. §.21. Diana 1.part. tract. 9. reſol. 40. Paſqualigus deciſ. 320. Cæterum, quia huius reſolutionis motiva locis ex vtroque Curſu Salmanticenſi relatis, videri poſſunt cum ſolutione argumentorum, pro contraria ſententia militantium, ideo ab eis proponendis abſtinemus, & ex Salmantic. num. 105. hic tantum hanc regulam pro hac, & alijs materijs tranſcribimus. Vbi cauſa impediens alicuius legis adimpletionem, extrahit omittentem ab ipſa lege, ſive talis cauſa alias peccaminoſa ſit, ſive non, & ſive hac, ſive illa intentione apponatur, ſequentes omiſsiones, & ſi ſint præviſe, aut intentæ, non imputabuntur vt peccata, nec in cauſa, nec in ſe ipſis. Vbi vero prædicta cauſa omittentem non extrahit à legis obligatione, & voluntarie appoſita eſt, omiſsiones ſequentes in ea præviſæ, vel prævideri debitæ, omnes imputabuntur, & ſunt formaliter peccata, tam in cauſa, quàm in ſe ipſis.

§. IV.

Quomodo diſpenſatio à ieiunio deobliget? Vbi de privilegijs Regularium circa hanc materiam.

S. Pontifex, & Epiſcopi poſſunt cum fidelibus in ieiunijs diſpenſare.

154 VLtima denique cauſa fideles à ieiunij lege eximens, eſt diſpenſatio; & de hac late diſſerendum erat, niſi in tom.3.tract.1. cap.5. actum nobis eſſet. Vbi ſolum ibi deſiderata, hic declarabimus. Sed prius ex doctrina tradita loco allegato num. 1. ſupponendum eſt: quod diſpenſatio communiter ſic ab omnibus definitur. Eſt *iuris alicuius relaxatio ab habente legitimam poteſtatem factam*. ¶ Secundo ſupponendum eſt: poſſe Summum Pontificem pro tota Eccleſia, & Epiſcopum pro ſuo Epiſcopatu in ieiunijs cum fidelibus diſpenſare. Ratio primæ partis eſt: quia quilibet poteſt in lege à ſe lata diſpenſare; ſed ieiunij lex lata eſt à Summo Pontifice: ergo in ea diſpenſare valet. ¶ Secunda pars etiam conſtat. Nam in caſibus communiter occurrentibus, recta regiminis ratio exigit, vt inferior in Superioris lege ex tacita ſuperioris licentia poſsit diſpenſare; ſed ieiunij, & carnium abſtinentia, ſicut, & feſtorum obſervatio, eſt de communiter occurrentibus: ergo,&c. Ita docent Caietanus 2.2. quæſt. 147. art.4. dub. 1. Navarrus cap. 21. num.21. Azor tom.1. lib.7. cap. 29. quæſt.2. Sanchez lib.5. Conſil. cap. 1. dub. 5. num. 4. & 16. plurimos referens. Trullench lib.3. Decal. cap.2. dub.7. num. 18. Bonacina de præcept.Eccleſ. diſp. vltima, quæſt.1. punct.vltimo, num.18. Fagundez de 4. Eccleſ. præcept. lib.1. cap.9. num. 1. Paſqualigus deciſ. 379. & 384.& nos docuimus tract.11.cap.5.punct. 4. num.30. & 38.

Qualiter Parrochus poſſit in ieiunio diſpenſare cum ſuis ovibus.

155 Difficultas vero eſt: An Parrochus ex iuſta cauſa poſsit cum ſuis ſubditis in ieiunio diſpenſare? Negant Angelus verb. *Ieiunium*, num.20. Tabiena num.15. quia Parrochus ſolum habet iuriſdictionem in ſubditos quo ad forum internum, non vero externum; ſed diſpenſatio ieiunij ad forum externum attinet: ergo nequit in eo diſpenſare. ¶ Sed communis ſententia eſt affirmativa, docens ex conſuetudine id licite poſſe facere. Et ratio eſt: quia, vt conſtat ex cap. *Contingat, de foro competenti*, cap. *Duo ſimul, de offic. Ord.* & alijs textibus, quos ibi Gloſſa congerit, conſuetudo iuriſdictionem dat; ſed conſuetudo obtinuit, ſcientibus, & conſentientibus Epiſcopis, quod Parrochus cum ſuis ſubditis in ieiunio diſpenſet: ergo licet ex vi ſui muneris in Parrochos iuriſdictionem in foro externo non habeat; tamen ex conſuetudine id licite facit, non ſolum quando non eſt facilis aditus ad Epiſcopum, vt docent Navarrus cap. 21. Sum. num. 21. Lopez 2. part. Inſtruct. cap.109. Azor lib.7. tom.1. cap.29. quæſt. 3. Ledeſma tract. 27. cap. 2. concl. 5. dub.3. & alij; verum etiam, quando facile inveniri poteſt, quia eſt in eadem Civitate, aut eſt in præſentia Parrochi, vt tenent Innoc. *de Obſervat.5. de Ieiun.* cap.1. num. 2. Andræas ibi num. 3. & alij Canoniſti, & Theologi Divus Thomas in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc.4. ad 3. Caietanus 2.2. quæſt. 147. art.4. dub.1. Sylveſter verb. *Ieiunium*, quæſt. 7. dict. 4. Suarez lib. 6. de Legibus, cap. 14. Sanchez de Matrim. lib. 8. diſp. 9. num. 27. & in Conſil. lib.5. cap.1. dub.5.num.18.Sanctius in Select. diſp. 54. num. 36. Trullench lib.3. in Decal. cap.2. dub.7.num.18. & alij. ¶ Quam doctrinam optime extendunt Sanchez in Conſil. loc. cit. & Palacios in 4. diſt. 15. diſp. 8. num. 119. Sanctius, & Paſqualigus deciſ. 387. ad Vicarium Parrochi, cum exerceat alios actus parrochiales iuriſdictionem exigentes. Negant tamen eam Azor, Sanchez, & Palaus, Trullench, & alij Confeſſario, & Medico; quia prædicti tantum valent, declarare, an ſit cauſa, vel non, ad non ieiunandum, & nulla conſuetudo legitima eis poteſtatem ad diſpenſandum in ieiunijs hucuſque conceſsit.

Qui Prælati poſsint cum

156 Deinde rogabis: An iuſta interveniente cauſa, poſsint Prælati Regulares diſpen-

Religiosi in ieiunijs dispensare? Et an Abbatisæ cum Monialibus?

pensare cum suis subditis in ieiunijs? Respondetur affirmative; tum: quia sunt veri eorum Prælati iurisdictionem ordinariam, spiritualem in subditos habentes; tum: quia alias non possent in necessarijs proprijs subditis providere. Sic Caietanus, Navarrus, & Sanchez supra citati. Villalobos tract. 23. diffic. 4. num. 21. Rodriguez in Compend. qq. Regul. resol. 75. Tambur. de Iure Abb. tom. 2. disp. 12. quæst. 1. num. 1. Bordonus in Consil. Regul. resol. 18. num. 7. & alij communiter. Vnde tract. 11. supra allegato, cap. 5. punct. 5. num. 55. & tom. 4. tract. 18. cap. 4. punct. 1. §. 5. à n. 30. ad 37. diximus, quod quid quid potest Episcopus respectu suorum subditorum; possunt etiam Prælati Regulares respectu Religiosorum, quando in eis ordinariam iurisdictionem habent. Hi autem sunt Generales respectu totius Religionis, Provinciales in sua Provincia. Priores, Guardiani, Rectores, &c. in suo Conventu, & eorum Vicarij in absentia Superioris, qui omnes possunt dispensare cum suis subditis in ieiunijs, & carnium abstinentia ab Ecclesia præceptis, & consequenter in regulæ ieiunijs, nisi aliter per eam fuerit prohibitum. Et præter ibi allegatos id docent Sanchez in Consil. dub. 5. citat. num. 20. Azor lib. 7. cap. 29. quæst. 6. Fagundez de 4. Eccles. præcept. lib. 1. cap. 9. num. 5. & alij supra relati. ¶ Nota tamen primò: quod licet Abbatisæ, seu Prioriſæ non possint cum Monialibus proprie dispensare in ieiunio; cum incapaces sint iurisdictionis spiritualis, vt diximus tom. 2. tract. 10. cap. 1. num. 49. possunt tamen declarare, quando Moniales teneantur, vel non ad ieiunium; & tunc Superior, vel Religio est, quæ tali declaratione supposita, dispensat, alias non provideretur in necessarijs Monialibus. Ita N. Lezana verb. *Abbatisa*, num. 14. Sanctius in Select. disp. 54. num. 37. Portel in Dub. Regularib. verb. *Abbatisa*, Pasqualigus decis. 391. & N. Antonius in Direct. Regul. part. 2. tract. 2. disp. 1. num. 257. citatur que ab eis pro hoc dicendi modo, quædam concessio Pauli III. pro Abbatisa Monialium Sanctæ Claræ apud Rodriguez in Collect. Bull. ¶ Nota secundò: quod eo modo, quo Prælati possunt cum subditis dispensare in ieiunio; possunt etiam in abstinentia à carnibus, & hora refectioni destinata cum de vtrisque eadem sit ratio. ¶ Quid possint circa familiares, diximus tom. 3. tract. 11. cap. 5. punct. 5. num. 57. ¶ Nota tertiò: quod in his, in quibus Prælati cum subditis dispensare possunt; possunt etiam dispensare secum, quia hæc est iurisdictio voluntaria, quæ in se ipsum exerceri potest. Videantur dicta loco citato, num 60. & tract. 17. cap. 3. num. 79.

Prælati dū ab eis etiam cum causa dubia petitur dispensatio debent cum subditis in ieiunijs dispensare.

157 Qualis autem causa requiratur ad licitam, & validam dispensationem, diximus tract. 11. cap. citato, punct. 6. Videantur ibi dicta. Hic vero notandum est, cum Caietano 2. 2. quæst. 147. art. 4. Navarro cap. 21. num. 22. Sanchez dub. 5. allegato, num. 26. & alijs: quod imprudenter agunt Prælati, qui quando subditi in dubio causæ sufficientis petunt ab ipsis dispensationem, v. g. ad cœnandum in die ieiunij, aut horam prandij anteponendam, id suæ conscientiæ relinquunt; quia subditi secum in dubijs dispensare nequeunt, sed hoc est proprium Prælatorum; qui tuta conscientia possunt, si causa est dubia, cum eis dispensare; si vero non est omnino sufficiens, partim dispensare, & partim in aliud pium opus commutare: quapropter compati debent subditis, & dispensando à suis scrupulis liberare. Hæc communiter tenent Doctores. Videantur dicta tract. 11. cap. 5. punct. 4. num. 46.

Quid dicendum ex privilegio Sixti IV. dum dubia est causa ad nō ieiunādum?

158 Sed si sequamur doctrinam Cruz lib. 1. cap. 6. dub. 22. concl. 2. N. Antonij à Spiritu Sancto in Direct. Regul. part. 1. tract. 2. disp. 2. sect. 3. num. 143. Pasqualigij de Ieiunio, decis. 401. num. 3. & apud ipsum Rodriguez, dicendum est cum eis: quod stante causa dubia, an Religiosus ob infirmitatem, aut debilitatem teneatur ad ieiunium, tunc non obligatur petere dispensationem à Superiore, sed ipse per se ipsum licite potest, ieiunium frangere. Et ratio est: quia Sixtus IV. vt testatur Rodriguez in Bullario, fol. 237. concessit, quod Regulares, quando bono modo ob infirmitatem, aut debilitatem ieiunare non possunt, non tenentur ieiunare: sed hoc privilegium concedit prædicta per modum dispensationis, quando opus est dispensatione, quod accidit dum dubia est causa: ergo cum in præsenti dubia sit causa, S. Pontifex ex vi dictæ concessionis dispensat in ieiunio: ergo necesse non est recurrere ad Prælatum, vt cum subditis tunc dispenset. ¶ Nota vero hic, quod licet dictum privilegium fuerit concessum vivæ vocis oraculo, tamen iam est per Bullam confirmatum; tum: quia expeditum fuit ante Sixtum V. & huiusmodi vivæ vocis oracula non sunt revocata, vt diximus pluribus relatis tom. 4. tract. 18. cap. 2. punct. 6. num. 61. Tum etiam: quia nemini præiudicat, & ideo sublatum non est per revocationem oraculorum factam à Gregorio XV. & Vrbano VIII. vt probat Bordonius tom. 2. part. 1. resol. 31. quæst. 3.

Privilegia circa ieiunium concessa Prædicatoribus, & Religiosis itinerantibus.

159 Aliud privilegium vivæ vocis oraculo, sed iam per Bullam confirmatum, concessit Leo X. vt testatur Rodriguez tom. 2. quæst. 101. art. 3. in quo tribuit facultatem Religiosis itinerantibus, vt ieiunium vnius diei, sive ex præcepto Ecclesiæ, aut regulæ possint in alium diem transferre. Id docent etiam Bordon. tom. 3. resol. 18. num. 7. Pasqualigus decis. 416. num. 3. & Cruz lib. 1. cap. 6. dub. 22. concluſ. 4. quos referunt, & sequuntur N. Antonius loco citato, num. 144. Leander tract. 5. disp. 10. quæst. 44. & alij apud ipsum. Similiter idem Pontifex concessit Prædicatoribus, quando eo die, quo prædicant, possunt commode ieiunare, vt valeant anticipare, vel retardare horam refectionis, aut collationis serotinæ. Sic testantur Cruz lib. 2. cap. 6. dub. 22. concl. 4. & Pasqualigus de Ieiunio, decis. 416. num. 2. qui addit, idem privilegium concessisse Sixtum IV. Religiosis itinerantibus.

Quādo Episcopus potest

160 Advertendum hic est ex dictis punct. 5. num. 94. quod ex decret. S. Rit. Congreg. ie-

Ieiunia Eccleſiæ in alium diem transferre?

ieiunium Vigiliæ S. Mathiæ, & ſi in Carnis privio venerit, obſervari debet; vnde Epiſcopi illud iam transferre non poſſunt in alium diem, ſicut docuit Paſqualigus deciſ. 180. num. 2. & licet decretum videatur tantum pro anno 1694. expeditum, tamen cum eadem ratio in alijs annis vrgeat, & alias doctrinale ſit, ad reliquos annos, in quibus eodem tempore occurrerit, extendi debet. Videatur Leander tract. 5. diſp. 10. quæſt. 42. ¶ Circa ieiunia in Vigilijs Sanctorum, quando incidunt, ſeu occurrunt in aliquo magno feſto, aut in die Patroni Civitatis, dicendum eſt, poſſe Epiſcopum in antecedentem diem ea transferri, & facere, quod in illo die carnes comedantur; tum: quia hoc conſonat Iuris Canonici diſpoſitioni, in cap. *Conſil. de Obſervatione Ieiun.* vbi decernitur, quod ſi Vigilia venerit in Dominica, ieiunetur in Sabbatho. Tum etiam: quia ſic pluribus in locis practicatur, nam in Gallia, quia feſtum Sancti Quintini ſolemniter celebratur, & occurrit in Vigilia omnium Sanctorum hoc ieiunium transfertur in præcedentem diem, vt refert Sylveſter verb. *Ieiunio*, quæſt. 7. Similiter in Civitate Pampilonenſi, Regni Navarræ, Vigilia S. Andreæ Apoſtoli non ieiunatur; ſed in antecedentem diem transfertur, quia eo die occurrit feſtum S. Saturnini dictæ Civitatis Patroni, quod ſolemniſsime celebratur: ergo in ſimilibus caſibus poſſunt Epiſcopi ieiunia transferre. Ita Caietanus in Sum. verb. *Ieiunium*, cap. 3. Armil. num. 6. Tabiena quæſt. 12. Palacios in 4. diſt. 15. diſp. 8. in fine, & Sylveſter loco citato referens Panormitanum. Sanchez lib. 5. Conſil. cap. 1. dub. 5. num. 27. Trullench lib. 3. Decal. cap. 2. dub. 5. num. 19. Paſqualigus deciſ. 179. & alij. Et addit Caietanus, approbat que Sanchez, quod tunc debent Regulares ſe conformari in tali ieiunio cum Populo. ¶ Nota tamen cum relatis Doctoribus: quod licet Vigiliarum ieiunia poſsint in caſu poſito in alium diem transferri, non tamen ieiunia quatuor temporum, & ſi in magno feſto occurrant; quia Eccleſia licet quo ad Vigilias id conceſſerit, non tamen quo ad quatuor temporum ieiunia; cum communiter dicta ieiunia incidant in die S. Matthæi, & nihilominus Eccleſia præcipit, vt omnis Populus Chriſtianus eo die ieiunet.

Poſſunt Prælati ob cauſam generalem cum Populo, aut Communitate diſpenſare.

161 Rogabis denique: An poſsit aliquando Epiſcopus, vel Prælatus diſpenſare in obligatione ieiunij cum toto Populo, aut Communitate? Reſpondetur affirmative, ſi ſit aliqua iuſta cauſa gravis, & generalis, v.g. ſi adſit peſtis, famis, bellum, &c. aut ſimile quid. Et ratio eſt: quia exiſtente particulari, & iuſta cauſa, poſſunt Prælati cum particulari diſpenſare; vel ſi non videtur cauſa totaliter ſufficiens, partim diſpenſare, partim commutare valent: ergo exiſtenti cauſa iuſta generali, & communi, poſſunt cum Populo, & Communitate diſpenſare, & conſequenter ſi non adeſt cauſa totaliter ſufficiens reſpectu totius Communitatis, aut Populi, partim poterunt diſpenſare, & partim commutare. Ita Sanchez lib. 5. Conſil. cap. 1. dub. 6. num. 4. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 8. Paſqualigus deciſ. 340. & Palacios in 4. diſt. 15. diſp. 8. poſt 4. concl. §. *Obſervandum eſt.* Vbi affirmat, quod eo anno, quod hæc ſcribebat, fuit cum Luſitanis diſpenſatum, vt in Quadrageſima carnibus veſcerentur.

CAP. III.

De Decimis, Primitijs, & Oblationibus.

LAtam Provinciam ad diſputandum hoc caput nobis offerebat; at quia de Decimis, in quibus ſunt præcipuæ difficultates iam in tom. 4. tract. 18. cap. 3. punct. 2. per totum ſufficientem notitiam dedimus, ideo breviter illud abſolvemus, & tantum alibi dicta, paucis complectemur. At, quia in hoc Curſu nil de Primitijs, & Oblationibus hucuſque actum eſt, hic de illis, vt in proprio loco, quæſtiones ſcitu dignas movere, & decidere curabimus.

Caput hoc continet tria puncta.

Punct. I. *De Decimis*, num. 1.
Punct. II. *De Primitijs*, num. 3.
Punct. III. *De Oblationibus*, num. 7.

PUNCT. I.

De Decimis.

1 QUintum, & vltimum Eccleſiæ præceptum eſt de ſolvendis Dei Eccleſiæ Decimis, Primitijs, & Oblationibus, cæterum, quia de Decimis ſufficientem notitiam tract. 18. cap. 3. punct. 2. dedimus, ſuperfluum eſt ea nunc inculcare. Ibi enim diximus n. 52. quod nomine decimæ nil aliud intelligitur, quam decima pars fructuum Eccleſiæ miniſtris in eorum ſuſtentationem applicata. ¶ Secundò: quod hæc decima dividitur in prædialem, perſonalem, & mixtam. Prima dicitur, quæ ex fructibus prædiorum naſcitur. Secunda, quæ ex fructibus perſonæ ortis oritur. Tertia denique, quæ ex prædiali, & perſonali dimanat. ¶ Tertiò num. 53. reſolvimus, hanc decimæ ſolutionem eſſe ex Iure Divino, & Naturali, quo ad obligationem miniſtros ſuſtentandi; eſſe vero ex Iure Eccleſiaſtico quo ad aſsignationem vt, videlicet ſit decima pars, & non octava, aut ſexta. Vnde intulimus, poſſe S. Pontificem aliquos à decimarum ſolutione eximere, & conſequenter alios ab hac obligatione conſuetudine, aut præſcriptione liberare.

2 Deinde à num. 56. ad 59. diximus, ex quibus fructibus, tam ex Iure Communi, quàm consuetudine decimæ solvendæ sunt. Præterea à num. 59. ad 63. explicatum fuit, quæ personæ decimas solvere teneantur, & quas pœnas transgressores incurrant. Denique toto §. 2. & 3. declaravimus, qualiter Religiosi, tam ex Iure Communi, quàm ex alijs privilegijs à solvendis decimis sint exempti. Vnde fere omnia, quæ circa hanc materiam disputari possunt, levi calamo ibi tetigimus; quare, quia, quæ desiderantur facile in Doctoribus ibi citatis inspici possunt, ab eis enucleandis retrahimur. Consulantur præterea Azor 1. part. lib. 7. à cap. 34. ad 38. Leander à Sanctissimo tract. 6. & Barbosa tom. 2. in Ius Can. tit. 30. *de Decimis*, à pag. 367. ad 406. & tom. 7. in Decretum Gratiani, 16. quæst. 1. Raphael de la Torre 2. 2. quæst. 83. per totam, Suarez tom. 1. de Religione, tract. 2. lib. 1. à cap. 9. ad 38. de Officio, & Potestate Parrochi, part. 3. cap. 28. qui latissime de hac materia disputant. Quapropter de Primitijs, & Oblationibus tantum duobus sequentibus punctis differemus.

PUNCT. II.

De Primitijs.

Quid sint primitiæ, & quale in lege veteri erant præceptæ?

3 PRimitiæ, sicut in præsenti de eis est sermo, sunt primi fructus terræ, quos Deo, tanquam omnium bonorum largitori, & Creatori offerimus. Vnde à Decimis distinguntur; tum: quia decimæ sunt decima pars fructus; tum etiam: quia decimæ immediate in ministrorum Ecclesiæ sustentationem conceduntur, Primitiæ vero in gratiarum actionem Deo pro acceptis beneficijs per se primo offeruntur, esto per accidens postea in ministrorum sustentationem cedant. Quod vero in lege veteri fuerit præceptum solvendi primitias, patet ex illis verbis Deuter. cap. 12. vers. 6. *Et offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras decimas, & primitias manuum vestrarum.* Et cap. 26. *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias.* Idem que constat ex cap. 20. Exod. & cap. 23. & 26. & alibi sæpe, vbi Deus iubet, vt primitiæ ei offerantur, & cap. 3. Malachiæ conqueritur de Iudæis, eo quod tunc primitias non solvant: ergo clare ex his deducitur, in veteri lege fuisse præceptum de solvendis primitijs. Vnde aliqui docent, oblationes Cain, & Abel fuisse *primitias*, quia erant de primogenitis, & optimis terræ frugibus. Et similiter plures gentes hanc consuetudinem observasse constat, nam in Plinio lib. 18. cap. 2. & Alexandro ab Alexand. Dier. Genial. lib. 5. cap. 18. legimus, Romanos nihil de humi nascentibus gustasse, priusquam Sacerdotes novarum frugum, ac vini primitias libassent: & Athenienses, cum ex Ephebis excesissent, ad exemplum Thesei primitias crinum Apollini dare. Et ita alias multas nationes idem observasse, notat Tiraquellus *in Præfatione de Primogenijs*, à num. 69. Dicta docent Divus Thomas 2. 2. quæst. 86. art. 4. Suarez tom. 1. de Religione, lib. 1. cap. 8. num. 10. Torre 2. 2. quæst. 86. art. 4. Læsius de Iustitia, lib. 2. cap. 39. dub. 6. Azor 1. part. Instit. lib. 7. cap. 27. Trullench in Decal. cap. 3. dub. 12. num. 2. Barbosa de Iure Ecclesiast. tom. 2. lib. 3. cap. 25. num. 2. Leander tract. 6. disp. 9. quæst. 3. Fagundez de 5. Eccles. præcept. cap. 1. num. 1. & alij apud relatos, qui communiter in hoc conveniunt.

An in Iure Canonico detur præceptum de primitijs?

4 Difficultas tamen est: An in lege nova detur præceptum Ecclesiasticum obligans ad eas solvendas? Negant aliqui, quos supresso nomine refert Panormitanus in cap. *Decimam, de decimis.* ¶ At verior est opposita sententia; tum: quia, vt ait Gregorius VII. relatus in cap. *Decimas*, 16. *quæst.* 7. *Oportet autem congruentius nos decimas, & primitias, quas iure Sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere, quas fideles Domino præcipiente offerunt.* Ergo eodem modo, quod de Decimis datur præceptum Ecclesiasticum, datur de Primitijs. Tum etiam: quia D. Hieronymus in cap. 3. Malachiæ, relatus in cap. *Revertimini*, 16. quæst. 1. explicans verba Prophetæ ait: *Quia mihi non reddidistis decimas, & primitias, ideirco infame, & penuria maledicti estis.* Sed hæc maledictio Iudæis à Deo inferri nequiret, si ex præcepto ad decimas, & primitias non tenerentur; nec ab Ecclesia prædicta D. Hieronymi verba in dicto cap. ponerentur, nisi vellet, fideles ad eas obligare, eo modo quo Iudæi in lege veteri obligabantur: ergo datur Ecclesiæ præceptum ad decimas, & primitias indistincte obligans. Ita docent omnes Canonistæ in dicto cap. apud Azor lib. 7. cap. 38. quæst. 2. tenent que Suarez tom. 1. de Religione, lib. 1. cap. 8. num. 14. Villalobos tom. 2. tract. 33. diffic. 5. num. 2. Palaus tom. 2. tract. 10. disp. vnica, punct. 16. num. 2. Læsius lib. 2. cap. 39. dubit. 6. num. 31. Fagundez lib. 4. de Primitijs, cap. 1. num. 2. Trullench lib. 3. Decal. cap. 3. dub. 12. num. 3. nec dissentit Barbosa loco alleg. num. 6. & cap. 26. num. 13. & alij apud relatos. Sed licet hæc ita sint, tamen dictum præceptum fere nullibi observatur, vt notant allegati Doctores. Cæterum, vbi fuerit in vsu, sub mortali obligat, non solum quo ad quantitatem, sed etiam quo ad personas, quibus primitiæ solvendæ sunt, & locum, vbi tribui, seu reponi debent, vt tenent Barbosa cap. 25. num. 6. Trullench num. 4. Palaus num. 2. & alij locis supra relatis.

Quantitas in primitijs non est de præcepto.

5 Notandum vero est, quod licet Ezech. 45. designetur quantitas, quæ in primitijs solvi debeatur à Iudæis, his verbis vers. 13. *Hæ sunt primitiæ, quas tolletis; sextam partem Ephi de coro frumenti, & sextam partem Ephi de coro hordei: Mensura quoque olei, batus olei, dicima pars cori est, & decem bati corum faciunt, quia decem bati implent corum, & arietem vnum degrege ducentorum. Omnis populus tenebitur primitijs his.* Et similiter, licet D. Hieronymus relatus in cap. *Decimam, de decimis*, asserat, quod Iudæi, qui plurimum de primitijs frugum solvevant, quadrageſimam partem Sacerdotibus dabant; qui mi-

minimum, sexagesimam; & sic inter quadragesimam, & sexagesimam, licebat offerre, quæcumque voluissent: quare ex Iure Canonico sic etiam fieri debere, tenet Hostiensis in dict. cap. *Decimam*. At, vt ipse D. Hieronym. fatetur, hoc non erat definitio legis, aut iuris, sed tantum Magistrorum traditio: Quapropter quota primitiarum non est aliquo iure nunc sancita; sed id arbitrio offerentis relinquitur. Vnde consuetudi loci standum est. Sed si hæc non constat, ad vicinarum Ecclesiarum consuetudines reccurrendum est; quæ si variæ sunt, vt ait Torre num. 6. mitior eligenda est, vt colligitur ex *lege 3. ff. de legatis*; vel illa, quæ magis ad mediocritatem tendit. Videantur Auctores supra allegati, & Abulens. in cap. 23. Matth. quæst. 220. Fagundez num. 4. Azor quæst. 4. Læsius lib. 2. cap. 39. dub. 6. Trullench dub. 12. num. 4. Palaus punct. 16. num. 2. & alij.

Qualiter, & ex quibus rebus primitiæ solvendæ sunt?

6 Notandum deinde est contra Azor quæst. 3. quod licet à Parrocho primitiæ non petantur, tenentur eas solvere fideles, vbi adest consuetudo eas solvendi. Et ratio est: quia iura relata eodem modo loquuntur de primitijs, ac de decimis; sed decimas tenentur fideles solvere, & si non petantur; tum: quia id clare colligitur ex cap. *Cum homines, de Decimis*. Tum: quia & si non petantur, quilibet tenetur reddere, quod suum non est. Tum denique: quia sic tenent communiter Doctores apud Palaum punct. 8. num. 4. Trullench cap. 3. citato, dub. 4. num. 4. & Barbosa in cap. *Cum homines*, num. 8. Ergo idem dicendum est de primitijs. ¶ Præterea notandum est: quod licet ex Iure Canonico Parrochis primitiæ debeantur, vt ex pluribus Doctoribus, & ex Rota decis. 192. & 261. probat Barbosa lib. 3. de Iure Ecclesiast. cap. 25. num. 8. & 9. quia sunt onus prædiale, non personale, & ideo solvi debent Parrochiæ, in qua prædia sunt; tamen maiori ex parte applicatæ sunt Sacristijs, aut Ecclesiarum fabricis, vt ait Torre quæst. 86. art. 4. in fine. ¶ Vltimò notant Trullench num. 5. Fagundez num. 6. & Leander tr. 6. disp. 9. q. 15. primitias solvi debere ex Iure Canonico ex omnibus illis fructibus, ex quibus debentur decimæ; nisi consuedo sit in contrarium, cui omnino standum est; sicut circa personas, quæ eas solvere debent.

PUNCT. III.

De Oblationibus.

Quid, & quotuplex sit oblatio?

7 LIcet oblatio generaliter sumpta significet actum, per quem alicui aliquid offertur, at si determinate ad Deum referatur, aliquid in eius cultum offerendo, tunc etiam est commune eius nomen ad sacrificium, decimas, primitias, & alias vltroneas oblationes. Nam vt ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 86. art. 1. Si aliquid exhibeatur in divinum cultum, quasi in aliquod sacrum, quod inde fieri debet, consumendum, tunc & oblatio est, & sacrificium iuxta illud Exod. 29. *Offerens totum arietem in incensum super altare. Oblatio est Domino odor suavissimus victimæ.* Si vero sic exhibeatur, vt integrum maneat divino cultui deputandum; vel in vsum ministrorum expendendum, erit oblatio, & non sacrificium; & sub hac oblatione comprehenduntur, tam decimæ, & primitiæ iuxta illud Deuter. 12. vers. 6. *Et offeretis in loco illo::: decimas, & primitias manuum vestrarum*; quam aliæ oblationes, quæ Deo à fidelibus libere offeruntur: iuxta illud Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare*: & de hac oblatione loquimur in præsenti, & communiter diffiniri solet per hoc, quod sit *donatio quædam rerum mobilium, aut immobilium facta Deo, Ecclesiæ, aut eius ministris.* ¶ Hæc ergo oblatio in tres dividitur species. Prima dicitur donatio Deo, vel Ecclesiæ inter vivos facta. Secunda est donatio causa mortis, quæ fit pro animæ redemptione, & solet appellari mortuarium. Cap. *Indigne*, 12. *quæst.* 2. Tertio dicitur vsualis, & est illa, quam exhibent fideles, dum ad altare, vel ad Sacerdotis manus quotidie offerunt. Cap. *Causa*, & cap. *Cum inter*, *de verborum significat.* Ex quibus constat, quod dictæ oblationes differunt primo à sacrificio; quia sui mutationem non requirunt. Secundo differunt à decimis, & primitijs; quia istæ ex se obligatoriæ sunt, & annuales; illæ vero ex se sunt vltroneæ, & vsuales. Hæc communia sunt inter Doctores.

Sunt, qui asserant, dari præceptum Ecclesiasticum de oblationibus.

8 Et solum dubitant: An de his oblationibus sit in Iure Ecclesiastico aliquod præceptum? Diximus in *Iure Ecclesiastico*, nam in lege veteri stetisse præceptum de oblationibus faciendis, nulli sacras scripturas ebolventi dubitare licet. Nam Exod. 23. v. 15. Postquam præcepit Deus singulis annis Pascha, Pentecostem, & festum Tabernaculorum celebrari, subdit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*: Ergo datur tale præceptum in lege veteri. Sic etiam docent communiter Doctores, maxime Suarez tom. 1. de Relig. 2. part. lib. 1. cap. 4. num. 1. & Torre 2. 2. quæst. 86. art. 1. disp. 2. num. 1. ¶ Vnde difficultas tantum est de præcepto Ecclesiastico. Et pro parte affirmativa stare videtur primo D. Ambros. Serm. 58. de Ascensione. Vbi de viro probo ait: *Quando ad Ecclesiam venit, oblationem, quæ altari debetur, exhibet.* Ergo, &c. ¶ Secundo: nam cap. *Præter hæc*, *dist.* 32. dicitur: *Oblationes Ecclesiæ Dei fideliter reddantur à laicis, alias à Sancta Ecclesiæ communione separentur.* Et cap. *Antiquos*, quæst. 10. ex Concilio Aureliano 16. & 17. & tribus capitulis eiusdem quæstionis indicitur anathema laicis, qui Ecclesiæ oblationes vsurpant. Et denique Gregorius VII. in cap. *Omnis Christianus*, *de consecratione*, *dist.* 1. inquit: *Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre, & ad memoriam reducere, quod Dominus per Moysem ait. Non apparebis in conspectu meo vacuus*: Ergo ex Iure Canonico constat, quod datur Ecclesiæ præceptum de oblationibus offerendis Deo, & Ecclesis. Pro hoc dicendi modo referunt aliqui Glossam in cap. *Omnis*

Christianus & in cap. *Statuimus* 16. *quæst.* 1. & Host. *in Rubric. de Parrochis*, & in Sum. *de Parroch. §. in quibus.* Et idem tenent alij, quos supresso nomine allegat Azor. lib. 7. cap. 27. quæst. 11.

Probabilius est oppositum.

9 Sed contrarium probabilius est, primò: Nam sic docet D. Thomas 2. 2. quæst. 86. art. 1. his verbis: *Huiusmodi ergo oblationes de sui ratione habent, quod voluntarie offerantur secundum illud Exod. 25. Ab homine, qui offert vltroneus, accipietis eas*: ergo non cadunt sub præcepto. ¶ Secundò: quia observatio præceptorum cæremonialium veteris legis in lege gratiæ iam mortifera est; sed præceptum de oblationibus erat cæremoniale in veteri lege: ergo nunc licite sub hoc titulo nec præcipi, nec observari potest. ¶ Tertiò: quia non solum in sacris Canonibus nullum extat præceptum de oblationibus vsualibus, pro vt distinguitur à decimis, & primitijs, verum etiam adest textus omnino contrarius; nam Concilium Cabilonense sub Carolo magno, has oblationes esse omnino spontaneas, his verbis decrevit cap. 6. *Animarum salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, nec circunveniendi: Oblatio enim spontanea esse debet, iuxta id quod ait scriptura, voluntarie sacrificabo tibi, ergo, &c.* D. Thomam sequuntur Torre ibi. Caiet. & alij Thomistæ. Tenent etiam Sylvest. verbo *Oblatio*, & alij Summistæ. Nec non Suarez tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 1. num. 2. Sotus lib. 9. de Iustitia, quæst. 3. art. 1. conclus. 1. & 2. Azor loco citato Covarrub. lib. 1. variar. cap. 17. num. 3. Palaus tom. 2. tract. 10. punct. 17. num. 2. Barbosa lib. 3. de iure Eccles. cap. 23. num. 9. Trullenc. lib. 3. Decalogi, cap. 13. num. 2. Fagundez de 5. præcepto, lib. 4. cap. 1. num. 6. & 14. Læsius lib. 2. cap. 39. numer. 34. & alij.

Ex doctrina D. Thomæ rationes cõtrariæ diluũtur.

10 Notant tamen primò omnes Doctores citati cum D. Thoma, quod licet dictæ oblationes ex se vltroneæ sint, sub nulloque de facto præcepto Ecclesiastico sint, seu cadant; at potest contingere, quod quis ad eas quadruplici ratione teneatur. *Primò ex præcedenti conventione; sicut cum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem census.* ¶ *Secundo propter præcedentem promissionem; sicut cum aliquis offert donatione inter vivos, vel cum relinquit in testamento Ecclesiæ aliquam rem mobilem, vel immobilem in posterum solvendam.* ¶ *Tertiò modo propter Ecclesiæ necessitatem, puta, si ministri Ecclesiæ, non haberent, vnde sustentarentur.* ¶ *Quartò propter consuetudinem; tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas. Tamen in his duobus vltimis casibus remanet oblatio quodam modo voluntaria, scilicet quantum ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ.* Hucusque Ang. Doctor loco citato. Ex quibus patet ad rationes dubitandi numero antecedenti positas.

11 Nam ad primam dicimus: quod D. Ambrosius loquitur de his oblationibus, quæ aliquo ex prædictis titulis debentur. ¶ Deinde ad omnes textus iuris canonici allegatos similiter etiam respondetur; quia predicta iura tantum docent, quod oblationes, quæ vel ratione conventionis, promissionis, consuetudinis, aut ministrorum indigentiæ debentur, solvantur Ecclesis, vel Clericis, nec debent à laicis iniuste vsurpari.

Si Parrochiani decimas solvant, non sunt cogendi ad novas oblationes ob Parrochi paupertatẽ.

12 Notant secundò circa tertiam rationem obligandi, scilicet ob *necessitatem ministrorum*, quod tunc fideles ad oblationes obligantur, si necessitas oriatur, quia Parrochiani non soluunt decimas, & primitias sufficientes, vt tam Episcopus, quàm Parrochus decenter sustententur; nam si eas cum debita proportione soluunt, & Parrochus non habet decentem, & congruam sustentationem; quia decimæ, & primitiæ ad alios vsus applicatæ, vel in plura beneficia, aut præstimonia divisæ sunt, &c. Tunc in his, & similibus casibus ad eas cogi non possunt, nec solvere tenentur ex prædicto titulo, cum ex Superiorum culpa hæc necessitas dimanet. Sic Suarez num. 7. & 8. Barbosa num. 11. Palaus numer. 2. & alij. Nec similiter ad oblationes tenentur, quando Parrochiani adeò pauperes sunt, vt non habeant, vnde eas, vltra decimas, & primitias solvant; tunc enim Parrochus, ne Parrochianis onerosus existat, vel debet se alere, curare, manibus, aut aliqua arte non indecenti, iuxta cap. *Clericus victum cum sequentibus d. 91. & Trident. sess. 21. cap. 7. & 8. de reformat. & sess. 24. cap. 13. de reformat.* Vel adeat Episcopum, qui providere debet, vnde Ecclesiæ, & eius ministrorum necessitati subveniatur, aut ex proprijs redditibus, vt ait Hostiensis in cap. *Episcop. Eccles. &c. Præcipimus* 12. *quæst.* 1. vel si his commode non potest, S. Ponticem consulat, qui de remedio tali Ecclesiæ provideat.

Sententia asserens, consuetudinem exhibendi oblationes non obligare in conscientia.

13 Circa quartam rationem, scilicet consuetudinem, ob quam ait D. Thomas, posse contingere, vt quis ad oblationes teneatur, est gravis controversia inter Doctores Thæologos, & Canonistas, an consuetudo offerendi certis diebus in Ecclesis aliquarum rerum oblationes, obliget in conscientia; ita vt sine aliquo peccato eas omittere fideles non possint? Prima sententia est negativa, probari que potest primò authoritate D. Thomæ 2. 2. quæst. 186. art. 1. num. 6. allegata, vbi docet has oblationes ex sui ratione esse voluntarias: ergo non videtur posse consuetudine fieri obligatorias. ¶ Secundò ex Concilio Cavilonensi, cap. 6. dicente: *Fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, nec circunveniendi: Oblatio nanque spontanea esse debet iuxta id, quod ait scriptura. Voluntarie sacrificabo tibi.* Ergo nunquam per consuetudinem potest oblatio in conscientia obligare. ¶ Tertio ex cap. *Suam*, & cap. *Cum in Ecclesiæ de Simonia.* Et alijs iuris canonici textibus, vbi dicitur, oblationes populi debere esse spontaneas, & ad eas persolvendas minime esse fideles cogen-

gendos, non obstante quacunque consuetudine, quæ corruptela, ibi potius, quam consuetudo appellatur. ¶ Quartò: Nam fideles absque vllo scrupulo conscientiæ has oblationes omittunt: ergo quia talis consuetudo vim legis non habet. ¶ Quintò: Consuetudo, quæ introducta est ex sola devotione, aut pietate non inducit obligationem in conscientia, nec vim legis habet, vt diximus tract. 11. cap. 6. punct. 3. §. 4. à num. 28. sed consuetudo offerendi vsuales oblationes in Ecclesijs certis anni diebus introducta est ex devotione, & pietate, vt adversarij ipsi fatentur: ergo & si per multum tempus sit continuata obligare non potest in conscientia. Ita Innoc. in cap. *Ad Apostolicam, de Simonia*, Angelus verb. *Oblatio*, num. 1. Rosella eodem verbo. Sotus lib. 9. de Iustitia, quæst. 6. art. 1. Palaus tract. 10. disp. vnica, punct. 17. num. 4. affirmans contrariam solum esse probabiliorem ab auctoritate Doctorum, non vero à principio intrinseco. Villalobos 2. part. tract. 33. diffic. 5. num. 3. Torre quæst. 86. art. 1. disp. 3. num. 6.

Secũda sententia docens, dictam consuetudinẽ esse obligatoriam.

14 Secunda sententia est affirmativa, quam suadere primò videtur Angelic. Doctor 2. 2. quæst. 86. art. 1. vbi postquam ait, quadruplici ratione posse homines ad oblationes teneri, sic inquit: *Quarto propter consuetudinem: tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas. Tamen in his duobus vltimis casibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, scilicet quantũ ad quantitatem, vel speciei rei oblatæ:* Ergo prædictæ consuetæ oblationes in genere obligant in conscientia. ¶ Secundò: nam in cap. *Ad Apostolicam audientiam, de Simonia* postquam refert, quod quidam laici laudabilem consuetudinem erga Sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium introductam ex fermento hæretici pravitatis nituntur infringere sub prætextu canonicæ pietatis, addit: *Sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare*; sed non posset Episcopus fideles prædictos compescere, nisi consuetudo offerendi in conscientia obligaret: ergo, &c. Deinde in dicto *cap.* postquam ait, quosdam Clericos pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus pecuniam exigere, & extorquere. Sic decidit: *Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari.* Ergo pia consuetudo oblationes offerendi sub culpa obligat. Sic Hostiensis, & Panormitanus ad cap. *Apostolicam*, Sylvest. verb. *Decimas*, quæst. 2. Covarrub. lib. 1. Variar. cap. 17. num. 3. Gutierrez Canon. lib. 1. cap. 21. num. 144. & Suarez tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 5. num. 12. appellans hanc sententiam communem.

Propria més aperitur.

15 Nihilominus ad hanc gravissimam quæstionem dicendum est; quod si fideles, licet ab initio sponte offerrent eas oblationes, postea vero, putantes eam consuetudinem esse obligatoriam, illam continuarunt, & tempus ad præscriptionem necessarium transivit; tenentur ad eas solvendas. Et ratio huius primæ partis est: quia tunc videntur, interpretative velle, talem obligationem super se inducere, tenaciter talem consuetudinem observando: & consequenter possunt, per Superiorem ad eam observandum cogi. Sic Barbosa lib. 3. de Iure Eccles. cap. 23. num. 11. referens Navar. cap. 13. num. 19. Azor lib. 7. cap. 7. quæst. 11. tenent que expresse Læsius lib. 2. cap. 39. dub. 6. num. 34. & Torre 2. 2. quæst. 86. art. 1. disp. 3. num. 5. Et absque dubio in hoc sensu loquutus est D. Thomas loco allegato. ¶ Si vero certo, aut verosimiliter constat, oblationes, certis diebus à fidelibus fieri solitas, esse introductas ex mera liberalitate, aut devotione, & ex eadem esse continuatas, ad eas minime in conscientia fideles tenentur, nec à Prælatis cogi possunt, & si per multa annorum curricula ea consuetudo offerendi observata fuerit. Et suadetur hæc assertio

Probatur conclusio.

16 Primò: quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, qui eos exequuntur: ergo qui nunquam operatur intentione se obligandi, sed ex sola pietate, aut devotione, etiam si per multos annos id faciat, non obligabitur; sicut nec obligatur ad elargiendam eleemosynam, qui quotidie pauperibus eam certo tempore elargitur. ¶ Secundò: quia, vt diximus tr. 11. cap. 6. punct. 3. §. 4. vt consuetudo vim legis habeat, requiritur animus obligandi in Legislatore, seu consuetudinem introducente; sed populus est Legislator, seu introducens consuetudinem: ergo si hic in oblationibus vsualibus non habet animum se obligandi, sed solum eas ex devotione offerendi, non tenebitur in conscientia ad eas solvendas. ¶ Tertiò ostendi potest rationibus pro prima sententia allegatis. Ita Torre 2. 2. quæst. 86. art. 1. disp. 3. num. 6. referens Anton. de Butrio in cap. *Ad Apostolicam*, & Innoc. ibidem. Sotus lib. 9. de Iustitia, quæst. 6. art. 1. & Azor lib. 5. Inst. Moral. cap. 18. non quæst. 4. sed quæst. 5. vbi ex Sylvestro, & alijs probat varijs rationibus, & exemplis consuetudinem sponte, liberaliter, & ex devotione introductam non ligare in conscientia; nec dissentit lib. 7. cap. 38. quæst. 11. cum tantum dicat, eas deberi, quando Parrochiæ Rector non habet vnde sustentetur, & quæst. 12. expresse hanc assertionem tenet. Et idem docent Læsius lib. 2. cap. 39. dub. 6. num. 34. Leander tract. 6. disp. 10. quæst. 8. Trullench lib. 3. Decal. cap. 3. dub. 13. num. 4. & alij. ¶ Vnde restat motivis secundæ sententiæ satisfacere.

Argumentis secũdæ sententiæ respondetur.

17 Ad auctoritatem D. Thomæ respondetur: ibi loqui quando offerendi consuetudo explicite, vel implicite est introducta animo se obligandi. ¶ Ad textum in cap. *Ad Apostolicam*, dicimus primò: quod laudabilis consuetudo, quam ibi dicitur, laicos infringere niti, non est consuetudo oblationes offerendi, sed vt explicat Glossa, est vel exigendi aliquid pro exequijs mortuorum, aut Sacramentis ministrandis; vel permittendi eis ex Ecclesiæ benignitate, vt præsentent Clericum, & ipsi volebant illum instituere; vel cum ipsi requiruntur, vt consentiant, ipsi volunt eli-

ge-

gere; & de hac consuetudine ordinat, vt possit Episcopus cogere fideles ad illam observandam, non vero obligare ad spontaneam consuetudinem oblationes faciendi. ¶ Secundò cum Innocentio, Palao, Torre, & alijs respondetur: in dicto capite solum præcipi observari pias consuetudines eo modo, quo introductæ sunt; hoc est sine culpa; quæ introductæ sunt ex devotione; cum peccato; quæ vsu in obligatorias transierunt, & sic acceptatæ sunt.

Oblationes ad altare factæ ad Parrochum atinent.

18 Rogabis deinde: Ad quos expectent oblationes, quæ ad altare fiunt in Ecclesia? Respondetur expectare ad Parrochum Ecclesiæ. Et ratio est: quia solus Parrochus tenetur fidelibus sacramenta ministrare: ergo ei ex iure oblationes debentur. Sic etiam decidit in cap. *Quia Sacerdotes*, 13. cap. *Sanctorum*, 14. 10. *quæst.* 1. & leg. *Regia Castellæ*, *tit.* 19. *part.* 1. Tenent que Torre 2.2. quæst. 86. art. 2. disp. 1. Trullench lib. 3. Decal. cap. 3. dub. 3. à num. 6. Fagundez in 5. præcept. lib. 4. cap. 2. num. 1. & alij plurimi apud Barbosam lib. de Iure Ecclesiast. Vniverso, cap. 23. num. 5. & favet D. Thomas 2. 2. quæst. 86. art. 2.

Quædam illationes.

19 Vnde sequitur primò: quod oblationes factæ in Ecclesijs ordinum militantium pertinent ad Rectores, & non ad Commendatarios. Barbosa num. 8. alios referens. Secundò sequitur: quod oblationes factæ in Ecclesia Cathedrali pertinent ad Archipresbyterum, seu Parrochum, non vero ad Episcopum. Barbosa num. 27. Trullench num. 6. Leander quæst. 9. ¶ Tertiò sequitur: quod oblationes, quæ fiunt sacris Imaginibus, quæ sitæ sunt in Parrochiam in aliquo sacello Parrocho debentur; quia Parrochus habet fundatam intentionem super omnibus oventionibus contingentibus intra limites suæ Parrochiæ. Sic Azor 1. part. Inst. lib. 7. cap. 38. quæst. 13. Trullench num. 7. Barbosa num. 29. cum alijs plurimis contra aliquos, qui Episcopis deberi asserunt. Qui bene addunt: etiam Parrocho deberi oblationes, factas Imagini existenti, seu depictæ in pariete domus alicuius particularis intra limites Parrochiæ existentis, per quam Dominus dignatus est, facere miracula; sed limitat Barbosa, nisi offerens eas obtulisset contemplatione domini domus, puta, si talis esset pauper, vel offerens sciret, dominum domus ex consuetudine convertere oblationes in proprias necessitates, vel pios vsus; addit que præterea, non obstare contra hoc cap. *Hanc consuetudinem*, 11. *quæst.* 1. quia loquitur de oblatis in Ecclesia, & non in loco profano. ¶ Sed hoc non admittit Trullench num. 8. Tum: quia id nequit concedere Episcopus domino domus, vt tenent Inn. & Fuscus: Tum: quia Riccius in Praxi, decis. 102. ait: id decissum esse in vna Calagurritana. Et insuper addit, quod si in imagine depicta domi alicuius particularis; fiant magna miracula, vt accidit Romæ anno 1580. & alias ibi fiant extraordinariæ oblationes à maximo concursu populi ibi concurrente, tunc tales oblationes non ad Rectorem, sed ad fabricam Ecclesiæ construendæ, vel constructæ videntur pertinere, nec potest Episcopus imaginem ex vna Capella, seu Ecclesia ad aliam transferre, Rectore contradicente, quia sic decissum est in vna Hispalensi *translat. Imaginis* anno 1598. Martij apud Riccium loco cit. num. 4.

Oblationes Capellæ factæ debentur Parrocho non Capellano.

20 Sequitur quartò: quod oblationes factæ alicui Capellæ in Ecclesia existenti, deberi Parrocho, non vero Capellano, etiam si in dicta Capella erecta essent distincta beneficia; quia ius vniversale habet Parrochus intra limites suæ Parrochiæ, & sicut ad eum pertinet sacramenta conferre, ita & preces, atque oblationes populi Deo exhibere, & qui altari servit de altari participare debet. Sic Barbosa cum alijs à num. 22. ad 26. Sed hæc assertio, & præcedentes sequentem exceptionem admittunt, v. g. nisi quando ex offerentium voluntate ad alios pios vsus, scilicet pro Missis, fabrica, Imaginis, & altaris ornatu dictæ oblationes præstantur; tunc enim in vsum à largientibus destinatum à Parrocho erogari debent; vt docent Riccius decis. 170. Marescot. Variar. Resol. lib. 2. cap. 42. n. 1. Barbosa num. 30. & alij communiter. Dixi à Parrocho, quia ad ipsum tantum expectat, dictas oblationes distribuere. Vt docent Abbas in cap. *Postulastis*, num. 2. & Ferret consil. 143. num. 4. nisi aliter consuetudo obtinuerit. Riccius decis. 170. Sotus de Iust. lib. 2. quæst. 3. art. 2. & alij.

Sententia docens, Monachos non valere recipere oblationes.

21 Rogabis vlterius: An oblationes vsuales, quæ fiunt in Religiosorom Monasterijs, ad Parrochum pertineant? Affirmat Trullench lib. 3. Decal. cap. 3. dub. 13. num. 9. dicens eas de iure communi ad Parrochos pertinere; & id confirmat ex Praxi Archiepisc. Valent. vbi domus Religiosorum ex conventione cum Parrochis, quotannis certam quantitatem ratione vsualium oblationum solvunt Parrochis, intra quorum Parrochias Monasteria sita sunt. Sed hanc resolutionem limitat, nisi Pontificis privilegio Religiosis attributæ sint, & nisi contra Ecclesiarum Rectores Religiosi præscripserint: & eodem modo loquitur Azor 1. part. Instit. lib. 7. cap. 38. q. 13.

Monachi valent recipere oblationes vsuales.

22 Sed his non obstantibus, omnino tenendum est, oblationes vsuales factas in Regularium Ecclesijs, ad ipsos, & non ad Parrochum pertinere. Quod constat primò, ex cap. 1. *de statu Monachor.* vbi loquendo de Monasterijs ad Archiepiscopum Neapolis, ait: *Si quid illic pro divorsorum devotione accesserit, vobis vendicare æstimetis. Cum Monachis ibi servientibus, debeat proficere, quid quid à fidelibus taliter offerri contingit.* Idem habetur in cap. *Nimis iniqua*, de excessibus Prælatorum. Et ibi Glossa, Riccius in decis. Curiæ Neapolt. part. 4. decis. 170. Secundò Bonifacius IX. vt refert Torre 2. 2. quæst. 86. art. 2. disp. 1. num. 5. concessit fratribus Prædicatorum, vt possint recipere oblationes ad altaria facta in suis Ecclesijs, & sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibuit Parrochis, ne illis eas impedirent. Et idem concessit Cistercienfibus Bonifacius VIII. Bull. 9. vt testatur Ioannes à Cruce de statu Religioso, lib. 2. cap. 9. num. 4. ¶ Tertiò: quia

quia vt refert Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum, collect. 530. num. 3. S. R. Congregatio 15. Septembris 1629. decrevit, posse Regulares recipere oblationes, quæ inter missarum solemnia fiunt à Sæcularibus; posse etiam ad hoc se vertere ad populum, & generalem confessionem pro eo facere, sistendo in medio altaris, non autem ab illo discedendo, & Ecclesiam circumeundo: ergo, &c.

Probatur deinde assumptum.

23 Quartò ostenditur conclusio his expressis Angelici Doctoris verbis 2.2. quæst. 86. art. 2. ad 2. *Dicendum, quod Monachi, sive alij Religiosi possunt oblationes recipere tripliciter: Vno modo sicut pauperes per dispensationem Sacerdotis, vel ordinationem Ecclesiæ. Alio modo si sint ministri altaris; & tunc possunt accipere oblationes sponte oblatas. Tertio modo, si Parrochiæ sint eorum, & tunc ex debito possunt accipere oblationes tanquam Ecclesiæ Rectores.* Ergo ex mente D. Thomæ Religiosi, vel ex dispensatione Ecclesiæ, aut quando sunt altaris ministri, recipere valent oblationes vsuales sponte oblatas. ¶ Et ex his constat ad motivum contrarium; vnde conventio illa quæ est inter Religiosos, & Parrochos Valentiæ est nulla, & violenta contra Regularium privilegia. Ita docent Abb. in cap. 1. de statu Monach. & alij Canonistæ apud Barbosam ibi, & loco supra allegato. Tenent etiam Torre 2. 2. quæst. 86. art. 2. disp. 1. num. 5. Suarez tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 7. num. 4. N. Lezana tom. 2. qq. Regularium, verb. *Oblatio*, num. 2. Etiam in mari magno Carmelit. tom. 3. num. 464. pag. 268. Ioannes à Cruce de statu Monachor. lib. 2. cap. 9. concluf. 4. & N. Antonius in Direct. Regul. part. 1. tract. 2. disp. 3. sect. 6. num. 181. addens cum Lezana, quod debentur etiam Regularibus oblationes ipsis factæ inter missarum solemnia, vbicumque celebrent.

Oblationes factæ Imaginibus existentibus in Monasterijs, Religiosis cedent.

24 Ex quibus bene infert N. Lezana verb. *Oblatio*, num. 3. & 4. quod oblationes factæ, tam Imaginibus, quàm Capellijs, in quibus est fundata aliqua confraternitas, existentibus in Monasterijs Regularium, ad ipsos Regulares, & non ad Episcopum, seu Parrochum pertinere: cum Religiosi sint vere in suis Ecclesijs Rectores, seu Parrochi. Quæ resolutio est conformior Iuri Canonico in cap. *Pastoralis, de his, quæ fiunt*, & cap. *Dilectus, de officio Ordinarij*, & alijs locis. Docentque Bordonius resol. 7. num. 106. Riccius part. 4. collect. 99. num. 1113. Et idem dicendum est, quando in Ecclesijs Regularium Episcopus celebrat, tunc enim vt docent N. Antonius, Rodriguez tom. 3. qq. Regul. quæst. 20. art. 1. oblationes non ad Episcopum, sed ad Religiosos pertinent. Quia licet in *Clement. Archiepiscopo, de Privilegijs*, permittatur Episcopis in Ecclesijs Regularium celebrare, tamen nihil de oblationibus disponitur, vnde iuri communi standum est, iuxta illud axioma, quod *omissum remaneat in dispositione iuris communis*. Leg. *Commodissima, ff. de libert. & potest.* Et non est dubium, quod ex dispositione iuris, oblationes communes ad Regulares pertinent, quando in eorum Ecclesijs fiunt. Quapropter infert etiam Ioannes à Cruce supra relatus, licite posse Regulares, accipere candelas, quæ à mulieribus puerperos Domino præsentantibus offeruntur.

Potest licite introduci consuetudo tribuëdi candelas laicis.

25 Deinde hic rogari solet: An introduci possint consuetudo, vt aliquo die, v. g. Purificationis festo, Clerici tribuant laicis cereos albos, aut quid simile? Negant Sylvester verb. *Decima*, num. 7. & Gutierrez referens Menochium lib. 2. qq. Canonic. cap. 21. num. 156. quia per hanc consuetudinem Ecclesia laicis subijci videtur: ergo nequit rationabiliter introduci. ¶ Sed probabilius affirmant Feder. Senens. cons. 155. Rosell. verb. *Decima*, Lopez in lib. 15. tit. 17. part. 1. Palaus tom. 2. tract. 10. punct. 17. num. 6. Trullench lib. 3. in Decal. cap. 3. dub. 13. num. 10. Barbosa de Iure Eccles. Vniverso, lib. 3. cap. 23. num. 6. & 7. Riccius in Praxi, part. 4. resol. 265. num. 5. Et ratio est: quia dicta dona non dantur à Clericis per modum tributi laicis debiti, sed per modum donationis liberalis ad excitandos fideles ad devotionem; vnde, vt optime ait Suarez, non se ostendit Ecclesia, vt illis subdita; sed vt mater, amorem in filios his munusculis ostendens: ergo rationabilis est talis consuetudo, minime que immunitati Ecclesiæ contraria. Vnde Barbosa, & Riccius docent hanc consuetudinem in tota vigere Italia: & addit insuper Barbosa, quod cabere debet Parrochus, ne candelas benedictas ad ædes sæcularium transmittat, sed in Ecclesia populus eas recipere tenetur, prout decissum fuit à S. Congregat. negotijs Episcop. & Regular. præposita anno 1581. in vna Foglinen. Licet, vt ait N. Lezana verb. *Oblatio*, num. 9. *Oppositum videam, hic Romæ esse in vsu, & dixi supra verbo benedictio.*

Qui oblationes facere ad altare, prohibeantur?

26 Rogabis vlterius: Qui prohibeantur, oblationes voluntarias ad altare, seu missæ offertorium facere? Respondetur, quod prohibentur primò fratres diffidentes cap. *Oblationes, dist.* 90. ¶ Secundò homines raptores cap. *Super de raptoribus.* ¶ Tertiò vsurarij cap. *Quia in omnibus, de vsuris.* ¶ Quartò pauperes opprimentes cap. *Oblationes, dist.* 90. ¶ Quintò sacrilegij cap. *de Viro*, 12. quæst. 2. ¶ Sextò extrahentes servos ab Ecclesia, ad quam confugerant, cap. *Miror.* 17. quæst. 3. ¶ Septimò meretrices, argumento *ex Authent. de Lenonibus*, in principio. ¶ Octavò pœnitentes, cap. *Eos, de consecratione, dist.* 4. ¶ Nonò matricida, cap. *Laforem, 33. quæst.* 2. ¶ Notant tamen & bene Azor quæst. 17. Suarez cap. 6. num. 9. & alij, prædictas prohibitiones intelligendas esse, quando sunt prædicti publici peccatores, & emendari nolunt.

De pœnis contra oblationes non solvëtes, aut vsurpantes, vel admittëtes ad oblationes, quos ius canonicum prohibet.

27 Rogabis vltimò: Quæ pœnæ sint impositæ eis, qui debitas oblationes non solvunt? Respondetur ex Azor 1. part. Instit. lib. 7. cap. 38. quæst. 16. Suarez de Religione, tom. 1. tract. 2. lib. 1. cap. 5. num. 25. Palao tom. 2. tract. 10. disp. vnica, punct. 17. num. 7. quod circa oblationes debitas ex consuetudine nulla est in iure imposita pœna, sed Episcopi arbitrio relinquitur in cap. *Ad Apostoli-*

licam, de Simonia. Circa alias vero oblationes, diversa sunt in iure decreta. Nam in cap. *Qui oblationes*, 13. quæst. 11. sic habetur: *Qui vero oblationes defunctorum, aut negant Ecclesijs, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.* Et in cap. *Clerici, eadem causa, & quæstione*, statuitur, quod Clerici, vel Sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas retinere perstiterint, aut ipsi, quod donaverint Ecclesijs, vel Monasterijs, crediderint auferendum, sicut S. Synodus constituit, velut necatores pauperum, quo vsque reddant, ab Ecclesijs excludantur. ¶ In Concilio vero Tridentino sess. 22. de Reformatione, cap. 11. ipso facto excommunicantur, qui iurisdictiones, bona, census, ac iuria etiam feudualia, & emphiteutica, fructus, & emolumenta, seu quascumque oventiones, quæ in ministrorum Ecclesiæ, & pauperum necessitates converti debent, quacumque arte, seu quæsito colore in proprios vsus convertere, illos que vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab his, quos iure pertinent, percipiantur. Videantur etiam Trullench lib. 3. Decal. cap. 3. dub. 13. num. 12. Fagundez in 5. Eccles. præcept. lib. 4. cap. 2. num. 8. & 9. & alij. ¶ Notat vero hic N. Lezana verb. *Oblatio*, num. 11. quod qui admittunt, ad oblationes vsuales in altari faciendas excommunicatos à Papa, si sint nominatim ab eo denuntiati, incurrere excommunicationem maiorem ex cap. *Significavit*, 18. *de sententia excommunicationis.* Et similiter incurrunt interdictum ab Ecclesiæ ingressu, qui recipiunt ad dictas oblationes inter missarum solemnia excommunicatos excommunicatione maiori, aut interdictos non toleratos. Ex cap. *Episcopo, de privilegijs, in 6.* ¶ Notat etiam ibi num. 12. ex Gavanto, & Naldo in Sum. verb. *Oblatio*, num. 5. quod, dum oblationes prædictæ ad altare fiunt, non patena, sed Imago sacra, aut Crux offerentibus ad osculum præbenda est. Et hæc de hac materia libasse sufficiat. Et quinto Tomo huius nostri Cursus, cætera in sequenti volumine dabimus. Cædant vtinam omnia in laudem, & gloriam Sanctissimæ Triados, Beatissimæ V. Mariæ de MonteCarmelo, & castissimi eius Sponsi D. Ioseph. nec non Prothoparentuum NN. Eliæ, Theresiæ, & D. Ioannis à Cruce, & denique Magistri, ac Præceptoris nostri D. Thomæ Aquinatis. Si quid vero eius doctrinæ dissonum, & Sacrorum Canonum, Conciliorum, seu Pontificum decretis minus conforme in hoc volumine docuimus, libentissime retractamus, & iterum, atque iterum dictum nolumus.

***

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
QUÆ IN HOC VOLUME CONTINENTUR.

Prior numerus Paginam; ſecundus Marginales notas deſignat.

A

ABSTINENTIA.

ABſtinentia à carnibus eſt de eſſentia Ieiunij Eccleſiaſtici, *pag.*575. *num.*9.

Quid ſub nomine abſtinentiæ à carnibus intelligatur? *pag.*577. *num.*13.

Quare abſtinentia à lacticinijs præcipiatur in ieiunijs Quadrageſimæ, *pag* 581.*n.*32.*&* 33.

An hæc abſtinentia obliget ſub mortali? *pag.* 582. *num.*34.

An abſtinentia à lacticinijs ſervanda ſit in Dominicis Quadrageſimæ, *pag.* 582. *à num.* 35. *vſque ad* 37. *incluſivè.*

Ratione Bullæ Cruciatæ Religioſi, & Presbyteri ſæculares valent in Dominicis Quadrageſimæ veſci ovis, & lacticinijs, *pag.* 583. *num.* 38. *&* 39.

Operarij, & officiales, qui labore quotidiano victum quærunt, ſi difficulter poſſunt piſces emere, valent ſine bulla edere in Quadrageſima ova, & lacticinia, *ibid. pag.* 584. *num.* 40.

In ieiunijs Quadrageſimæ non licet vti in notabili quantitate pane biſcoto, *ibid. num.*41.

Quibus diebus ſola abſtinentia à carnibus obliget, *pag.*600. *à num.*100. *& ſeq.*

An qui vovet abſtinere à carnibus ferijs ſextis, ad id teneatur, ſi dicto die Nativitas Chriſti incidat, *pag.*601. *à num.*103. *vſque ad* 105. *incluſivè.*

Quid dicendum de Religioſis ex vi regulæ ad abſtinendum à carnibus obligatis, ſi feria ſexta incidat Nativitas Chriſti? *pag.* 602. *num.* 106.

Quid dicendum ſi Religioſus in dicto caſu ſit Epiſcopus, *pag.*603. *num.* 107.

Vbi obliget abſtinentia à carnibus in Sabbato, *ibid. num.*109. *&* 110.

Accidia.

Quale peccatum ſit accidia, *pag.*284.*num.*8.

Actus.

Actus humanus proprie dicuntur morales, *pag.* 2. *num.* 2.

Non tenemur ſanctificare feſtum per actus charitatis, & contrictionis, *pag.* 482. *à n.* 8. *ad* 13. *& pag.*519. *num.*147.

Nequit omiſsio voluntaria eſſe peccaminoſa ſine actu, *pag.*53. *num.*11.

An actus coexiſtentes omiſsioni peccaminoſæ ab ea vitientur? *pag.*54. *num.* 13.

Qui actus dicantur concommittantes? *ibid. n* 14. *& ſeq.*

An in eodem actu poſsint eſſe plures malitiæ morales ſolo numero diverſæ? *pag.*79. *n.* 58. *cum ſequent.*

Qualem malitiam habeat actus, qui eſt cauſa omiſsionis peccaminoſæ, *pag.* 55. *num.* 18. *cum ſequentib.*

An ſit actus indifferens in inviduo? *pag.* 82. *à num.*73. *ad* 78. *incluſivè.*

Adiuratio.

Quid, & quotuplex ſit adiuratio? *pag.*447. *num.* 1. *&* 2.

Cuius virtutis actus ſit adiuratio? *ibid.num.*3.

Quæ requirantur, vt adiuratio ſit licita? *ibid. num.* 4.

Qui poſsint dœmones adiurare, tam privatim, quàm ſolemniter ex Eccleſiæ poteſtate, *pag.* 448. *num.*5.

Sit ne æqualis hæc poteſtas in omnibus hominibus? *ibid. num.*6.

Puritas conſcientiæ, licet plurimum adiuvet ad dœmones eijciendos, non tamen eſt ſimpliciter neceſſaria, *ibid. num.*7. *&* 8.

Deus à nobis deprecative adiurari poteſt, *pag.* 448. *num.* 9.

An ſola creatura rationalis directe adiurari debeat? *ibid. num.* 10. *vſque ad* 14. *incluſivè.*

De formulis, ſeu exorciſmis, quibus enargumini adiurandi ſunt, *pag.* 450. *num.* 15. *cum ſeq.*

Quæ res ſacræ habent virtutes ad adiurandos dœmones? *pag.*453. *à num.*24. *ad* 27.

In quo loco, & tempore enargumini adiurandi ſunt? *pag.*468. *num.*78.

Liceat ne Monialem enargumenam extra Monaſterium adiurare, *pag.* 468. *num.*79. *&* 80.

Qualiter Larvæ, vulgò, *Duendes*, ſunt adiurandi, & à domibus expellendi? *pag.* 475. *à num.*106. *ad* 108.

Adoratio.

Quid, & quotuplex ſit adoratio religioſa? *pag.* 336. *à num.* 1. *ad* 3. *incluſivè.*

Eſt actus virtutis religionis, *pag.*337. *num.*4.

Datur præceptum Naturale, Divinum, & Eccleſiaſticum adorationis, *pag.ibid.num.*5.

Quando hoc præceptum obligat? *ibid. num.*6.

Adoratio latriæ debetur Deo, Sanctiſsimæ Tri-

nitati, & Christo Domino, in quantum est homo, *pag.* 337. *num.* 7. & 8.
An humanitas Christi, vt à verbo abstracta, sit adoranda adoratione latriæ? *pag.* 338. *num.* 9.
Quando potest humanitas Christi practice adorari hyperduliæ cultu? *ibid. num.* 10. & 11.
Corpus Christi in triduo mortis, & in Eucharistia, latriæ adoratione est colendum, *pag.* 339. *num.* 12.
An absolute, vel conditionate sit adoranda hostia populo publice exposita? *ibid. numer.* 13.
Qua adoratione sit colenda caro, vel sanguis, qui aliquando in hostia miraculose apparet? *ibid. num.* 14. & 15.
Crux, clavi, lancea, corona, & alia instrumenta passionis, quæ Christum immediate tetigerunt, sunt latriæ cultu adoranda, *pag.* 340. *à num.* 16. *ad* 23. *inclusivè.*
Cruces, casu formatæ ex paleis in terra transversim cadentibus, non sunt adorandæ, sed licite conculcari valent, *pag.* 342. *n.* 24.
Qualiter nomina Iesu, & Mariæ sunt adoranda? *Ibid. num.* 25.
Sancti Angeli, vel homines licite adorari valent, *ibid. num.* 26. & 27.
Adoratio Sanctorum est actus duliæ, *pag.* 343. *num.* 28. & 29.
Adoratio vero tribuenda B. V. Mariæ est actus hyperduliæ, *ibid. num.* 30. *ad* 36. *inclusivè.*
Qui dicantur Sancti canonizati, & quis cultus eis deferendus sit? *pag.* 345. *n.* 37. *vsque ad* 39. *inclusivè.*
Quæ adoratio tribuenda sit Sanctis beatificatis? Vide verb. *Beatificatio.*
Hominibus, cum opinione sanctitatis decedentibus, nulla adoratio publica, sed tantum privata exhibenda est, *pag.* 352. *num.* 64. & 65.
Non possunt cum radijs, & splendoribus depingi, nec altaria eis dicare, aut de illis Missam, & officium Canonicum dici, aut in litanijs nominari, *pag.* 353. *num.* 66. *ad* 74.
An eorum reliquiæ possint privatim venerari? *pag.* 354. *num.* 75.
Sit ne licitum eorum cadavera honestiori, & elevatiori loco præ cæteris sepeliri? *pag.* 355. *num.* 77.
An possint fideles in eorum vigilijs ieiunare, & ad eos orare? *pag. ibid. num.* 78.
Post decretum Vrbani VIII. non est omittenda adoratio, & cultus, qui aliquibus hominibus à tempore immemorabili tribuebatur, *ibid. num.* 79. & 80.
Qualiter sacræ imagines sint adorandæ? *pag.* 356. *à num.* 81. *cum sequentib.*
Quid dicendum de imaginibus in visionibus nobis apparentibus? *pag.* 359. *à num.* 94. *vsque ad* 97.
Nomina, & vasa sacra sunt adoranda eadem adoratione, ac prototypus, *pag.* 360. *numer.* 97.
An detur speciale præceptum vtendi sacris imaginibus? *ibid. num.* 98. Vide verb. *Imagines.*
Sanctorum reliquiæ adorandæ sunt eodem cultu, ac earum personæ, *pag.* 361. *num.* 99. *vsque ad* 103.
Quæ certitudo est necessaria in sacris reliquijs ad earum licitam adorationem? *pag.* 362. *à num.* 103. *ad* 106. *inclusivè.*
Vide verb. *Reliquiæ.*

Advertentia.

Quotuplex sit advertenti? *pag.* 85. *num.* 4.
Quæ advertentia malitiæ requiratur ad mortale? *pag.* 85. *à num.* 5. *ad* 9.
Qui in actu habente duplicem malitiam tantum vnicam advertit, vnum peccatum committit, *pag.* 87. *num.* 11.

Aeromantia.

Quid sit aeromantia? *pag.* 381. *num.* 22. *in medio.*

Agasones.

An possint Agasones in die festo onera rhedis, aut mulis deferri? *pag.* 545. *num.* 249.
An liceat agosinibus in die festo iter inchoare? *ibid. num.* 250.
An ob iter incæptum excusentur ab auditione sacri? *ibid. num.* 251.
Decreta Sacræ Congregationis circa agasones, qualiter valeant in die festo merces asportare? *pag.* 554. *num.* 285. & 286.

Agricolæ.

An agricolæ valeant in die festo laborare tempore messis, & vindemiæ? *pag.* 567. *numer.* 336.
Qualiter agricolæ possint sine bulla vesci lacticinijs in Quadragesima, quando facile non habent vnde pisces possint emere? *pag.* 584. *num.* 40.
Agricolæ non tenentur ad ieiunia, *pag.* 610. *num.* 136.

Agnus Dei.

An sit licitum Agnus Dei vendere? *pag.* 365. *num.* 116.
An sit peccatum Agnus Dei immediate contrectare, seu tangere? *ibid. num.* 118.

Aloxia.

Aloxiæ, & similes aquæ ieiunium non solvunt, *pag.* 589. *num.* 57.

Amentes.

Amentium copula non est actus moralis, nec peccatum, & quare? *pag.* 5. *num.* 11.
An peccet qui eos suaderet, aut compelleret, vt se carnaliter coniungant? *pag.* 6. *num.* 13.
An possint carnes in quocumque die ministrari amentibus, *pag.* 587. *num.* 20.

Animæ beatæ, & Purgatorij.

Animæ beatæ, & Patres Limbi possunt pro nobis orare, *pag.* 318. *num.* 47. & 48.
An animæ purgatorij possint à nobis orari? *pag.* 311. *num.* 23. *vsque ad* 29.
Qualiter pro animabus purgatorij sit orandum? *pag.* 323. *à num.* 69. *ad* 72.
Orationes fidelium valde prosunt animabus purgatorij, *pag.* 324. *à num.* 70. *ad* 83. & *pag.* 327. *num.* 84. *cum sequentib.*
Quando à purgatorij pœnis liberabuntur illæ animæ, quæ nullum benefactorem specialem habent? *pag.* 329. *num.* 90. & 91.

Appellatio.

Licita est in die festo appellatio, seu eius prosecutio, *pag.* 560. *num.* 310. *vsque ad* 312. *inclusivè.*

Apostasia.

Quid sit apostasia à fide? *pag.* 181. *num.* 57.
Non differt specie ab hæresi, *ibid. num.* 58.

Aqua benedicta.

Aspersio aquæ benedictæ fugat dœmones, *pag.* 453. *num.* 27.

Ars notoria.

Quæ superstitionis species sit ars notoria? *pag.* 401. *num.* 100.

Articuli fidei.

Quos symboli articulos teneantur fideles explicite credere, & scire? *pag.* 135. *à num.* 36. *ad* 45.
Vide verb. *Fides.*

Astrologia iudiciaria.

Quid sit astrologia iudiciaria, & an licita? *pag.* 384. *num.* 35. & 36.
Quotuplex sit astrologia iudiciaria, *ibid. n.* 36. & 37.
Astrologia prædicens absolute futura ex libero arbitrio pendentia illicita est, *pag.* 385. *à num.* 38. *ad* 43.
An ex astris eventus fortuiti, & futura libera, possint probabiliter, & coniecturaliter prædici? *pag.* 386. *à num.* 44. *ad* 50. *exclusivè.*
Quid de prædictione ex horoscopo nascentis, *pag.* 388. *à num.* 50. *ad* 53. *inclusivè.*
An licite possunt consuli Astrologi ad revelandum delictum occultum? *pag.* 389. *numer.* 54.
An sit superstitiosum, homines, vulgò *Zauries*, ex naturali virtute thesauros occultos, & cadavera videre, *pag.* 390. *num.* 55. & 56.

Attentio.

Quæ attentio requiratur ad audiendam Missam? *pag.* 533. *à num.* 204. *ad* 213.

Atheismus.

Quid sit atheismus? *pag.* 166. *num.* 3.

Ave Maria, seu Salutatio Angeli.

Origo, & excellentia Ave Maria, seu Salutationis Angelicæ, declarantur, *pag.* 333. *à num.* 105. *cum sequentib.*
Vide *Rosarium.*

Augurium.

Quid est augurium? *pag.* 381. *num.* 23.
Qualiter fiat divinatio per auguria? *pag.* 393. *num.* 67.
Ex volatu, & motu avium licitum est effectus naturales divinare, non tamen futura libera prædicere, *ibid. num.* 68. & 69.

Auspicium.

Quæ species adivinationis sit auspicium? *pag.* 384. *num.* 23. *in medio.*

B

BALNEUM.

QUaliter fideles prohibeantur ingredi in balneum cum Iudæis? *pag.* 175. *num.* 32.

Baptismus.

An sit credendum energumeno asserenti non esse baptizatum? *pag.* 464. *à num.* 64. *ad* 75.

Barbitonsores.

An barbitonsores possint in diebus festis barbas radere? *pag.* 568. *à num.* 341. *ad* 343.
An barbitonsores excusentur à ieiunio? *pag.* 611. *num.* 139.
Vide verb. *Ieiunium.*

Blasphemia.

Blasphemiæ definitio, & divisio, *pag.* 197. *num.* 118. & 119.
Quibus verbis committatur blasphemia? *pag.* 198. *num.* 121.
Quanta sit huius peccati gravitas? *ibid. n.* 122.
Qualiter blasphemiæ distinguantur specie? *ibid. num.* 123.
Qualiter blasphemiæ in Deum, & in Sanctos, esto non differant specie, sint in confessione explicandæ? *pag.* 199. *num.* 124. & 125.
De pœnis contra blasphemantes latis à Iure Canonico, & Civili, *ibid. num.* 126. & 227.
Qui possunt de hoc crimine iudicare? *pag.* 200. *num.* 128.
An blasphemantes sint statim Inquisitoribus denuntiandi? *ibid. num.* 129.
Qualiter confessarij se gerere debent cum blasphemis? *ibid. num.* 130.
Qui possint absolvere in foro conscientiæ blasphemantes? *ibid. num.* 131.
De pœnitentia ipsis imponenda, *pag.* 201. *num.* 132.
Blasphemus consuetudinarius non est absolvendus, *ibid. num.* 133.

Beatificatio.

Quid sit beatificatio, & qualiter à Canonizatione distinguatur? *pag.* 347. *num.* 46. & 47.
An beatus possit appellari Sanctus? *pag.* 348. *num.* 48.
Solum cultus expresse permissi à Pontifice defendi sunt beatificatis, *ibid. num.* 49.
An possit dici Missa votiva de Sancto beatificato? *pag.* 349. *num.* 51. & 51.
De licentia satis ampla nobis concessa circa cultum B. P. N. Ioannis à Cruce, *ibid. n.* 52. & *pag.* 351. *num.* 58.
Peccat mortaliter, qui celebrat de beato in Ecclesia à Pontifice non designata, *pag.* 350. *num.* 54.

An posit Missa, & officium de Sancto beatificato transferri in diem non impeditam? *ibid. à num.* 55. *ad* 57.
Beatificatorum reliquiæ in processionibus non sunt deferendæ, *pag.* 351. *num.* 59.
Non possunt eorum nomina in litanijs publicis invocari, *ibid.*
Potest in cultum beatificati etigi altare, seu capella, non vero templum dedicari, *ibid. num.* 60.
Possunt beatificati cum radijs, & splendoribus depingi, *ibid. num.* 61.
Quid agendum, dum primum ad nos pervenit notitia beatificationis alicuius Sancti, *pag.* 352. *num.* 62.

Bellum.

Quid sit bellum, & sub quibus conditionibus licitum? *pag.* 287. *num.* 16.
Solum Principes Supremi possunt bellum indicere, *ibid. num.* 17. & 18.
Quæ sint causæ licitæ ad bellandum? *ibid. n.* 19.
An opinio probabilis faciat licitum bellum? *pag.* 288. *à num.* 20. *ad* 23.
Quid si Rex habeat opinionem probabiliorem? *pag.* 289. *num.* 24. *vsque ad* 27. *inclusivè.*
Quis debeat esse Iudex in dirimendis Regum controversijs? *pag.* 290. *num.* 29.
Quam notitiam de iustitia belli debeant habere milites, vt possint iuste bellare? *ibid. à num.* 29. *vsque ad* 31. *inclusivè.*
An Princips Catholicus potsit, in bello iuste inito contra alios Catholicos, vocare in auxilium Hæreticos, aut Gentiles? *pag.* 291. *toto* §. 2. *à num.* 32. *vsque ad* 38. *inclusivè.*
An Clericis, & Religiosis liceat aliquando bellare? *pag.* 293. *à num.* 39. *vsque ad* 41. *inclusivè.*
An Captivi Christiani possint contra fideles licite pugnare? *ibid. num.* 42.
Excedere modum iustum bellandi, est peccatum mortale, *pag.* 294. *num.* 43.
Innocentes in bello nequeunt directe occidi, & qui sint innocentes? *ibid. num.* 44.
Qui in bello capti, possint libertate privari? *ibid. num.* 45.
De peccatis, quæ in bello solent committere Reges, Duces, & milites, *ibid. num.* 46.
Bellare non violat diem festum, *pag.* 295. *n.* 47.
An solus S. Pontifex possit per se, aut per alios Principes Christianos bello compellere Gentiles, aut Iudæos sibi temporaliter non subditos ad fidem audiendam? *pag.* 167. *num.* 7.
Quid, si dicti infideles sunt Ecclesiæ subditi? *pag.* 168. *num.* 8.
Si Princeps infidelis impediat Evangelij prædicationem, potest Ecclesia illi bellum indicere, & armis coercere? *ibid. num.* 9. & 10.
An aliquando liceat, mittere Prædicatores Evangelicos militibus stipatos? *pag.* 169. *num.* 11.
An si infidelis Princeps impediat subditos fideles, fidem catholicam observare, possit Ecclesia eos privare iurisdictione in vassallos? *pag.* 170. *num.* 14. & 15.
Quid dicendum, quando Principes infideles subditos recenter ad fidem conversos iniurijs, & tormentis vexant? *ibid. num.* 16.
An Ecclesia possit armis cogere infideles, ad derelinquendos errores iuri naturali contrarios? *pag.* 171. *à num.* 17. *vsque ad* 23. *inclusivè.*

Bestialitas.

Bestialitas suspicionem hæresis gignit, & eius punitio ad Inquisitores pertinet, *pag.* 205. *num.* 11.

Bulla Cruciatæ.

Ratione Bullæ Cruciatæ possunt Religiosi, & Presbyteri sæculares vesci ovis, & lacticinijs in Dominicis Quadragesimæ, *pag.* 583. *num.* 38. & 39.
Operarij, qui difficulter pisces emere valent, in Quadragesima possunt sine Bulla Cruciatæ vesci lacticinijs, *pag.* 584. num. 40.
Sine Bulla non licet edere in notabili quantitate panem biscotum, vulgò, *Vizcochos*, *ibid. num.* 41.

C

CADAVER.

AN sit superstitiosum, quod cadaver hominis ferro occisi in conspectu occisoris sanguinem emittat? *pag.* 431. *num.* 198.

Canonizatio.

Qui cultus deferendus est Sanctis Canonizatis? *pag.* 345. *num.* 37. & 39.
Solus Pontifex potest nunc Sanctos canonizare, *ibid. num.* 38.
An sit de fide, S. Pontificem non posse errare in Sanctorum canonizatione? *pag.* 346. *à num.* 41. *vsque ad* 45. *inclusivè.*
Vide verb. *Adoratio.*

Carmelitæ.

Qualiter oratio mentalis Religiosos Carmelitas obliget? *pag.* 319. *num.* 53. *Vide* verb. *Oratio.*
An qui Carmelitis Discalceatis, quibus sub præcepto prohibetur, carnes extra Conventus, absque infirmitate edere, dolose illas subministrat, aut iusculum confectum ex carnibus artificiose minutatim attritis, mortaliter peccet? *pag.* 303. *à num.* 82. *vsque ad* 84. *inclusivè.*

Caro.

Abstinentia à carnibus est de essentia Ieiunij Ecclesiastici, *pag.* 575. *num.* 9.
Qui cibi sub nomine carnium intelligantur? *pag.* 577. *num.* 13.
Limaces, ranæ, testudines, & lutreæ non intelliguntur nomine carnium, *num.* 14.
Olera cum carnibus cocta, lardum, sanguis, & sagimen in die ieiunij prohibentur, *ibid. num.* 15.
Quæ carnis quantitas sit materia parva? *pag.* 577. *num.* 17.
Coqui, & pincernæ possunt in diebus ieiunij ratione officij aliquid carnis guttare, vt cibis oportunum præbeant condimentum, *ibid. num.* 18.
Qui infirmis inserviunt, possunt comedere aliquid carnis coram illis, vt eorum excitent appetitum, *pag.* 578. *num.* 18. *in medio.*
Si per aliquot dies durat inedia, & caritas alio-

aliorum ciborum, qui in diebus ieiunij comeduntur, possunt fideles carnibus vesci, *pag.* 578. *num.* 19.
Pueris ante septennium, & amentibus in quocumque die possunt carnes ministrari, *ibid. num.* 20.
Qui est dispensatus ad comedendas carnes, potest vesci piscibus, *ibid. num.* 21.
Et idem dicendum est de lacticinijs, *pag.* 580. *num.* 28.
An dispensatus ad vescendum carnibus, sit etiam dispensatus ad bis in die ieiunij edendum? *pag.* 579. *à num.* 22. *vsque ad* 27. *inclusivè.*
An toties peccet, quoties quis in die ieiunij carnes, aut alios cibos vetitos comedit, *pag.* 581. *num.* 29.
Quid dicendum de eo, qui pluries vescitur carnibus die, quo vovit eas non edere? *ibid. num.* 30.
In locis, vbi deficit oleum, licitus in die ieiunij sagiminis vsus, *ibid. num.* 31.

Cervisia.

Potus cervisiæ ieiunium non solvit, *pag.* 589. *num.* 57.

Charitas.

Quid sit charitas? *pag.* 244. *num.* 1.
Quando obliget charitatis præceptum? *Ibid. à num.* 2. *vsque ad* 7. *inclusivè.*
An in instanti vsus rationis actus charitatis obliget? *pag.* 245. *à num.* 7. *vsque ad* 11.
An semel in anno teneamur elicere actum charitatis? *pag.* 246. *num.* 12.
Quid dicendum de alijs anni temporibus, & quando vrget gravis tentatio? *pag.* 247. *à num.* 13. *vsque ad* 15. *inclusivè.*
An detur præceptum dilectionis proximi, maxime inimici? *pag.* 247. *à num.* 16. *ad* 20.
Quando, & quomodo teneamur salutare inimicum obium factum, *ibid. à num.* 20. *vsque ad* 22. *inclusivè.*
Quid de Religiosorum rixis? *pag.* 249. *num.* 23.
An ex charitate teneamur succurrere proximum, etiam cum probabili periculo peccandi, quando necessitatem aliquam spiritualem, etiam extremam patitur? *pag.* 250. *à num.* 24. *vsque ad* 34. *inclusivè.*
An proximo existenti in extrema necessitate corporali teneamur, etiam cum propriæ vitæ periculo, subvenire? *pag.* 252. *à num.* 35. *vsque ad* 38. *inclusivè.*
Qui sunt præferendi in dilectione? *pag.* 253. *num.* 39. & 40.

Chiromantia.

Quid sit chiromantia? *pag.* 381. *num.* 23.
Licitum est, vti chiromantia ad ingenij, corporisque temperamentum prædicendum; non vero ad futura libera cognoscenda, *pag.* 395. *num.* 76.
Quot sunt lineæ principales manus ad chiromantiam deservientes? *pag.* 396. num. 77.
Superstitiosum est, de sua fortuna percontari mulieres Ægyptias, vulgò, *Gitanas. Ibid. num.* 78. & 79.

Chocolatum.

Quando chocolati potus ieiunium frangat? *pag.* 589. *à num.* 58. *vsque ad* 62.
Quæ chocolati quantitas sit materia parva? *pag.* 591. *num.* 63.
Vide verb. *Ieiunium.*

Christus.

Qualiter Christi humanitas sumpta præcisivè ab humanitate debeat adorari? *pag.* 338. *à num.* 8. *vsque ad* 11.
Quomodo Corpus Christi in triduo mortis, & in Eucharistia existens, sit adorandum? *pag.* 339. *num.* 12. & 13.

Cicuratio tauri.

An cicuratio tauri in die S. Marci sit superstitiosa? *pag.* 429. *à num.* 193. *vsque ad* 197.

Circunstantiæ.

Quotuplex sit circunstantia? *pag.* 68. *num.* 14. & 15.
An circunstantiæ possint variare speciem peccati? *ibid. à num.* 18. *vsque ad* 20.

Clavi Sanctæ Crucis.

Quomodo clavi, qui Christi Corpus transfixere, sint adorandi? *pag.* 341. *à num.* 17. *vsque ad* 22.

Clericus.

An Clericus in sacris constitutus, si Matrimonium contrahat, sit de hæresi suspectus? *pag.* 203. *num.* 7.
Clericus non Sacerdos, si Missam celebret, est de hæresi suspectus, *pag.* 204. *num.* 8.
Clerici ad turpia, intra confessionem solicitantes, sunt de hæresi suspecti, *pag.* 205. *num.* 13.
Clericus non Sacerdos ementitus confessarius est Inquisitoribus denuntiandus, *pag.* 210. *num.* 27.

Cognitio.

Vide *Advertentia.*

Collatiuncula serotina.

Collatiuncula, seu cœnula serotina ex consuetudine fidelium in die ieiunij fuit introducta, *pag.* 592. *num.* 70.
Quot vnciæ possint licite in collatiuncula sumi? *pag.* 593. *num.* 71. & 72.
Quæ quantitas valeat sumi in collatione pervigilij Nativitatis? *pag.* 593. *num.* 73.
Quid agendum, dum Nativitas Christi incidit in feria secunda, *ibid. num.* 74.
Quantitas, permissa in Vigilia Nativitatis, solum sumenda est hora consueta collationis, *pag.* 596. *num.* 83. *in medio.*
An in vigilia Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis S. Ioannis Baptistæ possit sumi eadem quantitas, ac in collatione pervigilij Nativitatis? *pag.* 594. *num.* 75. & 76.
Quæ qualitas ciborum in his collatiunculis permittatur? *ibid. num.* 77.
Qui cibi à materia collationis excludantur? *pag.* 595. *num.* 78.
An sint materia collationis piscículi parvi, vel ova, aut lacticinia? *ibid. à num.* 79. *vsque ad* 81. *inclusivè.*
De tempore, quod debet sumi dicta collatiuncula, *ibid. num.* 82.
Qui, omissa collatiuncula, nocte pranderet, non frangit ieiunij præceptum, *pag.* 596. *num.* 83.

Co-

Index Rerum,

Comædiæ.

Exhibere, & audire comædias in die veneris Sancti importat ratione temporis circunstantiam in confessione explicandam, *pag.* 540. *num.* 232. & 233.

Comestio.

Vnica comestio est de essentia ieiunij, *pag.* 575. *num.* 9.

Vnica comestio, etsi sit vsque ad ingluviem, non frangit ieiunij præceptum, *pag.* 585. *num.* 43. & 44.

An qui plures comedit in die ieiunij cibos Quadragesimales, plura peccata committat? *pag.* 586. *à num.* 46. *vsque ad* 50.

Quæ interruptio refectionis solvat ieiunium, *pag.* 587. *num.* 50.

An Lectores, & Ministri mensæ possint sine fractione ieiunij aliquid præsumere? *ibid. num.* 51.

An, qui comedit electuaria causa medicinæ, aut voluptatis extra horam refectionis, solvat ieiunium? *pag.* 588. *num.* 52. & 53.

An possit quis, rogatus ab amico, aliquid sumere, quin ieiunium frangat? *ibid. num.* 54.

Communicatio.

Communicare cum infidelibus in operibus, & ritibus infidelitatis est ab intrinseco malum, *pag.* 173. *num.* 24.

Licet vendere infidelibus res, quibus ad sua sacrificia abutuntur, *ibid. num.* 25.

Qualiter admitti possint infideles ad Missæ sacrificium, *ibid. num.* 26.

Prohibita est Christianis communicatio cum Iudæis in cohabitatione, convivio, esu azymorum, ingressu in valneum, in medicis, & medicinis, nutritione filiorum, famulatu, & hæreditate, *pag.* 174. *à num.* 28. *vsque ad* 37. *inclusivè.*

Non vero est prohibita communicatio cum Iudæis in mercibus vendendis, & alijs rebus politicis, *pag.* 176. *num.* 38.

Concubitus.

An ex concubitu dœmonis cum Sagis possit vera proles nasci? *pag.* 426. *à num.* 180. *vsque ad* 185.

Vide verb. *Dœmones.*

Confessarius.

Qualiter Confessarius se gerere debeat cum illo, qui conscientia erronea laborat? *pag.* 30. *num.* 27.

An teneatur Confessor negare absolutionem pœnitenti ignoranti mysteria fidei, maxime Incarnationis, & SS. Trinitatis? *pag.* 131. *num.* 19. & *pag.* 142. *num.* 58.

Quid dicendum, quando ignorantia est de mysterijs fidei solum necessarijs necessitate præcepti? *pag.* 142. *num.* 59. & 60.

Qualiter se gerere debeat Confessarius cum moribundo mysteria fidei ignorante? *ibid. num.* 61.

An, & quomodo Confessor teneatur interrogare pœnitentes de Doctrina Christiana? *pag.* 143. *num.* 62. & 63.

Qualem notitiam mysteriorum fidei debeat habere Confessarius? *pag.* 140. *num.* 52.

Qualiter se gerere debeat cum blasphemis? *pag.* 201. *num.* 133.

Confessarius, qui sigillum confessionis violat, an sit de hæresi suspectus? *pag.* 204. *num.* 9.

An Confessarius solicitans ad turpia sit de hæresi suspectus? *pag.* 205. *num.* 12. & 13.

Reliqua de Confessario solicitante. Vide verb. *Solicitans.*

Coniuges.

An coniux valeat delectari de accessu habito, aut habendo cum altero coniuge? *pag.* 99. *à num.* 55. *vsque ad* 57.

Coniugati, qui binas nuptias contrahunt, vivente altero coniuge, sunt de hæresi suspecti, *pag.* 203. *num.* 6.

Conscientia.

Quid sit conscientia? *pag.* 12. *num.* 1. 2.

An conscientia se habeat per modum actus, aut potentiæ, vel habitus? *pag.* 13. *à n.* 3. *ad* 5.

An pertineat ad intellectum, seu ad voluntatem? *ibid. à num.* 6. *ad* 8.

Quotuplex sit conscientia? *pag.* 14. *à num.* 9. *vsque ad* 12.

Quot sunt actus conscientiæ? *pag.* 15. *num.* 13.

Quid sit conscientia recta, *pag.* 15. *num.* 10.

An peccet, qui agit contra conscientiam rectam? *pag.* 16. *num.* 1. & 2.

An agere contra conscientiam rectam sit distinctum peccatum ab eo, quod committitur contra legem, vel præceptum? *ibid. num.* 3. & 4.

An peccet mortaliter, vel venialiter, qui agit contra conscientiam dictantem aliquid esse malum? *pag.* 17. *à num.* 6. *ad* 8.

Quale peccatum sit hic actus, *volo agere in omnibus contra conscientiam? pag.* 18. *n.* 9. & 10.

Sequi dictamen conscientiæ est præceptum naturale, *pag.* 19. *num.* 11.

An præceptum Superioris obliget, plus quam dictamen conscientiæ? *ibid. num.* 12.

Vtrùm præceptum naturale conformandi se cum propria conscientia sit à Deo dispensabile? *ibid. à num.* 13. *vsque ad* 18.

Quid sit conscientia erronea? *pag.* 21. *cap.* 5. *in principio.*

Quale peccatum sit discordare à conscientia erronea vincibili, vel invincibili? *pag.* 22. *à num.* 1. *vsque ad* 5.

An quid obliget conscientia erronea vincibilis? *pag.* 23. *num.* 6.

Quid dicendum de eo, qui ex conscientia erronea vincibili, aut invincibili iudicat vtrumque extremum contradictionis esse peccatum? *pag.* 24. *à num.* 7. *vsque ad* 9.

Quæ existentia iudicij erronei vincibilis requiratur, vt operatio inde secuta sit peccatum? *pag.* 25. *à num.* 10. *vsque ad* 14.

An gravis peccatum sit sequi, quam non sequi conscientiam erroneam vincibilem? *pag.* 26. *à num.* 15. *vsque ad* 17.

An peccatum contra conscientiam rectam differat specie à peccato contra conscientiam erroneam? *pag.* 27. *num.* 18.

Vtrùm conformare se conscientiæ erroneæ sit quid honestum? *pag.* 28. *num.* 21. & 22.

Qualiter sit deponenda conscientia erronea? *pag.* 29. *à num.* 23. *vsque ad* 25.

Quam

Quam diligentiam debet homo adhibere, ad deponendam conſcientiam erroneam? *pag.* 30. *num.* 26.
Quid agere debet Confeſſor cum illo, qui conſcientia erronea laborat, & maxime circa myſteria fidei? *ibid. num.* 27.
Quid faciendum, quando dubitatur, an monitio Confeſſarij profutura ſit? *ibid. num.* 28.
Quid ſit conſcientia probabilis, & quando ſequi poſsit? *pag.* 31. *num.* 28. *in fine.*
An Rex cum opinione probabili de iuſtitia, poſsit inferre bellum alteri Regi? *pag.* 288. *à à num.* 20. *vſque ad* 23.
Quid dicendum, ſi habeat opinionem probabiliorem, quod aliquod Regnum ad ſe pertinet? *pag.* 289. *à num.* 24. *vſque ad* 27.
An milites, ſi probabiliter iudicent, quod bellum eſt iniuſtum poſsint militare, & inferre bellum? *pag.* 290. *num.* 31.
Illicitum eſt operari cum conſcientia dubia, *pag.* 32. *num.* 2.
Qualis diligentia requiritur ad deponendam conſcientiam dubiam? *ibid. num.* 3.
An poſſeſsio in materia iuſtitiæ ſit ſufficiens titulus ad deponendam conſcientiam dubiam? *ibid. num.* 4. & 5.
Quid dicendum de titulo poſſeſsionis in materia aliarum virtutum? *pag.* 33. *à num.* 6. *vſque ad* 8.
Qualiter cognoſci poteſt, pro quo in dubio ſtet poſſeſsio? *pag.* 34. *num.* 9. & 10.
An ad deponendam conſcientiam dubiam, liceat vti epikeia? *ibid. à num.* 11. *ad* 13.
An liceat imaginem Chriſti apparentem venenerari, quando dubitatur, an ſub illa lateat dœmon? *pag.* 35. *à num.* 14. *ad* 21.
Quid ſit conſcientia ſcrupuloſa, & quæ eius cauſæ? *pag.* 37. *num.* 1. *ad* 3.
De remedijs conſcientiæ ſcrupuloſæ, *pag.* 38. *à num.* 4. *vſque ad* 8.
An liceat agere contra conſcientiam ſcrupuloſam? *pag.* 39. *à num.* 9. *vſque ad* 11.
An aliquando ſit obligatorium contra ſcrupulos agere? *pag.* 40. *num.* 12.
An poſsit deponi conſcientia ſcrupuloſa per vſum opinionis probabilis? *ibid. num.* 13.

Contentio.

Quid ſit contentio? *pag.* 286. *num.* 13.
Contentio in publicis diſputationibus qualiter prohibeatur à Tridentino? *ibid. num.* 13. *in medio.*

Coquus.

Coquus non frangit ieiunium, & ſi pluries carnes, aut alios cibos præguſtet, *pag.* 587. *n.* 51.

Correctio fraterna.

Quotuplex ſit correctio? *pag.* 266. *num.* 42.
Datur præceptum naturale correctionis fraternæ obligans ſub mortali, *ibid. n.* 43. & 44.
Quæ peccata ſint materia correctionis fraternæ? *pag.* 267. *num.* 45. & 46.
An Superiores teneantur ſub mortali corrigere peccata venialia ſubditorum? *ibid. num.* 47. & 48.
An peccatum præteritum non emendatum ſit materia correctionis? *ibid. num.* 49. *vſque ad* 51. *incluſivè.*
Ad corrigendum peccatorem neceſſaria eſt certa notitia culpæ, *pag.* 268. *num.* 52.
An peccata ex ignorantia facta ſint materia correctionis? *ibid. num.* 53.
Quando Subditi teneantur Superiorem fraternaliter corrigere, & qualiter hæc correctio facienda eſt? *ibid. num.* 54.
An peccator alium peccatorem poſsit corrigere? *pag.* 269. *num.* 55. & 56.
Qualiter Concionatores teneantur peccata publica corrigere? *ibid. num.* 56. & 57.
Qui Superiores teneantur ad correctionem; & an ex charitate, aut ex iuſtitia? *pag.* 270. *num.* 58.
Tenentur Magiſtratus, & Prælati inquirere vitam ſubditorum, vt recte eos corrigant, *ibid. num.* 59. & 60.
Qualiter hæc inquiſitio fieri debeat? *ibid. n.* 61.
Quæ conditiones requiruntur, vt obliget præceptum correctionis fraternæ? *pag.* 271. *num.* 63.
An cum vitæ periculo teneantur Prælati ſubditum corrigere? *ibid. num.* 64.
An obliget præceptum correctionis fraternæ, quando ſpes emendæ eſt probabilis, aut dubia? *ibid. num.* 66. & 67.
Quis ordo ſervandus eſt in correctione fraterna? *pag.* 272. *num.* 68.
An ordo correctionis ſit ex conſilio, aut ex præcepto? *ibid. à num.* 69. *vſque ad* 72.
Quæ correctio Prælati, aut ſubditi ſit præferenda, quando æqualiter delinquenti vtraque prodeſſe poteſt? *ibid. à num.* 73.
An liceat, omiſſa correctione fraterna, delictum occultum denuntiare Prælato, vt ipſe fraternaliter ſubditum corrigat? *pag.* 274. *à num.* 74. *vſque ad* 84.
An poſsint Religioſi cedere iuri correctionis fraternæ? *pag.* 277. *num.* 85. *vſque ad* 88.
An ſit aliqua Religio, quæ ceſſerit iuri correctionis fraternæ? *pag.* 278. *à num.* 89. *vſque ad* 91. *incluſivè.*
Quæ delicta dicantur publica, & quæ occulta: & quæ in damnum commune, & quæ in particulare cedant? *pag.* 279. *n.* 92. & 93.
In quo delicto occulto ſervandus eſt ordo correctionis, *ibid. num.* 94. & 95.
Delicta publica Superiori denuncianda ſunt abſque ordine correctionis, *ibid. num.* 96.
Peccata in damnum tertij qualiter ſint denuncianda? *pag.* 280. *num.* 97.
Crimen hæreſis, proditio Civitatis, & quodcumque aliud vergens in damnum commune eſt ſtatim denunciandum? *ibid. num.* 98.
An peccata carnalia in Religioſis ſint contra bonum commune Religionis, ac proinde ſine correctione fraterna Prælato denuncianda? *ibid. à num.* 99. *vſque ad* 102.
An delicta occulta contra bonum commune ſint Superiori, vt Iudici denuncianda, quin præcedat correctio fraterna? *pag.* 281. *num.* 103. *vſque ad* 105.

Crux.

An Crux Chriſti ſit cultu latriæ adoranda? *pag.* 340. *num.* 16.
Quid dicendum, ſi Crux Chriſti præciſivè à Verbo ſumatur? *ibid. num.* 18.

Quare

Quare cruces factæ ad similitudinem illius, in qua Christus pependit, latria sint adorandæ; secus vero clavi facti ad similitudinem eorum, qui Christi Corpus transfixerunt? *pag.* 341. *num.* 23.
Cruces factæ per accidens ex transversis paleis in terra cadentibus non sunt adorandæ, *pag.* 342. *num.* 24.
Crux Christi, etsi in fracmenta divisa, cultu latriæ adoranda est, *ibid. num.* 24. *in fine.*

Cultus.

Quo cultu Deus, Trinitas, Christus, Beata Virgo, & instrumenta passionis Christi, nec non S. Angeli, & homines adorandi sint. Vide verb. *Adoratio.*
Per præceptum sanctificationis Sabbathi solum præcipitur exterior Dei cultus, non vero interior charitatis, & contritionis, *pag.* 482. *à num.* 8. *ad* 13. *inclusivè.*

D

DECALOGUS.

QUid sit decalogus? *pag.* 119. *num.* 1. *&* 2.
Quot sunt decalogi præcepta? *pag.* 120. *num.* 3.
Quæ decalogi præcepta in singulis legis tabulis erant scripta? *ibid. num.* 6. *&* 7.
An prima principia iuris naturalis, & præcepta fidei, spei, & charitatis ad decalogi præcepta pertineant? *pag.* 121. *à num.* 8. *vsque ad* 13.
Præcepta decalogi sunt de iure naturali, & divino, *pag.* 122. *num.* 13.
Qualiter obligent decalogi præcepta? *pag.* 123. *num.* 14. *&* 15.
An decalogi præcepta sint dispensabilia? *ibid. à num.* 16. *vsque ad* 23.

Decimæ.

Quid nomine decimæ intelligatur? *pag.* 617. *n.* 1.
Quotuplex sit decima, & ex quo iure eius obligatio oriatur? *ibid.*
Ex quibus fructibus, & quibus personis decimæ solvendæ sunt? *ibid.*
Qui sint ex iure communi, & privilegijs à solvendo decimas exempti? *ibid.*

Defunctus.

An pro defunctis sit orandum? *pag.* 323. *n.* 69.
Pro beatis, & damnatis non est orandum, *ibid. num.* 67. *&* 68.
An pro animabus Purgatorij sit orandum? *pag.* 323. *à num.* 69. *cum sequentib.*
Qualiter defunctis prosint nostræ orationes, & alia suffragia pro eis applicata? *pag.* 324. *à num.* 73. *ad* 83.
An satisfactio à vivis pro mortuis applicata eis infallibiliter prosit? *pag.* 327. *à num.* 84. *vsque ad* 88.
Valor efficax suffragiorum dependet ex dispositione, qua defunctus decesit, & ante degit, *pag.* 328. *num.* 87.
An suffragia pro pluribus defunctis oblata æque omnibus prosint? *ibid. num.* 89.
Quando liberentur à purgatorio animæ, quæ nullum specialem benefactorem habent? *pag.* 326. *num.* 91.

Delectatio.

Quid sit delectatio morosa, & quare ita dicatur? *pag.* 91. *num.* 25. *&* 26.
Qualiter possit discerni, an delectatio sit de cogitatione, aut de obiecto turpi cogitato? *pag.* 92. *num.* 28.
An delectatio morosa sumat speciem non solum ab obiecto; sed etiam à circunstantijs? *ibid. num.* 30. *vsque ad* 32. *exclusivè.*
Præcisio per intellectum in circunstantijs delectationis morosæ nihil obest, quominus delectatio sit illicita, *pag.* 93. *num.* 32.
Qui delectatur de accessu ad vxorem alienam, non quia aliena, sed quia mulier, adulterij peccati reus est, *ibid. num.* 32. *& pag.* 95. *num.* 38.
An delectatio obiecti, læthaliter peccaminosi, sit culpa gravis? *pag.* 94. *num.* 33. *vsque ad* 35.
An possit quis in prohibitis iure naturali, & positivo licite delectari de substantia operis, non vero de eius malitia, & prohibitione? *pag.* 95. *num.* 37. *&* 38.
Quando delectatio de obiecto peccaminoso; non quia malo, sed quia artificiose perpetrato sit illicita? *ibid. num.* 39. *&* 40.
Quando cognoscetur, quod delectatio est de modo artificioso? *ibid. num.* 40.
An liceat delectari de malo proximi spirituali, vel temporali, ob finem, aut effectum bonum inde ortum? *pag.* 96. *num.* 41. *cum sequentib.*
Quid dicendum de delectatione mortis naturalis, aut agritudinis proximi? *ibid. à num.* 42. *vsque ad* 45.
Non licet optare mortem propriam, aut alienam ob vitanda damna temporalia, *pag.* 97. *num.* 46.
An liceat delectari de opere prohibito, si ratione ignorantiæ, aut ebrietatis inculpabiliter patratum est? *pag.* 97. *num.* 48. *vsque ad* 50.
An liceat delectari de pollutione naturali in somnis habita, ob sanitatem, aut alium effectum honestum inde ortum? *pag.* 98. *num.* 51. *vsque ad* 53. *inclusivè.*
Quid de delectatione pollutionis naturalis diurnæ inculpabiliter provenientis? *pag.* 99. *num.* 54.
An delectatio morosa in coniuge, aut vidua, vel sponso de copula habita, aut habenda sit licita? *pag.* 99. *à num.* 55. *vsque ad* 58. *inclusivè.*
Quid de delectatione copulæ sub conditione, quod esset cum sua vxore? *pag.* 100. *num.* 59. *&* 60.
An delectatio de obiecto peccaminoso sub conditione, *quod esset licitum*, sit honesta? *pag.* 101. *num.* 61.
Desiderium obiecti illiciti sub conditione, *quod non esset peccatum*, est pravum, *ibid. num.* 62. *&* 63.
Quod peccatum sit iactare se de falsis virtutibus? *pag.* 103. *num.* 69.
Vide verb. *Iactantia.*

Denunciatio.

Quotuplex sit denunciatio? *pag.* 190. *num.* 94.
Vide verb. *Hæreticus*, & verb. *Solicitatio.*

Desiderium.

An fas sit, desiderare obiectum pravum sub conditione, quod non esset illicitum? *pag.* 101. *num.* 62.

Desperatio.

Quid sit desperatio, & quæ eius gravitas? *pag.* 241. *num.* 50. & 51.
An desperatio possit aliquando esse sine hæresi? *pag.* 242. *num.* 52.
Ex quo vitio oriatur desperatio? *ibid. num.* 53.
An possit licite desperare ille, cui facta fuit revelatio suæ damnationis? *ibid. num.* 54.

Devotio.

Quid sit devotio? *pag.* 307. *num.* 5.
Quot effectus habeat devotio? *ibid. num.* 6.
Quando devotionis per se, aut per accidens obliget? *ibid. num.* 7.

Deus.

Dei Patris simulachrum an possit licite depingi? *pag.* 357. *num.* 82.

Dies festi.

Dies Dominica est ab Ecclesia loco Sabbathi, vt festum obseruandum? *pag.* 487. *num.* 30. *vsque ad* 36.
Festivitas diei Dominicæ an sit Iure Ecclesiastico, aut Divino introducta? *pag.* 489. *à num.* 37. *vsque ad* 40.
Potest festivitas hæc de potentia absoluta Pontificis in alium diem transferri, *pag.* 490. *num.* 40.
Qui alij dies festi ab Ecclesia præcipiantur obseruari? *pag.* 491. *à num.* 42. *vsque ad* 47.
De festo Nativitatis Christi Domini, in quo mense, & die natus fuerit? *pag.* 492. *num.* 48. & 49.
De festo Circunciſsionis, *pag.* 493. *num.* 50.
De festo Epiphaniæ, & quare in matutinis huius diei, non dicatur invitatorium? *ibid. num.* 51. & 52.
De festo Resurrectionis, *ibid. num.* 53. & 54.
De festo Ascensionis, *ibid. num.* 55. & 56.
De festo Pentecostes, *pag.* 494. *num.* 56. & 57.
De festo Sanctiſs. Trinitatis, *ibid. num.* 58.
De festo Corporis Christi, *ib. num.* 59.
De festo Inventionis S. Crucis, *pag.* 495. *n.* 60. *vsque ad* 62. *inclusivè.*
De festis B. M. Virginis, & primum de festo Purificationis, & quando celebrare incæperit? *pag.* 495. *à num.* 64. *vsque ad* 66.
De festo Annunciationis, seu Incarnationis, *pag.* 496. *num.* 67.
Qualiter hæc festivitas obseruanda est, si in Sabbatho maioris hebdomadæ venerit? *Vide à num.* 68. *vsque ad* 71. *inclusivè.*
Quid dicendum, si incidat in die Paresceves, aut in alia die maioris hebdomadæ? *pag.* 498. *num.* 72. & 73.
De festo Assumptionis, *ibid. num.* 74.
De festo Nativitatis, *ibid. num.* 75.
De festo Conceptionis Immaculatæ V. Mariæ; *ibid. num.* 76. & 77.
Quam antiqua sit festivitas Conceptionis B. V. Mariæ, maxime apud Carmelitas, qui illam primo cæperunt colere? *pag.* 499. *num.* 78.
In Hispania dies festus Conceptionis sub præcepto ab omnibus colitur, *pag.* 500. *num.* 80. & 81.
An alia regna Hispaniarum Regi subiecta debeant sub præcepto festum Conceptionis obseruare? *pag.* 501. *à num.* 82. *vsque ad* 85.
De festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli, *pag.* 502. *num.* 86. & 87.
De festo Nativitatis S. Ioannis Baptistæ, *ibid. num.* 88.
De festo Apostolorum D. Petri, & Pauli, *pag.* 503. *num.* 89.
De festis aliorum Apostolorum; vbi aliqua notantur de festo D. Iacobi Maioris Hispaniarum Patroni, *ibid. num.* 90.
De festo S. Stephani Prothomartyris, *ibid. num.* 92.
De festo Sanctorum Innocentium, *pag.* 504. *num.* 93.
De festo S. Laurentij, *ibid. num.* 94.
De festo S. Sylvestri, *ibid. num.* 95.
De festo S. Ioseph. Castiſsimi V. Mariæ Sponsi, *ibid. num.* 96.
Motiva institutionis huius festivitatis, *ibid. num.* 97.
Qualiter celebranda sit, si incidat in feria 5. maioris hebdomadæ? *pag.* 505. *n.* 98. & 99.
De festo S. Annæ, *pag.* 505. *num.* 100.
De festo Omnium Sanctorum, *ibid. num.* 101.
De festo Patroni principalioris Regni, Provinciæ, Civitatis, aut Oppidi, *pag.* 506. *n.* 102.
An post Bullam Vrbani VIII. denuo eligi possit aliquis Patronus, cuius dies vt festus colatur? *pag.* 507. *num.* 107.
An præter Patronum Regni, aut Civitatis, possit alius Provinciæ, aut Diœcesis designari, & sub præcepto coli? *pag.* 506. *à num.* 103. *vsque ad* 106. *inclusivè.*
Qualiter electio Patroni est facienda? *pag.* 507. *num.* 108.
An Regulares teneantur obseruare sub præcepto festum Patroni principalioris Regni, Provinciæ, aut Civitatis? *ibid. num.* 109.
An Episcopus possit denuo dies festos instituere? *pag.* 508. *à num.* 111. *vsque ad* 114.
An ad festum instituendum indigeat Episcopus consensu Cleri, & populi? *pag.* 509. *à num.* 115. *vsque ad* 120. *inclusivè.*
An valeat Episcopus diem festum in honorem S. Beatificati instituere? *pag.* 510. *num.* 121. *vsque ad* 123.
Principes Sæculares non possunt dies festos instituere, *pag.* 511. *à num.* 124. *vsque ad* 129.
Possunt tamen subditis præcipere, vt in signum lætitiæ tali die populus à servilibus abstineat, *pag.* 513. *num.* 126.
Consuetudo laicorum sine Episcopi consensu non est sufficiens ad dies festos introducendos, *pag. ibid. num.* 128.
Qui non obseruat votum Reipublicæ de festo

Index Rerum,

aliquo colendo, an, & qualiter peccet? *Vide num.* 127.

Quo tempore obligatio diei festi incipiat, & finiatur? *pag.* 514. *num.* 130. *vsque ad* 132.

Translata festivitate alicuius Sancti, non transfertur indulgentia pro propria die concessa, *pag.* 515. *num.* 133.

Qualiter obliget observatio diei festi? *pag.* 515. *num.* 134. & 135.

Obligat præceptum sanctificandi festa ad audiendum sacrum, & abstinendum à servilibus, *pagin.* 516. *à numer.* 136. *cum sequent.*

Qualiter Parrochi teneantur in diebus festis verbum Dei prædicare? *pag.* 518. *à num.* 143. *vsque ad* 45.

Qualiter omnes fideles rationis compotes teneantur observare festa? *pag.* 520. *num.* 151. & 152.

Quid dicendum de infantibus, & amentibus? *ibid. num.* 153.

An peregrini obligentur ad colendos dies festos, qui in proprio territorio observantur? *pagin.* 522. *à numer.* 158. *vsque ad* 164.

Qualiter se gerere debeat, qui primo mane proficiscitur de loco, vbi aliquod festum particulare observatur? *pagin.* 523. *numer.* 165.

Qualiter peregrini teneantur ad festa particularia loci, vbi transeunter commorantur? *pag.* 524. *num.* 166.

An scholastici, aulici, & milites teneantur ad observanda festa particularia Civitatis, in qua per maiorem anni partem commorantur? *ibid. à num.* 167. *vsque ad* 173.

Quid de his, qui per aliquot breves dies in aliqua Civitate detinentur? *pag.* 526. *à num.* 174. *vsque ad* 183.

An Religiosi teneantur ad observanda festa ab Episcopo pro tota Diœcesi indicta? *pag.* 529. *à num.* 184. *vsque ad* 203.

Qui teneantur in diebus festis ad audiendum sacrum? *pag.* 533. *num.* 204.

An adimpleat præceptum audiendi sacrum, qui, dum Missæ interest, ecstasim patitur? *pag.* 533. *num.* 205. *vsque ad* 213.

An Monachi solitarij sanctificent diem festum, etsi Missam non audiant? *pag.* 535. *num.* 214.

An qui audit Missam in Vigiliam Nativitatis ante duodecimam horam noctis satisfaciat præcepto? *pagin.* 536. *numer.* 215. & 216.

Propositiones damnatæ à Summis Pontificibus circa præceptum audiendi sacrum, & obligationem servandi festa, *ibid. numer.* 217.

Cessatio ab operibus servilibus requiritur ad observationem diei festi, *ibid. num.* 218.

Quæ sint opera servilia in die festo prohibita? *pag.* 537. *à num.* 220. *vsque ad* 222.

An opus servile peccaminosum violet solemnitatem festi? *pag.* 538. *à num.* 223. *vsque ad* 233.

Qualiter exhibere comædias, & publica spectacula in die veneris Sancti importet malitiam ratione temporis sacri in confessione explicanda? *pag.* 540. *num.* 232. & 233.

Quæ opera servilia corporea sint contra observantiam diei festi? *pagin.* 541. *numer.* 234.

Quæ sint artes mechanicæ dicta opera servilia dirigentes? *ibid. num.* 235. & 236.

An pingere sit opus servile in die festo prohibito? *ibid. à num.* 237. *vsque ad* 240.

Qualiter venatio, aucupatio, & piscatio sint opera servilia, & an violent festum? *pag.* 543. *à num.* 241. *ad* 245.

Qualiter iter agere violet observantiam festi? *pag.* 544. *à num.* 246. *vsque ad* 249.

Licitum est mulionibus in die festo iter aggredi, & incæptum continuare, audito tamen prius sacro, *pag.* 545. *numer.* 250. & 251.

Quid sit opus servile Religiosum, & quotuplex illius gradus? *pag.* 546. *num.* 252. & 253.

Opera servilia immediate ad cultum Dei pertinentia minime festum violant, *pag.* 546. *num.* 254.

An alia opera corporalia divino cultui propinqua, vt coquere hostias, altaria erigere, Ecclesias tapetibus ornare, & similia, sint prohibita in die festo? *pag.* 547. *à num.* 255. *vsque ad num.* 258.

An colere agros alicuius Ecclesiæ, vel Hospitalis, &c. violet diem festum? *pag.* 548. *num.* 259. & 260.

An opera liberalia, vt docere, & scribere, si fiant lucri gratia, violent diem festum? *pag.* 548. *à num.* 161. *ad* 263.

An mercatus, & placitum prohibeantur in die festo? *pag.* 551. *à num.* 274.

Reliqua de mercatu, & placitu. Vide *Mercatus, & placitum.*

Quæ causæ excusent laborantes in die festo? *pag.* 562. *num.* 317. *cum sequentib.*

Quæ sit parvitas temporis excusantis à mortali laborantes in die festo? *pag. ibid. à num.* 318. *vsque ad* 322.

An peccet graviter herus, qui pluribus famulis præcipit vt per modicam temporis morulam vnusquisque in die festo laboret? *pag.* 563. *à num.* 323. *vsque ad* 328.

Qualis necessitas excusat laborantes in festo? *pag.* 565. *num.* 329. & 330.

Necessitas propriæ salutis excusat laborantes, vt se decenter sustentent, *pagin.* 566. *num.* 331.

Potest in festo licite cibos præparari, animalia excoriari, & alias actiones ad ciborum condimentum necessarias exerceri, *ibid. à num.* 332. *vsque ad* 333.

Artocopi possunt pastilos in festis facere, & furnarij panes coquere, *pag.* 567. *num.* 334. *vsque ad* 335.

Licitum est Agricolis tempore messis, & vindemiæ in festis laborare, segetes metendo, triturando, & grana purgando, *ibid. num.* 336.

Quid dicendum de præparatione ciborum, qui ad victum communem non sunt necessarij? *ibid. num.* 337. & 338.

Quæ necessitas salutis proximi excusat laborare in festo? *pag.* 568. *num.* 340.

An

An barbitonſores poſſint in feſtis barbas radere? *ibid. à num.* 341. *ad* 343.
An valeant Sartores, & Sutores veſtes, & calceos in feſtis perficere? *pag.* 569. *n.* 344.
Quomodo famuli, & ſervi excuſentur à peccato, ſi cogantur laborare? *ibid. num.* 346. *&* 347.
Quid dicendum de coquentibus vitrum, ſaponem, calcem, latera, &c? *ibid. num.* 348.
An amiſsio magni lucri excuſet laborantes in feſto? *pag. ibid. à num.* 349. *vſque ad* 342.
Qualiter excuſentur ferrantes equos in feſto? *ibid. num.* 353.
An præparantes tabulata ad publicam Reipublicæ lætitiam, aut reficientes pontes excuſentur à tranſgreſsione feſti? *ibid. num.* 354. *&* 355.
Qualiter pietas honeſtet ſervilia in feſto? *pag.* 571. *num.* 356. *&* 357.
Ex diſpenſatione Superioris poteſt laborari in feſto, & qui ſunt Superiores, qui poſſunt in hoc diſpenſare, *ibid. num.* 358. *&* *pag.* 572. *num.* 359.
An conſuetudo excuſet laborem in feſto? *ibid. num.* 360.
An pugnare violet diem feſtum? *pag.* 295. *n.* 47.

Dilectio.

An debeamus exhibere inimico ſigna communia dilectionis? *pag.* 248. *num.* 19. *&* 20.
Quid dicendum de Patre reſpectu filij, de Prælato reſpectu ſubditi, & de Religioſis inter ſe? *pag.* 249. *num.* 22. *&* 23.
Vide verb. *Charitas.*

Diligentia.

Quam diligentiam debeat homo adhibere ad deponendam conſcientiam erroneam? *pag.* 30. *num.* 26.
Vide *conſcientiam erroneam.*

Diſcordia.

Quid ſit diſcordia? *pag.* 285. *num.* 122.

Diſpenſatio.

Nequit Deus diſpenſare in præcepto non agendi contra conſcientiam, *pag.* 19. *à num.* 13. *vſque ad* 18.
An præcepta decalogi ſint diſpenſabilia? *pag.* 123. *à num.* 16. *vſque ad* 23. *incluſivè.*
Diſpenſatio excuſat laborantes in die feſto, *pag.* 571. *num.* 358.
Apud quos ſit hæc poteſtas? *pag.* 572. *n.* 359.
An Pontifex, & Epiſcopi poſsint in ieiunijs diſpenſare? *pag.* 115. *num.* 154.
Quid dicendum de Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum ſubditorum, & de Parrocho reſpectu parochiani? *pag.* 615. *num.* 155.
Quæ cauſæ requirantur ad diſpenſandum in ieiunijs? *pag.* 616. *num.* 157.
In dubio cauſæ ſufficientis ad non ieiunandum poteſt Regularis ex conceſsione Pontificum licite ſolvere ieiunium, *ibid. num.* 158.
Vide verb. *Dies feſtus, & ieiunium.*

Diſputare.

An liceat omnibus Catholicis de rebus fidei cum hæreticis diſputare? *pag.* 163. *à n.* 132. *vſque ad* 137.
Quibus vnice liceat cum hæreticis, & Catholicis diſputare? *pag.* 164. *num.* 138.
Illicitum eſt coram Principe ſæculari, tanquam iudice de fide cum hæreticis diſputare, *pag.* 165. *num.* 139.

Divinatio.

Quid ſit, & quotuplex divinatio? *pag.* 339. *num.* 17. *&* *pag.* 380. *à num.* 21. *vſque ad* 24.
Quæ ſint divinationis ſpecies, quæ fiunt ex pacto expreſſo, vel implicito cum dœmone, *ibid. num.* 21. *&* 22.
An prædictæ divinationis ſpecies diſtinguantur phyſice, vel moraliter? *pag.* 381. *à num.* 25. *vſque ad* 27.
An circunſtantia pacti expliciti ſit in confeſsione aperienda? *pag.* 382. *à num.* 28. *vſque ad* 32.
Gravitas peccati divinationis ex pacto declaratur, *pag.* 283. *num.* 33.
Periculoſa eſt conventio de apparendo ſuperſtiti poſt mortem, *ibid. num.* 34.
Divinatio per aſtra. Vide verb. *Aſtrologia.*
Divinatio per ſomnia. Vide verb. *Somnia, augurium.*
Quid ſit divinatio ex lineis manus, alijs que partibus corporis humani?
Vide verb. *Chyromantia, phyſiognomia.*
Quid ſit divinatio per ſortem? Vide verb. *Sortilegium.*
An ſit licita divinatio per duellum? *pag.* 400. *num.* 97.
Quare fatui, furentes, & morti proximi alis quando futura divinent? *ibid. num.* 98.

Dœmones.

Quæ certo, aut probabiliter ſcire proprijs viribus dœmones valeant? *pag.* 379. *numer.* 18.
Quotuplex pactum cum dœmone habere homines poſsint? *pag.* 380. *num.* 20.
Qualiter dœmon ſuos divinatores edoceat? *ibid. num.* 19.
An dœmones ſagis, ſeu lamis aſsiſtant, de loco in locum tranſportent, & cum eis turpiter commiſceantur? *pag.* 422. *à num.* 170. *vſque ad* 193.
Vide verb. *Lamiæ.*
An dœmones poſsint corpora humana in aliam ſubſtantiam tranſmutare? *pag.* 423. *à num.* 174. *vſque ad* 177.
An ex congreſſu dœmonis cum Sagis poſsit ſequi prolis generatio? *pag.* 426. *à num.* 180. *vſque ad* 185.
Quid dicendum de prædicto congreſſu, ſi humanum ſemen in matricem mulieris infundat? *pag.* 427. *à num.* 186. *vſque ad* 192.
Qualiter dœmones obſidentes corpora ſunt adiurandi, & ab eis expellendi? *pag.* 446. *num.*

num. 11. *cum sequentib.* & *pag.* 451. *cum sequentib.*
Forma adiurandi dœmones, qua Christus, & Apostoli vsi sunt, *pag.* 451. *num.* 16.
Quam virtutem habeant exorcismi Ecclesiæ, & aliæ res sacræ ad expellendos dœmones? *ibid. à num.* 17. *vsque ad* 27. *inclusivè.*
An aliquæ res naturales habeant virtutem ad fugandos dœmones? *pag.* 454. *toto punct.* 4. *à num.* 28. *vsque ad* 32.
Per quam corporis partem in energumenis dœmones ingrediantur, & egrediantur, & in qua resideant? *pag.*456. *num.*36. & 37.
Cuius ordinis sint dœmones, qui corpora humana subintrant? *pag.*457. *num.*38. & 39.
An plures dœmones possint idem corpus possidere? *pag.*458. *num.*40.
An magis corpus obsessi crucient, plures dœmones, quam pauci? *ibid. num.*41.
Signa ad cognoscendum, quando dœmones hominum corpora possident, *ibid. num.* 42. & 43.
Quam potestatem habeant dœmones circa corpus, & animam energumeni? *pag.* 459. *num.* 44. & 45.
De duplici miraculosa expulsione dœmonum à corporibus obsessis facta Abulæ, & Albæ meritis, & intercessione S. M. N. Theresiæ, *pag.* 459. *num.*46. & 47.
An operationes energumeni dœmoni imputentur? *pag.* 460. *num.* 48. & 49.
Quæ potest Exorcista à Dœmone interrogare? *pag.* 461. *à num.* 50. *vsque ad* 63.
An dœmoni fides adhibenda sit, si vi exorcismorum in ordine ad ingressus causam aliquid manifestent, & maxime, si dicat non esse vere baptizatum? *pag.* 464. *toto §.* 2. *à num.* 64. *vsque ad* 75.
An dœmones lætentur de ingressu in homines, & aliquod pœnarum levamen accipiant? *pag.*469. *à num.*81. *vsque ad* 83.
An aliqui dœmones vagentur in aere, qui nunquam in carceri inferni detrusi fuerint? *pag.* 470. *num.* 84.
De modo, quo ignis inferni torquet dœmones apud nos existentes, *ibid. à num.* 85. *vsque ad* 89.
Quare dœmones renuant egressum ex hominum corporibus? *pag* 471. *num.*90.
Quare dœmones lunatici, surdi, & muti difficilius ab obsessis eijciantur? *pag.* 472 *n.*91.
De signis egressus dœmoniorum ab obsessis, *ibid. num.* 92.
An vno dœmone expulso, omnes simul ab energumeno expellantur? *pag.*473. *num.*95.
Qui sint dœmones, qui spectris domus infestant, homines que terrificant? *pag.* 473. *à num.*96. *vsque ad* 105.
Qualiter prædicti dœmones sunt à domibus expellendi? *pag.*475. *num.* 106.
Vide verb. *Larvæ.*

Dominica.

Festivitas Sabbathi ab Ecclesia est in Dominicam diem translata, *pag.* 487. *à num.* 30. *ad* 36.
An talis festivitas sit de Iure Ecclesiastico, aut Divino? *pag.*489. *à num.* 37. *ad* 40.

Duellum.

An duellum assumi possit, vt medium ad ostendendam veritatem, aut iustitiam? *pag.* 400. *num.* 97.

E

ECCLESIA.

AN Ecclesia possit compellere armis, ne infideles Principes in suis regnis Evangelij prædicationem impediant? *pag.* 168. *num.* 9. & 10.
An Ecclesia possit privare indirecte Principes in fideles dominio in vassallos fideles, quando adest perversionis periculum? *pag.* 170. *num.* 15. & 16.
Vtrùm Ecclesia possit armis cogere infideles non subditos ad derelinquendos errores, & ritus rationi naturali contrarios? *pag.* 171. *à num.*17. *vsque ad* 23. *inclusivè.*

Eleemosyna.

Quæ & quotuplex sit eleemosyna, & quando obliget eius præceptum? *pag.* 255. *à num.* 1. *vsque ad* 6.
An satisfaciat præcepto eleemosynæ, qui in extrema necessitate rem mutuat, aut dilata solutione vendit? *pag.*257. *à num.*7. *ad* 11.
Ex superfluis in gravi necessitate tenemur eleemosynam elargiri, *pag.* 258. *à num.*12. *ad* 16.
Divites tenentur in communibus necessitatitibus ex superfluis eleemosynam dare, *pag.* 259. *num.* 17. & 18.
Solum qui dominium, & administrationem rerum habent possunt dare eleemosynam; vbi de vxore, filijs, & servis, *pag.* 260. *à num.* 19. *ad* 22.
Qualiter Ecclesiastici Sæculares, & Regulares Prælati debeant dare eleemosynam? *pag.*261. *à num.*24. *vsque ad* 26.
Iudices valent aliquando compellere divites ad elargiendum eleemosynam, *ibid. num.*27.
Ex quibus bonis elargienda est eleemosyna? *ibid. num.* 28. & 29.
Ad quos attinet, eleemosynam Prædicatori elargiri? *pag.*262. *num.*30.
Solis vere egentibus danda est eleemosyna, *ibid. num.*31.
An ficti pauperes dominium eleemosynæ adquirant? *pag.*262. *à num.*32. *ad* 33.
Qui sint eleemosynarum quæstores à Tridentino prohibiti? *pag.*363. *num.*34. & 35.
An Religiosi mendicantes possint ab Ordinarijs impediri, ne eleemosynas emendicent? *pag.* 264. *num.*36.
An mendicantes ab alijs Religiosis impediri valeant, ne eodem die, ac loco emendicent? *pag.* 264. *num.* 37.
Quæ privilegia habeant Carmelitæ Discalceati, vt à nullo Regulari à petendis eleemosinis impediantur, *ibid. à num.*38. *vsque ad* 40. *inclusivè.*
Qui impedit Carmelitas emendicare, Inquisitoribus, vt hæreticus denunciandus, *ibid. num.* 38.

S. P. N. Elias.

Motiva, quibus Patriarcha, & Parens noster Elias

Elias à fidelibus invocari, & orari posit? *pag.* 314. *à num.* 32. *vsque ad* 45.
Adnotatur inconsideratio P. Mag. Raphaelis de la Torre, *pag.* 317. *num.* 45.

Energumenus.

Quam virtutem habeant exorcismi Ecclesiæ ad pellendos dœmones ab energumenis? *pag.* 450. *à num.* 15. *ad* 27.
An sint res naturales, quæ ex se habent virtutem ad fugandos dœmones ab energumenis? *pag.* 454. *à num.* 28. *vsque ad* 32.
Qualiter dœmones in energumenorum corpora subintrent, & in qua eius parte assistant? *pag.* 456. *à num.* 33. *vsque ad* 37.
Cuius ordinis sunt dœmones corpora humana subintrantes? *pag.* 457. *num.* 38. *&* 39.
An in eodem energumeno plures sint dœmones; & quo plures acervius etiam illum torqueant? *pag.* 458. *num.* 40. *&* 41.
Quibus signis energumeni cognosci valent? *ibid. num.* 42. *&* 43.
Dœmones habent potestatem non solum in energumeni corpus, sed etiam indirecte in animam, *pag.* 459. *num.* 44. *&* 45.
Miraculosa liberatio cuiusdam Religiosæ energumenæ meritis S. M. N. Theresiæ, *ibid. num.* 46.
Qualiter energumenos dœmones crudeliter crucient? *ibid. num.* 45. *&* 46.
An operationes, alias peccaminosæ tribendæ sunt energumenis, an dœmonibus? *pag.* 460. *num.* 48.
An liceat energumenos alapis, & verberibus vexare? *pag.* 467. *num.* 76.
An medicamenta ad expulsionem dœmonis aliquomodo conducentia, possint illis applicari? *pag.* 468. *num.* 77.
In quo loco energumeni sunt exorcizandi? *ibid. num.* 78.
An energumena monialis possit extra clausuram exorcizari? *ibid. num.* 79.
Vide verb. *Exorcismus.*

Ensalmus.

Quid, & quotuplex sit ensalmus? *pag.* 408. *num.* 123.
Ensalmus invocativus ex genere licitus est, *ibid. num.* 124.
Ensalmus constitutivus semper est illicitus, *ibid. num.* 125.
Quomodo cognosci valet, quando ensalmus est illicitus, & superstitiosus? *pag.* 409. *n.* 126.

Epickeia.

Quid sit Epickeia, & quando in conscientia dubia ea vti liceat? *pag.* 34. *à num.* 11. *ad* 13.

Episcopus.

Quales virtutes, & scientia requirantur in Episcopis? *pag.* 141. *num.* 56. *&* 57.
An Episcopus valeat cognoscere de crimine solicitationis? *pag.* 208. *num.* 18. *&* *pag.* 209. *num.* 21.
An Episcopi possint absolvere ab hæresi externa, occulta tamen? *pag.* 187. *à num.* 81. *vsque ad* 86. *inclusivè.*
An Episcopi solicitantes subijciantur Inquisitoribus, illis que sint denunciandi? *pag.* 211. *num.* 30. *&* 31.
An Episcopus hæreticus sit Inquisitoribus denunciandus? *pag.* 196. *à num.* 113. *vsque ad* 115.

Eucharistia.

An in Eucharistia sit Christus absolute adorandus, an sub conditione? *pag.* 339. *num.* 13.
An caro, & sanguis in Eucharistia aliquando miraculose apparentes debeant latria adorari? *ibid. num.* 14. *&* 15.

Exorcismus, & Exorcista.

Exorcismorum origo, & virtus, *pag.* 450. *à num.* 15. *vsque ad num.* 24.
Aliæ res sacræ, quæ habent virtutem ad dœmones fugandos, vbi de nomine Iesu, Christi Cruce, & aqua benedicta, *pag.* 453. *à num.* 24. *vsque ad* 27.
Quibus exorcismis Larvæ à domibus fugentur? *pag.* 475.
Qualiter Exorcista se debeat disponere ad energumenos adiurandos? *pag.* 461. *num.* 50.
Quæ debeat Exorcista dœmoni imperare, & interrogare? *pag.* 461. *num.* 51. *&* 53.
Non valet præcipere dœmoni superiori, vt inferiorem expellat? *ibid. num.* 52.
Licite à dœmone quæri potest nomen, numerum que obsidentium, causam ingressus, & egressus signum, *pag.* 462. *num.* 53. *&* 54.
Vana ab Energumeno quærere, quale sit peccatum? *ibid. num.* 55. *vsque ad* 57.
Exorcista caveat, ne iocetur cum dœmone, plura que ei loqui permittat? *pag.* 463. *n.* 57.
An liceat Exorcistæ, dœmonem interrogare coactive aliquid, quod prudenter credit futurum esse conducens ad Dei gloriam, & aliorum vtilitatem? *pag.* 463. *à num.* 58. *vsque ad* 63.
Qualiter Exorcista possit adhibere fidem his, quæ à dœmone circa sui ingressus causam dicuntur? *pag.* 464. *à num.* 64. *ad* 75.
An Exorcista possit Energumenos alapis, verberibus, sputis, & similibus vexare? *pag.* 467. *num.* 76.
Potest applicare Energumeno herbas, & medicamenta, quæ habent virtutem ad minuendos humores, quibus dœmones vtuntur ad illum torquendum, *pag.* 468. *num.* 77.
In quo loco, & tempore debeat Exorcista Energumenos adiurare? *ibid. num.* 78.
An energumenam sanctimonialem liceat extra Monasterij septa exorcizare? *pag.* 468. *num.* 79. *&* 80.
Cavere debet Exorcista, ne, cum signa egressus petit, sint hæc nociva ipsi Energumeno, aut alicui aliæ personæ? *pag.* 472. *num.* 93.
In quibus possit Exorcista dœmonibus egressuris annuere? *pag.* 473. *num.* 94.

F

FAMULUS.

NOn licet Christianis famulari Iudæis, *pag.* 175. *num.* 36.
An liceat famulis litteras amatorias ad Domini concubinam deferre? *pag.* 300. *à num.* 67. *ad* 71.

An

An excusentur à peccato scandali famuli, qui metu mortis, aut notabilis detrimenti scalam, aut humeros supponunt Domino conanti fenestram ad fornicandum ascendere, *pag.* 301. *à num.* 73. *vsque ad* 75.

Fascinatio.

Quæ, & quotuplex sit fascinatio, *pag.* 409. *num.* 127.

An in aliquibus hominibus sit virtus naturalis ad fascinandum? *pag.* 409. *num.* 128. *vsque ad num.* 130.

Fascinatio vulgaris est superstitiosa, *pag.* 411. *num.* 135.

Superstitiosum est, pueros fascinatos benedicendos offerre quibusdam vetulabus, quas vulgus credit ad hoc virtutem habere, *pag.* 412. *num.* 136.

Communiter fascinatio evenit ex dœmonis pacto, *ibid. num.* 137.

Qui fascinat ex virtute naturali, quid agere debeat, ne in hoc peccatum committat, *ibid. num.* 138.

Festus dies.

Quando, & qui dies sint vt festi ab Ecclesia observandi.

Vide verb. *Dies festi.*

Fides.

Quid sit fides supernaturalis, & quod eius obiectum? *pag.* 126. *num.* 1. & 2.

Qualiter distinguantur *credere Deo*, *credere Deum*, & *credere in Deum*, *pag.* 127. *num.* 3.

An in Beatis, damnatis, aut hæreticis reperiatur fides supernaturalis? *pag.* 127. *à num.* 4. *ad* 8.

An in Angelis, animabus Purgatorij fuerit fides? *pag.* 128. *num.* 6. & 7.

An fides sit necessaria necessitate medij ad salutem? *pag.* 129. *num.* 9. *ad* 12.

Respectu quorum mysteriorum requiratur medij necessitate fides explicita? *à num.* 13. *vsque ad* 18.

Quorum mysteriorum sufficiat fides implicita? *pag.* 131. *num.* 18.

Incapax absolutionis est pœnitens, qui principalia mysteria fidei ignorat, *ibid. num.* 19. & 20.

An detur præceptum credendi, & quando obligat? *pag.* 132. *à num.* 21. *ad* 34.

Quomodo obliget præceptum fidei, quando Tyrannus vrget ad eam negandam? *pag.* 134. *num.* 34.

Quos symboli articulos teneantur fideles explicite credere? *pag.* 135. *num.* 38. *vsque ad* 42.

Quædam dubiola circa explicationem articulorum fidei resolvuntur, *pag.* 137. *à num.* 42. *vsque ad* 46.

Quæ Ecclesiæ Sacramenta debeant fideles credere, & eorum intelligentiam percipere? *pag.* 138. *num.* 46.

Debent etiam fideles scire, & habere expressam notitiam præceptorum decalogi, & Ecclesiæ; nec non orationes Dominicæ, *pag.* 138. *num.* 47.

Debent etiam scire se signo crucis signare, *ibid. num.* 48.

Qualiter hucusque dicta debeant fideles scire? *ibid. num.* 49. 50. & 51.

Qualem fidei notitiam obligentur habere Episcopi, Parochi, & alij Ecclesiæ Prælati? *pag.* 141. *à num.* 53. *vsque ad* 57. *inclusivè.*

Confessarius negare debet absolutionem mysteria fide ignorantibus, *pag.* 142. *num.* 58.

Et idem dicendum est, si laboret ignorantia vincibili mysteriorum fidei, quæ necessario necessitate præcepti sunt credenda, si ter admonitus ea non adiscat, *pag.* 142. *num.* 59. & 60.

Qualiter se gerere debeat Confessarius cum moribundo ignorante doctrinam Christianam? *ibid. num.* 61.

An Confessarij teneantur interrogare omnes pœnitentes de doctrina Christiana? *pag.* 143. *num.* 62. & 63.

Datur præceptum de externa fidei confessione, *pag.* 144. *à num.* 65. *vsque ad* 66.

An peccet, qui de fide interrogatus, tacet? *ibid. à num.* 67. *vsque ad* 71. *inclusivè.*

An videns imagines sacras ab hæretico calcari, debeat publica confessione eas defendere? *num.* 72. *pag.* 145.

Quando liceat fugere Tyrannum, ne quis cogatur confiteri, aut negare fidem, & quid de Episcopis, & Prælatis? *pag.* 146. *à num.* 73. *vsque ad* 76.

Quando quis teneatur ex præcepto Ecclesiastico exterius fidem confiteri? *pag.* 147. *num.* 77. & 78.

Parochi tenentur in manibus Episcopi confessionem fidei facere, *pag.* 148. *num.* 97.

Canonici, & aliæ Dignitates Ecclesiæ Cathedralis debent coram Episcopo, & Capitulo confessionem fidei facere, *ibid. num.* 80.

An Beneficiarij, & Canonici, si amittant professionem fidei facere, faciant pro illo tempore fructus suos? *ibid. à num.* 81. *ad* 83. *inclusivè.*

Quid dicendum si illam omittant ex ignorantia inculpabili? *pag.* 149. *num.* 84.

Quo tempore ob omissionem confessionis incipiat obligatio restitutionis fructuum? *ibid. num.* 85.

Professio fidei obligat, transacto bimestri, *pag.* 150. *num.* 87.

An Archiepiscopi, & Episcopi teneantur elicere fidei professionem? *ibid. num.* 88.

Quid dicendum de Prælatis Regularibus, Doctoribus, & Magistris? *ibid. num.* 89. & 90.

An hæc fidei professio possit fieri per procuratorem? *pag.* 151. *à num.* 91. *vsque ad* 96.

¶ Forma faciendi professionem fidei iuxta constitutionem Pij IV. *pag.* 152. *num.* 95.

Datur præceptum divinum obligans ad nunquam negandam externe fidem, *pag.* 153. *num.* 96.

An qui negat, esse Christianum, aut Papistam, agat contra hoc præceptum? *ibid. num.* 97.

Rogatus, an sit Sacerdos, vel Religiosus, & id negans, non diffitetur fidem? *pag.* 154. *n.* 98.

Qui interrogatus, an sit Turca, vel Lutheranus, id affirmat, contra fidem peccat, *ibid. num.* 49.

An liceat adolere thus, aut genuflectere coram Idolo, sine interna adoratione ? *pag. ibid. à num.* 100. *vsque ad* 103.
An in hoc præcepto exterius non negandi fidem, & alijs præceptis negativis, sit parvitas materiæ ? *pag.* 155. *toto punct.* 9. *à num.* 104. *vsque ad* 109.
An sit licitum occultare fidem, vestes infidelium induendo ? *pag.* 158. *à numer.* 110. *ad* 120.
An liceat adire templa infidelium, & hæreticorum conciones audire ? *pag.* 160. *à num.* 121. *vsque ad num.* 126.
An licitum sit aliquando, idolothytis vesci? *pag.* 162. *num.* 128.
An liceat Catholicis, per terras hæreticorum transeuntibus, vesci carnibus in die veneris? *ibid. num.* 129.
Quid dicendum, si transeant per Angliam, vbi esus carnium in die veneris est institutus ad hæresim Calvinianam protestandam? *ibid. num.* 130.
Quando Princeps infidelis instituit esum carnium in contemptum Christianæ Religionis, non licet eas edere, *pag.* 163. *num.* 131.
An licitum sit omnibus Catholicis cum infidelibus, & hæreticis de rebus fidei disputare ? *pag.* 163. *à num.* 132. *vsque ad* 139.

G

Genethlia.

Quid sit genethlia? *pag.* 381. *num.* 23.

Geomantia.

Quæ species divinationis sit geomantia ? *pag.* 381. *num.* 22.

Gentiles.

An liceat Christianis Gentilium templa adire? *pag.* 161. *num.* 122. & 123.
Quid dicendum, si metu mortis ad id compellantur? *ibid. num.* 124.

H

Haruspicium.

Quæ species adivinationis est haruspicium? *pag.* 381. *num.* 22.

Heremitæ.

An peccaverint heremitæ antiqui, solitudines habitantes, non audiendo sacrum diebus festis? *pag.* 535. *num.* 214.
Qualiter Carmelitæ Discalceati in heremo viventes ad mansionem in cellulis teneantur? *pag.* 320. *à num.* 56. *vsque ad num.* 59.

Hæresis, & hæreticus.

Quid, & quotuplex sit hæresis? *pag.* 177. *à num.* 39. *ad* 40. *pag.* 182. *num.* 59.
Qui fidem exterius negat metu compulsus absque errore interiori non est formaliter hæreticus, *ibid. num.* 41. & 42.
An sit hæreticus, qui revelationi privatæ non credit? *pag.* 178. *num.* 44. & 45.
An negans, quod Christus sit risibilis, sit formaliter hæreticus? *ibid. num.* 46.
Qui res fidei negat, paratus tamen corrigi, si argumentis convincatur, hæreticus est, *pag.* 179. *num.* 48.
An sit hæreticus, qui fidei propositæ ab Episcopo dissentit? *ibid. num.* 49. & 50.
An cathecumenus, si recedat à fide, sit hæreticus formalis? *pag.* 180. *num.* 52.
Quid dicendum de cathecumeno non baptizato, si recedat à fide? *ibid. num.* 54.
Invalide baptizatus ob defectum materiæ, & formæ, si recedat à fide, non potest puniri ab Ecclesia; secus vero, si absque intentione recipiendi baptismum, baptizatus est, *pag.* 181. *num.* 55. & 56.
Quot sunt pœnæ latæ contra hæreticos ? *pag.* 182. *à num.* 60. *vsque ad* 68.
Qualiter pro executione pœnæ mortis tradendus est hæreticus Iudici sæculari? *pag.* 184. *num.* 69.
Qui hæretici excommunicationem incurrant? *ibid. à num.* 70. *vsque ad* 72.
Quæ verba, aut signa sint sufficientia ad hæresim internam manifestandam ? *pag.* 185. *num.* 73.
An, qui verbis æquivocis hæresim manifestat, sit hæreticus externus? *ibid. num.* 75.
An sit hæreticus externus, qui hæresim scribit, aut in somnis manifestat ? *pag.* 186. *à num.* 76. *vsque ad* 79.
Qui possint ab hæresi externa, occulta tamen, absolvere? *pag.* 187. *à num.* 80. *ad* 86.
An in facultate generali absolvendi omnes casus Bullæ Cœnæ comprehendatur hæresis? *pag.* 188. *num.* 87. 88. & 89.
An Inquisitores possint in foro conscientiæ ab hæresi absolvere? *pag.* 189. *num.* 90. *ad* 92.
An in articulo mortis possit quilibet Sacerdos hæreticum absolvere? *pag.* 190. *num.* 93.
Omnes tenentur denunciare hæreticum, tam publicum, quàm occultum, etsi id probare non possint, *pagin.* 191. *numer.* 95. & 96.
An hæreticus occultus, omissa correctione fraterna, sit denunciandus, *ibid. num.* 98. *cum sequentib.*
Bulla Alexand. VII. circa modum denunciandi hæreticos, aut de hæresi suspectos, *pag.* 192. *num.* 102.
Nullus tenetur se, aut socios hæresis denunciare, *pag.* 194. *num.* 104.
Confessarius non potest denunciare hæreticum, in confessione cognitum, *ibid. num.* 103.
An teneamur hæreticum sanguine valde coniunctum denunciare? *ibid. num.* 105. *ad* 109.
An hæreticus occultus, iam emendatus, sit denunciandus? *pag.* 195. *à n.* 110. *vsque ad* 112.
An sint denunciandi Episcopi, & alij Superiores, qui ex iure sunt exempti à iurisdictione Inquisitorum ? *pag.* 196. *à num.* 113. *vsque ad* 115.
Quæ sint pœnæ contra omittentes denunciationem hæretici? *pag.* 197. *num.* 116.
Quæ notitia hæresis sit necessaria, vt obligemur ad eius denunciationem, *ibid. num.* 117.

Qui

Qui per ignorantiam hæresim protulit, denunciandus non est, *ibid. num.* 117.
Quæ delicta suspicionem hæresis generent?
Vide verb. *Suspicio.*

Hydromantia.

Quæ species divinationis sit hydromantia? *pag.* 281. *num.* 22.

Homicidium.

Homicidium, ab ebrio perpetratum, non est actus moralis, *pag.* 7. *num.* 15.

Hora.

Qua hora solvi debet ieiunium? *pag.* 596. *num.* 84. & 85.
Qualiter peccent, qui antevertunt horam solutionis ieiunij? *pag.* 597. *à num.* 86. *vsque ad* 89.
Quæ sint causæ honestantes anticipationem horæ solutionis ieiunij? *gag.* 598. *num.* 90.

I

IACTANTIA.

QUid sit iactantia, & quale peccatum? *pag.* 102. *num.* 64. & 65. *vsque ad* 67.
An laudans alterum de peccato mortali læthaliter peccet? *pag.* 103. *num.* 68.
Quale peccatum sit iactare se de falsis virtutibus, aut ob iactantiam opera bona facere? *ibid. num.* 69. & 70.
Qui alium exprobat de peccato mortali non commisso, an mortaliter peccet? *pag.* 104. *num.* 71.
An iactantia sumat speciem à peccato, de quo quis gloriatur? *ibid. num.* 72.

Idololatria.

Quid sit idololatria, & quale peccatum? *pag.* 376. *à num.* 9. *vsque ad* 14.
De pœnis contra Idolatras, *pag.* 378. *num.* 15.

Ieiunium.

Quotuplex sit ieiunium? *tract.* 23. *cap.* 2. *punct.* 1. *pag.* 573. *num.* 1.
Qualiter definiatur ieiunium Ecclesiasticum? *ibid. pag.* 573. *num.* 2.
Cuius virtutis sit actus, & quanti meriti apud Deum? *ibid. à num.* 3. *vsque ad* 5.
Datur præceptum Ecclesiasticum de ieiunio observando, *pag.* 574. *num.* 6.
An sit hoc præceptum affirmativum, vel negativum? *pag.* 575. *num.* 7.
Quæ requirantur ad formam ieiunij Ecclesiastici observandam? *pag.* 575. *num.* 6.
Qualiter ad formam ieiunij requirantur abstinentia à carnibus, & lacticinijs, vnica comestio, & tempus refectioni destinatum? *pag.* 575. *num.* 9.
Sub gravi culpa obligat ieiunij præceptum? *pag.* 576. *num.* 11. & 12.
De abstinentia à lacticinijs in diebus Quadragesimæ.
Vide verb. *Abstinentia.*
Ad ieiunij formam requiritur vnica refectio, *pag.* 575. *num.* 8. & 9.
An qui ex vnica refectione, ita se ingurgitat, vt nullam postea afflictionem carnis sentiat, adimpleat præceptum Ecclesiasticum ieiunij? *pag.* 585. *à num.* 43. *vsque ad* 45. *inclusivè.*
An qui pluries in die ieiunij edit cibos quadragesimales, toties peccet? *pag.* 586. *à num.* 46. *ad* 49. *inclusivè.*
Quod spacium temporis interrumpat comestionem vnicam, exactam ad ieiunium? *pag.* 587. *num.* 50. & 51.
Quando interrumpitur comestio?
Vide verb. *Comestio.*
Electuaria non solvent ieiunium, *pag.* 588. *num.* 52. & 53.
Vinum non solvit ieiunium, *ibid. num.* 56.
Cervisia, aloxia, & similes aquæ ieiunium non solvunt, *pag.* 589. *num.* 52.
Solvunt ieiunium lac, & ius, *ibid.*
Qualiter potio chocolatica solvat ieiunium? *ibid. à num.* 58. *ad* 63. *inclusivè.*
Poma ieiunium solvunt, *pag.* 591. *num.* 64.
Vbæ frangunt ieiunium, si pluries comedantur, *pag.* 591. *num.* 65.
An ne potus noceat, possit aliquid cibi sumi, quoties bibitur? *pag.* 591. *à num.* 66. *vsque ad* 69. *inclusivè.*
De quantitate collationis.
Vide *Collationem.*
In qua hora sit solvendum ieiunium?
Vide verb. *Hora.*
Quibus diebus obliget ieiunij præceptum? *pag.* 598. *à num.* 91. *ad* 99. *inclusivè.*
Vigilia S. Mathiæ ieiunanda est, etsi incidat in carnis privio, *pag.* 599. *num.* 93.
Quando obligatio ieiunij incipiat, & finiatur? *pag.* 603. *num.* 111.
Si dubitas de auditione horæ duodecimæ mediæ noctis, aut sunt duo horologia, quid agere debeas? *pag.* 604. *num.* 112. & 113.
An debeat à cœna cessare ad auditionem primæ pulsationis horæ duodecimæ noctis? *num.* 114. *vsque ad* 116. *inclusivè.*
An omnes vtriusque sexus fideles ad ieiunium teneantur, & quo ætatis anno? *pag.* 605. *num.* 117.
Possunt iuvenes ante 21. annum ad ieiunium obligari ex voto, pœnitentia, & quando magna, & communis necessitas Reipublicæ vrget, *ibid. num.* 118.
An die, quo quis explet 21. annum ad ieiunium teneatur? *pag.* 606. *num.* 120.
An Religiosi professi ante 21. annum ad regulæ ieiunia teneantur? *ibid. à num.* 121. *vsque ad* 123.
Infirmi, & convalescentes à ieiunijs deobligantur, *pag.* 607. *num.* 124.
Quid dicentur de his, qui patiuntur capitis vertiginem, & cauteria? Vulgò, *Fuentes, ibid. num.* 125.
Prægnantes, & lactentes, & si robustæ sint, à ieiunio excusantur, *ibid. num.* 126.
Quæ reddere debitum non valent, aut virgines se deformantes, à ieiunio liberantur? *pag.* 608. *num.* 127.
Qua ætate deobligentur senes à ieiunio? *ibid. à num.* 128. *ad* 31.
Qua ætate mulieres deobligentur à ieiunio? *pag.* 609. *num.* 131.
Quid dicendum de pauperibus? *num.* 133.
An Regulares sexagenarij à ieiunijs regulæ eximantur? *ibid. num.* 132.

Qui ob laborem corporalem iuxta decreta Pontificia à ieiunio excuſentur? *num.* 134. & 135. *pag.* 610.
Qualiter Agricolæ, fabriferrarij, & alij officiales, diu opera laborioſa exercentes à ieiunio excuſentur? *ibid. num.* 136.
Qui pedeſtres incedunt non tenentur ad ieiunandum, *pag.* 611. *num.* 137.
Quando qui incedunt equeſtres à ieiunio deobligentur? *ibid. num.* 138.
An Sartores, & Barbitonſores excuſentur à ieiunio? *ibid. num.* 139.
An Pictores, Scribæ, Iuriſperiti, Notarij, & Procuratores excuſentur à ieiunio? *ibid. num.* 140.
Milites deobligantur à ieiunijs, *pag.* 612. *numer.* 141.
Quando aſsiſtentes infirmis, & peregrinantes ad loca ſacra à ieiunio liberentur, *ibid. num.* 142. *vſque ad* 144.
An liberentur à ieiunio ſumentes diſciplinam ſanguineam in feria 5. maioris hebdomadæ? *pag.* 613. *num.* 145. & 146.
Quando Doctores, Lectores, & Oppoſitores à ieiunio deobligentur? *ibid. num.* 147. & 148.
Quid dicendum de Prædicatoribus, & Confeſſarijs? *pag.* 614. *num.* 149. & 150.
Qualiter Cantores à ieiunio excuſentur? *ibid. num.* 151.
Quæ peccata committat, qui à conſilio infirmatur, vt deobligetur à ieiunio? *pag.* 615. *num.* 153.
Pontifex, & Epiſcopi poſſunt in ieiunijs diſpenſare, *ibid. num.* 154.
An Parochi cum parochianis, & Prælati regulares cum ſubditis poſsint diſpenſare in ieiunio? *ibid. num.* 155. & 156.
De cauſis, quæ requiruntur ad diſpenſandum in ieiunio, *pag.* 616. *num.* 157.
An in dubio cauſæ poſsit quilibet Regularis ieiunium ſolvere? *ibid. num.* 158. & 159.
An poſsit Epiſcopus ex cauſa legitima ieiunia Eccleſiæ in alium diem transferre? *ibid. n.* 160.
Vtrùm valeat Epiſcopus, aut Prælatus, communi exiſtenti neceſsitate cum toto populo in ieiunio diſpenſare? *pag.* 617. *num.* 161.

Ignorantia.

Quid, & quotuplex ſit ignorantia? *pag.* 105. *num.* 1. *vſque ad* 5.
An detur ignorantia mortaliter culpabilis, quæ non ſit craſa, aut ſupina? *pag.* 106. *à num.* 5. *ad* 6.
Qualiter ignorantia ſit peccati cauſa? *ibid. num.* 7.
Quid requiratur, vt detur ignorantia invincibilis? *pag.* 107. *à num.* 8. *vſque ad* 13.
Quæ diligentiæ ſufficiant, vt ignorantia ſit invincibilis? *pag.* 108. *à num.* 13. *vſque ad* 16.
An ignorantia invincibilis excuſet à peccato? *pag.* 109. *num.* 17.
An poſsit dari ignorantia invincibilis myſteriorum fidei? *pag.* 110. *num.* 19. *vſque ad* 21.
Vtrùm poſsit dari invincibilis ignorantia iuris poſitivi humani? *pag.* 111. *num.* 22. & 23.
Qualiter præcepta decalogi, & alia iuris naturalis poſsint invincibiliter ignorari? *ibid. à num.* 24. *vſque ad* 29.
Quid dicendum, ſi præcepta naturalia ſint veſtita aliqua circunſtantia apparenter honeſta? *pag.* 113. *à num.* 30. *vſque ad* 36.
An ignorantia ſit in ſe peccatum, & diſtinctum ab eo, cuius eſt cauſa? *pag.* 115. *num.* 38.
An ignorantia mortaliter culpabilis, ſi non eſt ſupina, aut craſa excuſet à mortali in præceptis humanis? *ibid. num.* 40. & 41.
Tranſgreſsio præcepti ex ignorantia leviter culpabili eſt leve peccatum, *pag.* 116. *numer.* 42.
Quot peccata committit, qui incurrit ignorantiam vincibilem, prævidendo ſe exponere pluribus peccatis, quæ ex tali ignorantia probabiliter oriuntur? *ibid. à num.* 43. *ad* 45.
An ſit abſolutionis capax, qui fidei myſteria ignorat? *pag.* 131. *num.* 19. & *pag.* 142. *num.* 58. *ad* 60.
Quid agendum cum pœnitente moribundo, myſteria fidei ignorante? *ibid. num.* 61.

Imago.

An liceat imaginem Chriſti apparentem venerari, quando dubitatur, an ſub illa lateat dœmon? *pag.* 35. *à num.* 14. *vſque ad* 21.
Quo cultu imagines SS. Trinitatis, & Sanctorum ſint adorandæ? *pag.* 357. *numer.* 85. *ad* 89.
An ſint imagines adorandæ eadem adoratione, ac prototypus? *pag.* 359. *à num.* 90. *ad* 94.
Quid dicendum de adoratione Imaginum, quæ in viſionibus apparet? *ibid. num.* 94. 95. & 96.
An detur ſpeciale præceptum vtendi ſacris imaginibus? *pag.* 360. *num.* 98.
An imagines Sanctorum, & Dei Patris, & cuiuſcumque perſonæ SS. Trinitatis licitum ſit depingere? *pag.* 356. *à numer.* 81. *vſque ad* 84.
Vide verb. *Adoratio.*

Inductio.

Qualiter inductio ad furtum ſit peccatum, obliget que ad reſtitutionem? *pag.* 297. *numer.* 56. & 57.
An liceat inducere ad iurandum, quando iuraturus ignorat eſſe verum? *pag.* 303. *numer.* 79.
Quid de inductione ad iurandum falſum, quando iurans credit eſſe verum? *ibid. num.* 80.
Vide verb. *Scandalum.*

Indulgentia.

Dantur indulgentiæ pro mortuis, *pag.* 324. *à num.* 71. *vſque ad* 81.
Qualiter fideles poſſunt indulgentias lucrari, & eas applicare defunctis? *pag.* 326. *à num.* 80. *vſque ad* 84.

Infideles.

Non licet infidelibus vendere res, quæ determinatæ ſunt ad ritus ſacrilegos, *pag.* 173. *num.* 25.
An liceat cum infidelibus communicare in Sacramentis? *ibid. num.* 26.
Communicatio politica cum infidelibus, qualiter liceat? *ibid. num.* 27.

Inimicus.

Inimicum ex præcepto charitatis tenemur diligere, *pag.* 248. *num.* 18.

An teneamur inimico signa dilectionis exhibere? *ibid. num.* 19.

Quid de salutatione, & resalutatione inimici? *ibid. num.* 20. & 21.

Vide verb. *Charitas.*

Inquisitores.

Qualiter Inquisitores testimonia contra solicitantes debeant excipere? *pag.* 228. *n.* 105.

Quibus pœnis possint solicitantes punire? *ibid. num.* 106.

Forma ferendi sententiam contra solicitantes, *pag.* 229. *num.* 110.

An Inquisitores per se solos possint in foro conscientiæ ab hæresi absolvere? *pag.* 189. *num.* 90. *cum sequentib.*

An cognitio criminis maleficij, & divinationis superstitiosæ ad Inquisitores pertineat? *pag.* 433. *num.* 204. & 205.

Non licet Inquisitoribus, etiam curiositatis causa rogare à maleficis, vt coram ipsis maleficia exerceant, *pag.* 416. *num.* 150. *in fine.*

An Inquisitores solicitantes sint Inquisitioni denunciandi? *pag.* 211. *num.* 31.

Cognitio blasphemiæ hæreticalis ad Inquisitores attinet, *pag.* 200. *num.* 128.

Imperatores, & alij Principes sæculares, si hæretici sint, subduntur Inquisitorum iurisdictioni, *pag.* 196. *num.* 113.

An Cardinales, & Episcopi sint exempti ab Inquisitorum iurisdictione; & qui nomine Episcoporum intelligantur? *ibid.*

Edictum Inquisitionis contra Sacerdotes solicitantes, *pag.* 208. *num.* 20.

Intentio.

Triplex est intentio actualis, virtualis, & habitualis, *pag.* 25. *num.* 12.

Ad merendum, & demerendum insufficiens est intentio habitualis, *ibid.*

Invidia.

Quid sit invidia, & quale peccatum? *pag.* 285. *num.* 9. & 10.

Dividitur invidia in duplicem speciem, *ibid. num.* 11.

Irreligiositas.

Quot sint species irreligiositatis? *pag.* 434. *in proœmio, punct.* 1.

Itinerantes.

Itinerantes pedestres, aut equestres, quando à ieiunio excusentur? *pag.* 611. *n.* 137. & 138.

Iudæus, & Iudæismus.

Quid sit Iudæismus? *pag.* 166. *num.* 2.

An liceat Catholico cum Iudæis communicare? *pag.* 174. *à num.* 28. *vsque ad* 38.

Non licet mulieribus Catholicis lactare filios Iudæorum, *pag.* 175. *num.* 34. & 35.

Iudex.

Qualiter debeat Iudex ferre sententiam contra solicitantes? *pag.* 229. *num.* 110.

Quis sit maleficorum iudex? *pag.* 433. *num.* 304. & 305.

Iurare.

Qualiter possumus inducere ad iurandum? Vide verb. *Inductio.*

Quæ iuramenta violent diem festum? *pag.* 556. *à num.* 293. *vsque ad.* 304.

Vide verb. *Placitum.*

L

LABORARE.

IN festis præcipitur non laborare, seu à servilibus cessare, *pag.* 536. *num.* 218. & 219.

A quibus operibus servilibus cessare debeant fideles in die festo? *pag.* 537. *à num.* 220. *cum sequentibus.*

Vide verb. *Opus servile.*

Parvitas materiæ excusat à mortali laborantes in die festo, *pag.* 562. *num.* 318. *vsque* 322.

An peccet graviter herus, qui pluribus famulis præcipit, vt in eodem die festo vnusquisque per modicam temporis morulam corporaliter laboret? *pag.* 563. *à num.* 323. *vsque ad* 328.

Qualiter necessitas excusat laborantes in die festo? *pag.* 565. *à num.* 329. *vsque ad* 355.

Vide verb. *Necessitas.*

Qualiter pietas, & dispensatio reddant licitum laborare in die festo? *pag.* 571. *à num.* 356. *vsque ad* 60.

Vide verb. *Pietas*, & verb. *Dispensatio.*

Qualiter Principes sæculares possint præcipere Populo, vt abstineat in aliquo die ab operibus servilibus ob signum lætitiæ? *pag.* 513. *num.* 126.

Qui ob laborem corporalem à ieiunio excusentur? vbi de omnibus officialibus, & operarijs, *pagin.* 610. *à numer.* 134. *vsque ad* 141.

Lactentes.

An mulieres lactentes, & prægnantes, & si robustæ sint, à ieiunio excusentur? *pag.* 607. *num.* 126.

Lacticinia.

Quare abstinentia à lacticinijs in ieiunijs quadragesimæ præcipiatur sub mortali? *pag.* 581. *à num.* 32. *vsque ad* 34.

An abstinentia à lacticinijs obliget in diebus Dominicis Quadragesimæ? *pag.* 582. *num.* 35. *vsque ad* 37.

Ratione Bullæ Cruciatæ possunt Religiosi, & Presbyteri sæculares edere lacticinia in Dominicis Quadragesimæ, *pag.* 583. *num.* 38. & 39.

Qui difficillime possunt pisces emere, valent vti lacticinijs, *pag.* 584. *num.* 40.

Lamiæ, seu Striges.

Quæ sint lamiæ, & quibus nominibus mulieres maleficæ appellentur? *pag.* 421. *n.* 166.

Cur mulieres, potius, quam viri sint magiæ deditæ? *ibid. num.* 167.

Quare vetulæ potius, quam iuvenes lamiæ sint? *pag.* 422. *num.* 168.

Quare infantibus potius, quam adultis lamiæ noceant? *ibid. num.* 169.

An lamiæ de loco in locum à dœmone asportentur? *ibid. à num.* 170. *ad* 173.

Vtrùm dœmones possint, corpus lamiæ in feles, mustelas, aut aliam corpoream substantiam transmutare? *pag.* 423. *num.* 174. & 75.

Quomodo lamiæ possunt, sine penetratione domum clausam ingredi? *pag.* 424. *num.* 176.
Cur, si quis vulneret animalia, in quæ transformari videntur lamiæ, postea ipsæ vulneratæ appareant? *ibid. num.* 177.
Quæ peragunt lamiæ, tam inter se, quàm cum dœmone in nocturnis conventiculis? *pag.* 425. *num.* 178. & 179.
An lamiæ cum dœmonibus turpiter commisceantur? *pag.* 426. *num.* 180. *vsque ad* 183.
Vtrùm ex concubitu cum dœmone possit proles gigni; & cuius filius tunc dicenda est? *ibid. a num.* 184. *vsque ad* 192.
Quæ sint pœnæ latæ contra lamias? *pag.* 431. *num.* 199. *vsque ad* 203.
Quis sit huius criminis iudex? *pag.* 433. *num.* 204. & 205.

Larvæ, seu Lemures.

An sint Larvæ, vulgò *Duendes*, & an domus spectris infestent, & homines terrificent? *pag.* 473. *num.* 96.
An Larvæ sint dœmones, aut potius quædam irrationalia ex aere corrupto genita? *pag.* 474. *à num.* 97. *vsque ad* 103.
Vtrùm sint aliqua loca, quæ præ alijs horum spiritus molestias patiantur? *pag.* 475. *numer.* 104.
Quare Larvæ potius noctu, quam interdiu domus infestent? *ibid. num.* 105.
Quomodo loca ab horum spirituum molestijs liberentur? *ibid. num.* 106.
Vsus fabarum nigrarum ad hos spiritus abigendos superstitiosus est, *pag.* 476. *num.* 107.
Larvæ non fugantur (nisi adsit pactum) armis, aut innocentium sanguine, *ibid. num.* 108.

Laudare.

Qui alium laudat, de peccato commisso, peccat mortaliter, *pag.* 105. *num.* 68.

Lectores.

An Lectores à ieiunio excusentur? *pag.* 613. *num.* 147.
An Lectores, & ministri mensæ absque violatione ieiunij possint aliquid cibi præsumere? *pag.* 587. *num.* 51.
An legere ob stipendium, & docere scholasticos, sit opus servile, diem festum violans, *pag.* 549. *à num.* 264.

Lex æterna.

Lex æterna est prima regula moralitatis, *pag.* 9. *num.* 3.

Libertas.

Libertas contradictionis sufficit ad moralitatem, *pag.* 8. *num.* 20.
Concurrit ad moralitatem, vt eius fundamentum, non vero vt forma illius, *pag.* 7. *num.* 18.
Nequeunt Principes Catholici in suis Regnis permittere libertatem conscientiæ, *pag.* 167. *num.* 5.

Limbus.

An Patres Limbi possent pro nobis orare? *pag.* 303. *num.* 30. & 31.

Lites.

An lites decidere, violet diem festum? *pag.* 554. *à num.* 287.
Vide verb. *Placitum.*

Locus.

Quare loca paludosa, & solitaria larvarum molestias præ alijs patiantur? *pag.* 475. *num.* 104.
Qualiter loca liberentur ab infestatione Larvarum? *ibid. num.* 106. & 107.

Lunatici.

Quare dœmones lunatici difficilius ab obsessis eijciantur? *pag.* 472. *num.* 91.

M

MAGIA.

QVid, & quotuplex sit Magia? *pag.* 403. *num.* 108.
An Magia naturalis sit licita? *pag.* 404. *num.* 109. & 110.
Quando cognoscetur, an effectus admirabiles Magiæ sint à causa naturali, vel superstitiosa? *ibid. num.* 111.
Quid agendum, dum dubitatur de causa illorum? *pag.* 405. *num.* 112.

Maleficus, & maleficium.

An sit, & quit sit maleficium? *pag.* 413. *n.* 139.
Quibus modis maleficium venefic um contingat? *ibid. num.* 140.
Maleficium amatorium quomodo conficiatur? *ibid. num.* 141. & 42.
De remedijs huius maleficij, & aliorum, *pag.* 414. *à num.* 143. *vsque ad* 145.
An licitum sit vno maleficio aliud tollere, maxime si maleficus est paratus? *pag.* 415. *à num.* 145. *vsque ad* 148.
An possit licite sine aliqua superstitione cogi diabolus, vt maleficium dissolvat? *pag.* 416. *num.* 149.
Superstitiosum est, petere à Magis, vt morbos maleficijs sanent, *ibid. num.* 150.
Et quid si nobis constat, aut dubitatur, an maleficus sciat media licita, aut illicita ad dissolutionem maleficij? *pag.* 417. *à num.* 151. *vsque ad* 154.
Peccant Iudices, si curiositatis causa rogant à maleficis, vt coram se maleficia exerceant, *pag.* 416. *num.* 150.
An signa maleficij liceat medis licitis destruere? *pag.* 428. *à num.* 155. *vsque ad* 161.
Vt maleficus à diaboli potestate liberetur, sufficit ex corde pœnitere, & non requiritur Chyrographum proprio sanguine conscriptum, & ei traditum, recuperare, *pag.* 420. *num.* 162.
Licet vti scientia, & alijs rebus per maleficium adquisitis, dummodo in conservari à dœmone non pendeant, *ibid. numer.* 163.
An sit licitum ab alij maleficis interrogare, an sciant signa maleficij? *ibid. num.* 164.
Qualiter debeat Confessarius examinare maleficos circa exercitia huius diabolicæ artis? *pag.* 421. *num.* 165.
De pœnis contra maleficos, *pag.* 431. *à num.* 199. *ad* 203.
Quis sit huius criminis iudex? *pag.* 433. *num.* 204. & 205.

Malitia.

An in eodem actu possint esse plures malitiæ solo numero distinctæ? *pag.* 79. *à num.* 58. *vsque ad* 72.

Mandata.

Quot sunt decalogi mandata, & quæ in pri-

ma, & quæ in ſecunda tabula ſcripta? *pag.* 120. *à num.* 3. *vſque ad* 7.
Reliqua de mandatis. Vide *præcepta.*

B. V. Maria.

Quo cultu B. V. Maria ſit adoranda? *pag.* 343. *à num.* 30. *vſque ad* 36.
Quomodo venerandum eſt SS. Nomen B. V. Mariæ? *pag.* 342. *num.* 25.

Medicus, & Medicina.

Qualiter prohibeantur fideles, vti medicis, & medicinis Iudæorum? *pag.* 175. *num.* 33.
An liceat applicare energumenis aliquas medicinas ad expellendos dœmones? *pag.* 468. *num.* 77.

Mercatus.

Quid nomine mercatus in die feſto prohibeatur? *pag.* 551. *num.* 275.
Qui Mercatus liciti ſunt in die feſto ex conſuetudine introducta? *pag.* 552. *num.* 276. *vſque ad* 278.
Emptiones, & venditiones quotidianæ prohibentur in die feſto, *pag.* 553. *num.* 279.
Licitum tamen eſt vendere in die feſto eſculenta, & poculenta, & ſimiliter calceos, veſtes, candelas, & ſimilia ad vitam neceſſaria, *ibid.* 288. *vſque ad* 282.
Venditiones, quæ ſolis verbis conſumantur, locationes, & conductiones non violant obſervantiam diei feſti, *ibid. num.* 283. *vſque ad* 286.

Meretrices.

An liceat vendere, aut conducere domum meretricibus? *pag.* 399. *num.* 65.

Milites.

Milites ſubditi, aut ſtipendarij Regis inferentis bellum, qualiter poſsint militare, etſi eis non conſtet de iuſtitia belli? *pag.* 290. *n.* 29.
Et quid de militibus non ſubditi, vel ſtipendarijs? *ibid. num.* 30.
Milites ſubditi cum ſententia probabili, aut etiam cum dubio de iuſtitia belli qualiter pugnare valeant? *ibid. num.* 31.
Milites deobligantur ab ieiunio, *pag.* 612. *n.* 141.

Miſſa.

Qui non Sacerdos conatur Miſſam celebrare, an ſit de hæreſi ſuſpectus? *pag.* 204. *num.* 8.
Qualiter ſacrificium Miſſæ proſit defunctis? *pag.* 326. *num.* 81. *pag.* 327. *num.* 86.
Præceptum ſanctificandi feſta obligat ad audiendam Miſſam, *pag.* 517. *num.* 136.
An adimpleat præceptum audiendi Miſſam, qui, dum ei interſt, ecſtaſim patitur? *pag.* 533. *à num.* 205. *vſque ad* 213.
Quæ attentio ſufficiat ad adimplendum præceptum auditionis Miſſæ? *pag.* 534. *n.* 207.
Quomodo Monachi habitantes ſolitudinem, excuſentur ab audienda Miſſa? *pag.* 535. *num.* 214.
An adimpleat præceptum audiendi ſacrum, qui audit Miſſam ante mediam noctem in Nativitatis Vigilia, ſicut coram Pontifice dicitur? *pag.* 536. *num.* 215. & 216.
Vide verb. *Dies feſti.*

Moralitas.

Vnde moralitatis nomen deſumatur? *pag.* 3. *n.* 1.
An moralitatis eſſentia conſiſtat in tranſcendentali reſpectu ad obiectum, vt ſubditum regulis morum, vel in aliqua denominatione extrinſeca, aut ente rationis? *ibid. à num.* 3. *vſque ad* 8.
An, & quæ libertas requiratur ad moralitatem? *pag.* 5. *à num.* 9. *vſque ad* 16.
Qualiter libertas requiratur ad moralitatem, an vt conſtitutivum, vel vt fundamentum, vel conditio illius? *pag.* 7. *à num.* 17. *vſque ad* 20.
An ad moralitatem requiratur libertas contrarietatis, aut contradictionis? *pag.* 8. *num.* 21.
Quæ ſit prima regula moralitatis, & quæ proxima? *pag.* 9. *à num.* 1. *vſque ad* 6.
Vtrùm de eſſentia moralitatis ſit dicere ordinem ad regulas moris? *pag.* 10. *à num.* 7. *vſque ad* 10. & *pag.* 5. *num.* 8.

Motus.

Triplex motus datur in appetitu ſenſitivo, & voluntate, ſcilicet primo primus, ſecundo primus, & denique deliberatus, *pag.* 85. *n.* 3.
An motus primo primi ſint peccata? *pag.* 87. *num* 9.
Qui alij motus inter primo primos numerentur? *ibid. num.* 10.

Mulieres.

Mulieres Chriſtianæ qualiter prohibeantur lactare hebræorum filios? *pag.* 175. *num.* 34.
Vnius mulieris teſtimonio in delictis de hæreſi ſuſpectis inſufficiens eſt ad reum incarcerandum, maxime ſi meretrix, aut infamis notæ ſit, *pag.* 228. *num.* 105.
Quot mulierum honeſtæ famæ neceſſaria ſint teſtimonia ad ſolicitantem incarcerandum? *ibid. num.* 105.
An mulier, conſentiens ſolicitationi, teneatur Confeſſarium denunciare? *pag.* 218. *num.* 65. *vſque ad* 67.
An mulier ornata procedens per vias publicas peccatum ſcandali committat? *pag.* 298. *num.* 59.
An liceat mulieribus nuda pectora, & mammillas oſtendere? *pag.* 299. *num.* 61.
An poſsint mulieres vti veſtibus virilibus, aut è contra; & qualiter liceat choreas ducere? *ibid. num.* 62.
An liceat vendere, aut locare mulieribus meretricibus veſtes, & domus? *ibid. num.* 65.
An mulieres prægnantes, & lactentes ad ieiunium teneantur? *pag.* 607. *num.* 126.

Muliones.

An muliones in die feſto iter agere valeant, audita tamen prius Miſſa? *pag.* 545. *num.* 249. *vſque ad* 251.
Decreta S. Congregationis circa muliones, & agaſones in ordine ad aſportandas merces in die feſto, *pag.* 554. *num.* 286.

Myſteria fidei.

Qualem notitiam myſteriorum fidei debeant habere populares, & ruſtici? *pag.* 138. *num.* 46. *cum ſequent ib.*
An omnia myſteria fidei, & orationes Cathechi-

chiſmi debeant fideles momoriter ſcire? *pag.* 139. *num.* 50. & 51.
An qui ignorat myſteria fidei, ſit capax abſolutionis? *pag.* 142. *num.* 58. *vſque ad* 61.
Quam notitiam myſteriorum fidei debeant habere Sacerdotes, Parochi, Confeſſarij, Prædicatores, Epiſcopi, & alij Eccleſiæ Prælati? *pag.* 140. *à num.* 52. *vſque ad* 57.

N

NATIVITAS CHRISTI.

AN ſi quis vovit abſtinere à carnibus omnibus ferijs ſextis, ad id teneatur, ſi in aliqua ex illis incidat Nativitas Chriſti? *pag.* 601. *num.* 103. *vſque ad* 105.
Et quid dicendum de Regularibus ad dictam abſtinentiam ex regula obligatis? *pag.* 602. *num.* 106.
Et quid de Religioſo facto Epiſcopo, *pag.* 603. *num.* 107.

Neceſsitas.

Qualiter proximo exiſtenti in neceſsitate ſpirituali, aut corporali debeamus ſuccurrere, etiam cum vitæ periculo? *pag.* 249. *toto punct.* 3. *à num.* 24. *vſque ad* 38.
Vide verb. *Charitas.*
Quæ neceſsitas excuſet laborantes in die feſto? *pag.* 565. *num.* 329. & 330.
Quando neceſsitas propriæ ſalutis honeſtet laborare in feſto? *pag.* 566. *num.* 331.
Præparatio cibi, & aliorum, quæ neceſſaria ſunt ad conſervandam vitam licita eſt in feſto, *ibid. à num.* 332. *vſque ad* 336.
Neceſsitas vitandi aliquod notabile damnum imminens ſaluti proximi, aut propriæ, vel bonis temporalibus excuſat laborantes in feſto, *pag.* 568. *à num.* 340. *vſque ad* 353.
Neceſsitas Reipublicæ excuſat laborantes in feſto, *pag.* 570. *num.* 354.
Communi exiſtenti neceſsitate poſſunt Epiſcopus, & Parochus cum toto populo diſpenſare, *pag.* 617. *num.* 161.

Necromantia.

Quid ſit necromantia? *pag.* 381. *num.* 22.

Nomina Ieſu, & Mariæ.

Quo cultu ſunt adoranda Nomina Ieſu, & Mariæ? *pag.* 342. *num.* 25.

Notitia.

Qualem notitiam myſteriorum fidei debeat habere populus rudis? *pag.* 135. *à num.* 36. & *pag.* 139. *num.* 46. *à* 51.
Sacerdotes, Religioſi, Prædicatores, Confeſſarij, Parochi, Epiſcopi, & alij Eccleſiæ Prælati quam fidei notitiam obligentur habere? *pag.* 140. *à num.* 52. *vſque ad* 58.

O

OBLATIONES.

PEr oblationes legis veteris præceptum Sabbathi non adimplebatur, *pag.* 484. *num.* 19.
Quotuplex ſit oblatio Deo, & eius miniſtris in lege Evangelica danda? *pag.* 619. *num.* 7.
An detur præceptum Eccleſiaſticum de oblationibus faciendis? *pag.* 619. *num.* 8. & 9.
In quibus caſibus poſſunt parochiani ad oblationes teneri? *pag.* 620. *num.* 10.
An, ſi detur conſuetudo offerendi oblationes, obliget in conſcientia? *pag.* 621. *à num.* 13. *vſque ad* 17.
Ad quos expectant oblationes ad altare factæ? *pag.* 622. *num.* 18.
Quid de oblationibus datis ſacris Imaginibus? *ibid. num.* 19.
Cui debeantur oblationes factæ alicui Capellæ? *ibid. num.* 20.
An oblationes factæ in Eccleſijs Regularium ad Parochum, aut ad Religioſos attineant? *ibid. num.* 21. 22. & 23.
Ad quem pertineant oblationes factæ alicui ſacræ Imagini, vel Capellæ Monaſterij, ſi ibi eſt aliqua Confraternitas fundata? *pag.* 623. *num.* 24.
Vtrùm poſsit introduci conſuetudo honeſta, ex qua Clerici aliqua die tribuant laicis aliquos cereos benedictos? *ibid. num.* 25.
Qui prohibeantur ad altare offerre? *ibid. n.* 26.
Quas pœnas incurrant non ſolventes oblationes, eas que vſurpantes, & admittentes eos, qui offerre à iure Canonico prohibentur? *ibid. num.* 27.

Obſervantia ſanitatum, & futurorum.

Quæ ſuperſtitionis ſpecies ſit obſervantia ſanitatum? *pag.* 401. *num.* 99. & 101.
Superſtitioſum eſt, afferre ad collum ſuſpenſa amuleta, preces ſcriptas, & Imagines aſtronomicas, nequis ab ictibus ſcopletæ, aut enſis feriatur; vel vt à peſte, alijs que infirmitatibus liberetur, *pag.* 402. *num.* 102.
Illicitum, & ſuperſtitioſum eſt, herbas medicinales die huius, vel alterius Sancti determinate colligere, *ibid. num.* 104.
Referuntur alij caſus, qui vt ſuperſtitioſi damnantur, *pag.* 403. *num.* 105. & 106.
Quæ ſuperſtitio ſit obſervantia futurorum eventuum? *ibid. num.* 107.

Occiſsio.

Occiſsio hominis iuſſu Dei facta non eſt proprie homicidium, *pag.* 124. *num.* 19.

Odium.

Odium Dei, niſi prohiberetur lege æterna, ſolum eſſet fundamentaliter peccatum, *pag.* 10. *num.* 5.
Quotuplex ſit odium Dei? *pag.* 283. *num.* 1.
Quid ſit odium proximi, & an ſpecie diſtinguatur ab odio Dei? *ibid. num.* 3. & 4.
An odia proximorum ſpecie inter ſe differant? *ibid. num.* 5. *vſque ad* 7.

Officiales.

Qualiter Fabriferrarij, Agricolæ, Lignarij, Lapidicinæ, Tunſores, Coriarij, Færmentarij, Sculptores, Argentarij, Figuli, Teſtores, Fullones, Lanarij, Furnarij, Piſtores, Typographi, Sutores, Molitores, Coqui, Nautæ, & ſimiles officiales opera ſervilia exercentes à ieiunio excuſentur? *pag.* 610. *n.* 136.

An

Index Rerum,

An Sartores, & Barbitonſores teneantur ieiunare? *pag.* 611. *num.* 139.

An Pictores, Scribæ, Notarij, Secretarij, & Procuratores à ieiunio deobligentur? *pag.* 611. *num.* 140.

Quando milites ieiunare non teneantur? *pag.* 612. *num.* 141.

Vide verb. *Ieiunium.*

Quæ opera ſervilia officiales in feſtis exercere prohibeantur? *pag.* 541. *à num.* 234. *vſque ad* 251.

Qualiter neceſsitas, pietas, & diſpenſatio excuſet officiales mechanicos à laborando in feſto? *pag.* 565. *à num.* 329. *vſque ad* 360.

Vide verb. *Dies feſti, neceſsitas, & opera ſervilia.*

Olera.

Olera cum carnibus cocta in die ieiunij prohibentur ſumi, *pag.* 577. *num.* 15.

Qui olera mixta cum carnibus minutatim attritis porrigit furtive Carmelitis Diſcalceatis peccat? *pag.* 303. *num.* 82. & 83.

Omen.

Quid ſit omen? *pag.* 381. *num.* 23. & *pag.* 393. *num.* 67. *in fine.*

An ex hominum vocibus caſu prolatis liceat futura libera prædicere? *pag.* 394. *n.* 70. & 71.

Operarij.

Vide verb. *Officiales, & opera.*

Opinio.

Quid ſit opinio probabilis? *pag.* 15. *num.* 10.

Quando opinio probabilis ſequi poſsit? *pag.* 31. *num.* 98. *in fine remiſsive.*

An Rex cum opinione probabili de eo, quod aliquod Regnum ad ſe pertineat, poſsit alteri Regi bellum inferre? *pag.* 208. *à num.* 20. *vſque ad* 23.

An Rex cum opinione probabiliori poſsit expoliare Principem aliqua Provincia, ſeu Civitate? *pag.* 289. *à num.* 24. *vſque ad* 27.

Milites probabiliter iudicantes, bellum eſſe iniuſtum, adhuc tenentur militare, ſi ſunt ſubditi Regis inferentis bellum, *pag.* 290. *num.* 31.

Qui cum opinione ſanctitatis decedunt, qualiter cultu privato ſint venerandi? *pag.* 352. *à num.* 64. *vſque ad* 78.

Illicitum eſt Miſſam, & officium Canonicum de defuncto, qui cum opinione ſanctitatis deceſsit, dicere, aut ſecreto recitare; & eum in litanijs nominari, aut radijs, aut ſplendoribus depingi, vel altaria eis dicari, *ibid. num.* 66.

Similiter prohibetur tabelas, aut luminaria, ad eorum ſepulchra apponi, *ibid. num.* 66. *in fine*; & *num.* 71. *pag.* 354. *num.* 66. & *pag.* 354. *num.* 74.

Licitum eſt eorum reliquias venerari, & corpora aliquandiu poſt mortem inſepulta habere, *pag.* 354. *num.* 75. & 76.

Oppoſitores.

An Oppoſitores ad Cathedras eo die, vel antecedenti, quo ad eas legunt, teneantur ieiunare?

Opus ſervile, & liberale.

Omne opus ſervile eſt prohibitum in feſto, *pag.* 536. *num.* 228.

Quid, & quotuplex ſit opus ſervile? *pag.* 537. *à num.* 220. *vſque ad* 222.

Ceſſatio ab opere ſervili aliter præcipitur ab Eccleſia in die feſto, ac antiquitus præcipiebatur Iudæis, *pag.* 537. *num.* 219.

An opus ſervile peccaminoſum violet obſervantiam diei feſti? *pag.* 538. *à num.* 223. *vſque ad* 233.

Quod ſit opus ſervile humanum, ſeu corporeum, quod in præcepto audiendi ſacrum prohibetur? *pag.* 541. *num.* 234.

Quæ ſint artes mechanicæ opera ſervilia dirigentes? *ibid. num.* 235. & 236.

An pingere ſit opus ſervile, prohibitum in feſto? *ibid. num.* 237. *vſque ad* 240.

Quæ ſit differentia inter ſcribere, & pingere? *pag.* 542. *num.* 240.

An venatio, aucupatio, & piſcatio ſint opera ſervilia prohibita in feſto? *pag.* 543. *à num.* 241. *vſque ad* 245.

Iter agere, equeſter, aut pedeſter, an violet feſtum, *pag.* 544. *num.* 246. *vſque ad* 250.

Quot ſunt gradus operis ſervilis Religioſi? *pag.* 546. *num.* 252. & 253.

Adminiſtratio Sacramentorum, geſtatio ſacrarum imaginum, coquere hoſtias, ornare tapetibus Eccleſias, erigere altaria, ſunt opera, quæ non violant feſtum, *pag.* 547. *num.* 254. & 255.

Non violat feſtum colere agros alicuius pauperculæ Eccleſiæ, ſive Monaſterij, aut eius parietes ædificare, aut dealbare, *pag.* 548. *num.* 259. & 260.

An opera liberalia, vt docere, ſcribere, canere, &c. fiant ſervilia, & ſint contra obſervantiam diei feſti, ſi exerceantur lucri gratia? *ibid. num.* 261. *vſque ad* 267.

An tranſcribere ſit opus liberale, aut ſervile? *pag.* 550. *num.* 268. *vſque ad* 272.

An ſtudere, & prædicare, aut ſcribere, etiam medio amanuenſi, & ex lucri gratia violet diem feſtum? *pag.* 551. *num.* 273.

Opus conſilij, & ſupererogationis non cadunt ſub aliqua lege determinata, niſi tantum ex ſuppoſitione, quod fiant, *pagin.* 10. *num.* 6.

Oratio, & Orare.

Quæ ſit eſſentia orationis, & cuius potentiæ ſit actus? *pag.* 308. *num.* 8. & 9.

Quotuplex ſit oratio? *ibid. num.* 10.

An oratio ſit neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem? *ibid. à num.* 11. *vſque ad* 13.

Datur ſpeciale præceptum orationis, & quando obliget per ſe, & per accidens, *pag.* 310. *à num.* 15. *vſque ad* 19.

Quomodo Deus, Angeli, & Sancti poſsint à nobis orari? *pag.* 311. *à num.* 21. *ad* 22.

An Animæ Purgatorij poſsint à nobis orari? *ibid. à num.* 23. *vſque ad* 26.

Quomodo intelligitur, quando dicitur, quod Animæ Purgatorij pro nobis orant, & a Deo aliquid pro vivis impetrant? *pag.* 312. *à num.* 26. *vſque ad* 29.

An Patres Limbo exiſtentes potuerint à vivis orari, & invocari? *pag.* 313. *num.* 30. & 31.

Mo-

Motiva, quibus Patriarcha N. Elias licite ab omnibus nunc invocari, & orari poteſt, *pag.* 314. *à num.* 32. *vſque ad num.* 45.
Qui poſsint pro nobis ad Deum orare? *pag.* 317. *à num.* 46. *vſque ad* 49.
Qualiter oratio mentalis Religioſos obliget? *pag.* 318. *num.* 50. *&* 51.
Quomodo ad orationem mentalem teneamur Carmelitæ? *pag.* 319. *num.* 52. *&* 53.
Explicantur verba regulæ Carmelitarum, quæ nobis præcipiunt, quod *maneant ſinguli in cellulis ſuis die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, &c?* *pag.* 320. *à num.* 54. *vſque ad* 62.
Quibus virtutum actibus adimpleant Carmelitæ præceptum iugis orationis? *pag.* 322. *num.* 63.
An qui tantum orationi mentali vacat per duas horas à Conſtitutione noſtra deſignatas, adimpleat præceptum regulæ iugis orationis? *ibid. num.* 64.
Vtrùm aliqui Carmelitæ ab oratione mentali excuſentur? *ibid. num.* 65.
An poſsint viatores pro alijs orare? *pag.* 323. *num.* 66.
An ſit licitum pro beatis, & damnatis, nec non pro Gentilibus, tam vivis, quàm defunctis orare? *ibid. num.* 67. *&* 68.
Vtrúm pro animabus Purgatorij honeſtum ſit orare? *pag.* 323. *à num.* 69. *vſque ad* 72.
Qualiter orationes, & ſuffragia vivorum animabus Purgatorij proſint, ſi eis applicentur? *pag.* 324. *à num.* 73. *vſque ad* 83.
An ſatisfactio pro defunctis oblata eis infallibiliter proſit? *pag.* 327. *num.* 84. *&* 85. *vſque ad* 88.
An Confeſſarius poſsit iniungere pro pœnitentia orationes, & alia opera virtuoſa pro defunctis applicanda? *pag.* 326. *num.* 79.
Quæ ſint à Deo in oratione petenda? *pag.* 330. *num.* 93.
Explicantur verba, & petitiones, quæ in oratione Dominica, ſeu *Pater noſter* continentur, *ibid. à num.* 94. *vſque ad* 104.
Declaratur oratio Angelica, ſeu *Ave Maria*; & excellentiæ Roſarij, ſeu Pſalterij B. V. Mariæ, origo deſcribitur, *pag.* 333. *à num.* 105. *vſque ad* 114.

P

PACTVM.

QUotuplex pactum poſſunt Magi, & ſuperſtitioſi inire cum dœmone? *pag.* 380. *num.* 20. *&* 21.
Quæ ſint ſpecies divinationis ex pacto expreſſo cum dœmone? *pag.* 381. *num.* 23.
Quæ ſunt ſpecies divinationis ex pacto implicito? *ibid. num.* 24.
An divinatio ex pacto expreſſo differat ſpecie, ab ea, quæ eſt ex pacto implicito? *ibid. num.* 26. *&* 27.
An circunſtantiæ pacti expliciti ſit in confeſſione aperienda? *pag.* 382. *à num.* 28. *vſque ad* 32.
Quanta ſit gravitas peccati divinationis ex pacto explicito, vel implicito? *pag.* 383. *num.* 33.
Periculoſum eſt pactum de apparendo poſt mortem ſuperſtiti, *ibid. num.* 34.

Paganiſmus.

Quid ſit paganiſmus? *pag.* 166. *num.* 2.
Sub paganiſmo continentur *Atheiſmus*, & *Turciſmus*, *ibid. num.* 3.

Panis.

Panis biſcotus, vulgó, *Vizcochos*, in qua quantitate ſumi valeat in Quadrageſima? *pag.* 584. *num.* 41.

Parochus.

Qualem fidei notitiam debeat habere Parochus? *pag.* 141. *num.* 55.
Tenetur Parochus facere profeſsionem fidei in manibus Epiſcopi, aut Vicarij Generalis, *pag.* 148. *num.* 97.

Pater noſter.

Oratio *Pater noſter* explicatur, *pag.* 330. *n.* 93. *cum ſeq.*

Patres Limbi.

An Patres in Limbo exiſtentes poſſent à nobis orari? *pag.* 330. *num.* 93.

Patronus.

De feſto Patroni principalis Regni, ſeu Provinciæ, Civitatis, aut Diœceſis? *pag.* 506. *num.* 102.
An poſsint eſſe duo Patroni Regni, vel Civitatis, quorum dies, vt feſti, ab omnibus obſerventur? *ibid. à num.* 103. *ad* 106.
An poſsit poſt Bullam Vrbani VIII. aliquis novus inſtitui Patronus? *pag.* 507. *num.* 107.
Qualiter electio Patroni facienda eſt? *ibid. num.* 108.
An Regulares teneantur obſervare feſtum Patroni principalioris Regni, vel Civitatis? *ibid. num.* 109.

Peccatum.

Quid ſit peccatum? *pag.* 41. *num.* 1.
An veniale peccatum ſit contra legem? *pog.* 42. *num.* 3.
Qualiter dividatur peccatum? *pag.* 43. *num.* 7. *vſque ad* 11.
Quæ ſit eſſentia peccati originalis; & qualiter ſit parvulis voluntarium? *pag.* 44. *à num.* 1. *vſque ad* 6.
An ſiquis miraculosè, aut ex ſolo mulieris ſemine conciperetur, contraheret originale? *pag.* 47. *num.* 10.
Quid de debito B. M. Virginis ad originale contrahendum? *pag.* 48. *num.* 12.
An ſi Adamus ante peccatum aliquem genuiſſet filium, qui ab hoc poſtea geniti eſſent, originale contraherent? *ibid. à num.* 13. *vſque ad* 16.
De effectibus, ſeu pœnis quæ conſequuntur ad peccatum originale, *pag.* 49. *num.* 17. *&* 18.
An pueri decedentes cum originali, & aliquo veniali, patiantur aliquam pœnam ſenſus? *pag.* 50. *num.* 19. *&* 20.
An qui decedunt cum ſolo originali patiantur aliquam triſtitiam, *ibid. num.* 21. *&* 22.
Quæ ſit ſpecies atoma peccati originalis, *pag.* 51. *num.* 25.
Quæ ſit eſſentia peccati commiſsionis, & omiſ-

ſio-

sionis, & an differant specie? *ibid. à num.* 1. *vsque ad* 10.

An actus, qui est causa, aut occasio omissionis ab ea vitietur? *pag.*53. *num.*12.

Quid dicendum de actibus coexistentibus omissioni? *pag.*54. *num.*13.

Qui actus sint purè concommittantes, & nullo modo in omissionem influentes? *pag.* 54. *num.* 14.

Vtrùm actus, qui est causa omittendi culpabiliter, habeant malitiam distinctam ab omissione? *pag.*55. *à num.* 18. *vsque ad* 20.

Quando peccatum committat omittens culpabiliter? *pag.*56. *à num.*22. *vsque ad* 24.

Vtrùm peccatum omissionis imputetur ebrio, aut dormienti? *pag.*57. *num.*25. *vsque ad* 29.

Quæ omissiones intelligantur indirectè volitæ expositione causæ omittendi? *pag.*59. *n.*30.

Vnde sumatur gravitas peccati omissionis? *ibid. num.* 31.

Quomodo peccatum ex genere mortale possit esse veniale? *pag.*61. *à num.*1. *vsque ad* 6.

An in omni genere peccatorum ratione parvitatis materiæ possit mortale ex genere transire in veniale? *pag.* 61. *num.* 7.

Quando cognoscetur in peccatis materiam esse gravem, aut levem? *ibid.num.*8. & 9.

Qualiter peccatum veniale potest transire in mortale? *pag.*62. *à num.*10. *vsque ad* 18.

An distinctio specifica peccatorum sumatur ab obiecto, aut ex diversitate præceptorum? *pag.*65. *à num.* 1. *vsque ad* 12.

A quibus circunstantijs possit desumi diversitas specifica in peccatis? *pag.* 68. *num.* 13. *vsque ad* 20.

Vnde oriatur maior, aut minor peccatorum gravitas? *pag.*70. *à num.*21. *vsque ad* 28.

Qualiter distinctio numerica peccatorum desumatur ex interruptione morali actuum? *pag.* 72. *num.* 30.

Qui actus peccaminosi sint moraliter interrupti? Vide *à num.*31. *cum sequentib.*

Quomodo diversitas totalis obiectorum sit causa distinctionis numericæ peccatorum? *pag.*75. *num.*39.

Illationes aliquorum casuum ad explicandam distinctionem numericam peccatorum desumptam ex diversitate totali obiecti? *pag.* 75. *à num.* 40. *vsque ad* 57.

Vtrúm in eodem actu possint esse plura numero peccata? *pag.*79. *num.*58. *vsque ad* 72.

Quæ advertentia requiratur ad peccatum mortale? *pag.*84. *à num.*1. *vsque ad* 11.

Quis consensus voluntatis sufficiat ad mortale? *pag.*87. *num.*12.

An peccet voluntas, quando nec positivè consentit, nec dissentit in motus appetitus sensitivi circa obiectum sub mortali prohibitum? *pag.* 88. *à num.*13. *vsque ad* 18.

An non solum peccata mortalia, verum etiam venialia sint materia correctionis fraternæ? *pag.*266. *à num.*45. *vsque ad* 47.

An peccatum non emendatum sit materia correctionis? *pag.*267. *num.*49. *vsque ad* 53.

In quibus peccatis servandus est ordo correctionis fraternæ? *pag.* 279. *à num.* 92. *vsque ad* 95.

An peccata publica possint, absque correctione fraterna, superiori denuntiari? Vide *num.*96.

An peccatum carnale in Religiosis sit contra bonum commune Religionis, & sine correctione Superiori denuntiandum? *pag.* 280. *num.*99. *vsque ad* 112.

An peccata occulta, absque correctione sint Superiori denuntianda? *pag.* 281. *num.* 103. *vsque ad* 105.

Vide verb. *Correctio.*

Peregrinus.

An peregrini teneantur ad observandos dies festos, qui in propria Patria coluntur? *pag.* 221. *à num.*157. *vsque ad* 164.

Vtrùm peregrini teneantur ad festa particularia loci, in quo transeunter commorantur? *pag.* 524. *num.* 166.

Qualiter peregrini à ieiunio liberentur? *pag.* 612. *num.* 144.

Periculum.

An pro salute spirituali proximi liceat, se committere periculo probabili peccandi? *pag.* 250. *à num.*26. *vsque ad* 28.

Vtrùm teneamur cum periculo vitæ succurrere proximo existenti in extrema necessitate spirituali, aut in gravi? *pag.* 251. *à num.* 29. *vsque ad* 34.

Qualiter pro bono temporali proximi teneamur exponere periculo vitam, & bona propria? *pag.*252. *à num.*35. *vsque ad* 38.

Persequutio.

An licitum sit fugere tyrannum quando persequitur fideles ad negandam fidem? *pag.*146. *num.*73. & 74.

An Episcopi, & Prælati teneantur, cum vrget persequtio, non deserere proprias oves? *ibid.num.*75. & 76.

Physiognomia.

An liceat divinare inclinationes, temperamentum, & ingenium hominum ex Physiognomia naturali? *pag.*394. *num.*73. & 74.

Divinare ex Physiognomia Astrologica futura libera, & res omnino contingentes superstitiosum est, *pag.*395. *num.*75.

Phyton.

Quid sit divinatio per homines Phytones? *pag.* 381. *num.*22.

Pyromantia.

Quæ species superstitionis sit Pyromantia? *pag.* 381. *num.*22.

Pietas.

Qualiter pietatis officia excusent ab exercendo servilia in die festo? *pag.* 571. *num.* 356. & 357.

Placitum.

Quid sub nomine placiti intelligatur, & fieri in die festo prohibeatur? *pag.*554. *num.*287.

Citatio partis cum causa, & necessitate facta in die festo, an sit valida, & licita? *pag.*555. *num.*288. & 289.

Quid dicendum, si talis citatio fiat in die profesto pro die tamen festo, *ibid.n.*290. & 291.

Testes examinare in die festo non licet, & si in die profesto iuramentum præmisserint, *pag.* 556. *à num.*293. *vsque ad* 295.

Pro causis matrimonialibus, & spiritualibus licitum est in die festo iurare, *pag.* 557. *à num.* 296. *vsque ad* 299.
Iuramenta pro pace, & fide licita sunt in festo, *pag.* 559. *num.* 300.
Qualiter iuramenta extraiudicialia licita sint in festo, *ibid. num.* 301. *vsque ad* 304.

Pœna.

Quas pœnas incurrit omittens denuntiare? *pag.* 197. *num.* 116.
De pœnis contra hæreticos, *pag.* 182. *à n.* 60. *vsque ad* 73. *&* *pag.* 197. *num.* 116.
De pœnis contra Idolatras, *pag.* 378. *num.* 15.
Quæ pœnæ latæ sint contra maleficos, fagas, divinatores, & superstitiosos? *pag.* 431. *à num.* 199. *vsque ad* 203.

Pœnitens.

Quando pœnitens ob ignorantiam mysteriorum fidei sit absolutionis incapax? *pag.* 131. *num.* 19. *&* 20. *&* *pag.* 142. *num.* 58. *vsque ad* 60.
Qualiter pœnitentes debeant scire mysteria fidei? *pag.* 135. *à num.* 35. *vsque ad* 51.
An pœnitens solicitatus ad turpia debeant denuntiare Inquisitoribus Confessarium solicitantem? *pag.* 209. *num.* 24.
Vtrùm pœnitens consentiens solicitationi, teneatur Confessarium denuntiare? *pag.* 218. *à num.* 65. *vsque ad* 67.
Intra quod tempus teneatur pœnitens denuntiare Confessarium? *pag.* 219. *num.* 68.
An pœnitens excusetur à denuntiando, si inde ei grave damnum immineat? *pag.* 223. *num.* 85. *&* 92.
An ob alias causas excusetur à denuntiando? Vide verb. *Solicitatio*, *à n.* 92. *vsque ad* 105.

Pollutio.

An liceat delectari de pollutione naturali habita in vigilia, vel in somno? *pag.* 98. *à num.* 51. *vsque ad* 54.
Non peccat lærhaliter, qui à somno non plenè excitatus pullutionis voluptate fruitur, *pag.* 87. *num.* 11.

Potus.

An potus vini solvat ieiunium? *pag.* 588. *num.* 55. *&* 56.
Vtrùm potus cervisiæ, aloxiæ, & similis aquæ solvat ieiunium? *pag.* 589. *num.* 57.
An lac, & ius solvant ieiunium? *ibid.*
An potio chocolatica frangat ieiunij præceptum? *pag.* 589. *à num.* 58. *vsque ad* 63.
Vtrùm possit aliquid cibi sumi, ne potus noceat? *pag.* 591. *à num.* 66. *vsque ad* 69.

Pontifex.

An sit de fide quod Summus Pontifex non possit errare in Canonizatione Sanctorum? *pag.* 346. *num.* 40.
Pontifex valet dispensare in præceptis servandi festa, & ieiunia Ecclesiæ, *pag.* 572. *num.* 359. *&* *pag.* 615. *num.* 154.

Præceptum.

Præceptum conformandi se cum propria conscientia est naturale, nequit que à Deo dispensari, *pag.* 19. *num.* 11. *&* 13.
Præcepta naturalia ad duas classes reducuntur, *pag.* 20. *num.* 16.
Quæ, & qualia sint præcepta Decalogi? *pag.* 120. *num.* 3. 4. *&* 5.
Quæ præcepta erant scripta in prima tabula Decalogi, & quæ in secunda? *ibid. n.* 6. *&* 7.
An præcepta fidei, spei, & charitatis ad Decalogum pertineant? *pag.* 121. *num.* 10.
Qualiter obligent præcepta Decalogi? *pag.* 122. *num.* 14. *&* 15.
Vtrùm præcepta Decalogi sint à Deo dispensabilia? *pag.* 123. *à num.* 16. *vsque ad* 23.
Quale sit præceptum fidei, & quando obliget ad credendum? *pag.* 132. *n.* 21. *cum sequentib.*
Vide verb. *Fides.*
An detur præceptum spei, & quando teneamur sperare? *pag.* 231. *à num.* 4. *ad* 8.
Vide verb. *Spes.*
An detur præceptum charitatis, & qualiter obliget? *pag.* 244. *à num.* 2. *vsque ad* 15.
Vide verb. *Charitas.*
An ex vi præcepti charitatis teneamur proximum, & maximè inimicum diligere? *pag.* 247. *à num.* 16. *cum sequent.*
Vide verb. *Inimicus.*
Vtrùm detur præceptum eleemosynæ, & quando ad eam elargiendam teneamur? *pag.* 255. *à num.* 3. *vsque ad* 30.
Vide verb. *Eleemosyna.*
Quale sit præceptum correctionis fraternæ, & in quo tempore, & respectu quorum peccatorum obliget? *pag.* 266. *à n.* 43. *vsque ad* 67.
Vide verb. *Correctio fraterna.*
Vtrùm detur præceptum orationis, & quando ad illam obligemur? *pag.* 309. *à n.* 14. *vsq. ad* 19.
An detur præceptum adorationis, & in quo tempore ad illud teneamur? *p.* 337. *n.* 5. *&* 6.
De obligatione præcepti Sabbathi respectu Iudæorum, *pag.* 480. *à num.* 1. *vsque ad* 24.
Qualiter præceptum sanctificandi festa obliget, postquam festivitas Sabbathi translata est ab Ecclesia in diem Dominicam? *pag.* 487. *à num.* 30. *vsque ad* 40.
De præcepto audiendi sacrum, *p.* 533. *à n.* 204.
De præcepto abstinendi à servilibus in diebus festis, *pag.* 536. *num.* 218. *cum sequent.*
Vide verb. *Opera servilia.*
Qualiter obliget præceptum ieiunij Ecclesiastici? *pag.* 574. *num.* 6. *&* 7. *vsque ad* 12.
De præcepto offerendi decimas, & primitias, *pag.* 617. *à num.* 1. *vsque ad* 5.
An præceptum de oblatione ex iure canonico nunc obliget? *pag.* 619. *num.* 8. *vsque ad* 12.
Vide verb. *Oblatio.*

Prædicator.

Prædicatores quam fidei notitiam debeant habere, *pag.* 141. *num.* 55.
An conveniens sit mittere Evangelicos Prædicatores militibus armatis stipatos, ad prædicandam Gentilibus fidem catholicam? *pag.* 169. *num.* 11.
Ad quos expectat eleemosynam pro concione Prædicatoribus solvere? *pag.* 262. *num.* 30.

Prægnantes.

An mulieres prægnantes, & si robustæ sint, à ieiunio excusentur? *pag.* 607. *num.* 126.

Prælatus.

Qualem fidei notitiam debeant habere Prælati? *pag.* 140. *à num.* 52. *vsque ad* 58.
An Prælati Superiores Ecclesiæ, & alij inferiores regulares teneantur ad faciendam publicam fidei professionem? *pag.* 150. *n.* 88. *&* 89.

An Prælati regulares habeant poteſtatem ad diſpenſandum in præcepto obſervandi feſta cum ſuis ſubditis? *pag.* 572. *num.* 359.
Quid dicendum de Epiſcopis, & alijs Eccleſiæ Prælatis? *ibid. num.* 359.
Qualiter Prælati Eccletiæ, & Regulares valeant diſpenſare cum ſuis ſubditis in præcepto ieiunij? *pag.* 615. *à num.* 154. *vſque ad* 161.

Præſumptio.

Quale ſit præſumptionis peccatum? *pag.* 242. *num.* 55.

Primitiæ.

Quid ſint primitiæ, & qualiter in lege veteri præcipiebantur? *pag.* 618. *num.* 3.
An detur præceptum Eccleſiaſticum de ſolvendo primitias? *ibid. num.* 4.
Quæ quantitas, & ex quibus fructibus ſolvenda ſit in primitijs? *ibid. n.* 5. *&* 6.

Princeps.

An Principes poſsint in ſuis Regnis libertatem conſcientiæ permittere? *pag.* 166. *à num.* 4. *vſque ad* 8.
Reliqua. Vide verb. *Rex.*

Principia.

An prima principia iuris naturalis ſub Decalogo contineantur? *pag.* 121. *num.* 8. *&* 9.

Profeſsio fidei.

Quando teneantur fideles coram perſecutore ad profeſsionem externam fidei? *pag.* 143. *toto punct.* 6. *à num.* 64. *vſque ad* 76.
Quid ſit externa profeſsione fidei coram Prælatis ſuperioribus facienda ab Epiſcopis, Canonicis, Dignitatibus, & Parochis; nec non Prælatis inferioribus, & Magiſtris? *pag.* 147. *à num.* 77. *vſque ad* 95.

Proximus.

An teneamur diligere proximum, & maxime inimicum? *pag.* 247. *à num.* 60. *vſque ad* 18.
Quæ ſigna dilectionis teneamur proximo inimico exhibere; & obvium factum ſalutare? *pag.* 248. *num.* 19. *&* 20.
Quomodo teneamur ſuccurrere proximo exiſtenti in extrema, aut gravi neceſsitate, tam ſpirituali, quàm temporali cum propriæ vitæ, & bonorum periculo? *pag.* 249. *toto punct.* 3. *à num.* 24. *vſque ad* 40.
Vide verb. *Charitas.*

Pſalterium B. M. V.

Quid ſit Pſalterium B. M. Virginis, & eius origo, & excellentia? Vide verb. *Roſarium.*

Pueri.

An pueris ante ſeptennium poſsint carnes miniſtrari in diebus ieiunij? *pag.* 578. *num.* 20.
Quare Lamiæ potius pueris, quam adultis noceant? *pag.* 422. *num.* 169.

Purgatorij animæ.

An animæ Purgatorij valeant à nobis orari? *pag.* 311. *num.* 23. *vſque ad* 29.
Vtrùm pro animabus Purgatorij liceat apud Deum preces fundere? *pag.* 323. *à num.* 69. *vſque ad* 72.
Qualiter orationes fidelium, & ſuffragia vivorum animabus Purgatorij proſint? *pag.* 324. *à num.* 73. *vſque ad* 79. *&* *pag.* 327. *num.* 84. *cum ſequent.*
Quando a Purgatorij pœnis liberabuntur animæ illæ, quæ nullum habent ſpecialem benefactorem, qui pro eis oret? *pag.* 329. *n.* 90.

Q

QUADRAGESIMA.

Quadrageſimæ ieiunium quomodo obliget? *pag.* 598. *num.* 91.
An in Quadrageſima ſervanda ſit abſtinentia à lacticinijs? *pag.* 581. *n.* 32. *&* 33.
An in Dominicis Quadrageſimæ obliget abſtinentia ab ovis, & lacticinijs? *pag.* 582. *à num.* 35. *vſque ad* 37.
Qualiter Regulares, & Presbyteri ſæculares ratione Bullæ Cruciatæ valent in Dominicis Quadrageſimæ veſci lacticinijs? *pag.* 583. *num.* 38. *&* 39.
Valent in Quadrageſima Officiales pauperes edere lacticinia ſine Bulla Cruciatæ, quando non facile habent, vnde emant piſces? *pag.* 584. *num.* 40.
In ieiunijs Quadrageſimæ non licet edere in notabili quantitate panem biſcotum, vulgò, *Vizcochos*, *pag.* 584. *num.* 41.
An Religioſus Minimus violans in die veneris abſtinentiam quadrageſimalem, committat duplex peccatum? *pag.* 68. *num.* 11.

Quæſtores eleemoſynarum.

Qui ſint quæſtores eleemoſynarum à Tridentino prohibiti? *pag.* 263. *num.* 34.
An liceat abſque Pontificis, aut Epiſcopi licentia eleemoſynas quæſtuari? *ibid. num.* 35.
An poſsint Religioſi, maximè mendicantes impediri ab Epiſcopis, ne eleemoſynas emendicent? *pag.* 264. *num.* 36.
An mendicantes ab alijs Religioſis impediri poſsint, ne eleemoſynas petant? *ibid. n.* 37.
Diverſa decreta, & Bullæ Pontificiæ, quibus prohibentur, & ſubijciuntur Inquiſitoribus omnes impedientes, & ſi ſint Religioſi Franciſcani, ne Carmelitæ eleemoſynas emendicent, *pag.* 264. *à num.* 38. *vſque ad* 40.
Alia decreta Nuntij Apoſtolici Hiſpaniarum, & Supremi Caſtellæ Senatus, quibus præcipitur, vt nullus impediat ne dictæ Bullæ obſerventur, *pag.* 265. *num.* 41.

R

REFECTIO.

AN vnica refectio ſit de eſſentia ieiunij? *pag.* 575. *num.* 8. *&* 9.
An qui ex vnica refectione ita ſe ingurgitat, vt nullam afflictionem carnis ſentiat, adimpleat præceptum ieiunij? *pag.* 585. *à num.* 43. *vſque ad* 45.
Quando interrumpitur vnica refectio ad ieiunium petita? *pag.* 587. *num.* 49. *&* 50.

Religio, & Religioſi.

Quæ ſit eſſentia virtutis Religionis? *pag.* 306. *num.* 1.
Quot ſint eius actus; & an ſit vna in ſpecie? *ibid. num.* 2. *&* 3.
Qualiter devotio, & oratio ſint actus interiores Religionis? *pag.* 307. *num.* 5. *&* 8. *cum ſeq.*
Qui ſint actus exteriores Religionis? *pag.* 306. *num.* 2.
An Religioſi teneantur obſervare feſtum Patroni principalioris Regni, aut Civitatis? *pag.* 507. *num.* 109.

Vtrùm

Vtrúm Religiosi debeant colere festa pro tota Diœcesi ab Episcopo indicta, nec non festa particularia Civitatis ex voto promissa? *pag.* 529. *à num.* 184. *vsque ad* 201.

An Religiosus Minimus duplex committat peccatum, si abstinentiam à lacticinijs in Quadragesima violet? *pag.* 68. *num.* 11.

An Religiosi Franciscani in feria sexta, in qua incidit vigilia alicuius Sancti, non ieiunantes, duplicis peccati rei sint? *pag.* 68. *num.* 11.

Reliquiæ Sacræ.

Qua adoratione reliquiæ sacræ sunt adorandæ? *pag.* 361. *à num.* 100. *vsque ad* 106.

Quæ certitudo requiritur, vt sacræ reliquiæ adorentur? *pag.* 162. *à n.* 103. *vsque ad* 105.

Reliquiarum furtum est sacrilegium, *pag.* 163. *num.* 108.

Pœnæ contra furantes sacras reliquias, *ibid. num.* 109.

Furantes sacras reliquias Matris nostræ Sanctæ Theresiæ, & B. P. N. Ioannis à Cruce ab Ecclesijs nostris Albæ, Segoviæ, & Vbedæ incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, & alias pœnas, *pag.* 364. *num.* 112.

Victores in bello reliquias furari non possunt, *ibid. num.* 113.

An sit licitum reliquias ostendere, vt eleemosynæ accrescant? *pag.* 364. *num.* 114. & 115.

Vtrùm liceat reliquias, & Agnus Dei vendere, & tangere? *pag.* 365. *num.* 116. *vsque ad* 118.

Restitutio.

Ad restitutionem fructuum tenentur Canonici, & Beneficiarij, qui omittunt culpabiliter intra bimestre facere fidei professionem, *pag.* 148. *à num.* 81. *vsque ad* 85.

Rex.

Qui sunt Reges, qui bellum indicere possunt? *pag.* 287. *num.* 17.

An Rex ex opinione probabili, quod aliquod Regnum ad se pertineat, possit ab altero Rege illud armis auferre? *pag.* 288. *à num.* 20. *ad* 24.

Quid, si habeat opinionem probabiliorem de iustitia ad Regnum? *pag.* 289. *à num.* 24. *vsque ad* 27.

An Reges Catholici possint in bello iusto contra alios Catholicos vocare in auxilium Hæreticos, aut Gentiles? *pag.* 291. *à num.* 32. *vsque ad* 38.

Rex victor potest privare hostes bello captos libertate, nisi victi catholici, aut hæretici sint? *pag.* 294. *num.* 45.

Quæ sunt peccata, quæ solent Reges committere in bello? *ibid. num.* 46.

An Reges Catholici possint licite permittere in suis Regnis libertatem conscientiæ? *pag.* 167. *à num.* 4. *vsque ad* 6.

Rex infidelis potest ab Ecclesia per se, aut per alios Principes armis cogi, ad admittendos Prædicatores Evangelij, *pag.* 168. *num.* 9. & 10.

An Ecclesia valeat privare Reges infideles iurisdictione in vassallos fideles, si eos causa fidei persequantur, & tormentis vexent? *pag.* 170. *à num.* 14. *vsque ad* 16.

Vtrùm Ecclesia possit armis cogere Reges infideles ad derelinquendos errores, & ritus rationi naturali contrarios? *pag.* 171. *à num.* 17. *vsque ad* 23.

Nullus Rex, aut Princeps Sæcularis nisi Sum. Pontifex potest cogere armis Reges infideles ad admittendos Prædicatores Evangelicos, *pag.* 168. *num.* 9.

Rixa.

Quid sit rixa? *pag.* 295. *num.* 48.

Rogationes.

Qualiter obliget abstinentia à carnibus in triduo rogationum? *pag.* 600. *num.* 100. & 101.

Rosarium.

Vnde originem acceperit B. V. Mariæ Rosarium? *pag.* 333. *num.* 106.

An differat à Corona Beatæ Mariæ Virginis? *ibidem.*

Quali forma, & attentione sit recitandum? *pag.* 375. *num.* 113.

An satisfaciat obligationi recitandi Rosarium, qui illud alternatim recitat? *ibid. num.* 114.

Rusticus.

Homines rustici, & laici qualiter obligentur habere fidei notitiam? *pag.* 135. *à num.* 36. *ad* 40.

S

SABBATHUM.

QUaliter præceptum sanctificationis Sabbathi ad Decalogum pertineat? *pag.* 480. *num.* 1. & 2.

Præceptum sanctificationis Sabbathi est naturale, seu morale, & cæremoniale, *ibid. numer.* 3. & 4.

Quot modis fuit cæremoniale? *pag.* 481. *numer.* 5.

In quantum naturale est ad Decalogum pertinet, *ibid. num.* 6.

Quæ opera essent prohibita Iudæis in die Sabbathi? *ibid. pag.* 481. *num.* 8.

In præcepto de sanctificatione Sabbathi non interior, sed exterior Dei cultus præcipiebatur, *pag.* 482. *à num.* 8. *ad* 13.

Præceptum de sanctificatione Sabbathi est affirmativum, *ibid. pag.* 483. *num.* 14. & *seq.*

A tempore Moysis cæpit Iudæos obligare præcepta de sanctificatione Sabbathi, *pag.* 485. *à num.* 21. *ad* 23.

Quantum ad determinationem sanctificationis Sabbathi Christianos non obligat, *pag.* 486. *num.* 24.

Motiva, quare Deus præcepit Iudæis potius Sabbathum, quam diem alium sanctificare, *ibid. num.* 25. *ad* 27.

Vide reliqua *Dies festi.*

Abstinentia in Sabbatho quando obliget, & in quibus locis, *pag.* 603. *num.* 108. *ad* 110.

Sacramenta.

Quæ Ecclesiæ Sacramenta teneantur fideles credere, & memoriter scire? *pag.* 138. *n.* 46.

Sacrilegium.

Essentia sacrilegij, *pag.* 438. *num.* 13.

Sacrilegium ex D. Thoma est triplex, scilicet contra personam sacram, locum sacrum, & res sacras, *ibid. num.* 14.

An prædicta sacrilegia distinguantur specie? *pag.* 438. *num.* 16.

Quæ ſacrilegia ad primam ſpeciem expectent.
An talis diviſio ſacrilegij ſit in ſpecies infimas, aut ſubalternas? *pag.* 439. *num.* 17. *ad* 20.
Quæ ſacrilegia ad primam ſpeciem expectent? *pag.* 439. *num.* 21.
An violatio voti ſit peccatum perfidiæ à ſacrilegio ſpecie diſtinctum? *pag.* 440. *num.* 22.
An ſacrilegus ſit qui fornicatur cum filia ſpirituali, aut ſpiritualiter ſibi coniuncta ex vi Sacramenti Baptiſmi? *ibid. num.* 23.
Recenſentur ſacrilegia contra locum ſacrum commiſſa, *pag.* 441. *num.* 24.
Quæ ſacrilegia ad tertiam ſpeciem ex mente D. Thomæ expectent? *pag.* 442. *num.* 29.
An irreverentia Sacræ Euchariſtiæ irrogata ſit ſacrilegium in perſonam, aut in rem ſacram? *ibid. num.* 31.
Sacrilegus eſt, qui vaſa ſacra, reliquias, imagines ſacras irreverenter tractat; & qui Eccleſiaſtica bona retinet, *pag.* 442. *num.* 32. *ad* 34.
Sacrilegium ex genere ſuo mortale, *pag.* 443. *num.* 35. & 38.
Pœnæ contra ſacrilegia impoſitæ, *pag.* 444. *num.* 39. *ad* 41.
An irreverentia B. V. Mariæ, Sanctis, perſonis, & rebus ſacris facta ſit propriè ſacrilegium? *pag.* 344. *num.* 31. *cum ſequent.*

Sagæ.

Quid ſit ſaga. Vide verb. *Lamiæ.*

Salutatores.

An, & qualis ſit virtus, qua Salutatores hydrophobiæ, & alijs infirmitatibus medentur? *pag.* 405. *à num.* 113. *vſque ad* 115.
Eſt virtus gratis data, *ibid. pag.* 406. *num.* 16.
Qui Salutatores ſuperſtitioſi ſint? *ibid. num.* 117. & 118.
An ſint, qui gratiam ſanitatum à Deo habeant? *pag.* 408. *num.* 122.

Salutare.

Qualiter ſalutare inimicos, & eis ſigna dilectionis exhibere teneamur? *pag.* 248. *à num.* 19. *ad* 23.

Salus.

An liceat pro ſalute ſpirituali proximi peccatum veniale committere? *pag.* 249. *num.* 24. & 25.
Pro ſpirituali ſalute proximi bonum eſt, ſe privare bonis ſpiritualibus ſibi omnino non neceſſarijs, *pag.* 250. *num.* 26.
An liceat pro ſpirituali ſalute ſe exponere periculo probabili peccandi? *ibid. à n.* 27. *ad* 29.
An bonum ſpirituale proximi præferendum eſt propriæ ſaluti corporali? *pag.* 251. *num.* 29. & 30.
An cum ſalutis periculo teneamur ſuccurrere proximo exiſtenti in extrema neceſſitate corporali? *pag.* 252. *num.* 35. & 36.

Sancti.

An Sanctis debeatur aliqua adoratio? *pag.* 342. *num.* 26. & 27.
Qui cultus eis tribuendus ſit? *pag.* 343. *num.* 30. *vſque ad* 36.
Sanctos non dum Canonizatos, aut Beatificatos qualiter venerari liceat? *pag.* 352. *à num.* 64. *vſque ad* 78.
Vide verb. *Adoratio.*

Sanctitas.

Qui cultus poſsit dari hominibus cum opinione ſanctitatis decedentibus? *pag.* 352. *à n.* 64. *ad* 78.
Poteſt eis aliquis cultus privatus deferri, & qualis iſte ſit? *pag.* 355. *num.* 76. & 77.
Ad eorum ſepulchra tabellas, & imagines non licet ſuſpendere, *pag.* 354. *num.* 71.

Sanguis.

Sanguis è corpore occiſſo manans in occiſſoris conſpectu, an ſuperſtitioſè, aut naturaliter fluat? *pag.* 431. *num.* 198.
Sanguis Chriſti miraculosè apparens in hoſtia conſecrata, quo cultu eſt adorandus? *pag.* 339. *num.* 14.

Sartores.

An Sartores excuſentur à ieiunio? *pag.* 611. *num.* 139.
An Sartores poſsint in feſtis laborare? *pag.* 569. *num.* 344.

Satisfactio.

Qualiter ſatisfactio noſtra defunctis proſit? *pag.* 323. *à num.* 69. *vſque ad* 83.
An infallibiliter eis proſit? *pag.* 327. *num.* 84. *vſque ad* 89.
Vtrum inæqualiter proſit, ſi pro pluribus offeratur? *pag.* 329. *num.* 89.
An Sacerdos poſsit ſtipendium accipere, ſi pro alio applicet ſatisfactionem ſibi ex ſacrificio Miſſæ ſpecialiter correſpondentem, *pag.* 329. *num.* 92.

Scandalum.

Quid, & quotuplex ſit ſcandalum? *pag.* 295. *num.* 50.
An ad rationem ſcandali debeat intendi expreſſe occaſio ruinæ? *pag.* 296. *num.* 51. *vſque ad* 54.
Vtrum qui pravo ſuo exemplo inducit ad furandum, teneatur reſtituere damna illata? *pag.* 297. *num.* 57.
An ſcandalum committat, qui parato grave peccatum facere, ſuadet, vt leve committat? *pag.* 298. *num.* 58.
An fœmina ornata procedens per vias publicas peccatum ſcandali committat? *ibid. num.* 59. & 60.
Quale peccatum ſit, mulieres nuda pectora, & mammillas oſtendere? *pag.* 299. *num.* 61.
Per ſe illicitum eſt fœminis, veſtibus virilibus vti, *ibid. num.* 62.
Scandali grave peccatum committit, qui imagines obſcœnas, & concubinam amaſio depingit, *ibid. num.* 63. & 64.
An ſit ſcandali peccatum, locare domum meretricibus? *ibid. num.* 65.
An ſcandalum committant ſervi, & famuli miniſtrantes dominis in peccatis contra caſtitatem? *pag.* 300. *num.* 66.
Quando ſcandalum ſit, deferre concubinæ litteras amatorias? *ibid. à num.* 67. *ad* 71.
An ſcandalum committant aurigæ concubinas ad domum amaſij deferendo? *pag.* 301. *n.* 72.
Non licet famulo deferre ſcalam, aut humeros apponere, vt dominus ad peccandum aſcendat? *ibid. num.* 73.
Quid, ſi id faciat metu notabilis detrimenti? *ibid. num.* 75.
An ſcandali peccatum committat, qui mutuum ab vſurario, & ſacramenta ab indigno miniſtro petit? *pag.* 302. *num.* 76. & 76.

Qua-

Quale peccatum ſcandali faciat, qui petit iuramentum ab eo, qui vel timet, ne iuret falſum, aut id forte ſuſpicatur? *ibid.n.*78. & 79.
Scandalum eſt inducere ad iurandum falſum,& ſi iurans credat eſſe verum,*pag.*303. *n.*80.
An ſit ſcandalum, invitare ad cœnam eum, qui paratus eſt ſolvere ieiunium? *pag.* 303. *n.*81.
Quid dicendum de eis, qui Carmelitis Diſcalceatis carnes, etiam furtive, miniſtrant? *ibid. num.*82. 83. & 84.
Vtrùm bona ſpiritualia,quæ ſub præcepto obligant, ſint dimittenda ad vitandum ſcandalum? *pag.*304. *num.*85. *vſque ad* 89.

Schiſma.

Quid ſit ſchiſma, & quæ eius pœnæ, *pag.* 286. *num.*14.
An quando in Eccleſia inſurgunt plures Pontifices, omnes ſint ſchiſmatici? *ibid. num.*15.

Scientia.

Qualem ſcientiam myſteriorum fidei debeant habere Epiſcopi, Parochi, Confeſſarij, Prædicatores, & Prælati inferiores Eccleſiæ, *pag.* 140. *à num.* 52. *vſque ad* 57.
Quam ſcientiam debeant etiam habere ſæculares, & vulgus? *pag.* 138. *n.*46. *cum ſequentibus.*

Scribere.

An ſcribere ſit opus ſanctificationem diei feſti violans? *pag.*549. *num.*264.
Vide verb. *Opus liberale.*

Scrupulus.

Quid ſit ſcrupulus, & qualiter deponendus? *pag.*37. *à num.* 1.
Vide verb. *Conſcientia ſcrupuloſa.*

Secretum.

Ad quod ſecretum teneantur, qui ſententiæ occultæ contra ſolicitantes latæ aſsiſtunt? *pag.*229. *num.*111. & 112.

Seditio.

Quid ſit ſeditio? *pag.*295. *num.*49.

Sententia.

Sententiam ferre in die feſto, & eam exequi, nullum,& illicitum eſt, *pag.* 559. *num.* 305. & 306.
Sententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti poteſt in die feſto ferri, *ibid.n.*307.
Actus voluntariæ iuriſdictionis, & qui ſine ſtrepitu iudiciali fiunt, liciti ſunt in feſtis, *ibid. num.* 308.
Quid ſentiendum de ſententia iudicis arbitri? *pag.* 560. *num.* 309.
Sententia appellationis in die feſto licita, & valida eſt, *ibid. num.*310. *vſque ad* 312.
Actus extraiudiciales licent in feſtis, *pag.* 561. *num.*313.
Qualiter teneantur ſervare ſecretum, qui aſsiſtunt ſententiæ latæ in occulto contra ſolicitantes? *pag.*229. *num.* 112.

Servilia.

Servilia. Vide *opera ſervilia.*

Siggillum.

An Confeſſarius ſiggillum confeſsionis violans, ſit de hæreſi ſuſpectus? *pag.*264. *num.*9.

Signa dilectionis.

An communia ſigna dilectionis debeamus inimico exhibere? *pag.*248. *num.* 19.
Quæ ſigna debeant exhibere Religioſi, quando graviter ab alijs Religioſis ſunt iniuriati, *pag.*249. *num.*23.

Symbolus.

Quot ſunt ſymboli articuli? *pag.*136. *num.*41.
Qualiter ſunt explicandi? *ibid. num.* 42. *vſque ad* 45.
An debeant fideles explicite credere ſymboli articulos, prout in eo continentur? *pag.*135. *num.* 38.

Sodomia.

Sodomiæ criminis cognitio ad Inquiſitores attinet, *pag.*204. *num.* 10.

Solicitans, & Solicitatio in Confeſsione.

An ſolicitans ad turpia pœnitentem ſit de hæreſi ſuſpectus? *pag.*205. *à n.*12. *vſque ad* 14.
Quæ Bullæ, & Pontificiæ Conſtitutiones ſint contra Confeſſores ſolicitantes ad turpia pœnitentes, *pag.*206. *à num.*15. *vſque ad* 18.
In quibus Bulla Gregorij XV. ab alijs decretis Pontificijs differat, *pag.*208. *num.*18.
An Bulla Gregorij XV. ſit in Hiſpania recepta? *ibid. num.*19. & 21.
Edictum Inquiſitionis Hiſpaniarum contra ſolicitantes, *ibid. num.*20.
Quid ſit ad turpia ſolicitare? *pag.*209. *num.* 22. & 23.
An ſit Inquiſitoribus denuntiandus Sacerdos, qui in confeſsione pœnitentes ad turpia ſolicitat? *ibid. num.* 24.
Et quid de Confeſſario ſolicitante, ſi ſine iuriſdictione confeſsiones audire præſumit? *ibid. num.* 25.
Si Sacerdos ſolicitat, dum eſt interpres pœnitentis, an ſit denuntiandus? *pag.*210.
Qui non ſunt Sacerdotes, an ſint denunciandi, ſi ſe fingunt confeſſarios, & intra confeſsionem ſolicitant ad turpia? *ibid.n.*27. & 28.
An ſi pœnitens ſolicitet confeſſarium, ſit denunciandus? *ibid. num.* 19.
An Epiſcopi, Nuntij, Legati, Abbates iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, Inquiſitores, Generales, & Provinciales Religioſorum, ſi ſolicitent intra confeſsionem, ſint Inquiſitioni denuntiandi? *pag.*211. *num.* 30. & 31.
An ſolicitans ad actiones venialiter inhoneſtas, ſit denuntiandus? *ibid. num.*32.
An ſolicitet qui laudat pœnitentem à pulchritudine, aut iniungit pœnitentiam, quod ab ipſo poſtea nuda fœmina verberetur? *pag.* 212. *à num.*33. *ad* 35.
Quid de confeſſario, qui in confeſsione ſuam concubinam obiurgat, hoc eſt, *Pide zelos,* aut ſuadet fœminæ, vt poſtea ſibi oſtendat vas naturale, quod ex confeſsione cognoverat morbo infectum? *ibid. num.* 35.
An ſit ſolicitans, qui in confeſsione manifeſtat pœnitenti, ſepolluiſſe voluntarie, aut inſtigat pœnitentem, vt alium ad copulam admittat, vel filiam proſtituat? *ibid. num.* 36.
An ſit denuntiandus, qui fœminam arte ſomno conſopitam proxime ad confeſsionem cognoſcit? *ibid. num.* 37.
Quid ſentiendum de confeſſario tribuente in confeſsione pœnitenti chartam, in qua ad venerea ſolicitat, vt poſtea eam legat? *pag.* 213. *num.*38.
An ſi confeſſarius ſolicitetur ad copulam, & re-

renuat; consentit tamen ad tactus, sit denuntiandus? *ibid. num.* 39. & 40.
Quid si confessarius solicitatus à pœnitenti, consentiat? *pag.* 214. *num.* 41. & 42.
Qui in alijs Sacramentis ad turpia solicitat, an sit denuntiandus? *ibid. num.* 43.
Qui in actu confessionis, sive immediate ante, sive post ad turpia solicitat, sive etiam si sit occasione confessionis, etsi ea non sequatur, est denuntiandus, *pag.* 214. *n.* 44. & 45.
An sit denuntiandus, qui solicitat per verba conditionata? *pag.* 215. *num.* 47.
Confessarius disuadens pœnitenti confessionem, & postea solicitans, denuntiandus est? *ibid. num.* 49.
Qui immediate ad confessionem ducit pœnitentem ad cubiculum, & solicitat, vere est solicitans ad turpia, *ibid. num.* 50.
Sed quid si cognita in confessione pœnitentis ad sensualia inclinatione, eum insequens domi, aut in itinere solicitat? *num.* 51.
An si consentiat solicitationi mulieris, quæ fingens ægrotam esse, vocat illum ad se confitendam, & minatur vociferaturam, sibi voluisse iniuriam inferre? *pag.* 216. *num.* 53. *vsque ad* 55.
Qui in Confessionario solicitat, simulando confessionem, denuntiandus est, *pag.* 217. *num.* 57. & 58.
Qui metu consentit solicitationi fœminæ, an sit denuntiandus? *ibid. num.* 59.
An si ambo conveniant loqui turpia in confessionario tanquam in loco commodiori, subiaceat confessarius pœnis contra solicitantes latis? *ibid. num.* 60. & 61.
Vtrùm fœmina consentiens solicitationi, teneatur denuntiare confessarium? *pag.* 218. *num.* 65. & 66.
Omnes, qui certo sciunt confessarij solicitationem, denuntiare tenentur, *pag.* 219. *à num.* 68. *ad* 71.
An sciens solicitationem teneatur denuntiare confessarium, vel iam ab Inquisitione punitum, vel iam emendatum? *pag.* 220. *à n.* 73. *ad* 79.
Quid dicendum de confessario solicitante, si de tali crimine non est diffamatus? *pag.* 222. *à num.* 80. *ad* 82.
An parentes, & sorores teneantur denuntiare filios, & fratres solicitantes; & similiter maritus vxorem, si alia crimina ad Inquisitionem attinentia committat? *pag.* 223. *n.* 83.
Non excusatur pœnitens à denuntiando confessarium, & si confiteatur cum solicitante, *ibid. num.* 84.
An excusentur à denuntiando, qui solicitationem sub secreto sciunt? *ibid. num.* 85.
Quid, si inde grave damnum timeant? *ibid. num.* 86. *vsque ad* 92.
An pœnitens teneatur denuntiare, quando solicitatio est dubia? *pag.* 225. *num.* 93. & 94.
Quid, si solicitatio est probabilis? *ibid. num.* 95.
An correctio fraterna excuset à denuntiando solicitantem? *pag.* 226. *à n.* 96. *vsque ad* 104.
Qui testes requirantur ad incarcerandum, aut puniendum solicitantem? *pag.* 228. *n.* 105.
Pœnæ, quibus crimen solicitationis punitur, *pag.* 229. *num.* 106. & 107.
Quando facienda est denuntiatio? *ibid. n.* 109.
Qualiter ferenda est sententia contra solicitantes? *ibid. num.* 110.
An qui interfunt sententiæ occulte latæ contra solicitantes, possint eam alijs manifestare? *ibid. num.* 111. & 112.

Somnia.

Quid sit divinatio per somnia; & quæ illorum causæ? *pag.* 381. *num.* 22. & *pag.* 390. *à num.* 57. & 58.
Quando cognoscetur, somnia esse à Deo, aut à dœmone, *pag.* 391. *num.* 61.
An aliquando licita esse possit divinatio per somnia? *pag.* 391. *num.* 59. *ad* 63.
Somnis à dœmone immissis fides neganda est; *pag.* 392. *num.* 66.

Sortilegium.

Quid sit sortilegium? *pag.* 381. *num.* 24.
Vsus sortis diuisoriæ licitus est, nisi in casibus ab Ecclesia prohibitis, *pag.* 397. *num.* 81.
Assignantur diversi casus, in quibus sortium vsus licitus est, *ibid. num.* 82. & 83.
An sit licitus sortium vsus ad dirimendas lites circa res, & beneficia ecclesiastica? *pag.* 398. *à num.* 84. *vsque ad* 90.
An electio per sortes ad officia, & beneficia ecclesiastica sit iure ecclesiastico illicita, & nulla? *pag.* 399. *num.* 90. *ad* 92.
Sors divinatoria est illicita, & superstitiosa, *ibid. num.* 93.
Sors consultoria, à Deo expectando electionem, & servatis debitis circunstantijs licita est, *pag.* 400. *num.* 94. 95. & 96.

Spatulamantia.

Quæ species divinationis est spatulamantia? *pag.* 381. *num.* 23.

Spes.

Essentia spei, eius obiectum, & distinctio à fide, & charitate declarantur, *pag.* 230. *n.* 1.
In quibus inveniatur spei virtus? *pag.* 231. *n.* 3.
Quando obliget spei præceptum? *pag.* 231. *à num.* 4. *vsque ad* 8.

Sponsus.

An liceat sponso delectari de copula futura? *pag.* 100. *num.* 58.

Striges.

Quæ sint striges? Vide verb. *Lamiæ.*

Suffragia.

Suffragia vivorum qualiter defunctis prosint? *pag.* 327. *num.* 84. *ad* 88.
An suffragia pro pluribus oblata, æque omnibus prosint? *pag.* 328. *num.* 89.

Superstitio.

Etymologia, & essentia superstitionis declarantur, *pag.* 374. *num.* 1.
Quotuplex sit superstitionis species, *ibid. à n.* 2. *vsque ad* 5.
Quam grave peccatum sit superstitio falsi cultus? *pag.* 375. *num.* 6.
Peccatum superstitionis indebiti cultus est profana divino officio immiscere, *pag.* 376. *n.* 7.
Superstitio indebiti cultus aliquando est culpa mortalis, aliquando venialis, *ibid. num.* 8.

Suspicio de hæresi.

Quotuplex sit suspicio in communi, & suspicio de hæresi? *pag.* 202. *num.* 1. *vsque ad* 6.
An sint suspecti de hæresis coniugati, qui vi-

vivente altero coniuge alias nuptias contrahunt? *pag.* 203. *num.* 6.
Clerici in Sacris, & Religiosi professi, si matrimonium, licet nullum, contrahunt, sunt de hæresi suspecti, *ibid. num.* 7.
Vtrùm sit de hæresi suspectus, qui cum Sacerdos non sit, Missam celebrat? *pag.* 204. *n.* 8.
An confessarij siggillum confessionis violantes, sint de hæresi suspecti? *ibid. num.* 9.
An sodomita, & bestializans sint de hæresi suspecti? *ibid. num.* 10.
Vtrùm confessarius solicitans pœnitentem ad turpia, sit de hæresi suspectus? *pag.* 205. *num.* 12. *vsque ad* 14.

Sutores.

An Sutores possint in festis laborare? *pag.* 569. *num.* 344.
An Sutores excusentur à ieiunio? *pag.* 610. *num.* 136.

T

TABULÆ LEGIS.

QUæ Decalogi præcepta erant scripta in prima tabula legis, & quæ in secunda? *pag.* 120. *num.* 6.

Taurus.

An circuratio Tauri in die S. Marci sit superstitiosa? *pag.* 429. *num.* 193. *vsque ad* 197.

Templa.

An hæreticorum, & infidelium templa liceat Catholicis ingredi? *pag.* 160. *à n.* 121. *ad* 123.
Quid, si Princeps hæreticus iubeat, vt catholici templa adeant ad hæreticas conciones audiendas? *ibid. num.* 124.
An liceat ea ingredi ad recipiendum baptismum, quando non est alius minister catholicus, à quo possit baptizari? *pag.* 160. *n.* 126.

Tempora.

De ieiunijs quatuor temporum, & eorum institutione, *pag.* 599. *num.* 95.

Tentatio Dei.

Quid, & quotuplex sit tentatio Dei? *pag.* 435. *num.* 1. & 2.
Tentatio Dei, quæ procedit ex dubitatione, circa aliquam ex perfectionibus divinis, est mortalis culpa, *ibid. num.* 3.
In tentatione Dei non datur parvitas materiæ, *ibid. num.* 4.
Purgatio crimine per probationem ferri candentis, seu aquæ ferventis est tentare Deum, *pag.* 436. *num.* 5. & 6.
Qui offert absolute, futurum miraculum ad nostræ fidei confirmationem, & infidelium cõversionem, Deum proprie tentat, *ibid. n.* 7.
Acceptare duellum ad ostensionem propriæ innocentiæ, est Dei tentatio, *ibid. num.* 8.
Deum tentat, qui absque iusta causa periculo mortis se committit; aut si ægrotus medicinas communes renuit, vnice à Deo salutem sperans, *pag.* 437. *num.* 9.
An expressa Dei tentatio differat ab interpretativa? *ibid. num.* 10. 11. & 12.

Testes.

An, & quæ mulieres possint vt testes in causa solicitationis ad turpia admitti? *pag.* 228. *num.* 105.
An liceat, in die festo testes iuridice examinari? *pag.* 556. *num.* 293. *cum sequent.*

D. Theresia.

Testimonium D. Theresiæ circa maleficiorum existentiam, & modum, quo destrui valent, *pag.* 418. *num.* 156.
Duo miracula facta interceßione M. N. D. Theresiæ circa expulsionem dœmonum à corpore Monialis energumenæ, & destructionem cuiusdam maleficij, *pag.* 459. *num.* 46. & 47.

D. Thomas.

Sententia D. Thomæ circa correctionem fraternam, *pag.* 226. *num.* 97. & *pag.* 191. *à n.* 98.

Timoris donum.

Quis, & quotuplex sit timor? *pag.* 232. *num.* 10. & 13.
Quod sit timoris obiectum; & an sit peccatum vere illius obiectum? *pag.* 233. *num.* 12.
An timor castus, & filialis sint honesti, & laudabiles? *pag.* 234. *num.* 17. & 18.
An timor servilis sit honestus? *ibid. à n.* 19. *ad* 29.
Quid senserint Salmanticenses circa hoc timoris donum? *pag.* 237. *à num.* 30. *ad* 40.
Quis ex prædictis timoribus sit Spiritus Sancti donum? *pag.* 240. *num.* 45. 46. & 47.
An detur præceptum divinum de timore filiali, aut servili? *pag.* 241. *num.* 48. & 49.

Tyrannus.

Quando liceat Catholicis, fugere Tyrannum persequentem? *pag.* 146. *num.* 73. & 74.
An Episcopi, & Pastores possint fugere Tyrannum, dimittendo proprias oves? *ibid. num.* 75. & 76.

Transcribere.

An transcribere sit opus servile violans festum? *pag.* 550. *num.* 268. *vsque ad* 272.

Trinitas.

Quo cultu Sanctißima Trinitas adoranda est, *pag.* 337. *num.* 7.
An liceat Sanctißimæ Trinitatis imagines depingere? *pag.* 357. *num.* 82.

Turca, & Turcismus.

An si fidelis interrogatus ab infidelibus, an sit Turca, affirmative respondeat, neget fidem? *pag.* 154. *num.* 99.
Quid sit Turcismus? *pag.* 166. *num.* 3.

V

VANA OBSERVANTIA.

QUid, & quotuplex sit vana obseruantia? *pag.* 401. *num.* 99.
Vana obseruantia sanitatum est quid superstitiosum? *ibid. num.* 101.

Vestes, & Vasa Sacra.

An liceat occultare fidem infidelium vestibus? *pag.* 157. *à num.* 110. *vsque ad* 120.
Qua adoratione vestes, & vasa sacra sunt veneranda? *pag.* 366. *num.* 119. *vsque ad* 124.
An liceat laicis, & fœminis corporalia, pallas, casullas, calices, & alia vasa sacra tangere, & attrectare? *pag.* 367. *n.* 125. *vsque ad* 127.
A quo sunt lavanda corporalia, & purificatoria? *pag.* 368. *num.* 129.
An fratres Laici Minorum habeant privilegium ad lavanda corporalia, & purificatoria? *ibid. à num.* 130. *ad* 132.
An Sanctimoniales possint calices, & vestimenta sacra tangere? *pag.* 369. *num.* 132.

De

De qua corporalium lotione intelligatur dictum Minorum privilegium, *ibid. num.* 133. *vsque ad* 138.

Vtrùm vasa, & vestes sacræ converti possint in vsus prophanos? *pag.* 371. *num.* 139. & 140.

An ad representandas comædias liceat, quod histriones vestibus sacris induantur, *ibid. num.* 142. & 143.

Reprobatur, quod Sanctimoniales comædias coram sæcularibus in choro representent, aut alios in Ecclesia eas representantes videant, *pag.* 372. *num.* 144.

Quando vestes, & vasa sacra amissa benedictione, aut consecratione ad res, & vsus prophanos converti possunt? *ibid. num.* 147.

Ligna Ecclesiæ dirutæ ad quos vsus applicari debent? *ibid. num.* 145. & 146.

Qualiter vestes, & aliæ res prophanæ ad sacros vsus converti possunt? *pag.* 373. *num.* 148. 149. & 150.

Veneris dies.

An Religiosus Franciscanus in die veneris non ieiunans, quando simul incidit vigilia alicuius Sancti, duplex committat peccatum? *pag.* 68. *num.* 11.

Omnibus veneris diebus, seu ferijs sextis est à carnibus abstinendum? *pag.* 601. *num.* 102.

An si in die veneris incidat Nativitas Christi, seu aliquis voverit omnibus ferijs sextis ieiunare, tunc sit à carnibus abstinendum? *ibid. num.* 103. 104. & 105.

Qualiter Religiosi, qui ex regula abstinere à carnibus tenentur omnibus ferijs sextis, debeant abstinere ab illis, si in die veneris incidat Christi Nativitas? *pag.* 602. *num.* 106. & 107.

Verberantes se.

An à ieiunio excusentur, qui in feria quinta maioris hebdomadæ se vsque ad copiosam sanguinis effusionem, se verberant? *pag.* 613. *num.* 145. & 146.

Vidua.

An vidua possit delectari de copula habita tempore matrimonij? *pag.* 100. *num.* 56.

Vigilia.

Vigiliæ Apostolorum ieiunandæ sunt, *pag.* 599. *num.* 93.

Quid dicendum de Vigilia S. Mathiæ, si incidat in Carnis privio? *ibid. num.* 93.

De ieiunio observando in alijs Vigilijs Sanctorum, *ibid. à num.* 94. *vsque ad* 98.

In Vigilia Nativitatis Christi, quæ collationis quantitas sumi possit? *pag.* 593. *num.* 73.

Quid agendum in Sabbatho præcedenti, quando Nativitas Christi incidit in feria secunda? *ibid. num.* 74.

Voluntas.

An committatur peccatum, quando voluntas in motus illicitos nec consentit, nec dissentit? *pag.* 88. *num.* 13. *vsque ad* 18.

Negative se habere voluntas, quando adest consensus periculum, est mortale? *pag.* 89. *num.* 18.

Ad negative se habendum circa hos motus requiritur iusta causa, *pag.* 90. *num.* 20.

Quando ex positione causæ censetur voluntas in illicitos motus consentire? *ibid. à num.* 21. *ad* 24.

Votum.

Vovens abstinere à carnibus omnibus ferijs sextis, quid agere debet, quando in aliqua ex illis Nativitas Christi incidit? *pag.* 601. *num.* 103. & 104.

Minimus, qui in feria sexta carnes sine necessitate comedit, an duplex peccatum committat ratione voti observationis cibi quadrageſimalis, *pag.* 68. *num.* 11.

Vsurarius.

An peccatum scandali committat, qui ab vsurario parato vsuras petit? *pag.* 302. *num.* 76.

Z

ZAHURIES.

AN homines, qui vulgò *Zauriles* vocant, habeant veram virtutem ad manifestanda, & videnda cadavera, & thesauros occultos? *pag.* 390. *num.* 55.

Si hæc dicti homines manifestant, est ex dœmonum pacto, *ibid. num.* 56.



Gymnasium

72
99

12.127